Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
15 — C
51

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XI. 3.18
K. 7.

Digitized by Google

# TRACTATUS

Luculentus, Posthumus, Toti Rei-publicæ Chriſtianæ Utilissimus,

DE

*Materiâ rarissime ante hac enucleata,*

# CASIBUS

nimirum

# CONSCIENTIÆ,

*Summo ſtudio elaboratus,*

*à*

FRIDERICO BALDUINO

S.S. Theolog: Doctore et Pro-feſs. Witteberg.

*Editio Poſthuma et correcta*

FRANCOFURTI

Impenſis CASPARI WÄCHTLERI

ANNO M.DC.LIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO SERENISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO,

# DN. GEORGIO,

## LANDGRAVIO HASSIÆ, COMITI CATTIMELIBOCENSIVM, DECIORVM, ZIGENHAINENSIVM, ET NIDDANORVM, &c.

*Domino nostro clementissimo:*

Preces & subjectionem humilimam devotissimè offerimus.

*ILLVSTRISSIME AC SERENISSIME PRINCEPS DOmine Clementissime;*

DUo sunt potissimum homini Christiano necessaria & scitu dignissima. Alterum est Dei cognitio; Alterum cognitio sui. Non jam verba faciemus de priori citra controversiam omnibus summè necessario; quemadmodũ enim omnia creata sunt propter hominem, ita homo conditus est ad Deũ creatorem suum rectè agnoscendum, & colendum, amandum celebrandumque: Etenim *propterea facti & creati à Deo sumus.*



Digitized by Google

*mus, non ut cœlum videremus & ſolem, quod Anaxagoras putavit, ſed ut artificem ſolis & cœli Deum purâ & integrâ mente coleremus*, monente Lactantio lib. 6. div:inſt: cap. 1. in princ. Sed de poſteriori, puta noſtri cognitione, liceat, Illuſtriſſime Princeps, aliqua præfari: Ita enim res ſeſe habet; Quamvis nulla ferè ſit ex nobilioribus diſciplinis, quæ non illud de cœlo delapſum, & templi Delphici foribus inſcriptum, γνῶθι σεαυτὸν, ſibi vendicet; Logicus per rationis diſcurſum ſuam præ brutis eminentiam & divinam quandam cum ipſo Deo cognationem agnoſcit; Ethicus ad ſtateram virtutis vitam ſuam appendens ſuiipſius cenſor fit, morumque ſuorum moderator; Phyſicus & qui cum hoc concurrit, Anatomicus, miram humani corporis fabricam intuendo μικρόκοσμον in ſeipſo invenit; Omnes ſuo modo laudabili quadam æmulatione ſuiipſius fiunt admiratores, laudumque divinarum præcones, cùm in corpore animâque ſuâ divinæ potentiæ, bonitatis ac ſapientiæ argumenta planè admiranda inveniant. Attamen non cedit ulli horum ſacroſancta noſtra diſciplina Theologica, quæ cum circa æternam hominis ſalutem occupata ſit, quî fieri poſſet, ut non ad ſui ipſius cognitionem hominem adduceret? proponit vitam ac mortem, cœlum & infernum, hominem ergò ſibiipſi oſtendat, neceſſe eſt, cum unusquisque vel cœlum vel infernum in ſinu habeat, prout ipſe fuerit diſpoſitus. Geminam autem ſui notitiam homo ex Theologiæ ſtudio haurit; unam ratione defectuum, alteram ratione actuum ſuorum. Illa oritur ex conſideratione naturæ deſtitutæ, quæ in homine monſtr t larvam Satanæ, alienam à Deo, hoſpitem in myſteriis, hoſtem in præceptis divinis, quæ ſine Ductore viam ad vitam nec invenire nec ire poteſt. Hæc fluit potiſſimum ex conſideratione naturæ reſtitutæ: Etſi enim omnes homines ex actionibus ſuis ſemetipſos noſſe poſſunt: propriè tamen loquendo id eorum eſt, qui à Spiritu Dei illuminati, ac fidei donati ſunt, Deo appropinquant, majeſtatem ejus agnoſcunt, mandata amant, & ſecundum ea vitam inſtituere ſtudent. Sed ſtudium hoc propter

Digitized by Google

pter infirmitatem carnis ſæpè langueſcit, agnitio Dei infirmatur, multorumque actuum ea eſt conditio, ut quo propius accedere videntur ad Deum, eò longius Deum ab agente receſſiſſe, tandem appareat. Hîc ergò quilibet quotidianâ cognitione vel exploratione ſui opus habet, quæ fit per conſcientiæ ſcrutinium, in quo homo habet forum ſuum, in quo ipſe Actor, Teſtis, Scriba atque Judex eſt: forum, in quo ſemper viget juſtitia, quod nemo effugere, nemo declinare poteſt: ſemper enim conſcientia aſſumit, ſimul ac concludit. Nam Synteresis noſtra, (quæ habitus practicus, quo quis redditur propenſus ad aſſentiendum primis principiis practicis) ſuppeditat propoſitionem: Syneſis, conſcientia, poſtmodum aſſumit & tandem concludit. Sic regis Oedipi propoſitio hæc erat: Qui committit inceſtum & parricidium, committit rem turpem, ac proinde pœnâ dignam: Conſcientia ejus aſſumebat: Atqui tu commiſiſti: eadem concludebat poſtmodum hanc accuſationem. Ergò tu pœna dignus es. Hunc ſyllogiſmum in mente Oedipi, Regis Thebanorum, tantus conſecutus eſt dolor, ut impatiens turpitudinis à ſe perpetratæ, ſibi ipſe præ dolore oculos eruerit. Ita enim eſt, quod Melander canit:

Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι κἂν ᾖ θρασύτατος,
ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.

*Pater ubi ſemel, iterum ac tertiò deciesvè filium increpaverit, ſi viderit incorrigibilem permanere, deſperans abdicat, expellit familia, à cognatione reſecat: at non eodem modo conſcientia: ſed licet ſemel, licet iterum, licet ter, licet millies admonuerit, tuque non obtemperes, monebit iterum, nec deſiſtet usque ad ſupremum halitum, ſive domi, ſive in biviis, ſive in menſa, ſive in foro, ſive in itinere, frequenter & in ſomniis peccatorum nobis ſimulacra ſpectraque repræſentat*, ſcribit Chryſoſtomus ſerm. 4. de Lazaro. Verùm ad hoc forum non libenter ſe ſiſtunt, qui in anibus rerum ſive divinarum ſive humanarum ſpeculationibus ſemper occupati ſunt, nunquam ſeriò de vera pietate, & vitæ ſuæ inſtitutis cogitantes, quorum ſemper magnus in mundo eſt numerus. Nam ut Bernhardus



Digitized by Google

in lib. de interiore domo cap. 21. scribit: *Multi quærunt scientiam, pauci conscientiam*: de quibus πολυθρύλλητον illud dicitur: *Scientiæ multum, conscientiæ parum*, Quam ob causam Augustinus in lib. de Spirit. & anima, c. 51. multis modis commendat illam nostri cognitionem, quæ ad conscientiam cujusque pertinet, inter cætera sic scribens: *Cum nulla scientia mellior sit illa, qua cognoscit homo seipsum, discutiamus cogitationes, locutiones, atque opera nostra. Quid enim prodest nobis, si omnium rerum naturas subtiliter investigemus, efficaciter comprehendamus, & nosmetipsos non intelligamus? Examinemus ergò, quæ fecimus nos, si secundum, quod debuimus, ea fecerimus: consideremus ea, quæ facturi sumus, si sunt secundum Deum.* Et paulò post: *Necesse est, ut per singulos dies vitam nostram ad judicium vocemus, & quid egimus per noctem & diem, examinemus, & quantò ad bona facienda solito alacriores, & quanto ad mala vincenda solito constantiores, sive aliquo opere nostro insidiis inimici supplantati simus; qualiter demum per judicium transactæ deceptionis futuram illius fraudem cavere valeamus, quatenus nec superveniens tentatio nos improvisos, ad malum opus dejiciat, nec indiscretos in opere bono præsens negligentia fallat.* In hoc examine multa incidunt, quæ etiam piis scrupulum faciunt, quos *Casus Conscientiæ* vocant, quorum decisiones æquè necessariæ sunt in studio Theologico, ac articulorum fidei discussiones. Sæpè enim hîc aqua, quod dicitur, hæret, etiam exercitatissimis in Theologia speculativa, ut nisi scrupuli ii fuerint exemti, omnes Theologicarum Contemplationum subtilitates non unius assis esse videantur. Est ergò tractatio *Casuum Conscientiæ* maximè necessaria, pertinens ad illam Sapientiæ Theologicæ partem, quæ διδακτικὴ vocatur, quæ dum nodos *conscientiam* constringentes solvit, animum hominis pii non contemplatione aliqua otiosa occupat, sed utilissima maximarum rerum eruditione statuminat, ut contrà quemvis dubitationum vel tentationum, quibus exercetur vita nostra, impetum consistere possit. Diffunditur verò hæc Theologiæ pars per omnes omnium hominum actiones in quocunque vitæ genere, in quibus judicium nostrum

strum

Digitized by Google

Digitized by Google

FIDE ET PATIENTIA
FRIDERICVS BALDVINVS. SS. THEOLOGIÆ DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS PASTOR ET SVPERINTENDENS WITTEBERGENS. ÆTAT. 52.
Sol BALDVINVS erat, Color hic vix Vmbra vel Iris.
Et tamen hæc quantum luminis Iris habet!
Vin' ipsos radios? monumenta tot aurea nostri.
Quæ Solis radijs scripta videbis, adi.
Antecessori p. m.
Paulus Roberus D. fac.

ſtrum informat, ut quolibet occurrente caſu conſcientia noſtra habeat, in quo adquieſcat. In hoc ſtudiorum Theologicorum genere multum olim operæ & temporis inſumſerunt ſub Papatu SUMMISTÆ, (ut vocant,) qui de caſibus conſcientiæ definiendis *Summas* ſcripſerunt; alii CASISTAS appellârunt; inter quos inſigniores fuerunt *Hoſtienſis*, *Raimundus de Penna forti*, *Ioannes de Friburgo*, *Hugo Borchinonenſis*, *Monaldus Franciſcanus*, *Bartholomaeus de S. Concordia*, *Ioannes Nider*, *Bernhardinus Senenſis*, *Henricus Herpus*, *Bartholomaeus Fumus*, *Thomas de Vio*, *Navarrus*, *&c.* Sed in multis obſcurarunt hanc doctrinam, quam illuſtrare debebant, proponentes ejuſmodi CASUS CONSCIENTIÆ, quos Romana tantùm ſuperſtitio peperit, illo ſeculo, ubi papalis ἐθελοθρησκεία hominum conſcientias obſtringere aſſolebat. In cæteris deciſionibus ſuis graviter aberrabant, quia non verbi divini, (quod ſolùm confirmare poteſt conſcientias,) ſed Papalium decretorum ductum ſequebantur. Quid hodiè Romanenſium CASISTÆ hoc in genere Eccleſiæ proſint, ex FRANCISCI TOLETI, JOANNIS AZORII, MARTINI BECANI, JACOBI GRETSERI ſcriptis, & non ita pridem ex compendiariâ praxi difficiliorum caſuum conſcientiæ in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ crebrò occurrentium P. VALERII REGINALDI Jeſuitæ, ante triennium edita, colligere promptum eſt, quippe, qui non ex limpidiſſimis Iſraelis fontibus, ſed propriis traditionum Scholaſticorum & aliorum, ut Thomæ Aquinatis, Thomæ Sanchez, Svarezii lacunis, deciſiones difficiliorum caſuum hauſerunt & rudi populo propinarunt.

Cum igitur Dn. FRIDERICUS BALDUINUS *SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, Paſtor & Superintendens hacce in almâ Leucoreâ, parens noſter deſideratiſſimus, beatæ memoriæ*, hanc ἐθελοθρησκείαν planè Antichriſtianam, quam in *Caſibus conſcientiæ* decidendis adhibere ſoliti ſunt Caſiſtæ, benè cognitam atque perſpectam haberet, è re totius Eccleſiæ fore exiſtimavit, ſi quis Theologorum Caſus conſcientiæ ſecundum unicam Scripturæ nor-

ræ normam (quod antea à nemine orthodoxum methodicè factitatum esse autumamus,) proponat; quem sacrum laborem, fretus divino auxilio, humeris suis imponi passus est; quo in genere, quomodo decisiones Romanensium, adde & aliorum, quæ alienis innituntur principiis, à nostris discrepent, ex solo Dei verbo, & praxi fori Ecclesiastici, candidè juventutem, docuit atque demonstravit.

Hasce autem lucubrationes jam publici juris factas, Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine Clementissime, Cels. Vestr. humiliter dicare æquum esse censuimus, partim ex consuetudinario illo jure, inde ab atavis & abavis ad literatorum ordinem perducto, quo olim, si qui lucubrationes ingenii, sive sui, sive alterius alicujus, typis mandatas, in vulgus edere reformidarent, eas Primoribus illius ævi viris inscripserunt, ut tanto nominis patrocinio suffulti, ab alto adversariorum supercilio illæsi & indemnes evaderent; partim etiam, quia consensus Ecclesiarum Saxonicarum & Hassiacarum in puritate doctrinæ planè ad exteros usque commendatur orthodoxus. Candida præterea & ingenua multorum est confessio, quod Cels. Vest. minimè fucata pietas ac entheus pro conservanda ac propaganda sincera religione Zelus & ardor, justitia, beneficentia insignis, in summa omnium rerum abundantia, moderatio & modestia, occulta quadam vi, & devotione omnium candidorum animos perpetua observantia, sibi devinciat.

Suscipiat igitur V. Illustr. Cels. in clientelam hocce opus toti ecclesiæ utilissimum & parentis nostri desideratissimi posthumum; quod si enim τῶν ξενίων θυμὸς ἄριστος, & potius animus dantis, quàm datorum pondus inspiciendum, non ultimo certè loco, hæc, quæ Illustr. Cels. à nobis beati Balduini filiis offeruntur haberi, & animo non iniquo, sed clementi à Vest. Illust. Cels. accipi merebuntur.

DEUS benignissimus Pater Domini nostri Jesu Christi, Illust. Cels. Vestram, unà cum Illustrissima Domo & Familia

Hassiaca,

Haſſiaca, quàm diutiſſimè ad Eccleſiæ & Reipub. utilitatem incolumem & florentem conſervet, Spiritu ſancto ſuo regat, Angelorum exercitu tegat, omnium benedictionum genere augeat, feliciter ſecundet & fœcundet Amen. Witteb. 1. Jul. Anno reparatæ ſalutis M DC XXVIII.

*Illuſtriſs: Celſ. Veſt.*

*ſubjectiſſimi humilimiq; ſervi*

*D. Friderici Balduni p. m. relicti liberi & hæredes.*

# DECANUS ET COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA WITTENBERGENSI,

Pio, Candido atque Theologiæ, inprimis Practicæ, ſtudioſo Lectori cum debita honorum Præfatione,

*Gratiam à fonte gratiarum* CHRISTO *IESV precatur.*

CAſuum Conſcientiæ profeſſio, amice Lector, uti perneceſſaria eſt & quotidiani uſus; nihil enim quicquam faciendum hæſitante Conſcientia; uti ſummè ardua; cum vix erretur periculoſiùs, quàm in Conſiliis, informandisque Conſcientiis; uti deniq; rara & ſingularis; ſiquidem uno complexu ingenium, judicium, multarum rerum memoriam; conſcientiam illæſam, à plurium tentationum conflictibus triumphum deſiderat: ita ſuſcipi tractarique à Theologo aliquo γνησίως Lutherano, qui cum judicio acerrimo eruditionem variam, multorumque annorum experientiam, conjunxiſſet, in votis hactenus plurimorum fuit. Etſi enim graviſſima Theologorum noſtrorum conſilia de multis magni momenti caſibus paſſim habentur, quorum aliqua collecta ſunt à BIDENBACHIO, DEDEKENO, aliiſque, nec etiam infinitorum caſuum certa

eſſe

Digitized by Google

eſſe poteſt vel ſcientia, vel ſpecialis determinatio : tamen ut Juris Conſulti & Medici non tantum Conſilia ſuggerunt petentibus in Caſu pro tempore oblato, eaque magnis inſerunt voluminibus, ſed alio etiam labore in certos ordines digerunt, quicquid reſponderi poſſit de caſibus ſimilibus, quos proſpicere probabiliter poſſunt: ita multò magis in Theologiâ operæ pretium fuerit, præter Deciſiones à Theologis pro re natâ exactas, accurratam aliquam ſynopſin omnis generis Caſuum Conſcientiæ proponere, & monſtratis ſolutionibus ad analogiam aliquam Syſtematicam referre. Et ſanè potuiſſent hoc onere nos levare ſuperiorum temporum Theologi, ut & moderni Doctores, in eccleſia Pontificia, quibus eam ad rem nec ingenium, nec otium, nec ætas prolixior, nec Bibliothecæ, copiæ auxiliares, aliaque defuerunt adminicula; uti ſanè de hac Theologia Practica ſpiſſa ediderunt volumina, & etiamnum aluntur Profeſſores Caſuum Conſcientiæ magnis ſtipendiis: ſed videntur illi in multis Diſputationibus ſibimetipſis non ſatisfacere, nedum ut aliorum Conſcientiis ſalubriter poſſint conſulere. Ab indubitato enim Dei verbo, cui ſoli tutò inniti poteſt Conſcientia, nimium quantum ſæpè recedunt: libertatem ſcribendi, juramentis Pontifici factis, vendiderunt: cœcam obedientiam commendant: (ut imprimis facit Antonius Poſſevinus Soc. Jeſu, in Bibliotheca ſelecta *lib. 5. cap. 61.*) calidis conſiliis jura Majeſtatum impetunt, ut librorum abolitione publicâ, imò in ignem conjectione opus fuerit: diſpenſationem Papæ fieri poſſe concedunt, ita tamen ut ſecurum non præſtet in conſcientia: Quæ ſi juſta actione perſequi velimus, oratio ſcribenda eſſet non præfatio. Ut unum vel alterum afferamus, conſtat publicè, quàm *ſuperſtitioſa* hi magiſtri *Conſilia* miſeris conſcientiis inculcare ſoleant. In omnibus ferè neceſſitatibus, deſperata corporis & animæ ſalute, id ſaltem reſtare ſubſidii, ut S. Mariam invocent, ne jam de aliis ſanctis, de peregginationibus, reliquiis, votis, communicationibus meritorum, aqua luſtrali, exorciſmis variis, aut ſimilibus loquamur.



Digitized by Google

*Memoriæ proditum eſt*, ait Jeſuita Tympius, (de præmiis ſalutantium Deiparam virginem verbis Angelicis, & recitantium roſarium ex plurimis Angelicis ſalutationibus & ſuaveolentibus roſis compoſitum) *Blancham Galliæ Reginam ſterilem & infæcundam fuiſſe, Dominicíq; à quo remedium expetiverat, Roſarium recitaſſe, non ſine conceptionis & partus præmio felicis, quippe quæ Ludovicum illum enixa ſit, quo Rege nullum tulit Gallia ſanctiorem. Quod verò Albigenſium extincta ſit hæreſis, quòd ætate Domini inter Chriſtianos Principes ſtabilita ſit pax, quòd hoſtium audacia compreſſa, quòd diſſidentium pacificata diſcordia, quòd morbi inſanabiles curati, quòd ad vitam revocati nonnulli, Roſario acceptum referri debere, gravium virorum ac doctorum ſententia eſt.* Hæc ille, quæ habet ex P. Johann. Bonif. de hiſt. virginali lib. 2. cap. 15. Idem ex Alano S. Dominici alumno in lib. de Roſario refert, quendam, qui Diabolo ſe obſtrixerat, ſcripta proprio ſanguine Syngrapha, hoc cepiſſe conſilii, ut in Roſarii ſacellum ingreſſus ante ſimulacrum virginale procubuerit, & his Deiparam affatus ſit verbis; *Virgo dulciſſima, beneficentiſſimaq; mortalibus, miſerrimi has preces accipe, quas tàm acerbo luctu dolor me cogit effundere. En tibi Roſarium offero, illud, inquam, Roſarium, de quo tui concionatores tàm multa & tàm præclara commemorant, quæ tu ſodalibus impertire conſuevisti. Horum ego promiſſis magnificis incitatus tuum, Deipara, nomen imploro. Ac me tibi ſiſto, tuâ benignitate ex hac præſenti miſeriâ recreandum, quæ talis eſt, ut commemorationem aures ipſæ reformident. Me, proh dolor, furiali quodam nexu tuis hoſtibus obligavi, amentiſſimeq; devinxi, deteſtabilem pactionem, meo quamvis cruore ſignatam, atq; obfirmatam, tibi reſcindere facile eſt, hîc hîc manendum mihi eſt, virgo ſanctiſſima, neq; ante recedendum, quàm funeſtam illam ſchedam reſtitutã video. Eam malus dæmon ut obſidem retinet, ac ſe mei dominatorem jactat eſſe perpetuum. Tum me tuâ ope adjutum ereptumque putabo, cùm Chirographum deletum oblitumq; liturâ perſpexero.* Hæc dicere perſeveranti, atque ad Mariæ imaginem identidem aſpicienti, viſa eſt ex virginali manu charta illa decidere, quam Dæmoni dederat, perpetuæ ſervitutis

teſtem,

teſtem. Eam ubi recepit, manumque agnovit, inductamque vidit, de Chriſti per matrem beneficio perſuaſus, *Roſarij religionem multò colere cœpit ardentius, cujus exercitatione tale tantumq; periculum effugiſſet.*

Ex eodem Alano recitatur, fuiſſe aliquem deſperabundum, qui nullis doctorum conſolationibus, nulla exemplorum allegatione, quod maximi peccatores in gratiam recepti, ut Manaſſes, Magdalena, Matthæus, Paulus, Latro in cruce, in ſpem veniæ erigi potuerit: Quomodo verò vel tandem & quo conſilio ad ſaniorem mentem redierit, placet ipſis Autoris verbis referre; quæ à ſuperſtitione, imò blaſphemia, quantum abſint, cordatus Lector æſtimet. Ita enim habent: *Cumq; omnia animo & mente luſtraſſem, aut nulli, inquam, deſperato homini, ſalus jam eſt, aut illa una relinquitur, Roſarium ut recitet, cujus in obfirmato homine tentata adhuc medicina non eſt. Oratur roſario Chriſtus, fons ipſe bonorum omnium, oratur precatione illa, quam ipſe diſcipulis tradidit, ſalutatur virgo Deipara Angeli & Eliſabetæ verbis, & ad filium conciliandum adhibetur interpres, preces illæ, quarum eſt Pater noſter initium, quò religioſius emittantur, decies Ave Maria repetimus, & fructui illi benedicimus, propter quem fructuoſa noſtra ſunt opera. Roſas tales tamq; mirabiles huic ægerrimo libet apponere. Itaq; ad hominem adeo, atq; me illi ita demum inſinuo. Graviter & iniquo animo ferendum eſt frater, nullum quod meum aliorumvè conſilium accipias, preces repudies, orationemq; illam aſpernere, quæ ad tuam ſalutem tota confertur. Nunc ergò quando te eſſe Chriſtianum profiteris, & nos ponimus te eſſe Catholicum, Dei matrem non honorare non potes, atque ejus numen agnoſcere, & potentiam prædicare. Annuit ſe credere, quæ mater credat eccleſia, & Deiparæ non ingratam ſibi eſſe memoriam: ergò illud ne nega mihi, quod eſt factu facillimum, virginiq; gratiſſimum. Ede quid ſit & quale. Vt ſis unus ex ſodalitibus conſcriptis, reciteſq; Roſarium. Aut enim nullum jam tibi remedium eſt, aut hoc unum reſtat è multis. Equidem non dubito, quin tanti ſis morbi levationem habiturus; oratus ac propè defatigatus roſarium accepit, nonnullaque pietate penſum omne peregit. Non multi menſes abierunt, cum tanta ſecuta eſt mutatio,*

*mutatio, quantam vix crederent, hominis pertinaciam cognoviſſent. Morum & vitæ ſanctitatis ille progreſſus fuit, ut accepti roſarij minimè pœniteret. Cumq; ad ſolidam ſpem, quam animo conceperat, rectè facta non ceſſaret adjungere, hominis verè Chriſtiani functus eſt munere.*

Audiuntur hîc iſta conſilia, quæ ignota S. Paulo fuerunt, qui tamen omne Conſilium Dei annunciavit, ignota S. Petro, qui οὐδὲν ἄπερ γραφῆς locutus eſt: iſta conſcientiis inſtillantur conſilia, quæ Deum inexorabilem, niſi per S. Mariam faciunt ubi ergò unus Advocatus & Mediator Chriſtus? iſta Conſilia in deſperatiſſimis caſibus adhibentur, quibus conceſſis non videmus, quomodo abſurdum id effugere poſſint, Electionem filiorum Dei non in ſolo filio dilecto, ſed in Sancta quoq; Maria factam eſſe. Petimus enim ad exactiſſimam judicii trutinam hæc verba Franciſci Labatæ Societatis Jeſu concionatoris appendi (App. Conc. tit. de Maria prop. 4.) *Quot enim millia fuerunt, ſunt & erunt, qui jam in gehennam damnati fuiſſent vel damnandi forent, niſi mater Dei pro illis interveniſſet.* Hæc ille. Unde conſequens eſt, Deum in æterno ſuo conſilio decreviſſe multa millia hominum non ſolo interventu filii, ſed Deiparæ quoque virginis ſalva facere; atque ſic ad immutabilem Electionis certitudinem interceſſionem quoque Mariæ concurriſſe. Ut enim opus ſalvationis Deus exequitur, ita ſe executurum ab æterno decrevit. Atqui, ut ſcriptitat ille, interventu beatæ Virginis Deus multa millia ſalvat, alioqui damnanda. Non igitur ſoli Chriſto, ſed S. Virgini, ut cauſæ proximæ, ut mediatrici immediatæ, ſalutem debent. Hoc an non ſit Filii gloriam minuere, dum Matris excellentia ampliatur, quod cavere juſſit Bonaventura ſuper 3. ſent. diſt. 3. q. 2. cuivis, genuinæ & primæ Catholicæ veritatis ſtudioſo, cenſendum committimus.

Accedit alterum, quod Pontificiorum quorundam conſilia ſæpè claſſicum canunt, & regicidiis, ſeditionibus, perjuriis, miſerrimas Conſcientias involvunt. Id quod non tàm noſtris

ſtris quàm ſaniorum Pontificiorum verbis, proteſtationibus & documentis, fusè demonſtrari poſſet, ſi inſtituti ferret ratio. In memoriam redeant P. Joan. Marian. libri de Rege, ubi Jacobi Clementis hiſtoria, qui cognito à Theologis quos erat ſciſcitatus, Tyrannum jure interimi poſſe, (ô conſcientioſos Theologos! cujus ſpiritus filios!) Regem Galliæ Henricum III. cultro herbis noxiis medicato transfixit, quibus libris talia ſanè Conſilia docentur, quæ ſi Chriſtiana fuiſſent, & Evangelio congrua, non opus fuiſſet prohibitione & abolitione librorum iſtorum publica, facta in Provinciali congregatione Franciæ.

Quid Cardinalis Bellarminus contra Barclaium peculiari ſcripto evulgarit in causâ de poteſtate Pontificis in temporalibus, notum eſt omnibus. De illo Bellarmini tractatu hoc recitat Daniel Chamierus in Panſtratia T. 2. l. 15. cap. 14. *Quid plura? Ne quis fortè improbari tantum Canoniſtarum ſententiā putet, hoc ipſo anno, cum hæc ſcribebam, damnatus eſt ab eodem Senatu Bellarmini contra Barclaium tractatus de poteſtate ſummi Pontificis, in rebus temporalibus, graviſſimo edicto, quod etiam typis eſt excuſum, quo edicto hæc ipſa Theologorum ſententia, quæ eam poteſtatem non agnoſcit, niſi indirectè, damnata eſt, tanquam fax ſeditionis, ſcaturigo rebellionis.* Hæc ille. Subeat quoque memoriam Franciſci Suarez *Societatis Ieſu Theologi*, *Defenſio fidei Catholicæ*, ubi tàm pernicioſa dogmata calidaque conſilia ſparguntur, ut volumen illud publico decreto per manum carnificis ſit incendio traditum Anno 1614. d. 27. Jun. quod tamen cenſuris & approbationibus commendarunt D. Alphonſus à Caſtello Branco, Epiſcopus Conimbricenſis, &c. D. Ferdinandus Martinetz Maſcaregnius, Epiſcopus Algarbienſis, (qui in ſua Cenſura addit, *regnum Gallorum in Eccleſia Romanæ præſidium pariterq; & obſequium oppignoratum eſſe illo facto, quod Clodoveus primus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, proximè moriturus, Romanum Pontificem corona Regia redimierit*:) D. Martinus Alphonſus à Mello Epiſcopus Lamecenſis; Johannes Alvarus, Societatis


Jeſu

Jesu in Lusitana Provincia visitator simul ac Provincialis, multique alii.

Ita nimirum fieri necessum est, si à verbo Dei discessum fuerit, & ad Pontificis Bonifacii VIII. arrogatissimam sententiam acceditur, quam promulgavit *c. unam sanctam, extravag. Com. de majestate & obedientia*, ubi insulsè detortis scripturis sic concludit Bonifacius VIII. *Porrò subesse Romano Pontifici, omni humana creatura declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis.* Hæc Bonifacius VIII. de quo sic Platina: *Moritur autem hoc modo Bonifacius, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus populis terrorem potius quàm religionem injicere conabatur, quiq; dare regna & auferre, pellere homines ac reducere, pro arbitrio animi conabatur.* E qua Bonifacii bulla (quam tamen Successori Clementi V. non placuisse quoad regnum Franciæ patet ex *c. meruit, extra comm. de Privilegiis*, Unde alterutrum horum Pontificum errasse constat,) tanquam ex primaria scaturigine tàm inquieta consilia ebulliunt.

Tandem, quantum *iniquitatis & periculi* habeant interdum Pontificiorum consilia, ex pluribus in communi vita elucescit. Cogitetur de divortio quoad torum & mensam, ubi pars innocens durissimo vinculo constringitur; perpendatur tolerantia concubinatus & pecunia ex hoc collecta; æstimetur lupanarium concessio; examinentur processus in hæreticos nondum convictos; ponderentur disputationes de fide infidelibus vel hæreticis data; attendantur pœnæ adulterii, stupri, incestus, Sodomiæ, aliorumque criminum in Canonibus, &, ut unicum subjungamus, fiat judicium de tot summi Pontificis dispensationibus, quæ non semper in Conscientia tutos præstant Pontificios, ut manifestè scribit Cardinalis Toletus l. 5. Casuum Conscientiæ c. 8. his verbis: *Secunda regula, non obstante jure isto Concil. qui cum Pontificis dispensatione plura, quaecunque & quomodocunq; beneficia habet, tutus est in Conscientia. Sed adverte, ut in foro exteriori possit illa habere, satis est dispensatio: tamen ut in Con-*

*in Conscientia & coram Deo tutus sit, necessaria etiam est causa dispensationis. Hæc autem causa debet esse in utilitate Ecclesiæ, vel ob ipsius Ecclesiæ necessitatem. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo.*

Quibus sanè verbis apertè docetur, posse aliquem instructum esse dispensatione Pontificis, & non tutum in conscientia. Itane ergò vel sine scientia Pontifex, vel sine conscientia? Itane unum cum Deo consistorium habet? Itane qui dispensationem petit, judex constituitur Pontificis, an justa de causa dispenset? ô intricata consiliorum ratio! ô quam titubante scribunt hi homines conscientia! Quod & in alio casu videre est apud eundem Cardinalem. Nam lib. 5. cap. 40. fatetur, esse *in Romana curia multa officia, quæ reditus quosdam habent, quæ Papa vendit certo pretio*: (ita enim exertis verbis fatetur) *cùm autem multi essent, qui non haberent tantam summam, ut possent soli emere,* (nota iterum emtionis vocabulum) *concessum est à Pontificibus, ut simul cum aliis emant talia officia, &c.* Aliquot autem conditiones ad hanc societatem officiorum necessarias esse monet 1. ut suprà *alia officia quàm Romanæ Curiæ* non possint similes societates fieri. Si enim fiant, *tanquam usuraria censenda sunt*, (ubi notat Lector, licere Romæ, Cardinalis hujus testimonio, quod alibi locorum esset usurarium:) hanc autem conditionem necessariam esse negat ad intrinsecam rationem contractus: (*nam forsan posset idem fieri suprà alia officia regalia:*) tamen quia id Papa prohibet, non fit, uti Toletus dubia, quod apparet, Conscientiâ loquitur. 2. Ne admittantur socii ultra medietatem precii ipsorum officiorum: quam conditionem itidem esse necessariam non ex parte contractus, sed ex præcepto Papæ (Pauli IV.) Toletus ait. Sed de hac conditione is qui annotationes in Toletum scripsit (Martinus Fornarius Soc. Jesu) refert, quod à Pio IV. sit abolita. Ita enim scribit: *Nota dictam bullam Pauli IV. de quâ hic auctor, fuisse postea revocatam à Pio IV. const. 160 quæ incipit, Cum sicut accepimus: in qua solum decernit, ne fiant hujusmodi societates suprà valorem officiorum, &c.*



Digitized by Google

*quæ, cum author hæc scripsit, nondum erat edita.* Hæc ille, unde contractus circa officia emenda, qui salva Conscientia sub Paulo IV. fieri non potuit, optimo jure fit sub Pio IV. Utri ergò Conscientia laxior? & a verbo Dei atque natura contractuum minus remota? Et quæ ista officiorum Cauponatio? ubi veterum Canonum rigor? ubi fundamentum justitiæ è lege Morali immotum? Siccinè ludum patiuntur Conscientiæ? & hominis autoritate statim acquiescunt? Quemadmodum & Tannerus in Colloq. Ratisbon. facillimum esse dixit, homini mansueto, obedienti & Christiano, in dubio sententiam sui Magistratus sequi, *licet forte erroneam*: non quidem servato dubio an sibi hoc vel illud sit licitum: sed *deposito dubio.* Cum enim populus in politicis, ut Respubl. sit benè constituta, in dubio teneatur acquiescere sententiæ sui Magistratus: *Ergò*, inquit, *tenetur populus in Ecclesiâ in dubio obtemperare superioribus.*

Hoccine verò est informare, an potius, quod ille suasit; occidere conscientias ac prorsus tollere! Anne Judæus vel hæreticus sequens sententiam sui superioris bona utitur conscientia? An proselytus sequens judicium Pharisæorum excusatus fuit? ita quidem, ut Christus apertè asserat, illum factum esse Gehennæ filium Matth. 23. 15. Suis igitur Auctoribus ista consilia relicta sunto, Deique & Ecclesiæ judicio commissa: Nobis certum est, illos occæcari præjudiciis, duci affectibus, errare in principiis, neque satis conflictatos esse tentationum paroxysmis. Etsi enim in electitio Cælibatus genere suas sentiunt cum Francisco ustiones ac stimulos, unde tàm fœda scribunt in Casibus Conscientiæ, ut legisse pudeat, quæque plus informant in vitiis, quàm ut reforment mores: tamen profundas illas ac Spirituales tentationes, cujusmodi Davidem, Paulum, aliosque Dei Sanctos exercuerunt, non videntur experti. Quid autem sciat non tentatus? quid consilii suggerat nudus Speculista? Gravioris hoc est judicii & praxeos.

Sed

Sed neque in Consiliis Calvinistarum animæ nostræ esse lubet, cum & illi crudelia sæpè tractent, ut negare non possunt, Deique providentiam humana interdum sapientia temperare ausint. Tacemus, quod afflictis conscientiis & de sua salute anxiis adeò non opitulentur, ut potius suis principiis de absoluto salvandorum delectu, & damnandorum odio, de voluntate Signi à beneplacito alia, particularibus syllogismis, generis & singulorum, dolo bono, similibusque paradoxis, vinum desperationis & lacus infernalis gustum propinare soleant.

Magnas igitur Ecclesiæ nostræ gratias Deo debent, quod excitarit Virum *Reverendum, Clarissimum & Excellentissimum Dn. Fridericum Balduinum, SS. Theolog. Doctorem & Professorem Seniorem, Ecclesiæ hujus Pastorem ac Superinten. meritiss. Consist. Eccles. Assessorem, Collegam nostrum desideratissimum*, eique usuram vitæ concesserit, & alia quæ opus fuerunt, ut Opus Casuum Conscientiæ, sanè utilissimum ac perquam necessarium, secundum Cynosuram verbi Divini conscriberet. Nihil hic superstitionis, nihil conspirationis, nihil crudelitatis, nihil periculi aut fallaciæ.

Adeste qui vel vestris vel aliorum Conscientiis, in variis, quibus angimini, scrupulis vultis satisfacere. Fruimini hoc labore in Dei gloriam & Ecclesiæ emolumentum.

Testamur autem vidisse nos & asservare *αὐτόγραφον* Auctoris, piæ beatissimæque memoriæ, è quo hic liber tanquam hymnus aliquis Cycneus descriptus est, *additis à Studioso Theologiæ marginalibus & indicibus, paucissimis etiam interlinearibus, quæ capi margine non poterant, interspersis, ex Autoris aliorumque Theologorum ὑπομνήμασι.*

Deum veneramur unicè, ut Ecclesiæ afflictissimæ pacem, Christianis Magistratibus sana Consilia, Conscientiis libertatem ac integritatem, afflictis patientiam, nobis denique o-

que omnibus tum hujus, tum futuræ vitæ præmia elargiatur, Amen.

P. Wittebergæ anno 1628. ipſis Calendis Maij, quibus anno ſuperiore proximo Excellentiſſimus aurei hujus laboris auctor ex hac vitâ, vel mortalitate potius, ereptus, & in cœleſtem Academiam, terram iſtam viſionis regionemque viventium, evocatus eſt.

IN

# FRIDERICI BALDUINI

## THEOLOGI LONGE

Clarissimi τῦ ἐν ἁγίοις

## DE CASIBUS CONSCIENTIÆ,

*Opus postumum,*

## EPIGRAMMA.

*Quisquis serena candidum otium vita,*
*Et puræ mentis gaudia, & pias luces,*
*Aspirat, ille à decoloribus culpis*
*Immune præstet pectus, entinet veri*
*Fidelis, indefessus, innocens cultor:*
*At sceleris atri, at fraudium dolosarum*
*Iuratus hostis, perdomator haud segnis.*
*Nil improbis jocosus instrepat dictis,*
*Nil faciat, unde proditor malæ mentis*
*Subrepat oris pallor exterens florem;*
*Aut inquietâ carnifex timor curâ*
*Subinde pectus stranguletq; pungatq;:*
*Sibi ipse monitor, ipse censor & judex.*
*Verùm ardua via est, atque iter salebrosum,*
*Et creber error, vepriumq; cæcarum*
*Nox alta obhorret, semitamq; furata*
*Turbat viantes. talis in tenebroso*
*Hiberna ponto, sævientibus ventis,*
*Puppes fatigat, opprimitq; tempestas,*
*Cursumq; pariter, pariter & adimit lucem.*

*Hæret*

*Hæret carina, vasta quam nigro circum*
*Fluctu undique unda Tethyos quatit canæ,*
*Et durus Auster, arbiter procellarum.*
*Quod si benigni mite Castoris sidus*
*Summis residens grata vibret antennis,*
*Cælumq; reddat detumentibus Cauris;*
*Aut turre celsa dulce fulserit lumen*
*Amicus ignis, illico jubet remos*
*Lætus magister, quasque nuper oblitus,*
*Exercet artes. labitur abies curva*
*Gemente Ponto, donec æquoris victrix*
*Sertis virentem portui inferat cymbam.*
*Durate fortes, quotquot ad bonæ mentis*
*Hiatis arcem, conscientiæ pura*
*Operata turba: nil morabitur, sanctos*
*Nil fallet ausus. ducat æreas puppes*
*Pellæa flamma, cumq; fratre soletur*
*Pollucis astrum navitas laborantes:*
*Quod præferatis sparget hic liber lumen.*
*Sol Christiano BALDVINVS est orbi.*

Augustus Buchnerus.

LIBER

Σὺν Θεῷ.

# LIBER PRIMUS.

## De Conſcientia, & eius caſibus in genere.

### Caput I.

### *An ſit Conſcientia?*

QVemadmodum impius dicit in corde ſuo, non eſt Deus *Pſal.* 14,1. 52,1. cùm tamen nõ tantùm in Scripturâ ſacrâ, verùm etiam in creaturis divinitas & potentia Dei ita manifeſtata ſit, ut vel manibus palpari queat *Rom.* 1,20. *Actor.* 17,27. ita in multorum animis extincta eſt conſcientia, ut licet interdum tacitos eiuſdem ſtimulos ſentiant, tamen quæ de eâ audiunt, pro ludibrio habeant, ac ſi figmentum, ſomnium & inane *μορμολύκειον*, eſſet conſcientia: Germani vocant tales Gewiſſen loſe / D. Paulus *κεκαυτηριασμένης τὴν ἰδίαν συνείδησιν* 1. *Tim.* 4,2. Propter hos igitur, antequam ad caſus conſcientiæ accedamus, docendum eſt, eſſe conſcientiam.

*Eſſe conſcientiam ſex rationibus probatur.*

*1. Ratio, ab expreſſis Scripturæ dictis.*

Docent id I. ſacræ literæ, ubi mentio fit bonæ conſcientiæ *Prov.* 15,15. *Sir.* 13,30. & malæ *Sap.* 17,10. 11. *Sir.* 14,2. ubi homines vel ad conſcientiam ſuam provocant *Gen.* 43, 22. 1. *Cor.* 8,7. 2. *Cor.* 1,12. 4,2. 2. *Tim.* 1. 3. vel ad judicium conſcientiæ ſuæ remittuntur, ut *Eccl.* 7,23. *Rom.* 13,5. ubi judicium conſcientiæ in impiis exprimitur *Rom.* 2,15. ubi cura conſcientiæ commendatur in proximo 1. *Cor.* 8, 10, 13. & in nobis ipſis 1. *Tim.* 1,5. 4,2.

*2. à piorum precibus & ſuſpiriis.*

II. Docent id preces Sanctorum, & vota pro bonâ conſcientiâ, quo pacto David orabat *Pſal.* 51, 12. 14. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis: redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali cõfirma me.* Tale erat votum *Sir. c.* 23,2. *quis ſuperponat in cogitationibus meis flagellum, & in corde meo doctrinam ſapientiæ, ut in ignorantiis meis nõ parcam mihi, & nõ*

*apparéant delicta mea, & ne accreſcant ignorantia mea & multiplicentur delicta mea &c.* Quæ omnia nihil erant aliud, quàm votum bonæ conſcientiæ.

*3 à piorum gaudiis.*

III. Docent hoc gaudia piorum ex teſtimonio bonæ conſcientiæ, de quibus *D. Iohannes* ſcribit. 1. *Ioh. 3. verſ. 21. Si cor noſtrum nos non reprehendit, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Hinc eſt præclarum illud elogium bonæ conſcientiæ apud *Bernhard. in libello de interiore domo cap. 22. Conſcientia, inquit, bonus eſt titulus religionis & benedictionis, hortus delitiarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, theſaurus regni, aula DEI, habitaculũ Spiritus S. liber ſignatus & clauſus, in die judicii aperiendus. Nihil eſt jucundi⁹, nihil eſt ſecurius bonâ conſcientiâ. Premat corpus, trahat mundus, frẽdat Diabolus: illa erit ſecura. Secura cũ corpus morietur, ſecura, cũ anima coram DEO præſentabitur, ſecura, cum utrumq́; in die judicij ante terrificũ tribunal judicis ſtatuetur: futuræ beatitudinis non eſt utilius remedium, nec certius teſtimonium, quàm bona conſcientia.*

*4. ab impiorum terroribus.*

IV. Docent hoc terrores impiorum, poſt admiſſum aliquod ſcelus. Nemo enim tàm profligatè improbus eſt, quin ſentiat interdum metum aliquem Numinis divini punientis tranſgreſſores legis ſuæ. *Habent enim omnes homines opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorũ, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium Roman. 2, 15.*

*2 à quotidiana experientia.*

V Docet hoc quotidiana experientia. Omnis enim homo factorum ſuorum teſtem & judicem habet in corde ſuo, qui ſi quid benè agit, ipſum laudat & ſolatur, adeò ut contra perverſa mundi judicia ad conſcientiæ ſuæ judicium provocare poſſit, exemplo Apoſtoli *Pauli* 1. *Cor.* 4, 3. ſi verò malè, à ſeipſo culpatur & damnatur, licet multi alii factum illud laudent. Unusquiſque enim ſuiipſius optimus & planè infallibilis teſtis atque judex eſt. Multi factorum ſuorum judicium committunt aliis, & an bona ſint vel mala, à Scabinis diſcere volunt, qui ſi ad tribunal conſcientiæ ſuæ ſe conferrent, & ſine ſumtu & majori cum certitudine rebus ſuis conſulerent.

*6. Ab Æthnicorum ſententiis.*

VI. Accedunt denique dicta & ſententiæ ſapientum Æthnicorum, quibus conſcientiæ judicium agnovẽrũt, ut eſt *Ciceronis pro Milone: Magnã vim habet conſcientia in utramq́; partem, ut ſemper pœnam ante oculos verſari putẽt, qui peccaverint, & nihil timeant, qui nihil admiſerint. Iſocratis ad Demonicum:* μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας ἔλπιζε λήσειν, καὶ γὰρ ἂν τοὺς ἄλλους λήσῃς, σεαυτῷ συνειδήσεις: *nunquam ſperare debes, ſi quid turpe feceris, te laiturum, quamvis enim lateas alios, tute tamen tibi cõſcius eris: Senecæ verbum eſt epiſt. 97. Nunquam fid s latendi fit etiam latẽtibus, quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit.* Et noti ſunt verſiculi *Ovidij lib. 1. Faſtor:*

*Conſcia*

*Conscia mens, ut cuiq; sua est, ita concipit intra.*
*Pectora, pro facto spemq; metumq; suo.*

& *Menandri* Jambicus pulcer est: Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός, *Cunctis hominibus cõscientia est Deus.* Similia passim obvia sunt, quæ de conscientia hominis testantur, ut extremè malitiosi suæque salutis negligentes sunt, qui eam negent.

## CAPUT II.

## *De nomine conscientiæ.*

*Unde vox conscientia in linguâ Græca, Latina & Germanica deducatur?*

CONscientia in linguâ Græcâ Latinâ & Germanicâ nomen habet à *sciendo*, quia scit omnia hominis cogitata dicta & facta, istaque scientia hominem ad agnitionem sui adducit, ut omnium, quæ ab homine profecta sunt sive bona sint, sive mala, index & judex.

*Hebræorum ἔτυμον.*

Apud Hebræos non rarò ipsum cor, quod hominem convincit pro conscientiâ ponitur, ut *Eccles. 7. vers.* 23. cum latina versio habet: *scit conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis*, in Hebræo est, scit cor tuum &c. nam *conscientia est cordis scientia*, inquit *Hugo l. 2. de an. c. 12. & Bernh. de inter. dom. c. 22.*

*Syri interpretatio.*

In linguâ Syriacâ conscientia vocatur תארא ita enim habet Syrus interpres in cap. 2. Roman. *& testatur contra eos* תאר תרען *conscientia eorum*, à radice תאר formavit, depinxit, expressit, quia conscientia est expressa forma dictorum & factorum in mente.

*Quare non simpliciter scientia, sed conscientia dicatur.*

Appellatur autem non simpliciter scientia, sed conscientia, cuius nominis triplex ratio dari potest.

I. Sunt qui conscientiam dictam putant, quasi cordis scientiam. Nam ut *Hugo* loquitur l. d. *cor & se novit sua scientia, & multa alia, quando novit se, appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia.* Quam ob causam conscientia circa actiones proprias versari dicitur.

II. Quibusdam est conscientia quasi concludens scientia, quia conscientia est syllogismus practicus, qui ex lumine naturæ & gratiæ judicat & concludit, quid honestum sit, quid turpe; quid præceptum, quid prohibitum, & quænam maneant hominem propterea præmia vel pœnæ. In hoc syllogismò propositio maior est ex lumine naturæ vel Scripturæ, e. g. *qui sanguinem humanum effundit, ejus sanguis etiam effundetur*, ut scriptura docet *Gen. 9.* Conscientia homicidæ subsumit: *Tu sanguinem humanum effudisti*: Hinc concludit sibiipsi sententiam dicens homo: *Ergo sanguis tuus etiam est effundendus.*

*Syllogismus conscientiæ practicus.*

*Scius, scicum: conscius, cum altero.*

III. Alii conscientiam dictam putant scientiam cum aliis, importat enim ordinem scientiæ ad aliquid, & hoc dupliciter intelligi potest.

1. Enim conscientia est applicatio scientiæ ad aliquem actum aut faciendum aut intermittendum, vel etiam ad jam factum, de quo judicat, an rectè vel secus se habeat. Et sic conscientia dicitur, quia est ap-

 plica-

plicatio facti cum ſcientia ſeu applicatio ſcientiæ ad factum, quæ etymologia placet *Thomæ part.1.quæſt. 79.art.13. in concluſ.* ut, *prodere Dominum eſſe illicitum*, Judæ proditori ex rectâ ratione notum erat: accedente jam applicatione conſcientiæ ad hanc notitiam; *tu prodidiſti Dominum*, ſequebatur judicium proprii cordis: *Ergo feciſti rem illicitam pœnaque dignam.*

*Actus ſyllogiſmus conſcientiæ.*

2. Deinde etiam hac ratione eſt ſcientia cum aliis, quia homo non ſolus factorum ſuorum conſcius eſt, ſed & multi alii ſciunt, & ſic conſcientia plures in mundo conjungit, ſeu ſcientiam ſuam cum aliis communicat. Nam 1. Deus in cœlis etiam arcana noſtra novit, de quo *Job: Ecce in cœlis teſtis meus eſt, & conſcius meus in excelſis c.16. v.20. Et David Pſal.139,3. intellexiſti cogitationes meas de longè: hinc renum teſtis & ſcrutator cordis* vocatur *Sap.* 1,8.

*Homo præter ſe quisq; habet factorum ſuorum conſcios teſtes. 1. Deum.*

2. Si facta ſunt externa, etiam norunt ſancti angeli, qui bonarum & malarum actionum noſtrarum ſpectatores ſunt, bonarum quidem approbatores, malarum autem oſores & accuſatores. Unde eſt illa admonitio *Bernhardi homil. 13. ſuper Pſal: Qui habitat &c. Cautè ambula, ut videlicet, cui adſunt angeli, ſicut eis mandatum eſt, in omnibus viis tuis. In quovis diverſorio, in quovis angulo angelo tuo reverentiâ habe. Tu ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes &c.*

*2. ſanctos angelos.*

*Pſal. 19,11. Matth.4,6. Luc.4,10.*

3. Alii homines. Nihil enim tàm in occulto agitur, quod non tandem aperiat dies. Uno ſciente, ſciunt facilè multi alii. *Certus abeſt autor, ſed vox hoc nunciat omnis,* ut Poëta canit. Multos habent ſodales adulteri, fures, latrones, qui omnes alienorum ſcelerum ſunt conſcii, Dann ein Schalck weiß / wie dem andern zu muth iſt. Sed & qui laudabile quid geſſerunt, ſuis non carent præconibus. Nam ut *Ovidius* habet:

*3. alios homines.*

*Martialis lib.7.*

*lib. 2. Faſt.*

> *Fama manet facti, poſito velamine currunt*
> *& memorem famam, qui benè geſſit habet.*

4. Præterea factorum ſuorum conſcios habent homines etiam Diabolos, qui benè factis triſtantur, malefacta autem inſtillant, juvant, promovent, & primi omnium ad juſtum judicem deferunt, quam ob cauſam Satan appellatur *accuſator fratrum noſtrorum Apoc.* 12,20. & ut veteres loquebantur, *primus exactor ad culpam & tortor ad pœnam.*

*4. Diabolos.*

5. Denique conſcii factorum noſtrorum ſunt cœlum & terra cum creaturis omnibus, qui ſuo modo de iis teſtificantur, & ob abuſum ſui *ingemiſcunt*, ut *Paulus* affirmat *Rom.* 8,22. Hinc *cœli* dicuntur *revelari iniquitatem impii, & terra ſtare contra eum, Iob.* 20,27. & Deus ipſe teſtimonium creaturarum contra peccatores adducit *Deut.* 30,19. *Eſa.*1,2. *&c.*

*5. omnes creaturas.*

Sed hæc de etymo conſcientiæ ſufficiant.

CAPUT

Digitized by Google

## CAPUT III.

### *Quid sit conscientia?*

*Conscientia pertinet ad animam rationalem. Quæstio.*

EXtra dubium est, quod conscientia ad animam hominis rationalem pertineat, *Utrum autem ad intellectum, an ad voluntatem*, non constat inter omnes.

*Fundamentum eorum, qui conscientiam ad voluntatem referunt.*

Ad voluntatem retulerunt nonnulli ideò, quòd conscientia perficitur per bonitatem, juxta illud *Pauli 1. Tim. 1, 5. charitas est de corde puro & conscientia bona*, item v. 18. *milites bonam militiam, retinēs fidem & bonam conscientiam &c.* bonitas autem pertinet ad voluntatem, sicut veritas ad intellectum. Item, quod lex mentis (*quam Damascenus* vocat conscientiam) pertinet ad voluntatem, sicut lex carnis, quæ repugnat legi mentis. Item, quòd morsus conscientiæ parit dolorem, dolor autem non est in intellectu, sed in voluntatis affectu. Item, quòd delectabile & pœnale, quorum utrumq; est in conscientia, prout vel bona vel mala est, non ad intellectum, sed voluntatem seu affectum pertinet, de quibus omnibus vide *Bonaventuram tom. 2. dist. 39 lib. 2. art. 1. quæst. 1.*

*Rationes eorum, qui conscientiā ad intellectum referunt.*

Plerique autem referunt conscientiam ad intellectum, quia dicitur scire, *Eccles. 7, 23. scit conscientia tua, quia crebrò maledixisti aliis*: à *Damasceno* vocatur lex intellectus nostri: conscientia dividitur in rectam & erroneam, error autem est in intellectu; actus conscientiæ, legere, judicare, dirigere, testificari, arguere, ad cognitionem spectant, Ergò & ipsa conscientia, quæ rationes etiam inveniuntur apud *Bonaventuram loco dicto*.

*Nova quæstio.*

Deinde cum ea potissimum sententia in scholis obtinuerit, quòd conscientia sit in intellectu, alia disceptatio orta est, *An sit habitus in ratione existens, an verò actus rationis?* Illam opinionem defendit *Scotus*, *Bonaventura*, *Durandus*; hanc *Thomas*, *Gabriel*, *Cordubensis* & alii, quæ posterior sententia vulgò in scholis prævaluit.

*Decisio quæstionum antea propositarum.*

Verum cum Scriptura varias operationes conscientiæ tribuat, ut testificationem, accusationem, excusationem, perterrefactionem &c. Ideò neque habitum, neque actum intellectus simpliciter esse dicimus, sed potius analogicè partem aliquā intellectus seu facultatem ac potentiam naturalem, cui tribuitur judicium de actionibus hominum singulis & cuique propriis.

*Definitio conscientiæ.*

*Est ergo conscientia facultas mentis operativa, quæ principia actionū vel ex lumine naturæ, vel ex lumine Scripturæ ipsi insita applicat ad aliquod factum, quod à nobis fieri aut non fieri debere aut debuisse ratio dictitat.*

*Explicatio definitionis.*

*Facultas mentis* dicitur, quia suas habet operationes: *facultas operativa*, quia pertinet ad intellectum practicum: *applicare* dicitur *principia actionum ad aliquod factum*, quia de quolibet facto hominis certi quid statuit, & hoc suo munere ab aliis dotibus mentis distinguitur.



Digitized by Google

[*Intelligentia rem ſimpliciter concipit, an ſit vel non.*

*Opinio rem probabilem aut contingentem ſtatuit.*

*Scientia eam firmam certamq́ judicat.*

*Fides ea, quæ oculis non cernuntur, credit.*

*Prudentia, quid faciendum aut fugiendum diſcernit & diſcutit.*]

Quemadmodum enim homini ad cognitionem artium, *κοιναὶ ἔννοιαι* quas vocant, divinitùs inſitæ ſunt, per quas tanquam per divinum lumen prima artium, quæ ſcientiâ comprehendi poſſunt, principia intelliguntur: ita Deus homini dedit judicium rationis, per quod tanquam divinum lumen actiones honeſtæ diſcernuntur à turpibus, id quod aliâs lumen conſcientiæ vocatur, de quo *Alvarus Pelagius in lib. de planctu Eccleſ. Sicut lumen candelæ vel lucerna ponitur in domo, ut pateant & diſcernantur ea, quæ in domo ſunt: Ita Deus poſuit conſcientiã in medio cordis vel animæ rationalis, tanquam lumen, quâ videat anima & diſcernat, quid facere vel non facere debeat.*

Lumen hoc à *D. Paulo* vocatur *chirographum, quod adverſum nos eſt Coloſſ. 2. v. 14.* chirographum videlicet Dei, cordibus noſtris inſcriptum.

Quemadmodum enim DOMINUS decem leges duarum tabularum digito ſuo ſcripſit, Moſique tradidit, tanquam regulam vitæ univerſo populo futuram *Deut. 9. verſ. 10.* ita in prima ſtatim creatione eaſdem leges cordi hominis ſuo modo inſculpſit, ut quilibet diſcrimen honeſtorum & turpium naturâ ſciat, ſicut ſcriptum eſt *Rom. 2, 14. 15. cum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum* &c.

[*Deus repetit legem naturæ in Decalogo 1. quia lex naturæ corrupta eſt per lapſum. 2. teſtari Deus voluit, ſe etiam legis naturæ & omnium hinc oriundarum legum autorem eſſe. 3. voluit extare publicam vocem judicij contra peccatum. 4. voluit extare expreſſam normam vivendi.*]

Cum ergò teſtimonium ſeu judicium hoc cordibus noſtris divinitùs ſit inſitum, divinum etiam eſt teſtimonium & judicium, quo de noſtris actionibus, animo ac propoſito ratiocinamur ad normam juris vel naturalis vel divini. In hac ratiocinatione major propoſitio eſt lex aliqua juris naturalis vel divini, e.g. *qui furtum committit malè & contra legem Dei facit.* Minor propoſitio eſt factum aliquod, cogitatum aut dictum noſtrum legi illi vel conforme vel difforme, quod non aliunde, ſed à proprio cordis dictamine provenit, ut; *Tu comiſiſti furtum*: Hinc ſequitur concluſio: *Ergò tu malè & contra legem Dei feciſti*, adeoque ſub maledicto es. Concluſionem hanc porrò ſequitur vel lætitia in corde, ſi re-

*Syllogiſmus conſcientiæ practicus. Confer ſupra cap. 1.*

Digitized by Google

si rectè fecisti; vel terror & dolor, si secus.

*Primaria significatio conscientiæ in S. Scriptura.* Illam ergo vim hunc in modum ratiocinandi scriptura vocat conscientiam in propriâ ac primariâ vocabuli significatione: sic *Paulus* dicit *Rom.* 13, 5. *subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter cõscientiam*, h. e. ne proprio tuo judicio aliquid durius in te statuere, teque ipsum ira Dei dignum judicare cogaris.

*Secundaria significatio.* Secundariâ significatione Conscientia usurpatur, de toto illo syllogismo practico, sic *testimonium dare dicitur conscientia Rom.* 2. *vers.* 14. quando unum ex altero colligit, & minoris applicationem ad majorem in conclusione facit, quo in loco ipsæ etiam ratiocinationes se invicem damnantes & excusantes conscientia dicuntur.

*Tertia significatio.* Interdum Conscientia usurpatur de minori tantùm syllogismi practici propositione, h. e. de notitia suorum benè vel malè gestorum, quæ sub generali lege juris vel naturalis vel divini subsumuntur, ut cum *Paulus* scribit 1. *Cor.* 4, 4. *nihil mihi conscius sum*, h. e. nihil contra legem aut rectam rationem feci, nullum aliquod scelus à me patratum novi.

*Quarta significatio.* Denique conclusio syllogismi practici etiam conscientia appellatur, ut cum *Paulus provocat ad suam conscientiam Act.* 23, 1. aliosque ad conservationem bonæ conscientiæ hortatur 1. *Tim.* 1, 19. Est enim bona conscientia, cum quis seipsum sceleris arguere non potest, vel, ut *Ioannes* loquitur, *cum cor nostrum nos non condemnat* 1. *Iohan.* 3. v. 21. de quo suo loco plura.

## CAPUT IV.

### *De discrimine conscientiæ & syntereseos.*

AD intelligendam definitionem conscientiæ pertinet harum duarum vocum explicatio, quæ sæpenumero promiscuè usurpantur. Multi enim sunt, qui ipsam conscientiam vocant Synderesin, h. e. honesti & inhonesti κριτήριον, cùm tamen inter hæc duo discrimen sit haud exiguum. *Inter conscientiam & synteresin est discrimen.*

Quod antequam exponam, sciendum est, usitatam quidem sed corruptam vocem esse Synderesin apud latinos Theologos. Rectius diceretur, synterésis, Est enim Græca vox συντήρησις q. d. conservatio, à verbo συντηρέω, conservo, quo sensu apud *Nazianz. orat.* 2. *aer* dicitur τῆς ψυχῆς πρὸς τὸ σῶμα συντήρησις, vinculum, quo anima cum corpore cohæreat, conserveturque.

*συντήρησις quid sit hoc loco?* Hoc in loco συντήρησις *est facultas animæ, quæ semper adversatur vitiis, & perpetrata mala continuò arguit, & sic semper cupit animam à peccato conservare immaculatam.* Et hanc synterésin nonnulli ipsam conscientiam, ut *Hieron. in cap.* 1. *Ezechiel.* nonnulli scintillam conscientiæ, ut *Glossa ordinar. sup. Ezechiel.* alii apicẽ mentis & scin-

& scintillam rationis appellarunt, ut *Gerson*.

*Inter synteresin & conscientiam monstratur sextuplex discrimen.*

Sed discrimen inter ista duo manifestum est. 1. Synteresis nunquam potest errare; conscientia interdum in judicando aberrat. 2. Conscientia est in bonis & malis, judicat enim de honestè & inhonestè factis, synteresis autem tantùm est in bonis, quia naturaliter stimulat ad bonum & abhorret malum, unde & naturalis instinctus ad bonum appellatur *à Gersone part. 3. serm. de nativ. virgin. Mariæ*. 3. Synteresin nonnulli dicunt naturalem habitum principiorum operabilium; conscientiam verò actum seu judicium rationis de iis, quæ acta sunt vel agenda. 4. Synteresis est instinctus naturalis in bonum antequam fiat; conscientia autem fert judicium de bono etiam jam facto. Adde 5. quòd synteresis universaliter aliquid dictat appetendum vel fugiendum: Conscientia verò de singulis actionibus in particulari judicat. 6. Denique in conscientiâ triplex est applicatio scientiæ ad aliquod opus, ut docet *Thomas part 1. quæst. 79. art. 13 in in conclus.* 1. *quãdo* cognoscimus nos aliquid fecisse vel non fecisse, secundum illud *Eccles. 7. v. 23. scit cõscientia tua, te crebrò maledixisse aliis*, 2. *quando* per nostram conscientiam judicamus aliquid faciendum vel non faciendum. 3. *quando* per conscientiam judicamus, quòd aliquid, quod est factum, sit benè factum vel non benè factum. Talis applicatio in synteresi non fit, Ideò simpliciter idem ac conscientia esse non potest.

*Triplex est in conscientiâ applicatio ad aliquod opus.*

*Quare synteresis sæpè pro conscientiâ ponatur?*

Etsi autem synteresis non omninò idem est, ac conscientia: ideò tamen interdum pro conscientiâ ponitur, *primo*, quia habitus est principium actus, synteresis autem est principium habitus naturalis, conscientia verò est actus intellectus. Ergò synteresis est principium conscientiæ. *Deinde*, quia in conscientiâ duo concurrunt actus intellectus; *unus* præcedit opus jam faciendum, & est non saltem actus cognitivus, sed etiam motivus, quia movet & inclinat animam ad bonum prosequendum vel fugiendum, quem alii vocant actum practicum, & hoc respectu conjungitur habitui naturali, ac superiori lumini rationis, quod synteresis appellatur. *Alter* actus sequitur opus jam factum; est enim judicium de tali opere, utrum honestum sit, seu inhonestum, quo judicio fit applicatio scientiæ, seu legis alicujus naturalis ad ipsum opus jam factum: alii vocant actum speculativum. Et quoad hunc actum conscientia differt à synteresi.

*Duo actus intellectus in conscientiâ concurrunt.*

CAPUT

Digitized by Google

## Caput V.

### *De propriis operationibus seu officiis Conscientiæ.*

*Officia conscientiæ propria.*

NOn est otiosa Conscientia in homine, sed semper operatur vel ante vel post aliquod factum. Sunt autem propria conscientiæ officia: obligare, instigare, retrahere, testificari, accusare, excusare, remordere, reprehendere, laudare & consolari.

Et cum omnis conscientiæ ratio consistat in applicatione scientiæ alicuius ad opus vel faciendum vel factum: hæc quoque conscientiæ officia pro diversitate applicationis diversimodè se accommodant.

*Officia conscientia quadrupliciter se accommodant.*

*Primùm enim*, cum intellectus practicè judicat aliquid faciendum esse, quia honestum, aut legi naturæ vel divinæ conforme est; vel aliquid omittendum, quia inhonestum & contra legem est, tunc conscientia dicitur obligare & instigare, si quid faciendum: retrahere verò, si quid omittendum. Non enim tantùm suadet aut dissuadet, sed & ad rem bonam obligat, hortatur, impellit & instigat, à re malâ verò retrahit & effectum impedit, ita, ut vulnerari dicatur, nisi obliganti, hortanti, instiganti, retrahenti pareamus.

*Conscientia obligat non per se, sed ratione legis.*

Obligat autem conscientia non per se, sed ratione legis, quæ aliquid præcipit vel prohibet. Legis enim propriè est obligare: Conscientia autem est præco legis. Sicut ergò præco judicis obligat eum, cui insinuat judicis mandatum, non virtute sui, sed virtute mandati judicis: ita & conscientia virtute legis, cuius est præco, cùm mandatum vel prohibitionem homini insinuat, obligare dicitur.

*Deinde*, cùm intellectus post opus jam factum speculativè judicat de eo, an bonum sit vel malum, tunc testificari dicitur, quod testimonium omnium est certissimum, quia proficiscitur ab interno cordis judicio, quod ab omnium affectuum strepitu est liberum, unde conscientia *mille testes* vocatur, in cuius consideratione *D. Paulus* omnia malevolorum judicia contempsit: *Gloria nostra hæc est, inquit, testimonium conscientiæ nostræ 2. Cor. 1. 12.* & cum rem magnam graviter asserere vellet, ad testimonium hoc provocat *Rom. 9. 1.* Hinc *Gregorius* scribit *hom. 9. in Ezech. in omni quod dicitur, semper tacitè recurrere debemus ad mentem, & interiorem testem requirere: quid enim proderit, si omnes laudent, & conscientia accusat? aut poterit obesse, si omnes derogent, & sola conscientia defendat?*

*Testimoniū conscientiæ omnium est certissimum*

Testatur autem conscientia, 1. *de secretis cordis cogitationibus*, ideò homines conscientiam suam interdum in testimonium vocant, quod aliquid ne cogitarint quidem. 2. *de voluntate & affectibus animi*, quo pacto *D. Paulus* conscientiam suam testem appellat, quod magnam habeat tristitiam

*De quibus testetur conscientia.*

stitiam & perpetuum cruciatum cordis sentiat ob reiectionem Judæorum *Rom. 9. v. 1. 3. De actionibus externis,* quo pacto *Salomon* dicit: *Conscientia tua dicit, multoties te maledixisse aliis.* Huius officii sui respectu conscientia *notarius cordis* nostri vocatur, quia, quæ fiunt à nobis notat, eorumque nos secreto quodam impulsu admonet.

*Conscientia notarius cordis est.*

Tertiò, cum opus patratum bonum est & legi conforme, conscientia excusat perperam accusatos, laudat, commendat & solatur ipsos: Et hæc dicitur bona conscientia, de qua *Cicero* dixit: *Vacare culpa magnum est solatium.* Et *Ambrosius de off. benè sibi cõscius falsis non debet moveri convitiis, nec æstimare plus ponderis in alieno esse convitio, quàm in suo testimonio.*

*Conscientia mala.*

Quartò cum opus patratum malum est, conscientia accusat, reprehendit, mordet, Unde *conscientia mala* appellatur *& furia*, quæ semper verberat, & flagellat hominis animum, & in solitudine etiam anxia est, neque vigiliis, neque quiete sedari potest. Ex bona igitur conscientia est & quies & lætitia; ex mala mœror & dolor. Hinc conscientia dicitur *affectuum corrector & animæ pædagogus: flagrũ post peccatum,* quia patrato scelere magnitudo eius demum agnoscitur: *Frenum ante peccatum,* quia ab ea te hominis animum avocat, à qua lex abhorret. Conscientia est sicut *animi lectus,* in quo habet homo vel quietem vel cruciatum. Sicut enim homo sanus in lecto habet quietem, sed æger cruciatum: sic homo bonus in sua conscientiâ bonâ dulciter in DEO quiescit, sed malus homo in conscientia ægritudinis torquetur; *Semper enim sæva præsumit mala cõscientia,* inquit *Sapiens. cap. 17, 11.*

## CAP. VI.

## *De Speciebus Conscientiæ, & nominatim de conscientia rectâ.*

QVia judicium intellectus nostri non semper se eodem modo habet; nam interdum recto incedit talo, interdum affectibus abreptum à recta via aberrat, interdum languet & fluctuat, &c. ideò & conscientia non semper est uniusmodi. Vulgo quinque eius recensentur species: *Conscientia Recta, Erronea, Dubia, Opinabilis & Scrupulosa.* De his multa disputãt Scholastici: nos maximè necessaria in compendium contrahemus.

*Quinque species conscientiæ.*

*Recta conscientia, quæ conformis est legi, seu quæ rectè ac verè judicat ante factum, aliquid esse faciendum, vel non faciendum, post factum verò an bonum sit, vel malum.* Fundamentum rectæ conscientiæ proprium, est *jus divinum, seu verbum Dei,* per quod Deus conscientiam in quavis actione urget & cogit, ut, vel quid faciendum aut omittendum sit, judicet, vel factum accuset vel excuset. Hæc conscientiæ obligatio solius Dei pro-

*Quid sit recta conscientia?*

*Fundamentum rectæ conscientiæ primarium & principale.*

propria eſt, quia is ſolus eſt Dominus conſcientiæ, qui eam homini dedit, & præter ipſum nemo eam novit: Solus etiam poteſtatem habet ſervandi & perdendi animam, prout lex ipſius vel ſervata vel violata fuit. Hinc *unus legislator* dicitur, *cujus eſt, ſervare & perdere Iac.* 4,12.

*Fundamenta recta conſcientiæ ſecundaria & minus principalia.*

Ad hoc fundamentum rectæ conſcientiæ accedunt deinde leges aliæ, ut lex naturalis & leges humanæ. Lex naturalis obligat conſcientiam, ſed non tam proprè ut verbum Dei, quia licet cum verbo congruat, imbecillis tamen, languida & imperfecta eſt poſt lapſum. Maiorem tamen vim habet, quàm leges humanæ, quia nihil aliud eſt, quàm dictamen rectæ rationis. Leges humanæ ſunt ſtatuta magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis & civilibus, quibus obtemperandum eſt, quatenus verbo Dei ſunt conformes, quia publicæ tranquillitati & ordini inſerviunt, & ſæpènumerò tranſgreſſio ipſarum cum ſcandalo ac contemtu eſt coniuncta. His annumerant Pontificii leges ſuas Eccleſiaſticas, à Papa & Epiſcopis ſancitas, quas adæquè conſcientiam obligare ſtatuunt, ac verbum Dei, ut videre eſt apud *Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. cap* 15. Sed de his infra, cùm ad ipſos caſus conſcientiæ perveniemus.

*Lex naturalis maiorē habet vim, quàm leges humanæ.*

*Conſcientia recta in medio eſt poſita inter Deum & homines.*

Conſtat ex his, Conſcientiam rectam eſſe in medio poſitam inter Deum & homines. Dei reſpectu ipſa ſubiecta eſt legibus: hominis reſpectu, ipſa poteſtatem habet in hominis acta, quæ judicio conſcientiæ ſubiacent.

*Unde oriatur recta conſcientia?*

Oritur ergò conſcientia recta ex rectâ applicatione operis ad principia legis, ut cùm mens hominis judicat, omnia, quæ cum lege naturæ, cum decalogo, cum ſtatuis magiſtratus legi divinæ conformibus, congruunt, facienda eſſe, quæcunque verò ab illis prohibita, omittenda. *Et eſt recta conſcientia nihil aliud, quàm dictamen rectæ rationis, & præco legis, qui vel ad faciēdum aut fugiendum aliquid, hortatur & invitat; vel factum jam patratū laudat aut vituperat, Et hominem ad obſequium ita obligat, ut qui contra hanc cōſcientiam facit, mortaliter peccet.*

*Definitio rectæ conſcientiæ explicatior.*

*Bernhard. in lib. de inter. dom. Cap.* 20. ſcribit: *Recta conſcientia eſt, cui ſuum peccatum diſplicet & alieno non conſentit, nec propter hanc peccatorem dimittit, nec eius peccatum diſſimulat, & cum corripit, nō inſultat. Tranquilla eſt, quia omnibus eſt dulcis, & nulli gravis, ut ēs amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, & omnibus poteſt, ad beneficentiam.*

## CAP. VII.

## *De Conſcientia erronea.*

*Erronea conſcientia quid? Unde oriatur?*

E*Rronea conſcientia eſt difformis legi, approbās falſa pro veris, & vera pro falſis; certa pro incertis, incerta pro certis*: & oriatur ex falsâ applicatione operis ad ſcientiam, ſeu ex falſis ratiocinationibus, quas vel ignoran-

tia, vel incogitantia, vel etiam oblivio parit. Suadet enim aliquid eſſe bonum, & vi præcepti faciendum, cùm tamen malum ſit, aut ſaltem non præceptum: vel aliquid eſſe malum & lege prohibitum, quod tamen malum non eſt, nec ullâ lege interdictum, ut ſi quis judicet, licitum eſſe res alienas appetere, ut ſuccurrat pauperi, mentiendum eſſe, ut alterius vita ſervetur: viciſſim, ſi quis putet, die Veneris non licere veſci carnibus.

*Quæſtio: An erronea conſcientia habeat vim nos ſibi obligandi?*

De hac ſpecie conſcientiæ multùm diſputant Scholaſtici, *an habeat vim nos ſibi obligandi*, hoc eſt, ut eam ſequi, & juxta eius præſcriptum agere debeamus, ita ut ſi hoc non fiat, peccetur? Dicunt aliqui conſcientiam errantem ligare quidem, ſed non obligare. Diſtinguunt alii inter præcepta & conſilia: item inter bona neceſſaria & non neceſſaria à tali conſcientia propoſita, inter peccata in ſe, & inter ea, quæ ratione boni finis à conſcientia errante proponuntur &c. & eousque tandem procedunt, ut etiam peccata ab erroneâ conſcientiâ propoſita, facienda eſſe cenſeant. Quâ de re vide *Thomam part. 1. 2. quæſt. 19. art. 1 Johann. Azorium in Inſtitut. moral. tom. 1. lib. 2. c. 8. Iodocum Lorich. in theſaur. Theol. voce cõſcientia §. 6 Becan. part. 2. Theol. Schol. tom. 1. tract. 1. cap. 4. quæſt. 7. §. 6.*

*Variæ opiniones ſcholaſticorum.*

Sunt alii, qui conſcientiam errantem nequaquam ita obligare cenſent, ut contra eam facere non liceat, quia judicio ſuo declinat à lege, contra quam nihil eſt faciendum, ideò *Cicero* quoque dixit, *virum bonum in omni vitâ ne quidem latum unguem à recta conſcientia diſcedere*, à recta dixit, non ab erronea vide *gloſſam in cap. Omnes quæſt. 1.* Et Alenſis *part. 2. q. 120. m. 3. docuit*, ſi conſcientia erronea judicaret aliquid eſſe præceptum, quod tamen intrinſecè malum eſſet, tunc conſcientiam non obligare, nec ex ea operari licitum, ſed eam deponendam eſſe; cui contradicit *Becanus loco ſupra allegato.*

*Deciſio quæſtionis.*

Ad decidendam hanc quæſtionem, diſtinguendum videtur inter res à conſcientia erronea propoſitas. *Aut enim ſunt indifferentes, à Deo neq; præcepta neq; prohibitæ: aut ſunt expreſſa lege definitæ, præceptæ vel prohibitæ.* Si conſcientia erronea inſtigat ad faciendum rem indifferentem, quam putat eſſe divinitus præceptam, tunc contra illam conſcientiam faciendum non eſt, licet id quod fit, præceptum non ſit, quia judicium intellectus in hiſce eſt proxima regula voluntatis: Voluntas ergò judicium intellectus ſequi debet tanquam ducem ſuum, & hoc modo agere, ut eſt ab intellectu propoſitum, *exempli gratiâ*, In primitiva Eccleſiâ Judæi multi ad fidem Chriſti converſi, judicarunt diſcrimen ciborum Leviticum nondum fuiſſe ſublatum, jam ſi quis eorum ad carnis ſuillæ eſum fuiſſet compulſus, peccaſſet utique, quia id dubitante conſcientiâ feciſſet. Idcirco *Paulus* ſcribit, *nihil* quidem *eſſe im-*

*mundum per ſe, ſed ei, qui exiſtimat immundum eſſe Rom.* 14. *v.* 14. *& v.* 15. addit: *qui ambigit, ſi ederit, condemnatus eſt, quia non edit ex fide.*

*Illuſtratio deciſionis per exempla plura.* Sic judicat fortè aliquis infirmorum fratrum ab eſu carnium ſibi certo aliquo die neceſſariò abſtinendum eſſe, cum tamen ea res in ſe ſit indifferns, nec lege divina prohibita. Qui hoc in conſcientiâ ſuâ perſuaſus eſt, ſi contrarium faceret, peccaret, quia voluntas à regula ſua deflecteret, nec ipſe de facto ſuo certus eſſe poſſet: *quidquid autem non fit ex fide, peccatum eſt Rom.* 14, 23. hoc eſt, quidquid non fit ex fide conſcientiæ, ſeu ex certa perſuaſione conſcientiæ, vel quod fit titubante conſcientiâ, id Deo gratum eſſe non poteſt. Idcirco *D. Paulus* conſcientiam eius, qui putat *Idolum* eſſe aliquid, *cum nihil ſit, manducatione idolothytorum pollui* ſcribit 1. *Cor.* 8, 7. eumque qui ſuo exemplo ipſum ad veſcendum idolothytis impellit, conſcientiam eius infirmam percutere, & *in Chriſtum peccare cenſet v.* 12. ac proinde etiam iis, qui rectè ſunt inſtituti, abſtinendum eſſe putat ab idolothytis, ſi infirmus quiſpiam, idolothytum eſſe indicaret, idque propter conſcientiam infirmi, quæ intempeſtiva illa uſurpatione rei in ſe licitæ pollueretur. Opera ergò danda, ut eiuſmodi infirmus errorem deponeret.

*Iuramentū in ſe eſt res media.* Sic juramentum eſt in ſeſe res media, quia pro re natâ vel præſtari vel omitti poteſt. Si verò *Anabaptiſta*, qui juramentum habet pro re illicita & divinitùs prohibitâ, à magiſtratu compulſus juraret, utiq; malè faceret, non quaſi juramentum non ſit licitum, ſed quia illud malo modo præſtitit, hoc eſt, contra conſcientiam ſuam, quæ licet erret, quia tamen repugnat, in re per ſe licitâ non fuiſſet negligenda.

Aliter ſtatuendum eſt de rebus lege divinâ expreſſè prohibitis, in quibus conſcientia errare poteſt ex ignorantia. Sed *ignorantia illa eſt vel invincibilis*, h. e. probabilis, & juſta; quia aliundè introducta, ſine culpâ hominis: *vel vincibilis*, ſeu vitioſa & voluntate hominis in animo creata. *Ignorantia eſt duplex invincibilis & vincibilis.* Si conſcientia errat ex ignorantia invincibili, & juſtâ, qui ſecundum eam agit, non peccat, quia ſequitur voluntas judicium rationis, licet opinione pravâ, ſed quæ abſq; ſua culpâ inſtillata eſt, decepta: *exempli gratia*, Ex pecunia aliena aut iniuſtè parta eleemoſynam dare, peccatum eſt, *non enim vult Dominus mercedē proſtibuli, aut precium canis afferri domui ſuæ Deut.* 23, 18. ſi quis verò certus eſſet in conſcientia, pecuniam, quam à parente accepit, bonâ fide ſuam & legitimè acquiſitam eſſe; nec alienam, aut malè partam, is, ſi ex ea pecunia eleemoſynam daret, nihil peccaret, ſed in hoc ſuo opere lætari poſſet, non quatenus ex alieno & malè acquiſito fuit liberalis, hoc enim bonâ fide ignoravit: ſed quia ſcit, ſublevationem pauperum eſſe opus miſericordiæ, Deo gratum. *An & quomodo ex injuſtè acquiſitâ pecuniâ eleemoſyna danda?*

Sin verò error conſcientiæ eſt ex ignorantia vincibili & vitioſa, pec-



Digitized by Google

cat utique, qui judicium huius conſcientiæ erroneæ ſequitur, utut contrarium *Scholaſtici* nonnulli, & ex illis *Ieſuita*, ſtatuunt: nam conſcientia talis nondum ſatis confirmata eſt, ubi regula voluntatis non debet eſſe judicium intellectus infirmum, & voluntariè debilitatum, ſed potiùs ipſa lex Dei: *exempli gratiâ*, furari eſt res illicita. Si conſcientia malâ perſuaſione decepta fuerit, quaſi furandum ſit, ut dari poſſit eleemoſyna, nemo peccaret, qui contra eam faceret. Nam omnibus notum eſſe debebat, partim, quòd furtum in lege ſit prohibitum, partim, quòd non ſunt facienda mala, ut eveniat bonum. Qui autem id licitum putat, ex ignorantiâ craſsâ & vitiosâ, quam vincibilem vocant, peccat. Ac proinde conſcientia, quæ talem errorem fundamenti loco ponit, obligare non poteſt: *nemo enim obligari poteſt ad malum, nec lex inferior poteſt obligare contra legem ſuperioris.* Lex autem Dei eſt: *non faciendum malum*, conſcientia igitur non obligare nos poteſt, ut faciamus malum. Deponendus ergò eſſet hic error, juxta conſilium *Siracidæ: ne demoreris in errore. Sir. 17, 26.* & judicium intellectus juxta legem naturæ ſaltem conformandum, quod fit, cùm judicium ſpeculativum mutatur, puta, furandum non eſſe, ut aliis detur eleemoſyna, quo mutato, facilè etiam mutatur practicum.

*Nemo obligare poteſt ad malum.*

Etſi enim conſcientia lex intellectus dicitur, non tamen eſt ſuprema lex, quia ſupra ipſam eſt lex alia, quam Deus in verbo propoſuit, ex parte etiam hominum mentibus inſevit, & poſtea digitis ſuis tabulis inſculpſit, à quâ lege cùm recedit, non eſt ſequendus eius ductus, quia *conſcientia eſt præco legis*, ut ſupra diximus, quemadmodum ergò præco medius eſt inter regem & populum, quem populus audire non tenetur, ſi quid contra regem pronunciat: ita conſcientia intermedia eſt inter Deum & nos, qui eam ſequi non debemus, ſi quid contra Deum ſtatuit.

*Conſcientia eſt lex intellectus ſed nõ ſuprema.*

*Conſcientia eſt præco legis.*

Benè ergo monet *Bonaventura diſt. 39. lib. 2. quæſt. 3. ſub fin. Nemo ex conſciẽtia perplexus eſt, niſi ad tempus, videlicet quamdiu conſcientia manet, nec tamen eſt perplexus ſimpliciter, pro eo, quòd debet illam conſcientiam deponere, & ſi neſcit legẽ Dei, debet ſapientiores conſulere, vel per orationem ſe ad Deum convertere ſi humanũ conſilium deeſt; alioquin ſi negligens eſt, verificatur in eo, quod dicit Apoſtolus: qui ignorat, ignorabitur, 1. Cor. 14.* Et præclarum omninò eſt, quod de obligatione conſcientiæ erroneæ ex *Gabriele diſt. 39. q. un. art. 3. d. 1. l. 2.* ſcribit *Iohan. Alteſtaig in lexico Theol. fol. 189. Conſcientia erronea etiam obligat, ſed non ſicut recta, non enim obligat ad faciendum, quod contra legem dictat, credens ſe conformiter legi dictare, quia tunc obligaret contra legem, & per conſequens teneretur quis facere contra legẽ: & cùm lex obliget ad ſui obſervantiam, ſimul quis obligaretur ad oppoſita incompoſſibilia, quod eſt abſurdum.*

Obligat ergò conſcientia erronea ad deponendum eam, vel ad deponen-

ponendum errorem, non vinculo conſcientiæ hoc dictantis, quia creditur non erronea, ſed vinculo divini præcepti, quia dicitur *Eccl. 17. ne demoreris in errore, &c.*

*Quæſtio Si quis perſuaſus ſit, ſe baptiſatũ eſſe, cùm tamen baptiſatus non ſit, an baptiſmus ei conferri debeat? Deciſio.*

Ex hac doctrinâ reſponderi poteſt ad quæſtionem; *Si quis perſuaſus ſit, ſe baptiſatum eſſe, cùm tamen baptiſatus non ſit; an baptiſmus ei conferri debeat?* Nam perſuaſio illa ex errore eſt. Si error eſt *invincibilis*, ita, ut homo certiſſimè credat ſe baptiſatum eſſe, tunc pro baptiſato haberi debet. Si verò error eſt *vincibilis*, hoc eſt, perſuaſio tantùm conjecturis nititur, tunc conferendus eſt baptiſmus, ne errore depoſito, conſcientia tandem ipſi moleſtiam creet. *Sed hac de conſcientia erronea ſufficiat.*

## CAPUT VIII.

## *De conſcientia dubia.*

*Quid ſit conſcientia dubia?*

DUbia *conſcientia eſt, quæ de opere aliquo nihil certi judicat, ſed ſuſpenſa hæret inter utrumque, ignorans, an quod occurrit faciendum ſit, vel omittendum.*

*Quotuplex ſit conſcientia dubia?*

Eſt autem dubia vel *practicè* vel *ſpeculativè*: *practicè*, cum quis in ipſo exercitio actionis dubitat, an rectè agat vel ſecus, ut ſi quis, prodendo hoſtem, dubitet, an rectè faciat: *Speculativè*, cum quis extra exercitium actionis dubius eſt, an actio illa licita ſit, ut, an liceat hoſtem prodere? Fitque conſcientia dubia, partim ob ignorantiam rerum, partim ob opiniones contrarias, partim ob eventus dubios, eosque vel leviores vel graviores, quos vir prudens facilè dijudicare poteſt.

*Unde conſcientia fiat dubia?*

*Dubitatio ex eventis* eſt de opere jam patrato: quia enim alteri benè, alteri malè ceſſit, hinc duditant, qui eventibus facta æſtimant, an opus ipſum ſit licitum vel illicitum.

*Dubitatio ex opinionibus contrariis & ex ignorantia* eſt de opere & faciendo & jam facto; quia enim de bonitate operis nil certi conſtat, dubium oritur, an ſit faciendum; vel cum jam factum eſt, an rectè factum vel ſecus; an laude vel vituperio dignum.

*Opiniones ſunt duplices, probabiles & improbabiles.*

Opiniones ſunt *vel probabiles*, quæ vel ratione alicuius momenti, vel gravi autoritate nituntur: *vel improbabiles*, quæ nec rationem ſufficientem nec autoritatem gravem habent: *Ex improbabili opinione nihil faciendum eſt*, tale enim factum planè eſſe temerarium.

*Ignorantia eſt duplex: juris & facti.*

Ignorantia eſt duplex; *alia juris, alia facti. Ignorantia juris* vocatur hîc, cùm quid juris ſit ignoratur, non perpenſis rerum circumſtantiis, ut cum dubitatur, an mentiri liceat propter certum finem, puta, ob redimendam vitam; vel, cum concurrentibus duobus præceptis, dubitatur, utrum alteri ſit præferendum, ut, an die Dominico præſtet audire concionem, an domi curare ægrotum? *Ignoratia facti eſt*, cùm factum ipſum, an licitum ſit, nec ne, ignoratur, ut cùm quis dubitat, an contractus aliquis ſit licitus, an

con-

concubitus in matrimonio ſit honeſtus? Hæc conſcientiæ ſpecies practicè neminem obligat, donec dubitationem deponat, & ex juſtis rationibus ſtatuat, hanc rem hoc in loco ac tempore licere.

Fieri tamen poteſt, ut quis in dubio ſpeculativè dubitet, practicè tamen de re aliquâ certus ſit, & tunc non peccat, ut, dubitare quis poteſt, an hoc bellum ſit licitum, cum tamen in praxi certus ſit, ſibi licitum eſſe militare in hoc bello, quæ certitudo eſt ex principiis practicis, quia ſcit, dum nondum conſtat de iniuſtitia belli, quemlibet obedire debere ſuo principi, à quo ſi militare jubetur, denegare non poteſt, donec iniuſtitia belli omnibus manifeſta fiat.

Quod ſi in dubio, una pars tutior, melior & difficilior eſt alterâ, eligatur id, quod tutius & melius eſt, minoriq; cum difficultate conjunctum: quo in genere ſi quis ſibi ipſi non ſufficit, aliorum conſilia audiat, & Deum, ut ipſe quod optimum eſt eligat, ſeriò oret. Si verò utraque pars æquale malum vel bonum ſecum ferat, eligat & ſequatur, quod præviis precibus Deus cœleſti ſuo digito monſtraverit, ſeu quo Deus voluntatem hominis inclinaverit. *Nam ſicut diviſiones aquarum, ita cor regis in manu Dei; quocunq; voluerit, inclinabit illud Pſal. 21, 1.* Qui ergò in rebus dubiis vias ſuas precibus commiſit Deo, is certus eſſe poteſt, quòd quicunque parti in dubio ſe ſubmiſerit, id ſecundùm Dei nutum factum ſit, *qui, quod ſecundum voluntatẽ eius petitur, nemini denegabit 1. Iob. 5, 14. Vide dictum Bonaventuræ praecedenti capite.*

*In rebus dubiis ante omnia ad Deũ, per preces confugiendum; interdum & aliorum conſilia audienda.*

## CAPUT IX.

### *De Conſcientia opinabili.*

*Quid ſit opinabilis conſcientia.*

*OPinabilis conſcientia eſt, quæ probabiliter judicat partem alteram honeſtam eſſe in aliquo opere, cui & aſſentitur, timet tamen, ne fortè & altera pars contraria honeſta ſit, quia notitia ſua probabilem ſaltem rationem habet.*

*Unde oriatur?*

Oritur ergò ex probabilibus illis rationibus, quæ aſſenſum ſtabilire non poſſunt, ideò non ſolidam ſcientiam, ſed qualemcunque opinionem generant. *Non* obligat, cùm opinio planè eſt improbabilis, quia judicium practicum, quod ei innititur, eſt temerarium. Si verò opinionem improbabilem haberet aliquis pro probabili, tunc eſt conſcientia erronea, de quâ paulò antè diximus. *Nec obligat*, cùm opinio ſaltem nititur pluralitate ita ſentientium, quia *multitudo errantium, non facit errori patrocinium.* Cum ergò opinionem aliquam, non ob aſſenſum aliorum, ſed ob cauſas probabiles pro verâ habes, *obligatus es* in conſcientia, ne contra eam agas, licet ſuperiores aliud à te exigant, donec rationes veriores audias in contrarium, ad quas audiendas ſemper paratus eſſe debes, & opinionem tuam, auditâ meliore ſententiâ, deponere.

*Quando conſcientia opinabilis obliget, aut non?*

Et

Digitized by Google

*Regulæ octo ſunt in rebus opinabilibus accuratè obſervandæ.*

*1. Regula.*

Et huc pertinent *regulæ* in rebus opinabilibus, ad ſalvandam conſcientiam obſervandæ 1. *In rebus fidei una ſcripturæ ſententia, præferenda eſt opininibus doctorum etiam graviſſimorum, ipſis etiam conciliorum & Pontificũ decretis*, quo pacto *Paphnutius* ſententiam ſcripturæ de conjugio ſacerdotum omnibus concilii patribus prætulit in *Concilio Niceno*, ut eſt apud *Socratẽ. l.1.c.11. Major enim eſt Scripturæ ſacræ autoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas.*

*2. Regula.*

2. *Inter duas probabiles opiniones, ea magis eſt eligẽda, quæ nititur aut legis aut juris ſenſu, quàm quæ conſuetudine & uſu recepto.* Nulla enim humana conſuetudo conſcientias humanas obligare poteſt, contra legem divinam aut naturalem. Sic leges jejunii, quoad certa ciborum genera, certosque dies, utut longâ conſuetudine introducta, non obligant conſcientias, quia ſunt contra legem Apoſtolicam *Col. 2, 16. Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum &c.*

*3. Regula.*

3. *In opinionibus duabus vel pluribꝰ de rebus pœnalibus & odioſis, amplectẽda, quæ benignior & mitior eſt*, juxta regulam juris: *pœnæ & odia ſunt reſtringenda*, e.g. cùm de pœnâ excommunicationis agitur, ſunt, qui opinantur, excommunicatum non eſſe ſalutandum, nec ullum ei benevolentiæ ſignum exhibendum. Alii verò à ſalutationibus & colloquio omni ipſos arcendos eſſe negant: quæ poſterior ſententia quia mitior, ideò tutior in conſcientia. Etſi enim familiaris cum excommunicatis converſatio vitanda eſt, ne videatur diſciplina Eccleſiaſtica contemni: animus tamen benevolus erga ipſos, ſalutisque ipſorum cupidus deponi non debet, ideoque, ubi opus fuerit, & adhortandi ſunt ad pœnitentiam, & conſolandi, quia excommunicatio ſe non latiùs extendit, quàm charitas Chriſtiana.

*An & quomodo excommunicati ſint vitandi.*

4. *Cum opiniones duæ ſunt pares, quoad autorum numerum, ſequenda ea eſt, quæ tutior*, e.g. opinantur aliqui Eunuchum contrahere poſſe matrimonium, alii verò negant, poſterior ſententia tutior eſt, ideò ſequenda. Hac autem regula valet, cùm quis ſpeculativè dubitat de aliquo facto, & non poteſt ex certis principiis practicis elicere, an ſic & nunc liceat ſibi hoc facere, nec ne: tunc enim eligere debet, quod tutiùs eſt: quando autem ſpeculativè quidem eſt dubius, propter opiniones contrarias probabiles, practicè autem certus, tunc non ſemper valet: nam utraque opinio practicè, & ex principiis practicis tuta apparere poteſt, tunc utrum vult, eligere poteſt. *Vide Becanũ part. 2. Theol. Schol. tract. 1. Cap. 4. quæſt. 1 §. 4.* *4. Regula.*

5. *Opinio ſtrictè & propriè ſumta eſt cum formidine & dubitatione partis oppoſitæ, & tunc eligendum id, quod tutius eſt.* Si verò quis ita opinetur, ut nullam dubitationem habeat, tunc in agendo poteſt opinionem etiam minùs tutam ſequi, quia ei certò & *5. Regula.*

C citra

citra ullam dubitationem adhæret, e. g. qui melius eſſe putat filiam ſuam non elocare, ita, ut de opinionis ſuæ veritate non dubitet, licet opinionis ſuæ infallibiles planè rationes non habeat, rectè facit, ſi eam non elocet. Quæ eſt ſententia Apoſtoli *Pauli* 1. *Cor.* 7, 37. *qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit.*

6. Regula. 6. *Si opinio minùs tuta, probabilior & communis eſt, eam in agendo nobis ſequi licet.* Ea autem dicitur *probabilior*, quæ firmioribus & melioribus rationibus fulcitur: *communis*, quàm communiter omnes ſectantur, e. g. opinantur aliqui, peccare judicem, ſi, quem ipſe novit innocentem, ſed juxta acta probata in judicio convictum, non condemnet: Opinantur alii, peccare ipſum, ſi condemnet. Prior ſententia, etſi minùs tuta videtur, probabilior tamen eſt, & communiter obſervatur, ideò poſteriori præferenda.

7. Regula. 7. *Opinio probabilior in agendo præferenda eſt communi*: nam in opinionibus ſententiæ non numerantur, ſed ponderantur. Ita communis eſt opinio apud Calvinianos, licitum eſſe etiam alio liquore, quàm aquâ baptiſare, ſed probabilior eſt & inſtitutioni Baptiſmi convenientior opinio, non niſi aquâ baptiſandum eſſe: hæc ergò potius eligitur.

*Aquâ potius quàm alio liquore baptiſandum eſt.*

8. Regula. 8. *Sententia, in qua plures unum aliquid ſentiunt, in foro conſcientiæ non eſt probabilior judicanda.* Nam in ſuffragiis ferendis major pars non rarò meliorem vincit: ideò Dominus in lege dixit: *non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum adquieſces ſententiæ, ut à vero devies Exod.* 23, 2. Plura de opinionum ſelectu in foro conſcientiæ vid. apud *Ioan. Azorium tom.* 1. *Inſtitut. Moral. lib.* 2. *c.* 17. *Satis de conſcientia opinabili.*

## CAPUT X.

## *De Conſcientia ſcrupuloſa.*

*Quid ſit ſcrupuloſa conſcientia?*

S*Crupuloſa conſcientia eſt, cùm quis in quæſtione ad actionem pertinẽte uni parti adhæret, ſed motus rationibus levibus ab actione deterretur, & ſic veluti perpetuâ animi formidine & anxietate torquetur.* Practicè ergò judicat ſibi licitum eſſe facere, quod facit, ſpeculativè autem dubitat, cum quadam anxietate & timore, ne fortè ſit illicitum.

*Unde dicatur ſcrupuloſa?*

Nomen habet *à ſcrupo vel ſcrupulo*, qui eſt lapillus in calceo hominem lædens, & in inceſſu impediens: talis enim cura & anxietas hominis animum vexat, & in actionibus impedit.

*Quomodo differat à dubia?*

Differt ſcrupuloſa conſcientia à dubia. Nam qui dubius eſt, neutri parti quæſtionis aſſentitur, qui verò ſcrupuloſus, uni parti quæſtionis aſſentitur, de oppoſita autem dubitat,

Digitized by Google

dubitat, an fortè ſit verior: qui dubius eſt, propter probabiles utriuſque partis rationes dubitat, ſcrupuloſus verò propter leviuſcula quædam argumenta, interdum etiam planè ſine causâ hæſitat.

*Unde oriatur? Septem ſunt cauſæ ſcrupuloſæ conſcientiæ. 1. Inſcitia. 2. Diaboli ſuggeſtio.*

Oritur ſcruploſa conſcientia 1. *Ex inſcitia*, ſicut homines indocti & inexperti, dum maximè pii & cauti eſſe volunt, incidunt facilè in ſcrupulos conſcientiæ. 2. *Ex ſuggeſtione Diaboli*, qui phantaſiam hominis turbat, exterioribus ſenſibus illudit, ad peccata varia inſtigat, & poſt peccata ad deſperationem tentat.

*3. Imbecillitas capitis.*

3. *Ex imbecillitate capitis*, cum læduntur organa ſenſuum & paulatim etiam imaginatio, ut homo ſibi omnia etiam bona in malam partem imaginetur.

*4. Mala corporis conſtitutio.*

4. *Ex mala corporis conſtitutione*, quam cauſantur jejunia, vigiliæ, ſtudia nimia, curæ & ſollicitudines, quæ hominem frigidum & exinde timidum reddunt.

*5. Temperamentum melancholicum & frigidum.*

5. *Ex temperamento melancholico & frigido*, quod pronum eſt ad formidinem & timiditatem, unde & fœminæ, vetulæ inprimis, ſcrupulis ſunt obnoxiæ.

*6. Conſortium hominum ſcrupuloſorum.*

6 *Ex conſortio hominum ſcrupuloſorum: nam claudus claudo cohabitans claudicare diſcit.*

*7. Singularis Dei providentia.*

7. *Ex ſingulari Dei providentia*, qui homines vel ob peccata admiſſa, vel ob ſalutem & divinas cogitationes in ipſis excitandas, ejuſmodi ſcrupulis exercet.

*Duobus modis quis habere poteſt conſcientiã ſcrupuloſam*

Duobus autem modis habere quis poteſt conſcientiam ſcrupuloſam: 1. *De rebus præteritis*, cum quis anxius eſt de vita anteacta, an per omnia legi divinæ conformis fuerit, an officium ſuum per omnia fecerit, an hoc aut illud omiſerit? 2. *De rebus præſentibus & futuris*; an liceat illis hoc vel illud facere, an gratiâ Dei ſint præditi, an in bono vitæ ſtatu, quid de ipſis futurum ſit &c. Huc pertinet illud, quod *Gerſon de conſcientia arcta & ampla* ſcripſit, *part. 3 de divers. diab. tentat: Diabolus arctam & amplam conſcientiam ſuadet*, inquit, *arctam, ne quid boni audeat efficere, ut etiam crebriùs delinquat homo: ſcit enim eſſe peccare, qui id agit, quod pro certo conſcientia malum eſſe judicat, quamquam res in ſe mali habeat nihil &c. Nonnunquam reddit hoſtis ante commiſſum, conſcientiam ſecuram & amplam ne poſtmodum pœniteat, &c.*

*1. De rebus præteritis.*

*2. De rebus præſentibus & futuris.*

*Conſcientia ſcrupuloſa ſeptë mediis & remediis exui debet & poteſt.*

Talis conſcientia non obligat, quiâ nullâ certâ nec probabili ratione nititur: igitur deponenda eſt, & certis remediis exuenda. 1. *Ardentibus precibus*, ne Deus gratiâ ſuâ nos deſtituat, ſed hæſitanti conſcientiæ ſuccurrat, ut faciamus, quod rectum eſt coram ipſo.

*1 Precibus.*

*2. Pœnitentiâ.*

*In verè pœnitentibus gratia Dei ſuperat delictum.*

2. Si ſcrupulus eſt de peccatis præteritis & vitâ anteactâ, confugiat ad *pœnitentiam*, non dubitans, in verè pœnitentibus gratiam Dei ſuperare delictum, juxta illud: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur Iſa. 1. 8.* vitam anteactam non ſecundum merita ſua, ſed ſecundum miſericordiam Dei æſtimet, cogitans illud *Auguſtin. lib. 9. Confeſſ. cap. 13. Væ etiam*

*iam laudabili vita hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam, quia verò nō exquiris delicta vehemēter, fiducialiter ſperamus, aliquem apud te locum invenire indulgentiæ.*

*3. Contemtu Satanæ ludibrij & ſpiculorum.*

3. Scrupulos illos tanquam Satanæ tela *contemnat*, locum eis non relinquat, filium Dei ſe in Baptiſmo factum recordetur, in quem nullum jus habeat Satan.

*4. Spe certâ de perſeverantiâ ſuâ.*

4. De perſeverantiâ ſuâ in bono non nimium ſit ſollicitus, modò *propoſitum peccandi non habeat*, cætera benè habebunt, & licet non omnia, ſemper ad votum ſuum faciat, ſatis tamen eſt, quod ad Dei nutum.

*5. Bonorum & doctorum conſilio.*

*Vox amici, vox Dei.*

5. *Conſulat bonos & doctos*, inprimis autem animi ſui anguſtias in ſinum *paſtoris* ſui effundat, & monitis eius obtemperet: *nam vox amici, vox Dei*, & de miniſtris verbi ſui Salvator dicit *Luc.* 10. *qui vos audit, me audit.*

*6. Erga ſuperiorem obſequio.*

6. Scrupulis ſuis, *præcepta ſuperioris ſui anteponat*: ita enim *Bernhard.* cuidam homini ſcrupuloſo ſcrupulos ſuos exemiſſe legitur. Nam cum is præ anxietate cordis, ſacra facere non auderet, dixit ei *Bernhardus: vade, & mea fide cōfiſus ſacrifica*, quod poſtquam fecit, à ſcrupulis deinceps liber & ſolutus penitus evaſit, referente *Gerſone part. 2. tract. de præparat. ad miſſam conſiderat. 3. & B. Luthero de abuſu Miſſæ tom. 1. Ien. germ. fol. 29.*

*7 Chriſti Ieſu recordatione & [illegible]*

7. Denique triſtiſſimis cordis cogitationibus *opponatur ſuaviſſimus vultus Domini noſtri Ieſu Chriſti*, qui omnes laborantes & ſub onere gementes ad ſe vocat, propenſus ad ignoſcendum, & promtus ad juvandum in quacunque neceſſitate.

*Medici quoque utiliter hic adhiberi poſſunt.*

His ferè modis ſcrupuloſæ conſcientiæ omnium optimæ conſulitur: quam tamen ad rem, ſi medicorum quoque opera adhibeatur, qui cerebri imbecillitati ſuccurrant, magnam ad reſtitutionem hominis momentum addetur.

## CAPUT XI.

## *De Conſcientia bona & mala.*

*Conſcientia minùs propriè diſtinguitur in bonam & malam.*

USitatiſſima eſt hæc conſcientiæ diſtinctio: ſed minùs propriè conſcientia vocatur vel bona vel mala: nam bonitas vel malitia non eſt in ipſa conſcientia, ſed in actionibus, de quibus conſcientia judicat, an bonæ ſint vel malæ: hinc conſcientia per metonymiam bona vel mala appellatur.

*Quando cōſcientia bona appelletur?*

*Cùm ergò conſcientia de actione noſtra judicat, quod bona ſit & legi conformis, conſcientia bona appellatur.* 1. *Tim.* 1, 19. Ratio nominis eſt, partim, quia cum norma pietatis & honeſtatis conſentit, partim, quia, bonum & tranquillum facit animum, ab omni pudore, triſtitiâ & morſu liberum.

*Quare dicatur bona.*

*Quomodo Scriptura vocet bonā conſcientiā?*

Scriptura vocat *καθαρὰν συνείδησιν*, 2. *Tim.* 1. *v.* 3. *puram conſcientiam*; ab omni labe atque maculâ enormis delicti emaculatam: *καλὴν*

συνεί-

συνείδησιν, *pulchram conscientiam*, *Hebr.* 13, 18. Eò, quòd hominis sibi benè conscii animus splendore virtutum niteat: ἀπρόσκοπον συνείδησιν. *Act.* 24, 16. *conscientiam offensa inexpertem*, quia testatur, hominem in facto de quo judicat, *non offendisse cōscientiam Dei* 1. *Pet.* 2, 19. nam, qui eam habet, regitur Spiritu Dei, & vivit in timore Dei, ad voluntatem quoque Dei in perferendis adversis se obligatum in conscientia novit. Clemens Alexandrinus vocat εὐσυνειδησίαν, quæ vox superioribus respondet.

*Quid sit bona conscientia?* Est *ergò bona conscientia læta & tranquilla cogitatio cordis, de rebus nostris, juxta legem Dei & naturæ, benè, piè, rectè, candidèq; administratis, de quibus, licet alij minùs dextrè judicent, cor tamen nostrum testificatur, contra calumnias excusat, nosq; latos intrepidosq; reddit. Bona cōscientia est, inquit Bernhard. de inter. dom. c. 20. quæ peccata præterita punit, & punienda committere refugit, quæ, si peccata sentiat, peccato non consentit, quam si cogitatio inquinat, ratio lavat.*

*Officia bonæ conscientiæ sunt quatuor; primū est excusationis.* Quatuor sunt officia bonæ conscientiæ, 1. *excusare*, si judicia sinistra ferre cogimur. *Hinc cogitationes hominum invicē excusare dicuntur Rom.* 2, 15. 2. *testari de contrario*, nimirum de rebus benè gestis 2. *Cor.* 1, 12. 3. *solari*, cum etiam benè agendo malè audimus *Hebr.* 13, 18. 4. *absolvere*, ab accusatione injusta, 1. *Ioh.* 3, 21. *2 testificationis. 3. consolationis. 4. absolutionis.*

*Elogia bonæ conscientiæ.* Huiusmodi conscientia *optimus est hominis thesaurus, & juge conviviū Proverb.* 15. *v.* 15. *Gregorius* vocat *cor simplex*, & dicit: *Nihil corde simplici felicius, quia, quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet.* Solatium est tutissimum in adversis: Ideo *Iob* in ærumnis suis eo se erigebat, quòd *cor suum ipsum non reprehēderit in omni vita sua Iob* 27, 6. Ethnicus *poeta murum aheneum* appellavit, qui in adversis non frangatur: — — *hic murus aheneus esto* inquit,

*Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.*

*Ausonius, summum hominis bonum nominat.*

*Quænam summa boni: mens quæ sibi conscia recti.*

Similia bonæ conscientiæ elogia passim sunt obvia.

*Distinguenda est bona conscientia à simulata & hypocritica.* Semper autem distinguenda est conscientia bona à simulato studio bonæ conscientiæ, quod est in hypocritis, qui voluntatem Dei vel ignorant, vel scire nolunt, ideò dum vel impia docent, vel mala agunt, conscientiam prætendunt, per quam aliter se posse negant, cùm tamen nihil minus curent, quàm conscientiam, quod in aliis rebus apparet: e. g. Pontifices & Seniores ingredi nolebant curiam, ne polluerentur, hoc erat prætendere conscientiam, & tamen, cùm innocentem damnarent, nullam conscientiæ curam habebant. Sic vesci carnibus die prohibito Pontificii per conscientiam, quam prætendunt, non possunt: sed eo ipso die divino inebriari, aut aliis peccatis lege divinâ prohibitis pollui, nullam jacturam conscientiæ im- *Iejunium Pontificiorum.*



BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

portare putant. Hinc ille non ineleganter de monachis:

*Vos monachi, vestri stomachi sunt amphora Bacchi,*
*Vos estis, Deus est testis, tristissima pestis:*

*Hactenus de bona conscientia.*

*Quando conscientiâ & cur mala appelletur.*

Porrò cùm conscientia de actione nostra judicat, quòd mala sit, & contra legem seu normam pietatis aut honestatis, conscientia mala appellatur: ratio nominis est, *partim*, quia in malis & reprobis hominibus reperitur, *partim*, quia actio ipsa mala est & facinorosa: *partim* etiam, quia malum habet effectum, de quo postea.

*Quomodo in scripturis appelletur mala conscientia?*

Alias in scriptura vocatur *vermis & tinea Esa.51,8. qui nō moritur Esai.* 66,24. *mœror animi. Prov.*15,13. *stimulus in requie Sir.*20,23. *conscientia perturbata Sap.*17,11. *conscientia inquinata Tit* 1,15.

*Definitio malæ conscientiæ sive quid ea sit?*

Est ergò *mala conscientia judicium cordis, accusans & convincens nos alicujus sceleris, reos propterea faciens iræ Dei & pœnarum temporalium ac æternarum*, unde est timor & horror, trepidatio & interdū finalis desperatio.

*Officia quatuor malæ conscientiæ.*
*1 Accusationis.*
*2. Convictionis.*
*3. Condemnationis.*
*4. Cruciatus & afflictionis.*

Quatuor sunt officia malæ conscientiæ: 1. *Accusare hominem*, de quo *Rom.*2. scribitur, *quòd cogitationes se invicem accusent.* 2. *Convincere* peccatorem accusatum, sicut de infidelibus scribitur, quòd *conscientia ipsos convincat Rom.*2,15. 3. *Condemnare* convictum, unde *cor nostrum nos condemnare dicitur*, 1. *Ioh.* 3,21. 4. *Torquere* condemnatum, *de quo Sap.*17,10. *seqq.* prolixè agitur.

*Conscientia mala, mala est bestia.*

Hujusmodi conscientia est *mala bestia*, quæ, ut *Cardinalis ille dicebat*, hominem facit stare contra se.

*Quomodo Moses vocet malam conscientiam.*

In Mose vocatur *cor paviduū Deut.* 28,65. quia malè conscii *omnia tuta timent*: *fugit impius nemine persequente Prov.* 28. *v.*1. Umbram propriam timent, omnes creaturas timent: *terret enim eos sonitus etiam folij volantis Lev.cap.*26,36. *vide Sap.* 17,18 *seqq.* ideò impii comparantur *mari ferventi, quòd quiescere non possint, sed fluctus ejus redundant in conculcationem & lutum Esa.*57,20. *Ieremias* vocat *scutum cordis, Thren.*3,65. *seu cincturam cordis*, quia præ angustiâ cor comprimit, ut nesciat homo talis, quò se vertat.

*Poetarum Mythologia malâ conscientia.*

*Poetæ* conscientiam malam furias nominârunt, quæ hominem sine remissione torquent & flagellant. Ideò dicuntur *pro crinibus angues* habere apud *Tibull l.*1. *eleg.* & apud *Homer. Iliad.* ι dicitur ἠεροφοῖτις ἐριννύς, aërivaga Erinnys, quia volantes ad jussa sceleratorum supplicia convolant. *Tisiphone* punit peccata per iram & odium commissa à τίσις ultio, & φόνος cædes. *Megæra* à μεγαίρειν invidere, punit peccata per invidiam commissa. *Alecto* ab ἄληκτος numquam cessans, quæ titillatio est voluptatum, per quas in peccantes Alecto animadvertit. Nam, ut *Statius* scribit *lib.*3. *Thebaid.*

*— Invigilant animo, scelerisq; patrati*
*Supplicium exercent curæ, tunc plurima versat*
*Pessimus in dubiis augur timor.*

*Nulla*

*Nulla pœna gravior pœnâ conscientiæ, inquit Isidorus lib. 2. solil'oqu.* Vis autem nunquam esse tristis, benè vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet. Bonæ vitæ gaudium semper in pœna est; nunquam securus est reus animus: mens enim mala, conscientiæ propriis gyratur stimulis.

Quemadmodum autem malum est multiplex ita & malæ conscientiæ plures sunt *species*, quarum usitatè *septem* recensentur. 1. *Conscientia cauteriata*, ut *Paulus* nominat, 1. *Tim.* 4, 2. hoc est, igne malitiæ combusta, & veluti stigmate indelebili notata. *Duplex enim est cauteriorum usus*, à quo metaphora hæc desumta est. *Primùm* equi, tauri & verveces candenti ferro castrantur, vel etiam carcinomata & venenata ulcera cauterio aduruntur, & crusta quædam, cutis loco, vulneri inducitur, quæ sensu caret: ita conscientia in multis ita est resecta per malitiam, ut animus planè callum obduxerit, & nullum reverentiæ divinæ sensum percipiat.

*Septem species malæ conscientiæ communiter recensentur.*

*1. Cauteriata.*

*Usus cauteriorum duplex.*

*Deinde* cauteriis notantur etiam malefici vel in fronte vel in alia quadam parte corporis conspicua. Cum hac conscientiæ specie cohæret mens reprobra, quę malum judicat bonum, & bonum malum: Ideò etiam in rebus pessimis nulli stimuli, nullæ punctiones sentiuntur, quia mens semper avida est ad patrandam quamvis impuritatem, de quâ Paulus agit *Rom.* 1, 28. *Eph.* 4, 18.

2. *Conscientia nimis lata*, & est eorum, qui enormia tantùm scelera, furta, adulteria, homicidia & similia pro peccatis habent: reliqua verò, ut ebrietatem, simplicem libidinem, impuras cogitationes, temeraria juramenta, dolos & fraudes in contractibus, & similia planè nulla aut saltem levia peccata esse putant, præsertim, cùm ea impunè patrent. *2. Nimis lata.*

3. *Conscientia perversa*, & est eorum, qui peccata minima, vel etiam nulla pro magnis, & maxima pro nullis habent, sicut olim *Pharisæi*, de quibus *Christus* dixit; *quod culices sugant, & deglutiant camelos Matth.* 23, 24. *3. Perversa.*

4. *Conscientia periculosa*, est, cùm ne quidem maxima peccata multùm curantur, perpetrata oblivioni traduntur, non libenter commemorari audiuntur, sed persuasione misericordiæ Dei obliterantur, quâ ratione tandem certissimum sequi interitum necesse est. *4. Periculosa.*

5. *Conscientia nimis arcta*, quæ eorum est, qui ob frequentes lapsus de misericordia Dei prorsus desperant, ac proinde in iniquitate pergunt, & converti nolunt: hi dicuntur *in reprobũ sensum traditi Rom c.* 1, 28. *qui semetipsos tradiderunt immunditiæ Ephes.* 4, 19. *5. Nimis arcta.*

6. *Conscientia perplexa*, cùm quis inter duo peccata hæret, nesciens quodnam eligere debeat, cùm neutrum sine læsione conscientiæ fieri possit, ubi tutissimum est, avertere se ab utroque, & temporale ali- *6. Perplexa.*

Digitized by Google

tia, vel incogitantia, vel etiam oblivio parit. Suadet enim aliquid eſſe bonum, & vi præcepti faciendum, cùm tamen malum ſit,aut ſaltem non præceptum: vel aliquid eſſe malum & lege prohibitum,quod tamen malum non eſt, nec ullâ lege interdictum, ut ſi quis judicet, licitum eſſe res alienas appetere, ut ſuccurrat pauperi, mentiendum eſſe, ut alterius vita ſervetur: viciſſim, ſi quis putet, die Veneris non licere veſci carnibus.

*Quæſtio. An erronea conſcientia habeat vim nos ſibi obligandi?*

De hac ſpecie conſcientiæ multùm diſputant Scholaſtici, *an habeat vim nos ſibi obligandi*, hoc eſt, ut eam ſequi, & juxta eius præſcriptum agere debeamus, ita ut ſi hoc non fiat, peccetur? Dicunt aliqui conſcientiam errantem ligare quidem, ſed non obligare. Diſtinguunt alii inter præcepta & conſilia: item inter bona neceſſaria & non neceſſaria à tali conſcientia propoſita, inter peccata in ſe, & inter ea, quæ ratione boni finis à conſcientia errante proponuntur &c. & eousque tandem procedunt, ut etiam peccata ab erroneâ conſcientiâ propoſita, facienda eſſe cenſeant. Quâ de re vide *Thomam part. 1. 2. quæſt. 19. art. 1 Iohann. Azorium in Inſtitut. moral. tom. 1. lib. 2. c. 8. Iodocum Lorich. in theſaur. Theol. voce cõſcientia* §. 6 *Becan. part. 2. Theol. Schol. tom. 1. tract. 1. cap. 4. quæſt. 7.* §. 6.

*Varia opiniones ſcholaſticorum.*

Sunt alii, qui conſcientiam errantem nequaquam ita obligare cenſent, ut contra eam facere non liceat, quia judicio ſuo declinat à lege, contra quam nihil eſt faciendum, ideò *Cicero* quoque dixit, *virum bonum in omni vitâ ne quidem latum unguem à recta conſcientia diſcedere*, à recta dixit, non ab erronea vide *gloſſam in cap. Omnes quæſt. 1.* Et Alenſis *part. 2. q. 120. m. 3. docuit*, ſi conſcientia erronea judicaret aliquid eſſe præceptum, quod tamen intrinſecè malum eſſet, tunc conſcientiam non obligare, nec ex ea operari licitum, ſed eam deponendam eſſe; cui contradicit *Becanus loco ſupra allegato*.

*Deciſio quæſtionis.*

Ad decidendam hanc quæſtionem, diſtinguendum videtur inter res à conſcientia erronea propoſitas. *Aut enim ſunt indifferentes, à Deo neq; præcepta neq; prohibita: aut ſunt expreſſa lege definitæ, præcepta vel prohibita.* Si conſcientia erronea inſtigat ad faciendum rem indifferentem, quam putat eſſe divinitus præceptam, tunc contra illam conſcientiam faciendum non eſt, licet id quod fit, præceptum non ſit, quia judicium intellectus in hiſce eſt proxima regula voluntatis: Voluntas ergò judicium intellectus ſequi debet tanquam ducem ſuum, & hoc modo agere, ut eſt ab intellectu propoſitum, *exempli gratiâ*, In primitiva Eccleſiâ Judæi multi ad fidem Chriſti converſi, judicarunt diſcrimen ciborum Leviticum nondum fuiſſe ſublatum, jam ſi quis eorum ad carnis ſuillæ eſum fuiſſet compulſus, peccaſſet utique, quia id dubitante conſcientiâ feciſſet. Idcirco *Paulus* ſcribit, *nihil* quidem *eſſe immundum*

*mundum per ſe, ſed ei, qui exiſtimat immundum eſſe Rom.* 14. *v.* 14. *& v.* 15. addit: *qui ambigit, ſi ederit, condemnatus eſt, quia non edit ex fide.*

*Illuſtratio deciſionis per exempla plura.*

Sic judicat fortè aliquis infirmorum fratrum ab eſu carnium ſibi certo aliquo die neceſſariò abſtinendum eſſe, cum tamen ea res in ſe ſit indifferens, nec lege divina prohibita. Qui hoc in conſcientiâ ſuâ perſuaſus eſt, ſi contrarium faceret, peccaret, quia voluntas à regula ſua deflecteret, nec ipſe de facto ſuo certus eſſe poſſet: *quidquid autem non fit ex fide, peccatum eſt Rom.* 14, 23. hoc eſt, quidquid non fit ex fide conſcientiæ, ſeu ex certa perſuaſione conſcientiæ, vel quod fit titubante conſcientiâ, id Deo gratum eſſe non poteſt. Idcirco *D. Paulus* conſcientiam eius, qui putat *Idolum* eſſe aliquid, *cum nihil ſit, manducatione idolothytorum pollui* ſcribit 1. *Cor.* 8, 7. eumque qui ſuo exemplo ipſum ad veſcendum idolothytis impellit, conſcientiam eius infirmam percutere, & *in Chriſtum peccare cenſet v.* 12. ac proinde etiam iis, qui rectè ſunt inſtituti, abſtinendum eſſe putat ab idolothytis, ſi infirmus quispiam, idolothytum eſſe indicaret, idque propter conſcientiam infirmi, quæ intempeſtiva illa uſurpatione rei in ſe licitæ pollueretur. Opera ergò danda, ut eiuſmodi infirmus errorem deponeret.

*Iuramentũ in ſe eſt res media.*

Sic juramentum eſt in ſeſe res media, quia pro re natâ vel præſtari vel omitti poteſt. Si verò *Anabaptiſta*, qui juramentum habet pro re illicita & divinitùs prohibitâ, à magiſtratu compulſus juraret, utiq; malè faceret, non quaſi juramentum non ſit licitum, ſed quia illud malo modo præſtitit, hoc eſt, contra conſcientiam ſuam, quæ licet erret, quia tamen repugnat, in re per ſe licitâ non fuiſſet negligenda.

Aliter ſtatuendum eſt de rebus lege divinâ expreſſè prohibitis, in quibus conſcientia errare poteſt ex ignorantia. Sed *ignorantia illa eſt vel invincibilis*, h. e. probabilis, & juſta; quia aliundè introducta, ſine culpâ hominis: *vel vincibilis*, ſeu vitioſa & voluntate hominis in animo creata.

*Ignorantia eſt duplex invincibilis & vincibilis.*

Si conſcientia errat ex ignorantia invincibili, & juſtâ, qui ſecundum eam agit, non peccat, quia ſequitur voluntas judicium rationis, licet opinione pravâ, ſed quæ absq; ſua culpâ inſtillata eſt, decepta: *exempli gratia*, Ex pecunia aliena aut iniuſtè parta eleemoſynam dare, peccatum eſt, *non* enim *vult Dominus mercedẽ proſtibuli, aut precium canis afferri domui ſuæ Deut.* 23, 18. ſi quis verò certus eſſet in conſcientia, pecuniam, quam à parente accepit, bonâ fide ſuam & legitimè acquiſitam eſſe; nec alienam, aut malè partam, is, ſi ex ea pecunia eleemoſynam daret, nihil peccaret, ſed in hoc ſuo opere lætari poſſet, non quatenus ex alieno & malè acquiſito fuit liberalis, hoc enim bonâ fide ignoravit: ſed quia ſcit, ſublevationem pauperum eſſe opus miſericordiæ, Deo gratum.

*An & quomodo ex iniuſtè acquiſitâ pecuniâ eleemoſyna danda?*

Sin verò error conſcientiæ eſt ex ignorantia vincibili & vitioſa, pec-



Digitized by Google

cat utique, qui judicium huius conſcientiæ erroneæ ſequitur, utut contrarium *Scholaſtici* nonnulli, & exilis *Ieſuita*, ſtatuunt: nam conſcientia talis nondum ſatis confirmata eſt, ubi regula voluntatis non debet eſſe judicium intellectus infirmum, & voluntariè debilitatum, ſed potiùs ipſa lex Dei: *exempli gratiâ*, furari eſt res illicita. Si conſcientia malâ perſuaſione decepta fuerit, quaſi furandum ſit, ut dari poſſit eleemoſyna, nemo peccaret, qui contra eam faceret. Nam omnibus notum eſſe debebat, partim, quòd furtum in lege ſit prohibitum, partim, quòd non ſunt facienda mala, ut eveniat bonum. Qui autem id licitum putat, ex ignorantiâ craſsâ & vitioſâ, quam vincibilem vocant, peccat. Ac proinde conſcientia, quæ talem errorem fundamenti loco ponit, obligare non poteſt: *nemo enim obligari poteſt ad malum, nec lex inferior poteſt obligare contra legem ſuperioris.* Lex autem Dei eſt: *non faciendum malum,* conſcientia igitur non obligare nos poteſt, ut faciamus malum. Deponendus ergò eſſet hic error, juxta conſilium *Siracidæ: ne demoreris in errore. Sir.* 17, 26. & judicium intellectus juxta legem naturæ ſaltem conformandum, quod fit, cùm judicium ſpeculativum mutatur, puta, furandum non eſſe, ut aliis detur eleemoſyna, quo mutato, facilè etiam mutatur practicum.

*Nemo obligare poteſt ad malum.*

Etſi enim conſcientia lex intellectus dicitur, non tamen eſt ſuprema lex, quia ſupra ipſam eſt lex alia, quam Deus in verbo propoſuit, ex parte etiam hominum mentibus inſevit, & poſtea digitis ſuis tabulis inſculpſit, à quâ lege cùm recedit, non eſt ſequendus eius ductus, quia *conſcientia eſt præco legis*, ut ſupra diximus, quemadmodum ergò præco medius eſt inter regem & populum, quem populus audire non tenetur, ſi quid contra regem pronunciat: ita conſcientia intermedia eſt inter Deum & nos, qui eam ſequi non debemus, ſi quid contra Deum ſtatuit.

*Conſcientia eſt lex intellectus ſed nō ſuprema.*

*Conſcientia eſt præco legis.*

Benè ergo monet *Bonaventura diſt. 39. lib. 2. quæſt. 3. ſub fin. Nemo ex conſciẽtia perplexus eſt, niſi ad tempus, videlicet quamdiu conſcientia manet, nec tamen eſt perplexus ſimpliciter, pro eo, quòd debet illam conſcientiam deponere, & ſi neſcit legẽ Dei, debet ſapientiores conſulere, vel per orationem ſe ad Deum convertere ſi humanũ conſilium deeſt, alioquin ſi negligens eſt, verificatur in eo, quod dicit Apoſtolus: qui ignorat, ignorabitur,* 1. *Cor.* 14. Et præclarum omninò eſt, quod de obligatione conſcientiæ erroneæ ex *Gabriele diſt. 39. q. un art. 3. d. 2. l. 2.* ſcribit *Iohan. Altẽſtaig in lexico Theol. fol.* 189. *Conſcientia erronea etiam obligat, ſed non ſicut recta, non enim obligat ad faciendum, quod contra legem dictat, credens ſe conformiter legi dictare, quia tunc obligaret contra legem, & per conſequens teneretur quis facere contra legẽ: & cùm lex obliget ad ſui obſervantiam, ſimul quis obligaretur ad oppoſita incompoſſibilia, quod eſt abſurdum.*

Obligat ergò conſcientia erronea ad deponendum eam, vel ad deponen-

ponendum errorem, non vinculo conſcientiæ hoc dictantis, quia ei e-ditur non erronea, ſed vinculo divini præcepti, quia d.citur *Eccl. 17. ne demoreris in errore, &c.*

*Quæſtio. Si quis perſuaſus ſit, ſe baptiſatũ eſſe, cùm tamen baptiſatus non ſit, an baptiſmus ei conferri debeat? Deciſio.*

Ex hac doctrinâ reſponderi poteſt ad quæſtionem; *Si quis perſuaſus ſit, ſe baptiſatum eſſe, cùm tamen baptiſatus non ſit; an baptiſmus ei conferri debeat?* Nam perſuaſio illa ex errore eſt. Si error eſt *invincibilis*, ita, ut homo certiſſimè credat ſe baptiſatum eſſe, tunc pro baptiſato haberi debet. Si verò error eſt *vincibilis*, hoc eſt, perſuaſio tantùm conjecturis nititur, tunc conferendus eſt baptiſmus, ne errore depoſito, conſcientia tandem ipſi moleſtiam creet. *Sed hæc de conſcientia erronea ſufficiat.*

## CAPUT VIII.

## *De conſcientia dubia.*

*Quid ſit conſcientia dubia?*

D*Ubia conſcientia eſt, quæ de opere aliquo nihil certi judicat, ſed ſuſpenſa hæret inter utrumque, ignorans, an quod occurrit, faciendum ſit, vel omittendum.*

*Quotuplex ſit conſcientia dubia?*

Eſt autem dubia vel *practicè* vel *ſpeculativè: practicè*, cum quis in ipſo exercitio actionis dubitat, an rectè agat vel ſecus, ut ſi quis, prodendo hoſtem, dubitet, an rectè faciat: *Speculativè*, cum quis extra exercitium actionis dubius eſt, an actio illa licita ſit, ut, an liceat hoſtem prodere? Fitque conſcientia dubia, partim ob ignorantiam rerum, partim

*Unde conſcientia fiat dubia?*

ob opiniones contrarias, partim ob eventus dubios, eoſque vel leviores vel graviores, quos vir prudens facilè dijudicare poteſt.

*Dubitatio ex eventis* eſt de opere jam patrato: quia enim alteri benè, alteri malè ceſſit, hinc dubitant, qui eventibus facta æſtimant, an opus ipſum ſit licitum vel illicitum.

*Dubitatio ex opinionibus contrariis & ex ignorantia* eſt de opere & faciendo & jam facto, quia enim de bonitate operis nil certi conſtat, dubium oritur, an ſit faciendum; vel cum jam factum eſt, an rectè factum vel ſecus; an laude vel vituperio dignum.

*Opiniones ſunt duplices, probabiles & improbabiles.*

Opiniones ſunt *vel probabiles*, quæ vel ratione alicuius momenti, vel gravi autoritate nituntur: *vel improbabiles*, quæ nec rationem ſufficientem nec autoritatem gravem habent: *Ex improbabili opinione nihil faciendum eſt*, tale enim factum planè eſſe temerarium.

*Ignorantia eſt duplex: juris & facti.*

Ignorantia eſt duplex; *alia juris, alia facti. Ignorantia juris* vocatur hîc, cùm quid juris ſit ignoratur, non perpenſis rerum circumſtantiis, ut cum dubitatur, an mentiri liceat propter certum finem, puta, ob redimendam vitam; vel, cum concurrentibus duobus præceptis, dubitatur, utrum alteri ſit præferendum, ut, an die Dominico præſtet audire concionem, an domi curare ægrotum? *Ignoratia facti eſt*, cùm factum ipſum, an licitum ſit, nec ne, ignoratur, ut cùm quis dubitat, an contractus aliquis ſit licitus, an con-

Digitized by Google

concubitus in matrimonio sit honestus? Hæc conscientiæ species practicè neminem obligat, donec dubitationem deponat, & ex justis rationibus statuat, hanc rem hoc in loco ac tempore licere.

Fieri tamen potest, ut quis in dubio speculativè dubitet, practicè tamen de re aliquâ certus sit, & tunc non peccat, ut, dubitare quis potest, an hoc bellum sit licitum, cum tamen in praxi certus sit, sibi licitum esse militare in hoc bello, quæ certitudo est ex principiis practicis, quia scit, dum nondum constat de iniustitia belli, quemlibet obedire debere suo principi, à quo si militare jubetur, denegare non potest, donec iniustitia belli omnibus manifesta fiat.

Quod si in dubio, una pars tutior, melior & difficilior est alterâ, eligatur id, quod tutius & melius est, minoriq; cum difficultate conjunctum: quo in genere si quis sibi ipsi non sufficit, aliorum consilia audiat, & Deum, ut ipse quod optimum est eligat, seriò oret. Si verò utraque pars æquale malum vel bonum secum ferat, eligat & sequatur, quod prævijs precibus Deus cœlesti suo digito monstraverit, seu quo Deus voluntatem hominis inclinaverit. *Nam sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Dei, quocũq; voluerit, inclinabit illud Psal. 21, 1.* Qui ergò in rebus dubiis vias suas precibus commisit Deo, is certus esse potest, quòd quicunque parti in dubio se submiserit, id secundùm Dei nutum factum sit, *qui, quod secundum voluntatẽ eius petitur, nemini denegabit 1. Joh. 5, 14. Vide dictum Bonaventuræ praecedenti capite.*

*In rebus dubitantè omnia ad Deũ, per preces confugiendum; interdum & aliorum consilia audienda.*

## Caput IX.

## *De Conscientia opinabili.*

*Quid sit opinabilis conscientia.*

*Opinabilis conscientia est, quæ probabiliter judicat partem alteram honestam esse in aliquo opere, cui & assentitur, timet tamen, ne fortè & altera pars contraria honesta sit, quia notitia sua probabilem saltem rationem habet.*

*Unde oriatur?*

Oritur ergò ex probabilibus illis rationibus, quæ assensum stabilire non possunt, ideò non solidam scientiam, sed qualemcunque opinionem generant. *Non* obligat, cùm opinio planè est improbabilis, quia judicium practicum, quod ei innititur, est temerarium. Si verò opinionem improbabilem haberet aliquis pro probabili, tunc est conscientia erronea, de quâ paulò antè diximus. *Nec obligat*, cùm opinio saltem nititur pluralitate ita sentientium, quia *multitudo errantium, non facit errori patrocinium.* Cum ergò opinionem aliquam, non ob assensum aliorum, sed ob causas probabiles pro verâ habes, *obligatus es* in conscientia, ne contra eam agas, licet superiores aliud à te exigant, donec rationes veriores audias in contrarium, ad quas audiendas semper paratus esse debes, & opinionem tuam, auditâ meliore sententiâ, deponere.

*Quando cõscientia opinabilis obliget, aut non?*

Et

*Regulæ quæ ſunt in rebus opinabilibus accuratè obſervandæ.*

Et huc pertinent *regulæ* in rebus opinabilibus, ad ſalvandam conſcientiam obſervandæ 1. *In rebus fidei una ſcripturæ ſententia, præferenda eſt opinionibus doctorum etiam graviſſimorum, ipſis etiam conciliorum & Pontificū decretis*, quo pacto *Paphnutius* ſententiam ſcripturæ de conjugio ſacerdotum omnibus concilii patribus prætulit in *Concilio Nicæno*, ut eſt apud *Socratē. l. 1. c. 11. Major enim eſt Scripturæ ſacræ autoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas.*

*1. Regula.*

*2. Regula.*

2. *Inter duas probabiles opiniones, ea magis eſt eligēda, quæ nititur aut legis aut juris ſenſu, quàm quæ conſuetudine & uſu recepto.* Nulla enim humana conſuetudo conſcientias humanas obligare poteſt, contra legem divinam aut naturalem. Sic leges jejunii, quoad certa ciborum genera, certosque dies, utut longâ conſuetudine introducta, non obligant conſcientias, quia ſunt contra legem Apoſtolicam *Col. 2, 16. Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum &c.*

*3. Regula.*

3. *In opinionibus duabus vel pluribus de rebus pœnalibus & odioſis, amplectēda, quæ benignior & mitior eſt*, juxta regulam juris: *pœnæ & odia ſunt reſtringenda*, e. g. cùm de pœnâ excommunicationis agitur, ſunt, qui opinantur, excommunicatum non eſſe ſalutandum, nec ullum ei benevolentiæ ſignum exhibendum. Alii verò à ſalutationibus & colloquio omni ipſos arcendos eſſe negant: quæ poſterior ſententia quia mitior, ideò tutior in conſcientia. Etſi enim familiaris cum excommunicatis converſatio vitanda eſt, ne videatur diſciplina Eccleſiaſtica contemni: animus tamen benevolus erga ipſos, ſalutisque ipſorum cupidus deponi non debet, ideóque, ubi opus fuerit, & adhortandi ſunt ad pœnitentiam, & conſolandi, quia excommunicatio ſe non latiùs extendit, quàm charitas Chriſtiana.

*An & quomodo excommunicati ſint vitandi.*

4. *Cum opiniones duæ ſunt pares, quoad autorum numerum, ſequenda ea eſt, quæ tutior*, e. g. opinantur aliqui Eunuchum contrahere poſſe matrimonium, alii verò negant, poſterior ſententia tutior eſt, ideò ſequenda. Hæc autem regula valet, cùm quis ſpeculativè dubitat de aliquo facto, & non poteſt ex certis principiis practicis elicere, an ſic & nunc liceat ſibi hoc facere, nec ne; tunc enim eligere debet, quod tutiùs eſt: quando autem ſpeculativè quidem eſt dubius, propter opiniones contrarias probabiles, practicè autem certus, tunc non ſemper valet: nam utraque opinio practicè, & ex principiis practicis tuta apparere poteſt, tunc utrum vult, eligere poteſt. *Vide Becanū part. 2. Theol. Schol. tract. 1. Cap. 4. quæſt. 1. §. 4.*

*4. Regula.*

5. *Opinio ſtrictè & propriè ſumta eſt cum formidine & dubitatione partis oppoſitæ, & tunc eligendum id, quod tutius eſt.* Si verò quis ita opinetur, ut nullam dubitationem habeat, tunc in agendo poteſt opinionem etiam minùs tutam ſequi, quia ei certò &

*5. Regula.*



Digitized by Google

citra ullam dubitationem adhæret, e. g. qui melius eſſe putat filiam ſuam non elocare, ita, ut de opinionis ſuæ veritate non dubitet, licet opinionis ſuæ infallibiles planè rationes non habeat, rectè facit, ſi eam non elocet. Quæ eſt ſententia Apoſtoli *Pauli* 1. *Cor.* 7, 37. *qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit.*

6. Regula. 6. *Si opinio minùs tuta, probabilior & communis eſt, eam in agendo nobis ſequi licet.* Ea autem dicitur *probabilior*, quæ firmioribus & melioribus rationibus fulcitur: *communis*, quàm communiter omnes ſectantur, e. g. opinantur aliqui, peccare judicem, ſi, quem ipſe novit innocentem, ſed juxta acta probata in judicio convictum, non condemnet: Opinantur alii, peccare ipſum, ſi condemnet. Prior ſententia, etſi minùs tuta videtur, probabilior tamen eſt, & communiter obſervatur, ideò poſteriori præferenda.

7. Regula. 7. *Opinio probabilior in agendo præferenda eſt communi*: nam in opinionibus ſententiæ non numerantur, ſed ponderantur. Ita communis eſt opinio apud Calvinianos, licitum eſſe etiam alio liquore, quàm aquâ baptiſare, ſed probabilior eſt & inſtitutioni Baptiſmi convenientior opinio, non niſi aquâ baptiſandum eſſe: hæc ergò potius eligitur.

*Aquâ potius quàm alio liquore baptiſandum eſt.*

8. Regula. 8. *Sententia, in qua plures unum aliquid ſentiunt, in foro conſcientiæ non eſt probabilior judicanda.* Nam in ſuffragiis ferendis major pars non raró meliorem vincit: ideò Dominus in lege dixit: *non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum adquieſces ſententiæ, ut à vero devies Exod.* 23, 2. Plura de opinionum ſelectu in foro conſcientiæ vid. apud *Ioan. Azorium tom.* 1. *Inſtitut. Moral. lib.* 2. *c.* 17. *Satis de conſcientia opinabili.*

## CAPUT X.

## *De Conſcientia ſcrupuloſa.*

*Quid ſit ſcrupuloſa conſcientia?*

*SCrupuloſa conſcientia eſt, cùm quis in quæſtione ad actionem pertinēte uni parti adhæret, ſed motus rationibus levibus ab actione deterretur, & ſic veluti perpetuâ animi formidine & anxietate torquetur.* Practicè ergò judicat ſibi licitum eſſe facere, quod facit, ſpeculativè autem dubitat, cum quadam anxietate & timore, ne fortè ſit illicitum.

*Unde dicatur ſcrupuloſa?*

Nomen habet *à ſcrupo vel ſcrupulo*, qui eſt lapillus in calceo hominem lædens, & in inceſſu impediens: talis enim cura & anxietas hominis animum vexat, & in actionibus impedit.

*Quomodo differat à dubia?*

Differt ſcrupuloſa conſcientia à dubia. Nam qui dubius eſt, neutri parti quæſtionis aſſentitur, qui verò ſcrupuloſus, uni parti quæſtionis aſſentitur, de oppoſita autem dubitat,

dubitat, an fortè sit verior: qui dubius est, propter probabiles utriusque partis rationes dubitat, scrupulosus verò propter leviuscula quædam argumenta, interdum etiam planè sine causâ hæsitat.

*Unde oriatur? Septem sunt causæ scrupulosæ conscientiæ. 1. Inscitia. 2. Diaboli suggestio.*

Oritur scrupulosa conscientia 1. *Ex inscitia*, sicut homines indocti & inexperti, dum maximè pii & cauti esse volunt, incidunt facilè in scrupulos conscientiæ. 2. *Ex suggestione Diaboli*, qui phantasiam hominis turbat, exterioribus sensibus illudit, ad peccata varia instigat, & post peccata ad desperationem tentat.

*3. Imbecillitas capitis.*

3. *Ex imbecillitate capitis*, cum læduntur organa sensuum & paulatim etiam imaginatio, ut homo sibi omnia etiam bona in malam partem imaginetur.

*4. Mala corporis constitutio.*

4. *Ex mala corporis constitutione*, quam causantur jejunia, vigiliæ, studia nimia, curæ & sollicitudines, quæ hominem frigidum & exinde timidum reddunt.

*5. Temperamentum melancholicum & frigidum.*

5. *Ex temperamento melancholico & frigido*, quod pronum est ad formidinem & timiditatem, unde & fœminæ, vetulæ inprimis, scrupulis sunt obnoxiæ.

*6. Consortium hominum scrupulosorum. 7. Singularis Dei providentia.*

6 *Ex consortio hominum scrupulosorum: nam claudus claudo cohabitans claudicare discit.* 7. *Ex singulari Dei providentia*, qui homines vel ob peccata admissa, vel ob salutem & divinas cogitationes in ipsis excitandas, ejusmodi scrupulis exercet.

*Duobus modis quis habere potest conscientiam scrupulosam.*

Duobus autem modis habere quis potest conscientiam scrupulosam: 1. *De rebus præteritis*, cum quis anxius est de vita anteacta, an fuerit, an officium suum per omnia fecerit, an hoc aut illud omiserit? 2. *De rebus præsentibus & futuris*; an liceat illis hoc vel illud facere, an gratiâ Dei sint præditi, an in bono vitæ statu, quid de ipsis futurum sit &c. Huc pertinet illud, quod *Gerson de conscientia arcta & ampla* scripsit, *part. 3 de divers. diab. tentat: Diabolus arctam & amplam conscientiam suadet*, inquit, *arctam, ne quid boni audeat efficere, ut etiam crebriùs delinquat homo: scit enim esse peccare, qui id agit, quod pro certo cõscientia malum esse judicat, quamquam res in se mali habeat nihil &c. Nonnunquam reddit hostis ante commissum, conscientiam securam & amplam ne postmodum pœniteat, &c.*

*1. De rebus præteritis. 2. De rebus præsentibus & futuris.*

*Conscientia scrupulosa septẽ mediis & remediis exui debet & potest. 1 Precibus.*

Talis conscientia non obligat, quià nullâ certâ nec probabili ratione nititur: igitur deponenda est, & certis remediis exuenda. 1. *Ardentibus precibus*, ne Deus gratiâ suâ nos destituat, sed hæsitanti conscientiæ succurrat, ut faciamus, quod rectum est coram ipso.

*2. Pœnitentia. In verè pœnitentibus gratia Dei superat delictum.*

2. Si scrupulus est de peccatis præteritis & vitâ anteactâ, confugiat ad *pœnitentiam*, non dubitans, in verè pœnitentibus gratiam Dei superare delictum, juxta illud: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur Esa. 1, 18.* vitam anteactam non secundum merita sua, sed secundum misericordiam Dei æstimet, cogitans illud *Augustin. lib. 9. Confess. cap. 13. Væ etiam*

*iam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam, quia verò nõ exquiris delicta vehemẽter, fiducialiter speramus, aliquem apud te locum invenire indulgentiæ.*

3. *Contemtu Satanæ ludidibrij & spiculorum.* 3. Scrupulos illos tanquam Satanæ tela *contemnat*, locum eis non relinquat, filium Dei se in Baptismo factum recordetur, in quem nullum jus habeat Satan.

4. *Spe certâ de perseverantiâ suâ.* 4. De perseverantiâ suâ in bono non nimium sit sollicitus, modò *propositum peccandi non habeat*, cætera benè habebunt, & licet non omnia, semper ad votum suum faciat, satis tamen est, quod ad Dei nutum.

5. *Bonorum & doctorum consilio.* 5. *Consulat bonos & doctos*, inprimis autem animi sui angustias in sinum *pastoris* sui effundat, & monitis eius obtemperet: *nam vox amici, vox Dei*, & de ministris verbi sui Salvator dicit *Luc.* 10. *qui vos audit, me audit.* *Vox amici, vox Dei.*

6. *Erga superiorem obsequio.* 6. Scrupulis suis, *præcepta superioris sui anteponat*: ita enim *Bernhard.* cuidam homini scrupuloso scrupulos suos exemisse legitur. Nam cum is præ anxietate cordis, sacra facere non auderet, dixit ei *Bernhardus*: *vade, & mea fide cõfisus sacrifica*, quod postquam fecit, à scrupulis deinceps liber & solutus penitus evasit, referente *Gersone part. 2. tract. de præparat. ad missam considerat. 3. & B. Luthero de abusu Missæ tom. 2. Ien. germ. fol. 29.*

7. *Christi Iesu recordatione & cogitatione.* 7. Denique tristissimis cordis cogitationibus *opponatur suavissimus vultus Domini nostri Iesu Christi*, qui omnes laborantes & sub onere gementes ad se vocat, propensus ad ignoscendum, & promtus ad juvandum in quacunque necessitate.

His ferè modis scrupulosæ conscientiæ omnium optimæ consulitur: quam tamen ad rem, si medicorum quoque opera adhibeatur, qui cerebri imbecillitati succurrant, magnam ad restitutionem hominis momentum addetur. *Medici quoque utiliter hic adhiberi possunt.*

## CAPUT XI.

### *De Conscientia bona & mala.*

*Conscientia minùs propriè distinguitur in bonam & malam.* USitatissima est hæc conscientiæ distinctio: sed minùs propriè conscientia vocatur vel bona vel mala: nam bonitas vel malitia non est in ipsa conscientia, sed in actionibus, de quibus conscientia judicat, an bonæ sint vel malæ: hinc conscientia per metonymiam bona vel mala appellatur.

*Quando cõscientia bona appelletur?* *Cùm ergò conscientia de actione nostra judicat, quòd bona sit & legi conformis, conscientia bona appellatur.* 1. *Tim.* 1, 19. Ratio nominis est, partim, quia cum norma pietatis & honestatis consentit, partim, quia, bonum & tranquillum facit animum, ab omni pudore, tristitiâ & morsu liberum. *Quare dicatur bona.*

*Quomodo Scriptura vocet bonã conscientiã.* Scriptura vocat καθαρὰν συνείδησιν, 2. *Tim.* 1. *v.* 3. *puram conscientiam*; ab omni labe atque maculâ enormis delicti emaculatam: καλὴν

καλὴν συνείδησιν, *pulchram conſcientiam*, *Hebr.* 13, 18. Eo, quòd hominis ſibi benè conſcii animus ſplendore virtutum niteat: ἀπρόσκοπον συνείδησιν. *Act.* 24, 16. *conſcientiam offenſæ inexpertem*, quia teſtatur, hominem in facto de quo judicat, *non offendiſſe cõſcientiam Dei* 1. *Pet.* 2, 19. nam, qui eam habet, regitur Spiritu Dei, & vivit in timore Dei, ad voluntatem quoque Dei in perferendis adverſis ſe obligatum in conſcientia novit. Clemens Alexandrinus vocat εὐσυνειδησίαν, quæ vox ſuperioribus reſpondet.

***Quid ſit bona conſcientia?***

Eſt *ergò bona conſcientia læta & tranquilla cogitatio cordis, de rebus noſtris, juxta legem Dei & naturæ, benè,* ***piè, rectè, candideq́; adminiſtratis, de quibus, licet alij minùs dextrè judicent, cor tamen noſtrum teſtificatur, contra calumnias excuſat, noſq́; lætos intrepidoſq́; reddit. Bona cõſcientia eſt, inquit Bernhard. de inter. dom. c. 20. quæ peccata præterita punit, & punienda committere refugit, quæ, ſi peccata ſentiat, peccato non conſentit, quam ſi cogitatio inquinat, ratio lavat.***

***Officia bonæ conſcientiæ ſunt quatuor; primũ eſt excuſationis. 2 teſtificationis. 3. conſolationis. 4. abſolutionis.***

Quatuor ſunt officia bonæ conſcientiæ, 1. *excuſare*, ſi judicia ſiniſtra ferre cogimur. *Hinc cogitationes hominum invicẽ excuſare dicuntur Rom.* 2, 15. 2. *teſtari de contrario*, nimirum de rebus benè geſtis 2. *Cor.* 1, 12. 3. *ſolari*, cum etiam benè agendo malè audimus *Hebr.* 13, 18. 4. *abſolvere*, ab accuſatione injuſta, 1. *Ioh.* 3, 21.

***Elogia bonæ conſcientiæ.***

Huiuſmodi conſcientia *optimus eſt hominis theſaurus, & juge convivium Proverb.* 15. *v.* 15. *Gregorius* vocat *cor ſimplex*, & dicit: *Nihil corde ſimplici felicius, quia, quo innocentiam erga alios exhibet, nihil eſt, quod pati ab aliis formidet.* Solatium eſt tutiſſimum in adverſis: Ideo *Iob* in ærumnis ſuis eo ſe erigebat, quod *cor ſuum ipſum non reprehẽderit in omni vita ſua* Iob 27, 6. Ethnicus *poeta murum aheneum* appellavit, qui in adverſis non frangatur: — —— *hic murus aheneus eſto* inquit,

*Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.*

***Auſonius, ſummum hominis bonum nominat.***

***Quænam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.***

Similia bonæ conſcientiæ elogia paſſim ſunt obvia.

***Diſtinguenda eſt bona conſcientia à ſimulata & hypocritica.***

Semper autem diſtinguenda eſt conſcientia bona à ſimulato ſtudio bonæ conſcientiæ, quod eſt in hypocritis, qui voluntatem Dei vel ignorant, vel ſcire nolunt, ideò dum vel impia docent, vel mala agunt, conſcientiam prætendunt, per quam aliter ſe poſſe negant, cùm tamen nihil minus curent, quàm conſcientiam, quod in aliis rebus apparet: e. g. Pontifices & Seniores ingredi nolebant curiam, ne polluerentur, hoc erat prætendere conſcientiam, & tamen, cùm innocentem damnarent, nullam conſcientiæ curam habebant.

***Iejunium Pontificiorum.***

Sic veſci carnibus die prohibito Pontificii per conſcientiam, quam prætendunt, non poſſunt: ſed eo ipſo die divino inebriari, aut aliis peccatis lege divinâ prohibitis pollui, nullam jacturam conſcientiæ im-

*Nulla pœna gravior pœnâ conscientiæ, inquit Isidorus lib. 2. soliloqu.* Vis autem nunquam esse tristis, benè vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet. Bonæ vitæ gaudium semper in pœna est; nunquam securus est reus animus: mens enim mala, conscientiæ propriis gyratur stimulis.

Quemadmodum autem malum est multiplex ita & malæ conscientiæ plures sunt *species*, quarum usitatè *septem* recensentur. 1. *Conscientia cauteriata*, ut *Paulus* nominat, 1. *Tim.* 4, 2. hoc est, igne malitiæ combusta, & veluti stigmate indelebili notata. *Duplex enim est cauteriorum usus*, à quo metaphora hæc desumta est. *Primùm* equi, tauri & verveces candenti ferro castrantur, vel etiam carcinomata & venenata ulcera cauterio aduruntur, & crusta quædam, cutis loco, vulneri inducitur, quæ sensu caret: ita conscientia in multis ita est resecta per malitiam, ut animus planè callum obduxerit, & nullum reverentiæ divinæ sensum percipiat.

*Septem species malæ conscientiæ communiter recensentur. 1. Cauteriata. Usus cauteriorum duplex.*

*Deinde* cauteriis notantur etiam malefici vel in fronte vel in alia quadam parte corporis conspicua. Cum hac conscientiæ specie cohæret mens reprobra, quę malum judicat bonum, & bonum malum: Ideò etiam in rebus pessimis nulli stimuli, nullæ punctiones sentiuntur, quia mens semper avida est ad patrandam quamvis impuritatem, de quâ Paulus agit *Rom.* 1, 28. *Eph.* 4. 18.

2. *Conscientia nimis lata*, & est eorum, qui enormia tantùm scelera furta, adulteria, homicidia & similia pro peccatis habent: reliqua verò, ut ebrietatem, simplicem libidinem, impuras cogitationes, temeraria juramenta, dolos & fraudes in contractibus, & similia planè nulla aut saltem levia peccata esse putant, præsertim, cùm ea impunè patrent. *2. Nimis lata.*

3. *Conscientia perversa*, & est eorum, qui peccata minima, vel etiam nulla pro magnis, & maxima pro nullis habent, sicut olim *Pharisæi*, de quibus *Christus* dixit; *quod culices sugant, & deglutiant camelos Matth.* 23, 24. *3. Perversa.*

4. *Conscientia periculosa*, est, cùm ne quidem maxima peccata multùm curantur, perpetrata oblivioni traduntur, non libenter commemorari audiuntur, sed persuasione misericordiæ Dei obliterantur, quâ ratione tandem certissimum sequi interitum necesse est. *4. Periculosa.*

5. *Conscientia nimis arcta*, quæ eorum est, qui ob frequentes lapsus de misericordia Dei prorsus desperant, ac proinde in iniquitate pergunt, & converti nolunt: hi dicuntur *in reprobũ sensum traditi Rom. c.* 1, 28. *qui semetipsos tradiderunt immunditiæ Ephes.* 4, 19. *5. Nimis arcta.*

6. *Conscientia perplexa*, cùm quis inter duo peccata hæret, nescius quodnam eligere debeat, cùm neutrum sine læsione conscientiæ fieri possit, ubi tutissimum est, avertere se ab utroque, & temporale ali- *6. Perplexa.*

Digitized by Google

ſcurræ, aleatores, litigatores, depeculatores, doloſi in contractibus & ſimiles, quibus nihil frequentiùs in mundo, qui quidem impunè peccant, tortorem tamen ſuum ſentiunt in corde: omnis enim transgreſſio legis, quæ voluntariè & cum delectatione fit, utut pallietur coram mundo, conſcientiam vulnerat.

*Tertium indicium.*

*Tertiò*, tranquillitas & gaudium cordis arguit conſcientiam bonam; anxietas verò metus, & triſtitia malam: hi enim ſunt proprii effectus conſcientiæ, *ut ſuprà diximus.* Et quanquam interdum pii quoq; doleant & metuant, illud tamen fit propter externa quædam & communia mala, quæ etiam fortiſſimos quosque afficiunt; interim cor ipſorum confidit in Domino, *medijs trãquillum in undis eſt, quia ſi cor ipſos non condemnat, fiduciam habent ad Deum 1. Ioan. 3,21.* Sic & impii interdum quandam præ ſe ferunt lætitiam & animoſitatem, ſed manis tantùm prætextus & ſpecies eſt, caret enim vero fundamento, tranquillitate nimirum cordis, quòd, *cum ſibi male conſcium eſt, ſemper præſumit ſæva Sap. 17, 11. non enim eſt pax impiis Eſa. 48.22.57,21.*

*Pii nonnunquam etiam anxietatem in corde habent, ſed non talem, qualem impii.*

*Quartum indicium.*

*Quartò*, cùm quis ſibi non eſt conſcius gravioris alicujus criminis, nec ſe ſentit ad illud propenſum, ſed abhorret ab eo, & patrantes talia deteſtatur & fugit, bonâ fruitur conſcientiâ, licet interdum propter tepiditatem in precibus & amore Dei ſit timidior: nam talis timor eſt filialis, qui cum bonâ conſcientiâ ſtare poteſt, imò conſervat eam. *Beatus, qui ſemper eſt pavidus*, inquit *Salomon Prov. 28,14.* Et oportet nos *ſervire Deo cum timore Pſal. 2,11.* Ita *Iob dicit: verebar omnia opera mea Iob. 9,28.* & tamen alibi ait: *non reprehendit me cor meum, in omni vita mea Iob. 27,6.* quod erat teſtimonium bonæ conſcientiæ.

*Timor pius eſt filialis cum bona conſcientia ſtare poteſt.*

*Quintò*, ſi quis maximè graviſſimè peccavit, pœnitentiam tamen egit, nec de præterito peccato recordando gaudet, ſed abominatur illud, bonam conſcientiam habet, quia, quæ antea peccato fuit polluta, jam per ſanguinem Chriſti ab operibus mortuis eſt mundata *Heb. 9,14.* Hinc *Ioannes* ſcribit: *Si reprehendit nos cor noſtrum, Deus major eſt corde noſtro, 1. Ioh. 3,20.*

*Quintum indicium.*

*Sextò*, qui Deum timet, verbum ejus amat, diligenter orat, proximo libenter inſervit, damna eius prævavet, injurias fert patienter, à peccatis ſe cuſtodit, de lege peccati in membris ſuis conqueritur, & quòd non perfectè in omnibus mandata Dei obſervare poteſt, dolet, pro viribus tamen Deo inſervire annititur, & ut Deus ſuæ imbecillitati ſuccurrat, precatur: is non habet, cur de bona conſcientia dubitet. Hæc enim omnia ſunt opera *Spiritus Dei, qui animam malignam non ingreditur, nec habitat in corpore peccatis polluto Sap. 1, 4.*

*Sextum indicium.*

## Cap. XIII.

### *Quod Chriſtianis imprimis conſcientiæ ratio ſit habenda.*

INdignum ferè eſt profeſſione Chriſtianorum, ſtudium bonæ conſcientiæ multis perſuadere argumentis, ſiquidem in hoc ipſo Chriſtianorum dignitas conſiſtit, quòd de bona conſcientia gloriari poſſunt: qua gloriâ etiam à filiis hujus ſeculi diſtinguuntur.

*Chriſtiani à filiis hujus ſeculi in eo diſtinguuntur, quòd bonâ conſcientiâ gaudeant.*

Sed ea eſt diaboli malitia, ut à multorum oculis hanc curam procul removeat: Ideò rationes obſervandæ ſunt, quæ ad ſtudium bonæ conſcientiæ quemlibet excitare debent. *Primum* faciendum hoc eſt *propter Deum*, qui conſcientiæ puritatem nobis mandavit, quoties vitam immaculatam in verbo à nobis requiſivit, Ideo *ſumma mandati* dicitur *caritas ex corde puro, conſcientia bona & fide non ficta* 1. *Timoth.* 1. v. 5. Hinc eſt illud *Proverb.* 4. *verſ.* 23. *ſupra omnem obſervationem cuſtodi cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Huc pertinet *Chriſti mandatum, ut luceat lux noſtra coram hominibus, ut videãt homines bona opera noſtra, & glorificent patrem, qui in cœlis eſt Matt* 5. 17. *& Pauli* obteſtatio, ut *ſervemus mandatum ſine macula irreprehẽſibile, uſq; ad adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti* 1. *Tim.* 6, 14.

*Rationes quatuor quæ quemlibet ad ſtudium bonæ conſcientiæ inſtigare debent.*

*1. Propter Deum.*

Deinde *propter ſanctos angelos*, qui piis & ſanctis operibus hominum exhilarantur, impuris autem & conſcientiam vulnerantibus contriſtantur & pelluntur. *Quemadmodum enim gaudent ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, magis, quàm ſuper nonaginta novem juſtis*: ita contriſtantur ab iis, qui in peccatis abſque pœnitentia pergunt. Ideò *veteres* dicebant: *Noli peccare, Deus videt, Angeli triſtantur, mors minatur, diabolus accuſat, conſcientia mordet, infernus cruciat.*

*2. Propter ſanctos angelos.*

Tertiò *propter diabolum*, ne occaſionem ipſi demus nos accuſandi. Eſt enim *accuſator noſter die ac nocte Apoc.* 12, 10. Cujus opera melius impedire non poſſumus, quàm ſi conſcientiam immaculatam ſervare ſtudeamus. Operæ pretium igitur eſt, ut quilibet omnes vitæ ſuæ actus excutiat, ſeipſum accuſet, & conſcientiam liberet. *Præveni accuſatorem tuũ, ſi teipſum accuſabis, accuſatorem tuum non timebis, inquit Ambroſ. lib.* 2. *de pœnit cap.* 7.

*3. Propter Diabolum.*

Quarto & præcipuè indigemus bonâ conſcientiâ propter *nos ipſos.* Eâ enim amiſsâ, omnis theſaurus noſter perit: eâ retentâ, ſummum noſtrum bonum retinetur: Hinc verſus:

*4 Propter nos ipſos.*

*Omnia ſi perdas, famam ſervare memento,*
*Quâ ſemel amiſsâ, poſtea nullus eris.*

idque paulò accuratius conſiderandum eſt.

*Primùm* igitur, cum bonâ conſcientiâ ſimul amittitur *fides*, & omnia, quæ per fidem nobis divinitus donari poſſunt. Nam in Chriſtianis individuo nexu cohærent fides & bona con-

*Cum bona conſcientia amittuntur quinq; theſauri pretioſiſſimi*

*1. Fides.*

conſcientia, ita ut uno amiſſo alterum retineri nequeat. Idcircò D. Pauli *ſummam mandati* nominat. *fidem non fictam & conſcientiam bonam* 1. Tim. 1. v. 5. & v. 19. hæc duo ita cõjungit, ut ſtatuat, repulsâ conſcientiâ bonâ naufragium fidei fieri. Sic jubet miniſtrum Eccleſiæ *habere myſterium fidei in cõſcientia pura* 1. Tim. 3. v. 9. *qui verò diſcedũt à fide, hos cauteriatam dicit habere conſcientiam* 1. Timoth. 4. verſ. 1. 2. *Infideles etiam coinquinatam habere conſcientiam dicuntur* Tit. 1. verſ. 15. *Si cor verum & plenitudo fidei conjunguntur* Hebr. 10. verſ. 21. Cùm ergò amiſsâ conſcientiâ amittatur etiam fides, ſequitur, eum, qui non habet bonam conſcientiam 1. non eſſe in *gratia apud Deum, nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo* Heb. 11. verſ. 1. Idcircò *Paulus bonam conſcientiam cũ gratia Dei conjungit* 2. Cor. Cap. 1. v. 12, 2. non habere *remiſſionem peccatorum, quam per fidem in Chriſtum accipimus* Act. 10. verſ. 43. Idcircò in hunc finem purgare dicitur *ſanguis Chriſti conſcientias noſtras ab operibus mortuis, ut ſerviamus Deo viventi* Hebr. 9. v. 14. 3. Non habere *juſtitiam* coram Deo valentem, quam per fidem conſequimur, ut univerſa teſtatur ſcriptura: 4 Non habere *fiduciam cordis* ad Deum, *quæ fidei adſcribitur* Roman. 5. v. 1. & *bona conſcientiæ* 1. Iohan. 3. v. 21. 5. Non habere inhabitantem in ſe Chriſtum & Spiritum S. *talis enim inhabitatio penes eos eſt, qui verbum Chriſti ſervant* Ioh. 14. v. 23. 6. Nec deniq; habere *ſpẽ vitæ æternæ, in quam nihil ingredietur immundi* Apoc. 21, 27. Idcircò de impiis in noviſſimo die legitur Sap. 4, 21. *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducẽt illos ex adverſo iniquitates eorum.* Tantùm ergò intereſt, ut unuſquiſque conſcientiam ſuam retinere ſtudeat immaculatam. Ecquid enim lucrari poteſt, qui alicujus temporalis commodi gratiâ, contra conſcientiam agit, & eo ipſo gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, juſtitiam coram Deo valentem, fiduciam cordis ad Deum, ſpem denique vitæ æternæ amittit? Annon hoc eſt momento irreparabilem animæ ſuæ theſaurum prodigere? *Quid verò prodeſt homini, ſi vel mundum univerſum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur,* Matth. 16, 26.

*Vnde in non habente bonam conſcientiam deeſt gratia Dei.*

*Remiſſio peccatorum.*

*Iuſtitia coram Deo.*

*πληροφορία.*

*Gratioſa inhabitatio Spiritus S.*

*Spes vitæ æternæ.*

Deinde cum bona conſcientia amittuntur *omnia exercitia vera fidei*. Pereunt preces, quæ vel frigidæ ſunt, vel planè nullæ, aut ſaltem ſine fructu: fiunt enim ſine fide, à mortaliter peccantibus: *peccatores autem Deus non exaudit* Ioh 9, 31. Ideo Deus ipſe malâ cum conſcientiâ orantes à ſe repellit Eſa. 1, 15. 59, 2. quã ob cauſam D. Paulus in precibus vult nos *attollere manus puras*. 1. Tim. 2, 8. Pereunt eleemoſynæ, quia ſine ſufficiente directione conſcientiæ fiunt. Ob eandem cauſam pereunt etiam opera miſericordiæ, omnes vigiliæ, labores, & munera officii, licet quàm diligentiſſimè præſtita, quia ſine fide & bonâ conſcientiâ fiunt, vel conſuetudinis, vel exempli, vel

*1. Omnia exercitia vera fidei.*

necessitatis causâ: adeò nunquam in iis operibus acquiescere satis possunt.

*3 Solatium in adversis.*

*Conscia mens recti fama mendacia ridet.*

Tertiò cum bonâ conscientiâ amittitur *omne solatium & fortitudo in adversis.* Nam *bona conscientia*, præsertim in renatis, *famæ mendacia ridet*, minas hostium spernit, crucem non modo levat, sed & dulcescere facit, in ipso etiam agone mortis, impetum tentationum frangit: quibus omnibus destituuntur, qui bonam conscientiam non habent.

*4 Tranquillitas vitæ.*

Quartò cum bonâ conscientiâ amittitur *Tranquillitas vitæ.* Est enim bona conscientia totius vitæ solatium, imprimis autem dulcis nutricula senectutis. Ideò *Samuel* jam annorum satur ad vitæ suæ innocentiam coram omni populo provocat, 1. *Sam.* 12, 2. *Ecce, senui & incanui, filij mei vobiscum sunt, itaq; conversatus sum ab adolescentia mea usque in hunc diem. &c.* Et senex ille rogatus à juniore: *Cur tibi tam levis est, cur tam jucunda senectus?* respondit: *Libera quòd vitiis tota juventa fuit.*

*Mala conscientia truculentia.*

Mala verò conscientia est instar carnificis aut truculentissimæ feræ, quæ vitæ ac sanguini hominis in mundo etiam felicissimi inhiat, ac proinde perpetuum metum & horrorem incutit.

*5. εὐθανασία.*

*Pœnitentia non est differenda usq; ad ultimam mortis ἀγωνίαν.*

Quintò cum bonâ conscientiâ amittitur *vera εὐθανασία.* Malè enim moriuntur, qui vixerunt malè, & sauciata conscientia præcipitium parat ad desperationem, præsertim, si iterum iterumque saucietur. Frustra enim est, quod multi existimant, sufficere, si in ultimo agone agnoscant se peccasse, & ad misericordiam Dei confugiant. Multos enim peccati veternus ita consopivit, ut ad seriam peccati agnitionem nunquam perveniant: Conscientia etiam ipsorum tot sæpè cruciatibus angitur, ut de misericordia Dei seriò cogitare nequeant, unde in desperationis barathrum præcipites ruunt. Quam ob causam de bona conscientia nunquam seriò cogitant, vel in semetipsis obbrutescunt, & ut stipites moriuntur, ut *Nabal* 1. *Sam.* 25. aut sibi ipsi violentas manus inferunt, ut *Cain, Saul, Achitophel*, & alii. Quæ cum ita sint, operæ pretium est, conscientiam sine labe servare, quæ fidelium omnium prima cura esse solet. *Hinc Bernhardi dictum:*

*Hæc sit mea prima cura, ut te quæram mente pura.*

## Cap. XIV.

## *Quomodo sanetur Conscientia, si fortè vulnerata fuerit.*

*Per quid conscientia vulneretur?*

VUlneratur conscientia per actiones legi difformes ex proæresi, quæ interdum etiam renatos præoccupant.

*Lapsus renatorum sunt duplices.*

Sunt enim lapsus renatorum duplices: *quidam infirmitatis*, qui fiunt ab invitis; *quidam malitiæ*, qui fiunt cum proposito & contra conscientiam, ac proinde gratiam ac fidem excutiunt. In his cùm conscientia repu-

Digitized by Google

repugnet, & factum improbet, quod tamen non intermittitur, vulnerari dicitur.

*Unica & probatissima vulneratæ conscientiæ Panacéa sanguis Iesu Christi. 1. Ioh. 1, 7.*

Ut ergò sanetur, nullum aliud dari potest remedium, quàm sanguis *Iesu Christi, qui purgare dicitur cõscientias nostras ab operibus mortuis Heb. 9, 14.* Christus enim est *agnus ille Dei immaculatus*, qui dedit semetipsum hostiam pro peccatis mundi, *Ioh. 1, 29.* Et quemadmodum vita, sic & conscientia eius fuit sanctissima: sed & quemadmodum aliena in se recepit peccata, ita & alienâ culpâ contristatam habuit conscientiam, quod omnis eius agonia, tempore passionis testatur. Quam ob causam *tristis fuit anima ejus usq; ad mortem Matth. 26, v. 38.* & cùm deprecationes & supplicationes cum clamore valido & lacrymis Deo offerret, animi sui angustias & pressuras, satis expressit. In quas angustias, cùm ipse solus præter suum meritũ, propter culpam alienam inciderit, ideò sola ea passio idoneum est remedium ad sananda conscientiæ nostræ vulnera: Cumque in ista suâ agoniâ non defecerit, eaque non nudi hominis, sed filii Dei fuerit, ideò & sufficientissimum est, remedium modò rectè applicetur.

*Applicatio passionis Christi consistit in ministerio verbi, mediante prædicatione Legis & Evangelij.*

Applicatio autem fit in ministerio verbi, ubi ex parte ministri opus est concione *legis & Evangelij Per legem* tangitur vulnus & excitatur dolor, sine cuius sensu cura palliativa erit. *Per Evangelium* annunciatur gratia DEI per Christum omnibus verè pœnitentibus parta.

*Conscientiæ in quibus consistat.*

Ex parte peccatoris opus est contritione & fide, *Contritio consistit 1. In seria peccati agnitione*, quæ dolorem & angustias conscientiæ exigat, quæ accusat & damnat peccatorem, totumque dejicit & prosternit, ut se omni misericordiâ indignum judicet. *2. In ingenua peccati confessione*, nam quod angit & cruciat, non nisi hoc medio expelli potest; Quod *Davidis* exemplo manifestum est, *Ps. 32.* Confessio autem hæc fit, *Deo*, cui soli peccavimus, qui & solus potestatem remittendi habet, exemplum huius confessionis est *Psal. 32, 5. Dan. c. 9, 5. Esd. c. 9, 9. publicanus Luc. 18, 13 ministro Dei*, cui potestas absolvendi à peccatis data est à Deo *Iohan. 20, 23.* exemplum huius confessionis est *David 1. Sam 12 13 proximo*, præsertim quem offendimus, quæ aliàs *confessio reconciliationis* dicitur, & cõmẽdatur *Iac. 5, 16. confitemini alterutrum peccata vestra 3. In humili deprecatione*, quâ remissionem peccatorũ à Deo petere seriis animi suspiriis non cessamus, donec de exauditione nos certos reddat pax conscientiæ restituta.

*Confessio peccatorum fit Deo, ministro, proximo.*

*Fides in qui bus consistat*

Fides consistit non tantùm in notitia meritorum Christi, neque sufficit adsensus, quod, quę de Christi λύτρῳ memorat scriptura, sint verissima; *hoc enim & Dæmones credũt, sed contremiscunt Iac. 2, 29.* Et certũ est, quòd consideratio beneficiorum Christi magis terreat, quàm soletur eos, qui applicare ea sibi non possunt. Anima ergò fidei est, fiducia, quâ quis Christi meritum sibi ita ap-

*Fiducia est anima fidei.*

 plicare

plicare novit, ac ſi pro ſe ſolo præſtitum, ut cum *Paulo* dicere poſſit, *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me Gal.* 2,20.

*Utilitas hujus fiduciæ præſentiſſima.* Quæ fiducia animum hominis afflicti ſtatuminat, erigit, & reficit, ut ſibi de reconciliatione cum Deo offenſo optima quæque propter Chriſtum promittat, cujus irâ placatâ, conſcientia quoque pacatur, hominemque excuſat, & à condemnatione abſolvit, quia peccata ejus jam alteri impoſita ſunt, à quo abundè pro illis ſatisfactum; cujus rei teſtimonium perhibet Spiritus Dei, qui *gemitibus inenarrabilibus Deum interpellat, & ſpiritui noſtro fidem facit, quod ſimus filij Dei Rom.* 8,16.

Ita tandem evaneſcunt angores cordis, redit gaudium in Domino, & conſcientia, quæ antea inſtar inferni erat, in jucundiſſimum paradiſum convertitur.

## Cap. XV.

## *An Conſcientia in homine extingui poſſit?*

*Conſcientia eſt naturale lumen in homine.* Cum conſcientia ſit naturale lumen in homine, penitùs extingui nō poteſt, ſæpiſſimè tamen quoad actum impeditur, ut de actibus hominum non rectè judicet, nec in accuſandis delictis officium faciat: quod cum fit, extincta quaſi & ſepulta videtur.

*Conſcientia impeditur.* Impeditur autem ſuo in officio variis rebus: 1. *Facit hoc externa violentia morbi,* qui diſcrimen honeſtorum & turpium obnubilat, ut non agnoſcatur, ut fit in phreneticis & maniacis, qui homicidium vel ſimile quod ſcelus patrant, non remurmurante conſcientiâ, quia quid faciunt, non intelligunt. *ob quatuor cauſas: 1. Ob externam morbi violentiam.*

2. *Externa vis affectuum*, quæ denſa quadam caligine animum hominis obnubilat, ut quid agat, dignoſcere non poſſit, pulſa verò caligine illa, probè intelligit, & conſcientia quaſi ex profundo ſomno evigilat: exemplum eſt in iratis, nam *ira furor brevis eſt, qua non operatur, quæ recta ſunt coram Deo Iac.* 1,20. Æſtus enim iracundiæ turbat mentem, ut dum homo cædem perpetrat, rectè ſe feciſſe putet, donec ira deferbuerit, ibi demum conſcientiæ morſus ſentit, quod *Cains* teſtatur exemplum: Sic exæſtuans libidine facit, quod carnem ſuaviter afficit, nec ullum conſcientiæ morſum aut repugnantiam in ipſo opere ſentit, quo patrato, ille ſatis maturè percipitur. *2. Ob externam affectuum vim & copiam.* *Ira furor brevis eſt.*

3. *Tenebræ obcœcationis & ignoratio voluntatis Dei faciunt,* ne conſcientia in impio aliquo facto remurmuret, ut apparet in iis, qui confeſſores doctrinæ cœleſtis ſub nomine hæreticorum perſequuntur, de quibus *Chriſtus* ait: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur, obſequiū ſe præſtare Deo, & hoc facient vobis, qui non noverunt patrem, neque me Ioh.* 16,3. *3 Ob voluntatis Dei ignorātiam.* *Excæcatio perſecutorū.*

4. *Durities obſtinationis*, quæ facit *4. Ob obſtinationis perſeverantiam.*

Digitized by Google

cit,ut quanquam conſcientia ſemper remurmuret & accuſet, nunquam tamen ad bonum inſtiget,ut fit in damnatis.

Hujuſmodi conſcientia in officio ſuo vel ſemper impeditur, vel ad tempus. Semper impeditur, cum homines in reprobam mentem dati bonum judicant eſſe malum, & malum bonum, & ſic errore judicii in malo, ſub ſpecie boni, perſiſtunt & pereunt ſine pœnitentia: ſicut multi propter hæreſin aut abominandum aliquod facinus acerbiſſimis cruciatibus ſe enecari patiuntur, abſque ullis conſcientiæ ſtimulis, quod *Serveti* exemplum teſtatur & eorum,qui Reges, quos ipſi putarunt hæreticos,occiderũt. Non ſemper impeditur in iis, qui vel ſenſu pœnarum divinarum, vel monitis piorum tandem ſemetipſos excutiunt,quales erant fratres *Joſephi*,qui non ſtatim, cum vendidiſſent fratrẽ, agnoverunt, quantum patraſſent ſcelus, *ſedebant enim & edebãt panem ſatis ſecuri Geneſ.37 v.25*. at cum duriùs tractarentur in Ægypto, tum demum angores ex priſtino ſcelere ſentiebant *Gen. 42,21. meritò*, inquiunt, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus; Idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio &c.*

*Dormiens conſcientia quænam?* Talis conſcientia dicitur dormiens conſcientia, non enim prorſus mortua ſeu extincta eſt, ſed ſopita. *Dormit autem ante fores Gen. 4,7.* in loco irrequieto, ubi facilè excitari poteſt; & dormit non inſtar cuſtodis,ſed inſtar feræ rugientis aut canis latrantis: & licet in nonnullis veternio peccati ita ſopita ſit,ut omni vitæ tempore nullum ejus latratum aut ſtimulum ſentiant; tandem tamen vel in ipſa morte à Deo excitatur, hominemque flagellat tempore minùs tempeſtivo.

Ideò maturiùs admittamus media, quibus torporem conſcientiæ tollere poſſumus. Satius enim eſt,ut nos affligat in tempore gratiæ, quàm ut occidat in tempore iræ. Ibi angores conſcientiæ parere poſſunt *triſtitiam, quæ ſecundùm Deum eſt, & pœnitentiam in ſalutem ſtabilem, 2 Cor. 7, 10.* hîc verò in multis, quorum pœnitentiam mors intercipit, fiunt initium infernalium cruciatuum.

## Caput XVI.

## *Quid ſit caſus conſcientiæ & quotuplex.*

*Caſus ἔτυμον & accuſatio.* Caſus à *cadendo* nomen habet: *in Grammatica* idem eſt, ac lapſus ſeu ruina: *in Phyſica* eſt cauſa per accidens eorum, quæ ſine electione agunt, alicujus finis gratiâ. *In Ethica* eſt lapſus,ſeu vitium aliquod exorbitans à medio. Eodem modo uſurpatur in *Theologia*, undè eſt *Auguſtini* ſententia: *Omnis homo cum caſu ſuo ambulat: quia præceps eſt in vitium.*

*Quid vocēt nonnulli caſum conſcientiæ.* Caſum conſcientiæ vocant aliqui actionem quamlibet à recta ratione excidentem, eique repugnantem: rectiùs

rectiùs appellatur scrupulus, seu dubium in actione aliqua hominis, de quo conscientia sine informatione judicium suum ritè instituere non potest. Quidquid enim homini contingit, in quo judicio suo aberrare potest, casus conscientiæ dicitur, qui dum recto judicio dirigitur, conscientia retinetur bona: sin verò aberratur, lapsus fit, qui conscientiam vulnerat.

Undè factum, quòd casus conscientiæ, de lapsibus, seu actionibus à rectâ ratione exorbitantibus usurpatur. In hac significatione distinguitur in Papatu inter casus reservatos & non reservatos. 1. *Casus reservatus est*, cujus absolutio prohibetur sacerdoti inferiori: Et est vel *Papalis*, cujus usurpatio prohibita est & Episcopis & parochis; vel *Episcopales*, cujus absolutio solis parochis prohibetur: qua de re vide *Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. can. 11. Lortchiũ in thesaur. Theol. voce Casus. Toletum lib. 1. instruct. sacerdotal. c. 15. & lib. 3. c. 13.*

*Quid sit casus reservatus & non reservatus apud Pontificios?*

Sed hæc distinctio sine fundamento, & ad stabiliendam saltem absolutam Papæ potestatem excogitata est. Nam absolutio à peccatis non dirigitur humano arbitrio, sed verbo Dei, quod per ministerium omnibus verè pœnitentibus peccatorum remissionem annunciat, sine discrimine personarum, quæ ministerio inserviunt. Neque enim major est potestas hac in re summi Episcopi, quàm infimi Diaconi; quia omnibus Apostolis dictum est: *quorum remiseritis peccata, remittentur eis, Ioh. 20.* Et *Cyprianus de simpl. prælator.* scribit: *hoc utiq; erãt cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi honoris & potestatis.*

*Distinctio hæc Pontificiorum refutatur. 1 Ratio. Potestas remissionis peccatorum, omnibus ministris ex æquo concessa.*

Deinde quilibet sacerdotes etiam in casibus reservatis absolvere possunt in articulo mortis, quod concedunt Pontificii, uti constat *ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7.* Ergò nulla prorsus causa est, cur Papa sibi suisq; Episcopis casus aliquos pro arbitrio reservat, nisi quòd Papa plenitudinem potestatis in absolvendo à peccatis sibi arrogare, eamque in ministros inferiores pro lubitu distribuere ausus fuit.

*2. Ratio.*

Oritur enim error ille de casibus reservatis ex eo, quòd Papam habere dicunt potestatem judiciariam & autoritatem propriè ligandi aut solvendi, ut patet ex *Bellarmino lib. 3. de pœnit. cap. 2. & ex Concil. Trid. sess. 14. can. 9.* Hanc postea in sacerdotes pro arbitrio effundere dicunt; cùm tamen penes Christum tantùm sit absoluta absolvendi potestas, ministri verò legatione funguntur pro Christo, 2. *Cor.* 5, 20. Judices verò conscientiarum non sunt, dispensatores sunt remissionis peccatorum, non autem autores aut datores. *Sed hæc reservatio casuum non pertinet propriè ad nostrum institutum.*

*Vnde hic error Pontificiorũ originẽ duxerit.*

Casus conscientiæ, de quo nos loquimur, pertinet ad actiones hominum cuiusque proprias, quæ semper ita conformandæ sunt, ut rectæ rationi congruant: Et hæ per omnia vitæ humanæ genera diffunduntur

*Quid hoc loco per casum conscientiæ intelligatur?*

duntur. De his deinceps in ſpecie nobis agendum erit: *ubi primum omnium ſequeſtramus*, 1. *ea, quæ ſunt ex conſcientia ſcrupuloſa*, quæ multa ſuggerit, quibus perturbatur animus hominis ſine cauſa, quæ audienda non ſunt, quia fundamento carent, de quibus ſupra *c.* 10. pluribus egimus. 2. *quæ ſunt ex ſuperſtitione*, cujuſmodi caſuum plenus eſt Papatus, ubi Papa ſuis legibus dominari audet conſcientiis: ſed cum verbo Dei non nituntur, haud immerito contemnimus: non enim interficiendæ ſunt animæ, quæ mori non debebant *Ezech.* 13. 19. 3. *quæ ſunt ex errore*, qualia ſunt in Papatu fides implicita, dubitatio de gratia Dei & remiſſione, invocatio ſanctorum & ſimilia, quibus non ſunt gravandæ conſcientiæ, cùm ſint mera hominum inventa. His ergo & ſimilibus omiſſis, *caſus conſcientiæ quærimus in actionibus hominum difficilioribus, & dubiis*, quæ juxta ductum ſcripturæ decidendæ & dirigendæ ſunt, ut conſcientia adquieſcere poſſit.

*Tituli doctrinæ & librorum de caſibus conſcientiæ ſcriptorum.*

Deciſiones horum dubiorum vocant *Theologiam caſuum conſcientiæ*, *nonnulli ſcholam tentationum*, *Soterologiam*, nominant, quia dubia practica ſolvit, tentationes ſuperare docet, conſcientiam tranquillat, & ſic ſalutem hominis promovet.

*Caſus conſcientiæ quomodo à diverſis diverſimodè diſtribuantur.*

Diſtribuuntur autem caſus conſcientiæ diverſimodè à diverſis, quidam partiuntur eos ſecundum officia ſacerdotis, *ut Franciſcus Toletus*: quidam ſecundum conſiderationem hominis, qui vel ſimpliciter & in ſeipſo vel reſpectu Dei & proximi conſideratur; prior reſpectus parit quæſtiones conſcientiæ, quid homini agendum, quò in gratiam Dei recepi & retineri poſſit: quomodo ſalutis ſuæ certus eſſe queat: quomodo ſeipſum recolligere debeat, cùm eſt perturbato animo. Ex poſteriori reſpectu ſunt quæſtiones de cultu Dei & actionibus hominis quatenus eſt membrum familiæ, Eccleſiæ aut Reipub. Et hunc ordinem obſervat *Gulielmus Perkinſus*.

Alii diſtribuunt ſecundùm partes doctrinæ catecheticæ, ita ut caſus conſcientiæ conſtituant circa ſingula præcepta decalogi, circa ſingulos articulos ſymboli, circa petitiones orationis Dominicæ & circa ſacramenta ſingula, quem ordinem obſervat *Iohannes Henricus Alſtedius in ſua Theologia caſuum*.

*Diſtributio totius operis.*

Cum autem methodus unicuique libera ſit, nos caſus conſcientiæ diſtribuemus, *ſecundum objecta hominis*. Aut enim homini agendum eſt *cum Deo* in rebus divinis & Religionem concernentibus, Aut verſatur circa *Angelos & Spiritus*, Aut *circa ſeipſum*, tàm quoad corporis & fortunarum ſtatum, quàm quoad animæ ſalutem, occupatus eſt. Aut denique *cum proximo* ei converſandum eſt in ſtatu Eccleſiaſtico, Politico & Oeconomico. Hoc ordine jam deciſiones caſuum conſcientiæ inſtituemus, Deo gratiam ac benedictionem clemẽter largiente: id quod ſupplicibus votis precamur.

E ADDI-

Digitized by Google

# ADDITAMENTUM AD LIBRUM hunc Primum: desumptum ex D. Joh. Steuberi Conscientia Boni & mali Tabulâ. p.3. seqq.

## QVÆSTIO I.

### *Quomodo bona conscientia retinenda & conservanda.*

M*Agna vis est conscientiæ, & magna in utramq; partem, ut neque timeant, qui nihil commiserunt; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint, Cic. pro T. Annio Milone fol.* 113. *a*

*Conscia mens, ut cuique sua est, ita concipit intra*
*Pectora pro facto spemq; metumq; suo.*
*Ovid. l.*1. *Fast. v.* 485.

Ergo
——— *Hic murus aheneus esto.*
*Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.*
*Horat. l.*1. *Ep.* 1. *v.* 60.

Conscientia bona mendacia pro derìdiculo habet, sibique *pluris est, quam hominum sermo, Cic. l.* 6. *ad Attic. fol.* 195 *b.*

*Conscia mens recti, famæ mendacia ridet.*
*Ovid. l.* 1. *Fast. v.* [illegible].

Quin & *conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio rerum, incommodarum, nec est ullum malum præter culpam, Cic. l.* 6. *Epist. fam. ep.* 4.

Hactenus sapienter de conscientiâ Ethnici, ignorantes tamen fidem, necessariam bonæ conscientiæ præambulam, quia; *quicquid non est ex fide, peccatum est, Rom. c.* 14 *v.* 23. Bonam hanc conscientiam, quæ fidei pedisequa est, habendam, retinendam & conservandam inculcat Paulus 1. *Tim. c.* 1. *v.* 18. 19. 20. *Hoc præceptum,* ait, *commendo tibi, fili Timothee, secundum prægressas in te prophetias, ut milites in iis bonam militiam, habens bonam fidem & bonam conscientiam, quam quidam amolitè circa illam fidem naufragium fecerũt: Quos inter est Hymenæus & Alexander; quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.*

Ne illi, qui negant, quod fide justificante, semel datâ, per peccata regnantia omnimodè excidere queamus, sibi in depravatione hujus dicti placeant, priusquam quæstionis resolutionem aggrediamur, ipsorum exceptiones annotabimus, & brevibus refellemus. I. Per fidem, *inquiunt,*

*inquiunt*, hîc intelligitur nuda & solitaria fidei professio vel doctrina, à fide justificante separata. II. Per bonam conscientiam notatur conscientia talis secundum quam facimus, id, quod putamus rectè fieri, licet graviter erremus & conscientia nostra sanguine Christi emundata non sit, prout in tali significatu etiam reperiatur *Act.* 23. *v.* 1. 2. *Tim. c.* 1. *v.* 3. ubi Paulus sibi, adhuc blasphemo & nondum regenito, bonam conscientiam tribuit. III. Non dicitur, quòd ejecerint, excusserint, vel expulerint bonam conscientiam, sed ἀπωσάμενοι, id est, quòd rejecerint, repulerint, vel repudiarint. Excussio quidem, præsupponit rei excussæ inexistentiam, sed repulsio est rei extra repellentem constitutæ amotio, rejectio. Qui igitur conscientiam hîc repulisse dicuntur, eam non habuerunt. IV. Illi, qui bonam conscientiam repulerunt, dicuntur ναυαγῆσαι περὶ τὴν πίστιν, id est, naufragium fecisse *circa fidem*; Aliud verò est circa fidem, seu in re, quæ circa fidem est, aliud fidei naufragium facere. V Quamvis vox fidei priori loco posita, possit significare fidem justificantem, posteriori tamen loco notat fidei possessionem vel notitiam, hoc sensu: naufragium fecerunt circa fidem, id est, circa religionis capita, aberrando à veritate ad vaniloquium adeò turpe, ut non ampliùs intelligant seipsos, neque, quid asserant, norint *ex v.* 6. 7. & in scopulos perfidiæ impegerunt, id quod patere putant exemplo subjecto Hymenæi, qui veram resurrectionis notitiam amisit, 2. *Tim. c.* 2. *v.* 17. 18. VI. Aliud est τὸ naufragium fecisse, aliud submersum esse: In naufragio non omnia pereunt, sed sæpè asseres & tabulæ reservantur. Non igitur probari potest totalis fidei amissio. VII. Assensus & fiducia fuerunt diminuta & quasi obnubilata, & in hoc consistit naufragium fidei. Hactenus exceptiones, sequuntur responsiones.

Ad primam & secundam exceptionem respondetur *in genere*, quòd hæ duæ exceptiones simul consistere nequeant: Nam veræ doctrinæ professio prærequirit ejusdem doctrinæ notitiam: Quis enim veram doctrinam profitebitur, si eam ignorat, vel quis bonam conscientiam habere potest, si eam doctrinam ignorat? Aut igitur doctrinæ veræ professores eidem conformiter vixerunt, & sic verè pii fuerunt, aut vitam, doctrinæ non correspondentem, duxerunt, & sic bonam conscientiam habere non potuerunt, quod est contra textum Apostolicum. 2. Talis fides & bona conscientia hîc intelligitur, in quarum retentione consistit exercitatio bonæ militiæ, quam vita æterna insequitur, 1. *Tim. cap* 4. *v.* 16. *c.* 6. *v.* 12. & ad quam Apostolus verbis maximè emphaticis hortatur, *ibid. v.* 12. 13. In nudâ verò externâ professione & taliter descriptâ bonâ conscientiâ hæc bonæ militiæ exercitatio non consistit.

In ſpecie ad I. Reſpond. De eâ fide hîc ſermo eſt, quam Timotheus habebat & retinere debebat: Aſt hæc erat fides juſtificans, non ſimulata, 2. *Tim. c.1.v.5.* conjuncta cum juſtitia, pietate, charitate, patientiâ, &c. 1. *Tim.c.6.*v. 11.12.2.*Tim.c.3.* v.10. Præterea ea fides intelligitur, quæ verſu 5. deſcribitur, id quod liquet ex verſuum 5. 18. &. 19. correſpondentia. Utrobique enim finis & ſcopus miniſterii Timothei demandati deſcribitur: Sed v. 5. intelligitur fides non ſimulata, ex qua charitas fluit. Denique ea fides hîc intelligitur, cui conjuncta eſt vita doctrinæ confirmativa, ut Lyra ſuper hunc locum commentatur? Conjuncta eſt cum bona conſcientia, quæ oritur ex ſolida voluntatis divinæ notitia, adjunctum habens zelum & ſtudium vivendi ſecundùm veritatem cognitam.

In ſpecie ad II. Reſpondetur *primò*: Loci paralleli, de bona conſcientia loquentes, oſtendunt, quid per bonam conſcientiam hîc intelligendum ſit: *Miniſterij* (mandati) *hujus finis eſt charitas ex puro corde & conſcientiâ bonâ & fide non fucatâ.* 1. *Tim.c.1.v.5. Tenẽtes myſterium fidei in conſcientia pura,* 1. *Tim. c.3.v.9.* Per puram autem conſcientiam intelligi conſcientiam bonam patet ex collatione *Hebr.9.*v.14. *Quare magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiã veſtram à mortuis operibus ad ſerviendũ Deo vivo? Et c.10.v.22. Accedamus cum vero corde & per plenam certiorationem fideli aſperſione purgatis cordibus à conſcientia mala.* Conferantur 1. *Petr. c.3.*v.6.21.*Hebr.c.13.*v.18. 2. *Cor.*1.v.12. *Secundò* ad locum *Act. c.* 23.v.1. reſpond. quòd loquatur ille locus vel de toto vitæ Paulinæ tẽpore, vel de tempore ſolo Paulini Apoſtolatus: Si de toto vitæ tempore *intentio & propoſitum* Paulinæ converſationis notatur: Vel diſtinguendum eſt inter conſcientiam bonam, homini Chriſtiano præſcriptam, & inter conſcientiam bonam hominis non-Chriſtiani deſcriptam, quæ hanc denominationem ex ipſius opinione, non ex rei veritate ſortitur. Si *de tempore ſolùm Apoſtolatus*, res eſt plana, prout etiam verba iſta ultra hoc tempus extendi non poſſunt, id quod probatur. 1. *Ex Iudæorum accuſatione.* Judæi enim Paulum accuſabant, quòd deſerto Judaiſmo Chriſtianus factus fuerit, idque malâ cum conſcientiâ. Contra hanc inſimulationem Paulus ſolùm ſe tutatur hoc volens. Viri fratres, quòd, deſerto Judaiſmo, Chriſtianus factus ſum, & adhuc talis permaneo, non temere feci, ſed bonâ cum conſcientiâ ab eo tempore, verſatus ſum coram DEO uſque ad hunc diem. 2. *Ex Ananiæ offenſione*: Ananias enim his auditis ſtatim offenſus eſt v.2. Si verò dixiſſet, quòd ante ſui converſionem in Judaiſmo bonâ cum ſcientia verſatus fuerit, non potuiſſet offendi, *vide Act.c.* 22.v.3.5.c.23. v.6.c.24.v.14.c.26.v.5. 3. *Ex Pauli propriâ confeſſione*: Ipſe enim alibi dicit, ſe ante ſui converſionem fuiſſe

Digitized by Google

isse blasphemum & peccatorem maximum, quod cum bona conscientia stare nequit, *vide Act.c.22.v. 4. Phil. cap. 3.v.6. 1.Cor.15.v.8.9. 1. Tim c.1.v.13 16. confer Act. c.8.v.1.3. c.9.v.1.2. Tertiò ad 2. Tim c.1.v.3.* respondetur, quòd τὸ ἀπὸ προγόνων (à progenitoribus) non significet à prima ætate, sed ad exemplum & imitationem progenitorum, eorumque non quorumvis, sed verorum Israelitarum, ut Abraham, Isaac & Jacob, aliorumque, qui verè DEUM coluerunt. Hic ergo sensus est: Eidem illi DEO servio, cui servierunt Patres mei, Abraham, Isaac & Jacob, &c. ita Ambrosius, Anshelmus, Lyra, Hemmingius, Calvinus, Marloratus, Piscator, Junius, &c. super hunc locum, & Ursinus in Catechesi. Apostoli n. ad Judæos verba facturi, sæpius DEI Israëlitici mentionem fecerunt, eo ipso indicantes, quòd non Apostatæ facti fuerint, nec novitio alicui Deo, sed ipsi Deo patrum serviant, idque eum in finem, ut Judæos attentiores & molliores redderent, *vid. Act.c.3.v.13.c.5.v.30.c.22.v.14.c. 14.v.14.16.c.26.v.6.c.28.v.20.*

Ad III. respond. I. ἀπώθεσθαι vel ἀπωθεῖσθαι *primum* significat repellere, repudiare, rejicere, *Actor.c.7.v. 27.39.c.13.v.46. secundò* excutere, ejicere, expellere, ita ut idem significet quòd ἐξωθεῖν *Act.c.7.v.45.cap. 27.v.39.* Prior significatio locum habet, cùm sermo est de re vel personâ, quæ extra nos est, quam repellere & repudiare possumus: Posterior significatio semper locum obtinet, cùm sermo est de re, quæ purè interna est, quæque aliter repelli nequit, nisi per excussionem, qualis est bona conscientia: Ecquomodo etiam bona conscientia in priori significatu repelli poterit, nisi forsan in causa, non admittendo verbum, per cujus auditum bona conscientia ingeneratur. 2. Priorem significationem verbum tum præcedens ἔχειν (habere, retinere) tum subsequens ναυαγεῖν (naufragium facere) confirmat. Τὸ ἔχειν enim & τὸ ἀπωθεῖσθαι hic opponuntur: oppositas igitur sustinebunt significationes. Si τὸ ἔχειν Bezæ significat *retinere*, utique oppositum ejus ἀπωθεῖσθαι significabit *expellere, ejicere, excutere.* Per subsequens verbum ναυαγεῖν significatur damnum & jactura, quam experiuntur illi, qui bonam conscientiam expulerunt: Nullius autem rei jacturam faciunt illi, qui id, quod offertur, repellunt, sed nihil de novo solùm accipiunt.

Ad IV. resp. I. Ναυαγέω denotat idem, quod *naufragium facio, naufragio amitto* & metaphoricè *jacturam facio.* Construitur verò vel *immediatè cum accusativo*, vel *mediante præpositione* περὶ, quâ tamen non significatur jactura tantùm circa rem, sed ipsius rei, quæ post præpositionem περὶ ponitur. Præpositio enim περὶ interdum nudæ περιφράσει, vide Johan.c.11.v.19. & phraseologiæ inservit: Sic & hoc loco non significat circum, vel circa fidem, sed in

ipsâ fide, quo clarum est ex loco parallelo, 2. *Tim.c.2.v.18. Hymenæus & Philetus* περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν, id est, à scopo veritatis aberrarunt, dicentes, resurrectionem jam factam esse, & subvertunt quorundam fidem. Hîc circa veritatem errare non significat, circa rem aliquam, quæ veritas ipsa non sit, sed in ipsâ veritate resurrectionis definienda errare. Idem videre licet 1. *Tim.c.6.vers.3.4.21.2.Tim. cap.3.vers.* 8. *confer Tit.c.1.vers.*4. II. respond. Acceptâ phrasi (ναυαγεῖν τὴν πίστιν) in sensu isto, tum illi, qui conscientiam repellunt, vel nihil prorsus, vel nihil sibi profuturi amittunt: Nunquam enim fidem salvificam, aliaque consimilia dona spiritualia, ex opinione adversæ partis, habuerunt, ergò nec amittere potuerunt: Privatio enim præsupponit habitum: Bona verò temporalia omnibus æquè, tum Evangelium profitentibus, tum infidelibus, communia sunt, nullis verò absolutè promissa. Cujus igitur jacturam facere adversa pars dicet, non necessariò Evangelicæ professionis vel notitiæ: Multi enim, qui conscientiam repellunt, non illico professionem Evangelii abnegant vel ejus notitiam amittunt: Argumentum igitur hoc Paulinum à metuendâ ipsius professionis vel notitiæ jacturâ ductum, utpote particulare, esset infirmum. Præterea externæ istius professionis jactura non adeò magnifacienda esset, quoniam hypocritica hæc professio ipsis in majorem condemnationem cedere debeat, & occulta hypocrisis pessima sit, *vid. Apoc.3.v. 15. Matth.c.23.v.13.& seqq.2. Tim.c. 3.v.5. Tit.c.1.v.16.*

Ad V. respond. I. Quia non omnes, qui conscientiam repellunt, statim professionis & notitiæ Evangelicæ jacturam faciunt, ratio hæc Pauli, à periculo desumpta, esset particularis, & sic nullâ vi persuadendi prædita. II. Quid periculi subit, quid damni capit ille, qui naufragium facit externæ duntaxat professionis, ad salutem ipsi, quamvis in eâ persisteret, non profutura? III. In quo bona est conscientia, in eo etiam est fides justificans, ut suprà probatur: Ergò qui expellit bonam conscientiam, is fidem justificantem habuerit, necesse est: bona enim conscientia non potest esse in eo, qui scit, fiducialiter credendum esse DEO, & tamen fiducialiter non credit, utpote qui scit, se alienum esse à præstatione voluntatis divinæ, & sic bonam conscientiam habere nequit. Qui itaque expellit bonam conscientiam, etiam excutit fidem justificantem, & qui ob expulsionem bonæ conscientiæ amittit fidei notitiam & professionem, is utique amittit etiam fidem justificantem, quæ cum bona conscientia semper conjuncta est, & sine notitiâ præviâ non consistit.

Ad VI. respond. I. De tali naufragio hîc sermo est, ut in fidei locum succes-

successerit blasphemia. 2. propter quod Diabolo traditi sunt, 1. *Tim. c.* 1. v. 20. & 3. quo factum est, ut non tantùm ipsi naufragi in fide aberrarint, sed etiam alter aliorum fidem subverterit 2. *Tim. c.* 2. *vers.* 18. alter Pauli sermonibus protervè restiterit, 2. *Tim. c.* 4. *vers.* 15. ob quod Paulus ei retributionem secundum opera ipsius à Domino imprecatus fuerit v. 14. II. Si totaliter fidem non excusserunt, quid ergò de eâ amiserunt? Non notitiam, quippe quæ non nisi per morbum aut simile quid amitti potest, non assensum, quippe, hoc deperdito fiducia ampliùs superstes manere nequit, nec fiduciam, quæ, semel data, ex opinione adversæ partis, amitti nequit: Nihil ergo per hoc naufragium, qui bonam conscientiam expulerunt, amiserunt.

Ad VII. respond. I. magis & minus non diversificant speciem: Parva fides etiam est & manet fides, *vide Marc. 6. vers. 29. Luc. c. 17. vers. 6.* II. Naufragium fidei cum expulsione bonæ conscientiæ conjunctum, non potest consistere in partiali diminutione fiduciæ, ita ut habitus fidei delitescat instar ignis, cineribus obtecti, usus verò, actus & sensus ejus tollatur, exemplo phreneticorum & ebriosorum, in quibus ratio manet, quamvis eâ non utantur, quo simili adversa pars utitur.

Vindicato dicto Paulino à sinistra interpretatione, quibus medis bona conscientia foveatur, brevibus dicendum erit.

*Quinque* potissimum intemeratam conscientiam conservant. *I. Attenta Dei auscultatio. II. Devota cum Deo collocutio. III. Intimior cum Christo cõsociatio. IV. Quotidiana quorundam ad pietatem incitamentorum repræsentatio. V. Stricta cogitationum, sermonum, membrorum & totius corporis moderatio. VI. Penitior peccati consideratio.*

I. *Attenta Dei auscultatio* est accurata verbi divini, quo DEUS nobis loquitur *Iesa c. 1. v. 2.* meditatio. Quia omnes peccatores sumus, conscientia nostra polluta est, igitur pugnanda est per applicationem purificationis sanguine Christi acquisitæ, (1. *Ioh. c.* 1. v. 7.) mediante fide obtinendam. Ita conscientiâ nostrâ purificatâ, novæ obedientiæ juxta legem DEI studere, & vitia, conscientiam contaminantia, devitare debemus, considerantes illud *Sirac. c. 13. v. 30. Bonam substantiam habet, cui non est peccatum in conscientia.*

II. *Devota cum Deo collocutio* est humilis Dei compellatio, *Cyprian. tom. 1. Ep. 2. p. 4. f. 2. n. 10. August. super Psal. 85.* quâ Deum in nomine Christi exoramus, ut Spiritu suo sancto nos induat, *Luc. 11. v. 13.* qui nos deducat per solum planum, *Psal. 143. v. 10. Multum valet efficitq; hac justi precatio, Iac. c. 5. v. 16.*

III. *Intimior cum Christo consociatio* fit per corporis & sanguinis ejus parti-

participationem in S. Euchariſtiâ. *Chriſtus* ſanè *per fidem in cordibus noſtris habitat, Epheſ.c.3.v.17.* intimiùs tamen nobis unitur per corporis & ſanguinis ſui communicationem, *Iohan.c.6.v.56. qui meâ carne veſcitur, meumq; ſanguinem bibit* (ſpiritualiter, quæ ſpiritualis manducatio & bibitio ad ſalutarem S.cœnæ uſum requiritur) *is manet in me, & ego in eo, Qui* verò *in me manet, & ego in eo, is multum fert fructum : Siquidem ſine me nihil poteſtis facere, Johan. c.15. v. 5.* Efficaciter ſanè nos verbum Dei vivificat, *Hebr.c.4.v.12. Iohan.c.6.v.68.* non minùs caro & ſanguis Chriſti, *Iohan.c.6.v.33.50. 51.53.54.* cùm illud pro nobis ſit traditum, hic vero pro nobis effuſus in remiſſionem peccatorum noſtrorum *Luc 22.verſ.19.20. Matth. c 26.v.28. Marc.c.14.v.24.* Verbum Dei nos certos in genere reddit de remiſſione peccatorum, fidemque noſtram confirmat: Sacra verò Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti, tanquam pignus redemptionis, mediante pane & vino, in S. Euchariſtia nobis exhibet, & unicuique noſtrum in individuo denuntiat, corpus Chriſti pro unoquoque panem benedictum manducante, in mortem traditum, & ſanguinem ipſius pro unoquoque, ex poculo benedicto bibente, effuſum eſſe in remiſſionem peccatorum, quæ ipſe patravit.

IV. *Quotidiana quorundam ad pietatem incitamentorum repræſentatio* ſalutare exercitium eſt. Multa ejuſmodi pietatis exercitia ſuppetunt, inter quæ eminent. I. *Deum in omnibus actionibus præſentem ſiſtere* II. *Quatuor noviſſima recenti memoriâ tenere.*

*Prius* commendat filio ſuo Tobias *c.4.v.6. Per omnem vitam tuam Domini DEI noſtri ita memor eſto, ne in eum, contra ejus præcepta faciendo, pecces. Proverb.c.3. v.6. In omnibus viis tuis cogita Dominum, & ipſe diriget greſſus tuos. Pſalm.16.v.8. Dominum mihi jugiter habeo propoſitum, quo mihi dextero non labefiam.* Ecquis in præſentia & conſpectu honeſti viri, ſui patris, Domini, benefactoris vel etiam judicis indignum facinus auſit? DEUS verò ubique eſt præſens, *Sirac.c.24.v.8.9. 10.* nec homo ita latebit in tenebris, ut ipſe eum non videat, *Ierem. 23.v.24.* oculi ipſius, millies ſplendidiores ſole, intuetur mores hominum omnes, & ima profundi & hominum corda, & abſtruſas contemplatur partes; *Sirac.c.23.v.28.* Ipſe eſt pater noſter, *Ieſ.c.64.v.16.* Dominus noſter, *Malach.c.1.v.6.* benefactor noſter, *Act.14.v.17.c.17. v.25.* cui diſplicet improbitas, *Pſalm. 5.v.5.* Eſt judex vivorum & mortuorum, *Actor.10.v.42.* qui & tenebrarum occulta proferet in lucem & animorum conſilia patefaciet, *1.Cor. c.4.v.5.* Jugiter igitur hæc *tria* tibi propoſita habe: *Oculum*, qui omnia noſtra cogitata, dicta & facta, etiam in abditis edita, coram videt, *Sirac. c.23.v.27.28.29. Aurem*, quæ omnia noſtra cogitata, dicta & facta atten-

Digitized by Google

attendit, *Psalm. 94. v. 8.9.10. & Librum*, cui omnia nostra cogitata, dicta & facta inscribuntur, ut ex eo in extremo die judicemur, *Apoc. c. 20. v. 12. 13.*

*Posterius* inculcat *Sirac. c. 7. v. ultimo: In omnibus negotiis tuis recordare extremorum, & in æternum non peccabis.* Extrema autem ista, quorum nobis in omnibus cogitatis, dictis & factis est recordandum, sunt *quatuor*: *Mors, Iudicium Extremum, Vita æterna*, & *Infernalis pœna*.

In *recolendâ morte* consideranda erunt *quatuor*: I. *Mortis certitudo, Ps. 89. v. 49. Heb. c. 9. v. 27.* II. *Incertitudo temporis, loci, generis & constitutionis nostræ*: Incerti sumus, quo die, horâ & momento, quove loco terrarum, *Prov. c. 27. v. 1. Eccles. c. 9. v. 14. Marc. 13. v. 33. 34. 36. 37. Iac. c. 4. v. 13. 14. 15. Apoc. c. 16. v. 15.* & quo mortis genere nobis moriendum, quo etiam in statu res nostræ animi, corporis, & fortunæ tempore mortis futuræ sint. III. *Periculum. Eccles. c. 11. v. 3. Sive deciderit arbor ad meridiem, sive ad aquilonem, quo loco ceciderit arbor, ibi futura est.* add. *Matth. c. 16. v. 26. Psalm. 49. v. 89.* IV. *Derelictio divitiarum, bonorum, voluptatum & omnium, quæ mundi sunt*; quæ omnia, si in morte mihi relinquenda perpendo, non offendar, si impiorum divitias, honores & delicias videro, non, ut eorum potiar, nimium vel contra legem DEI annitar, neve iis ad peccandum inducar, vel corde adhærebo, vel confidam, vel abutar, *vide Psal. 49. v. 17. 18. Tim. cap. 6. v. 7. 8.*

*Memoria extremi judicij quinque tremenda* nobis reponet, ut sunt. I. *Citatio ad judicium* per celeusma & sonitum tubæ, 1. *Cor. 15. vers. 51. 52. 1. Thes. c. 4. v. 16.* II. *Stricta & accurata examinatio* omnium cordis nostri *cogitatorum* & consiliorum, etiam *in tenebris*, in abscondito & sub specie recti *agitatorum*, 1. *Cor. c. 4. v. 5. cujusvis otiosi verbi Matth. 12. v. 36. 37. totius nostræ vitæ omniumque negotiorum*, 2. *Cor. c. 5. v. 10. Eccl. c. 12. v. 14. administrationis bonorum*, sive fuerint animi, sive corporis, sive fortunæ, *Matt. c. 25. v. 14 & seqq. Luc. c. 19. v. 12. & seqq. officij, status & vocationis, Heb. c. 13. v. 17. Matth. c. 24. v. 45. & seqq. scandali dati, Matth. c. 18. v. 6. Marc. 9. v. 42. Luc. 15 v. 12. temporis, Sirac. c. 4. v. 23.* III. *Iudex*, qui erit *universalis* vivorum & mortuorum, *Act. c. 10. v. 42.* Christus Jesus, *Ioh. c. 5. v. 22. Actor. 17. v. 31. supremus Matth. c. 25. v. 32. fortis & omnipotens, Psal. 24. v. 8. Sap. c. 11. v. 22. Hiob. cap. 10. v. 7 Psalm. 139. v. 7. 8. 9. 10. 11. 12. inflexibilis, Act. 10. v. 34 Iac. 1. v. 17. omniscius, Heb c. 4. v. 13. justus, Jer. c. 11. v. 20. Psalm. 7. v. 12. 2. Tim. ca. 4. v. 8 iratus, Psalm. 76. v. 8.* IV. *Accusatorum & Testium Multitudo*, ibi prodibunt *Conscientia Rom c. 2. v. 15. Sap. c. 5. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Doctores & Præceptores Hebr. c. 13. v. 17. Ioh c. 12. v. 48 Iusti & pij homines; Sap. c. 5. v. 1. Diabolus, Apoc. c. 12. v. 10. Omnes creaturæ, Rom. c. 8. v. 19. 20. 21. 22.* V. *Sententia definitiva in impios lata*, quæ



Digitized by Google

habetur. *Matth.c.25.v.41. Faceſſite à me maledicti in ignem ſempiternum, Diabolo ejusq; angelis paratum. Quinque* horrenda ſententia hæc complectitur: *ſempiternam ſeparationem à Deo*, Sanctis Angelis & omnibus electis, quæ includit privationem omnis gratiæ, conſolationis, miſericordiæ & auxilii divini. *Sempiternam maledictionem, ſempiternum ignem, ſempiternam, triſtem & horridam cohabitationem cum Diabolis*, & *irrevocabilem amandationem ad* infernales pœnas.

*In contemplatione vita aterna* nobis repræſentabitur, *inſatiabilis divina majeſtatis viſio, Matth. c.5.*v.8. *Hiob.c. 19.*v.*26.* 1.*Cor.13.*v.12. 1.*Ioh. c.3.*v.2. *ineffabilis vita aterna conditio,* 2. *Cor.12* v.4. *Pſal.16.*v.11. *continua Dei collaudatio, Apocal.c.4.*v.8.*c.7.*v. 11.12.*c.*12.v.10. *anima noſtra decoramenta*, quibus *intellectus* ſublimabitur in ſapientiam, 1. *Cor.c.* 13.v.9. 10. *voluntas* in ſanctitatem, *Matth. c.*22.v.30. *affectus* in conformitatem cum voluntate DEI. *Epheſ.c.* 5.v.27. *claritudo corporum noſtrorum*, quâ conformia erunt corpori Chriſti. *Philipp.c.*3.v.21. & Angelis, *Matth. c.*22.v.30. *Luc.c.20.v.36.* in claritate, *Sap.c* 3 v.7. *Dan.c.*12. v.3. *Matt.c.13.* v.43. in celeritate, 1. *Theſſ.c.4 v.17. Ieſ.c.* 40 *v.* 31. *Sap.c.3 v.7.* in robore, 1.*Cor.c.15.v.44.* in inviſibilitate, *Luc. c.24.v.37. Matth.cap.27.v.53. Iudic.c.* 13.*v.3.* in immortalitate, 1.*Cor.c.15. v.42.53. Apoc.c.21.4.* in facultate penetrandi dimenſiones, *Luc.* 1.*v.29. c.24.v.37. Ioh.c.20.v.19.26.* in perfectione virium indeiectarum, *Ieſaia c.* 40. v.31. in perfectione naturæ, nulli reparationi per cibum & potũ obnoxiæ, *Ieſaia c.49.v.*10. *Apoc.c.7. v.16. perjucũda ſocietas & converſatio cum Chriſto, Ioh.c.12.v.26.c.14.v.3. c. 17.v.24.1. Theſſ.c.4.v.17. cum ſanctis Angelis, Heb.c 12. v.22.* & *omnibus electis, Matth.c.8.v.11. Luc.c.13.v.28. Hebr.c.12.v.23.*

*In infernalis pœna ponderatione* nobis terrorem iniiciet, *Separatio ſempiterna à Deo, Angelis & electis, Matt. 7.v.23. c.13.v.41.42. c.24. v.40. c.25. v* 41. *Luc.13.v.27.28* 29. *c.17. v.34. 35.36. Horrẽda ſocietas cũ tetris Diabolis, Matt.25 v.* 41. *Extrema, Hiob.6 v.* 23 *cõtinua, Apoc.20. v.* 0. *& infinita, Apoc.14. v.11. c.19. v.3 tortura & cruciatus. Tenebra extrema, Matt.8.v.12 c.13.v.42. c.22. v.13. c.24. v 51. c.25. v. 30. Luc.13.v.* 28. *inextinguibilis ignis, Ieſ.65.v.5 c.66.v.24 Mat.3.v.10.12 c.13.v.42. c.25.v.41. intolerabile frigus, Zach.14.v.6. Matth.8 v.12. Luc. 13.v 28. vapor & fœtor ſulphureus, Ieſ. 34.v.8.9* 10. *Apoc.14.v.10. c.19.v.20 c.20.v.14. c.21.v.8. mordens conſcientia, Ieſ.66.v.24 ſenſus ira divina, Sap.* 11.*v* 10. *Matth.3. v.7. Ioh.3.v.36.* 1. *Theſ.1.v.10 Apoc.6.v.16.17. mors perpes. Pſal. 49.v.15. Apoc. 2. v. 11. c.9. v. 6. c. 20. v. 6.14. c. 21. v.8. fames & ſitis, Ieſ.65.v.13. Apoc.* 18. *v.* 8. *Luc.16. v.24.*

V. *Strictâ cogitationum, ſermonum, membrorũ & totius corporis moderatione etiam opus eſt.*

Cogi-

*Cogitationes* nostræ sunt bonæ, malæ, indifferentes, per se nec bonæ nec malæ, otiosæ & vanæ, mundanæ. *Bonis & sanctis cogitationibus* tenaciter inhærendum, & DEUS rogandus est, ut nos idoneos reddat ad cogitandum aliquid boni, 2.*Cor.*3.*v.*5. & efficiat, ut velimus & perficiamus, *Phil.* 2. *v.*13. *Malæ* cogitationes, quam primùm insurgunt, sufflaminandæ, & inhibendæ sunt, ne provocent delectationem, delectatio consensum, consensus effectum, effectus consuetudinem, consuetudo habitum, habitus cauterio inustam conscientiam. *Indifferentes* cogitationes DEO placent, si ad bonum finem juxta verbum DEI dirigantur, locoque & tempore debito procedant, secus DEO displicent, ut sunt cogitationes de agriculturâ, œconomiâ, &c. *Otiosæ & vanæ* cogitationes, quibus intendimus, aliquid discere vel experiri, quod est abditum, nec scire convenit, nec expedit, supprimendæ sunt. *Mundanæ* cogitationes, quæ sunt de honoribus, divitiis & vitæ hujus prosperitate potiundis, mediocritatem non excedant, ne semen verbi divini suffocent, *Matth.* 13.*v.*22. vel animi nostri obruantur, *Luc.*21.*v.*34.

*Sermonibus* ne quis delinquat, néve quempiam lingua perdat, custodiam, ori suo præfectam, habeat, & labris cautum sigillum, *Sirac.* 22.v.33. taceat, si ad colloquia non provocatur, nec officium nec status ipsius exposcit, nec, ut ipse loquatur, necessitas requirit. *Qui linguæ temperat, is potest etiam cum homine difficilimo vivere, & qui loquacitatē odit, minimè afficitur malo. Nunquam, nequiter & durè dicta, retuleris, & nihil tibi incommodabitur. Cujus tibi conscius es, nec apud amicum nec apud inimicum enunciato, & nisi in te redūdaturum esset peccatum, ne reveles. Nā qui audiverit te, & observaverit te, is suo tempore odio habiturus est te. Audivisti sermonem? moriatur apud te, & bono animo esto, non enim rumpet te: A sermone stultus cruciatur doloribus, ut à fœtu parturiens, Sirac.*19 *v.*6.7.8.9. 10.11. *Est tacens, qui sapiens deprehēditur, est & qui crebrâ loquacitate fit odiosus. Est tacens eò quòd non habeat responsionem, & est tacens, qui opportunitatem novit. Vir sapiens silet ad opportunitatem usq;, procax verò & insipiēs opportunitatem transilit. Qui verbis multis utitur, invisus est. Sirac.*20. *v.*6.7.8. Si cui necessitas loquendi imponitur, *tria* priùs sibi ruminanda ducat, an id, quod elocuturus est, *ad Dei gloriam, ad conscientiæ suæ tranquillitatem, & ad proximi commodum* vergat, quòd si ita rem se habere deprehenderit, tutò proloquatur, si sequiùs, sermonem conceptum reprimat.

*Membra corporis* ab omni malo & specie mali refrænanda sunt. *Matth.* 18.*v.*8.9.1.*Thess.*5 *v.*22. per modestiam eorum compositionem & cohibitionem.

Decet nos etiam *corpus* nostrum contundere & in servitutē redigere, 1.*Cor.*9.*v.*27. Quam corporis castigatio-

gationem Paulus alibi vocat crucifixionem carnis cum affectibus & cupiditatibus, *Galat.* 5. *v.* 24. crucifixionem veteris hominis, item abolitionem corporis peccati, *Roman.* 6. v. 6. mortificationem actionum carnis per spiritum, c. 8. v. 13. mortificationem membrorum, quæ super terris sunt, *Coloss.* 3. v. 5. depositionem veteris & assumtionem novi hominis, *Ephes.* 4. v. 22. 24. *Coloss.* 3. v. 9. 10. Ad quam rem multùm conducit *temperantia*, *Rom.* 13. v. 14. *jejunium*, *Deut.* 32. v. 15. *labor*, *Sirac.* 33. v. 29 *somni moderamen*, quibus, ne corpus in luxum effundatur, efficitur.

V. Non nisi *peccato* conscientia læditur, quod si penitiùs consideremus, illud abominabimur: Peccato enim homo à Deo deficit, & se Diaboli potastati exponit. Auditu verò horribile est, hominem adeò sui oblivisci, ut remittat nuncium Deo, qui ipsum creavit, *Malach.* 2. v. 10. à peccatis redemit, *Tit.* 3. v. 14. verbo suo sanctificavit. *Iohan.* 17. v. 17. ab omni malo vindicavit, per totam vitam sustentavit, *Genes.* 48. v. 16. ipsi dedit, ut sit, vivat & moveatur, *Act.* 17. v. 28. in ejus gratiam omnes creaturas condidit, suæque beneficentiæ testes omnia corporis humani membra esse voluit. Auditu horribile est, hominem malitiosè Deum prodigere, quum hic sit summum & immensum bonum: unde peccatum, quod à summo bono separat, *Iesaiæ* 59 *vers.* 2. & in extremam perniciem deducit, summum malum sit, oportet. Auditu horrendum est, in præsentia & conspectu Dei peccare, coram cujus tremendâ majestate omnes creaturæ tremunt, *Ierem.* 10. v. 10. faciem abscondunt Angeli, *Ies.* 6. v. 2. penes quem est animam & corpus perdere in gehenna, *Matth.* 10. *v.* 28. cujus oculis omnia sunt nuda & intimè patentia, *Hebr.* 4. v. 13. etiam in locis abditis patrata, *Sirac.* 23. v. 26. Auditu horrendum est, eum ad iram provocare, qui est ignis edax, *Deut.* 5. v. 24. *Hebr.* 12. v. 29. cujus ira est ignis incensus, qui ad ima usque tartara exardescit. *Deut.* 32. v. 22. *Montes per eum commoventur, collesq; dissolvuntur, & tollitur ejus adventu tellus, orbisque & omnes ejus incolæ: Eius iram quis sustineat? aut quis, eo irâ ardente, consistat? fluente ignis ritu, excandescentia ejus, & cautibus per eum dissilientibus, Nahum.* 1. v. 5. 6. Auditu horrendum est, hominem adeò suæ salutis prodigum esse, ut malitiosè se potestati Diaboli dedat, qui ipsum, laqueo constrictum, ad suum libitum captivum ducit, 2. *Tim.* 2. v. 26. animum ipsius invadit, eidemque semen verbi divini & omnem consolationem præripit, *Matth.* 13. v. 19.

Christianæ itaque prudentiæ erit, vitam juxta *scrutinium conscientiæ* eo modo, quo p. 49. & eum in finem, qui p. 87. meo libello vom wahren Gott-wolgefälligen Christenthumb præscriptus est, examinare, ne quis in eundem scopulum sæpiùs impingat, sed præposteræ suæ inclinationi maturè consulat.

QVÆ-

## QVÆSTIO II.

### *An famæ quandoq; ratio prior haberi possit, quàm conscientiæ.*

*Duæ sunt res, conscientia & fama. Conscientia est necessaria tibi, fama proximo tuo: qui, fidens conscientiæ suæ, negligit famam, crudelis est, Augustin. ad fratr. in Eremo serm. 52.* Illam propter nos ipsos sapientissimè retineamus, hanc propter alios misericordissimè provideamus. *Idem serm. 49. de diver. Non sunt audiendi sive viri sancti, sive fœminæ, qui, quando reprehenduntur in aliqua negligentia, ut in malam veniant suspicionem, unde vitam suam longè abesse sciunt, dicunt, corā Deo sufficere sibi conscientiam, æstimationem hominum non solùm impudenter, verùm etiam crudeliter contemnentes, quum occidant animas aliorum, sive blasphemantiū viam Dei, quibus secundum suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorū: vel etiam cum accusatione imitantiū non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autē etiam famā, & in alios est misericors. Nobis n. necessaria vita nostra, aliis fama nostra, Augustin. de bono viduitatis & hab. 11. q. 3. Non sunt audiendi.*

Fama tamen nunquam jacturâ bonæ conscientiæ redimenda est: *Charitatis ordo* hîc observari debet, tum quoad personam, quæ diligitur, tum quoad rem, quæ in illa diligitur, vel illi desideratur. Quoad personam *quatuor* ex charitate nobis diligenda sunt, *hoc ordine*: *Primum, quod supra nos est, Deus.* Is enim super omnia diligendus ex toto corde, ex totâ animâ & omnibus viribus, *Deut. 6. 3. Matth. 22. v. 37. 38. Rom. 8. v. 35. 38. 39.* *Alterum,* quod *nos ipsi sumus: Qui n. sibi nequam, cui bonus erit? Sirac. 14. v. 5.* *Tertium,* quod *juxta nos* est, *proximus*: Diliges proximum tuum, sicut teipsum, *Levit. 19. v. 18. Matt. 22. v. 39.* *Quartum,* quod *infra nos* est, *corpus hominis, Augustin. l. 1. de doctr. Christian. 23. 26. 27. Biel. l. 3. distinct. 28. ab initio.* *Quoad rem* sunt bonorum genera *tria*, quæ vel nobis ipsis vel aliis velle possumus: I. Sunt *bona spiritualia*, fides, gratia Dei, bona conscientia, &c. *Longè enim dignior anima corpore, priore sibi felicitudinem naturalis vendicat dignitate, Bernh. de advēt. serm. 6. addatur Mat. 6. v. 25.* II. *Bona corporalia*, vita, sanitas, *Sirac. 30. v. 15. 16.* III. *Bona externa*, fama, honor, divitiæ, *Sirac. 41. v. 15. confer. c. 30. v. 16.* Hoc est vexillum & ordinatio charitatis, *Cantic. 2. v. 4.* Conjungendo ordinem charitatis quoad personam & rem, quisque 1. Deum diligat. 2. Seipsum secundum bona spiritualia. 3. Proximum secundum bona spiritualia. 4. Seipsum secundum bona corporis. 5. Proximum secundum bona corporis. Denique seipsum, & postea proximum secundum bona externa. *Bonum* autem *inferioris ordinis non est redimen-*



Digitized by Google

*dum bono superioris, in suo genere aequè gravis*, ut habet regula apud *Petr. Navarr. l.2.c.4.num.*403. Cùm igitur bona conscientia bonum sit superioris, fama verò inferioris ordinis, illa huic nequaquam cedere debet, nec potest. *Conscientiae potiùs, quàm famae attenderis. Publ. Syrus. Est aliquando gratus, etiam qui ingratus videtur, quem mala interpres opinio in contrarium traducit. Hic quid aliud sequitur, quàm ipsam cõscientiam? quae etiam obruta delectat, quae concioni & famae reclamat, & in se omnia reponit, & cùm ingentem ex altera parte turbam contra sentientium aspexerit, non numerat suffragia, sed una sententia vincit. Senec. l.6. Benef. c.21. f. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriae. Non vis esse justus sine gloriâ? at saepè justus esse debebis, cum infamia. Et tunc, si sapis, mala opinio benè parta delectat, Idem epist.* 113 *f.*

Qui, neglectâ conscientia, famae litat, ambitiosus est; Ambitio autem est indigna homine Christiano, *Phil.* 2.*v.*3. & extra regnum coelorum eliminat, *Gal.* 5.*v.* 21. 26.

Exemplo nobis esse potest Josephus, *Genes.* 39.*v.*7. *& seqq.* qui conscientiâ ductus, postulatum impurum herae suae neglectui habebat, nec carcerem nec infamiam curabat. Susanna, quae maluit innocens perire, quàm contra conscientiam adulterium committere, *in Histor. Susannae v.*22.23. Apostoli, qui laeti ex Concilio Sacerdotum discedebant, quòd digni habiti essent, qui propter nomen ejus afficerentur ignominiâ, nec minis nec verberibus adigi poterant, ut magis hominibus, quàm Deo obedirent, *Actor.*4.*vers.*19.*c.*5.*v.* 29. 41.

***

LIBER

Digitized by Google

# LIBER SECUNDUS.

## De actionibus hominis circa DEUM & religionem.

### CAPUT I.

### *De casibus conscientiæ, qui circa fidem & cognitionem Dei occurrunt.*

ACtiones hominis circa Deum non saltem externa dicta aut facta concernunt: sed & internas de Deo cogitationes & conceptus mentis complectuntur, quos omnes verbo DEI conformes esse oportet, ut conscientia maneat illibata. Quidquid enim hîc turpe factu est, illud etiam nec dicere nec cogitare licet: quin potiùs, *optimè de Deo existimare, verissimum est pietatis exordium, ut Augustinus loquitur lib. 1. de lib. arbitr. c. 2.* Agit autem homo *vel de Deo*, vel *cum Deo*: illud ad fidem & cognitionem Dei, hoc ad cultum & religionem pertinet. *Fides* & cognitio Dei partim *ratione sui*, partim, *ratione essentiæ, personarum & attributorum divinorum*, dubia quædam involvit, quibus satisfaciendum est, ut hac in parte conscientiæ consolatur. *De fide & cognitione Dei in sese, abstrahendo essentiam, personas & attributa ejus, primo loco agemus*: ubi sequentes occurrunt casus. *Quid in hoc capite agendum.*

### CASUS I.

Primùm omnium, cùm in rebus fidei ac salutis ad Scripturam Sacram remittamur, sollicita est conscientia:

### *An scripturam unicum principium salutaris cognitionis Dei, rerumq; divinarum rectè statuámus?*

*De Scriptura Sacra, quod sit principium salutis & cognitionis Theologiæ.*

REsp. Ab hoc casu meritò fit initium, tanquam à fundamento, cui reliqua omnia innituntur. Nisi enim hac de re certi quid constiterit, nunquam acquiescet conscientia in iis, quæ ex scriptura de Deo rebusque divinis vel creduntur vel differuntur. Semper enim regeret, & quis scit, an scriptura me rectè instruat,

Digitized by Google

ſtruat, & an fidem ei haberi teneat?

*Ex ſola ſcriptura Deum & res divinas rectè & utiliter cognoſcere poſſumus.*

Dicimus igitur, *ex ſola ſcriptura DEUM & res divinas rectè & ſalutariter cognoſci.* Rationes hujus adſertionis alibi prolixiùs tractantur: nos hoc in loco ad tranquillandam conſcientiam primas ſaltem lineas ducemus.

*Probatur quinq; rationibus. 1 ratio; à principii requiſito & proprietate.*

1. *Prima ratio eſt*; quia in omnibus artibus ac diſciplinis melius dari principium nõ poteſt, quàm, quod eſt οἰκεῖον, homogeneum, & illi diſciplinæ proprium. Ita de rebus medicis è principiis medicinæ; de Juriſprudentiâ ex regulis juris omnium rectiſſimè docetur. Ita etiam de DEO & rebus divinis non aliundè rectiùs, quàm ex verbo Deo judicatur: nemo n. meliùs de Deo teſtari poteſt, quam Deus ipſe in verbo ſuo, de quo nemo dubitat piorum. Hinc ſunt notiſſimi verſiculi:

*Deſine, cur numen nemo ſine numine cernat,*
*Mirari, Solem quis ſine ſole videt?*

*Qudnam ſit verbum Dei.*

*Et ſine Deo nõ cognoſcitur Deus, inquit Irenæus lib. 4. cap. 14. Eſt autem verbũ Dei illud, quod in ſcriptura Prophetarum & Apoſtolorum continetur,* unde appellatur ſcriptura θεόπνευστος *2. Tim 3, 16. & Deus eſt, qui dedit verba ſua in os Prophetæ Ier. 1, 10. Et locutus eſt per os Prophetarum Luc. 1, 70. Act. 28, 25. & à S. S. acti locuti ſancti Dei homines 2. Pet. 1, 21.* quis ergo nõ acquieſcat, cùm ex ore Dei audit, quæ de Deo ſcire convenit?

*2. Ratio, ab ipſius Dei ſeria voluntate.*

2. Deinde Deus ipſe in rebus divinis ita ad verbum ſuum nos alligavit, ut præter illud nihil quidquam admittere velit: *Non addetis ad verbũ,* inquit, *quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, Deut. 4, 2.* quod præceptum tanti facit Dominus, ut eo quaſi obſignet codicem Biblicum. Ita n. ſcribitur *Apocal. 22. 18. Confiteor omni audienti verba Prophetiæ hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus auferet Deus partẽ ejus de libro vitæ &c.* Noſtrum ergò eſt, in ſolidum adquieſcere in iis, quæ nos verbum Dei de Deo docet.

*3. Ratio, à Chriſti ad ſcripturas remiſſione.*

3. In novo teſtamento Chriſtus ipſe remittit nos ad ſcripturas tanquam ordinarios certiſſimosque teſtes eorum, quæ de ipſo credenda ſunt *ſcrutamini ſcripturas, inquit, quia hæ ſunt, quæ de me teſtantur Ioh 5, 39.* Unde autem rectiùs Chriſtum cognoſcere poſſumus, quàm ex teſtibus ejus?

*4 Ratio, à Pauli de ſufficientia ſcripturæ teſtificatione.*

4. Paulus de ſacris literis teſtatur, quòd *hominem inſtruere poſſint ad ſalutem 2. Tim. 3. 15.* in Græco eſt σοφίσαι ſapientem reddere poſſunt: Ergò ſcripturæ ſufficiunt ad ſapientiam divinam & cognitionem earum rerum, in quibus ſalus hominum conſiſtit.

*5 Ratio, ab Eccleſia ſuper verbum Dei fundatione.*

5. *Eccleſia ædificata dicitur ſuper fundamentũ Apoſtolorũ & Prophetarũ Eph. 2, 20.* Ergo in ſcriptis Apoſtolorũ & Prophetarũ verũ fundamentum eſt cognitionis rerum divinarũ.

*His additur Patrum cõſenſus & conſpiratio ſive confeſſio.*

*Hinc Irenæus lib. 3. cap. 1.* ſcripſit: *Non præ alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evange-*

Digitized by Google

*vangeliũ pervenit ad nos, quod quidem tũc præconiaverunt, postea verò per* DEI *voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Non n. fas est dicere, quòd antè prædicaverint, quàm perfectam haberent agnitionem.* Ita *Ambrosius scribit lib.1. de fide ad Gratian. c.4. Nolo argumento credas, S. Imperator, & nostræ disputationi: Scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus* Prophetas, *interrogemus Christum. Quid multùm?* Patrem *interrogemus, cujus honori studere se dicunt.*

Sufficiunt hæc piis & veritatis studiosis: neque enim ulla aliunde esse potest tranquillitas conscientiæ in rebus fidei, quàm quæ ex sacris hauritur scripturis. Quæ verò hostes scripturarum Pontificii de imperfectione & obscuritate scripturæ sacræ, ut & de privato hominis judicio in interpretatione scripturarum obtendunt, alibi sufficienter discussa sunt. Nostrum non est, hoc in loco istis immorari, neque debent tentati huic mari disputationum se committere, sed cùm videant adversarios contrà scripturam, id est, contra os DOmini disputare, contemnere debent hunc diabolum & cogitare, quod *Iren.* scripsit *l. 3. c. 2. Hæretici cùm ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant.*

## CASUS II.

Quid verò, si dubitet aliquis:

***An scripturæ potiùs credendum sit, an verò interpretibus ejus priscis & recentioribus, sine quorum opera multi simpliciores scripturam non intelligunt: horum verò respectu fides ab autoritate hominum potiùs, quam Dei pendebit, ac propterea incerta erit?***

*De autoritate interpretum & certitudine scripturæ.*

*Interpretes per se non sunt authentici.*

RESP. Interpretes, cujuscunque etiam sint autoritatis in Ecclesia, per se non sunt authentici, neque per ipsos creditur scripturis, sed propter scripturas ipsis, quia nimirum ipsorum interpretatio est *analogia fidei*, quod ab omni interprete scripturarum requiritur *Rom. 12. v. 6.* Nam scripturæ sensus est in ipsa scriptura: interpretes nihil aliud sunt, quam administri & doctores, qui sensum illum commodè eruere docent: quam ob causam D. *Petrus* scripsit, scripturam non esse ἰδίας ἐπιλύσεως *2 Petr. 1, 20.* Ratio est quia scriptura ex immediata revelatione DEI profecta, noster verò intellectus per peccatum miserè obtenebratus est: Ideò illuminatione Spiritus Sancti opus habet, quæ fit per

*Interpretatio scripturæ debet esse analoga fidei.*

*Autoritas scripturæ ab Augustino*

*eiumaxime commendatur.* per ſcripturam, cui φωτισμὸς *ſeu illuminatio* tribuitur 2. *Cor.* 4. *v.* 4.

Hinc *Auguſtinus in interpretatione ſcripturarum, nec ſibi nec aliis fidem vult haberi, niſi quæ dixerint, ipſarum ſcripturarum autoritate fuerint cõfirmata. Non audiamus, inquit, hæc dico, hæc dicis, ſed hæc dicit Dominus, de unit. Eccl. c.* 3. *& ad Hieronymum* ſcribit *Epiſt.*19. *Ego ſolis iis ſcripturarũ libris, qui canonici jam appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum autorum erraſſe firmiſſimè credam: alios autem lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, quòd ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel ratione probabili perſuadere potuerunt. Similia habet Epiſt.* 111. *ad Fortunatum & alibi.*

*Deciſio hujus quæſtionis.* Quæ cùm ita ſint, concludimus, *interpretibus etiam quantivis ſint pretij, minimè credi in reb⁹ fidei*, niſi quatenus ipſorum interpretatio cum perpetuo ſcripturæ tenore conſentiat. A ſcripturæ ergò judicio dependet omnis veritas fidei, non ab autoritate hominum, ac proinde

*Refutatur Bellarmin.* falſum eſt, quod *Bellarm. ſcribit. lib.* 3. *de verb. Dei cap.* 9 *ſcriptura non poteſt ſeipſam interpretari.* Manifeſtò hoc eſt contra Petri aſſertionem, qui negat ſcripturam niti *privatâ interpretatione*: eſt & *contra Paulum*, qui vult ſcripturæ interpretationem fidei analogam eſſe, quæ analogia fidei, non niſi in ſcriptura reperitur.

### CASUS III.

*Sed unde ſcire poſſum, quòd libri biblici, à quorum autoritate fides Chriſtianorum pendere dicitur, ſint à Spiritu S. profecti, ac proindè immotæ veritatis?*

*De autoritate divinâ ſcripturarum.* RESP. De ſacrarum literarum autoritate divinâ meritò nullus Chriſtianorum dubitare debet, quia hi dicuntur *diſcipuli Chriſti, qui manent in ſermone Chriſti Ioh.* 8, 31. & ſunt ſacræ literæ principium fidei & fundamentum Eccleſiæ, eorumque efficaciam pii in cordibus ſuis ſentiunt, *nam Spiritus Sanctus teſtatur, quòd Spiritus ſit veritas* 1. *Ioh.* 5, 6. hoc eſt, quòd doctrina ſpiritus ſit immotæ veritatis. Ideò *Auguſtinus* ſcribit, *culpandos eſſe, non audiendos, ſi qui fortè dicerent, unde ſcis libros illos, unius veri & veraciſſimi Dei ſpiritum eſſe, humano generi miniſtratos: idipſũ enim maximè credendum erat, lib.* 6. *Confeſſ. cap.* 5.

*Κριτήρια majeſtatem Scripturæ probantia potiora ſunt ſeptem: 1. Scriptorũ Biblicorum autoritas.* Solent tamen etiam pii interdum in hujuſmodi cogitationes incidere, quibus ſuccurrendum eſt criteriis illis & teſtimoniis, quibus majeſtas Scripturæ agnoſcitur. Talia ſunt. *Scriptorum Biblicorum autoritas*, quæ ex vocatione ipſorum extraordinariâ, miſſione, afflatu, & mira-

Digitized by Google

*2. Doctrinæ majeſtas.*

miraculis innoteſcit. 2. *doctrina genus planè divinum*, non ſaltem publicâ atteſtatione, quod ipſe Deus & os Domini locutum ſit, verùm etiam ipſarum rerum gravitate roboratum: conſtant enim myſteriis divinis omnem captum rationis humanæ ſuperantibus.

*3. Miraculorum divinitas.*

3. *Miraculorum amplitudo*, quibus Deus ipſe doctrinæ ſuæ autoritatem conciliavit in Ægypto, in deſerto, & alibi, ita, ut etiam gentiles exinde digitum Domini agnoſcerent:

*4. Vaticiniorum veritas.*

4. *Tot vaticinia & revelationes*, quibus jam eventus quàm exactiſſimè reſpondit: id quod aliàs ſcriptura, ut opus planè divinum prædicat *Eſa.* 41, 23.

*5. Bibliorũ ſanctitas.*

5. *Veneranda librorũ Biblicorum ſanctitas*, nihil enim inhoneſti, nihil ſcandaloſi, nihil contradictorii in illis reperitur, & quod ſpeciem hujus fortè habet, facilè conciliari poteſt, quam rationem inprimis urget *Auguſtinus de util. cred. cap.* 5.

*6. Styli humilis ſublimitas & ſublimis humilitas.*

6. Accidit *& ſtyli majeſtas*, quæ ſub mira humilitate efficaciſſimam ſpirat virtutis divinæ potentiam: non enim *conſiſtit regnum Dei in ſermone, ſed in virtute* 1. *Cor.* 4. *v.* 20.

*7. Harmonica utriusque teſtamenti veritas Quod in V.T. latet, in N. patet.*

7. Utriusque teſtamenti admiranda harmonia & conſenſio, unde veteres dixerunt: *Novum in veteri eſſe figuratum, & Vetus in novo impletum*. Plura hujuſmodi τεκμήρια vide in præclaro *libello D. Hunnij p. m. de majeſtate ſcripturæ*, & omnis hoc in genere ſcrupulus conſcientiæ facilè eximetur.

## Casus IV.

*De opinione rerum divinarum.*

Incidunt interdum hujuſmodi cogitationes:

### *An de Deo rebusque divinis etiam opinari ſaltem aliquid ſufficiat?*

Et ſanè multi ſunt, qui hoc in genere impingunt.

*Ethnicorũ πολυθεΐα.*

Ethnici, etiamſi non ignorent, numen aliquod eſſe, tamen quodnam illud ſit, dicere non poſſunt: ideò non tantùm homines, verùm etiam cœlum, planetas, ſtellas, fruges, plantas, herbas, clypeos, gladios, ancilia, timorem, pavorem, audaciam & alios affectus ſuos, fecére Deum. Et quanquam *Varro apud Auguſtinum lib. 4. de civ. Dei cap. 9. & 11. exiſtimat*; gentiles plures quidem deos deasque nominaſſe, omnes autem in uno Jove comprehendere voluiſſe, cujus illi illæque facultates & munera eſſent: quis tamen Jupiter ille eſſet ignorabant: unde *mulier illa apud Euripidem*, Jovem invocatura, clamabat, *ô Jupiter quiſquis es, juva me.* Cujus generis & illud eſt, quod *de quodam* narratur, qui Ægyptios ita allocutus fuerit: *Si Dij ſunt, cur plangitis? ſi mortui, cur adoratis?* Hoc nimirùm eſt non fidem ſed opinionem de Deo habere.

*Aliorum dæmonomanía.*

Ad hanc claſſem pertinet, qui non niſi viſa credebant, Deumque

ideò esse dubitabant, quia nemo eum unquam vidisset. Ex quorum numero sunt, qui arte magicâ dæmonas visendos exhibuerunt: his conspectis Deum esse crediderunt. Hi quoque opinionem potiùs, quàm fidem de Deo conceperunt: quos propterea gentiles etiam Atheos nominarunt.

Sunt & in Ecclesia doctores, qui de DEO nimium disputantes, omnem certitudinem amittunt, & non nisi opinionem de DEO retinent, quibus sibi nunquam satisfaciunt; ideò fides illorum in tentationibus instar favillarum evanescit, nullo solido relicto fundamento: quod illis accidit, qui laudi sibi ducunt, si etiam clarissima scripturæ dicta de tribus personis in una DEI essentia, de duabus in Christo naturis & similibus, quoquo modo dubia reddere possunt; inter quos Erasmus est, & hodierni Photiniani, qui de DEO opinantur potiùs, quàm credunt.

*Photinianorum & Erasmi Φιλονεικία*

Ab his seducuntur simpliciores, qui dum eruditorum altercationes de DEO rebusque divinis audiunt, ipsi quoque incipiunt ἐπέχειν, & opinari saltem, quæ credere debebant, quia ipsi tantas componere lites non possunt. Eâ verò ratione conscientia ipsorum nunquam redditur tranquilla, nam quasi inter cœlum & terram penduli, modo huic, modo alteri opinioni adstipulantur, & tandem eò deveniunt, ut errores suos, licet satis crassos, non defectus à fide, sed ab opinionibus saltem nominent, quod sanè parum abest ab Epicureismo.

*Fructus doctrinæ Photinianorū.*

Sciendum igitur est, ea, quæ de Deo dicuntur, *duorum esse generum: quædam enim sunt fidei, quædam sunt præter fidem. Fidei sunt* esse Deum unum in essentia, trinum in personis, esse omnipotentem, justum, bonum &c. *Præter fidem sunt*, quæ articulum fidei directè non concernunt, vel ad obscurissima Dei opera, vel ad scripturarum abditissimas latebras pertinent, ut quid fecerit Deus, antequam cœlum & terram conderet, qualis vel ubi sit paradisus? ubi infernus? ubi jam sint Enoch & Elias? Et cujusmodi quæstiones dicit *Augustinus* eorum esse hominum, qui *pœnali malo plus sitiunt, quàm capiunt lib. 11. Confess. cap. 30.*

*Quæ de Deo dicuntur, duorū sunt generum.*

In his opinari licet, *imò & ignorari, salvâ Christianâ fide, possunt, & alicubi errari, sine aliquo heretici dogmatis crimine*, ut *Augustinus* loquitur *lib. 2. de pecc. Orig. contra Pelag. & Cœlest. c. 27.* In iis autē, quę fidei sunt non sufficit opinionem aliquam fovere, sed animum quàm persuasissimum esse oportet, ea, quæ statuimus, esse verissima.

*Applicatio distinctionis.*

*In iis quæ fidei sunt, non licere opinari saltem, probatur rationibus quatuor.*

Rationes hujus assertionis hæ sunt: 1. Primùm enim res fidei credere jubemur, ut non tantùm est in *Symbolo*, verùm etiam scriptura dicit: *Accedentem ad DEū oportet credere, qui est remunerator quærentibus se, &c. Heb. 11. v. 6.* & Paulus scribit *corde credi ad justitiā Rom. 10, 10.* Fides ergò requiritur, non opinio: Fidei verò

Digitized by Google

*Scriptura tria tribuit fidei.* verò tria tribuit ſcriptura, 1. γνῶσιν *ſeu notitiam Gal.* 4.9. *Col.* 1, 9, 10. 2. κατάληψιν, *adſenſum Ioh.* 1, 5. 17, 8. quæ totam doctrinam de Deo rebusque divinis firmiter amplectitur. 3. πληροφορίαν καὶ πεποίθησιν *ſeu fiduciam Eph.* 3, 12. quâ homo ſibi ea, quæ credit, inprimis autem promiſſiones gratiæ applicat. Illi opponitur ignorantia; iſti opinio, huic diffidentia ſeu incredulitas.

*2. Ratio.* 2. Quia res fidei fundamentum habet ſcripturam ſacram, quæ non admittit opiniones, ſed plenum requirit aſſenſum: *Eſt enim veritas Ioh.* 17, 17. *& benè faciũt, qui attendunt ei, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco* 2. *Pet.* 1, 19. Qui ergò in rebus fidei nihil certi credit, ſed opinatur ſaltem, is ipſam ſcripturam h. e. Dei veritatem in dubium vocat, quod ſalvâ pietate & illibatâ conſcientiâ fieri non poteſt.

*Inſtantia.* Si dixeris ipſa ſcriptura eſt materia, de qua controvertitur, quomodo ergò fundamentum certitudinis eſſe poteſt? *Solutio.* Reſpondeo ſcriptura per ſe non eſt materia controverſa, ſed prout ab hominibus in alienum ſenſum trahitur, quod vitium hominum non eſt imputandum verbo Dei: Hoc enim per ſe ſatis clarum eſt & dilucidum, modò homo hunc honorem daret DEO, ut dictis ejus aſſentiretur. *Lex enim Domini Lux, & præceptum ejus lucidum, illuminans animas Pſ.* 19, 9. Ideò ſcripturæ ſcrutinium commendatur, tanquam unicum veritatis divinæ indagandæ medium *Ioh.* 5, 39. *Act.* 17, 11.

3. Si opinari ſatis eſſet, DEUM eſſe, unum eſſe, omnipotentem, bonum, juſtum eſſe, &c. nunquam cultus noſter placeret DEO: nam ejuſmodi opiniones nunquam ſtabilire poſſunt conſcientiam: quicquid autem dubitante conſcientiâ fit, DEO placere non poteſt. *3. Ratio.*

4 Oportet cor hominis certum eſſe in fide ſua, ut conſiſtere *4. Ratio.* poſſit in tentationibus, quæ, per opiniones ſaltem probabiles de DEO rebusque divinis, non tolluntur.

Videat ergò unusquiſque quid credat, *Quæ enim eſt iſta ſimplicitas, neſcire quod credas? ait Hieron. contra Luciferanos*, fidei ſuæ fundamentum ponat verbum aliquod ſcripturæ, ex quo ſolidum fidei ſuæ argumentum, in quo conſcientia adquieſcere poſſit, formare diſcat; rationis argutias non curet, quæ ſolidi nihil opponunt, ſed conſcientiam ſcrupuloſam ſaltem faciunt, quæ non obligat. Ideò rectè ſcripſit *Fulgentius ad Donatum*: *Non omnes, qui Chriſti participes ſunt, etiam reſpondendo poſſunt defenſare, quod credunt. Sed etiam illa pars eſt victoria, ut, quando quis ſermone non poteſt defendere veritatem, fideli tamen corde devitet errorem: & Auguſtini* dictum notum eſt, *multum adjuvat cor fidele, noſſe, quid credendũ non ſit, etſi diſputandi facultate id refutare non poſſit.*



Digitized by Google

## CASUS V.

*De fide doctoribus Ecclesiæ habenda.*

*Esto, quòd certitudo fidei sit necessaria, cum autem fides ex auditu verbi Dei sit, nunquid ergò omnia, quæ ab Ecclesiæ doctoribus audiuntur, simpliciter credenda sunt, absque ulla contradictione?*

*Weigelius refutatur.*

RScrupulum hunc conscientiis injiciunt hodierni Enthusiastæ. Nam *Val. VVeigelius in libello suo disputatorio* vehementer urget, *quod, qui veritatem cœlestem discere volunt, præceptoribus suis contradicere non debeant, sed quasi in semetipsis mortui & insensati, credere omnia, quæ præceptores docent*: intelligit autem præceptores sui ordinis, qui internas revelationes Spiritus jactant, ac proinde spiritualium nomine, in schola Spiritus S. superbiunt.

Et sanè simplicitas fidei, quam Paulus commendat 2. *Cor.* 11. *vers.* 3. requirere videtur, ut assentiamur Doctoribus nostris absque contradictione. Nam contradictiones saltem pariunt dubia, fidemque faciunt incertam: idcirco *Christus* de Pharisæis contradictoribus suis dicit, *sermo meus non capit in vobis Luc.* 13. 37. h.e. propter contradictiones vestras est absq; fructu: nihilq; magis impediebat Capernaitas in agnitione veritatis, quam quòd sermonem Christi non simpliciter admittebant, sed obloquebantur *Ioh.* 6. *v.* 60. Vicissim autem vult *D. Ioannes, ne cuilibet spiritui credamus, sed probemus Spiritus, an ex Deo sint* 1. *Ioh.* 4, 1.

*Respondetur ad quæstionem. Contradictiones sunt vel licitæ vel illicitæ.*

Scrupulus autem hic eximi potest, per distinctionem contradictionis. Quædam enim est licita, & tantùm non necessaria in rebus fidei, cùm videlicet discendi gratiâ aliquid opponitur iis, quæ nobis nimiùm sunt difficilia, præsertim, ubi primâ fronte nondum verbum aliquod scripturæ audimus, cui fides nostra innitatur. Ubi sanè, quærere & opponere licet, modò animus afferatur docilis, qui ex verbo meliorem instructionem quærit, quam cum accepit, non reluctatur ampliùs, sed in verbo humiliter acquiescit.

*Dari licitas probatur.*

Rationes hujus assertionis hæ sunt: 1. Nusquam enim Deus præcepit, ut doctoribus nostris in omnibus statim assentiamur, sed potiùs *omnia probare jubet, num ex Deo sint, quia multi pseudoprophetæ exierūt in mundum,* 1. *Ioh.* 4. *v.* 1, 2. *cavere quoque jubemur Pseudoprophetas, Matth.* 7, 15. quod sine contradictione fieri non potest.

2. Sanctissimi homines, quorum autoritas in docendo planè fuit divina, sibi contradici passi sunt: quantò magis contradictiones & objectiones admittere debent alii in Ecclesia doctores, quorum autoritas cum illis non est comparanda. Chri-

Christo ipsi contradicebant Pharisæi & Saducæi, quorum disputationes de diversis rebus ferre poterat *Matth.* 19. *v.* 3. *c.* 22. *v.* 17, 23, 34, 42. *Marc.* 11. *v.* 29. propter has autem oppositiones ipsos nuspiam reprehendit. *Apostolo Petro & Ioanni* contradixit *Concilium Hierosolymitanum, Act.* 4. *v.* 6. quod Apostoli non culpârunt, sed potius interrogantibus rationem fidei suæ reddiderunt: *Apostolo Paulo* contradicebant Judæi post conversionem ipsius, quos ipse quidem admittebat, sed respondendo confundebat *Act.* 9. *v.* 22. *Thessalonicæ* quoque disputabat *cum Judæis* in Synagogis *Act.* 17. *v.* 17. *& Corinthi Actor.* 18, 4. Et *Ephesi Act.* 19, 8, 9.

3. *Angelus* quoque in re planè singulari, quam capere non debebat humanus intellectus, contradictionem *B. Virginis Mariæ admittebat: quomodo fiet istud? Luc.* 1, 34. *quæ quæstio nō erat dubitantis, sed admirantis, ut Augustinus in Ps.* 33. exponit, quia mirabatur consilium Dei, quòd ex virgine matrem fieri, ex homine Deum nasci, voluerit: qualis admiratio cum fide consistere potest, non enim tollit eam, sed illustrat.

† *Dubitatio cum fide consistere nequit, quia opponit se verbo promissionis pertinaciter, & in dubium vocando rem divinam negat eam, ut Ioh.* 6. *quomodo potest carnem suam dare, & Ro.* 10. *quomodo audient absque prædicatione, & Luc.* 11. *Quomodo Satanas potest Satanam ejicere.*

4. Nemo potest prohibere contradictiones in rebus fidei, quia *fides non est opus hominum, sed Dei Ioh.* 6, 29. *& Evangelium est virtus Dei ad salutem omni credenti Rom.* 1. *v.* 16. neque fides semper & in omnibus æqualiter firma est, sed sæpe multa habet obstacula & dubia, quæ tamen ipsam penitùs non tollunt. *Dei autem virtus etiam in hac infirmitate perficitur* 2. *Cor.* 12. *v.* 9.

5. Prohibere contradictiones in rebus fidei, est cogere conscientias, & fidem non persuadere, sed imperare; quod nemo doctorum Ecclesiæ sibi arrogare debet. Nam ne quidem *Paulus laqueum injicere voluit conscientiis,* 1. *Cor.* 7. *v.* 35. *& Petrus* interdicit *pastoribus dominium in clerum* 1. *Petr.* 5. *vers* 3. Solus enim Deus conscientiis dominatur. His de causis contradictiones auditorum prohibendæ non sunt, quatenus *docilitatis* sunt, quæ fidei robur potiùs augent, quam detrimentum afferunt.

*Contradictiones illicitæ non debēt tolerari.*

Deinde sunt contradictiones quædam illicitæ, & disceptationes rationis, pertinaciter oppositæ verbo, cui propterea tantùm contradicitur, quia ratio verbum illud capere non potest, nec vult se submittere verbo: quales erant *Capernaitarum, dicentium: Durus est hic sermo, quis eum potest audire? Ioh.* 6. *vers.* 60. Et *Nicodemi* nimis crassè obloquentis *Christo Ioh.* 3. *v.* 4. Hic ratio sibi fingit contradictiones in rebus fidei, ubi tamen nullum locum habēt, quia ratio in his cæca est, & quæ ex suis prin-

principiis opponit, appellantur à *Paulo* ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως 1. *Tim.6.v.20*. quibus dum pertinaciter inhæretur, degenerat tandem in durationem cum blasphemia conjunctam, quod *Iudæis* Paulo in Synagoga obloquentibus *Act.19.v.9.* & aliis in *Schola Hierosolymitana Stephano* contradicentibus *Act.7,53.* accidit, unde tandem planè fit peccatum in Spiritum Sanctum *Matth.12,32.*

*Est ratio in sacris mera deliratio rebus.*

Hi sunt hostiles illæ contradictiones, non discendi, sed oppugnandi & reclamandi causâ instituta, quæ fidei plurimùm obsunt, opponunt enim se manifesto verbo, propter alia rationis obstacula, D. *Paulus* vocat διαλογισμοὺς ἐν ἀπιστίᾳ, quas fidei simpliciter opponit, *Rom. 4.v.20.*

Proinde sit modus in contradicendo, & cum de rebus fidei ex solo verbo Dei certi quid doceri discique possit, contenta sit mens pia, si ex verbo rectè fuerit instructa, licet semper habeat ratio, quod obganniat.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
*Ultra quos, citraq; nequit consistere rectum.*

Ex immoderatis oppositionibus fiunt tandem contentiones, D. *Paulus* verò *carnales* vocat eos, *inter quos est contentio* 1. *Cor.v.3.* & alibi scribit *Ecclesiam* Dei *non esse contentiosam* 1. *Cor.11.v.16. nihil etiam fieri vult per contentionem Phil.2.v.3. contentiones enim eorum esse scribit, qui superbi sunt, & nihil sciunt* 1. *Tim.6.v.4.*

## CASUS VI.

Cum præcedente casu cognationem habet illud dubium. *De fide implicita.*

## *An sufficiat credenti, fidem de Deo rebusque divinis habere implicitam?*

Fides implicita est fides Ecclesiæ, cui multùm admodum tribuunt Romanenses plerique, quanquam in hac quæstione non per omnia conveniant. *Quid sit fides implicata?*

Per Ecclesiam autem intelligunt prælatos suos, seu potiùs unicum Papam, in quem omne judicium Ecclesiæ resolvitur. Nam ut *Bellarminus lib.4. de Rom. Pontif.cap.2.* loquitur, *ipsa infallibilitas non est in cætu consiliariorum vel in concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice.* Qui ergò simpliciter credit, quod Papa Ecclesiæ credendum proponit, licet ignoret, quid credat, is fidem Ecclesiæ, seu implicitam habet, quæ aliàs *carbonaria* vocatur, quam *Hosius Cardinalis advers. prolegom. Brentij lib.5.* ita commendat, ut eam *asylũ tutissimum vocet, in quo plus præsidij inveniatur, quam in omni scripturarum exercitatione.* *Quid per Ecclesiam Pontificii intelligant?*

Hinc

Digitized by Google

*Obedientia, quam Pontificii urgent, variis stupiditas est, quàm obedientia.*

Hinc est illa cæca obedientia, quam commendant suis, qui credere jubentur, quicquid audiunt credi in Ecclesia Romana, licet non intelligant, nec enim intelligere debent, sed ab ore superiorum pendere, tanquam insensati. A quâ cæcitate ne quidem oculatissimos & sapientissimos principes exclulerunt. Ita namque scribit *Blisemius in defens. art. de ecclesia: princeps in negotio religionis debet esse cæcus & alienis prælatorum suorum videre oculis. Sic in Catech. Romano* prima quæstio est, *quid sit Catholicus Christianus? & respondetur: qui credit, quidquid Romana Catholica ecclesia credit, sive in Bibliis sit scriptum, sive non.* Et etiamnum ab iis, qui papatui mordicus adhærent, licet eum nullo prætextu defendere queant, frequenter auditur, se credere, quod ecclesia credit: quod velamen illud est, quod ipsorum oculis impositum, quò minùs veritatem mōstratam agnoscere possint. Quod si maximè fallantur, prælatis Ecclesiæ omnem culpam imputant, à qua se immunes esse putant.

*Fides implicita refellitur.*

Sed ejusmodi fides multis perniciem attraxit, nam conscientia nequaquam adquiescere potest, nisi quisquam exactissimè cognitum habeat, quid de Deo rebusque divinis credere debeat.

*2 Ratio à necessario fidelium requisito.*

1. *Primùm* enim sacræ literæ ab unoquoque fidem propriam requirunt: *justus enim sua fide vivet Habac. 2. v. 4.* quod tàm de justificante fide, quàm de persuasione rerum credendarum verum est. Ut enim nemo alienâ, sed quisque sua anima sapiens est; ita nemo aliena, sed sua fide fidelis esse potest.

*2. Ratio à probationis Spirituum mandato.*

2. Deinde scriptura nos non simpliciter pendere jubet ab ore doctorum, *sed probare jubet Spiritus, num ex Deo sint 1. Ioan. 10. cavere quoque jubet Pseudoprophetas, Matth. 7. vers. 15.* quod sanè sine discussione doctrinæ propositæ fieri nequit. *Hinc Basilius in Ethicis* scribit *definit. 72. oportere subditos eos, qui in scripturis imbuti sunt, probare ea, quæ à doctoribus dicuntur, & quæ scripturis sunt consona, recipere, quæ aliena, rejicere, & eos qui in ejusmodi alienis doctrinis perseverant, vehementer aversari.*

*3. Ratio ab extrema pernicie & periculo.*

3. Periculosum omninò est, fidem, à quâ animæ nostræ salus dependet, aliorum hominum committere judiciis, nec unquam in eam seriò inquirere. Nisi enim certò constiterit, ecclesiam, cui credis, non errare, nusquam tutò adquiescet conscientia in tentationibus. Semper enim regeret animus, quid, si fides ecclesiæ, quam profiteris, falsa sit? quid, si prælati ecclesiæ sint pseudo-doctores, quos Christus cavere jussit? Necessaria ergò est discussio & examen fidei, quam profitetur ecclesia, quod non aliunde, quàm ex *scriptura Prophetica & Apostolica* depromi potest: super *illam enim fundatam esse scribit* Apostolus *ecclesiam Eph. 2. v. 20.*

*4. à Berhoensiū difficillimo exemplo.*

4. Berhoenses nolebant credere, quod *Paulus* credebat, licet Apostolus



Digitized by Google

*dum bono ſuperioris, in ſuo genere æquè gravis*, ut habet regula apud *Petr. Navarr. l.2.c.4.num.*403. Cùm igitur bona conſcientia bonum ſit ſuperioris, fama verò inferioris ordinis, illa huic nequaquam cedere debet, nec poteſt. *Conſcientiæ potiùs, quàm famæ attenderis. Publ. Syrus. Eſt aliquando gratus, etiam qui ingratus videtur, quem mala interpres opinio in contrarium traducit. Hic quid aliud ſequitur, quàm ipſam cõſcientiam? quæ etiam obruta delectat, quæ concioni & famæ reclamat, & in ſe omnia reponit, & cùm ingentem ex altera parte turbam contra ſentientium aſpexerit, non numerat ſuffragia, ſed una ſententia vincit. Senec. l.6. Benef. c.21.f. Qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat, ſed gloriæ. Non vis eſſe juſtus ſine gloriâ? at ſæpè juſtus eſſe debebis, cùm infamia. Et tunc, ſi ſapis, mala opinio benè parta delectat, Idem epiſt.* 113 *f.*

Qui, neglectâ conſcientia, famæ litat, ambitioſus eſt; Ambitio autem eſt indigna homine Chriſtiano, *Phil.* 1.*v.*3. & extra regnum cœlorum eliminat, *Gal.* 5.*v.* 21. 26.

Exemplo nobis eſſe poteſt Joſephus, *Geneſ.* 39.*v.*7. *& ſeqq.* qui conſcientiâ ductus, poſtulatum impurum heræ ſuæ neglectui habebat, nec carcerem nec infamiam curabat. Suſanna, quæ maluit innocens perire, quàm contra conſcientiam adulterium committere, *in Hiſtor. Suſannæ v.*22.23. Apoſtoli, qui læti ex Concilio Sacerdotum diſcedebant, quòd digni habiti eſſent, qui propter nomen ejus afficerentur ignominiâ, nec minis nec verberibus adigi poterant, ut magis hominibus, quàm Deo obedirent, *Actor.*4.*verſ.*19.*c.*5.*v.* 29. 41.

***

LIBER

# LIBER SECUNDUS.

## De actionibus hominis circa DEUM & religionem.

### Caput I.

### *De casibus conscientiæ, qui circa fidem & cognitionem Dei occurrunt.*

ACtiones hominis circa Deum non saltem externa dicta aut facta concernunt: sed & internas de Deo cogitationes & conceptus mentis complectuntur, quos omnes verbo DEI conformes esse oportet, ut conscientia maneat illibata. Quidquid enim hîc turpe factu est, illud etiam nec dicere nec cogitare licet: quin potiùs, *optimè de Deo existimare, verissimum est pietatis exordium, ut Augustinus loquitur lib. 1. de lib. arbitr. c. 2.* Agit autem homo *vel de Deo*, vel *cum Deo*: illud ad fidem & cognitionem Dei, hoc ad cultum & religionem pertinet. *Fides* & cognitio Dei partim *ratione sui*, partim, *ratione essentiæ, personarum & attributorum divinorum*, dubia quædam involvit, quibus satisfaciendum est, ut hac in parte conscientiæ consolatur. *De fide & cogitione Dei in sese, abstrahendo essentiam, personas & attributa ejus, primo loco agemus*: ubi sequentes occurrunt casus. *Quid in hoc capite agendum.*

### CASUS I.

Primùm omnium, cùm in rebus fidei ac salutis ad Scripturam Sacram remittamur, sollicita est conscientia:

*An scripturam unicum principium salutaris cognitionis Dei, rerumq; divinarum rectè statuámus?* *De Scriptura Sacra, quod sit principium salutis & cognitionis Theologiæ.*

RESp. Ab hoc casu meritò fit initium, tanquam à fundamento, cui reliqua omnia innituntur. Nisi enim hac de re certi quid constiterit, nunquam acquiescet conscientia in iis, quæ ex scriptura de Deo rebusque divinis vel creduntur vel differuntur. Semper enim regeret, & quis scit, an scriptura me rectè instruat,



Digitized by Google

ſtruat, & an fidem ei haberi teneat?

*Ex ſola ſcriptura Deum & res divinas rectè & utiliter cognoſcere poſſumus.*

Dicimus igitur, *ex ſola ſcriptura DEUM & res divinas rectè & ſalutariter cognoſci.* Rationes hujus adſertionis alibi prolixiùs tractantur: nos hoc in loco ad tranquillandam conſcientiam primas ſaltem lineas ducemus.

*Probatur quinque rationibus.*

*1 ratio; à principii requiſito & proprietate.*

1. *Prima ratio eſt*; quia in omnibus artibus ac diſciplinis melius dari principium nō poteſt, quàm, quod eſt οἰκεῖον, homogeneum, & illi diſciplinæ proprium. Ita de rebus medicis è principiis medicinæ; de Juriſprudentiâ ex regulis juris omnium rectiſſimè docetur. Ita etiam de DEO & rebus divinis non aliundè rectiùs, quàm ex verbo Deo judicâtur: nemo n. meliùs de Deo teſtari poteſt, quam Deus ipſe in verbo ſuo, de quo nemo dubitat piorum. Hinc ſunt notiſſimi verſiculi:

*Deſine, cur numen nemo ſine numine cernat,*
*Mirari, Solem quis ſine ſole videt?*

*Quidnam ſit verbum Dei.*

*Et ſine Deo nō cognoſcitur Deus, inquit Irenæus lib. 4. cap. 14. Eſt autem verbū Dei illud, quod in ſcriptura Prophetarum & Apoſtolorum continetur,* unde appellatur ſcriptura θεόπνευςος *2. Tim 3, 16. & Deus eſt, qui dedit verba ſua in os Prophetæ Ier. 1, 10. Et locutus eſt per os Prophetarum Luc. 1, 70. Act. 28, 25. & à S.S. acti locuti ſancti Dei homines 2. Pet. 1, 21.* quis ergo nō acquieſcat, cùm ex ore Dei audit, quæ de Deo ſcire convenit?

*2. Ratio, ab ipſius Dei ſola voluntate.*

2. Deinde Deus ipſe in rebus divinis ita ad verbum ſuum nos alligavit, ut præter illud nihil quidquam admittere velit: *Non addetis ad verbū, inquit, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, Deut. 4, 2.* quod præceptum tanti facit Dominus, ut eo quaſi obſignet codicem Biblicum. Ita n. ſcribitur *Apocal. 22. 18. Confiteor omni audienti verba Prophetiæ hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus auferet Deus partē ejus de libro vitæ &c.* Noſtrum ergò eſt, in ſolidum acquieſcere in iis, quæ nos verbum Dei de Deo docet.

*3. Ratio, à Chriſti ad ſcripturas remiſſione.*

3. In novo teſtamento Chriſtus ipſe remittit nos ad ſcripturas tanquam ordinarios certiſſimosque teſtes eorum, quæ de ipſo credenda ſunt *ſcrutamini ſcripturas, inquit, quia hæ ſunt, quæ de me teſtantur Ioh 5, 39.* Unde autem rectiùs Chriſtum cognoſcere poſſumus, quàm ex teſtibus ejus?

*4 Ratio, à Pauli de ſufficientia ſcripturæ teſtificatione.*

4. Paulus de ſacris literis teſtatur, quòd *hominem inſtruere poſſint ad ſalutem 2. Tim. 3. 15.* in Græco eſt Σοφίσαι ſapientem reddere poſſunt: Ergò ſcripturæ ſufficiunt ad ſapientiam divinam & cognitionem earum rerum, in quibus ſalus hominum conſiſtit.

*5 Ratio, ab Eccleſia ſuper verbum Dei fundatione.*

5. *Eccleſia ædificata dicitur ſuper fundamentū Apoſtolorū & Prophetarū Eph. 2, 20.* Ergo in ſcriptis Apoſtolorū & Prophetarū verū fundamentum eſt cognitionis rerum divinarū. *Hinc Irenæus lib. 3. cap. 1.* ſcripſit: *Non præ alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evange-*

*His additur Patrum cōſenſus & conſpiratio ſive confeſſio.*

*vangeliū pervenit ad nos, quod quidem tūc præconiaverunt, postea verò per* DEI *voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Non n. fas est dicere, quòd antè prædicaverint, quàm perfectam haberent agnitionem.* Ita *Ambrosius scribit lib. 1. de fide ad Gratian. c. 4. Nolo argumento credas, S. Imperator, & nostræ disputationi: Scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus* Prophetas, *interrogemus Christum. Quid multum?* Patrem *interrogemus, cujus honori studere se dicunt.*

Sufficiunt hæc piis & veritatis studiosis: neque enim ulla aliunde esse potest tranquillitas conscientiæ in rebus fidei, quàm quæ ex sacris hauritur scripturis. Quæ verò hostes scripturarum Pontificii de imperfectione & obscuritate scripturæ sacræ, ut & de privato hominis judicio in interpretatione scripturarum obtendunt, alibi sufficienter discussa sunt. Nostrum non est, hoc in loco istis immorari, neque debent tentati huic mari disputationum se committere, sed cùm videant adversarios contrà scripturam, id est, contra os DOMINI disputare, contemnere debent hunc diabolum & cogitare, quod *Iren.* scripsit *l. 3. c. 2. Hæretici cùm ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant.*

## CASUS II.

Quid verò, si dubitet aliquis:

***An scripturæ potiùs credendum sit, an verò interpretibus ejus priscis & recentioribus, sine quorum opera multi simpliciores scripturam non intelligunt: horum verò respectu fides ab autoritate hominum potiùs, quam Dei pendebit, ac propterea incerta erit?***

*De autoritate interpretum & certitudine scripturæ.*

*Interpretes per se non sunt authentici.*

RESP. Interpretes, cujuscunque etiam sint autoritatis in Ecclesia, per se non sunt authentici, neque per ipsos creditur scripturis, sed propter scripturas ipsis, quia nimirum ipsorum interpretatio est *analogia fidei*, quod ab omni interprete scripturarum requiritur *Rom. 12. v. 6.* Nam scripturæ sensus est in ipsa scriptura: interpretes nihil aliud sunt, quam administri & doctores, qui sensum illum commodè eruere docent: quam ob causam D. *Petrus* scripsit, scripturam non esse *ἰδίας ἐπιλύσεως* 2 *Petr. 1, 20.* Ratio est quia scriptura ex immediata revelatione DEI profecta, noster verò intellectus per peccatum miserè obtenebratus est: Ideò illuminatione Spiritus Sancti opus habet, quæ fit per

*Interpretatio scripturæ debet esse analoga fidei.*

*Autoritas scripturæ ab Augustino*

*[ej]us maxima commendatur.*

per ſcripturam, cui φωτισμὸς *ſeu illuminatio* tribuitur 2. *Cor.* 4. *v.* 4.

Hinc *Auguſtinus in interpretatione ſcripturarum, nec ſibi nec aliis fidem vult haberi, niſi quæ dixerint, ipſarum ſcripturarum autoritate fuerint cõfirmata. Non audiamus, inquit, hæc dico, hæc dicis, ſed hæc dicit Dominus, de unit. Eccl. c.* 3. & *ad Hieronymum* ſcribit *Epiſt.* 19. *Ego ſolis iis ſcripturarũ libris, qui canonici jam appellantur, didici hunc timorem honoremq́ deferre, ut nullum eorum autorum erraſſe firmiſſimè credam: alios autem lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaq́ præpolleant, non ideò verum putem, quòd ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel ratione probabili perſuadere potuerunt. Similia habet Epiſt.* 111. *ad Fortunatum & alibi.*

*Deciſio hujus quæſtionis.*

Quæ cùm ita ſint, concludimus, *interpretibus etiam quantivis ſint pretii, minimè credi in reb⁹ fidei,* niſi quatenus ipſorum interpretatio cum perpetuo ſcripturæ tenore conſentiat. A ſcripturæ ergò judicio dependet omnis veritas fidei, non ab autoritate hominum, ac proinde falſum eſt, quod *Bellarm. ſcribit. lib.* 3. *de verb. Dei cap.* 9 *ſcriptura non poteſt ſeipſam interpretari.*

*Refutatur Bellarmin.*

Manifeſtò hoc eſt contra Petri aſſertionem, qui negat ſcripturam niti *privatâ interpretatione*: eſt & *contra Paulum,* qui vult ſcripturæ interpretationem fidei analogam eſſe, quæ analogia fidei, non niſi in ſcriptura reperitur.

## Casus III.

### *Sed unde ſcire poſſum, quòd libri biblici, à quorum autoritate fides Chriſtianorum pendere dicitur, ſint à Spiritu S. profecti, ac proindè immotæ veritatis?*

*De autoritate divina ſcripturarum.*

RESP. De ſacrarum literarum autoritate divinâ meritò nullus Chriſtianorum dubitare debet, quia hi dicuntur *diſcipuli Chriſti, qui manent in ſermone Chriſti Ioh.* 8, 31. & ſunt ſacræ literæ principium fidei & fundamentum Eccleſiæ, eorumq́ue efficaciam pii in cordibus ſuis ſentiunt, *nam Spiritus Sanctus teſtatur, quòd Spiritus ſit veritas* 1. *Ioh.* 5, 6. hoc eſt, quòd doctrina ſpiritus ſit immotæ veritatis. Ideò *Auguſtinus* ſcribit, *culpandos eſſe, non audiendos, ſi qui fortè dicerent, unde ſcis libros illos, unius veri & veraciſſimi Dei ſpiritum eſſe, humano generi miniſtratos: idipſũ enim maximè credendum erat, lib.* 6. *Confeſſ. cap.* 5.

*κριτήρια majeſtatem Scripturæ probantia potiora ſunt ſeptem: 1. Scriptorũ Biblicorum autoritas.*

Solent tamen etiam pii interdum in hujuſmodi cogitationes incidere, quibus ſuccurrendum eſt criteriis illis & teſtimoniis, quibus majeſtas Scripturæ agnoſcitur. Talia ſunt. *Scriptorum Biblicorum autoritas,* quæ ex vocatione ipſorum extraordinariâ, miſſione, afflatu, & mira-

2. Doctrinæ majeſtas. miraculis innoteſcit. 2. *doctrina genus planè divinum*, non ſaltem publicâ atteſtatione, quod ipſe Deus & os Domini locutum ſit, verùm etiam ipſarum rerum gravitate roboratum: conſtant enim myſteriis divinis omnem captum rationis humanæ ſuperantibus. 3. Miraculorum divinitas. 3. *Miraculorum amplitudo*, quibus Deus ipſe doctrinæ ſuæ autoritatem conciliavit in Ægypto, in deſerto, & alibi, ita, ut etiam gentiles exinde digitum Domini agnoſcerent: 4. Vaticiniorum veritas. 4. *Tot vaticinia & revelationes*, quibus jam eventus quàm exactiſſimè reſpondit: id quod aliàs ſcriptura, ut opus planè divinum prædicat *Eſa*. 41, 23. 5. Bibliorũ ſanctitas. 5. *Veneranda librorũ Biblicorum ſanctitas*, nihil enim inhoneſti, nihil ſcandaloſi, nihil contradictorii in illis reperitur, & quod ſpeciem hujus fortè habet, facilè conciliari poteſt, quam rationem inprimis urget *Auguſtinus de util. cred. cap*. 5. 6. Styli humilis ſublimitas & ſublimis humilitas. 6. Accidit *& ſtyli majeſtas*, quæ ſub mira humilitate efficaciſſimam ſpirat virtutis divinæ potentiam: non enim *conſiſtit regnum Dei in ſermone, ſed in virtute* 1. *Cor*. 4. *v*. 20. 7. Harmonica utriusque teſtamenti veritas. Quod in V.T. latet, in N. patet. 7. Utriusque teſtamenti admiranda harmonia & conſenſio, unde veteres dixerunt: *Novum in veteri eſſe figuratum, & Vetus in novo impletum*. Plura hujuſmodi τεκμήρια vide in præclaro *libello D. Hunnÿ p. m. de majeſtate ſcripturæ*, & omnis hoc in genere ſcrupulus conſcientiæ facilè eximetur.

## Casus IV.

Incidunt interdum hujuſmodi cogitationes: De opinione rerum divinarum.

### *An de Deo rebusque divinis etiam opinari ſaltem aliquid ſufficiat?*

Et ſanè multi ſunt, qui hoc in genere impingunt.

Ethnici, etiamſi non ignorent, numen aliquod eſſe, tamen quodnam illud ſit, dicere non poſſunt: ideò non tantùm homines, verùm etiam cœlum, planetas, ſtellas, fruges, plantas, herbas, clypeos, gladios, ancilia, timorem, pavorem, audaciam & alios affectus ſuos, fecére Deum. Ethnicorũ πλάνη. Et quanquam *Varro apud Auguſtinum lib. 4. de civ. Dei cap. 9. & 11. exiſtimat*, gentiles plures quidem deos deasque nominaſſe, omnes autem in uno Jove comprehendere voluiſſe, cujus illi illæque facultates & munera eſſent: quis tamen Jupiter ille eſſet ignorabant: unde *mulier illa apud Euripidem*, Jovem invocatura, clamabat, *ô Jupiter quiſquis es, juva me*. Cujus generis & illud eſt, quod *de quodam* narratur, qui Ægyptios ita allocutus fuerit: *Si Dy ſunt, cur plangitis? ſi mortui, cur adoratis*? Hoc nimirùm eſt non fidem ſed opinionem de Deo habere.

Ad hanc claſſem pertinet, qui non niſi viſa credebant, Deumque ideò Aliorum dæmonomania.

ideò esse dubitabant, quia nemo eum unquam vidisset. Ex quorum numero sunt, qui arte magicâ dæmonas visendos exhibuerunt: his conspectis Deum esse crediderunt. Hi quoque opinionem potiùs, quàm fidem de Deo conceperunt: quos propterea gentiles etiam Atheos nominarunt.

*Photinianorum & Erasmi Φιλονεικία*

Sunt & in Ecclesia doctores, qui de Deo nimium disputantes, omnem certitudinem amittunt, & non nisi opinionem de Deo retinent, quibus sibi nunquam satisfaciunt; ideò fides illorum in tentationibus instar favillarum evanescit, nullo solido relicto fundamento: quod illis accidit, qui laudi sibi ducunt, si etiam clarissima scripturæ dicta de tribus personis in una Dei essentia, de duabus in Christo naturis & similibus, quoquo modo dubia reddere possunt; inter quos Erasmus est, & hodierni Photiniani, qui de Deo opinantur potiùs, quàm credunt.

*Fructus doctrina Photinianorũ.*

Ab his seducuntur simpliciores, qui dum eruditorum altercationes de Deo rebusque divinis audiunt, ipsi quoque incipiunt ἐπέχειν, & opinari saltem, quæ credere debebant, quia ipsi tantas componere lites non possunt. Eâ verò ratione conscientia ipsorum nunquam redditur tranquilla, nam quasi inter cœlum & terram penduli, modo huic, modo alteri opinioni adstipulantur, & tandem eò deveniunt, ut errores suos, licet satis crassos, non defectus à fide, sed ab opinionibus saltem nominent, quod sanè parum abest ab Epicureismo.

*Quæ de Deo dicuntur, duorũ sunt generum.*

Sciendum igitur est, ea, quæ de Deo dicuntur, *duorum esse generum: quædam enim sunt fidei, quædam sunt præter fidem. Fidei sunt* esse Deum unum in essentia, trinum in personis, esse omnipotentem, justum, bonum &c. *Præter fidem sunt*, quæ articulum fidei directè non concernunt, vel ad obscurissima Dei opera, vel ad scripturarum abditissimas latebras pertinent, ut quid fecerit Deus, antequam cœlum & terram conderet, qualis vel ubi sit paradisus? ubi infernus? ubi jam sint Enoch & Elias? Et cujusmodi quæstiones dicit *Augustinus* eorum esse hominum, qui *pœnali malo plus sitiunt, quàm capiunt lib. 11. Confess. cap. 30.*

*Applicatio distinctionis.*

In his opinari licet, *imò & ignorari, salvâ Christianâ fide, possunt, & alicubi errari, sine aliquo hæretici dogmatis crimine*, ut *Augustinus* loquitur *lib. 2. de pecc. Orig. contra Pelag. & Cœlest. c. 27.* In iis autẽ, quę fidei sunt non sufficit opinionem aliquam fovere, sed animum quàm persuasissimum esse oportet, ea, quæ statuimus, esse verissima.

*In iis quæ fidei sunt, non licere opinari saltem, probatur rationibus quatuor.*

Rationes hujus assertionis hæ sunt: 1. Primùm enim res fidei credere jubemur, ut non tantùm est in *Symbolo*, verùm etiam scriptura dicit: *Accedentem ad Deũ oportet credere, qui est remunerator quærentibus se, &c. Heb. 11. v. 6.* & Paulus scribit *corde credi ad justitiã Rom. 10, 10.* Fides ergò requiritur, non opinio: Fidei

verò

Digitized by Google

*Scriptura tria tribuit fidei.* verò tria tribuit scriptura, 1. *γνῶσιν seu notitiam Gal.* 4. 9. *Col.* 1, 9, 10. 2. *κατάληψιν. adsensum Ioh.* 1, 5. 17, 8. quæ totam doctrinam de Deo rebusque divinis firmiter amplectitur. 3. *πληροφορίαν καὶ πεποίθησιν seu fiduciam Eph.* 3, 12. quâ homo sibi ea, quæ credit, in primis autem promissiones gratiæ applicat. Illi opponitur ignorantia; isti opinio, huic diffidentia seu incredulitas.

*2. Ratio.* 2. Quia res fidei fundamentum habet scripturam sacram, quæ non admittit opiniones, sed plenum requirit assensum: *Est enim veritas Ioh.* 17, 17. *& benè faciūt, qui attendunt ei, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco* 2. *Pet.* 1, 19. Qui ergò in rebus fidei nihil certi credit, sed opinatur saltem, is ipsam scripturam h. e. Dei veritatem in dubium vocat, quod salvâ pietate & illibatâ conscientiâ fieri non potest.

*Instantia.* Si dixeris ipsa scriptura est materia, de qua controvertitur, quomodo ergò fundamentum certitudinis esse potest? *Solutio.* Respondeo scriptura per se non est materia controversa, sed prout ab hominibus in alienum sensum trahitur, quod vitium hominum non est imputandum verbo Dei: Hoc enim per se satis clarum est & dilucidum, modò homo hunc honorem daret DEO, ut dictis ejus assentiretur. *Lex enim Domini Lux, & præceptum ejus lucidum, illuminans animas Ps.* 19, 9. Ideò scripturæ scrutinium commendatur, tanquam unicum veritatis divinæ indagandæ medium *Ioh.* 5, 39. *Act.* 17, 11.

3. Si opinari satis esset, DEUM esse, unum esse, omnipotentem, bonum, justum esse, &c. nunquam cultus noster placeret DEO: nam ejusmodi opiniones nunquam stabilire possunt conscientiam: quicquid autem dubitante conscientiâ fit, DEO placere non potest. *3. Ratio.*

4 Oportet cor hominis certum esse in fide sua, ut consistere possit in tentationibus, quæ, per opiniones saltem probabiles de DEO rebusque divinis, non tolluntur. *4. Ratio.*

Videat ergò unusquisque quid credat, *Quæ enim est ista simplicitas, nescire quod credas: ait Hieron. contra Luciferanos*, fidei suæ fundamentum ponat verbum aliquod scripturæ, ex quo solidum fidei suæ argumentum, in quo conscientia adquiescere possit, formare discat; rationis argutias non curet, quæ solidi nihil opponunt, sed conscientiam scrupulosam saltem faciunt, quæ non obligat. Ideò rectè scripsit *Fulgentius ad Donatum*: *Non omnes, qui Christi participes sunt, etiam respondendo possunt defensare, quod credunt. Sed etiam illa pars est victoria, ut, quando quis sermone non potest defendere veritatem, fideli tamen corde devitet errorem: & Augustini* dictum notum est, *multum adjuvat cor fidele, nosse, quid credendū non sit, etsi disputandi facultate id refutare non possit.*



Digitized by Google

## CASUS V.

*De fide doctoribus Ecclesiæ habenda.*

*Esto, quòd certitudo fidei sit necessaria, cum autem fides ex auditu verbi Dei sit, nunquid ergò omnia, quæ ab Ecclesiæ doctoribus audiuntur, simpliciter credenda sunt, absque ulla contradictione?*

*Weigelius refutatur.*

R. Scrupulum hunc conscientiis injiciunt hodierni Enthusiastæ. Nam *Val. VVeigelius in libello suo disputatorio* vehementer urget, *quod, qui veritatem cœlestem discere volunt, præceptoribus suis contradicere non debeant, sed quasi in semetipsis mortui & insensati, credere omnia, quæ præceptores docent*: intelligit autem præceptores sui ordinis, qui internas revelationes Spiritus jactant, ac proinde spiritualium nomine, in schola Spiritus S. superbiunt.

Et sanè simplicitas fidei, quam Paulus commendat 2. *Cor.* 11. *vers.* 3. requirere videtur, ut assentiamur Doctoribus nostris absque contradictione. Nam contradictiones saltem pariunt dubia, fidemque faciunt incertam: idcirco *Christus* de Pharisæis contradictoribus suis dicit, *sermo meus non capit in vobis Luc.* 13. 37. h. e. propter contradictiones vestras est absq; fructu: nihilq; magis impediebat Capernaitas in agnitione veritatis, quam quòd sermonem Christi non simpliciter admittebant, sed obloquebantur *Ioh.* 6. *v.* 60. Vicissim autem vult *D. Ioannes, ne cuilibet spiritui credamus, sed probemus Spiritus, an ex Deo sint* 1. *Ioh.* 4, 1.

*Respondetur ad quæstionem.*

*Contradictiones sunt vel licita vel illicita.*

Scrupulus autem hic eximi potest, per distinctionem contradictionis. Quædam enim est licita, & tantùm non necessaria in rebus fidei, cùm videlicet discendi gratiâ aliquid opponitur iis, quæ nobis nimiùm sunt difficilia, præsertim, ubi primâ fronte nondum verbum aliquod scripturæ audimus, cui fides nostra innitatur. Ubi sanè, quærere & opponere licet, modò animus afferatur docilis, qui ex verbo meliorem instructionem quærit, quam cum accepit, non reluctatur ampliùs, sed in verbo humiliter acquiescit.

*Dari licitam probatur.*

Rationes hujus assertionis hæ sunt: 1. Nusquam enim Deus præcepit, ut doctoribus nostris in omnibus statim assentiamur, sed potiùs *omnia probare jubet, num ex Deo sint, quia multi pseudoprophetæ exierũt in mundum*, 1. *Ioh.* 4. *v.* 1, 2. *cavere quoque jubemur Pseudoprophetas, Matth.* 7, 15. quod sine contradictione fieri non potest.

2. Sanctissimi homines, quorum autoritas in docendo planè fuit divina, sibi contradici passi sunt: quantò magis contradictiones & objectiones admittere debent alii in Ecclesia doctores, quorum autoritas cum illis non est comparanda. Chri-

Christo ipsi contradicebant Pharisæi & Saducæi, quorum disputationes de diversis rebus ferre poterat *Matth.* 19. *v.* 3. *c.* 22. *v.* 17, 23, 34, 42. *Marc.* 11. *v.* 29. propter has autem oppositiones ipsos nuspiam reprehendit. *Apostolo Petro & Ioanni* contradixit *Concilium Hierosolymitanum, Act.* 4. *v.* 6. quod Apostoli non culpârunt, sed potius interrogantibus rationem fidei suæ reddiderunt: *Apostolo Paulo* contradicebant Judæi post conversionem ipsius, quos ipse quidem admittebat, sed respondendo confundebat *Act.* 9. *v.* 22. *Thessalonicæ* quoque disputabat *cum Judæis* in Synagogis *Act.* 17. *v.* 17. *& Corinthi Actor.* 18, 4. Et *Ephesi Act.* 19, 8, 9.

3. *Angelus* quoque in re planè singulari, quam capere non debebat humanus intellectus, contradictionem *B. Virginis Mariæ admittebat: quomodo fiet istud? Luc.* 1, 34. *quæ quæstio nõ erat dubitantis, sed admirantis, ut Augustinus in Ps.* 33. exponit, quia mirabatur consilium Dei, quòd ex virgine matrem fieri, ex homine Deum nasci, voluerit: qualis admiratio cum fide consistere potest, non enim tollit eam, sed illustrat.

† *Dubitatio cum fide consistere nequit, quia opponit se verbo promissionis pertinaciter, & in dubium vocando rem divinam negat eam, ut Ioh.* 6. *quomodo potest carnem suam dare, & Ro.* 10. *quomodo audient absque prædicatione, & Luc.* 11. *Quomodo Satanas potest Satanam ejicere.*

4. Nemo potest prohibere contradictiones in rebus fidei, quia *fides non est opus hominum, sed Dei Ioh.* 6, 29. *& Evangelium est virtus Dei ad salutem omni credenti Rom.* 1. *v.* 16. neque fides semper & in omnibus æqualiter firma est, sed sæpè multa habet obstacula & dubia, quæ tamen ipsam penitùs non tollunt. *Dei autem virtus etiam in hac infirmitate perficitur* 2. *Cor.* 12. *v.* 9.

5. Prohibere contradictiones in rebus fidei, est cogere conscientias, & fidem non persuadere, sed imperare; quod nemo doctorum Ecclesiæ sibi arrogare debet. Nam ne quidem *Paulus laqueum injicere voluit conscientiis,* 1. *Cor.* 7. *v.* 31. *& Petrus* interdicit *pastoribus dominium in clerum* 1. *Petr.* 5. *vers* 3. Solus enim Deus conscientiis dominatur. His de causis contradictiones auditorum prohibendæ non sunt, quatenus *docilitatis* sunt, quæ fidei robur potiùs augent, quam detrimentum afferunt.

Deinde sunt contradictiones quædam illicitæ, & disceptationes rationis, pertinaciter oppositæ verbo, cui propterea tantùm contradicitur, quia ratio verbum illud capere non potest, nec vult se submittere verbo: quales erant *Capernaitarum, dicentium: Durus est hic sermo, quis eum potest audire? Ioh.* 6. *vers.* 60. Et *Nicodemi* nimis crassè obloquentis *Christo Ioh.* 3. *v.* 4. Hic ratio sibi fingit contradictiones in rebus fidei, ubi tamen nullum locum habẽt, quia ratio in his cæca est, & quæ ex suis prin-

*Contradictiones illicita non debẽt tolerari.*

*Obedie̅tia, quam Pontificij urge̅t verius stupiditas est, quàm obedientia.*

Hinc est illa cæca obedientia, quam commendant suis, qui credere jubentur, quicquid audiunt credi in Ecclesia Romana, licet non intelligant, nec enim intelligere debent, sed ab ore superiorum pendere, tanquam insensati. A quâ cæcitate ne quidem oculatissimos & sapientissimos principes excluserunt. Ita namque scribit *Blisemius in desens. art. de ecclesia: princeps in negotio religionis debet esse cacus & alienis pralatorum suorum videre oculis. Sic in Catech. Romano* prima quæstio est, *quid sit Catholicus Christianus? & respondetur: qui credit, quidquid Romana Catholica ecclesia credit, sive in Bibliis sit scriptum, sive non.* Et etiamnum ab iis, qui papatui mordicus adhærent, licet eum nullo prætextu defendere queant, frequenter auditur, se credere, quod ecclesia credit: quod velamen illud est, quod ipsorum oculis impositum, quò minùs veritatem mo̅stratam agnoscere possint. Quòd si maximè fallantur, prælatis Ecclesiæ omnem culpam imputant, à qua se immunes esse putant.

*Fides implicita refellitur.*

Sed ejusmodi fides multis perniciem attraxit, nam conscientia nequaquam adquiescere potest, nisi quisquam exactissimè cognitum habeat, quid de Deo rebusque divinis credere debeat.

*2 Ratio à necessario fidelium requisito.*

1. *Primum* enim sacræ literæ ab unoquoque fidem propriam requirunt: *justus enim sua fide vivet Habac. 2. v. 4.* quod tàm de justificante fide, quàm de persuasione rerum credendarum verum est. Ut enim nemo alienâ, sed quisque sua anima sapiens est; ita nemo aliena, sed sua fide fidelis esse potest.

*2. Ratio à probationis Spirituum mandato.*

2. Deinde scriptura nos non simpliciter pendere jubet ab ore doctorum, *sed probare jubet Spiritus, num ex Deo sint 1. Ioan. 10. cavere quoque jubet Pseudoprophetas, Matth. 7. vers. 15.* quod sanè sine discussione doctrinæ propositæ fieri nequit. *Hinc Basilius in Ethicis* scribit *definit. 72. oportere subditos eos, qui in scripturis imbuti sunt, probare ea, quæ à doctoribus dicuntur, & quæ scripturis sunt consona, recipere, quæ aliena, rejicere, & eos qui in ejusmodi alienis doctrinis perseverant, vehementer aversari.*

*3. Ratio ab extrema pernicie & periculo.*

3. Periculosum omninò est, fidem, à quâ animæ nostræ salus dependet, aliorum hominum committere judiciis, nec unquam in eam seriò inquirere. Nisi enim certò constiterit, ecclesiam, cui credis, non errare, nuspiam tutò adquiescet conscientia in tentationibus. Semper enim regeret animus, quid, si fides ecclesiæ, quam profiteris, falsa sit? quid, si prælati ecclesiæ sint pseudo-doctores, quos Christus cavere jussit? Necessaria ergò est discussio & examen fidei, quam profitetur ecclesia, quod non aliunde, quàm ex *scriptura Prophetica & Apostolica* depromi potest: super *illam enim fundatam esse scribit* Apostolus *ecclesiam Eph. 2. v. 20.*

*4 à Berhoensiu̅ dissimillimo exemplo.*

4. Berhoenses nolebant credere, quod *Paulus* credebat, licet Apo-



stolus

ſtolus eſſet, ſed ſcrutabantur in ſcripturis, num ita ſe haberent *Actor.* 17. *v.* 11. quomodo ergò aliquis ſine ulteriore examine crederet prælatis Romanenſium, qui cum Apoſtolo Paulo minimè ſunt conferendi? Simplicitas quidem fidei laudem ſuam meretur, ſed & *prudentiam* requirit *Chriſtus Matth.* 10. *verſ.* 16. *quia multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum* 1. *Ioh.* 4, 1.

*5. à plenariæ certitudinis Apoſtolico poſtulato.*

5. Omnes *jubentur in animo ſuo plene certi eſſe, de eo, quod credunt, aut faciunt Rom.* 14. *verſ.* 5. omnes ſeipſos *probare debent, an ſint in fide, & an Ieſus Chriſtus in ipſis ſit* 2. *Cor.* 13, 5. ***Omnes parati eſſe debent ſemper, ad reddendam rationem ſpei, quæ in ipſis eſt, cuilibet petenti***, 1. *Pet.* 3. *verſ.* 15. quomodo verò hæc πληροφορία καὶ προθυμία locum habere poteſt, in iis, qui alienis tantùm vident oculis, ignari ipſi, quid credant?

*6. Ab inſequenti juventutis negligendæ incōmodo & abſurdo.*

6. Fides illa implicita tollit omnem curam juventutis. Quorſum enim opus eſt in Catechiſmo erudire rudes, ut quiſque fidei ſuæ capita teneat, ſi ſufficit credere, quod eccleſia credit, etiam, te ignorante, quid credat?

*Objectio Gregorii de Valentia non valēs, ſive invalida ſolvitur.*

Unum hic objicit *Gregor. de Valentia lib.* 6. *anal. fid. cap.* 13. Illud nimirū, *quod Auguſtinus ſcribit de util. cred. cap.* 16. *Vna eſt autoritas, quâ ſtultos ad ſapientiam venire oportet. His addit. longè majoris autoritatis eſſe Eccleſiam Catholicorum*, (ut ipſe loquitur) *quam ſectariorum, ideò illi potius, quam huic fidem habendam. Declarat hoc exemplo prudentis hominis quidem, ſed non Theologicè docti, putà opificis, mercatoris, aut nobilis, qui, ſi propter majorem autoritatem Catholicorum Eccleſiam præferat ſectariorū, Deum nihil habiturum, ait, quod in illo tremendo tribunali huic illiterato homini opponat: nam, ut inquirendo in doctrinam, ad cognitionem veritatis perveniat, Deum ab ipſo non requirere, cum controverſias Theologicas non intelligat.* In hunc ſenſum *Greg. de Valentia* diſputat pro fide ſua implicita.

Verum enimverò falsò præponit externam Eccleſiæ autoritatem, inquiſitioni veritatis. Nam in tentationibus conſcientia, nullâ hominum autoritate ſtabilitur, ſed ſolo Dei verbo: illi enim mentiri & fallere poſſunt, hoc ipſa veritas eſt, & nunquam fallit. Ideò *Chriſtus Iudæos* quaſi in bivio conſtitutos, utrum Phariſæos, vel Chriſtum ſequi deberent, *non remittit ad externam Eccleſiæ Phariſaicæ autoritatem*, quæ ſanè illo tempore major erat, quàm Chriſti, *ſed ſcripturas ſcrutari jubet*, quæ de ipſo teſtentur *Ioh.* 5.

*Auguſtinus dextrè explicatur.*

*Auguſtinum* quod attinet, is de miraculoſa Chriſti nativitate, operatione, morte, & reſurrectione loquitur, hanc vocat celeberrimam autoritatem, quæ commoveat ſtultos, ut ad ſapientiam feſtinent, nihil autem de autoritate hominum in Eccleſia habet, ut ex contextu patet.

*Novum παράδοξον Valentianum.*

Mirum autem eſt, Deum in tremendo ſuo tribunali nihil habiturum,

tum, quod respondeat homini, autoritatem merè humanam verbo suo præferenti, ut velut ex tripode satis temerariè dictitat *Valentianus*. *Christus* non dixit: si autoritatem majorem hominum secuti fueritis; sed, *si permanseritis in sermonibus meis, verè discipuli mei eritis Iohan.* 8. *v.* 31. & non secundum autoritatem hominum, sed secundum verbum suum iudicabit in tremendo illo die, sicut scriptum est: *Sermo, quem locutus sum, judicabit eum, in novissimo die Ioh.* 12 *v* 24. Relinquitur ergò conclusio nostra, quòd fides implicita Romanensium ad salutem non sufficiat.

## CASUS VII.

### *Numquid ergo Laicus & simplex homo omnes atque singulos fidei articulos expressè nosse tenetur?*

*De Laicis necessariâ articulorū fidei cognitione. Recensentur variæ opiniones.*

RESP. De hac quæstione discrepant scholastici. Sunt qui sufficere putant, si quis privatus imperitus & rudis implicitè & generatim credat, quicquid credit Ecclesia, tametsi nil prorsus credat explicitè & speciatim, quos refutat *Ioh. Azor. lib.* 8. *inst. moral. c.* 6. *q.* 1.

Existimant aliqui sufficere, si laici explicitè credant, unum esse Deum, remuneratorem omnium justorum & bonorum operum, & vindicem malè factorum; alios verò articulos implicitè: in hac sententia est *Hostiensis, Iohann. Andreas & Panormitanus de summa Trin. & fide Catholicâ.*

Alii statuunt, laicos debere explicitè credere articulos fidei, saltem eos, quos publicè celebrat, cantat, proponit, aut docet Ecclesia: qualis est articulus summæ illius Trinitatis, quales item sunt articuli, qui ad humanam naturam Christi Domini pertinent, ut eum esse conceptum de Spiritu S. natum ex Maria virgine, passum, crucifixum mortuum, sepultum, è mortuis resurrexisse, & in cœlum ascendisse: quæ sententia est *Thomæ, Bonaventuræ, Durandi*, & communis appellatur.

Rursus censent aliqui, quemvis laicum, etiam rudem & imperitum addiscere debere & nosse symbolum Apostolicum; Alij vero putant, ejusmodi laicos & quemvis lege divinâ non compelli ad discendum symbolum Apostolicum, satis esse, si teneat articulos fidei, prout à Theologis proponuntur, in quâ posteriore sententiâ est *Azorius tom.* 1. *Instit. moral lib* 8. *c.* 6 *quæst.* 4.

Sunt etiam qui putant, si quis prorsus hebeti & obtuso sit ingenio, sufficere, si explicitè credat clariores articulos, reliquos vero, quos non assequitur, credat implicitè, credendo, quod Ecclesia credit, e. g. qui articulum Trinitatis non potest percipere, satis esset, si credat explicitè, Christum Dei filium, natum ex Maria virgine, passum, mortuum &c.



Digitized by Google

Rursum reperiuntur aliqui, qui statuunt, imperitos & rudes quosque laicos, non tantùm articulos fidei in Symbolo propositos tenere oportere, verùm etiam alios, qui in Symbolo non extant, ut immortalem esse animam hominis, esse peccatum originis, baptismum ad salutem esse necessarium, in Sacramento cœnæ corpus & sanguinem cœnæ verè adesse & manducari.

*Responsio vera.* *Nos quæcunque ad salutem consequendam vel confirmandam necessaria sunt, etiam laicos rudes & imperitos idiotas nosse debere, judicamus*: *Ratio.* Nemo enim salutis suæ curam habere potest, qui principia & media salutis ignorat. Ea verò continentur in doctrina Catechetica, quam Apostolus attingit. *Hebr.* 6. *vers.* 1. 2. *Præcipua capita Catecheseos.* ubi præcipua ejus capita recenset, *resipiscentiam ab operibus mortuis*, quæ pertinet ad decalogum, *fidem ad Deum, baptismatum doctrinam, impositionem manuum, seu benedictionem recens baptisatorum, & resurrectionem mortuorum, judiciumque æternum.* Et hanc doctrinam vocat, *elementa exordii sermonum Dei*, simplicioribus proponenda, quibus *lacte opus est, non solido cibo* *Heb.* 5. *vers.* 12. vocat etiam *sermonem inchoatum Christi, & fundamentum* *Hebr.* 6. 1. Necessarium ergò judicavit, rudiores in hac doctrina exerceri.

*Distinctio inter substantiam articulorũ fidei, & disputationes inde ortas.* Cùm autem non omnium eadem sit ingenii capacitas, vel occasio discendi, distinguendum hîc est inter *substantiam articulorum fidei*, & inter *disputationes inde ortas*, quæ explicationis causâ accesserunt. Substantiam articulorum fidei, quilibet idiotarum tenere debet & potest; disputationes verò, & explicationes non requiruntur ab omnibus.

*Quid sit substantia articulorũ fidei?* Est autem substantia articulorum fidei, id quòd simpliciter, licet generatim & confusè, vocibus articuli significatur, ut Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum non esse tres Deos, sed unum Deum in tribus personis: si quis hoc credit in genere, satis est, licet in specie dicere non possit, quid persona sit, quæ personales proprietates, & quomodo hæ inter se differant: hæc enim ad scholas eruditorum, & clariorem hujus articuli explicationem pertinent. Ita satis est pro rudi & imperito homine, scire duas in Christo esse naturas, humanam & divinam, & filium altissimi vocari filium Mariæ, Dominum gloriæ crucifixum esse, &c. quæ omnia conceptis verbis scriptura de Christo dicit, licet mysterium unionis personalis & communicationis idiomatum exactè non intelligat, nec quæ de his disputantur, percipiat: hæc enim etiam ad scholas eruditorum pertinent: & sic de cæteris.

*Distinctio inter τὸ credere aliquid explicitè & implicitè.* Deinde multa creduntur à rudibus implicitè, quæ explicitè verbis fidei non exprimuntur, quòd sufficit, modò non expresse contradicant. Sic, qui credit Deum omnipotentem & patrem suum esse, credit, etiam

Digitized by Google

etiam ipſum curare res humanas, & non ſolùm vi & poteſtate, ſed & eſſentia ſua verè præſentem eſſe. Qui decalogi perfectionem agnoſcit, is etiam corruptionem naturæ ſuæ implicitè fatetur; Nam decalogus etiam interiorem cordis concupiſcentiam prohibet: qui credit in baptiſmo nos regenerari, is in peccatis nos eſſe natos non diffitetur, nam regeneratio eſt eorum, qui in peccatis ſunt nati.

Quæ cùm ita ſint, neceſſitas poſtulat, ut quilibet paterfamilias in ſua domo, quilibet parochus in ſua parochia doctrinam catecheticam rudioribus diligenter inculcet, quam qui ignorant, in magno verſantur periculo: & pœnas negligentiæ ſuæ dabunt, qui eos, quos ſuæ curæ commiſſos ſciunt, hoc in genere negligunt.

*Veteres magnam in Catechiſmo rudiorum animis inſtillando adhibuere curam & induſtriam.*

Magna hoc in genere olim adhibita fuit diligentia, ubi rudiores, inprimis catechumeni eo die, quo baptiſandi erant, ſymbolum & orationem Dominicam publicè recitare tenebantur, ut conſtat ex *Auguſtini ſerm. 42. ex quinquaginta. Et in jure Canonico de conſecra. diſt. 4. c. vos ante omnia recitantur verba* ex alio quodam ſermone *Auguſtini*, quibus hortatur patrinos, *ut ante omnia ſymbolum & orationem Dominicam ipſi teneant, & illis, quos ſuſceperunt de ſacro fonte oſtendant. In concilio quoque Forojulienſi ſub Carolo & Pipino* dicitur: *Symbolum & orationem Dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat, omnis ætas, omnis ſexus, omnisque conditio, maſculi, fœminæ, juvenes, ſenes, ſervi, liberi, pueri, conjugati, innuptæq; puellæ, quia ſine hac benedictione, nullus poterit in cœleſti regno percipere portionem.*

Hinc factum, quòd in noſtris oris, etiam in pagis, doctrinæ catecheticæ examina publica inſtituuntur. Et *B. Lutherus* paſſim, imprimis autem in *præfatione Catechiſmi minoris*, hoc exercitium urget, adeò, *ut eos, qui doctrinam Catecheticam diſcere nolunt, pro apoſtatis habeat, qui Chriſtum negarint, ac propterea neq; ad ſacram cœnam, neq; ad ſponſiones in Baptiſmo, neq; ad ullam partem muneris Chriſtiani ſint admittendi.*

*Examina publica doctrinæ Catecheticæ admodum utilia.*

## CASUS VIII.

### *Quid, ſi quis ob defectum fidelis inſtitutionis, articulorum fidei omninò ſit ignarus, num de ſalute ejus planè deſperatum eſt?*

*De ignorãtia articulorum fidei ob defectũ inſtitutionis.*

RESP. Fieri poteſt, ut aliqui prorſus nullam rerum divinarum habeant vel curam vel notitiam, eò quòd malè ſunt educati, parentibus maturè orbati, aut ab ipſis penitus neglecti, vel inter armenta, in agris & ſylvis adoleverunt, vel etiam à primâ pueritiâ inter barbaros & à fide Chriſtianâ alienos commorati ſunt. Horum ignorantiam

*Opinio Azorij hoc de caſu.*



Digitized by Google

quidem putant eſſe ſine peccato & invincibilem, ut vocant: in quâ opinione eſt Jeſuita *Azorius lib. 8. Inſtit. moral. cap. 6. quæſt. 7.*

*Refutatur.*

Sed ſi ductum verbi divini ſequi volumus, ſubſcribere huic opinioni non poſſumus. Nam Chriſtus Salvator noſter *vitam æternam* ponit *in agnitione ſui & patris cæleſtis*, *Joh.* 17, . Deus pater etiam *in cognitione ſervi ſui juſti juſtitiam noſtram conſiſtere ait. Eſ.* 53, 11. qui ergò ſine Chriſto ſunt, etiam patrem ignorant, juxta illud: *qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui miſit eum Joh.* 5. *v.* 23. quomodo ergò ſpem vitæ æternæ habere poſſunt?

*Vita æterna & juſtitia noſtra in quibus conſiſtat?*

*Exceptio.*

Nec juvat ipſos, quòd Baptiſmum acceperunt, nam in Baptiſmo quidem illuminati ſunt, adeò ut & *infantes dicantur cognoſcere patrem* 1. *Joh.* 2, 14. ſed Baptiſmus per ſubſequentem malitiam, (quæ homini connata eſt, & non niſi per rectam educationem tollitur) evacuatur, & illuminatio illa per ſocordiam & incuriam, extinguitur, fidesque diſcreta, quæ ab adultis requiritur, impeditur. Hæc enim ordinario modo, non niſi per verbum acquiritur, dum illud vel legitur, vel auditur, & aſſiduâ meditatione recolitur. Illi verò verbum nunquam audiunt, & dum inter pecora vivunt, vix aliquam verbi notitiam habere poſſunt: interim accreſcit malitia, & longa aſſuetudo ipſis vel neglectum vel contemtum verbi inſtillat.

*Baptiſmi ſalutaris efficacia & utilitas, poteſt per vitam ſecuram & negligentiam ex parte hominis extingui.*

Qui verò inter barbaros & fide Chriſti alienos morantur, dum de fide Chriſtianâ nihil unquam audierunt, in profanitate barbarorum educantur, & licet ex Chriſtianis parentibus nati ſint, hoſtes tamen fidei Chriſtianæ tandem evadunt. His ſanè in hoc rerum ſtatu ſpes ſalutis non poteſt eſſe reſidua, donec Deus eorum miſertus, ipſis quoque media ſalutis largiatur.

*Parentum nonnullorũ ἀσεβεία vituperatur.*

Perperam igitur faciunt parentes & patresfamilias, qui liberos & domeſticos ſuos à primis, quod dicitur, unguiculis, armentis ita ſive præficiunt, ſive adjungunt, ut multi per annos aliquot, vix ſemel templum ingrediantur, ſcholas certè nunquam viderint, unde ſibi peculiarem accerſunt ignorantiam in iis rebus, quæ animæ ſalutem concernunt, cujus culpa magnam partem ad ipſos parentes & patresfamilias redundat.

*Pro infantibus captivis orandum.*

Captivorum verò infantum miſeria longè maxima eſt, licet nulla ipſorum culpâ contracta: pro quibus proinde orandum, ut Deus eos à jugo illo liberet, & ad agnitionem veritatis adducat: aliàs blaſphemiis barbarorum hoſtium nominis Chriſtiani implicati, non habent, quod ipſis ſalutem promittere poſſit, quamdiu extra eccleſiam, & ad nutum hoſtium eccleſiæ vivunt.

CASUS

Digitized by Google

## CASUS IX.

*De infantibus Christianorum, an habeāt Dei cognitionem? Usus hujus casus.*

### *Habentnè infantes Christianorum veram veri Dei cognitionem?*

RESp. Decisio hujus casus magnum habet usum in prematura morte infantum. Si enim parentibus constiterit: quòd infantes Deum cognoverint, non habent, quod de salute ipsorum dubitent, quæ in cognitione veri Dei consistit.

*Affirmatur quæstio & probatur.*

Quòd autem infantes Christianorum parentum Deum cognoscăt, *D. Johannes* conceptis verbis testatur: *scribo vobis, infantes*, inquit, *quoniam cognovistis patrem*, 1. *Johan*. 2. v. 14. quo in loco, quòd parvuli, qui nondum annos discretionis attigerunt, intelligendi sint, constat ex διορισμῷ illo, quem *D. Johannes* rationem ætatum instituit; meminit enim seorsim patrum, seorsim adolescentum, & tandem seorsim etiam infantum.

*παιδία & βρέφη quid Græcis significent?*

In Græco nominantur παιδία, quæ Græcis ejusmodi sunt pueri, qui opus nutrice habent, à qua gestentur & curentur: alibi nominantur βρέφη, *quales Christo afferebantur in ulnis Luc*. 18, 15.

*Infantes in baptismo regenerantur,*

Hujusmodi infantes in baptismo verè regenerantur, & in filios Dei adoptantur: quæ regeneratio & adoptio sine cognitione patris cœlestis esse nequit. Absurdum enim est, adoptari aliquem ab eo, de quo planè nihil novit. Ideò etiam *credere in Christum dicuntur Matth*. 18. 6 *Marc*. 9, 42. *credunt,* Fides autem sine cognitione non est, & quicunque fidem habent salvificam, eos quoque Deum nosse necesse est, cùm in cognitione Dei, salus & vita æterna consistat, *recipere regnum Dei Marc*. 10, 15. *recipiunt regnū Dei.* *Luc*. 18, 17. quod itidem sine cognitione Dei fieri nequit: & *lactentium & infantium ora laudant Deum Psal*. 8, 3. *Matth*. 21, 16. *laudant Deum.* quo... odo autem laudare possunt prorsus ignotum? Præterea *placent Deo*, *Matth*. 19, 13. *seqq. absque fide autem placere Deo nemo potest Heb*. 11, 6. *placēt Deo.*

Habent autem infantes fidem actualem ex operatione Spiritus S. per baptismum, qui suo modo, licet nobis incomprehensibili, veram Dei agnitionem, & Christi apprehensionem in illis operatur. Una enim fides est salvifica, quæ in apprehensione Christi, veram Dei agnitionem præsupponente, consistit. Ea autem aliter sese habet in infantibus ac in adultis. *Infantium fides aliter se habet ac adultorū.* In adultis accenditur per *auditum verbi Rom*. 10, 17. infantibus datur in Baptismo: In adultis est discreta & cum usu rationis, ita ut distinctè de rebus fidei discurrere, meditari, & loqui possint: in infantibus est indiscreta, vera tamen. In adultis exerit se per externam confessionem: in infantibus hoc non fit, *sed gratia Dei in illis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indulgentia, nec corde credere ad justitiam possunt*, (scil. ut adulti) *nec ore confiteri ad salu-*

*salutem*, *dicente Augustino lib. 3. de baptis. cap.* 24. Adulti sciunt se credere,& probare se possunt, an sint in fide: quod infantibus datum non est, quo sensu *Augustinus Epist.* 57. *ad Dardanum scribit: quòd regenerati per ætatem nondum cognoscere possint Deum, videlicet cognitione discreta, de quâ ipsis exactè constet, ut adultis.* Talem enim cognitionem infantibus libenter derogamus: quemadmodum autem *sanctificantur sine sensu sanctitatis, ut Nazianzen. loquitur orat.* 40. *de Bapt.* ita & cognoscere suo modo possunt Deum, & credere sine sensu fidei; *sic enim nesciunt Spiritum Sanctum, quamvis sit in eis*, (inquit *Augustinus Epist.* 53. *ad Dardan.*) *sicut nesciunt & mentem suam, imò vitam suam, nec tamen ideò dicendum est, ipsos nec mentem nec vitam habere. Dormientibus, mente captis, agonizantibus, in maximis tentationibus constitutis, non est sensus fidei sua, neq; sciunt se cognoscere Deum, nec tamen ipsis fides aut cognitio Dei planè deest, quæ suo tempore, testante paroxysmo, sese exerit.*

*Iohãnes in utero matru agnovit adesse Dominum.* Etiamsi ergò nec infantes ipsi, neque nos intelligamus, quomodo credant aut cognoscant Deum: non tamen fides propterea ipsis neganda est. Nam & in *Iohanne* Deus operatus est notitiam sui, unde præ gaudio in utero matris exsilit, quia Dominum suum adesse cognovit, & tamen nec ipse neque nos rationem aut modum istius cognitionis in infantulo *Johanne* exprimere possumus. Concludimus igitur cum *B. Luthero ex Epist. quadam ad duos pastores de Anabaptismo: Indubitatum hoc est, quòd infantes baptizati fidem habeant, nec ex scriptura contrarium probari potest, licet incertum nobis sit, quæ sit istius fidei ratio, aut quomodo credant. Et in formula concordiæ inter Theologos Saxoniæ & superioris Germaniæ Anno* 1536. *constitutum fuit, quòd credant infantes, non quidem, quòd intelligant aut sentiant modum fidei, sicut adulti, attamen non destituantur omni actione aut operatione Spiritus S. referente D. Chemnitio in Exam. Concil. Trid. part.* 2. *fol.* 50. *b.*

## CASUS IX.

### *Num bonâ cum conscientiâ doceri potest, gentiles ex lumine naturæ veram veri Dei cognitionem habere?*

RESP. Affirmativam nos tuemur, quam postea probabimus. Sed sunt hodie, qui hanc doctrinam planè censent impiam, quod ipsorum judicium vel ex crassa ignorantia, vel ex propudiosa malitia est. Explicandi igitur sunt termini, quid nimirùm per verum Deum & per veram cognitionem intelligamus. *De cognitione Dei naturali & verâ.*

Per *verum Deum* non intelligimus idolum aliquod, (sicut calumniatores dicunt, gentilium de Deo conceptus, fuisse conceptus de *Quid intelligatur per verum Deum.*

de idolo, non de vero Deo,) ſed verum illum Deum, qui ſe in verbo revelavit. Hujus veri Dei aliqualem cognitionem habuerunt Ethnici ex lumine naturæ, non quidem *quid ſit*, nempe, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: hoc enim ex ſolo verbo diſcitur, *ſed an ſit, & qualis ſit.*

*Ethnici potuerunt cognoſcere Deum, &c.*

Nam quòd ſit DEUS, quòd bonus, juſtus, verax, omnipotens ſit, etiam naturaliter ſcire potuerunt gentes, *primùm* ex teſtimonio proprii cordis & operibus conſcientiæ, quæ cum ob malefacta accuſat, terret, & flagellat hominem, teſtatur ſanè Deum eſſe, qui juſtè judicet, & peccata averſetur, quam ob cauſam *Paulus* ait; *opus legis inſcriptum eſſe cordibus gentilium Rom. 2. v. 15.* & hæc vocatur naturalis Dei notitia congenita. *Deinde* ex operibus creationis, quæ de præclaro rerum omnium opifice teſtantur, quâ de re ſcriptura loquitur *Rom. 1. v. 19. Eſa. 40. v. 26. Act. 14. v. 17. Sap. 13, 5. Sir. 43. v. 1. Zach. 12. v. 7.* Et hæc notitia Dei acquiſita dicitur. †

† *Pulchrè Poeta:*

*Aut mihi planta ſuis numẽ demonſtrat in hortis,*
*præſentemq; refert una vel herba Deum.*
*Aut operis ſeries autorem tota recenſet,*
*qui facit, & læto cuncta vigore fovet.*
*Emicat ex ipſis divina potentia terris,*
*& levis eſt ceſpes, qui probet eſſe Deum.*

*Naturalis cognitio de Deo eſt languida & imperfecta.*

Eſt autem naturalis Dei cognitio valdè languida & imperfecta, non tantùm, quia præceptum de Deo, quiſnam ſit, ipſi deeſt, unde gentes in applicatione graviſſimè errârunt, tribuentes creaturis, quæ creatori debebantur: verùm etiam, quia illis ipſis, quæ de Deo ſcire poſſunt naturaliter, languidè aſſentiuntur. Idcircò neque ipſa ſalutaris eſſe poteſt, neque fundamentum ſternere ſalutari cognitioni.

*Differunt quæſtiones An & qualis, & quis: quod declaratur exemplo Meſſiæ.*

Interim tamen veri Dei eſt cognitio, licet non omnes quæſtiones de vero Deo complectatur. Nam & in aliis rebus quæſtiones illæ, *an & qualis*, à quæſtione *quis* diſtingui poſſunt: exempli gratiâ, agnoverunt Patriarchæ Meſſiam in quæſtione, *an & qualis ſit*, ſed non in quæſtione *Quis*: hoc eſt, ſciverunt, quòd venturus ſit Meſſias, juſtus, ſanctus, ex virgine natus, ſalvator mundi &c. ſed quòd Jeſus Nazarenus ille ſit futurus, ignorârunt, quia perſona illa in carne tunc nondum apparuit.

*Exemplo Antichriſti.*

Sic, *quod* Antichriſtus *ſit* venturus, & quænam in templo Dei opera ejus futura ſunt, ex *Daniele & Paulo* multis olim notum fuit, ſed *quis ille ſit* futurus non omnibus conſtitit, antequàm filius ille perditionis fuit revelatus: ideò etiam ſancti patres in *quæſtione quis* de Antichriſto interdum graviter aberrârunt. Sic *quòd ſit* peccatum originis, & qui ejus effectus, inter omnes conſtat: multi tamen ignorant, *quid ſit.* Quemadmodum *Pighius contra Lutherum* ſcripſit: *tria de*



Digitized by Google

*exemplo peccati originalis.* *peccato originis in Ecclesia definita esse.* 1. *quod sit.* 2. *unde sit.* 3 *qui sint ejus in nobis effectus. Quid verò sit peccatum originis, & in quo consistat propria ejus ratio, ecclesiasticâ definitone certum non esse.*

*exemplo Dei.* Eodem modo res se habet in quæstione de DEO, *quòd & qualis sit Deus*, etiam ex lumine naturæ gentilibus ex parte constitit, sed *quis sit*, nimirum Pater, Filius, & Spiritus S. solummodò ex revelatione scripturæ discitur.

*Naturalis conceptus gentilium de Deo non est conceptus idoli alicujus, sed veri Dei, quod probatur quatuor rationibus.* Quòd autem naturalis ille conceptus gentilium de Deo, non sit conceptus idoli alicujus, sed veri Dei, inde constat: 1. quòd Athenienses *ignotum Deum* colentes, illum ipsum Deum coluisse dicuntur, *quem Paulus ipsis postea prædicavit*, ut habetur expressè *Actor.* 17, 23. *quem ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio. Paulus* autem certè non idolum ipsis annunciavit. 2. quod illam de DEO cognitionem, *DEUS* gentilibus *manifestavit Rom.* 1. *vers.* 19. & 20. idolum autem illis minimè manifestavit. 3. quia propter hunc de DEO conceptum gentes dicuntur ἀναπολόγητοι *Roman.* 1. *vers.* 20. propter conceptum autem de idolo tales dici non possent. 4. quia de idolis dici non potest, quòd creaverint cœlum & terram, quòd bona, justa, casta sint, quales conceptus de *Deo* gentiles habuerunt, sed soli vero *Deo* competunt. Relinquitur ergò, gentiles aliqualem cognitionem non idoli, sed veri *Dei* habuisse.

*Quid intelligatur per terminum veræ?* Deinde cognitio illa, licet valdè languida, *vera* tamen fuit, ubi nobis terminus ille, *vera*, non idem est ac salutaris, ut calumniantur quidam, sed idem est, ac certa, & cum re cognita congruens, ut, cùm cognoverunt DEUM esse omnipotentem, veracem, justum &c. veram utique cognitionem Dei habuerunt, quia illa omnia quæ de *Deo* statuerunt, vera sunt: & hanc veritatem *D. Paulus* ipsis tribuit, dum ait, ipsos *veritatem in injustitia detinuisse Rom.* 1. *v.* 18. quod factum est in falsa illa applicatione verorum suorum conceptuum, dum videlicet ea, quæ vero *Deo* competunt, creaturis tribuerunt, ut v. 23. explicatur.

*Qualem cognitionem Dei ethnicis tribuamus?* Cum ergò naturalem notitiam *Dei* gentibus tribuimus, non de perfecta Dei cognitione agimus, qualis ne quidem in sanctissimos hac in vita cadit, nec de tàm clara, qualis in renatis est, quorum naturale lumen illustratur per verbum, multò minùs de salutari, quæ solummodò ex verbo hauritur: sed *de cognitione divinitatis, bonitatis, sapientiæ, potentiæ, justitiæ & similium*, quæ etiam scriptura vero DEO tribuit.

*Naturalis notitia gentilium de Deo porrò probatur.* Ejusmodi agnitionem DEI gentibus etiam citra verbum, bona cum conscientia tribuere possumus: quia *Paulus* tribuit ipsis, *notitiam Dei ex adspectu creaturarū, Rom.* 1, 20. *Act.* 14, 16. *seqq.* tribuit ipsis *legem cordibus inscriptam, Rom.* 2, 14. ex qua colligitur cognitio legislatoris: tri-

Digitized by Google

ris: tribuit ipsis *conscientiam, quæ, Deum esse remuneratorem bonorũ & vindecem scelerum testatur, Rom.* 2, 15. scriptura docet *homines adspicere creaturas, & ex effectu causam colligere, Esa.* 40, 26. *Ps.* 19, 1. *Sap.* 13, 5. *Sir.* 43, 1. eadem scriptura testatur, *omnia opera Dei benedicere creatorem suum, cælos, aquas, ventos, fulgura, imbres, nives, maria, fluvios, &c. cœlum & terram, & quæ in eis sunt, Psalm.* 69, 36. 148, 1. quod non *efficienter* fit, sed *objectivè*, h. e. quando hominem ad cognitionem creatoris adducunt, & materiam laudum divinarum suppeditant.

*Notus est versus:*

*Qui negat esse Deum, cælos & sidera spectet,*
*Sidera qui spectat, juret is esse Deũ.*

Ipsi gentilium scriptores, suam de Deo notitiam fassi sunt, adeò, ut *Cicero* scribat: *nullam gentem tam esse barbaram, quæ ignoret esse Deum. Hermes* dixit, *creasse Deum omnia, nec esse aliud universam hanc naturam, quam imaginem Dei. Avicen.* quoque dixisse fertur, *quicunque Deum & numen non agnoscit, nõ tantùm ratione caret, sed etiam sensu.* Plura invenies alibi. *Hermetis dictum ita est explicandũ, ut notetur imaginem Dei esse triplicem* 1. *æqualitatis sic solus filius Dei est imago Patris Col.* 1, 15 2. *Cor.* 4, 4. *Hebr.* 1, 3. *hic enim solus est æqualis Patri, juxta verba symboli nostri. Deinde alia imago est qualitatis, sic homo est imago Dei, propter qualitatũ conformitatẽ Gen.* 1, 27 & 5. v. 1. *Eph.* 4 v. 24. *Col.* 3. v. 9. *Deniq; est imago umbratilis, sive repræsentationis, adumbrationis, externæ figuræ sic latè loquendo mundus dici potest imago Dei, quatenus ex mundo arguimus Dei potentiam, sapientiam, bonitatẽ. Cœli enim enarrant gloriam Dei, Ps.* 19, 1. *invisibilia Dei è creatione mũdi cõspiciuntur Rom.* 1. v. 22 *pecora, aves & pisces narrabũt, Iob.* 12. v. 7. *Ier.* 23. v. 23. *Iesa.* 66. v. 1. *Act.* v. 17. 24.

Accedunt testimonia *Patrum & orthodoxorum Theologorum*, quæ vide in scripto collegii nostri fernere Außführung der Frage/ ob Gott ohne das geoffenbahrte Wort etlicher massen warhafftig erkant werde/ &c. *pag.* 56. & *seqq.* in quo scripto quæstio hæc uberiùs tractatur, & ab injuriis adversariorum solidè vindicatur.

Inepti ergò sunt, ne quid durius dicam, qui hujus doctrinæ gratiâ scrupulum conscientiis injiciunt: nihil hîc tribuitur naturæ corruptæ in rebus salutis, sed Dei providentia saltem prædicatur, qui se, ne quidem iis, qui extra Ecclesiam sunt, omninò occultare voluit, ut sint ἀναπολόγητοι.

## CASUS XI.

*De salute Ethnicorũ.*

*Peccantné, qui gentes ex hac generali, & qualicunq; notitia Dei salutem adeptas esse, aut adipisci potuisse putant?*

*Quidam gentes ex naturali*

RESpon. Huc collimare videntur quidam è patribus, inter quos est *Chrysostom.* qui *homil.* 83. *in Matth.* scripsit

*notitia Dei salvatos, autumant.*

*scripsit: solum Deum nosse, ad salutem tum temporis* ( ante Christi adventum ) *satis erat: nunc id non sufficit.* Et paulò post : *fruentur omnibus vita æterna bonis , etiam illi , qui Christum ante ipsius incarnationem non norunt , sed ab idololatria sese abstinuerunt , Deum unum adorarunt, & vitam, quàm fieri poterat, optimè vixerunt &c. Clemens Alexand. lib.* I. *ςϱωμα.* *Philosophiam per se quondam Græcos justificasse scribit* Quos imitatus *Erasmus , cùm in Tuscul. quæstionibus Ciceronem sine fide salvatū scribit : & Zuinglius Socratem, Senecam, Numam Pompilium cœlo intulit.*

*Sed falsò.*

Sed hæc omnia , (quod salvâ illorum virorum autoritate dictum sit,) à veritate aliena sunt. Nam scriptura non externis hominum moribus, nec vitæ sanctitati, sed illi cognitioni Dei , quæ in scriptura revelata est , salutem adscribit : cujus summa est , quòd Deus sit in essentiâ unus , in personis trinus , Pater, qui genuit Filium ex essentia suâ, eumque misit in mundum , ut salvaret , quod perierat : Filius à patre genitus , à matre virgine in tempore homo natus, & legi subjectus, ut nos à lege redimeret , Spiritus S. à Patre Filioque procedens in corda fidelium missus, &c. De hac notitia Dei veri nihil constitit etiam sapientissimis Ethnicorum. Etsi enim plerique illorum , agnoverunt DEVM esse unum in essentia, Trinitas tamen personarum , officiúmque filii Redemtoris ipsis incognitum mansit. *Qui verò filium non novit, is neque novit patrem Iohan.* 8, 18. *& qui nō manet in doctrina Christi, is non habet DEVM epist. 2. Iohan.* Unde rectè scripsit *Thomas part.* 1. *quæst.* 32. *per rationem naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad unitatem essentiæ, non autem, quæ spectant ad distinctionem personarum.* Et *Armandus de Bello visu tractat.* 3. *de cognit. Dei cap.* 2. *&* 4. *magis venimus ad perfectam cognitionem, quid est DEVS, per fidem, quam per rationem : nam per fidem cognoscimus Deum trinum & unum, ad quod nullo modo pertingit ratio naturalis, Hæc ille.*

*Objectio solvitur.*

Multa quidem leguntur *in Mercurio Trismegisto , & libris Sybillinis* de Sacrosanctâ Trinitate , de verbo Filii Dei , de ejus æternâ nativitate, incarnatione, passione, cruore, de baptismo, & similibus fidei Christianæ capitibus. † *a*:

† *a Sibyllarum versus:*

εἰς ἀνόμους χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον
ἥξει
δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνά-
γνοις
καὶ στόμασιν μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρ-
μακόεντα
δώσει δ᾽ εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε
νῶτον
καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει μήτις ἐπι-
γνῷ
τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμέ-
νοισι λαλήσῃ
καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον ——
εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, κ᾽ εἰς δίψαν ὄ-
ξος ἔδωκαν
τῆς

τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δέξαι τρά-
πεζαν
αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόη-
σας
παίζοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασιν ἀλλὰ κ' ἀκάνθαις
ἔστεψας στεφάνῳ φοβερὴν τε χολὴν ἐ-
κεράσας

*Vide Lactant. l. 4. inst. div. cap. 18. p. 144* †

*Libri Sibyllini suspecti sunt.* Sed multis doctis viris isti libri sunt suspecti, quod recentiores habeant autores, eosque Christianos, qui talia sub nomine priscorum in gentilitate Sophorum scripserunt, ut pagani felicius convincerentur, in quâ sententiâ etiam est *Augustin. lib. 18. de civ. Dei, cap. 47.* vide prolixè hac de re disserentem *Casaubonum cont. Baron. exerc. 1. n. 13.*

Quæ cùm ita sint, peccant utique, qui naturali cognitioni Dei, quæ est in gentilibus, licet cum vita honestissima conjunctæ, salutem æternam adscribunt, non tantùm, quia illa cognitio languida & imperfecta est, sed & quia fide in Salvatorem mundi destituuntur: quâ de causâ *D. Paulus* scribit; *mundum per suam sapientiam Deum nō cognovisse 1. Cor. 1. v. 21.* Et gentes *sine Deo esse in mundo Eph. 2, 12. Augustin.* quoque eundem errorem *de salute gentilium in Pelagianis notavit lib. 4. cont. Iulian. Pelag. ca. 3. & Lutherus in Cinglio, in confess. brevi de cœna tom. 8 Jen. germ. Vide plura in cōment. meo prior. ad Tim. c. 6. part. 2. qu. 2. in examine compend. Pelarg. th. 79. & in respons. ad antith. Pelarg. 11. pag. 64. seqq.*

## CASUS XII.

*De Christi ignoratione.*

### *Possumusnè quosdam, qui ignorant Christum, excusare à peccato?*

*Opinio Toleti.* Respond. Ita putat *Franciscus Toletus in summa casuum conscientiæ lib. 4. cap. 2. Non omnes peccant*, inquit, *in non recipiendo fidem Christi: multi enim ignorant irrevincibiliter CHRISTI fidem, & hi excusantur à peccato.*

*Refutatur.* Sed omninò statuendum est, neminem absque peccato Christum ignorare posse. Nam *Christus toti mundo est datus Iohan. 3. vers. 16.* universis quoque hominibus prædicatus: in V. T. per Noam, qui de benedicto semine omnibus in arcâ prædicavit, inter quos & impius Cham erat.

Et quanquàm Deus *in Iudæa notus, & in Israel magnum ejus nomen* dicitur *Psal 75. vers. 1.* quia nimirum in hoc populo publicum erat religionis exercitium, *annuntiavit verbum suum Iacob, justitias & judicia sua Israel: non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis Psalm. 147. vers. 19. 20.* non tamen aditus præclusus fuit gentibus ad hæc sacra: sed Deus tabernaculum templumque suum, semper in illustri loco, quasi in specula quadam habuit, ad quam etiam gentes accurrere poterant, ideò certas per

*Gentibus in V. T. non fuit aditus præclusus ad veram ecclesiam.*



Digitized by Google

Mosen leges sanxit, quo pacto *Proselyti* ad sacra Hebræorum admitti debeant *Exod.* 12, 19, 48. *Levitic.* 22. v. 10.

*Gentes in V. T. habuerũt media salutis quadam, quibus peterẽt ad verũ Dei cultum & Messiam quærendum excitari.*

Præterea DEUS etiam media certa reliquit gentilibus, quibus ad quærendum verum DEI cultum, & in eo mundi Messiam excitari poterant, qualis erat fama DEI Israëlitarum, celebritas signorum in populo DEI, quæ citò etiam orbem illum gentium pervagata sunt; exempla quoque eorum, qui ex gentilitate, Judæorum sacris se aggregârunt, quales erant ex *Amorrhæis Mamre*, *Aner & Escol* amici *Abrahami Gen.* 14. *v.* 13. ex *Hethæis Urias*, 2. *Sam.* 11. *v.* 4. ex *Chananæis Rahab Jos.* 2 *v.* 1. *Gibeonitæ, Iosuæ* 9. *v.* 3. ex *Idumæis Iob* & amici ejus *Iob.* 1. & 2. ex *Syris Naaman*, 2. *Reg.* 5. *v.* 1. ex *Chaldæis & Persis Nebucadnezar, Cyrus, Ahasverus, Darius, &c.* Et *Act.* 2. *v.* 5. scriptum est, *quòd in Ierusalem fuerint habitãtes viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est*, quæ omnia satis docent, Deum agnitionem Christi gentibus non invidisse, sed illis occasionem satis præclaram perveniendi ad eam monstrasse.

*Gentes in N. T. habuerũt media salutis.*

In N. verò res est manifestior: ibi enim missi sunt Apostoli in universum orbem terrarum, *prædicatum evangelium omnibus gentibus. Matth.* 28. *Marc.* 16 quod & fecisse Apostolos testatur *Paulus*, quando suo jam tempore evangelium prædicatum *in universo mundo Col* 1. *v.* 6. & *in omnem terram exiisse*, scribit, *sonum Apostolorum, & in fines orbis terrarum verba eorum Roman.* 10. *v.* 18. cui rei inservivisse refert *Eusebius* divisionem Apostolorum, per singulas orbis terræ provincias. *lib.* 3. *hist eccl. c.* 1. & 7. Hinc *Hieronymus se non putare*, ait, *aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret, in cap.* 23. *Matth.* & *Ambros. l.* 2. *de vocat. gent. c.* 10. *ex omni gente, ex omni conditione, adoptantur, quotidie millia senum, millia juvenum, millia parvulorũ, & effectibus gratiæ Christianæ, etiã ipsa, quibus mund⁹ atteritur, arma famulãtur.*

*Qui fiat, quod multi populi in hunc usq; diem Christum ignorant.*

Quòd autem multi populi in hunc usque diem ignorant Christum, *propriâ ipsorum culpâ fit*, quia in V. T. populo Israelitico aggregare se plerique nolebant, sed populum illum & civitatem sanctam contempserunt, quam civitatem *rebellem & pessimam* vocarunt *Esdræ* 4. *vers.* 12. in Novo Apostolos & Christum ipsum persecuti sunt, aut verbum inter ipsos prædicatum contempserunt, illoque contemtu posteros suos hoc DEI dono defraudârunt, non secus, atque olim Adam suo lapsu totam posteritatem, imagine Dei.

Accedit propria hominum partim malitia, partim etiam incuria, quòd media ducentia ad Christum vel negligunt vel spernunt, unde sua certè culpâ agnitione Christi destituuntur: ac proinde nulli sine peccato CHRISTUM ignorare possunt.

*Peccatum negligentiæ salutis gravius est in*

Peccatum autem illud in omnibus non æquè grave est. Tolerabilius est peccatum in illis gentilibus, qui

*N. quam V. T.* qui in V. T. Christum ignorârunt, quàm eorum, qui in Novo. Illi enim extra ecclesiam visibilem erant, hi sæpenumero in gremio ecclesiæ, vel certè non procul ab eâ sedent, & tamen Christum non curârunt. Quam ob causam Salvator de *Capernaitis* & reliquis oppidis, in quibus prædicavit, & miracula edidit, dixit, quòd *Tyris & Sidoniis, ut & Sodomitis remissius sit futurum in die judicij Matth,* 11,21,24.

In Novo tolerabilius est peccatum eorum, qui culpâ majorum, evangelium de Christo amiserunt, adhuc autem tolerabilius infantum, idcircò de horum salute vel damnatione nihil temerè judicamus: quid enim *nobis de iis qui foris sunt,* 1. *Cor.* 5,12.

*Infantes extra ecclesiam juxta ordinarium Dei judiciũ subjacent damnationi.* Juxta ordinarium quidem judicium, damnationi subjacent, *quia omnis, qui non credit in filium, jam judicatus est Ioh.* 3. v. 17. sed pater misericordiarum super hos, qui nullâ suâ culpâ in ignorantia versantur, miserationum suarum thesauros aperire potest, quod sperare malumus, quàm præcipitanter tales damnare.

Interim ignorantia Christi, quæ in ipsis est, non excusare eos potest à peccato: & peccatum hoc dicitur infidelitatis, quod juxta ordinarium Dei judicium damnare constat ex eo, quod *Iohan.* 3. *vers.* 36. *scribitur: qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* An autem Deus extraordinariè eorum velit misereri, quos jure damnare posset, nihil revelatum est in verbo, ideoque nihil à nobis affirmari potest.

## CASUS XIII.

### *Numquid eorum, quæ de Deo creduntur, confessio semper est edenda coram hominibus?*

*De confessione fidei nostra. An semper sit edenda coram hominibus?*

RESpon. Fuerunt olim hæretici *Priscillianistæ*, qui, cùm inter ea, quæ hæresis ipsorum credenda proponebat, quædam turpia haberent, fidem suam coram aliis occultandam esse rati sunt, utentes inter alia his verbis: *jura, perjura, secretum prodere noli*, ut est apud *Augustinum de hæres. ad Quodvult. cap.* 70. Hoc ex Catholicis nonnulli imitabantur, quibus visum erat, se debere simulare, ut *Priscillianistarum* latebras penetrarent, ut habet idem *Augustinus lib.* 2. *Retract. c.* 60. *Error Priscillianistarum.*

*Aliorum opinio erronea.* Sunt alii, qui confessionem externam minùs necessariam putant, sufficere existimantes eam, quæ fit in corde coram Deo, *juxta* illam *Pauli* sententiam: *tu fidem habes? apud te ipsum habe, coram Deo, Roman.* 14,22.

*Confessio externa ab homine in sacris literis requiritur.* Verùm illis omnibus opponimus apertas scripturas, quæ confessionem fidei externam ab homine requirunt. Ita enim *Christus* dicit: *Matth.*

*Matth.* 10. *vers.* 32. *omnis, qui confitebitur me, coram hominibus, confitebor & ego eum, coram patre meo, qui in cœlis est, qui autem negaverit me, coram hominibus, negabo & ego eum, coram patre meo, qui in cœlis est. Similia vide Marc.* 8. 38. Ita *Paulus* scribit *Rom.* 10. *v.* 9. 10. *quod si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, servaberis; corde enim creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem.* Ita denique *D. Petrus* 1. *Pet.* 3. *v.* 15. *Parati semper estote, ad respondendum cuilibet, petenti rationem ejus spei, quæ in vobis est, cum modestia & timore, &c.*

*Locus Paulinus Rom. 14 v. 22 à depravatione vindicatur.*

In objecto loco *Apostoli Pauli ex epist. ad Rom.* non agitur de fide dogmatum, multò minùs de fide salvificâ, sed secundum subjectam materiam *de notitia libertatis Christianæ in adiaphoris,* quæ celenda potiùs est, quàm cum scandalo proximi infirmi usurpanda: id quod nihil ad propositum facit.

*Cur externa fidei confessio sit necessaria.*

Dicimus ergò, confessionem fidei externam esse necessariam. (1.) quia Apostolico præcepto D. Petri nobis injuncta, (2.) à Christo sub insignis commodi promissione commendata, (3.) & à Paulo tanquam singulare signum fidei laudata.

*Præcepta autem sunt duplicia, affirmativa & negativa.*

Observandum autem est discrimen præceptorum divinorum, quorum aliqua sunt *negativa*, quæ *semper*, & *ad semper*, seu ad omnia tempora obligant, nunquam enim & nuspiàm faciendum est, quod Deus fieri prohibuit, ut: *non occides, non furtum facies*, à quorum præceptorum observatione homo nunquam est exemptus: alia sunt *affirmativa*, quæ non ad omnia tempora obligant, fieri enim potest, ut ad minimum tempore necessitatis ab eorum observatione abstinere liceat, sic audire verbum die sabbati, præceptum est affirmativum, pertinet enim ad sanctificationem, in casu tamen necessitatis, cùm vel curantur domi ægroti, aut necessaria itinera suscipiuntur, homo ab observatione hujus legis eximitur, Sic: *dare eleemosynam, orare, visitare ægrotos & afflictos*: præceptum est divinum, non tamen necesse est, ut hoc singulis horis, & quovis in loco fiat.

*Confessio fidei non semper est necessaria, sed certis in casibus salva conscientia omitti potest.*

Ad præcepta affirmativa pertinet confessio fidei, quæ proinde non semper necessaria. Sunt enim certi casus, ubi externa fidei confessio omitti potest, salvâ conscientiâ. 1. Cùm quis in medio hostium veritatis versatur, & nemo confessionem ab ipso exigit, silentium quoque suum nemini nocet, confessio verò plurimum noceret, tunc silere præstat, esset enim intempestiva & temeraria confessio, quam Deus nemini injunxit, quo pacto *David* inter *Philistinos* habitans confessionem doctrinæ nullam edidit, agnitus autem ab iis fugam quæsivit, 1. *Samuel.* 21. 11. *seqq.* Sic *Esther* in aula regis Ahasveri neque genus, neque religionem suam indicavit, *Est.* 2. 10.

*Casus primus.*

2. Cùm quidem ratio fidei exigitur, sed non seriò, verùm per lusum & jocum, ut à scurris & empectis inter-

Digitized by Google

interdum fieri solet, quo pacto *Christus* ipse ad omnia suorum illusorum quæsita non semper respondit. Habet enim ibi locum illud *Salomonis Prov.* 26, 4. *non respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne videaris ei similis.*

*Tertius.* 3. Cùm extra statum confessionis fides nostra alioquin satis nota, non opus est, perpetuò iterata confessione, quæ jactantiæ potiùs speciem, quam virtutis Christianæ laudem habet, quo pacto ne quidem *Apostoli* fidem suam semper & coram omnibus confessi sunt.

*Quartus.* 4. Cùm confessio spontanea periculum aliquod accersere videtur ipsi doctrinæ: quo pacto *Christus* duobus cæcis interdixit, *ne cui dicant, quod à Christo visum receperint Matth.* 9. *v.* 30 quia hæc fama augere poterat invidiam Pharisæorum & Scribarum, quod & factum est, ita, ut Christus, mox altero die ex Capernaum discedere coactus fuerit.

*Quintus.* 5. Cui doctrina nondum satis est cognita, ei & confessio ejus coram aliis est periculosa, quam ob causam eos, qui ecclesiis nostris recens se adjunxerunt, confessionem suam publicè edere non permittimus, donec in doctrina ecclesiæ rectè prius fuerint instituti: & hoc pacto *Christus, cùm sanasset surdum & mutum, prohibuit hujus miraculi publicationem, Marc.* 7. *v.* 36. quia metuebat, ne plebs nimis inconsideratè sit de eo locutura, sicut de re aliqua novâ, sine utilitate auditorum. *In hisce casibus confessio fidei intermitti potest.*

*Cas. certi,* Necessaria autem est in casibus sequentibus. 1. Cùm ad edendam fidei confessionem legitimè vocamur; quod fit, cùm vel magistratus aut alii pii, qui fortè de nobis dubitârunt, aut etiam ecclesiæ ministri fidei rationem à nobis exigunt: de hoc casu *Christus* loquitur *Matth.* 10. *v.* 18. *ad præsides & ad reges ducemini mei causa, in testimonium ipsis etiam gentibus.* *ubi necessaria est fidei cõfessio.*

Huc etiam pertinet illud *Petrinum*; *estote parati omni tempore, ad reddendam spei vestræ rationem, cuilibet roganti.* Quæ quidem verba *Jesuitæ in colloquio Ratisbonensi* ita intellexerunt; quasi quidem ratio fidei reddenda esset, sed quando necessarium sit; tunc autem necessarium esse rati sunt, quando magistratus id exegerit, ut ex *relatione Tanneri de isto colloquio constat.* Ex *Calvinianis* etiam *Perkinsius* verum & genuinum sensum dicti Petri hunc esse scribit, tùm demum rationem fidei reddendam esse, quando ab iis, qui in autoritate constituti, velut à principibus, judicibus, aliisque magistratibus examinamur, *lib.* 2. *de Casibus Conscient. cap.* 13. *q.* 1. *Depravatio dicti Petrini Iesuitica.* *& Calvinistica.*

Sed verba *Petri* clara sunt, quòd ratio spei reddenda sit cuilibet petenti, modò rem seriam agat, in loco ac tempore competente: nam, ut cuivis tentatori & exploratori respondeatur, quod *Perkinsius* objicit, vel, ut à dormiente & cibum capiente id faciat, ut *Tannerus* nugatur, necesse non est, quod quilibet intelligit. *Refutatio, & genuina dicti explicatio.*

2. Alter casus est, cùm quis ab *2 Casus.*

K infide-

infideli etiam aut hæretico de fide suâ interrogatur, non dissimulanda, sed aperienda ea est, etiam cum vitæ periculo, tunc enim tempus confessionis & probationis est, ubi silentio proditur veritas, & hostibus spes fit de consensu. Et hic locum habet illud Christi: *qui me negaverit coram hominibus, &c.*

*Tēpus confessionis & probationis.* *Silentio proditur veritas.* *Amyclas silentium perdidit.*

Non ergò subscribere possumus opinioni illorum, qui existimant, non peccare eum, qui rogatus à privato aliquo, num Christianus sit, fidem occultet, aut si rogantem verbis aliò spectantibus eludat, ut habet *Alstedius in Theol. casuum cap. 15. p. 28.* quia omnis elusio, species est mendacii. Præstaret ergò vel tale colloquium cum hostibus omittere, vel apertè, cuilibet roganti, rationem fidei reddere, licet officii ratione nullum in nos jus habeat. Fit autem confessio coram fidelibus non saltem verbis, sed & opere, ut cum quis inter Pontificios versans, jubetur processionibus interesse, coram ædicula sacramentaria procumbere, coram statuis adorare, &c. si id faceret, species abnegationis esset, ibi ergò intermissione operis confessio fidei nostræ edenda est, licet cum aliquo periculo fiat.

*Alstedius refutatur.*

3. Tertius casus est, cùm confessio fit cum manifestâ utilitate proximi, qui errore fortè aliquo occupatus, depositurus eum esset, si apertam veræ fidei confessionem audiret, aut qui auditâ aliorum confessione, in verâ fide confirmaretur.

*Tertius casus.*

Summa, quando impiis ad blasphemandum nomen Dei, piis verò ad cadendum, silentio nostro occasio datur, tunc confessio est necessaria: quia tunc dissimulatione nostrâ & gloria Dei imminuitur, & proximi utilitas impeditur.

Observandum autem hoc in loco, quòd etsi non semper necessarium est confiteri veram fidem: semper tamen necessarium sit, non simulare aliquam sectam aut infidelitatem: hoc posterius enim ad præcepta negativa pertinet, quæ semper obligant. Sic peccaret graviter, qui vestitu Jesuitico inter Pontificios, aut Turcico inter Turcas ageret, in hunc finem, ut latere possit: hoc enim externo habitu simularet Jesuitarum hæresin, aut Turcarum infidelitatem, quod Christiano & verè fideli non est integrum: nam hæc simulatio speciem abnegationis habet.

## CAPUT II.

### *De Casibus Conscientiæ circa Dei essentiam & personas.*

HActenus generalia quædam habuimus ad fidem & cognitionem Dei spectantia: jam propius ad Deum accedimus, prout se in verbo revelavit, unum in essentia, trinum in personis. Et quia cognitio Dei in hoc seculo est speculativa

*Quid in sequentibus agendum?*

culativa saltem & ænigmatica, ideò circa hanc partem θεολογίας nostræ casus quidam occurrunt, qui conscientiam turbant: cui recta decisio succurrere potest, donec intuitiva plena & perfecta Dei cognitio, sicut est, in vitâ æterna sequatur.

## CASUS I.

*De Dei conceptibus.*

*Primùm igitur, cùm Deus sit Spiritus, de quo non nisi conceptibus animi nostri agere valeamus, sollicita est mens hominis, quomodo Deum absque peccato concipere sibi liceat?*

*Concipimus non Dei essentiam, sed opera & attributa utcunque.*

RESPON. Conceptus noster *essentiam* Dei attingere non potest, Deus enim infinitus est, & incomprehensibilis; *in operibus autem & proprietatibus suis,* prout in verbo se revelavit, utcunque concipi potest: hinc Moses *posteriora eius vidisse legitur, faciem autem ejus videre non potuit Exod 33,13.* & de eo quidem dubium nullum est. Sed de eo dubitari potest, *an in conceptibus de Dei quidditate, aliquid corporei sub imaginationem nostram cadere possit sine peccato?*

*Status controversiæ explicatur.*

*Anthropomorphitarum crassus error.*

Ubi sanè prorsus rejiciendam esse censemus crassam illam *Anthropomorphitarum* imaginationem, qui Dei substantiam humani corporis figuratione describebant, ut *Augustinus loquitur lib. 1. de moribus eccl. c.10.* ubi inter cætera scribit, *inventos fuisse pueros quosdam, qui humanâ formâ Deum cogitent, atque ita se habere suspicentur, quâ opinione nihil sit abjectius: & epist.112 c 21.* scribit: *sunt quidam, qui Deum ipsum omnino corpus esse præsumunt putantes, quicquid corpus non est, nullam prorsus esse substantiam: istos omnimodo aversandos censeo.* Hæc *Augustinus,* & nos cum ipso.

Nam cùm *Deus sit Spiritus Ioh. 4. v.24* quomodo corporea aliqua substantia ipsi tribui potest? quemadmodū autem hi in excessu peccant; ita alii in defectu, qui nescio cujus peccati reos faciunt eos, qui inter orandum aut cogitandum de Deo, imaginem aliquam alicujus viri senioris concipiunt, id quod inprimis gens Calviniana, culices colans & camelos deglutiens, facere solet. Ita enim scribit *Alstedius in Theol. casuum cap.5.pag.72. cave illum (Deum) concipias in cujusquam creaturæ formâ: & Perkinsius lib 2. casuum conscient. cap.4. quæst.1. quando precandum nobis,* inquit, *Deus ve colendus est, non eum in ullius terræ aut cœlestis, corporeæ aut spiritualis creaturæ formâ & similitudine, (quæcunque demum sit) concipere, aut in animis nostris imaginari nobis debemus (sicuti rude & stolidum vulgus specie ac similitudine viri, ætate provecti sedentis in cœlo sibi imaginatur Deum) in hunc enim modum Deum non concipere, eum rectè concipiendi gradus.* Hæc ille.

*Calvinianorum error.*

Sed hoc est illaqueare teneras conscientias simpliciorum, quos Christus Jesus sanguine suo purgavit, licet pro rudi & stolido vulgo à sapientibus hujus seculi habeantur. Nullum enim in tali conceptu peccatum esse sequentibus ostendimus rationibus.

*In conceptu Dei ad modū viri antiqui nullum est peccatum.*

*Ratio 1.*

*Primùm* enim sine conceptu mens humana ne quidem cogitare potest de DEO. Qui enim vel de Deo loquuntur, vel preces ad Deum dirigunt, concipiunt imaginem aliquam. Satius autem est imaginem hominis, in qua Deus ipse apparuit, quàm aliam aliquam concipere. Sunt ergò conceptus de Deo in formâ hominis naturales, quos ne quidem illi, qui contra eos disputant, mutare semper possunt.

*Ratio 2.*

2. DEUS ipse sub tali conceptu mentibus hominum se objecit, quando in formâ viri, in formâ grandævi senis, in formâ ducis armati, quem Propheta antiquum dierum nominat, in formâ regis throno gloriæ insidentis apparuit, *Gen.* 18,2. *Jos.* 5 3. *Dan.* 7,9. *Esa.* 6. *v.* 1 *seqq.* Nam hæ historiæ sine tali conceptu non nisi ab oscitantibus leguntur. In his autem formis externis Deus succurrere voluit infirmitati nostræ, quia de Deo non nisi humano more loqui & cogitare possumus. Metuendum autem non est, ne conceptus isti ipsam incomprehensibilem DEI essentiam comprehendant, quia nemo tam bardus est, quin sciat, non ipsam DEI essentiam, in sese invisibilem, illis in historiis oculis hominum subjectam esse.

*Cur Deus se revelarit in ejusmodi formis externis & corporeis?*

*Ratio 3.*

3. Calviniani ipsi ejusmodi corporeos conceptus de Deo non omninò negant, tantùm, quòd illos citò transire scribunt, ut videre est in *Mosani vindiciis imaginum pag.* 336. ipsi quoque sibi peculiarem de Deo conceptum formant in effigie radiorum solarium, cum inscripto nomine Jehova, qui tamen conceptus in scripturâ fundamentum nullum habet.

Quapropter non est, ut quis scrupulum in conscientia concipiat, si fortè inter orandum de Deo in forma hominis cogitârit: nominamus eum *patrem* nostrum, cur ergo non de ipso tanquam seniore quodam cogitare liceat? cave modò, ne sub illâ formâ hominis ipsam Dei essentiam te concepisse existimes.

Concludimus ergò tales de Deo conceptus in mente fieri sine peccato, quales reperiuntur in scriptura. In ea autem 1. Deus semetipsum in visibili quadam forma hominum oculis subjecit propter infirmitatem hominum, ergo si quis conceptum hujusmodi externæ formæ de *Deo* in animo suo habet, minimè peccare dicendus est.

*Tres conceptus de Deo nobis in scripturis monstrantur.*

2. Deus revelavit se in verbo, quòd sit bonus, sapiens, justus, omnipotens, creator cœli & terræ, redemptor generis humani &c. in his ergò suis operibus ac attributis etiam à nobis concipiendus est, quemadmodum ipse per attributa sua se aliis libenter cognoscendum

præ-

Digitized by Google

præbuit *Exod.* 34,6. *Ier.* 9,14. *Dan.* 9.4. *&c.*

3. Deus in scriptura manifestavit se ut Patrem, Filium, & Spiritum S. hoc est, Deum unum in tribus personis: ergò Deus extra tres personas concipiendus non est, nec excludere debet Filium & Spir. Sanctum, qui cogitat de Deo Patre, & vicissim: hi tres enim unum sunt. His observatis, conceptus noster de DEO scripturæ conformis erit.

## CASUS II.

*De imaginibus.*

## *Num sine peccato nulla Dei imago vel pingi vel sculpi potest, licet non colatur?*

*Calviniani omnes è templis & privatis ædibus suis imagines ejiciunt & rejiciunt.*

RESP. Scrupulum hunc faciunt Calviniani teneris conscientiis, dum omnes idololatriæ accusant, qui imagines Dei in templis vel privatis ædibus etiam ornatus saltem aut historiæ causâ habent. Sed vanus hic metus est, modò hoc præsupponatur, essentiam Dei, uti à nemine mortalium unquam visa fuit; ita nec pingi, nec sculpi, nec quoquo modo exprimi, oculisq; nostris subjici posse; hîc enim locum habet illud *Esa.* 40. *v.* 18. *cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Neque etiam quævis imago Dei effigianda est pro nostro lubitu, sed hoc in genere cautos nos esse oportet; quia Deus fieri prohibuit sui imaginem, cujus similitudinem ipse non exhibuerit *Deuter.* 4. *vers.* 10. Idcircò, si quis DEUM in eâ formâ repræsentare conetur per imaginem, in quâ in historiis biblicis apparuit, eum non peccare judicamus, quia Deum non in essentiâ suâ, sed in externâ illâ formâ, in quâ apparuit, repræsentat, ut *in formâ antiqui dierum Dan.* 7. in baptismo in formâ hominis, qui pater est, & Spiritus Sanctus in formâ columbæ &c. Rationes alibi fusiùs explicavimus: hîc primas saltem lineas ducam.

*Non omnes imagines esse repudiandas, probatur.*

Primùm igitur Deus ipse ita se depinxit, dum in istâ formâ apparuit.

2. Quia dum historiæ apparitionum illarum leguntur, mens imaginem illam, in quâ apparuit Deus, concipit absque peccato, ut jam ostendimus, ergò & absq; peccato illa imago coloribus exprimi potest.

3. Quia S. Patriarchæ creduntur ejus personæ, quæ ipsis apparuerat, imaginem expressisse, ut de Jacobo Patriarcha testatur *Eustachius* in catena græca.

4. Ipsi quoque Calviniani sine peccato putant se uti posse imagine sua, qua Deum qualitercunque exprimunt forma radiorum solarium cum inscriptione nominis יהוה, interdum etiam libris suis imaginem Dei in formâ senis præfigi patiuntur, ut videre licet in tabulis *Szegedini edit. anni* 1593. *& in compend. locorum communium Isaaci L. Feguernekini*, in quorum librorum fronti-

ſpicio imago Dei Patris in forma ſenis cum promiſſâ barbâ, & Sp. S. in formâ columbæ conſpicitur.

5. Fatetur *Zanchius* non quidem angelos ipſos, formas tamen illas viſibiles, quas aliquando ſumſerunt, pingi poſſe, *com. in Gen. cap. 3. tom. 4. oper. fol.* 385. cur ergò Dei forma viſibilis, in quâ apparuit, pingi non poſſet? Non enim metuendum eſt, ne infinita ejus eſſentia hac picturâ circumſcribatur, quod fruſtra metuit *Zanchius*, nam neque finita angelorum eſſentia pictura illorum deſcribitur, ſed tantùm forma apparens qualitercunque repræſentatur: quo in genere nemo peccare poteſt.

6. Nuſpiam interdictum eſt, pingere Deum in ea forma, quâ apparuit. Nam quod loca *Exod. 20. v.* 4. *Deut* 4. *verſ.* 16. attinet, quæ inprimis urgentur, non eſt, quod iis turbetur conſcientia: ibi enim, non ſimpliciter imagines ſunt prohibitæ, ſed idola, quia Deus prohibet fieri *deos argenteos, & aureos, deoſque conflatiles Exod.* 20. *v.* 23. *Levit.* 19. *v.* 4. & cur non ſint facienda ſculptilia expreſſè addit, videlicet, non, ne repræſentetur aliqua Dei forma, *ſed, ne adorent ea Levit.* 26 *verſ.* 1. & ſicut *Exod.* 20. *v.* 2. *dicitur; non habebis deos alienos coram me, ita verſ.* 23 *dicitur, non facietis deos argenteos mecum.* Sic *Exod.* 34. *v.* 14. ratio additur, cur ſint confringenda altaria, *quia* videlicet *non ſit adorandus deus alienus*: ergò propter cultum peregrinum erant diruenda. Quâ de re alibi prolixius egimus, vide *lib. germ. de imag. cap.* 4. *& diſp. de imagin. theſ.* 27. *ſeqq.*

*Obiectiones Calvinianorum ſolvuntur.*

Concludimus ergò cum *Domino Chemnitio ex part* 4. *Exam. fol.* 22. optimam quidem & certiſſimam & utiliſſimam Dei & Chriſti imaginem eſſe, quam mentis noſtræ agnitio ex verbo Dei format & concipit: ſed tamen de indifferentibus odioſè dimicandum non eſt. Sicut enim non pietas, ita nec peccatum in illis collocari debet, ſi non accedant pravæ opiniones & abuſus. Quia enim Deus ipſe in viſionibus tales imagines oſtendit, ſicut peccatum non eſt, tales viſionum hiſtorias verbis exprimere: ita peccatum non erit tales Scripturæ hiſtorias hiſtoricè, & ad uſum hiſtoricum picturis repræſentare, modo illud fixum maneat, ipſam divinitatis eſſentiam nec debere, nec poſſe figurâ aut imagine aliqua exprimi.

## CASUS III.

*De Trinitate.*

In diſputationibus de Deo perturbant conſcientiam Photiniani & Judæi, negantes tres in uno DEO perſonas: quæritur igitur,

*Quænam ſint omnium firmiſſima ſcripturæ teſtimonia de Trinitate perſonarum in unitate eſſentiæ divinæ, in quibus conſcientia adquieſcere poſſit?*

Reſp.

*Tria in probanda Trinitate animadvertenda.*

RESP. Ut casus hic rectè decidatur, & conscientiæ hominis pii satisfiat 1. docendum est, in Dei unitate esse pluralitatem, 2. hanc pluralitatem præcisè ad tres restrictam esse. 3. tres illos non esse tres Deos, sed tres personas in Deo.

*1 In Dei unitate pluralitatis demõstratio; quæ pluralitas probatur primò ex dictis, in quib. Deus de se ipso in plurali numero loquitur.*

Pluralitas ergò in Deo ostenditur ex illis dictis, 1. in quibus Deus de se ipso loquitur in plurali numero ut *Genes. 1. v. 26. faciamus hominem ad imaginem nostram. Gen. 3. v. 22. ecce Adam factus est sicut unus ex nobis. Gen. 11. v. 7. Et dixit Jehova: agite descendamus, & confundamus labia eorum. Exod. 6. v. 8. audivi vocem Iehovæ dicentis, quem mittam, & quis ibit ex nobis?* De his dictis ita cogitare potest mens pia: de Deo nemo rectius loqui aut cogitare potest, quàm ipse Deus: errare igitur non possum, si de Deo ita loquor & cogito, sicut ipse locutus est: quod & *Hilar. lib. 5. de Trinit.* approbat. *à Deo, inquiens, discendum, quid de Deo intelligendum, & Deus non nisi Deo autore cognoscitur.* Cùm ergò Deus de seipso loquatur tanquam de pluribus, errare non possum, si pluralitatem aliquam in Deo piè statuo.

*Obiectio 1. solvitur.*

Si obtendit ratio, Deum more magnatum (*1. Sam. 16. v. 20. Absolon ad Achitophel inquit, da consilium, quid facturi simus. 1. Reg. 12, 6. Roboã quid consulitis, ait, ut respõdeamus populo isti 1 Reg. 22. v. Achab scitis, quod nostra sit Galaad.*) de se loqui in plurali numero, sciat homo pius, id Hebrææ linguæ in usu non esse, ideò in scripturâ omnia rescripta regum atq; principum in singulari numero publicantur. Et si Deus hanc aliorum populorum consuetudinem imitari voluisset, sine dubio fecisset in promulgatione decalogi, ubi majestatem suam omnium maximè declaravit: id verò ibi non reperitur, quæ est observatio *Theodoreti quæst. 20. in Gen.*

*Obiectio 2. solvitur.*

Si objiciat ratio, Deum fortè allocutum fuisse angelos, faciamus, descendamus, unus ex nobis, &c. Considerabit homo pius, Deum de tali loqui opere, quod cum angelis non habet commune, nimirum *Gen. 1. v. 26.* de (1.) opere creationis, in quo ait, *faciamus hominem ad imaginem nostram*: ad angelorum verò imaginem homo conditus non est, vide *August. lib. 18. de civ. Dei, cap. 6. Gen. 3. v. 22*: de (2) comparatione hominis ad Deum, non ad angelos: Diabolus enim cùm persuaderet homini, ut de prohibitâ arbore ederet, non dicebat: *eritis sicut angeli; sed sicut dii Gen. 3. vers. 9.* ad quod postea alludit *vers. 22. ecce, Adam factus est unus ex nobis*, digito monstrans pluralitatem in Deo *Gen. 11. v. 7.* de (3) judicio super ædificantes turrim Babylonicam, quod Deo adscribitur, v. 5. qui solus linguas hominum confundere poterat, sicut & ipse solus fecit os homini, *fabricatus est mutum & surdum Exod. 4. 11.*

*Deinde ex dictis, ubi De⁹ de Deo loquitur, probatur pluralitas.*

Deinde probatur pluralitas in Deo illis dictis, in quibus Deus de Deo loquitur, ut *Gen. 19. v. 24. pluit Iehova de Iehova. Dan. 9. v. 17, miserere nostri*

Deus

*Deus propter Dominum. Zach. 2. vers. 8. dixit Iehova increpet te Iehova. Ose. 1. v. 7. dixit Iehova, salvabo eos in Iehovâ Psal. 110. v. 19. dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Hinc ita colligere potest mens pia: Deus de seipso in una personâ loqui non potest, sed alium oportet esse, qui loquitur, alius, de quo loquitur, alius, qui pluit, alius, de quo pluit; alius, qui mittit, & alius, qui mittitur, & sic de cæteris. Ergo datur aliqua pluralitas in Deo.

*Exceptio prima solvitur.*

Si objiciat ratio, dicta illa reciprocè esse intelligenda, hoc modo: Jehova pluit à seipso; miserere nostri Deus propter teipsum, salvabo eum in meipso, &c. cogitet vicissim homo pius, quòd hæc reciprocatio non in omnibus dictis locum habere possit: non enim poterat Jehova seipsum mittere; non poterat Jehova increpare, & tamen dicere, quòd alius increpet, non poterat ad seipsum dicere, sede à dextris meis Et hæc ipsa dicta pleraque in Chaldaica paraphrasi ita sunt reddita, ut ad unam tantùm personam referri nequeant; dictum *Gen. 19.* ita redditur: verbum Jehovæ erat demittens super populum Sodomæ & Gomorrhæ pluvias benignas, dictum *Ose. 1. v. 7.* & salvabo eos in verbo Jehovæ, &c. Hinc in concilio Syrmiensi de dicto *Gen. 19,* talis canon legitur: *si quis illud, quod scriptum est, pluit Dominus à Domino, non de Patre & Filio perceperit, sed Deum Patrem à seipso pluisse dixerit, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.*

*Paraphrasis Chaldaica.*

*Socrat. li. 2. cap. 25.*

*Tertiò ex dictis, ubi nomini Elohim tribuitur verbum singulare, pluralitas ostenditur.*

Tertiò pluralitatem in Deo ostẽdunt dicta illa, in quibus nomini Elohim attribuitur verbum singulare absq; enallage aut catachresi, ut *Gen. 1. v. 7. In principio creavit Elohim cœlum & terram.* Ubi mens pia tenere debet regulam geminam Hebræorũ, quarum una est: *cùm numerus pluralis absq; enallage & catachresi ponitur, tunc sunt verè plures:* altera: *verbo singulari nomen plurale adjunctũ, distributionem sive partitionem notat:* exẽpla harum regularum sunt *Gen. 1. v. 14. fit luminaria. Prov. 28, 1. justi confidet. Genes. 49, 22. filia incessit. Ioel. 1, 20. bestiæ rugiet.* Quibus in exemplis fit distributio unius in plures partes hoc sensu, unum quodlibet luminarium fiat, quilibet justorum cõfidet, quælibet filia incessit, quælibet bestia rugiet: ita & in nostro dicto creavit Elohim, id est, quælibet persona Deitatis creavit. Hinc scriptura Deũ *factores nostros* vocat *Esai. 54. vers. 5. Psal. 149 v. 2.*

*Duæ regulæ Hebræorum, notatu digna.*

*Exceptio solvitur.*

Si objiciat ratio, nomen Elohim nõ habet significationem pluralem, quia additur verbum singulare, per catachresin autem pluralem pro singulari poni, non tam facilè credendũ est. Nam constructio illa Hebræis admodum familiaris est, ideò nõ catachrestica; quælibet enim lingua suos habet idiotismos: latinè perperam diceretur, creavit Elohim, fit luminaria, justi confidet, filiæ incessit, &c. Hebræi tamen eleganter ita loquuntur, & quidem non sine ratione, sed, quia unum aliquid inter plures distribui significant, ut paulò

Digitized by Google

paulò antè diximus. *Deinde* verò meminiſſe debemus ipſum vocabulum Elohim de vero Deo uſurpatum cum verbo plurali conſtructum ſæpè reperiri, unde apparet veram pluralitatem notari, *ut Gen.* 20. *v.* 13. dicit Abraham: *errare me fecerunt dij de Domo patris mei. Geneſ.* 31. *v.* 7. *apparuerunt ei Dij* 2. *Sam.* 7. *v.* 23. *iverunt Dei ad redimendum populum ſuum.*

*Exceptio alia ſolvitur.*

Si obtendat ratio, Elohim etiam de una tantùm perſona uſurpari, ita ut Pater dicatur Elohim, Filius dicatur Elohim, Spiritus dicatur Elohim, ſicut *Geneſ.* 1. *v.* 3. Spiritus Elohim appellatur: obſervandum eſt, nomen Elohim, quia eſt pluralitatis σημαντικὸν, primò competere Trinitati ſeu perſonis ſimul junctis; nihilominus tamen quamlibet perſonam retinere hanc appellationem ſecundariò, propter eam, quæ eſt inter illas, eſſentiæ unitatem. Ratio eſt, quia nulla perſona ſolitariè Deus eſt, ſed in Trinitate, & cum aliis duabus Deus unus eſt. Ita vox pluralis Elohim, etiam de una perſona prædicata nihilominus ad myſterium Trinitatis reſpectum habet.

*Nomẽ Elohim primò competit Trinitati ſeu perſonis ſimul ſumtis: ſecũdariò propter eſſentiæ unitatẽ cuilibet perſonæ attribuitur.*

*Exceptio nova ſolvitur.*

Si quærat ratio, unde conſtet, quòd in dicto *Geneſ.* 1. *verſ.* 1. Elohim non notet plures Deos, ſed plures perſonas in Deitate, ſciat mens pia, ſcripturam alibi expreſsè docere, Deum *eſſe unum Deut.* 6. *v.* 4. 1. *Cor.* 8. *v.* 6. *&c.* quibus locis illa exceptio tollitur, quia ſcriptura ſibi ipſi non eſt contraria, quæ uno in loco Deum unum, in altero plures ponat, imò πολυθεΐα gentilium alibi reprehenditur. Hinc extructa eſt regula, *vox Eloha in ſingulari* (quæ extat *Pſalm.* 114. *v.* 7. *Iob.* 12. *v.* 4. *Hab.* 1 *v.* 11. 3. *v.* 3.) *ſignificat Deum, in plurali perſonas Deitatis.* Id quod hoc nomen præ aliis nominibus Dei proprius Jehova, Jah, ſchadai, peculiare habet, quia alia nomina notant tantùm eſſentiam Dei, quæ una eſt.

*Regula.*

Cùm ergò hoc modo mens confirmatâ eſt de pluralitate in Deo, ſecundo loco jam diſpiciendum, quòd *hæc pluralitas diſtinctè & præcisè ad tres, nõ ad plures vel pauciores reſtringenda ſit:* & hic iterum ad ſcripturam recurrendum eſt, quæ tres diſtinctos, in Deo monſtrat *Pſal.* 33. *v.* 6. *verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris exercitus eorum.* Audis hic Dominum, audis verbum ejus, audis ſpiritum oris ipſius, *Sic Eſa.* 48. *v.* 16. *nunc Iehova miſit me, & Spiritus ejus.* Vides iterum tres in Deo, Jehova qui mittitur, is enim per totum illud caput loquitur, & hic ſe miſſum ait: Jehova qui mittit, & Spiritus S. ſimiliter mittens. Similis locus eſt *Eſai* 63, 7, 8, 9, 10. ubi mentio fit *Iehovæ, cujus miſerationes prædicantur v.* 7. *angeli faciei Iehovæ, qui ſalvavit populum verſ.* 9. *& Spiritus S. quem irritavit populus v.* 10. ecquid poteſt eſſe clarius?

*II Pluralitatis hujus ad tres, præciſa reſtrictio, quæ probatur ex V. & N. inſtrumento.*

In N. Teſtamento illuſtris eſt apparitio triũ in *baptiſmo Chriſti Matt.* 3. *v.* 16, 17. ad quod teſtimonium *Athanaſius* Arrianos remittere conſuevit, *ito ad Iordanem, inquiẽs, & videbis: Auguſtini* dictum eſt *tract.* 6. *in*

L *Iohan.*

*Johan.apparuit manifeſtiſſima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus S.in colũba*; ſic & nos baptiſare jubemur *in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti Matt.*28,19. Huc pertinet dictum Chriſti *Iohan.*15.*v.*26.*quando veniet paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis.* Audis hic diſtinctè tres in Deo, Spiritum Sãctum, qui mittitur, Filium Dei, qui mittit, & Patrem à quo mittitur. Sic 1.*Ioh.*5.*v.*7.*dicitur: tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S.* Quæ teſtimonia homini pio ſatis eſſe poſſunt, quòd in Deo plures nõ ſint, quàm tres; plura teſtimonia alibi paſſim reperiuntur.

*III. Trium nõ Deorum aut nominum ſed perſonarũ probatio.*

Tertio verò loco confirmandus etiam eſt animus, quòd hi tres non ſint tres dii, nec tria tantùm nomina, ſed tres diſtinctæ perſonæ.

Quòd tres dii non ſint, oſtendunt clara ſcripturæ dicta, de unitate Dei, quæ paſſim occurrunt. Quòd non tantùm tria ſint nomina, apparet ex diſtinctis illis operationibus & attributis, ut, quòd Pater in baptiſmo auditur, Filius baptiſatur, Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie deſcendere videtur, quòd Filius mittit, Spiritus S. mittitur, Pater eſt, à quo mittitur, quòd tres diſtincti teſtes numerantur, & quæ ſunt his ſimilia. Conſtat ergò ex ſacris literis, quod tres in Deo ſint reverâ diſtincti, non eſſentiâ, non ſpecie, non nomine, ſed numero.

Hi tres primùm in Eccleſia antequam Praxeæ & Sabellii hæreſis innotuit, abſque ullo periculo appellabantur tria nomina, ſicut in hymno canitur: *tria ſunt nomina, omnia eadem ſubſtantia*: Nondum enim litigantibus hæreticis, ſecuriùs locuti ſunt patres. Cùm autem Sabellius apertè doceret, unam tantùm perſonam in Deitate eſſe, quæ tria haberet nomina, eccleſia orthodoxa tria illa in Deo verè diſtincta, appellavit, tres nominum proprietates. Sed cùm hæretici hoc vocabulo etiam luderent, eccleſia tandem nomine trium perſonarum uſa eſt, ut dicerent, tres eſſe in una eſſentia perſonas. Unde nomẽ Trinitatis in eccleſia invaluit, propter tres in Deo perſonas. Quæ vox uſurpatur à *Iuſtino Martyre*, qui librum ſcripſit περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος. *Clemens Alexandrinus etiam lib.*5. ςρώμαl: utitur voce ἁγίας τριάδος, & *Tertullianus* contra *Praxeam*, *Origenes* & alii voce perſonæ & Trinitatis ſæpè uſi ſunt.

*Nazianz. vocat tria ὑφεστῶτα, quæ vox eſt ἄγραφος.*
2. Cor. 1,18.
2. Cor. 3,18.
4,6.

*Trinitatem non conſtituit eſſentiæ pluralitas, ſed characteriſticarũ proprietatum diverſitas, unde Deus non dicitur triplex, ſed trinus. Triplex enim eſt, quod compoſitum eſt ex tribus: Trinum, unum eſſe eſſentia & habere tres modos exiſtendi in divinis poteſt.*

Etſi ergo vocabula hæc in ſcriptura hoc ſenſu per omnia non reperiantur, in ſeſe etiam aliquid imperfectionis habeant, adquieſcat tamen mens pia in uſu eorum, cum eccleſia ſine his vocabulis fidem ſuam contra

contrà hæreticos meliùs exprimere non potuerit. In quam ſententiam *Auguſtinus* ſcribit. *lib. 7. de Trinit. cap.4. unus Deus, Pater, Filius, & Spiritus S. itaq; loquendi cauſa de ineffabilibus, ut fari aliquomodo poſſemus, quod effari nullo modo poſſumus, dictũ eſt à noſtris Græcis, una eſſentia, tres ſubſtantiæ, tres perſonæ.*

Meminerimus autem, ſi quid imperfectionis in his vocabulis occurrit, id repurgandum prius eſſe, quàm ad hæc myſteria adhibeantur: ideò neceſſe non eſt, ut omnes apices diſputationum de perſona, de Trinitate & ſimilibus excutiant ſimpliciores, qui ſi omnibus rigidis diſputatoribus ſatisfacere nequeunt, non tamen cauſæ ſuæ diffidant, nec de veritate deſperent, multa enim per ſe vera ſunt etiamſi aliis non ſtatim perſuaderi queant.

## CASUS IV.

*De æterna generatione Patris.*

### *Unde certus eſſe poſſim, quòd prima perſona Trinitatis ab æterno fuerit Pater?*

RESp. Turbant hac quæſtione conſcientias hominum *Photiniani*, negantes æternam generationem Filii, noſque nullum ſcripturæ teſtimonium habere ajunt, quo æternam Dei paternitatem probare queamus; ſi verò Deus ab æterno Pater non eſt, nec Filius ab æterno, & per conſequens nec verus & naturalis Deus eſt.

*Deus nuſpiam in ſcripturis κατὰ τὸ ῥητὸν appellatur æternus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Non autem poteſt negari, quòd Deus in ſcriptura Pater æternus Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoad literam hanc, nuſpiam appelletur. Nam, quod aliqui illud *Eſai. 9. pater æternitatis* adferunt, fruſtra eſt, neque enim de Deo Patre ibi agitur, neque de æternitate à priori, ſed de futuro ſeculo, quod nobis Filius peperit.

*Ex aliis tamen textibus per bonam conſequentiã docetur, ut 1. ex dictis quæ agunt de æterna filij generatione.*

Poteſt autem ex aliis textibus doceri, Deum ab æterno unigeniti Filii ſui patrem fuiſſe. 1. Ex iis ſcripturis, quæ de æterna filii generatione agunt. Si enim filius ab æterno genitus eſt, Pater ejus etiam ab æterno pater fuit. Illud vero docet *David Pſal. 2. verſ. 7. Filius meus es tu, hodie genui te*, quæ verba de Chriſto citantur *Act. 4. v. 25. Hebr. 1. v. 5. c. 5. v 5.* HODIE verò, de Deo uſurpatum non notat tempus aliquod definitũ, quia apud Deum non eſt hodie nec heri, ſed perpetuũ NUNC. [*In rebus humanis hodie interdum idem eſt ac ſemper, ut Matth. 6. v. 11. panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie Heb. 3. v. 7 hodie ſi vocem ejus audieritis, & ib. v. 13. adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur. Sed in divinis perpetuũ nũ notat*] Ideò de eo, qui hodie à patre genitus eſt, dicitur, quòd beati ſint, qui in eo confidunt, quod ſoli vero & æterno Deo competit: ergo generatio quoq; ejus eſt æterna, qualis enim filius, talis generatio: & qualis filius, talis Pater, ille æternus eſt, ergo & iſte.

Idem docet Salomon *Prov.*8.*v.*22 ubi filius Dei ita loquens introducitur: *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* In Hebræo eſt קָנָנִי poſſedit, quæ vox talem ſignificationem notat, quæ fit per generationem *ut Geneſ.* 4. *v.* 1. Dicit ergò Filius ſe à Domino genitum ab initio viarum ſuarum, hoc eſt, ab æterno, ſicut in eodem *cap. verſ.*24. cœleſtis ſapientia *concepta* dicitur, *cùm nondum eſſent abyſſi*: ubi eſt in Hebræo חוֹלָלְתִּי *cholalthi*, quæ vox de formatione fœtus in utero accipitur *Pſal.* 51. *v* 6. ergò Dominus ab æterno Pater ejus fuit. Huc pertinet dictum *Michææ cap.*5.*v.*2. ubi de dominatore Iſraelis dicitur, *quòd egreſſus ejus ſit ab initio à dieb⁹ æternitatis,* hoc eſt, ab æterno à patre genitus, de illo enim egreſſu, qui per generationem fit, ibi agitur, quo ſenſu vocabulum *egrediendi* uſurpatur in ſcripturâ *Geneſ.*15.*v.*4. 17.*v.* 6, 25, 26. 38. 28. 46.*v.*26. *Exod.*1, 5. *Hebr.*7, 5.

*Vox egrediendi pro generatione interdũ in Scripturâ uſurpatur.*

*2. Ex dictis, quæ agunt de æterna filij exiſtentia.*

2. Probatur ex iis ſcripturis, quæ de æterna Filii Dei exiſtentia loquuntur, ut *Ioh.*1.*v.*1. dicitur, *Verbũ ab initio, ſeu in principio fuiſſe*: hoc eſt, ab æterno, nam in principio creaturarum mera fuit æternitas: fuit autem in principio apud patrem *verſ.*2. ergò pater quoque fuit in principio ſeu ab æterno. Sic ad Judæos dicit: *antequam Abraham erat, ego ſum, Ioh.*8. *v.*58. Ergò & patrem habuit ante Abrahamum, non ſecundum humanam naturam, quæ Abrahamo fuit poſterior: ergò aliam habuit naturam, quæ non niſi divina & æterna eſt.

[*Veteres uſi ſunt etiam aliis locis, ut Galatinus lib.* 4. *cap.* 4. *illud Pſal.* 72. *verſ.* 17. *ante ſolem permanet nomen ejus. Euſebius lib.* 1. *cap.* 1. *dictum Pſal.* 110. *verſ.* 3. *ante Luciferum genui te. & Iren. lib.* 2. *c.*48. *illud dictum Eſa.* 53. *verſ.* 8 *generationem ejus quis enarrabit? adducunt.*]

*3. Ex dictis, quæ agunt de æterna filij gloria.*

3. Ex iis ſcripturis, quæ agunt de æterna ejus gloria, quam ſemper habuit apud Patrem, ut cum *Io.* 17, 5. Patrem ſic alloquitur: *Nunc clarifica me Pater, ea gloria, quam habui apud te, priusquàm mundus eſſet.* Hanc autem gloriam dedit ei pater *verſ.*22. non autem aliud dandi medium excogitari poteſt, quàm generatio, per quàm omnia ei dedit pater. *Ioh.*3, 35. Cùm ergò ante conſtitutionem ei data ſint omnia à Patre per generationem: ergò ab æterno quoque pater fuit, & generatio ejus æterna. Satisfacere hæc poſſunt veritatis amanti, qui unâ operâ ex dictis & Patrem & Filium ab æterno eſſe, quod ſunt, hoc eſt, Patrem & Filium, demonſtrare poteſt, juxta naturam correlatorum.

CASUS

## CASUS V.

*De duabus naturis in Christo.*

### *Quomodo homo ſibi perſuadere poſſit, duas eſſe in Chriſto naturas?*

RESp. Quæſtio hæc non tam theoretica eſt, quàm practica. Dubitare enim poteſt mens pia, quomodo duæ diverſiſſimæ naturæ in unam coire poſſint perſonam, cùm proprietatibus planè contrariis ſint præditæ, una mortalis, altera immortalis, una paſſibilis, altera impaſſibilis, una viſibilis, altera inviſibilis, una mutabilis, altera immutabilis. Quæ ſanè ratio movit *Photinianos*, ut Chriſtum putarent nudum ſaltem eſſe hominem, ut apparet *ex Catech. Rackovienſi lat. pag.* 48. 49.

*Dubitatio.*

Ibi verò ne in dubio relinquatur conſcientia languida, *primùm* omnium certa eſſe debet, quod conjunctio duarum naturarum in Chriſto ſit *manifeſte magnum pietatis myſterium*, ut Paulus vocat. 1. *Timoth.* 3. *verſ.* 16. ideo ratio hic audienda non eſt, quæ myſteria fidei non intelligit: ſunt enim ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν: *Juſtin. in expoſ. fid. Et res fidei humanis rationibus diſcutere velle, eſt candens ferrū non forcipe. ſed digitis contrectare, ait Chryſoſtomus.*

*Occurritur dubitationi.*

*Ratio in fidei myſteriis non audienda, ſed ſub obſequium fidei captivanda.*

*Eſt ratio in ſacris mera deliratio rebus.*

*Cum ergo tibi quærenti incidit dubitatio, profer fidem, quæ eſt promtiſſima ſolutio,* ait Juſtinus d. l.

*Deinde* quòd in his myſteriis inutilis ſit quæſtio de modo: ſufficit, quod ex ſcripturis de reipſa conſtat. Unde & *Juſtinus martyr dixit* αὐθὴς ἔλεγχος τῆς ἀπιστίας τὸ πῶς περὶ τοῦ Θεοῦ λέγειν. *Nicodemi & Capernaitarum* illa quæſtio fuit, in quibus autem gnaviter reprehenditur *Joh.* 3, 4. 6, 52. Etſi ergò modus unionis duarum naturarum in unâ Chriſti perſonâ exactè oſtendi non poteſt; ſatis tamen eſt homini fideli, quòd ſcriptura duas in Chriſto naturas monſtrat, ut poſtea audiemus.

*Tertio*, quòd duæ in Chriſto naturæ *diverſæ* quidem ſint, ſed non *adverſæ* ſeu contrariæ, quia ſubſtantiarum non eſt contrarietas, *ut Philoſophus dicit l. Categ. cap.* 4. & *l.* 1. *Elench. c.* 9. & 4. *Met. c.* 6 *poſtulat, ut oppoſitio fiat ſecundum idem, ad idem & eodem tempore*: neque vera ſunt oppoſita mortalem & immortalem, mutabilem & immutabilem eſſe, quia non dicuntur ſecundum idem, ſed illud de humana, hoc de divina natura, quod tamen poſtea de toto ſuppoſito effertur: ita, ut Chriſtus dicatur mortalis & immortalis, ſed ſecundum aliam naturam, cujus rei exempla extant in rebus quoque naturalibus; nam corpus & anima ſunt duæ diverſiſſimæ naturæ, una eſt viſibilis, altera inviſibilis, una irrationalis, altera rationalis, & tamen in uno homine coëunt: ſimile quid de ferro & igne dici poteſt, quæ duæ diver-

*Duæ in Chriſto naturæ quidē ſunt, ſed non adverſæ.*

*Illuſtratio per exemplum animæ & corporis, ferri & ignis.*

diverſiſſimæ naturæ cum ſuis diverſiſſimis qualitatibus in ferro ignito uniuntur.

*Epitome articuli de perſona Chriſti.*

Remotis igitur illis, quæ ratio objicere poteſt, cogitare debet mens pia ante omnia, Jeſum Chriſtum propter ſalutem noſtram deſcendiſſe de cœlis; id quod ſcriptura paſſim teſtatur *Matth.* 1, 21. 18. 11. *Luc.* 1, 31. 9. 56. *Act.* 4, 12. 1. *Tim.* 1, 15.

*Chriſtum eſſe* DEUM *&* HOMINEM.

Salutis autem noſtræ ratio requiſivit, ut Deus eſſet & homo. Nam offenſus erat Deus hominum peccatis, qui non niſi à Deo placari potuit. ***Homo enim non dabit Deo placationem & pretium redemtionis animæ ſuæ*** *Pſal.* 49, 8. Placatio verò conſiſtit in remiſſione peccatorum, quæ ſine *effuſione ſanguinis fieri non poteſt Heb.* 9, 22. Hinc *Ambroſius in c.* 19. *Lucæ: nullus hominum tantus eſſe potuit; qui totius mundi peccata tolleret: & iterū quis tantus homo, in quo omnium hominum peccata morerentur?*

Oportuit ergò Salvatorem noſtrum etiam carnis & ſanguinis participem fieri, & ſic Deum ac hominem eſſe: quam ob cauſam *Paulus* utramque naturam in opere ſalvationis noſtræ conjungit *Act.* 20, 28. Unde *Anſelmus lib.* 2. *cur Deus homo, cap.* 6 *ſatisfactionem nec poteſt facere, niſi Deus, nec debet, niſi homo; neceſſe eſt, ut eam faciat Deus homo: & cap.* 18 *ad hoc valuit diverſitas naturarum & unitas perſonæ, ut, quod opus erat fieri ad hominum reſtaurationē, ſi humana nō poſſet natura, faceret divina, & ſi divina minimè conveniret, exhiberet humana, & non alius atq; alius, ſed idem ipſe eſſet, qui utrumq; perfectè exiſtens per humanam ſolveret, quod illa debebat, & per divinā poſſet, quod expediebat.*

*Chriſtum eſſe Deum probatur.*

Deinde cogitet mens pia, quoties Chriſtus ipſe, de cujus humanâ naturâ nemo dubitabat, vocavit ſe Deum, & quidem illum Deum, *qui eodem modo operetur; ut patet Ioh.* 5, 17 unde & à Judæis accuſatur: quòd *æqualem ſe fecerit Deo, v.* 18. neque dixit hoc ſaltem, ſed & operibus divinis, puta, ſcrutatione cordium, ſanatione miraculosâ ægrotorum, reſuſcitatione mortuorum &c. talem ſe eſſe demonſtravit; ergò meritò ipſi fides eſt habenda. Nam exempla teſtantur, quòd aliàs ſemper malè ceſſerit iis, qui divinos honores, ſibi verò non debitos affectarunt ut *Adami Gen.* 3. *Herodis Act.* 12, 23. *Simonis Magi apud Irenæum lib.* 1. *c.* 20. *& Euſebium lib.* 2. *c.* 13.

[*De hoc Simone Mago legi etiam poteſt Egeſippus lib.* 3. *cap.* 2. *ubi refert, quomodo Simon Magus voluerit, mediante arte ſua Magica cœlum advolare & aſcendere; precibus autem Apoſtoli Petri impeditus deciderit fractis alterius pedis oſſibus.*]

His præterea addantur teſtimonia ſcripturæ de incarnatione Filii Dei manifeſtè loquentia, ut, *quòd verbum caro factum eſt Ioh* 1, 14. quòd *plenitudo Deitatis in Chriſto habitat corporaliter Col.* 2, 9. quòd *Deus manifeſtatus eſt in carne* 1. *Tim* 3, 16. quòd *carnis & ſanguinis particeps factus ſit,*

*ſicut*

*ſicut pueri Heb.2,14.* quòd *non angelos, ſed ſemen Abrahæ aſſumſerit, eod. c. v.16.* item illa dicta, in quibus expreſſa duarum naturarum fit mentio, ut, quòd Chriſtus dicitur *eſſe ex ſemine David, ſecundum carnem Rom. 1,3.* quòd *paſſus eſt in carne 1. Pet.4,1* quo προσδιορισμῷ opus haud fuiſſet, ſi præter humanam non alia adhuc in ipſo eſſet natura.

Tandem veluti ex abundanti cum hiſce ſcripturæ teſtimoniis conjungi poſſent ethnicorum partim prodigia, partim oracula, quæ de divinitate Chriſti & admiranda ejus incarnatione loquuntur, ut, quòd referente Suida, *Imperator Auguſtus* conſulens paulò ante nativitatem Chriſti *oraculum Delphicum*, quiſnam poſt eum regnaturus eſſet in orbe? hoc reſponſum accepit: *puer Hebræus imperans beatis diis, jubet me hanc domum relinquere, & ad inferos redire: igitur tu tacens ab aris noſtris recede.* Quo reſponſo, motus *Auguſtus* aram in capitolio extrui curavit cum hac inſcriptione: *HÆC EST ARA PRIMOGENITI DEI. Vide Suetonium & Cornelium Tacitum. Plutarchus ita refert:*

*Me puer Hebræus divos Deus ipſe gubernans*
*Cedere ſede jubet, triſtemq; redire ſub Orcum*
*Aris ergò dehinc tacitus diſcedito noſtris.*

*Romæ templum pacis corruit teſte Oroſio.*

*Auguſtus noluit tempore nativitatis Chriſti Dominus vocari.*

*Eodem tempore per integrum diem oleum precioſum terra effluxit, teſte Eutropio &c.*

Tale eſt, quòd *Sybilla Erithræa* vaticinata legitur: *In noviſſimis temporibus humiliabitur Deus, & humiliabitur proles divina, jacebit in fœno agnus, & officio puellari educabitur Deus & homo:* item, *quòd Boetius de diſciplina ſcholaſtica ſcribit, in tumbâ Platonis repertam fuiſſe laminam aureā, in quâ ſcriptum fuerit: Credo in Filium Dei, naſciturum de virgine, paſſurum pro humano genere, & die tertia reſurrecturum. Simile quid refert Nicephorus lib.12. cap.41. quòd tempore Conſtant. Sexti ejusq; matris Irenes, loculus fuerit ſubter terram inventus lapideus cum hac inſcriptione:* Plura hujus generis vide *apud Ioh. VVolſium centenario primo. Vide ſupra verſus Græcos ex Lactantio citatos.* *Meſſias naſcetur ex Maria virgine, & ego credo in eum.*

In his omnibus, præſertim autem quæ ex ſcriptura allata ſunt, adquieſcere poteſt & debet conſcientia hominis pii; nam eluſiones infidelium, tanti non ſunt, ut fidem hanc evertere poſſint, ſiquidem nihil tam ſolidum eſt in ſcriptura, quod non eludere auſint impii, licet irrito conatu.

## CASUS VI.

Cum mens pia jam de duabus in Chriſto naturis certa eſt, ſollicita ulterius fit de earundem unione, & cùm unio planè ſit μονότροπος καὶ ἐξαίρετος, quæ cum naturalibus modis unionis non congruit, cogitat: *De unione perſonali.*

### *An fortaſſe Deus & homo in Chriſto ita unum ſint, ſicut in Trinitate tres perſonæ unus ſunt Deus?*

R. Conſueverunt patres unionem duarum naturarum in Chriſto cum unitate trium perſonarum in Deo conferre, non quaſi una eademque utrobique ratio ſit unionis, ſed potiùs, quia reciproca quædam inter hæc duo eſt collatio. *Eſt enim unio naturarum in Chriſto non ἀναςρέφυσα ſed ἀντίςροφος*, hoc eſt, non per omnia convertitur, cum unitate perſonarum in Deo, ſed vice verſa ad eam ſe habet. *Primùm enim*: ut in Trinitate natura & eſſentia una, tres autem perſonæ diſtinctæ ſunt; ita vice verſâ in Chriſto, una quidem perſona eſt, ſed naturæ & eſſentiæ duæ.

*Vnio naturarum in Chriſto non eſt ἀναςρέφυσα, ſed ἀντίςροφος.*

*Secundò* in Deitate diverſa eſt diſtinctionis & communicationis ratio. Nam communicatio in divinitate naturam, diſtinctio perſonas reſpicit: vice verſâ in Chriſto diſtinctio duas naturas, communicatio perſonam reſpicit, adeò ut etiam idiomata naturæ divinæ non naturaliter, vel eſſentialiter, ſed perſonaliter humanæ naturæ communicata credantur. *Eſt enim in Trinitate perſonarum unitas eſſentialis ſeu naturalis, in Chriſto verò duarum naturarum unio non eſſentialis: ſed perſonalis*, quia ambæ ſimul ſumtæ, non conſtituunt perſonam.

Appellavit quidem *Damaſcenus lib. 3. orth. fid. c. 3.* unionem hanc in Chriſto οὐσιώδη ſeu ſubſtantialem, ſed non alio ſenſu, quàm, ut opponeret eam verbali, quam inanem & κατὰ φαντασίαν appellat: & ſic eſſentiale ipſi idem eſt, ac reale; ſic enim ait: eſſentialem dicimus hanc unionem, id eſt, veram, κατ' ἀλήθειαν, non κατὰ φαντασίαν factam.

## CASUS VII.

### *Rectène cogitare poſſum de duabus in Chriſto naturis, tanquam de duabus partibus unius compoſiti?*

R. Non erubuerunt orthodoxi Theologi humanam naturam appellare partem perſonæ Chriſti, quâ Chriſtus dicitur, cùm non ſit ejus accidens, ſed pars quæ ad integritatem perſonæ hujus compoſitæ pertinet, ſine quâ Chriſtus non eſſet Chriſtus ſeu unctus. Ipſam quoque perſonam Chriſti σύνθετον ſeu compoſitam appellant, ſed non intelligunt compoſitionem aliquam craſſam & phyſicam, ſed perſonam incarnatam conſtantem duabus integris & perfectis naturis.

Scholaſtici dicunt, hanc compoſitionem perſonæ non fieri ratione partium, ſed ratione unius, ſicut omne

mne illud, in quo duo conveniunt, poteſt dici ex iiſdem compoſitum.

Rectè ergò atque piè cogitatur jam poſt incarnationem de Chriſto, tanquam de toto, compoſito ex naturis ſuis, tanquam partibus. Etſi enim λόγος etiam ante incarnationem perfecta fuit perſona; ſimplex tamen perſona fuit: jam verò poſt incarnationem σύνθετος perſona, quæ Chriſtus appellatur, factus eſt; nam adſumta natura ad ipſam ſecundam perſonam Trinitatis pertinet, non ſeorſim, ſeparatim, & ad partem poſita, ſed arctiſſimè ac præſentiſſimè Deitati τοῦ λόγου unita.

Unde non dubitârunt veteres de aſſumta natura dicere, quòd in conſortium S.S. Trinitatis evecta fuerit, quia ſecunda perſona Trinitatis conſtat duabus naturis, humanâ & divinâ, arctiſſimè inter ſe unitis, ita ut una ab altera ne quidē ἰσχναῖς ἐπινοίαις, ut Damaſcenus loquitur, divelli queat, *ideò de naturis in Chriſto cogitari quidem poteſt, ut de partibus totius compoſiti: ſed non, ut de partibus ſeparatis, ſed in uno toto unitis.*

### Casus VIII

*De locutionibus quibuſdā circa perſonā Chriſti.*

*Cum adſumta caro pars ſit ſecundæ perſonæ Trinitatis, dubitare quis poſſet, an peccet, ſi dicat: caro Chriſti facta eſt Deus, ſicut dicitur: Verbum caro factum eſt;*

Reſp. in locutionibus de unione periculoſa eſt hæc adſertio, cùm enim non priùs fuerit caro, quàm adſumeretur, hac phraſi falſæ opinioni occaſio præberetur, quaſi caro antequam τῷ λόγῳ uniatur, præexiſtat in propriâ ſuâ hypoſtaſi, atque ſit præexiſtentiâ ſuâ unionem antevertens, deinde demum facta ſit Deus, quod falſum & erroneum eſt. Rectiùs ergò diceretur: Chriſtus ſecundum carnem eſt Deus, ſeu, ut ſcriptura loquitur; *germen Davidis eſt Iehova Ier. 23, 6. & ſecundus homo eſt ipſe Deus de cœlo 1. Cor. 15, 47.* nam quemadmodum, ſecundum Deitatem naturâ Deus eſt: ita ſecundum humanitatem nomen illud, quod ſuper omne nomen, ex gratia ſortitus eſt.

*Patres uſi ſunt hac propoſitione σὰρξ ἐθεώθη caro Deificata eſt.*

Interim tamen ad exprimendam admirabilem illam κοινωνίαν naturarum in Chriſto, non dubitarunt eximii quidam patres hac uti propoſitione σὰρξ ἐθεώθη; inter quos eſt *D. Athanaſius*, qui de humana natura *contra Apollinariū* ita ſcribit: *ille ipſe Deus factus eſt caro, ut ipſi caro efficeretur Deus verbū.* Et paulò poſt: *ſatis conſtat, inquit, in carne filium & patris verbum palpatū eſſe, & illud utrumq́, quod ſimul palpatum erat, verbū vitæ, ſacræ literæ appellarunt.* Similiter & *Damaſcenū orat. 1. de imagin.* ſcribit: *Quemadmodum verbū ſine mutatione caro factū eſt, manens id, quod erat: ſic & caro verbum facta eſt, non amittens id, quod eſt, ſed potiùs cum verbo idem effecta, quantum pertinet ad perſonam.*

M Hæc

*Quo sensu illa propositio adhiberi possit.*

Hæc sano & orthodoxo sensu scripta sunt à Patribus, quos nonnulli ex recentioribus, præsertim *Iacobus Andreæ in Colloq. Mompelgart.* imitati sunt, nihil aliud docere volentes, quàm, quod aliàs docent, hypostasin verbi esse ipsius carnis factam hypostasin & carnem Deitatis quoque τοῦ λόγου, quæ ab ipsius hypostasi realiter non differt, participem factam esse, sicuti *Basilius* scribit in *sanctam Nativitatem*, & *Nasianzenus* ait, carnem in consortium Deitatis adsumtam, *Eusebius* quoque statuit, verbum dignatum esse hominem assumtam κοινωνίᾳ in Deitate & beatitudine, *Damascenus* deniq; *orat. 1. de imagin. censet*, incarnati Filii Dei carnem naturæ divinæ participem factam esse τῇ καθ' ὑπόστασιν μεθέξει, id est, eâ quæ secundum personam est, participatione.

*Consultius tamē est ab istiusmodi phrasibus abstinere.*

Etsi verò ii Theologi, qui locutione istâ usi sunt, hoc & non alio sensu qui satis orthodoxus est, usi sunt: quia tamen hujusmodi locutiones per calumniam à malè feriatis depravari, & aliò torqueri possunt, & quia cumprimis *Svenckfeldius* ad sui erroris, (quo humanam Christi naturam ex numero creaturarum eximere voluit) stabilimentum iis abusus est, satius est ab illis phrasibus abstinere, nec in usum eas trahendas esse, nisi quatenus ex Patribus recensentur; ut appareat horum potiùs, quam nostras locutiones proferri, idque hoc solo fine, ut inde liquidum evadat, usque adeò fuisse scriptores ecclesiasticos in asserendâ reali naturarum κοινωνίᾳ sollicitos, ut ad exprimendam illam nihil veriti sint, eo, quo dictum est, sensu sano pronunciare, carnem factam esse Verbum, carnem esse deificatam.

## Casus IX.

*De Deitate Spiritus S.*

*Vndenam omnium certissimus esse possum, quòd Spiritus S. sit verus & naturalis Deus, à Patre & Filio personaliter distinctus?*

Etiam hanc fidei nostræ partem dubiam reddunt Photiniani, qui Spiritum Sanctum quidem æternum & divinum quid esse concedunt, quia vocant virtutem Dei, sed Deum & personam Deitatis per se subsistentem esse negant, ipsi verò Spiritum S. modò Evangelium, modò spem promissionis appellant, quæ omnia in refutatione *Catechismi Rackoviensis cap. 6.* displosa sunt & refutata.

*Duo hic sunt observanda.*

De duabus igitur confirmandus est animus hominis pii, quòd Spiritus S. verus sit Deus, 2. quòd sit peculiaris & per se subsistens Deitatis persona.

*Probatur Spiritū S. esse Deum 1. à Iehova appellatione.*

Prioris adsertionis hæc sunt fundamenta: 1. quia in scriptura Spiritus S. expressè appellatur *Iehova*, nomine Dei essentiali, ut 2. *Sam.* 23, 2, 3.

dicit

dicit *David*: *Spiritus Iehova locut⁹ est per me, dixit Deus Israel mihi*: hîc Spiritus S. appellatur Deus Israel. Sic *Num.* 12, 6. *Iehova* dicit, *se locutum esse per os sanctorum Prophetarum*, & *Zacharias* dicit, *Deum locutũ esse per os sanctorum Prophetarum Luc.* 1, 68. id verò ad Spiritum S. refertur 2. *Pet.* 1, 21. *Act.* 1, 16. *Eph.* 3, 5. alibi dicit *Iehova*, *nolite exacerbare me Psal.* 95, 8. hoc Spiritum S. dixisse scribitur *Heb.* 3, 7. & cùm *Deus irritatus* fuisse scribitur *in deserto*, hoc Spiritui S. accidisse legitur *Esa.* 63, 10. *Act.* 7 51. sic *Ananias* dicitur *mentitus fuisse Spiritui S. Act.* 5, 3. & paulò post *mentitus* dicitur *Deo v.* 4

*2. à proprietatum divinarum tributione.*

2. Quia tribuuntur Spiritui sancto proprietates Dei essentiales. Vocatur Spiritus *æternus Heb* 9, 14. qui *in principio* creaturarum fuit, quas fovisse Deus & vegetasse dicitur *Gen.* 1, 2. tribuitur ei *immensitas Psal.* 139, 7. & *incorruptibilis* Spiritus appellatur, *qui est in omnibus Sap.* 12, 1. tribuitur ei *rerum omnium scientia Esa.* 40, 13. *Ioh.* 14, 21. unde spiritus *sapientia & intellectus dicitur Esa.* 1 ,4. qui ipsas *profunditates Dei scrutatur* 1. *Cor.* 2, 10. tribuitur *ei omnipotentia Mat.* 12, 28. *Luc.* 11, 20. *Act.* 10. 38. unde Spirit⁹ *fortitudinis & roboris appellatur Esa.* 11, 2. 2 *Tim.* 1, 7. qui *operatur omnia in omnibus Sap.* 7, 23. 1 *Cor.* 12, 6.

*3. Ab operũ divinorum assignatione.*

3. Scriptura adsignat Spiritui S. opera divina. *Spiritu oris Dei* dicuntur *exercitus* cœlorum *creati Psal.* 33, 6 idem *Spiritus incubabat aquis* in creatione, quas fœcundas reddebat, ut pisces & volatilia cœli postea inde prodirent, *Gen.* 1, 2. idem hominem quoque condidisse legitur *Iob.* 33, 4. ipse donis divinis instruit homines *Exod.* 31, 3. *Ioh.* 14, 26. *Act.* 2, 4. Ecclesiam gubernat & conservat per ministerium verbi 2. *Cor.* 3, 3. *Ioh.* 5, 21. *Act.* 13, 1.

*4. Ab honoris divini exhibitione.*

4. Scriptura denique adsignat ei honorem divinum, quia adoratur ab Angelis *Esa.* 6, 8. 9 qui locus expressè ad S. S. refertur *Act.* 28, 25. in ipsius nomine baptisatur *Matth.* 28, 19. quod non nisi nomini ipsius Dei competit, ut ex 1. *Pet.* 3, 21. constat. Plura hujus generis testimonia afferri possent, sed hæc hoc in loco sufficiant: quæ eludere quidem conatur ratio, sed evertere nunquam potest: nam quid ad elusiones istas responderi debeat, passim alibi reperitur.

*II. Persona à Patre & Filio distincta subsistentiu demonstratio. Constat hac 1. ab intellectus & voluntatis possessione.*

Deinde verò, quod Spir. S. persona Trinitatis sit à Patre filioq; reverâ distincta, constat ex his fundamẽtis: 1. quia scriptura tribuit ei intellectum & voluntatem, ex quibus duobus personæ veritas colligitur. Intellectum quidem, cùm vocat ipsum *Spiritũ sapientiæ, intellectus & consilij Es.* 11. *v.* 2. *Spiritum revelationis Eph.* 1. *v.* 17. qui *scrutatur* omnia, etiam *profunditates Dei*, 1. *Cor.* 2. *v.* 10. Voluntatem autem, cùm *Spiritus spirare* dicitur, *ubi vult* 1. *Cor.* 12. *v.* 11.

*2. à distincta à Patre & Filio operatione.*

2. Quia Spiritui Sancto actiones distinctæ à Patre & Filio tribuuntur: actiones autem propriè sunt singularium, ut singularia sunt, sic *ducere* dicitur in *omnem veritatem Ioh.* 16. *v.* 13. *arguere mundum de pec-*

*cato verſ. 8. teſtari de Chriſto Ioh.15. verſ. 26.*

*Exceptio.* Objiciunt quidem, quòd actiones tribuantur etiam rebus non per ſe ſubſiſtentibus, ut quòd caritas agere, ſcriptura loqui, peccatum ſeducere dicitur, aliisque rebus interdum actio tribuitur, quæ tamen perſonæ non ſunt. Sed vel id per Metonymiam, vel per proſopopœiam, vel per metaphoram fit; *per proſopopœiam* accidentibus ſubſtantiarum actiones adſcribuntur, ut cùm peccatum ſeducere dicitur, *per Metonymiam* adjunctis ſubjectorum actiones adſcribuntur, ut cùm caritas agere dicitur, *per metaphoram* inanimatis viventium operationes, ut cùm ſcriptura loquitur. Spiritui Sancto verò actiones ſuæ propriè adſignantur: quod inde conſtat, quia Spiritus Sanctus, etiam per dona ſua operari dicitur, ut per caritatem, ſapientiam, potentiam: ſic per verbum ſeu ſcripturam loquitur & teſtatur, per legem arguit mundum, per Evangelium ſolatur: nuſpiam autem charitas, ſcriptura, lex & ſimilia per aliquid aliud agere dicuntur. *Reſpondetur ad Objectionem.*

Notetur ergò triplex diſcrimen inter phraſes, cum Spiritus Sanctus operari dicitur, & cùm ſcriptura, aut caritas, aut peccatum, aut ſimilia agere dicuntur.

[*Triplex diſcrimen eſt inter Phraſes, cùm Spiritus S. agere & operari dicitur, & cùm alia res per ſe non ſubſiſtentes operari dicuntur.*]

*Primum diſcrimen ſumitur à diverſitate operationũ*: Spiritui S. tribuitur *creatio rerum Iob.33.v.4.* conſervatio, gubernatio miniſterii & ſimilia ſublimia ſoli Deo propria, ut ſupra audivimus: tales verò actiones aliis rebus inanimatis & non ſubſiſtentibus minimè competunt.

*Secundum à diverſo modo operandi.* Spiritus Sanctus ita operatur, ut ſimul earum rerum Spiritus dicatur, quibus ſuo modo ſimilis actio tribuitur. Sic vocatur Spiritus veritatis, cùm docet veritatem, licet aliàs ipſa quoque veritas ſuo modo docere dicatur; Spiritus caritatis dicitur, cùm amat, licet ipſa quoque caritas ſuo modo amare dicatur.

*Tertium à diverſitate principij*: Spiritus S. operatur *ut principium quod*, quia ipſa caritate, veritate, verbo, &c. agere dicitur: reliqua autem quibus nonnunquam etiam actio tribuitur, puta caritas, veritas, ſcriptura, operantur, *ut principium quo*, non enim alio aliquo veluti organo & inſtrumento operantur.

Objectio ergò iſta cui aliàs Photiniani multum tribuunt, probationi noſtræ nihil obſtat. Ubi tamen & hoc notandum, quòd probatio noſtra non fluat ex ſolis illis operationibus, ſed quatenus cum reliquis, quæ perſonæ competunt, conjunctæ ſunt. Nam quia Spiritui S. intellectus, voluntas, loquela, operatio & ſimilia tribuuntur, quia alius à Patre & Filio dicitur, & quæ ſunt ſimilia, ideò perſona per ſe ſubſiſtens eſſe colligitur: quæ omnia ſimul ſumta *Objectio ſolvitur.*

sumta de charitate, scripturâ, peccato & similibus dici non possunt. Hæc de secunda probatione.

*3. à baptismi distincta revelatione.* 3. Spiritus S. peculiari actione discernitur à Patre & Filio in baptismo Christi, ubi *in specie columbæ* descendit, & super Christo videtur *Matth.* 3. 16. in effusione Spiritus Sancti super Apostolos *in die Pentecostes*, ubi filius mittit Spiritum S. à Patre *Ioh.* 15, 26. Spiritus S. verò *in specie linguarum ignearum* apparet in unoquoque Apostolorum sedere. In specie distinguitur à Patre, & Filio *in missione Ioh.* 14, *&* 15. *&* 16. *in unctione* Messiæ *Esa.* 61, 1. *in processione* ab utroque *Ioh.* 15, 26.

*Objectio.* Ex his fundamentis responderi potest Photinianis, qui Spiritum S. dicunt, *virtutē Dei sanctificantem, ut Ostorod. loquitur in institut. cap* 4. § 4. & sic non personam quandam Deitatis, sed attributum in Deo vocant, qualis est, amor, misericordia, omnipotentia &c.

*Ejus solutio* Sed obstat 1. quod *Esa.* 63, 10. irritari, punire, irasci dicitur: 2. quod eodem in dicto à patre distinguitur, quia *Iehova Spiritus* appellatur & quidem 3. peculiari actione distinguitur, quia videlicet ad iram irritatus fuerit, punierit, in inimicum conversus fuerit, id quod de amore, misericordiâ, omnipotentiâ & similibus dici non potest: 4. quod missus dicitur à Patre, venire, procedere à patre, quod de virtute Dei non dicitur, hæ enim sunt notæ personarum & de patre negantur: is enim non mittitur, non procedit, ergò simpliciter idem non est cum patre: 5. quod alius à patre dicitur, *Ioh.* 14. *v.* 16. virtus autem non est aliud à patre, sed quiddam ταυτὸ cum ipso:

Sciendum igitur est virtutem Dei in scriptura tribus modis usurpari. *Virtus Dei in scripturis tripliciter usurpatur* 1. ἐνεργητικῶς, *effectivè*, & notat vim quandam divinam in rebus, quo sensu dona in sanctis appellantur, virtus Spiritus Sancti *Actor.* 1. 8. *1. ἐνεργητικῶς virtualiter.* 2. οὐσιωδῶς, pro infinitâ potentiâ in Deo, *ut* 2. *Cor.* 12, 9. *virtus mea in infirmitate perficitur.* *2. οὐσιωδῶς substantialiter.* 3. ὑποστατικῶς de tertia persona Trinitatis, qui Spiritus est. *3. ὑποστατικῶς personaliter.* Is enim appellatur *virtus altissimi Luc.* 1. *vers.* 35. *& virtus ex alto*, ut ex collatione locorū *Luc.* 24, 49. *& Act.* 1, 4. 5. colligitur. Confundunt ergò Photiniani significationem tertiam cum secundâ, quod unicum est principium erroris illius, quo Spiritum S. peculiarem Trinitatis personam esse negant, quam ejusmodi testimoniis hactenus adstruximus, quæ conscientiæ hominis pij abundè sufficere possunt.

## Cap. III.

## *De Casibus Conscientiæ circa attributa Dei?*

De essentia & personis divinis hactenus: sequuntur attributa Dei, quorum consideratio magnam in animis piorum ad pietatem & religionem excitandam, conservandamque

*Quid in hoc capite agatur?*

damque vim habet. Etsi verò de his plura disputantur theoricè: occurrunt tamen in praxi etiam nodi aliqui vindice digni; de quibus jam ordine agendum est.

## Casus I.

Primùm omnium dubitare quis posset:

*De Dei simplicitate & ejus attributis.*

### *Annon attributa Dei cum ipsius simplicitate pugnent?*

NAm cùm Deum audit omnipotentem, bonum, justum, sanctum esse, videtur Deum concipere tanquam subjectum cum suis accidentibus, id quod compositionem quandam infert, quæ à simplicitate Dei est alienissima.

Resp. Absit, ut in Deo ullam aliquam compositionem propriè sic dictam statuamus: ideò enim *nulla apud ipsũ est transmutatio, Iac.*1.*v.*17. quia ex nulla re compositus. Quapropter longè alia ratio est potentiæ, sapientiæ, bonitatis, & aliorum attributorum in Deo quàm in creaturis. In creaturis, puta, angelis & hominibus, qualitates sunt & accidentia, quæ supperaddunt aliquid subjecto, à quo etiam realiter distinguuntur: *in Deum verò non cadũt accidentia*, inquit *Cyrillus lib.* 2. *Thes. cap.*1.*simplex est Dei natura & immutabilis atque imperturbata neq; aliud est ipse, aliud quod habet, & quod est,* ait *Augustinus lib.de essentia divina.* Ideò bonitas, sapientia, & cætera in Deo non dicuntur qualitates & accidentia, sed attributa seu propria, sed talia, quæ non inhærent essentiæ ceu subjecto, sed cum essentiâ divinâ simpliciter ταυτὸ sunt & realiter unum: nihil enim ei superaddunt, quia Deus non per bonitatem bonus, non per potentiam potens est, sed per se ipsum seu essentiâ suâ, quæ est ipsa bonitas, ipsa sapientia, † ipsa potentia: quam ob causam solus bonus & justus, solus sapiens, solus potens appellatur. 2 *Macc.*1,14. *Rom.*16,27. 1 *Tim.* 6, 15.

*Attributa in hominibus, & creaturis sunt qualitates & accidentia, sed non in Deo.*

*In Deum non cadit accidens*

† *Potentia, bonitas, sapientia &c. in Deo vocantur attributa, non qualitates aut accidentia, quia ab essentiâ ejus non differunt.*

*Rationes cur accidens non cadat in Deum.*

Hæc doctrina fundamentum habet in scripturâ, cui conscientia tutò inniti potest. *Primùm* Deus dicitur *immutabilis Mal.*3,6. *Iac.*1, 17. qui semper est *Exod.*3,14. *& permanet, sicut est Psal.*120, 3, 25. semper autem accidentia mutabilitatem inferunt.

Deinde scriptura abstractivè loquitur de Deo: vocatur enim ipsa *caritas.* 1. *Iohan.* 4, 7, 16. quia caritas *& misericordia ejus tanta est quantus ipse Sir.* 2.21. vocatur *ipsa vita* 1. *Ioh.* 1, 2. quia *vitã habet in seipso Ioh.*5,26. idque non per figuram aliquam de Deo dicitur, sicut fortè homo quispiam ipsa sapientia dicitur, propter excellentem in ipso sapientiam: sed propriissimè, quia misericordia,

vita

vita & similia cum Dei essentiâ unum & idem sunt.

*Tertiò* quod scriptura uno in loco misericordiam Dei nominat, id alio in loco Deum ipsum vocat, sic David orat *Ps.* 25, 6. ut Deus *propter bonitatem suam* sui misereatur: apud Esaiam autem *cap.* 43, 25. dicit Dominus, se *propter seipsum* non recordari peccatorum. Unde colligitur bonitatem in Deo non accidens aliquod, sed Deum ipsum esse. [ *Ier.* 51,14. *Am.* 6,8. *Deus jurat per animã suam. Gen,* 22,16. *Ier.* 49,13. *Heb.* 6. *v.* 13. *dicitur jurare per seipsum.*]

*Distinguendum est inter accidẽs prædicamentale & prædicabile.*

Duo autem hîc observanda sunt 1. *quãdo negatur in Deum cadere accidens, intelligendum hoc esse de accidente prædicamẽtali, non de accidente prædicabili*; seu de accidente *inhæsionis*, non de accidente *prædicationis*; Multa enim prædicantur de Deo accidentaliter, quæ tamen ipsi accidentaliter non inhærent. Unde Scholastici dixerunt: *Negantur de Deo accidentia realia, sed nõ prædicata accidẽtalia: exempli gratia*: creatio mundi est accidens. Potuit enim fieri & non fieri, ac proinde ab essentia Dei realiter distincta: sed accidens prædicabile est, seu potius prædicatum accidentale: potentia autem creandi Deo est essentialis. Ita adorari, coli, amari à fidelibus, est accidens prædicabile, seu prædicatum accidentale in Deo, sed non accidens aliquod inhærens in Deo: de quo *vide August. lib.* 5 *de trin cap.* 10. ideò nullam in ipso vel compositionem vel mutationem infert.

Et hoc pacto intelligendum est, quod *Iustinus Martyr in quæst. & resp. ad Græcos p.* 135 *& seqq.* liberas Dei actiones *accidentia in Deo* nominat, *contingenter ipsi inhærentia*; hoc enim de prædicatis accidentalibus, non de accidentibus seu qualitatibus inhæsivis & propriè sic dictis intelligit. Deus enim liberè vult, decernit & operatur: & hæ volitiones, decreta & operationes ab ejus essentiâ ratione sunt distincta, contingenter autem de eâ prædicantur, quia habent relationem ad creaturas contingenter se habentes.

Hinc accidentia ἐυσυπάρχοντα vocavit *Iustinus*, quæ tamen nullam in essentia simplicissima mutationem aut compositionem inferunt, quia nec partes sunt essentiæ, nec qualitates, nec proprietates, sed determinationes saltem divinæ voluntatis ad externa objecta, quæ salvâ immutabili Dei essentiâ varie mutari possunt.

*Attributa Dei sunt quidem ταυτὸ cum ipsa essẽtia, sed nõ planè sunt συνώνυμα.*

Deinde observandum est, *etiamsi attributa Dei, & cum ipsâ essentiâ, & inter se ταυτὸ sunt: non tamen planè sunt synonyma*, ita ut Dei bonitas sit ejus potentia; Dei justitia sit ejus misericordia: non enim eandem definitionis rationem habent: ideoque intellectus noster, quæ in Deo conjuncta sunt, distinctè concipit, & de singulis seorsim & distinctè judicat, cum propter imbecillitatem suam aliter non possit. Ideò nemo existimet, cùm de bonitate, sapientiâ, potentiâ Dei seorsim cogi-

Digitized by Google

cogitat, se simplicitatem essentiæ divinæ divellere: *De⁹ enim in hac imbecillitate nostra condescendit nobis, ut nos assurgamus ei*, dicente *Augustino de spec.* 112.

## Casus II.

*De Dei immutabilitate.*

### *Cùm scriptura sæpè tribuat Deo misericordiam, iram, odium, amorem, pœnitentiam & similes adfectus, quomodo de his omnibus rectè cogitare debeo, ne quam mutationem Deo tribuam?*

*Ira & misericordia Deo tribuuntur non impropriè aut metaphoricè sed propriè & verè.*

RESP. Primùm omnium sciendum est, tribui Deo iram & misericordiam non metaphoricè sed propriè & verè, non enim simulatè, sed verè irascitur Deus peccatoribus, ideò homines *ipsum ad iracundiã provocare* dicũtur *Esa.* 63, 10. *ecce peccavimus*, inquit populus Domini, *& tu iratus es Esa.* 64. 5. & qui non credit filio, ñon videbit vitam, *sed ira Dei manet super ipsum Ioh* 3, 36. *revelatur etiam ira Dei de cœlo, super omnem impietatem & injustitiam Rom.* 1, 18 *&c.* & quando eus desinit irasci, tunc dicitur misereri. *Non in sempiternum litigabo, neq; usque ad finem irascar*, dicit Dominus *Esa.* 57, 16. *Sanctus ego sum* dicit Dominus, *& non irascar in perpetuum Ier.* 3, 12. sic Deus, quos in gratiam recipit, *desponsare* sibi dicitur *in fide & misericordia Ose.* 2, 19. *misereri* ipsorum dicitur, *sicut pater filiorum Psal.* 103, 13. imprimis confer huc *ver.* 8. *&* 9. illius Psalmi. Quando etiam Deum pœnitere dicitur iræ aut misericordiæ suæ, reverâ fit mutatio, ita, ut quibus antea irascebatur, jam benè sit, quibus misericordiam præstabat, jam sit malè.

Mutatio illa interdum adscribitur Deo, *non secundum rei veritatem, verùm secundum sensum humanũ*, ut cum *Iob* dicit *cap.* 30, 21. *mutatus es mihi, in crudelem*, super quem locum *Lyra* scribit. *In Deum neq; crudelitas, neq; mutabilitas venit, sed adjũxit Mihi, ut ipsa crudelitas atque mutatio non sit in qualitate judicis, sed in mente patientis.*

Ideò secundo loco sciendum est, quòd neq; affectus veri sint in Deo, neque mutatio fiat in Deo, sed hæc ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicuntur, & θεοπρεπῶς intelligenda sunt.

In homine ira & misericordia affectus sunt, ideò facilè mutationem recipiunt, ut quem antea amarunt, mox levi de causa odisse incipiant: in Deo verò non *sunt affectus*, *sed effectus* potius, adfectus voce significati: nam quando Deus benefacit miseris, tunc misereri dicitur, sic *Paulus* de pœnis peccatorum scribit: *venit ira Dei propter hæc, in filios hominum Eph.* 5, 6.

In homine affectus hi non sunt sine magna animi commotione: in Deo non item, sed magnâ *cum tranquillitate judicat Sap.* 12, 18. ideò cum

*viscera*

*viscera Dei commoveri* dicuntur, *Ier.* 31, 20. metaphorica est locutio: ut enim Deus viscera non habet, ita nec commotio talis ipsi tribui potest, sed ardentissima notatur dilectio.

In homine vera fit mutatio, cùm ex irato fit misericors, vel cùm ipsum alicujus rei pœnitet: sed cùm Deum pœnitere dicitur, nulla fit mutatio in ipso Deo, sed in homine, sicut sol perpetuo idem est, nullamque experitur mutationem, homines autem calore & luce solis mutantur.

Ideò *Augustinus scripsit lib. 22 de civ. Dei c. 1. cùm Deus dicitur mutare voluntatem suam, ut quibus lenis erat, verbi gratiâ, reddatur iratus, illi potius, quàm ipse mutatur, & eum quodammodo mutatum in his quæ patiuntur, inveniunt.*

In homine pœnitentia partim ex ignorantiâ & errore, partim ex mutatione adfectuum oritur: Deus neutrò modo pœnitere dicitur, quia nec consilii in ipso inopia aut error est, nec ullo dolore perturbatur.

De hoc toto genere rerum in Deo ita scribit *Augustinus lib. 15. de civ. Dei cap. 25. ira Dei non est perturbatio animi ejus, sed judicium, quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio verò ejus & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neq; enim sicut hominem, ita Deum cujusq; facti sui pœnitet, cujus est de omnibus omninò rebus tam fixa potentia, quàm certa præscientia.*

## CASUS III.

### *Num absque peccato dicere possum, Deo quædam impossibilia esse?*

*De Dei potentia.*

*Dubitatio.*

RESP. Videtur quidem hoc διαφῶνον esse contra verba angeli: *non est impossibile apud Deum ullum verbũ Luc. 1. v. 37.* & tamen alibi dicitur: *impossibile est Deum mẽtiri Hebr. 6. v. 18. non posse Deũ seipsum abnegare 2. Tim. 2, 13. &c.* sic & rectè dicitur, non posse Deum pati, non posse aliquid aliunde accipere, & tamen *omnipotẽs dicitur faciendo, quod vult, non patiendo, quod non vult*, ut *Augustinus* loquitur *lib. 5. de civ. Dei c. 10.*

*Distinguendum est inter potentiam activam & passivam. Illa in Deũ cadit, hæc non.*

Sciendum igitur aliam esse potentiam *activam*, aliam *passivam*: illa cadit in Deum, hæc non item, quia includit vitium, defectum & ἀδυναμίαν, quæ in creaturis quidem reperitur, in Deo verò locum non habet, ut, mentiri aut peccare posse, mori, pati, lædi posse, edere, bibere, dormire, quia hæc etiam imperfectionis sunt, nec sine passivâ potentiâ fiunt. De his omnibus *Augustinus l. cit. dicit, ea non posse Deum, quia omnipotens est: & lib. 1. de symbolo cap. 1. ideo omnipotens Deus est, quia ista non potest: nam si ista posset, non esset omnipotens: magna in Deo potentia est, non posse mentiri, &c.*

*Duæ regulæ.*

*1. regula ex Tho. 1. prima quæst. 25. art. 3 &*

Hoc est, quod aliàs dicitur, quæcunque contradictionem implicant, sub divinâ potentiâ non contineri.

*4. Quæ implicant contradictionem, non continentur sub divina potentia.*

tineri. Nam quæ imperfectionem, vitium aut defectum includunt, contra naturam Dei sunt: unde vulgò dicitur, Deum non posse contradictoria, & vicissim Deum omnia possibilia posse.

*2. regula. Contradictoria rationis, non sunt opponenda verbo Dei.*

Sed hic tenenda est regula, quòd *contradictoria rationis nõ sint opponẽda verbo Dei*, aliàs everterentur omnia mysteria fidei. Contradictoria videbantur, sterilem esse & parere, quæ duo Sara conciliare non poterat, ideò ridebat, dicens: *postquam senui, & dominus meus vetulus est, voluptati operã dabo Gen.* 18, 12. sed quia Abraham audierat promissionem: *habebit filium Sara uxor tua v.* 10. credidit ipse in *spem contra spem*, *plenissimè sciens, quòd, quæ promisit Deus, potens est & facere Rom.* 4 *v.* 21. sic contradictio rationis est, corpus esse & pluribus in locis esse, quia ratio putat, corpus naturale quodcunque semper uno tantum loco externo circumscriptum esse. Unde *Petrus Martyr scribit in dial. p. 6. nulla vi fieri posse, ut res creata sit ubiq; & Keckerman. lib. 1. syst. Theol. cap.* 2. inter impossibilia Dei refert omnipræsentiam carnis Christi, carnem Deificatam, oralem manducationem carnis Christi.

*quæ declaratur exẽplo Saræ.*

*Exemplo omnipræsẽtia carnis Christi,*

Sed hæ contradictiones non sunt opponendæ verbo, in quo quidquid promisit Deus, etiam præstare potest, licet nobis videatur impossibile: nam quæ *impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deũ Luc.* 18, 27. Et Deus *superabundanter facere potest, plus quàm intelligimus Eph.* 3, 20. promisit autem Christus corporis sui præsentiam in sacrâ cœna *Matth.* 26. ut & alibi locorum *Matt.* 18. & 28. His promissis divinis fides habenda, & cogitandum est, corpus Christi non tantùm in naturalibus suis proprietatibus, sed & in unione cum λόγῳ considerari, ut Filii Dei corpus, cui multa sunt possibilia, quæ in alia naturalia corpora non cadunt, ut nasci clauso utero, ambulare super aquis, ingredi clausis foribus, dare vitam mundo, & quæ similia scriptura de eo prædicat.

*Eiusdemq; in cœna præsentissima præsentia.*

*Distinguendum est inter absolutam seu extraordinariã Dei potentiam, & modificatam seu ordinariã.*

Huc pertinet distinctio inter absolutam seu extraordinariam DEI potentiam, & modificatam seu ordinariam. *Absolutâ* potentiâ sine ullo respectu ad reliqua attributa, multa potest Deus, quæ nec vult, nec facit: exempla vide *Matth.* 3, 9. 26, 53. *Ordinariâ* verò potentiâ facit Deus omnia, quæ vult *Psal.* 115, 3. habet enim respectum ad reliqua attributa, & fundata est in voluntate beneplacitoque Dei. Vult autem omnia, quæ ad sapientiam & bonitatem ejus congruunt, de quibus verbum nos instruit.

Cum ergò Christus vi verborum institutionis velit corpus suum esse & manducari in sacrâ cœna, nemo dubitare debet, quin hoc facere possit, licet aliàs contra naturam corporis naturalis esse videatur, de quo alibi plura.

CASUS

## CASUS IV.

De infinita te omnipotentia divina.

### Quomodo intelligendum est, quod omnipotentia Dei dicitur infinita?

Etsi Deus infinitus est, Ens tamen actu infinitum producere non potest.

RESP. Non quòd infinitum producere possit effectum: hoc enim contradictionem involvit, & contra naturam Dei est: neque enim ulla creatura infinitudinis propriè sic dictæ capax est; sed solus Deus infinitum ens est, qui si aliud infinitum produceret, nihil aliud quàm Deum produceret, quod contra Dei naturam est.

Quomodo potentia Dei dicatur infinita.

Resp. Quadrupliciter

Sed infinita dicitur Dei potentia 1. *in & per se*, seu naturâ suâ, sicut Deus ipse, cujus essentiale idioma est, quòd infinitus appellatur.

2. *Respectu objectorum*, quæ non tantùm, jam facta, varia sunt & innumera, verùm etiam infinita adhuc alia ab ipso fieri possent, si sapientiæ ejus placeret.

3. *Ratione modi agendi*, quia nunquam tam intensè & efficaciter agit Deus, ut non intensiùs & efficaciùs agere possit.

4. *Respectu materiæ*, in quam agit, quæ Deo nunquam deesse potest, quia præparata materiâ opus non habet, & si velit, facili negotio eam parare posset.

* * *

## CASUS V.

De Dei omnipræsentia.

### Quomodo de omnipræsentia Dei rectè cogitare, credere & loqui possumus?

RESP: Plurima hac de re disputantur hodie: sed adquiescere potest conscientia hoc in genere, si sequentia observentur capita. 1. Scriptura tribuit Deo adessentiam apud creaturas, quam alii vocant ἀδιαστασίαν seu indistantiam, quâ voce Deo creaturas omnes præsentes esse notant, licet aliàs ab iis separari possit: ita dicitur *magnitudinis ejus nullus esse finis Psal.* 145, 3. *excelsior cœlo, profundior inferno Iob.* 11, 8.

Quid sit ἀδιαστασία sive adessentia Dei.

[ *Deus est præsens creaturis 1 sine expansione. Unde veteres dixerunt. Deus est extra cuncta, intra cuncta, supra cuncta, infra cuncta. Extra cuncta, non exclusus. Intra cuncta, non inclusus. Supra cuncta, non elatus, infra cuncta non prostratus. Item: Deus est extra cuncta continendo, intra cuncta adimplendo, supra cuncta præsidendo, infra cuncta sustinendo.* ]

2. Præsens est creaturis, sine expansione, sine diffusione aut essentiæ multiplicatione, sed simplici essentiæ infinitate. *Manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia ipse infra omnia: superior est per potentiã,*

*inferior per sustentationẽ: exterior per magnitudinem, interior per subtilitatẽ; sursum regens, deorsum continens: extra circundans, interius penetrans, ut Gregorius in Ezechielem loquitur.*

*3. Sine inclusione.* 3. Præsens est sine inclusione, nam *ut August. de divers. quæstion. quæst. 20 loquitur: in illo potiùs omnia, quàm ipse alicubi, nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus. Locus enim in spatio est, quod longitudine & latitudine & altitudine corporis occupatur: nec Deus tale quid est, omnia igitur in ipso sunt, & locus non est.*

*4. Sine emanatione* 4. Præsens est sine emanatione aut evagatione à seipso, ut & sine emissione corporea alicujus virtutis, quæ ab ipso foràs effluat, ut creaturas universas repleat, quia nullæ creaturæ sunt extra Deum, qui totus in seipso ubique est.

*5. Impletione.* 5. Præsens est, non quidem in cœlis substantiâ, in terra verò virtute & potentiâ, ut Calviniani putant: sed essentiâ sua cœlum & terram implet, quæ à virtute & potentia sua distincta quidem est, sed non separata.

[ *Vorstius de Deo p. 237. & in Exeg. p. 86. Danæus de Elench. hær. p. 119. Calvinus in cap. 23. Ier. Cuncta Deus replens molem se fundit in omnẽ. Ethnici dixerũt itẽ: Iovis omnia plena. Multa intelligimus de Deo, quæ loqui non valemus, ait Chrysost.* ]

*6. Sine partitione.* 6. Essentia Dei non secundum partes præsens est, ita, ut una pars hoc in loco, altera in alio reperiatur, est enim ἀμέριστος: sed in toto tota est, & qualibet ejus parte tota, quãquam exactè dicere nequeamus, quomodo Deus essentiâ suâ ubiq; sit. Tollenda hic sunt omnia, quæ imperfectionem habent: *quod ubiq; Deus sit, scimus & dicimus,* inquit *Chrysost. homil. 2. ad Hebr. quomodo autem ubiq; sit, intellectu non capimus.*

7. Essentiæ divinæ puritas à creaturis, quibus adest, non polluitur, sicut anima hominis etiam in qualibet fœdissimâ parte corporis est, nec tamen fœdatur, & solis radii etiã sordida loca pellustrant, sine sui pollutione: de quo vide *Augustin. de agone Christi cap. 18.* *7. Sine pollutione.*

8. Præsentia Dei apud creaturas quatuor habet gradus. Primus est *universalis,* cùm Deus *cœlum & terram implet Ier. 23. v. 23. & non procul est ab unoquoque nostrum Actor. 17. 27.* Secundus est *gratiosus,* cùm Deus gratiâ suâ replet corda fideliũ, quos ducit, docet, defendit, unde corda fidelium dicuntur *templa Dei, in quibus Deus habitat 2 Cor. 6. v. 16.* de hac præsentiâ dicit Filius Dei: *Veniemus ad eum, & mansionem faciemus Iohan. 14 v. 23. ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi Matth. 28. v. 20.* Tertius gradus est *gloriosus,* cũ Deus adest electis in vitâ æternâ, quos plenè illuminat, & æternâ lætitiâ perfundit: de quo *Christus* dicit: *ubi ego sum & minister meus erit, Ioh. 12. v. 26.* & Paulus: *erimus cũ Domino semper 1 Thess. 4. v. 17.* Quartus est planè *singularis,* inhabitatio nimirum τοῦ λόγου in assumta sua carne, de qua Paulus agit *Col. 2. v. 9.* In omnibus hisce gradibus cum præsentia Dei con-

*Quatuor sunt gradus præsentia Dei apud creaturas 1. potentia universalis. 2. gratia χάριτος. 3. gloria δοξασμένος. 4. persona sive unionis personalis, unicus.*

Digitized by Google

conjuncta est ejus operatio, quâ gradus hi inter se distinguuntur: nam quod adest, id omnibus gradibus commune est: sed modus præsentiæ sumitur ex diversitate operationum. *Aliter* enim operatur Deus apud creaturas, quibus generali præsentia adest, nimirum sustentando & conservãdo: *in ipso enim sumus, vivimus & movemur, Act.*17.*v.*28. *aliter* operatur in fidelibus, quibus gratiosè adest, videlicet illuminando, consolando, tuendo ipsos, quæ beneficia simul promittit, quoties præsentiam fidelibus promittit: *aliter* operatur in sanctis & electis cœli incolis, quibus se visendum præbet à facie ad faciem, purissimâq; felicitate recreat: *aliter* denique operatur in adsumtâ carne, quam majestate suæ hypostaseos ita replet, ut per eam tanquam per proprium suum ὄργανον agat.

*Hi modi præsentiæ sumuntur à diversitate operationum.*

Hoc est, quod nonnulli distinguunt inter omnipræsentiam absolutam & modificatam. *Absoluta* juxta etymon vocis solùm notat adessentiam apud creaturas. *Modificata* verò simul includit operationem: alio enim modo in primo, secundo, tertio, quarto præsentiæ gradu adest, quia alio atque alio modo præsens operatur, ipsâ præsentiâ seu adessentiâ ubique eâdem manente.

*Distinguendum est inter omnipræsentiam absolutam & modificatam.*

Quibus observatis, ea quæ de definitione omnipræsentiæ hodie disceptantur, faciliora fient. Nam si absolutè & juxta etymon vocis definienda est, sufficit adessentia rerũ id enim est omnipræsens, quod omnibus rebus adest. Quia verò scriptura omnipræsentiam Dei semper modificatè accipit, ut ex quatuor illis præsentiæ gradibus constat; ideò errare non possunt, qui in describendâ omnipræsentiâ juxta ductum scripturæ adessentiæ etiam adjungunt operationem, non quidem ut præsentiæ effectum solummodò, sed ut modum, per quem præsentia modificatur, ut sit vel generalis, vel gratiosa, vel gloriosa, vel etiam singularis, ita ut modus ille tanquam forma seu differentia specifica definitionem ingrediatur.

*Omnipræsentia rectè definitur per operationem adessentiæ adjunctam*

## CASUS VI.

### *Annon labefactatur justitia Dei, quòd liberi dicuntur portare iniquitatem patris Exod. 20. v. 5. 34. v. 7. quodque impiis in mundo plerumque bene est, & piis male?*

*De Dei justitia.*

RESP. Etsi justitiam Dei nemo hominum in dubium vocare debeat: *justa enim sunt judicia ejus, semperque vincit, cùm judicatur Psal.* 51.*v.*6. multum tamen negotii facessunt hæ cogitationes etiam piis hominibus, ut exempla *Iobi, Davidis, Ieremiæ, Habacuc* testantur, qui hoc nomine etiam cum Deo expostulare ausi sunt *Iob.*21.*v.*7.*seqq. Psal.* 73.*v.*3. *seqq. Ier.*12.*v.*1,2.*Hab.*1.*v.*13.*Sic Mal.* 2.*v.*17.*dicunt: omnis qui facit malum,*

*Pii etiam homines interdum de justitia Dei dubitant.*



Digitized by

*bonus est in conspectu domini, & tales ei placent, ubi est Deus judicij?*

Sed ne quid contra conscientiã fiat, primùm omnium cogitetur, neminem in mundo tàm esse sanctum, quin in peccatis conceptus atque natus sit, & in multis etiam bonis operibus peccet. *Quis enim dabit mundum de immundo conceptũ semine? Iob.14,v.4. non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. 1 Reg. 8. v. 46. Eccles. 7 v. 21. ecce inter sanctos nemo est innoxius, & cœli non sunt mundi in conspectu Dei Iob. 15 v. 15.* Cum ergo Deus sit vindex scelerum, nemini injuriam faceret, si vel omnes puniret.

*Omnes homines sunt peccatores.*

Deinde vero de piorum calamitatibus & impiorum felicitate rectè judicandum est. Habet utique *pietas etiam hujus vitæ promissionem, sed semper cum exceptione crucis*, quæ *omnibus piè in Christo vivere volentibus* parata est 2 *Tim.* 3. *v.* 12. omnisq; piorum calamitas non *pro pœnâ* propriè sic dicta, (quia non est ab irato sed reconciliato Deo,) sed pro *cruce* habenda est, qua exercet Deus fidẽ & patientiam suorum, præservat à peccatis, separat à mundo & ad æterna gaudia præparat. Ideò nec diu durat, nec vires piorum superat, & *super modum, æternum gloriæ pondus operatur 2 Cor. 4, v. 17.*

*Magnum discrimen est inter piorum & impiorum calamitates aut felicitates.*

[*Quatuor enim dantur afflictionum genera, quæ causis finalibus discernuntur.*

1. *Sunt* τιμωρίαι, *pœnæ quibus certa peccata puniuntur e. g. Davidis exilio, puniebatur adulterium & homicidium ipsius.*
2. *Sunt* δοκιμασίαι *probationes, quibus sancti exercentur, ut proficiant in patientia, fide &c. e. g. Iobi afflictio, Iosephi carcer.*
3. *Sunt* μαρτύρια, *testimonia confessionis & doctrinæ, ut mors plurimorum Apostolorum.*
4. λύτρον, *persolutio pœnæ, pro aliorum peccatis, quod est solius Christi Esa. 53.*]

Vicissim impiorum felicitas vera non est, sed instar umbræ, partim, quia voluptas seculi plus doloris habet, quam jucunditatis, partim etiam, quia citò transit, *de quo David Psal. 37. v. 35. 36.* agit, & tandem æternis cruciatibus compensatur; nã via ad ruinam est, juxta illud:

*——— tolluntur in altum,*
*ut lapsu graviore ruant ———*

Dum enim felicitate sua rectè non utuntur, *thesaurisant sibi iram in die iræ Rom. 2. v. 4.*

Etsi igitur *justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui alios tribulant; iis vero qui tribulantur, requiẽ 2. Thess. 1, 7.* mirabiliter tamen Deus hanc justitiam suam exercet: interdum hac in vitâ, dum affligit suos, ipsis benefacit, ideò enim deprimit, ut *instar palmæ floreant, & instar cedri Libani multiplicentur Ps. 92. v. 13:* & dũ voluptates impiis indulget, eo ipso eos punit: deprimuntur enim corda ipsorum & agglutinantur terræ, ne adhærere possint Deo, quo nihil esse potest miserius, & in ipso voluptatum flore tanquam maturi ad pœnam decerpuntur, ut fiant materia gloriæ divinæ, sicut de *Pharaone* dicit Dominus; *in hoc te excitavi, utosten-*

*Felicitas impiorum est umbratilis.*

*Iustitiam suam Deus mirabiliter exercet.*

*ut ostenderem in te potentiam meã Ex. 9. & David* dixit: *ira & furor hominis celebrabit te Psal. 76. v. 11.* interdum in alterum usque seculum differtur, ubi in die judicii, vel, ut *Paulus l.d.* loquitur, *in revelatione Domini JESU piorũ tribulatio in gaudium sempiternum, & impiorum gaudium in tribulationem aternam commutabitur.*

*Judicium nostrum de Justitia Dei non est præcipitandũ.*

Proinde nostrum est, judicium de justitiâ Dei non præcipitare: sed patienter expectare finem hominum exemplo *Davidis Ps. 73, 16. 17.* Nam & ethnicus ille dixit.

*—— dicíq; beatus*
*Ante obitum nemo, supremaque funera debet.*

Idcirco *David scribit Ps. 49. v. 12. ô beatum hominem, quem tu Deus lege tuâ erudieris, ut in mediis calamitatibus tranquillo sit animo, expectans, dum fovea fodiatur impio.*

*An & quomodo liberi non portare debeãt iniquitates parentum? Distinctio inter peccatum originale & actuale.*

Deinde, quod in specie judicium Dei in liberos malorum parentum attinet, distinguendum 1. *est inter peccatum originale & actuale.* Illud à parentibus derivatur in liberos, quorum fit propria quasi hæreditas, ideò, si posteri jam puniuntur propter lapsum primorum parentum, nõ propter alienum, sed proprium, à parentibus autem in ipsos propagatum peccatum, puniuntur: ob actualia verò peccata parentum liberi non puniuntur à Deo, si in ea non consenserint: quia edixit Deus *Deuter. 24. v. 6: non morientur filii pro patribus, & per Prophetam Ezech. 18. v. 20. filius non portabit iniquitatem patris*, ubi de bonis malorum parẽtum liberis agitur, qui ad Dominum conversi justè agunt, ut v. 19. exponitur. Si verò in malitiam parentum consenserint liberi, tunc jure puniuntur, non tam ob parentum, quam proprium delictum, juxta gravissimam Dei sententiam *Exod. 20. v. 5. ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitãs iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum, qui oderunt me.*

*Distinguẽdum inter liberos in peccata parentum cõsentientes & dissentientes; sive inter malorum parentum liberos probos & malos.*

Quòd si maximè liberi pii, ob delicta malorum parentum, in quæ nunquam consenserunt, malis simul involverentur, uti infantibus in diluvio accidit, non tamen injustitiæ accusandus est Dominus, qui etiam in infantibus peccata invenit morte digna, & ut iram suam adversus peccata ostendat, liberos etiam coram mundo innocentes calamitatibus parentum involvit, quia *innocens apud ipsum non est innocens Exod. 34. v. 7.* sed calamitatibus saltem temporalibus, quæ æternæ ipsorum felicitati nihil derogare possunt: æternis enim pœnis nemo nisi ob proprium suum delictum afficitur.

*Exceptio.*

## CAPUT IV.

### *De Casibus Conscientiæ circa opera Dei.*

*Opera Dei sunt dupli-*

Opera Dei vel intra ipsam essentiam Dei versantur, vel forâs ad creaturas

*tia interna & externa.*

creaturas progrediuntur. Hinc alia dicuntur *interna, alia externa. Interna* opera distinguunt personas S. S. Trinitatis & vocantur aliàs *proprietates characteristicæ*, quæ personas à se invicem distinguunt realiter: Patris n. est gignere Filium, Filii gigni; Sp. S. procedere à Patre & Filio. *Externa* omnibus tribus personis sunt communia, & consistunt in creatione, sustentatione, gubernatione rerum omnium, in prædestinatione, redemtione & sanctificatione hominum, & quæ sunt similia.

[*Hinc illa regula:*

*Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.*

*Opera Trinitatis ad intra sunt divisa &c.*]

*Quid hoc in capite agatur?*

Opera interna scholis controversiarum committimus: circa externa autem quæstiones quædam practicæ occurrunt, de quibus conscientiæ satisfaciendum est, ut ordine videbimus.

## CASUS I.

*De Creatione. Quid ante creationem Deus fecerit?*

### Satisnè tutum est, *quærere, quid fecerit Deus antequam crearet mundum?*

RESP. Refert *Zanch. lib. 1. de operibus Dei c. 1. in historia Tripartitâ.* virum quendam sanctum talia quærentibus respondisse, Deum fabricatum fuisse infernum, ubi illi suæ curiositatis pœnas darent. Et sanè nostrum est, de creatione mundi cogitationes nostras coërcere: humili spiritu opus est, ne plus quam scriptura hac de re tradit, scrutari audeamus. Idcircò *August. lib. 11. Confess. c. 3. à Deo* se stabiliri petit, *ne patiatur quæstiones hominum, qui pœnali morbo plus sitiunt, quã capiunt, & dicunt: Quid faciebat Deus antequã faceret cœlum & terram? aut quid ei in mentẽ venit aliquid facere, cùm antea nunquam aliquid fecerit? & c. 12. scribit ad illam quæstionem (ad quam quidam joculariter respondisse fertur, quod videlicet alta scrutantibus gehennam paraverit;) se audenter dicere, antequã faceret Deus cœlum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? &c.*

[*Vulgò Augustino asscribitur, quòd cuidam quærenti, quid Deus faceret, antequam cœlum & terram crearet, responderit, Deum talia quærentibus infernum parasse, li. II. Confess. cap. 12. to. 1. col. 190. sed contrarium planè in illo loco invenitur: Verba Augustini sunt hæc: Ecce respondeo dicenti: Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terrã? respondeo, NON ILLUD, quod quidam respondisse perhibetur, jocula riter eludens quæstionis violentiam. Illa, inquit, scrutantibus gehennam parabat. Aliud est videre, aliud ridere. HÆC NON RESPONDEO, Libentius n. responderim, nescio quod nescio, quàm illud, unde irridetur, qui alta interrogavit, & laudatur, qui FALSA respondet. Sed dico te, DEUS noster, omnis creaturæ creatorem. Et si cœli & terræ nomine omnis creatura intelligitur, audenter*

*denter dico, antequam De⁹ faciebat cœlum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid nisi creaturã faciebat? & utinam sic sciam, quicquid utiliter scire cupio, quẽadmodum scio quòd nulla fiebat creatura, antequam fieret ulla creatura. Hac Augustinus.*]

*Deus non fuit ociosus, etsi non externum opus ante mundi creationem fecerit.*

Etsi vero de externo aliquo opere ante hunc visibilem mundum à Deo producto nihil scit scriptura: non tamen propterea otiosus fuit, sed quibus in rebus divina majestas ab æterno, ut ita dicam, occupata fuerit, scriptura non reticuit. Decretum fecit de creatione mundi: unde *August. lib. 11. Confess. c. 3. ipsum ante omnia tempora æternum creatorẽ omnium temporum nominat; prædestinavit homines ante constitutionẽ mundi Eph. 1. v. 4. dedit nobis gratiam ante tẽpora secularia 2. Tim. 1. v. 9. promisit nobis vitã ante tempora secularia Tit. 3. v. 3.* omnia n. hæc decreta de salute fidelium & pœnis infidelium ab æterno facta sunt. Sic Filium ab æterno genuit, Filius ab æterno genitus fuit, Sp. S. ab æterno à Patre Filioque processit. Hæc omnia scriptura Deo tribuit antè conditum mundum, quæ nos de ipso salvâ pietate cogitare, & quærentibus respondere possumus.

*Ostenditur multa ante creationem mundi Deum fecisse.*

CASUS II.

*Quomodo Deus requieverit à suis operibus die septimo & quomodo adhuc operetur.*

*Rectenè creditur Deum adhuc operari & creare, cum tamen Moses ipsum die 7. ab operibus suis quievisse scribat Gen. 2. v. 2.*

RESP. Verissimum est, quod Salvator dicit *Ioh. 5. v. 17. Pater meus adhuc operatur, & ego operor. Iob.* quoque agnoscit Deum creatorem suum *c. 10. v. 8.* Et verba *Eliu* sunt: *Spiritus Dei fecit me, & spiraculũ omnipotentis vivificavit me Iob 33. v. 4.* Hinc rectè quæcunque semper & quotidie in mundo generantur & fiunt bona, ad Deum creatorem referuntur, cujus potentiam & sapientiam in producendis & conservandis rebus semper agnoscere ac prædicare debemus.

*Requievit non ex lassitudine.*

Quod autem septimo die creationis quievisse dicitur ab omnibus operibus suis, non de lassitudine aliquâ virium, nec de omni cessatione ab opere suo intelligendum est: *Deus enim sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet, nec laborabit Esa. 40. vers. 28.* neque deserit opus suum, quod fecit, *in ejus vacatione non cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicut nec in ejus opere labor, conat⁹, industria: novit quiescẽs agere, & agens quiescere, ait August. lib. 12. de civ. Dei cap. 17.*

*non omnimoda cessatione, non desertione.*

Idcircò quies & labor ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuuntur, ut *Damascenus lib. 1. orth. fid. cap. 13. explicat:* non quidem, quod creaturæ rationali in se quietem dederit, cum eam ad quietem numinis sui contemplationem adduxit, ut *Hugo Cardinalis* voluit, sed quia à productione novarum specierum cessavit, quas omnes primis illis sex diebus, vel in esse suo completo, vel in principiis suis condidit. Nam *muls* fortè in principio

*sed novarũ specierum productione.*

*Omnes species spacio hexaemeri*

*cōdita fuerūt, vel in esse completo, vel in suis principiis.*

cipio non fuerunt, nisi in equo & asinâ, ex quorum animalium commixtione producti sunt *Genes. 36. v. 24. vinum* primis sex diebus nō fuit, quia non antecessit vindemia; neq; *oleum*, quia nondum tusæ olivæ; neque *mel*, quia apes nondum mellificassent. Et in genere omnia, quæ non habent seminalem ortum, neque fiunt à similibus, sed concursione aliarum causarum per accidens producuntur, in principiis suis condita dicuntur. *Vide Phil. sacram Franc. Valesij c.1. pag. 25.*

*Operatur De' adhuc specierum conservatione.*

Hodie verò Deus adhuc operatur, cùm species illas in individuis suis conservat & gubernat. Quæ individuorum productio, licet ex causis naturalibus fiat; Ad Deum tamen ut creatorem omnium, meritò refertur, quia is conservat, & sustentat naturam, eique vires operandi largitur, quæ absque Deo omnium motore facilè deficerent.

Quam ob causam *Iob & David* corporum suorum plasmationem, licet ea quoad causam proximam à parentibus sit, Deo tamen creatori acceptam ferunt *Iob. 10. vers. 8. Psal. 139. v 15.* ad quorum exemplum nihil errabimus, si Deum adhuc creatorem rerum omnium, quæ quotidie producuntur, appellemus.

*Opinio quorundā, qui existimant mundum tantum à Deo factū, cætera iam ab ipso mūdo fieri, refutatur.*

Simul etiam hinc apparet, falsam esse opinionem quorundam, qui existimant tantum mundum ipsum à Deo factum, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit & jussit: Deum autem nihil operari, referente *Augustino lib. 3. de Gen. lit. c. 20.* Nam, quòd conservatio naturæ in suis individuis & gubernatio omnium creaturarum opus Dei sit, testatur scriptura exertè *Iob. 12. v. 9, 10: in manu illius, qui fecit omnia, est anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis & Psal. 121. v. 2. qui fecit cælum & terram, est custos Israelis, qui nec dormitat nec dormit &c.* & Christus ipse *Patrem* suum *adhuc operari* dicit, quæ ipsius operatio non tantùm rerum spiritualium est, sed etiam ad rerum omnium productionem & conservationem se extendit.

## CASUS III.

Dubitare quis posset;

*De homine, an sit creatura Dei propriè sic dicta.*

*An etiam homo sit creatura Dei proprie sic dicta, cùm creare sit ex nihilo aliquid facere, homo verò ex limo terræ productus Genes. 2, 7?*

RESp. *Augustinum* sanè torsit hoc dubium, qui cum statueret, Deum omnia creâsse simul, ut ex eius *lib. 4. de Gen. ad lit. c. 21. seqq.* constat, quando nimirum cœlum & terram creavit, ex quibus reliqua postea facta sunt omnia, hominē quoque ex terra factum esse docet, quia potentia in illâ fuit, sicut quilibet nostrûm ex quatuor elementis verè factus dicitur, etiamsi nulla terra aut aqua erat actu id, ex quo facti sumus, sed semen & sanguis: *vide lib. 6. de Gen. ad lit. c. 1. seqq.*

Facilior

*Distinguẽdum est inter creationem ἄμεσον immediatam, & ἔμμεσον mediatam.*

Facilior autem est hujus dubii solutio, si consideremus, creationẽ esse duplicem: una est *immediata*, quâ simpliciter ex nihilo facta sunt cœlum, & terra, & aqua, rudis illa indigestaque moles, quam DEUS postea sex diebus in certa corpora digessit: altera est *mediata*, quando res producuntur quidem ex præcedente materiâ, sed indigestâ ac indispositâ.

Sicut ergo ex aquâ produxit pisces & volucres, ita ex terrâ hominem, non autẽ ex terrâ aridâ & sicca, sed ex luto seu limo terræ, hoc est, ex terra cum aliorum elementorum qualitatibus mixta.

Ex hoc luto effinxit creaturam tam præclaræ formæ & staturæ, tam insignium etiam dotium, qualem ex luto formare nemini, quàm omnipotentissimo & sapientissimo creatori possibile fuit.

Perinde autem est, sive ex planè nulla materia præcedente, vel ex materia inhabili & indisposita, tam præclarum producere effectum: nã & hæc immediata rerum productio differt à generatione, quæ non est nisi in materia habili ac disposita.

*Creatio hominis incitat hominem ad agnoscendã sui præstantiam, & humilitatis studium*

Cogitetur autem hic partim de *præstantiâ nostrâ*, quòd Deus lutum illud seu pulverem & limum manibus suis quasi tractare & in tam insignem formam effingere ac erigere voluit: unde solatium haurire possumus, quòd adhuc sumus in manibus Domini, qui figmentum manuum suarum non derelinquet, quique corpora nostra etiam in die novissimo è pulvere terræ sit resuscitaturus: quo solatio *Iob* se erexit c. 10. & 19. partim cogitetur *de vero studio humilitatis*, ut originis nostræ memores nos submittamus sub potente Dei dextera. Nam unde superbimus, cùm nil simus nisi limus? in quem & tandem revertemur. *Vide Sir.* 10. & 40.

[*Cum fex, cum fimus, cùm res turpissima simus:*
*Vnde superbimus? nescimus, quando perimus.*]

## CASUS. IV.

## *Si homo est creatura Dei, unde ergò est peccatum in homine?*

*De peccato, unde sit?*

RESP. Manichæi olim duplicem finxêre Deum: bonum, à quo res omnes bonæ sint in mundo; malùm, à quo mala.

*Manichæorum error, & aliorum*

Alii statuerunt, carnem nostram esse malam, & mali causam; alij ex malo & bono compactam, & tunc peccare hominem, quando natura mali prævalet naturæ Dei, quos refutat *August. lib. de Eccles. dogmat. cap.* 76. & *de continent. c* 5.

*Calviniani interdũ Deo peccati originem ascribunt.*

Calviniani quoque interdum Deo conditori peccati originem adscribunt. Nam *Calvinus* ipse, *à Deo* scribit, *manare efficaciam erroris lib.* 1. *institut. c.* 18. *Beza volum. Theol.* 1. *ad Castellionem* scribit, *Deũ ad causas dãnationis hominẽ condidisse:*

causæ verò damnationis sunt peccata. Et *in brevi explicatione Christianismi aphor. 5. non accidit*, inquit, *peccatum invito Deo, cui miro quodã & incomprehensibili modo placet, ut id quoque, quod, quatenus peccatum est, non probat, non tamen sine suâ voluntate eveniat.*

*Refutantur.*

Contra has assertiones sanctè tenendum est, peccatum nullo prorsus modo à Deo esse, nec creante, nec præcipiente, nec approbante, nec operante, nec adjuvante, nec tacito motu mentes & voluntates hominum impellente. *Sanctus enim atq; justus est, non volens iniquitatem Ps. 5, 6. sed puniens Psal. 7, 12.* & quod in specie opus creationis attinet, quã longissimè ab eo removet scriptura peccatum. *Vidit enim Deus omnia, quæ fecit, & erant valdè bona Gen. 1, 31. hominem imprimis ad imaginem suam condidit Gen. 1, 26. quæ consistit in justitiâ & sanctitate veritatis Ephes. 4, 24. rectum fecit hominem, Eccles. 7, 30* nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spiritum peccandi, *non n. concupiscit multitudinem filiorũ infidelium & inutilium Sir. 15-21, 22.*

*Peccatum nullo modo est à Deo.*

*Causa peccatorum dua, Satan & hominis voluntas. Rom. 5.*

Unde autem peccatum sit, in hac bona Dei creatura, scriptura multis in locis docuit, & imprimis lapsus primorum parentum ostendit, nimirum, à Diabolo proponente & persuadente rem malam, & à propria hominis voluntate inclinante ad malum. Primus enim homo cum libero arbitrio, hoc est, cum potestate peccandi & non peccandi erat conditus: cũ autem obediret persuasionibus diaboli & à Deo defecit, libertatem benè operandi amisit, & naturam peccatricem in posteros propagavit, unde homo jam in peccatis nascitur, & sibi relictus, tantum peccat, sicut scriptum est: *omne figmentum cordis humani pronum est ad malum omni tempore Gen. 8, 21, & per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors Rom. 5, 12.*

[*Voluntas movetur. 1. Per nudum objectum. 2. Occasionaliter, per eum, qui objectum proponit. 3. Impulsivè, per eum, qui suadet, & rem malam ratione boni venditat.*]

Proinde Diabolus & mala hominis voluntas sunt peccati origo. Peccatum enim non est creatura, sed labes à Diabolo bonæ creaturæ Dei adspersa.

## CASUS V.

Hîc vero anxia est mens hominis:

*De lapsu protoplastorum.*

### *Cur Deus lapsum protoplastorum non impediverit, quod fieri potuisset; si hominem ita condidisset, ut peccare non posset?*

*Deus multis modis lapsum impedivit.*

Resp. Vana verò hæc est sollicitudo. Nam, si rem rectè æstimamus, justissimus Deus satis impediit lapsum hominis, licet id non eo modo factum, uti nobis videtur.

*Primum* enim legem de vetita arbore

bore ipsi dedit, ut haberet certum obsequij sui objectum, nec peccaret per ἐθελοθρησκείαν.

*Deinde*, cùm hominem ad imaginem suam in justitia originali condiderit, vires integras ad præstandum obedientiam Deo largitus est, menti quidem legis plenam intelligentiam, voluntati verò obtemperandi facilitatem.

*Tertiò* comminationes pœnarum gravissimarum addidit, quibus voluntatem ejus, si fortè ad malum inclinaret, retraheret. Hinc *Siracides* scribit de homine ante lapsum: *adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata conservare, conservabũt te, Sir. 15, 15.*

Hæc impedimenta in creatura rationali longè erant fortiora ad coërcendam voluntatem, quàm si externa quædam violentia adhibita fuisset. Nihil enim magis creaturam liberam avocare potuit à peccando, quàm mortis metus, si peccaret; & vitæ spes, si abstineret. Quã ob causam *August. scripsit lib. de corrupt. & grat. cap. 12. Adam & terrente nullo, & insuper contra terrentis Dei imperium, libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in quanta non peccandi facilitate.*

*Cur Deus Adamum non ita condiderit, ut penitus non peccare posset? Tres rationes adducuntur.*

Quod autem ipsum non ita condidit, ne peccare possit, ideò factũ, 1. quia rationalem condidit, *ratio v. absq; libertate arbitrii non est*, ut *Damascenus loquitur lib. 3. orth. fid. c. 27.* Ideò *Siracides* de primo homine ante lapsum scribit: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, hoc est, in libertate arbitrij sui Sir. 15, 14.* Qui ergò vellet, hominem ita conditum, ut peccare non posset, idem faceret, ac si optaret, hominem absque ratione conditum esse, *ut Basil. loquitur in orat. quod Deus non sit causa peccati.*

2. Quia justè punire non potuisset eum, qui non voluntate sed necessitate peccavit, quam rationem habet *Augustin. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 7.* Deus autem pœnam minatus est legem suam transgressuris, ideò talem ipsum natura fuisse oportet, qui peccando pœnas incurrere posset.

*Officia voluntaria nobis gratiora & magis honorifica quàm coacta.*

3. Quia hæc ipsa conditio ad majorem hominis gloriam pertinuit. Quemadmodum enim officia voluntaria nobis gratiora sunt, & facientibus magis honorifica, quã coacta: ita spontanea obedientia suæ creaturæ Deo magis placuit, & homini gloriosior fuisset, quàm violenter extorta. Qua de re *Siracides loquitur cap. 31, 10. erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, & non est transgressus.*

Parci ergò simus in hisce cogitationibus, ne creatorem nostrum in jus vocare videamur, & nobis ipsis inutiles curas faciamus. Sapientia enim Dei conditoris longè major est, quàm ut à nobis investigari vel in dubium vocari queat.

## CASUS VI.

Cùm ad opera Dei etiam ejus providentia spectet, certus esse vult homo:



Digitized by Google

*De providentia Dei.*

## *An Dei providentia ad omnes singulasque creaturas, etiam minutissimas, se extendat?*

*Affirmatur.*

RESP. Certissimum est, & omnium piorum fides indubia, Deum universalem esse rerum omnium, non tantum quæ sunt, sed & quæ geruntur in mundo provisorem. Impossibile est Deum deserere opus suum. Nam, ut *Chrysost. hom. 29. in Eph. si navis quantumvis firma & instructa, tamẽ in fluctibus consistere non potest sine gubernatore, quanto minus orbis universus constare potest, sine curâ & gubernatione Dei. Ideò homines & jumẽta servare dicitur Ps. 36, 7. ipse fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt, respicit Iob 28, 24. ipse disponit omnia & providẽtia ejus gubernat omnia Sap. 8, 1: 14, 3.*

*quidam ex toto, quidã ex parte providentiam negant.*

Et quanquam nemo piorum de universali providentia rerum omnium dubitârit, sunt tamen, qui eam vel in universum, vel ex parte in dubium vocant, eaque ratione simpliciores dubios reddunt.

*Plinij error narratur & refutatur.*

*Plinius* irridendum dixit, agere curam rerum humanarum illud, quidquid est summum, quia tam tristi atq; multiplici ministerio polluatur *lib. 2. nat. hist. c. 7.* Sed neq; commiscetur neq; contaminatur Dei providentia rerum humanarum sordibus, sicut nec præsentia ejus, quia sine ullo affectu & mutatione sui & scit omnia, & prospicit omnibus. *Nobis fas nõ est credere aliter Deũ affici, cum vocat, aliter cũ operatur, quiâ nec affici dicendus est, tanquam in ejus naturam fiat aliquid, quod non ante fuerit,* ait *Augustin. lib. 12. de Civ. DEI cap. 17.*

*Alia objectio contra Dei providentiam.*

Alij objiciunt res fortuitas, quasi illæ providentiam impediant. Sed etsi respectu Dei nihil est fortuitum, quia ille rerum omnium causas exactè novit: respectu nostri tamen & causarum particularium multa fiunt casu aut fortuitò, quorum causæ nos fugiunt, quod alibi fusius explicatur.

*Nova objectio.*

Alij objiciunt perversum & perturbatum rerum ordinem, quod impii in mundo florent, pii vero marcescunt: sed de his vide supra c. 3. casu 6.

*Variæ opiniones eorum qui providentiam ex parte negant.*

Deinde sunt, qui quidem non omnem Dei providentiam tollunt, ex parte tamen eam negant.

Quidam cœlestia tantùm Deum curare putant, sublunaria à providentia ejus excludunt, contra quos disputat *Augustin. in Psal. 148 ubi dicit: procellosas ac turbulẽtas qualitates casibus volvi videtur, & tamẽ in Psalmo, ignis, grando, nix, glacies, tempestas dicuntur verbum Dei facere,* unde concludit, quòd harum quoque rerum ordo, divino subditus sit imperio.

Alii quædam tantum sublunaria à providentia Dei eximunt, ut minuta illa & pestifera animalcula, quin & piscium multitudinem, cimices, pulices, muscas, *Hieronymus* providentiæ Dei subjacere, negat *in cap. 1. Habacuc.*

His

*Refutatio harum opinionum.*

His opponimus muscas & pediculos in Ægypto, qui sine Dei providentia non producebantur *Exod.* 8,18. utilitatem apum, formicarũ & aranearũ *Sir.* 11.*v*.3. *Prov.* 6. *Iob.* 8,14. *Esa.* 59.*v*.5. *Ose.* 8.*v*.6. Quòd si enim à Deo alienum non fuit, talia animalcula condere, minimè etiam alienum ab ipso erit, curam eorum habere. *Vide August. in Ps.* 148. *lib.* 3. *de Gen. ad lit. c.* 14. *lib.* 10. *de civ. Dei c.* 14. *& Ambros. lib.* 1. *de offic. c.* 13.

*Alia opinio recensetur & refutatur.*

Alij Deum omnium etiam minutissimarum rerum numerum nosse quidem concedunt, sed eum ordinasse, & quotnam illarũ rerum produci debeant, decrevisse, negant: inter quos *Thomas part.* 1. *q.* 23. *art.* 7. *& Petrus Molinaeus in Anat. Armin. c.* 3.

Sed scriptura testatur Deum *omnia in Numero* disposuisse *sap.* 11,21. *& capillos etiã capitis nostri in numerato* habere *Matth.* 10,29. Unde *Irenaeus* rectè scripsit *lib.* 2. *c.* 45. *nihil omnino eorum, quae facta sunt, & quae fiũt, Deum fugit, sed per illius providentiam unumquodq; & habitum, & NUMERUM, & quantitatem accipit.*

Ita ergò de Dei providentiâ cogitandum & loquendum est, ne vel creaturae, vel actiones ullae ab ea eximantur. Quantum enim hic de providentiâ Dei detrahitur, tantum majestati ejus decedit. Quomodo autem circa singula occupata sit, non est hujus loci explicare, fecimus id satis prolixè in disp. de providentiâ à th. 76. usque ad finem.

## CASUS VII.

Ad opera Dei externa pertinet opus redemtionis nostrae: ubi primum omnium quaeritur:

*De Christo quòd sit redemptor mundi.*

### *Vnde mens nostra fieri possit quàm certissima, Iesum Nazarenum & non alium esse redemptorem mundi?*

*Dubitatio.*

Resp. Multa sunt, quae hanc fidem reddere possunt dubiam, imprimis despecta Jesu Nazareni conditio in mundo, summa paupertas, abjecta servi forma, cum ad opus illud, quo nullum est praestantius in mundo, persona requiratur longè excellentior.

Observanda ergò sunt fundamenta certa hujus doctrinae, quae convincunt, non alium nos habere redemptorem.

*Fundamenta, quibus convincitur, Iesum Nazarenũ esse mundi redemptorem, 1. Est angeli testimonium.*

*Primum* igitur in memoriâ nobis semper sint verba angeli, qui de hoc ipso filio Mariae, antequam nasceretur, dixit ad Josephum: *vocabis nomẽ ejus Iesum, ipse enim salvabit populum suum à peccatis Matth.* 1,21. Idem angelus repetiit in nocte nativitatis, dicens ad Pastores: *ecce natus vobis hodie est Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David Luc.* 2.*v*.11.

Deinde memorabilis est sententia *D. Petri Actor.* 4.*v*.11. *non est in alio*

*aliquo*

Digitized by Google

*2. Petri dictrium.*

*aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominib⁹, in quo oporteat eos salvos fieri: & cap. 10. vers. 43. huic Iesu omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes, qui credunt in eum.*

*3. Prophetiarum in Iesu complementũ.*

Tertiò, cùm Petrus ad omnium Prophetarum testimonia de hoc Jesu provocet, præstat insigniores Prophetarum sententias nosse, quibus hæc salus mundi vel promissa, vel commendata fuit: exempli gratia *Esai. 9* v. 4. de hoc Jesu, qui *filius* est nobis *datus, & puer nobis natus*, dicitur; *quòd jugum oneris, & virgã humeri, & sceptrum exactoris sit contriturus*, quod de jugo peccati, & servitute in regno Diaboli, unde nos redemit, intelligendum est. *Esa. 49.* v. 6. Deus ipse de hoc filio suo dicit: *se dedisse ipsum in lucem gentiũ, ut sit salus ipsis usque ad extremum terræ. Ier. 23. v. 5. 33. v. 14.* vocatur *Iehova justitia nostra. Ezech. 34, 23.* promittit Deus pastorem *servum suum David, qui pascet populum suum*, quod Dominus Jesus ad se applicat *Ioha. 10. v. 11.* Pastoris autem est redimere oves ex faucibus lupi: unde *Eccles. canit pastor redemit oves &c. Dan. 9. v. 24.* promittitur Christus, cujus *tempore peccatum auferetur, & delebitur iniquitas, & adducetur justitia sempiterna. Ose. 1. v. 6.* dicit Dominus: *miserebor dom⁹ Iuda, & salvabo eos in Domino Deo suo*, hoc est, *Iesu Nazareno*, de quo angelus ad Mariam dixit: *filius altissimi vocabitur, Luc. 1. Zach. 9. v. 9. rex filiæ Siõ Salvator appellatur*, quod ad Jesum Nazar. refertur *Matth. 21. v.*

*2. Novi Testamenti multiplex oraculum.*

5. His denique accedunt alia testimonia Novi Testamenti, ut quòd *Christus ipse dicit; filius hominis venit salvare, quod perierat Matth. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10*: quòd *Paul⁹ scribit: Christus Iesus venit in hũc mundum peccatores salvos facere 1. Tim. 1. v. 15*: quòd *Petrus* testatur: *nos pretioso sanguine agni immaculati Christi redẽtos esse, à vanâ conversatione mundi 1. Pet. 1. v.* 18: quòd *Iohannes* ait: *sanguis IESU Christi filii Dei emundat nos ab omnibus peccatis 1. Ioh 1, 7.*

His & similibus, quorum plena est scriptura, confirmari potest conscientia, nos rectè facere, quòd extra Jesum Mariæ filium redemtionem & salutem nostram non quærimus.

*Solvitur dubitatio superius proposita.*

Nec impedit abjecta ejus conditio in mundo: nostra enim salus non ex iudiciis nostris, sed ex consilio Dei æstimanda est; & qui in oculis hominum contemtus est, magnus est in facie Dei, *cui* in hoc Iesu *complacuit Matth. 3 v. 17: 17. v. 5.* propter quem & nos placemus, & *accessum ad Deum, habemus Eph. 3, 12.*

*Christus habet duplicem ornatum, naturalem & personalem.*

Duplicem enim ornatum habet, quem non nisi mundi cernere possunt oculi fidelium: *unus est naturalis*, sanctissima videlicet ejus innocentia, *à peccatoribus* enim *prorsus separatus est Heb. 7. v. 26.* unde & *sanctissim⁹ hominũ vocatur Dan. 9. v. 2*[illegible]; *alter est personalis*, quia humana ejus natura in personam Filii Dei adsumta, pars sacrosanctæ Trinitatis facta, & omni maiestate, gloria, ac potentiâ filii DEI repleta fuit, ita, ut ab

*angelis*

*angelis etiam adoretur Heb.1.v.6.3.* unde *& ſpecioſiſſimus inter filios hominum appellatur Pſal.45.v.9.*

Quem ergò vilitas ſuæ conditionis oſtendit, is hunc ejus ornatum intueatur.

## CASUS VIII.

*De ἀπολυτρώσει noſtra facta per ſanguinē & mortē Chriſti.*

*Sed quomodo nobis prodeſſe poteſt aliena redemptio, præſertim ſanguine ac morte parta, cum Deus propriam cuiusque peccatoris ſolutionem velit, ſicut ſcriptum eſt: anima, quæ peccaverit, ipſa morietur? Ezech.18.verſ. 20.*

RESp. Perturbant hac objectione conſcientias teneras *Photiniani*, ſed *primùm* omnium ſanctè tenendum eſt, opus redemtionis noſtræ dependere ab arbitrio Dei, cui nihil præſcribere debemus, quomodò eam procurare velit debeatque ſiquidem nobis eam non debet, ſed *gratia ſalvati eſtis Eph.2.*

Jam ergò, ſi ipſi placuerit, nos per alienam redimere ſolutionem, quis tu es, qui reſponſas Deo? cur non potiùs hanc Dei miſericordiam ſimplici fide gratus accipis.

Apertè autem teſtatur ſcriptura 1. nos alieno pretio redemptos eſſe: ita enim Paulus ſcribit *Rom.5.v.19. ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obedientiam juſti conſtituti ſunt multi.*

2. Nos pretio Chriſti redemtos eſſe, ipſe enim dicit: *ſolvi quod nō rapui Pſal.68.v.5. ipſe dedit animā ſuam pro multis Matth.20.v.28. Pater dedit Filium nobis Ioh.3. Filius tradidit ſemetipſum pro nobis Eph.5,2.*

3. Redemptionem hanc non ſine interventu ſanguinis & mortis factam eſſe: nam ipſe *unus* mortuus eſt *pro omnib. 2.Cor.5.v.15.* & *ſanguis Chriſti emundat nos à peccatis 1. Ioh.1. v.7.* & ſanguis Chriſti, qui obtulit ſemetipſum immaculatum Deo, *emundat conſcientiam noſtram ab operib⁹ mortuis, Heb.9,14. Petrus* quoq; expreſsè ſcribit: *nos pretioſo ſanguine Chriſti redemtos eſſe. 1.Pet.1,18.*

Hæc clara eſt ſcripturæ ſententia de redemtione noſtrâ, cui dictum Ezechielis opponi non debet: fieri enim non poteſt, ut Spiritus Sanctus ſibi ipſi contradicat.

*Reſpōſio ad dictum Ezechielis 18.v.20.*

Sciendum ergò ſecundo loco, verba Prophetæ agere de lege, quam Deus dedit hominibus non ſibi. In humanis ſanè judiciis, Deus hoc ſanctè vult obſervatum, ne pater pro filio, aut filius pro patre, aut alius quiſpiam innocens pro altero plectatur: ſed unicuique tribuatur ſecundum opera ſua, ſicut in lege ſcriptum eſt: *non occidentur patres pro liberis, nec filij pro patrib⁹, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur. Deut.24. verſ.16.* quam ob cauſam *Amaſias* rex

P Juda

Juda; cùm pœnas poſceret à ſervis ſuis, qui patrem ejus interfecerant, filiis ipſorum pepercit 2. *Reg.* 14. *verſ.6.*

Ad hanc verò legem Deus ſe non adſtrinxit, ideò in conſilio de puniendis hominum peccatis pro ſumma ſua miſericordia, ut parceretur ſervo, non pepercit Filio: quo in genere ratio conſilii ſimpliciter eſt voluntas conſulentis, quam nos gratis animis admirari, non ſcrupuloſè diſputare debemus.

*Diſtinctio inter legem & evangelium applicatur.*

Tertiò diſtinguendum hîc eſt inter legem & evangelium: ſi juxta legem nobiſcum agere voluiſſet Deus; ſic nemo prorſus ſalvaretur: ad evangelium verò pertinet noſtra redemtio, ubi ἐπιείκεια Dei locum invenit, qui, ut miſericordiam nobis præſtare, & nos à peccatis liberare poſſet, juſtitiam oſtendit in Filio, cui omnium noſtrum peccata impoſuit, una cum *diſciplina pacis, ut nos pacem haberemus Eſa.* 55. *v.* 5. quâ de re *Paulus* loquitur 2. *Cor.* 5. *v.* 21. *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*

Hoc eſt illud admirabile temperamentum legis & evangelii, juſtitiæ ac miſericordiæ, quòd omnem intellectum noſtrum ſuperat, & difficultatem in opere redemtionis noſtræ fidelibus facilè tollit.

## CASUS IX.

At, nondum acquieſcit animus hominis, ſed ſcrutatur:

*Qui Deus ſanguinem hominis pretium redemtionis acceptare potuerit, cùm aliàs ſanguinem humanum effundere prohibuerit?*

*De ſanguine Chriſti in noſtri redemtionem effuſo.*

RESP. Sanè hæc ſcrutatio *Petrum Abaılardum* fecit hæreticũ, qui credere noluit, quòd ſanguis humanus mundo reparare poſſit vitam, ut eſt *apud Bernhardum epiſt* 190. *ad Innocentium*: ſatius ergò eſſet conſilium hoc Dei admirari, quàm perſcrutari, illisque ſcripturis, quæ hoc exertè teſtantur, fidem habere.

*Meſſias debuit effundere ſanguinem, ut implerētur ſcriptura.*

Magna vero hic eſt nubes teſtium, ut, quod de Meſſia prædixit Patriarcha *Iacobus Geneſ.* 49. *verſ.* 11. *lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuũ*: *quod vulneratus dicitur propter iniquitates noſtras Eſai.* 53. *verſ.* 5. *quod torcular calcaſſe & veſtis ejus ſanguine adſperſa dicitur Eſa.* 63 *v.* 3.

In Novo Teſtamento adhuc clarius, cùm Apoſtoli ſcribunt. *Deum propoſuiſſe ipſum nobis propitiatorium per fidẽ in ſanguine ejus Rom.* 3. *v.* 25. *juſtificari nos ſanguine Chriſti Rõ* 5. *v.* 9. *ſanguinem filij emũdare nos à peccatis* 1. *Ioh.* 1. *v.* 8. *ſanguinem Chriſti emũdare conſcientiam ab operibus mortuis Hebr.* 9. *v.* 14. & in genere ſcriptum eſt: *ſine ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem Hebr.* 9. *v.* 22.

Quòd ſi cui hæc tam clara ſcripturæ

Digitized by Google

pturæ teſtimonia nondum ſatisfaciunt, is inſuper conſideret ſequentes rationes. 1. *Prima eſt voluntas Dei*, cui hoc & non aliud redemtionis noſtræ pretium placuit. *Ratio hujus facti eſt dignatio facientis*, inquit *Bernhardus*, qui *Abailardo* quærenti, cur per ſanguinem, & non per ſermonem? reſpondit: *ipſum interroga: mihi ſcire licet, quòd ita; cur ita, non licet.* Curioſitatis autem eſt, ultra Dei voluntatem aſſurgere velle.

*Tres inſuper cauſæ recenſentur, cur oportuerit Meſſiam pati & ſanguinem profundere?*

2. *Altera eſt, immutabilis Dei juſtitia.* Primo homini de arbore vetitâ comeſturo mortem minatus erat *Geneſ.* 2. 17. quam & primi noſtri parentes tranſgreſſione mandati promeriti erant. Cum ergò filius Dei ſponte maledictum legis in ſe receperit, eamq; ob causã de muliere natus ſit, ut nos à lege redimeret, ideò ipſi moriendum, ſanguisque ejus profundendus erat.

3. Tertia eſt *finis incarnationis.* Venit filius hominis, ut peccata noſtra tolleret, & opera diaboli deſtrueret. 1. *Joh.* 3. v 5, 8 quod patiendo ac moriendo fieri debebat *Heb.* 2. 14. illud ergò pro nobis tradere voluit, quod noſtri cauſa adſumſit.

*Effuſio ſanguinis in ſacris literis quænam ſit prohibita?*

Qui hæc conſiderat, non movebitur eo, quòd aliàs effuſio ſanguinis in ſcriptura eſt prohibita. Illa enim prohibitio concernit eam effuſionem, quæ *ſine voluntate atque juſſu Dei fit.* Quemadmodum autem cùm magiſtratus ſanguinem homicidæ effundit, rem gratam facit Deo, quia ſecundum voluntatem Dei facit *Gen.* 9. *verſ.* 6. ita multò magis grata fuit æterno Patri effuſio ſanguinis filii ſui dilecti; quia hæc ejus voluntas, *decretum & conſilium fuit, ut pro peccatis noſtris effunderetur Act.* 2, 23.

## CASUS X.

### *Num Spiritus S. infantes Chriſtianorum ſanctificat in utero matris, ante quàm naſcantur?*

RESP. Quæſtione hac negotium faceſſit conſcientiis Spiritus Calvinianus. Nam cùm illi efficaciam baptiſmi enervent, in quo neminem regenerari, ſed regenerationem aliunde dependentem obſignari ſtatuunt, infantibus ſanctorum parentum ſanctitatem tribuunt naturalem, in quâ naſcantur vi promiſſionis divinæ: *ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te.*

*De Spiritus S. operatione in infantibus.*

Ideò *Beza in quæſt. & Reſp. de ſacram. ſordidum errorem vocat, noſtræ ſalutis initium à baptiſmo ducere: & par.* 2, *reſp. ad acta colloq. p.* 129. *multis urget, primum ad fœdus Dei ingreſſum eſſe, in Eccleſia, ex piis parentibus natum eſſe, non autem baptiſatum eſſe.* Ubi inter cætera ſic ſcribit: *fateor, ſanctis intervenire quidem fidem oportere, ut in fœdere comprehenſi Deo placeant infantes: ſed ſua ſibiq; inhærente fide præditos illos eſſe poſſe vel oportere, nego: verùm æterna vita jus ex fœderis formulâ adquiſitum illis, ex piis parentibus*

*Calviniani negant nos in baptiſmo regenerari, ſed ſanctitatem infantes à ſanctis parentibus trahere.*



Digitized by Google

*nibus naſcendo fuiſſe affirmo, baptiſmo poſtea, ſi fieri potuerit, in ipſis obſignandum.*

Sic *Calvinus lib.4 inſt cap.15.§.20 infantes noſtros antequam naſcantur, adoptare ſe in ſuos pronunciat Deus, quando ſe nobis in Deũ fore promittit, ſeminiq; noſtro poſt nos: hoc verbo cõtinetur eorum ſalus; & hac promiſſio ſufficit &c. Zanchius in confeſſ p.163. pueri fidelium ideò ſervantur, quia in fœdere Dei ſunt & ſancti: adulti autem, quia verâ fide in Chriſtum credunt.* Hinc *Parens infantes Eccleſiæ ante baptiſmum vocat Chriſtianos, quia ex Chriſtianis naſcuntur, in cap.11. Rom. dub.12. & in cap.7. prior. Cor. p.414.*

Ex his omnibus ſequitur, infantes Chriſtianorum etiam ante baptiſmum habere fidem, placere Deo, ſanctos Dei filios & hæredes vitæ æternæ eſſe, cùm nemo ſit in fœdere Dei, qui non eſt filius Dei, qui fidem non habet, qui Deo non placeat: quæ omnia, cùm ſint opera Spiritus Sancti, ſequitur ejuſmodi infantes Spiritu S. plenos eſſe ante baptiſmum.

Quæ ſi vera ſunt, neceſſe eſt, baptiſmum fruſtra illis conferri, præſertim, cùm *Calvinus* exſertè ſcribat, promiſſionem fœderis ipſis ſufficere: *unde etiam baptiſmum abſolutè neceſſarium ad ſalutem negat Beza reſp. 2. ad acta colloq. p.128.*

*Refutatur.* Quæ ſanè doctrina longè eſt perniciosiſſima, contemtum ſacramentorum introducens, & Spiritui S. manifeſtè contradicens. Nam ſcriptura docet, quòd *quicquid ex carne natum eſt, caro ſit Ioh.3.v.6.* quòd omnes ſimus *natura filij iræ Eph.2,3.* quod, *niſi quis renat⁹ fuerit ex aqua & ſpiritu, regnum cœlorum ingredi non poſſit, Ioh.3.v.5.* quòd *poteſtatem dedit Deus filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt Ioh. 1,13.*

Non nativitati naturali, ſed baptiſmo adſcribit ſanctitatem & regenerationem hominis, qui propterea vocatur *lavacrum regenerationis Tit.3,5.* & ipſe Chriſtus *Eccleſiam mundare dicitur per lavacrum aquæ in verbo Eph.5,26.* Hinc *Tertullianus in Apol. cap.16.* rectè dixit: *Fiũt, non naſcuntur Chriſtiani.*

*Officina Chriſtianorũ eſt baptiſmus, quia non facit generatio, ſed regeneratio Chriſtianos, ut Auguſtinus* loquitur *lib.1. de peccat. merit. & remiſſ. c.9.* In baptiſmo ergò, ordinario modo replentur infantes Chriſtianorum Spiritu S. qui non ingreditur animam malignam, qualis eſt in omnibus nondum renatis, quos *Paulus iræ filios* nominat, cum quibus Spiritus gratiæ nihil habere poteſt commercii.

*Rodolphus Gualtherus Calvinianus Calvinianis opponitur.* Quæ veritas tam aperta eſt, ut & *Rodolphi Gualtheri* oculos perſtrinxerit, *qui homil. 4. in Ioh.* ſcribit: *quid illa* (carnalis generatio) *faciat ad ſalutem, cùm polluta ſit, & natura corruptionem ex primo parente, ceu hæreditario jure in nos transfũdat? de illa certe David loquebatur Pſal. 51. en ego in iniquitatib⁹ format⁹ ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Peccatores ergò naſcimur & filij iræ, non filij adoptionis,*

Digitized by Google

*ptionis, qui ad hæreditatem cœleſtẽ admitti mereãtur. Vnde Tertullian⁹ olim rectè dicebat: Chriſtiani fiunt, non naſcuntur.* Hæc ille.

*Reſpõdetur ad illud dictum: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.*

Quòd autem in promiſſione dicitur: *ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te*, non abſolutè intelligendum eſt, ſed cum determinatione fidei propriæ, interprete *Apoſtolo Gal. 3. v. 7. qui ex fide ſunt, filij Abrahæ ſunt, & Roman. 9. v. 7, 8. non omnes, qui ſunt ex Iſrael, ſunt de Iſrael, nec qui ſunt ſemen Abrahæ, ſtatim omnes ſunt filij, ſed qui ſunt filij promiſſionis, hi recenſentur in ſemen.*

*Alia objectio ſolvitur.*

Quòd autem alibi dicitur: *ſi radix ſancta eſt, ſancti ſunt & rami*, item: *filij veſtri ſancti ſunt Rom. 11. v. 16. 1 Cor. 7 v. 14.* non eum habet ſenſum, quaſi ſanctorum parentum liberi ſancti, fideles, & in fœdere Dei naſcantur, ſed de ſanctitate legali agitur, quia videlicet jus & privilegium habent conſequendi bona Eccleſiæ, ad quæ reliqui foris nati alieni ſunt, donec & illos per legitima media advocaverit Dominus. Quam ob cauſam *Auguſtinus* ſanctitatem illam de qua Apoſtolus loquitur, non de ſanctitate fidei, ſed de *communione ſacramentorum & ſimilitudine profeſſionis* interpretatur *epiſt.* 106.

Concludimus igitur, Spiritum S. etiam ſanctiſſimorum parentum liberos nondum regere aut ſanctificare, donec per baptiſmum regenerati & filii facti fuerint; *quos enim regit Spiritus Dei, hi ſunt filij Dei Rom. 8 v. 13.* Proinde commendatus nobis ſit baptiſmus tanquam porta gratiæ & officina Spiritus Sancti, qui primitias ſanctificationis ſuæ ſuper baptiſatos effundit, unde & baptiſmus *lavacrũ regenerationis & renovationis in Spiritu S. appellatur. Tit. 3, 5.*

*Diſtinguẽdum eſt inter ordinariam Spiritus S operationem, & extraordinariam.*

Sciendum autem eſt, hæc omnia locum ſuum habere in ordinariã operatione Spiritus Sancti, quæ fit per baptiſmum. Extraordinariè enim operari poteſt etiam in infantibus nondum natis, quemadmodum in infante *Iohanne Baptiſta* cognitionem Chriſti & fidem accendit *Luc.* [illegible] *v. 44.* Nos enim Deus ad Baptiſmum, tanquam ordinarium regenerationis noſtræ medium remiſit *Ioh 3, 5.* ſe verò huic medio non adſtrinxit. Sed in caſu neceſſitatis etiam extra baptiſmum in infantibus nondum natis fidem operari poteſt.

*Solatium parentum, quorum liberi ante baptiſmũ acceptum moriuntur.*

Quod ſummum eſt piorum parentum ſolatium, quorum infantes extinguuntur in utero, vel antequam baptiſari queunt, ſi precibus eos commendarint Deo, ne de ſalute ipſorum dubitent, *non enim privatio, ſed contemtus ſacramenti damnat.*

*Hinc Gerſon Acad. Pariſ. cancellar. in ſerm. de nativitate virgi. Mar.* ſcribit: *Deum miſericordiã ſalvationis ſuæ nõ ita ſacramẽtis alligaſſe, quin abſq; præjudicio legis ejuſdẽ poſſet pueros nondũ natos extra uterum, intus ſanctificare gratia ſuâ baptiſmo, vel virtute Spiritus ſancti; ideo parentes, ut pro infante nondum nato orent, admonet, & ne ſine baptiſmo decedentibus omnem ſpem ſalutis ablatam putent, conſolatur.*



Digitized by Google

## CASUS IX.

*De Spiritus S. amiſſione.*

### *An Spiritus Sanctus in homine aliquando otioſus eſſe poteſt?*

RESP. Gemina eſt hujus dubii ratio, una ex parte Calvinianorum, altera ex parte infirmorum Chriſtianorum: utroq; conſulendum eſt conſcientiis.

*Calvinianorum erronea opinio confutatur.*

Calviniani putant, hominem fidelem etiã peccatis contra conſcientiam Spiritum S. non amittere, ſed eũ tanquam ſcintillam ſub cineribus latere, unde per ſeriam pœnitentiam eruatur, ut docet *Beza in Coloq. Mompelg. l. de baptiſ. p.* 464.

Quod ſi verum eſt, ſequitur Spiritum S. uſpiam otioſum eſſe, ſicut nullus eſt uſus ignis ſub cineribus latentis. Abſit autem, ut Spiritum S. uſpiam otioſum eſſe dicamus, ſed ubi gratioſè habitat, ibi per opera pietatis ſeſe exegerit: ideò filii Dei à Spiritu Sancto *agitari dicuntur Rom.* 8, 14.

Cùm ergò agitatio illa Spiritus S. in iis, qui contra conſcientiam peccant, non ſit, rectè inde colligimus, ne quidem Spiritum S. gratioſè in ipſis habitare, quamdiu in peccato manent. Nam per ejuſmodi peccata expellitur, & à malo ſpiritu hujuſmodi peccatoris cor inhabitatur, ſicut de *Saule* expreſsè legitur: *Spiritus Domini receſſit à Saul, & exagitabat eũ ſpiritus nequã à Domino* 1. *Sam.* 16, 14. & *de Iuda* proditore ſcriptum eſt: quòd *ſatanas intraverit in ipſum Ioh.* 13, 27. cùm tamen antea æquè ac reliqui Apoſtoli, Spiritum S. accepiſſet.

Nemo ergò ſibi perſuadeat, ſe contra conſcientiam peccantem Spiritum S. ſecum retinere, is certè nòn *habitat in corpore peccatis polluto Sap.* 1, 4. *unde Paulus hortatur: nolite contriſtare Spiritum S. Dei Eph.* 4, 30. quæ contriſtatio fit peccatis contra conſcientiam; & alibi ſcribit *Apoſtolus: ſi ſecundum carnẽ vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis Rom.* 8, 13. mori autem & Spiritum S. ſecum habere, non conſiſtunt. Quæ omnia opponenda ſunt Calvinianis.

*Infirmi inſtituuntur. An tentati & vehementer afflicti habeant Spiritum S.*

Infirmi Chriſtiani dubitant, an Spiritum Sanctum adhuc habeant tentati & vehementer afflicti, qui interdum ex amaritudine animæ ſuæ dura quædam loquuntur, nec fidem, vel motus Spiritus S. in ſe ſentiunt, alioquin pii & Deum timentes, quales *Iob & Ezechias* fuerunt.

Hos propter inconcinnos quoſdam ſermones, quos impatientia ipſis extorſit, vel propter defectum externarum operationum, quæ aliàs à Spiritu Dei ſunt, damnare non debemus, nec exiſtimare, quòd Spiritus Sanctus ab ipſis prorſus receſſerit.

Etiamſi enim tam manifeſtè operationes ſuas non exerat, ſicut in ſanis & in fide firmis; non tamen planè otioſus eſt, ſed fidei in ipſis

Digitized by Google

pſis ſcintillam conſervat, & pedetentim exſuſcitat, ne prorſus deficiat. Eſt autem fides infirma etiam fides, ubi autem fides eſt, ibi etiam Spir. S. eſt, qui ex motibus ſuis, qui ſe per intervalla in ejuſmodi tentatis exerunt, adhuc habitare agnoſcitur, licet non ſemper adeò manifeſtis.

*Illuſtratur ſimili.*

Quemadmodum enim, qui lipothymia laborant, reſpirationem non omninò amiſerunt, licet difficulter reſpirent, & quaſi ſine ſenſu jaceant: cùm autem per aquas medicatas, per balſamum & ſimilia reficiuntur, ad ſemetipſos redeunt, & ſenſuum operationes fortiùs percipiunt: ita multi pij in tentationibus graviſſimis parum fidei habere videntur, dum contra Deum loquuntur & minùs convenientia agunt: nondum tamen planè ab ipſis receſſit Spiritus Dei, qui eos in fide licet infirmâ conſervat, ne penitùs deſperent: ideò per intervalla ipſorum fides ſeſe exerit, ex cujus motibus Spiritus Sancti inhabitatio agnoſci poteſt.

Per verbum autem diligenter refocillandi ſunt, & tandem ſibiipſis quaſi reſtituuntur, infirmitatē ſuam agnoſcunt & deplorant, tanquam opus carnis, quod deprecantur, & operationes Spiritus Sancti in ipſis aliquantò clariùs apparent: quemadmodum exempla *Iobi & Hiskiæ teſtantur Iob. 42, 3. ſeq. Eſa. 38, 14. ſeqq.*

## CAPUT V.

### *De Caſibus Conſcientiæ circa religionem, cultumque divinum internum.*

*Religio dupliciter accipitur.*

Religio duobus modis accipitur: 1. de virtute morali, quæ juſtum debitumque honorem Deo tribuit. 2. de certo ſtatu & conditione vitæ multorum hominum, qui ſpeciali modo ac regulâ ſe Deum colere putant. In primâ ſignificatione hîc conſideratur: in ſecundâ verò ſuum infra peculiarem locum habebit.

*Religio vocatur εὐσέβεια, pietas.*

Religionem ergò ut eſt virtus moralis, *Auguſtinus* vocat εὐσέβειαν, *in enchir. ad Laur. cap.* 2. quâ voce verus cultus Dei exprimitur in ſcripturâ 1. *Tim.* 4. 8, 2, 2. 3, 16. *Tit.* 1, 1. 2 *Pet.* 1.

*Religio quoad vocem diſtingui poteſt à Theologiâ, quoad rem coincidit.*

Aliàs vocatur pietas, & ratione etymi diſtinguitur à Theologiâ, quòd hæc in cognitione, religio verò ſeu pietas in præſtatione & opere ſpectetur. Sed quoad rem ipſam religio utrumque complectitur; cognitionem videlicet Dei ſive ſapientiam, & præſtationem ſeu cultum Dei. Nam, ut *Lactant ſcribit lib.* 4. *inſtitut. divinar. cap.* 4. *non poteſt nec religio à ſapientia ſeparari, nec ſapientia à religione ſecerni; quia idem Deus eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientia, & honorari, quod eſt religionis; ſed ſapientia præcedit, religio ſequitur: quia prius eſt, Deum noſſe, conſequens Deum colere.*

Hinc

*Duo ſunt religionis præcipua capita. 1. Agnitio Dei. 2. Cultus Dei.*

Hinc conſtat, duo eſſe religionis capita: primum eſt, agnitio Dei, alterum, cultus Dei; quæ *David* conjungit 1. *Paral.* 28. *v.* 9 ubi *Salomonem* filium ſic alloquitur: *Tu quoq; Salomon, fili mi, agnoſce Deum patris tui, & cole eum corde integro & animo ſtudioſo*: & *Chriſtus* ait: *bonus eſt ſervus, qui facit, non tantùm, qui intelligit, Matth.* 7, 26. *Luc.* 11, 28. *qui autem dicit, novi eum, & mandata ejus non ſervat; mendax eſt* 1. *Ioh.* 2, 4.

*Cultus duplex.*

Quæ circa Dei cognitionem incidunt dubia, hactenus vidimus: jam de cultu Dei ſequitur. Hic *vel verus eſt*, debitus & legitimus, qui in verbo præſcribitur, & appellatur λογικὸς καὶ θεάρεστος *Rom.* 12, 1. proprieque vocatur religio: *vel falſus eſt*, & ab hominibus, ingenii ſui fiduciâ excogitatus, & appellatur ἐθελοθρησκεία *Col.* 2, 22. ac ſuperſtitio.

*Differẽtia inter religionem & ſuperſtitionem.*

*Hoc enim inter religionem & ſuperſtitionem intereſt*, ait *Lactãtius*: *lib.* 4. *cap.* 28. *quòd religio eſt veri cultus, ſuperſtitio falſi.* Verus Dei cultus duplex eſt, unus *internus*, alter *externus*, qui aliàs duo religionis actus appellantur. Circa utrumque varii eſſe poſſunt caſus in cõſcientia: de priore hoc in capite agimus, poſteriorem ſequenti reſervantes.

*Quid in hoc capite agendum?*

## CASUS I.

*De interno Dei cultu.*

Ante omnia certus eſſe vult pius:

*Quid ſit cultus Dei internus, & quænam ad illum requirantur, ne omiſſione alicuius partis, in ipſum veri Dei cultum impingat?*

*Internus Dei cultus in animo reſidet.*

Reſp. Internus Dei cultus ſedem ſuam habet in animo hominis, & fundamentum eſt omnis externæ reverentiæ ac honoris, qui Deo verbis, operibus, ac geſtibus ab homine exhibetur, *Dominus enim intuetur cor*, 1. *Sam.* 16, 7. & *veri adoratores Patrem in Spiritu & veritate adorant Ioh.* 4, 23.

*Cultus interni duo ſunt actus. 1. Devotio.*

Duo autem ſunt actus cultus interni, *devotio* & *ſubmiſſio*. *Devotio* eſt, cùm homo omnes cordis ſui cogitationes, voluntatis deſideria, motus & affectus ad Deum ſolum dirigit, ipſi totus adhæret, ab ipſo ſolo dependet, & ad nutum eius ſe attemperat: idcircò ſcriptura cum cultu Dei adhæſionem eius coniungit, *Deut.* 10, 20. *Dominum Deum tuũ timebis, illũ coles, illiq; adhærebis*; alibi vocatur hæc mentis devotio, Dei inquiſitio & ad Deum appropinquatio. 2. *Paral.* 15, 1. *Dominus vobiſcum, quum fueritis cum illo, & ſi quæſiveritis eum, invenietur à vobis. Iac.* 4, 8. *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

*Adhærere Domino utile.*

Et hæc devotio ſummum eſt piorum gaudium, ideò *David* dicit *Pſal.* 73, 27. *mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meã. Pſal.* 119, 31. *adhæſi teſtimoniis tuis, Domine, noli me confundere.* Magnam enim utili-

Digitized by Google

utilitatem habet, hominem cum Deo unit, & divinam benedictionem confert. Nam *qui adhæret Domino, unus est cum ipso Spiritus* 1. Cor. 6, 17. Moses quoque *adhærentibus Domino multa bona promittit Deut.* 11. *vers.* 22.

*Devotio tres virtutes complectitur.*

Complectitur autem illa devotio mentis tres cardinales virtutes, fidem, spem & caritatem. Fides innititur simplici Dei verbo & promissioni, quam etiam nullis apparentibus mediis, & reluctante naturâ firmam esse novit, sicut *Abraham* corroboratus fide contra spem in veritatem promissionis divinæ, de multiplicatione seminis sui credidit.

*I. Est fides, cujus fundamentum & utilitas proponitur.*

*Quando duplicãtur lateres, venit Moses.*

Huiusmodi fides est in Deo devotis tempore calamitatum, cùm nullum, vel è longinquo auxilium apparet, & pericula interim crescunt, non tamen animum despondent, sed certò sciunt, Deum *abundanter facere posse, plus quàm petimus aut intelligimus Eph.* 3, 20. quo pacto *Iosaphat* hostium exercitu repentè oppugnatus, seipsum in fide roboravit; *nescimus nos*, inquit, *quid faciamus: sed in te sunt oculi nostri* 2. *Paral.* 20, 12.

Fides hæc est vera piorum securitas: nam dum alii animi anguntur & media evadendi frustra quærunt, ipsi in promissionibus Dei, quem & veracem & omnipotentem esse sciunt, suaviter adquiescunt. Nam qui *credit, nõ festinat Esa.* 28, 16. Ideò *Iosaphat* hortatur populum ad fiduciam in Deum: *credite in Dominum Deum vestrum, inquit, & securi eritis,* 2. *Paral.* 20, 20.

*II Est Spes, quid sit, ejus proprium, cognatus timor Dei, & utilitas.*

Spes est exspectatio futurorum bonorum, quâ animus hominis in dilatione auxilii divini erigitur, fides alitur, sollicitudines minuuntur, & omnibus infirmitatibus carnis, moram auxilij ægrè ferentis occurritur.

Proprium spei est exspectare, quæ oculis non sunt obvia; & moram ejus patienter ferre. Nam si *quod non videmus, speramus, per tolerantiã illud exspectamus Rom.* 8, 25. Præcipua hæc est pars cultus divini, ideò cum timore Dei conjungitur, *Sir.* 2, 9. qui timetis *Dominum, sperate in illum, & in oblectationem vobis veniet misericordia*, piis omnibus commendatur *Psal.* 37, 3. 4, 5. *spera in Domino, & fac bonitatẽ, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: revela Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet:* & *Esa.* 49, 23. *scies, quia ego Dominus, super quo non cõfundentur, qui expectant eum*; à piis etiam instar magni præsidii & solatii habetur: ita enim *Ieremias* dicit *Thren.* 3, 24. *pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum, bonus est Dominus, sperantibus in eum, animæ quærẽti illum: bonum est præstolari, cum silẽtio, salutare Dei*; & *Micheas cap.* 7, 7. *ego ad Dominum adspiciam, exspectabo Deum Salvatorem meum, audiet me Deus meus.*

Hanc spem scriptura anchoram animæ tutam & firmam nominat *Hebr.* 6, 19. *nam in silẽtio & spe est fortitudo nostra: beati omnes, qui exspectant Dominum Esa.* 30, 15.



Digitized by Google

*III. Est Caritas, quid sit, eius necessitas, & origo.*

Caritas seu amor, est affectus ille cordis, quo Deus rebus omnibus præfertur, & propter ipsum omnia diliguntur. Ipse enim summum nostrum bonum est, quod desiderant pii, ad quod omnia studia referunt, omnesque cogitationes intendunt, ut illud assequantur.

Amorem hunc ab omnibus expetit Deus *Deut 6,5. diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Et hunc Dei amorem adeò necessarium judicat Apostolus *Paulus, ut 1. Cor. 16, 21. scribat ; si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha.*

Oritur autem ex consideratione amoris Dei erga nos, unde innumera fluunt beneficia, quæ nos ad diligendum Deum benefactorem nostrum tam munificum incitant. Unde D. *Johannes* scribit : *hæc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse dilexit nos 1. Joh 4, 10.* & iterum *vers. 19. nos ergò diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

*Charitatis utilitates quinque præcipua.*

Facit hic amor 1. Ut in uno Deo suaviter adquiescamus, & licet omnia, quæ in mundo magna sunt, nos deserant, ipsius bonitate contentissimus, dicentes cum *Davide: defecit caro mea, & cor meum : Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum, Psal. 73, 26.*

2. Ut hostium insultus masculè contemnamus, ponentes in Domino spem nostram. *Si enim Deus pro nobis, quis cõtra nos? Rom. 8, 31. Dominus illuminatio & salus mea, quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Psal. 27, 1, 2. in Deo sperabo, non timebo, quid faciat mihi homo? Psal. 56, 12.*

3. Ut communionem & quasi unionem cum Deo quibuscunque possumus mediis quæramus: natura enim amoris est, optare conjungi rei amatæ. *Hinc illud: Anima non est, ubi animat, sed ubi amat.* Ita sponsa Christi in umbra sponsi sui sedere optat, *Cant. 2, 3.* & cùm illa conjunctione destituitur, *amore languere* dicitur *vers. 5.*

Fit autem illa conjunctio per fidem, *per quam habitat Christus in cordibus nostris Eph. 3, 17.* fides accenditur & conservatur per verbum & sacramenta, quæ, qui Deum sincerè amat, non negligit, sed quærit & amat, tanquam unicum illud necessarium, sine quo fit separatio à Deo.

4. Ut ad nutum & voluntatem Dei omnem vitam nostram, quoad ejus fieri potest, instituamus: non enim libenter offendimus, quem amamus. Hinc Christus dicit: *qui tenet præcepta mea & servat ea, is est, qui diligit me Iohan. 14, 21.* & mox: *si quis diligit me, sermonem meum servabit v. 23.* & D. *Iohannes* ait, *caritatem Dei in eo consistere, ut mandata ejus servemus 1. Joh. 5, 3.*

5. Ut sancto quodam desiderio vitæ æternæ teneamur, neglectis omnibus, quæ in mundo nobis grata erant, *præterit enim schema mundi 1. Cor. 7, 31.* in altera verò vita *cum Domino semper erimus 1. Thess. 4, 17.*

apud

apud quem *sunt delectationes in dextra ejus usq; in finē Psal* 16, 11. ubi *autem est thesaur⁹ noster, ibi sit & cor nostrum, Matth.* 6, 21.

Hinc vulgò *dicitur: omnia prætereunt, præter amare Deum*: amor enim Dei sempiternus est, qui in altero quoque seculo durat, longeq; perfectius exercetur, quàm hîc, ubi varia ipsi obstant impedimenta. Hic est primus actus cultus interni.

*II. Submissio quid sit?* Alter est animi submissio, quâ quis totum se Deo submittit, ex consideratione suæ vanitatis & divinæ majestatis. Homo enim quantivis pretii in mundo ad Deum comparatus, *quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatus est Esa.* 40, 15. *imò universa vanitas omnis homo vivens, Ps.* 39, 6. Ita *Abraham* ex consideratione suæ vanitatis & divinæ majestatis locutus cum Deo dicebat: *loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis Gen.* 18, 27. *Daniel* in suis precibus *Deo tribuit justitiam, sibi verò confusionem faciei Dan.* 9, 7. *Cananæa Christum Dominum suum, se* verò *canē* appellat *Matth.* 15, 27. *Capitaneus Capernaiticus indignū* se judicat, *sub cujus tectum ingrediatur Dominus, Matth.* 8, 8. viginti quatuor seniores procidunt ante sedentem in *throno, & adorant viventem in secula seculorum, & mittunt coronas suas ante thronum, dicentes: dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem &c. Apoc.* 4, 10, 11.

*Exempla Deo se submittentiū.*

*Quatuor virtutes.* Hæc animi submissio quatuor virtutes complectitur, timorem, patientiam, invocationem, & gratitudinem. *Submissionis.*

*1. Timor Dei* *2. Patientia.* *3. Invocatio Dei, &* *4. gratiarum actio.*

Timor est reverentiæ numinis divini, quod semper est ante oculos hominis pij, qui propterea nihil contra mandata Dei, nihil contra honestatem facit, etiamsi coram mundo occultare possit: *non enim est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia nuda & aperta sunt oculis ejus Heb.* 4. v. 13. *Oculi ejus lucidiores sunt sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominū corda intuentes in absconditas partes Sir.* 23, 28. *Quid sit timor Dei?*

*Quinq; sūt causæ impulsivæ ut Deum tiḿeamus.* Timetur autem Deus 1. *Propter ipsum Deum*, quia numen habet & occultam quandam reverentiam, quæ etiam impiis interdum metum aliquem incutit, ut quamvis ita vivant, ac si nullum Deum curent, non tamen rarò metu præsentis numinis à scelere abstrahuntur. 2. *Propter opera Dei magnifica*, quibus suam majestatem ac potentiam declaravit, qua de re Dominus ipse loquitur *Ier.* 5. v. 22. *me ergò non timebitis, & à facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit* &c. 3. *Propter paternum ejus erga nos affectum, summumq; in nos dominium, de quo Malach.* 1. v. 6. *dicit: filius honorat patrem, & servus dominum suum, si ergo pater sū, ubi est honor meus? & si domin⁹ ego sum, ubi est timor me⁹?* 4. *Propter mandata ejus*, quibus timorem à nobis requisivit, & quæ ideò proposuit, ut timorem sui in nobis excitet, sicut scriptum est

*Deut.4.v.10.congrega mihi istum populum, ut audienda proponã eis verba mea, quibus discant timere me, quibuscunq́ diebus victuri sunt super terrã.* 5. *Propter pœnas*, quas minatur transgressoribus legis suæ: ideò monet Christus, *ne metuamus eos, qui corpus occidere possunt, animam verò non itẽ; timeamus potiùs eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam Matth.10,28.*

*De patientia, quid sit, & ejus necessitate.* Patientia est, cùm verâ animi humilitate sustinemus adversa, scientes, *omne malum in civitate à Deo esse Amos3.v.6.* cujus voluntati nemo resistere, dextera omnia mutare potest, sine cujus *nutu ne quidem passer in terram cadit Matth.10. v.29.* ideò voluntatem ejus reverenter agnoscere, & tranquillo animo, quæ nobis injungit, ferre debemus.

*Namq́, fides vidua est, quam non patientia firmat.*

Hæc virtus præcipua pars est cultus divini, idcirco patientiâ nobis opus esse dicitur, *ut faciamus voluntatem Dei Heb.10,36.* facitq́ue discrimen in adversis inter pios & impios.

*Discrimen inter adversarum rerum tolerantiam, piorum & impiorum.* Impii damnati & diaboli ipsi ferunt etiam plagas à Domino inflictas, sed inviti, murmurantes & blasphemantes Deum, ubique ipsis vel mille mortes optantes, ut semel pereant, qui aliàs semper perituri erant; clamant enim: *ô montes, cadite super nos, & colles, operite nos Luc. 23. v.30.* pii verò placidè acquiescunt in voluntate Dei, cui se suaque omnia committunt, scientes, voluntatem ejus in prosperis, & adversis, esse semper optimam: cujusmodi patientia erat in *Eli* summo pontifice, dicente: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat 1.Sam.3.v.18.* in *Iobo* dicente: *si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? cap.2,10. & iterũ: Dominus dedit, Domin⁹ abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum c.1.v.21.* in *Davide* dicente in exilio: *si invenero gratiam in oculis Domini, utique reducet me, & faciet, ut revisam se & habitaculum suum, quod si dixerit, non places mihi: ecce me, faciat mihi, prout bonum videtur in oculis suis 2Sam.15.v.26.* in *Paulo* deniq; dicente: *didici ego, in quibus sum, iis ipsis esse contentus Phil.4.v.11.* *Exempla patientiæ.*

*De invocatione Dei, quid sit, ejus necessitate & utilitate.* 3. Invocatio vocatur hîc interna cordis ad Deum elevatio, cùm quis ex pia compunctione cordis ob res adversas, ad Deum se convertit, & inenarrabilibus suspiriis ærumnas suas in sinum ejus effundit, auxiliumq́ue patienter expectat.

Esse hanc virtutem veri cultus divini partem testatur *David Psal. 34. v.6.* ubi pios hunc in modum alloquitur: *accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur, & Psal.62. v.9. sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum, & Jacob cap.5. v.13. tristatur aliquis vestrum*, oret.

Hoc est *adorare Deum in spiritu & veritate Ioh.4. v.23. in spiritu*, hoc est, sanctis desideriis & suspiriis, licet lingua ne verbum quidem loquatur: sicut *Moses* orabat, *Exod, 14. v. 15.*

cujus

cujus gemitus in auribus Dei instar clamoris erat, & *Hanna* quæ loquebatur ad Dominum in corde suo 1.*Samuel*.1.*v*.13. *In veritate*, hoc est, ex vera fide, & juxta voluntatem domini, quæ est regula precum nostrarum.

[*Vt tua pertingat, penetretq; oratio cœlum,*
*corde sit ex puro, sit brevis, atque frequens.*
*Hoc autẽ est in spiritu orare, munda conscientia & fide integra preces ad Deum dirigere. In carne enim orat, qui polluta mente orat, iterum peccaturus, ait Ambros. in 6. cap. ad Philipp.*]

*Nam quodcunq; petierimus secundũ voluntatẽ ejus, audit nos* 1.*Ioh*.5. *v*.14. Ut & in certa spe exauditionis, *nam oraturus postulet in fide, nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur, non ergò æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Deo Iac*.1,7.

*De gratitudine sive εὐχαριστίᾳ unde oriatur?*

4. Gratitudo denique oritur ex consideratione operum Dei, quæ semper justa & sancta sunt, licet carni nostræ non semper grata: ideò, qui Deum verè timent, semper ipsi gratias agunt, *Col*.3.*v*.16.1. *Thessal*.5. *v*.16. in prosperis quidem rebus, pro divitiis misericordiæ suæ, quæ ipsis affatim affluunt: in adversis autem pro sustentatione virium, ne sub cruce succumbamus, *Psal*.50,*v*,15,& quod nos paternâ suâ castigatione dignatur, nec cum impiis prorsus à facie sua projicit.

*Exempla gratitudinis studiosorum.*

Quam ob causam *Iob* in ærumnis suis *nomini Dei benedixit c*.1.*v*.21. & *David* dicit: *calicem salutarem accipiam, & nomen Domini invocabo Ps*. 116,13. & iterum: *benedictus Dominus quotidie, prosperum iter faciet nobis &c. Psal*.68, 20.21.

[*Quatuor verò in scripturis ad gratiarum actionem requiruntur.*
1. *MAGNANIMITAS, unde Maria; magnificat anima mea Dominum, & Psalmista: magnificate Dominum mecum.*
2. *ASSIDVITAS*, 1. *Thess*.2. *gratias agimus Deo sine intermissione.*
3. *VNIVERSALITAS, Ephes*.5. 1.*Timoth*. 2. *gratias agentes Deo semper & pro omnibus.*
4. *HILARITAS, exemplo Luc*.17. *vers*.16.]

Hujus gratitudinis pars est oblatio sui ipsius in sacrificium Domini, quod fit, cùm omnia studia & opera nostra, etiam membra corporis cum omnibus animi meditationibus Deo consecramus, ut gloriæ ejus inserviant, in symbolum grati animi, pro beneficiis ab ipso nobis præstitis.

*Psal*.50,14 *Sacrifica Deo laudẽ.*

Quam ad rem *D. Paulus* hortatur Rom.12.v.1. *Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctã, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

His nimirum modis comparatus est cultus noster internus, quem & Deus à nobis requirit, & ad quem



Digitized by Google

præstandum multis nominibus obstricti sumus: quorum unum qui negligit, in ipso Dei cultu se segniorem esse arbitretur.

## CASUS III.

*De timore Dei ob pœnas.*

*Rectene faciunt, qui timent Deum ob metum pœnarum, cùm aliàs dicatur, Oderunt peccare mali, formidine pœnæ?*

RESP. Supra diximus, quibus de causis Deus sit timendus, ubi inter alias etiam erat metus pœnarum divinarum. Ideò enim minatur Deus pœnas ut fugiamus peccatum, & pœnas vitemus; ideò etiam punit alios, & eorum exempla nobis ob oculos ponit, ut juxta illud:

*Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.*

Ipsorum periculo sapere discamus, ut *Paulus docet* 1. *Corinth.* 10. *vers.* 6. *seqq.* & *Christus* vult, timeri Deum ideò, *quia corpus & animam præcipitare potest in gehennam Matth.* 10. *v.* 28. & ut minister Dei, sic & Deus ipse timendus est, non tantum *propter iram & vindictam Rom.* 13. *v.* 4. & naturale est cavere illud, quod naturæ inimicum est. Non ergò peccare possunt, qui Deum ideò timent, ne ab ipso puniantur.

*Distinguendum est inter timorem Dei servilem & filialem.*

Sed hæc non est præcipua nec sola causa timoris, nam servile est timere Deum, saltem propter pœnam, vel saltem magis propter pœnam, quàm propter offensam. Impii hoc faciunt, qui in peccatis strenuè pergerent, si nullas se pœnas incurrere scirent, sicut Pharao pœnæ metu promittebat, se in dimissione populi mandato Dei obtemperaturum, sed cessante pœnâ, obdurabat animum & populum non dimittebat *Exod.* 8. *v.* 15.

Noster verò timor filialis etiam esse debet, qui primùm omnium cavet peccata propter Deum ipsum, qui hoc voluit, cujus naturæ peccatum adversatur, & quem offendere creaturæ suæ prorsus ignominiosum est; propterea non peccat pius, si vel nullas sibi metuendas pœnas sciret.

Deinde verò & secundo loco etiam metuuntur pœnæ, quia nemo sibi ipsi malè vult, optatque sibi magis Deum propitium & beneficium, quàm iratum & vindicem scelerum.

Hoc ergò ordine, salvo timore filiali, etiam ob pœnæ formidinem peccatum fugitur, quemadmodum filii quidem ita timent parentes, ut offendere vereantur ipsos, si vel nulla pœna sequatur, & tamen patris benevolentiam & beneficentiam, quàm iram & vindictam experiri malunt.

## CASUS IV.

Cùm patientia etiam referatur ad cultum Dei internum, quæritur

*De gemitibus sub cruce & mortis sibimet precatione.*

### *An ingemiscere sub cruce, sibique ipsi mortem precari, sit contra verum Dei cultum?*

RESP. Gemitus & querelæ de miseriis generis humani duorum sunt generum. *Quædam oriuntur ex consideratione peccati, quod hominem* ex statu felicitatis suæ in has miserias dejecit, à quibus nemo est exemtus, quia peccarunt omnes; non tamen cogitat aut facit homo ingemiscens quidquam contra Deum, sed in voluntate ejus patienter conquiescit, optans saltem liberationem ab his ærumnis, & vitam meliorem fidelibus omnibus promissam, quo in genere tamen Deo neque tempus neque modum liberationis præscribit, sed hæc omnia in manus eius forti animo resignat.

*Gemitus & querela de miseriis hominis sunt duplices.*

*Ex consideratione peccati & miseriarum debemus ingemiscere.*

Huiusmodi gemitus in miseriis nostris non sunt prohibiti: omnes enim vanitatem huius seculi deplorare, omnes de improbitate hominum conqueri, omnes liberationem à malo petere & meliorem conditionem, ad quam conditi eramus, desiderare debemus: quemadmodum *David in Psalmis* sæpè conqueritur de hostium suorum malitia, & ut ab illis liberetur, ingemiscit, ut *Psal.13. v.42.56. &c.* & *Augustinus scribit lib.22. de civ. Dei cap.6. in homine persapè optandam esse mortem.* Sed idem *alibi* scribit: *paucis datum esse, ut non saltem fortiter exspectarent mortem, sed alacriter etiam desiderarent, epist.116.*

*Quomodo rectè in nostris miseriis ingemiscamus?*

Rectè autem ingemiscimus in miseriis nostris 1. cùm quidem talia per peccatum in mundum intrasse dolemus, à Domino tamen immissa scimus, & ad ipsius nutum hoc in genere nos totos accommodamus. Ita *Iob* ingemuit quidem post amissionem liberorum & bonorum omnium, quòd *nudus ingressus sit in mundum, & nudus iterum egressurus, agnovit tamen Dominum dedisse & pro suo beneplacito abstulisse* & additur: *ipsum in his non peccasse Iob.21.22.*

2. Cùm quietem à laboribus & ærumnis desideramus, ut Deum absque impedimento perfectè colere queamus; quietem enim illam in cœlis paravit nobis Dominus, & ad eum transeunt pii per mortem *Apoc.14. vers.13. Sap.3.v.1.* ideò *Augustinus* eos, qui ægrè mundum dimittunt, ita alloquitur *serm. 18. de verbis Domini in Matth. ecce, quæ pateris, in misera ista, quã diligis, vita, & putas, te semper victurum & nunquam moriturum? templa, saxa, marmora ferro plumboq; consolidata tamen cadunt, & homo nunquam se putat moriturum. Discite, fratres, quærere*

Digitized by Google

*quærere æternam vitam, ubi ista non tolerabitis, sed in æternum cum Deo regnabitis.*

3. Cùm Deum videre desideramus, in cujus adspectu omnis nostra consistit felicitas, quo pacto David ingemuit *Psal.* 42. *v.* 3. *quando veniam & apparebo ante faciem Dei? &* Simeon *Luc.* 2. *v.* 29. *nunc dimittis servum tuum, Domine; & Paulus Phil.* 1. *v.* 23. *cupio dissolvi, & esse cum Christo, & Augustinus in soliloq. cap.* 1. *eja, Domine, moriar, ut te videam: videam, ut hîc moriar: nolo vivere, volo mori: dissolvi cupio, & esse cum Christo, mori desidero, ut videam Christum, vivere renuo, ut vivam cum Christo.*

*Ex impatientia non debemus ingemiscere.*

Deinde *sunt gemitus in miserijs ex impatientia profecti*, qui sæpenumero etiam piis ex imbecillitate carnis obrepunt, quando suas tantùm ærumnas putant esse omnium maximas, aliorum sortem semper meliorem esse judicantes.

Hi sæpè ex impatientia Deo obloquuntur, se nunquam natos esse optant, diem nativitatis execrantur, vitam sibi subitò abrumpi precantur, non tam ex desiderio melioris vitæ, quàm ex tædio præsentis, & impatientia.

Contra hos gemitus etiam *Seneca* scribit *epist.* 107. *imperetur æquitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pēdamus. Hyems frigora adducit, algendū est; æstas calores refert, æstuandum est; intemperies cœli valetudinem tentat, ægrotandum est. Et fera nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus. Alium aqua, alium ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus. Id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ consentiamus, &c.*

Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc sequatur, huic pareat: & quæcunque fiunt, debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur.

Exempla gemituum illorum, quos impatientia etiam sanctis extorsit, sunt prophetæ Jonæ, qui Solis saltem æstu percussus, *melius mihi est*, dixit, *mori, quā vivere Ion.* 4. *v.* 8. *Rahelis*, quæ mori maluit, quàm *sterilis esse Genes.* 30. *v.* 1. *Eliæ, sufficit mihi Domine, tolle animam meam* 1. *Reg.* 19. *v.* 4. *Ieremiæ: maledicta dies, in quâ natus sū, in quâ peperit me mater mea, non sit benedicta Ierem.* 20. *v.* 14. Imprimis autem *Iobi*, qui ex impatientia sæpè ingemuit, quod ipsum postea pœnituit, *pereat dies*, inquit, *in quâ natus sum, & in quâ dictum est, conceptus est homo, cap.* 3. *v.* 3. *elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea &c. cap.* 7. 15 *&c.*

Hi gemitus pugnant cum vero Dei cultu: nam cultores Dei non possunt esse sine miseriis in hoc mūdo, quia *omnes piè volentes vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur*, 2. *Tim.* 3, 12. ad quam animum obfirmant suum; Sicut scriptū est *Sir.* 2. 1.

acce-

*accedens ad ſervitutem Dei, prepara te ad tentationem*: patientiâ ergo opus eſt, *ut faciant voluntatem Dei Hebr.*10. v.36. nec detrectent jugum Chriſti, ſcientes, *paſſiones hujus corporis non eſſe dignas ad futuram gloriam Rom.*8.*verſ.*18.

Unde *Auguſtinus* ſcribit *in manuali cap.*15. *O anima mea, ſi quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, ut Chriſtum in gloria videre poſſimus, & ſanctis ejus aſſociari, nõne dignum eſſet pati omne, quod triſte eſt, ut tanti boni tantæq; gloriæ participes haberemur?*

## CASUS V.

*De non invocãdis & honorandis ſanctis aut ſtatuis Itẽ de non habendis diis alienis. Explicatio primi præcepti.*

## *Num præter ſolum Deum, etiam perſonæ & res aliæ ſunt honore cultuque divino adficiendæ?*

RESp. Deciſio hujus dubii eſt in primo præcepto decalogi, ubi præcepit Dominus: *non habebis Deos alienos coram me Exod.*20,2. Deorum autem alienorum nomine venit, quidquid divino honore colitur, & eodem cultu Deo adjungitur; à materia vocantur, *dij argentei & aurei Exod.*20,23. quos Deus coram facie ſua haberi prohibuit Exod.20,2.

*Dii alieni quid ſint?*

Habentur autem coram facie Dei, cum vel externo vel interno cultu honorantur. Interno cultu, cum aliquam divinitatis opinionem de ipſis concipiunt homines, cum *Deos ſuos vocant* 1. *Reg.*12,28. & pro *patribus habent, qui genuerunt ipſos* Jer.2,27. *Externo* cultu, cum externa reverentia, & geſtibus corporis honorem ipſis exhibent, peculiari ritu ſtatuas, à communi uſu ſejungunt *Dan.*3,3. *veſtibus & coronis ornant Baruch* 6,9,12. templa & altaria eis extruunt. 1. *Reg.* 11,16,17,32. *Exod.*32,5. 1. *Reg.*18,26. coram illis clamitant. *Bar.*6,31. oſculantur eas 1. *Reg.*19,18.

*Quid ſit habere coram facie Dei?*

Hæc omnia fiunt in ignominiam veri Dei, quæ Chriſtus ſimpliciter removit à cultu piorum, cum ait *Matth* 4,10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, quæ verba ſunt legis divinæ Deut.6,13.

Vident Pontificii, hæc omnia eſſe veriſſima, ut tamen idololatriæ ſuæ, quâ divinos honores etiam perſonis aliis præter Deum, rebus etiam quibuſdam inanimatis tribuunt, περι-ζώμασι comparent, diſtinguere ſolent inter vocabula, λατρεία, δουλεία, ὑπερδουλεία.

*Pontificiorum diſtinctio inter δουλείαν ὑπερδουλείαν & λατρείαν refutatur & examinatur.*

Latriam vocant ſupremum ſervitutis cultum, qui Deo rerum omnium Domino debetur ob ſummum ejus imperium & dominatum, cui nos hoc cultu ſubjicimus, in eo ſpem & fiduciam collocamus.

Duliam vocant venerationem, quæ ſanctis viris cœleſtis patriæ civibus tribuitur.

Hyperduliam vocant cultum eximium & excellentem inter eos cultus, qui ſanctis cum Chriſto viventibus debentur, quem B. virgini Mariæ aſſignant.

R Præ-

Digitized by Google

*De reliquiis in Papatu.*

Præterea, cum & res quędam aliç, quæ corpus Chriſti tetigerunt, in Papatu colantur, multum diſputatum fuit, quo cultu hoc fieri debeat.

*Variæ opiniones.*

*Quidam* ſtatuerunt, quando res, puta clavi, lancea, præſepe, ſpongia, flagella, corona ſpinea & alia hujusmodi, Chriſtum tangebant, tunc coli debuiſſe cultu latriæ, quia nō ſeorſim colebantur, ſed ut erant in Chriſto: quando vero res, quæ Chriſtum tetigerunt, per ſe, ſeorſim coluntur, non debere eodem cultu honorari, quo Chriſtus, ſed diſtincto, videlicet cultu duliæ.

*Alij* verò ſtatuunt, res illas tantum coli debere, quatenus conjunctæ fuerunt Chriſto, non autem ſeorſim, quæ eſt ſententia Thomæ part. 3. quæſt. 25. art. 4.

*Alij* diſtinguunt inter res, quæ Chriſtum tetigerunt: quæ tetigerunt ipſum ignominioſè, impiè & nefariè, has, ajunt, nullum cultum mereri; qualis erat ſacrilega illa manus, quæ Chriſto alapam dedit, ut & manus crucifigentium, flagellantium, ſpōgiam aceto plenam ori ejus porrigentium: reliquas, quæ Chriſtum non ignominioſè tetigerunt, ut clavos, flagella, coronam ſpineam, & omnia paſſionis inſtrumenta parata, coli poſſe.

Præterea, res intelligentiæ compotes, quæ Chriſtum tetigerunt, ut ſanctam virginem, & aſinā cui Chriſtus inſidebat in die Palmarum, ſi haberi poſſet, colendas quidem eſſe ajunt, ſed non veneratione & honore latriæ, quia cum per ſeipſa honorem aliquem mereantur, ſi cultu latriæ honorarentur, viderentur coli ſolum propter ipſa. De his omnibus vide *Ioannem Azorium tom. 1. Institut. moral. cap. 9. quæſt. 9.*

[*Pontificij etiam aſinam colere non verentur. Notum eſt, quod aliquando Turca legatos in Poloniam miſerit, qui videntes die palmarum ſacrificulos coram aſino in genua procidere, apertis labris non ſine maxima admiratione dixerint; indecorum admodum eſt & inconveniens, tàm multos unum adorare aſinum. Manl. in Colloq. N. H. M. pag. 65 part. lib. 1.*

Hoc nimirum modo idololatriam ſuam, quâ ſanctis & rebus etiam inanimatis cultum tribuunt divinum, vocabulis hiſce palliare ſolent: ſed fruſtra.

*Rationes cur diſtinctio Pontificiorum in duliam, latriā, & hyperduliam rejiciatur.*

Nam 1. fatentur ipſi vocabula iſta, latriam & duliam, prima ſua ſignificatione idem ſignificare, ut ſcribit *Azorius tom. 1. cap. 9. quæſt. & Bellarm. lib. 1. de ſanct. q.* 14. nec cultui divino propria ut habet *Bellarm. lib. 1. de Sanct. beat. c.* 12. Nos hinc concludimus, ea ad diſtinguendum cultum divinum ineptè adhiberi, quæ enim prima ſignificatione idem ſunt, duas diſtinctas ſpecies facere non poſſunt.

2. Dicunt, uſu factotum Scriptorum accipi ſolere ad diverſa ſignificanda, ut habet Azor. l. d. & ſcho-

ſcholas Theologorum non ſine cauſa excogitaſſe illam diſtinctionem, ut habet *Bellarm. lib.* 1. *de Sanct. Beat. c.* 12. ſed ſacri illi Scriptores ac Theologi non ſunt alij, quàm Pontificii, quos ſequi non tenemur: Hi non in probatis autoribus multo minus in ſacris Bibliis hanc diſtinctionem invenerunt, ſed excogitarunt, ut *Bellarminus* loquitur; quis ergo figmentis hominum in re tanta cultum divinum concernente fidem habeat? & quidem non ſine cauſa excogitarunt, ut nimirum idololatriam ſuam quomodocunque tegerent ſub hoc verborum involucro.

Nam cum ſanctis omnia tribuerunt, quæ ſoli Deo debentur, cùm religioſè & fiducialiter illos invocarunt, cùm remiſſionem peccatorum ab eis petierunt, cùm templa, ſtatuas imagines eis erexerunt, vota, miſſasque in honorem ipſorum celebrarunt, feſta inſtituerunt, & ſimilia ſoli Deo debita peregerunt, ut ex *Bellarm.* conſtat *cap.* 17. *& ſeqq. dicti libri ex Coſteri Enchir. c.* 14. *ad object.* 8. *&c.* tunc illud non cultu latriæ, ſed aliàs factum dicunt, & ſic egregiè culpam ſuam eluiſſe putant. Cum ergò cauſa excogitatæ illius diſtinctionis ſubdola & revera impia ſit, ipſa quoque diſtinctio non eſt admittenda.

3. De cultu divino ex ſolo verbo Dei judicandum eſt. Illud vero duas diſtinctas illius cultus ſpecies ignorat: vocabula quoque, quibus illa diſtinctio Papiſtica innititur, hac ratione non diſtinguit, ſed promiſcuè uſurpat. Non ſaltem cultus divinus, ſed omne opus ſervile vocatur ἔργον λατρευτὸν in verſione LXX. interp. *Lev.* 23, 2. viciſſim δουλεύειν non tantum ſignificat ſervitutem hominibus, ſed & Deo factam *Actor.* 20, 19. δουλεύοντα τῷ κυρίῳ. *Rom.* 7, 6. ſoluti à lege mortis jubentur δουλεύειν in novitate Spiritus *Rom.* 12. *v.* 11. renati jubentur κυρίῳ δουλεύειν *Rom.* 14, 18. Chriſto δουλεύειν &c. & omninò ſæpius in Scriptura N. T. cultus Deo debitus δουλεία vocatur quàm λατρεία.

[Hunc referunt aliqui dictum Heb. 13. v. 10. habemus altare de quo non edunt οἱ τῇ σκηνῇ λατρεύοντες.]

4. Si etymon vocis conſideremus δουλεύειν plus eſt, quàm λατρεύειν. Nam hoc colere ſignificat, quod etiam amicorum eſt & patrium, quos colimus; illud ſervire, quod dominorum eſt, quibus ſervimus. Quam ob cauſam *Martinus Pereſius Hiſpanus* nomen duliæ pro cultu ſanctorum ſumptum improbavit, cum dulia ſignificet ſervitutem, nos vero non ſimus ſervi ſanctorum, ſed conſervi, *part.* 3. *de credit. conſid.* 7. *vide Rom.* 16, 18. *Domino Ieſu non ſerviunt. Eph.* 6, 7. *cum benevolentia ſervientes Domino & non hominibus Col.* 3, 24.

*In Novo T. λατρεία tricies: δουλεία tricies novies Deo attribuitur.*

Ad *Auguſtin.* confugiunt, qui *lib.* 10. *de Civ. Dei.* inter latriã & duliã diſtinguit Sed prętérquàm quòd humanis autoritatibus hoc in genere

*Exceptio Pontificiorum.*



Digitized by Google

adſtricti non ſumus. *Auguſt.* inſuper diſtinctionem hanc pro accurata non habet, multò minus pro ſpeciebus cultus divini oppoſitis. Nam in quæſtion. V.&N.T.c. 23.q.94.de illis verbis, ſi ſervieritis diis alienis, erunt tibi offendiculum, ita ſcribit: hic *Græcus δουλεύσῃς habet non λατρεύσῃς, unde intelligitur,* quia & δουλεία *debeatur Deo tanquam Domino, λατρεία verò non niſi Deo tanquam Deo. Ludo. Vives etiam in Comment. in lib. de Civ. Dei* vocabula illa promiſcuè uſurpari multis exemplis probat. Et *Auguſtinus* nunquam cultum divinum tribuit ſanctis defunctis ſed *colimus* inquit, *martyres, lib.20. cont. Fauſt.cap.21. cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate paſſionē paratum eſſe ſentimus*: & iterum *colimus ſanctos non cultu ſervitutis, ſed honoris. Non templa ſanctis extrui, non ſacra inſtitui jubet, ſed Deo; memoriam autem eorum ſaltem honorari vult, tanquam ſanctorum hominum Dei, qui uſq; ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, ut innoteſceret vera religio, falſis religionib⁹ victis atq; convictis. Vide lib.8. de Civ.Dei c.27. & 21. de Civ.Dei cap. 10.*

Dulia ergò ſanctis debita *Auguſtino* non eſt cultus quidam divinus, ſed cultus dilectionis & ſocietatis; quales etiam ſibi invicem præſtant Chriſtiani in præſenti ſeculo.

Quod ergo ſanctos attinet, qui cum Chriſto vivunt in cœlo, nequaquam illos colendos cenſemus, ullo religionis actu, hic enim ſoli Deo debetur, cui ſoli ſerviendum, ſed honorandi ſunt, & magnifaciendi tanquam cultores Dei & Confeſſores veritatis, ſapientia, pietate, patientia, conſtantia & multis aliis inſignibus virtutibus conſpicui: in quem etiam finem memoria ipſorum in Eccleſia celebratur, ut agnoſcantur dona Dei in ipſis, pro quibus gratiæ aguntur & ad imitationem virtutes ipſorum proponuntur.

*Sancti honorandi ſunt & quomodo.*

Quo in genere peculiarem cultus ſpeciem B. Virgo Maria non requirit, *illa enim,* ut *Epiphanius* loquitur, honoranda quidem eſt, ſed non adoranda data. Prædicentur ejus virtutes, commendetur eximium ejus privilegium præ omnibus mulieribus, quod Θεοτόκος fuerit, & ſic ſatis honoratur.

*Sit quidem in honore Maria, ſed Pater, Filius & Spiritus S. adoretur.*

Minimè omnium autem cultum quendam divinum merentur res quædam, quæ Chriſti corpus tetigerunt, ut corona ſpinea, clavi, flagellum & ſimilia: cum nec verbum ullum hac de re in ſcriptura, nec exemplum ullum vere ſanctorum reperiatur, qui talia coluerint, & in ſeſe ſuperſtitioſum ſit, cultu & honore afficere paſſionis Chriſti inſtrumenta.

Exiſtimat quidem *Bellarminus lib. 2. de imaginibus ſanctorum, cap. 27.* crucem Chriſti (& ſic ſine dubio etiam coronam ſpineā, flagella &c) ideò venerabilem & honorabilem nobis Chriſtianis eſſe debere, quia fuit inſtrumentum liberationis generis

*Nova exceptio Bellarmini.*

Digitized by Google

neris humani, & inſtrumentum, quo diabolum vinceret. &c.

*Confutatio*

Sed falſum eſt, quod vel crux Chriſti vel ſimilia ad paſſionem ejus adhibita, talia ſint inſtrumenta ſalutis noſtræ, vel quidquam ad ſalutem noſtram aut victoriam Chriſti contulerint: ſed crucem elegit Dominus, quia *maledictum* pro nobis fieri voluit *Gal.* 3. 10. *maledicti* autem erant, *qui pendebant in ligno Deuteron.* 21. 23.

*Crux Chriſti, corona ſpinea, flagella &c. fuere inſtrumenta non noſtra ſalutis & victoriæ, ſed paſſionis & ignominiæ.*

Inſtrumenta quidem paſſionis ſunt, ſed non ſalutis, quæ nobis crudelitatem potius Judæorum, quàm aliquid ad ſalutem noſtram neceſſàrium, ſub oculos ponunt.

*Deductio ad abſurdum.*

Propterea autem cultu & veneratione divina non ſunt digna, aliàs & ipſis militibus erigendæ eſſent ſtatuæ ipſaque divino cultu & veneratione afficiendæ: nam & ipſi corpus Chriſti attigerunt, & inſtrumenta paſſionis fuerunt.

*Alia exceptio ejuſq; ſolutio.*

Neque verum eſt, quòd milites Chriſtum injurioſè tetigiſſe dicunt, clavos, coronam ſpineã, flagella &c. non item. Nam per hæc ipſa inſtrumenta injuria adfecere Chriſtum: nec ratio dari poteſt, cur ipſi quidem culpandi, hæc autem inſtrumenta cultu & veneratione digna cenſeantur. Præterea incertum eſt, an illæ res quæ pro particula crucis Chriſti, pro clavis, pro ſpina ex corona, pro flagellis & ſimilibus, venditantur, reverâ illa ſint, quorum nomen præ ſe ferunt? Quàm multæ enim fraudes hoc in genere irrepſerint, non obſcurum eſt. Rem autem ignotam vel dubiam divino cultu honorare, inprimis abſonum eſt, & conſcientiam ſtabilire non poteſt, ſi maximè talis aliquis cultus rebus illis veris deberetur, quod tamen evictum nondum eſt.

[*Andreas Abbas Amelunxbornenſis memorat: Anglorum quondam Regi Eduardo accidiſſe, quod mandarit Apolloniæ dentes ex omnibus Eccleſiis ſuis, ad ſe mitti, ὀδονταλγίᾳ enim laborabat. Eveniſſe verò, ut ex unius regni reliquiis tot Apolloniæ dentes fuerint coacervati, quos aliquot magnæ tonnæ capere non potuerint. Ita circumforaneo cuidam patrum memoria accidit, quòd plumas Spiritus S. oſtenſurus carbones oſtenderit, artis verò ſuæ non immemor, Laurentij carbones eſſe prædicavit. Vide Dn. Chemnitium part.* 4. *Exam. Conc. Trid. p.m.* 20. *Monachus quidam jactavit ſe habere plumas quæ deciderint Angelo Gabrieli ex alis, cum ſalutaſſet Mariam Virginem. Plura ridicula vide in Theatro Diabol. pag.* 70. *lat.* 2. ]

Abſtinemus ergò meritò ab hiſce cogitationibus, ne honorem Deo ſoli debitum tribuamus creaturis, neque aliquid in divino cultu extra Dei verbum, ex proprio judicio ſuſcipiamus, qualem cultum à Chriſto prohibitum eſſe non ignoramus *Matth.* 23.

Si autem certò conſtaret veram ali-



Digitized by Google

aliquam particulam crucis Chriſti, aut coronæ ſpineæ, aut clavum aliquem in noſtris eſſe manibus, non neceſſe eſt, ut talia tanquam ſingularem quandam & ſanctam rem religiosè & devotè colamus, & peculiarem virtutem ei tribuamus, nec tamen ignominiâ aliqua afficerem°, ſed in memoriam Paſſionis Dominicæ adſervaremus, ut alia κειμήλια, quæ in pretio habemus, licet nullus eis cultus & reverentia præſtetur.

## CASUS VI.

*De adoratione perſonarum Trinitatis.*

### *An ſine peccato una perſona Trinitatis divino cultu affici poteſt ſine altera?*

RESP. Etſi eſſentialis unitas eſt inter perſonas Trinitatis: tamen ſicut de una cogitare, loqui, & diſſerere poſſum diſtinctè, abſque altera; ſic & unam ſine altera venerari poſſum diſtinctè, nam Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus.

Fit autem cultus ille non extra alteram perſonam, quaſi una re ipſa ſeparari & diſcerpi poſſit ab altera: nam omnes tres perſonæ unus Deus ſunt, mutuaque eſt inter illas περιχώρησις. Ita Patrem invoco, *ſine* Filio & Spiritu S. hoc eſt, non nominatis his duabus perſonis, ſed non *extra* Filium & Spiritum S. quia perſonæ inter ſe quidem diſtinctæ ſunt, ſed non ſeparatæ.

Unde fit, quòd cùm propter perſonarum realem diſtinctionem, fiduciam meam diſtinctè pono in Patre, ſimul etiam propter eſſentiæ unitatem ponam eam in Filio & Spiritu S. qui omnes, ut unus Deus una veneratione coluntur, ſicut in *hymno* canitur; *majeſtas par & poteſtas, Deus, honor, æque per omnia.*

Hinc ſequitur, quòd, qui Patrem adorat, diſtinctè, ſimul etiam Filium & Spiritum S. adorat unitè, quia Patris eſſentia extra Filium & Spiritum S. non eſt, ſed omnes ſunt una divina eſſentia, una veneratione colenda.

*Cur nonnunquam diſtinctè preces noſtra diriguntur jam ad Patrem, jam ad Filium, jam ad Spiritū Sanctum?*

Perinde ergo eſt, ad quamcunque perſonam preces tuas dirigas, dummodo nullam à fiducia tua excludas; diſtinctè autem modo ad patrem, modo ad filium, modò ad Spiritum S. preces diriguntur, propter beneficia illa divina, quæ quidem omnibus perſonis communia ſunt κατ᾽ ἐξοχὴν tamen certæ perſonæ tribuuntur. *Hinc ille Canon; opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, hoc eſt, ſingulis perſonis communia Ioh. 16. verſ. 15. ſervata tamen cujuſque perſonæ proprietate.* Ita omnes quidem tres ſunt conditor cœli & terræ, redemtor mundi & ſanctificator hominum; illud tamen κατ᾽ ἐξοχὴν Patri, iſtud Filio, hoc Spiritui Sancto in Scriptura tribuitur: unde & Pater κατ᾽ ἐξοχὴν ut creator, protector & defenſor noſter, Filius ut redemptor, mediator, Spiritus S. ut ſanctificator & vivificator noſter invocatur.

[*Ita*

Digitized by Google

*[Ita Pater* κατ' ἐξοχὴν *dicitur creator: 1. Ratione originis, 2. Ratione manifeſtationis, 3. Ratione diſtinctionis. Creatio enim eſt opus ad extra, quo Pater in Eccleſia & ſymbolo à Filio & Spiritu S. diſtinguitur.]*

## CASUS VII.

*De adoratione humanæ Chriſti naturæ.*

### *Num humana natura in Chriſto divino cultu à nobis rectè honoratur, ita, ut fides & preces noſtræ ad ipſam quoque dirigantur?*

RESp. Si humanam in Chriſto naturam ſeorſim in ſuis proprietatibus conſidero, nequaquam ejuſdem eſt ſtatus, gloriæ, conditionis & potentiæ, ac natura verbi, ut quidem *Svenckfeldius* olim docuit: hac enim ratione creatura exæquaretur creatori, & ſimpliciſſimæ eſſentiæ divinæ per unionem cum carne aliqua facta eſſet acceſſio. Idcircò ſic ſeorſim conſideratæ nullus ei debetur cultus, quin & ſeorſim extra λόγον, nuſpiam ſeorſim ſubſiſtit, quia non habet propriam ſubſiſtentiam. Sic conſideravit *Cyrill.* humani Chriſti naturam, quando *in lib. de recta fide ad Theodoſ.* ſcripſit, *divinitatem in Chriſto eſſe adorabilem, humanitatem adorantem, ſicut ipſe Dominus dicit Iohan. 4. nos adoramus, quod ſcimus. Et Auguſtini ſententia memorabilis eſt ſerm. 58. de verbis Dom. Ego dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatem propterea adoro, quod divinitate ſuſcepta, atq; Deitati unita eſt. Si hominem ſeparaveris à Deo, ut Photinus, vel Paulus Samoſatenus, illi ego nunquam credo nec ſervio, velut, ſi quis veſtem, aut purpurā, aut diadema regale jacens inveniat, nunquid conabitur ea adorare? cùm verò ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea ſimul cum Rege adorare contemſerit.*

*Thomæ error examinatur.*

Falſum ergò eſt, quòd *Thomas part. 3. q. 25. art 2.* ſcribit: *unam eandemq; perſonam Chriſti adorari adoratione latria propter ſuam divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.*

Una eſt adoratio Chriſti, quàm ſcriptura nōvit, quæ λόγῳ per eſſentiam, carni adſumtæ per gratiam competit. Neque humana Chriſti natura extra λόγον uſpiam ſubſiſtit, ergò neq; extra eum ullo modo coli poteſt. Si itaque conſidero eam ut unitam cum λόγῳ, unamq; perſonam cum ipſo conſtituentem, tunc conſidero, ut divinæ majeſtatis, omnipotentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ, quin & ipſius hypoſtaſeos τοῦ λόγου participem.

*Unus & idem cultus* τῷ λόγῳ *tribuitur per naturā, & carni Chriſti per unionis perſonalis gratiam.*

Idcirco in hac conſideratione, à cultu & veneratione τῷ λόγῳ debitâ nequaquam eximi poteſt, ſed qui cultus τῷ λόγῳ tribuitur per naturam, hic humanæ ejus naturæ attribuitur per unionis gratiam. Proinde & ipſa eſt objectum fidei, fiduciæ, adorationis & omnis omnino cultus divini, qui debetur λόγῳ non

Digitized by Google

non tamen ita, ut cum λόγῳ, colatur & adoretur ſeorſim quaſi conſiſtens, ut Neſtorius volebat, qui propterea *ἀνθρωπολάτρης* appellatur in Codice *Juſtinianeo lib.1.tit.1.l.5.* ſed in λόγῳ uno cultu colitur, & una adoratione adoratur, ſicut *Cyrillus epiſt.10. cont. Neſtor. explicat, non alter, inquiens, ſimul cũ altero adoratur, ſed unus Chriſtus Ieſus una adoratione propria cum carne adoratur: & Damaſcenus lib.3. orth.fid.cap.8 ſcribit: adoro τοῦ λόγου συναμφότερον, id eſt totum Chriſti,* propter carni counitam conjunctamque Deitatem.

*Probatur hoc 1. ab humana natura, cũ λόγῳ perſonali unione.*

Ratio hujus noſtræ fidei eſt: 1. quia humana Chriſti natura cum λόγῳ unam conſtituit perſonam, à qua nunquam ſolvitur, extra quam nuſpiam reperitur. Cultus autem divinus non eſt alterutrius tantùm naturæ, ſed totius perſonæ; nam in ejusmodi Dei Filium credimus, qui natus eſt ex Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato &c. Hinc *Leo epiſt 10.* ſcripſit: *nec ſine vera divinitate humanitas, nec ſine vera humanitate deitas creditur.* Et *Cyrillus* de recta fide ad Theodoſ. non in ſolum ſeu nudũ verbum credimus, deſpoliantes illud carne ſua, neque etiam tanquam in nudum hominem nobis ſimilem: ſed in Deum naturalem & verum in perſona Chriſti tendit fides noſtra.

*2. Ab officii, quod utriusq; naturæ eſt, ratione.*

2. Quia in cultu Chriſti non tantum ad perſonam, ſed & ad officium ejus reſpicimus, quod utrique naturæ commune eſt. Cùm de Deo quæſtio eſt, rectè dicitur: ſolus Deus eſt colendus & adorandus; ſed cum de cultu Chriſti quæritur, non tantùm perſona illa, ut principium infinitum & æternum conſideratur, ſed & inprimis, ut redemtor, propitiator, Salvator, Rex & mediator noſter: officia autem illa ſunt utriusque naturæ, ideò *homo Chriſtus mediator noſter appellatur. 1. Tim. 2. v. 5. & Deus in Chriſto ſibi ipſi reconciliaſſe mundum* dicitur 2. Cor 5,19.

*3. à noſtro in Chriſti mortẽ baptiſatione.*

3. Scriptura docet, nos non tantùm in divinam Chriſti naturam, ſed & in mortem ejus baptiſatos eſſe *Roman. 6. v. 3.* Quemadmodum ergò baptiſati ſumus, ita credimus, quæ eſt collectio *Baſilij, Nazianzeni & Cyrilli.*

*4. ab humana natura in Trinitatis cõſortium ingreſſione.*

4. Humana Chriſti natura per unionem cum λόγῳ conſortium ſanctæ Trinitatis ingredi meruit, ut *Ambroſius* loquitur de reſurrectione: quidquid autem ad SS. Trinitatem pertinet, divino cultu & veneratione dignum eſt.

*5. ab humana natura ad dexteram Patris exaltatione.*

5. Humana Chriſti natura *σύνθρονος* facta eſt τῷ λόγῳ per exaltationem ad dextram Patris, & ut *Paulus* loquitur Phil. 2. v. 10. nomen accepit, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Jeſu flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium & inferorũ.

*6. à filii hominis, Davidis, agni &c. veneratione.*

6. Accedunt denique exempla eorum, qui Chriſtum coluerunt tanquam *filium David Luc. 18. verſ. 38. Matt. 15. & 22.* & in *Apocalypſi* viginti quatuor ſeniores ceciderũt *coram agno, qui occiſus eſt, & adoraverũt eadem reverentia, quâ ſedẽtem in throno Apoc. 5. 8. 13.* Hæc omnia confirmare poſſunt conſcientiam, quòd non erre-

erremus, ſi fiduciam preceſque noſtras ad Chriſtum ϑεάνθρωπον adeoque humanam ejus naturam dirigamus.

*Objectiones hæ ſunt Calvinianorum.* Neque turbare debent quenquam, illæ ex trivio petitæ objectiunculæ, *quòd maledictus ſit, qui confidit in homine Jerem.* 17. *quòd Deus gloriã ſuam non det alteri Eſa.* 42. *quòd idololatræ appellentur, qui adorant eos, qui non ſunt natura dij Gal* 4. [ *Vide examen Danæi p.* 415. *&* 416. 417. 418. 419. *Sturmium in prodromo p.* 26.]

*Confutantur.* Hæc enim omnia de homine & creaturis aliis extra hypoſtaſin λόγου intelligenda ſunt. Nam in homine aliquo nudo fiducia utique collocanda non eſt: at de homine, qui eſt ipſe Dominus de cœlo, qui in thronum Dei proprium ſubvectus eſt, & ad dexteram omnipotentiæ, virtutisque divinæ exaltatus, pronunciat ſcriptura, quòd omnis qui confidit in illo, non pudefiat.

[*Diſtinguendum eſt inter verum hominem, & merum hominem. Chriſtus eſt verus quidem, ſed non merus homo, dicta autem Eſa.* 42. *Ier.* 17. *Gal.* 4. *loquuntur de mero ſeu nudo homine, de ψιλῷ ἀνθρώπῳ, non θεανθρώπῳ.*]

Et cùm hoc ſit, gloria Dei non datur alteri, cùm in perſona Chriſti non ſit alter & alter: ſed conſtat Deo in ſolidum hæc laus atque majeſtas, quòd ſolus ipſe colitur & adoratur, non autem ut olim, deitate nudâ, ſed incarnatâ, atque ſic Filius Dei cum ſua carne colitur & glorificatur unâ indiviſâ latriâ, quemadmodum ſolus Deus vivificus eſt, & manet, licet & caro Dei ſit vivifica, quia non eſt cujuſquam alterius caro, ſed ſolius Dei propria.

Dictum Pauli Gal. 4. quo damnatur idolomania gentium, ad Jeſum Chriſtum torquere, eique prætextu hujus loci gloriam cultus & adorationis divinæ derogare, extremè nefarium & ſceleratum eſt, quandoquidem ita cum Deo ipſo una perſona eſt aſſumta natura, ut quidquid in hanc confertur honoris aut gloriæ, id in ipſum λόγον, qui naturâ Deus eſt, conferatur, quemadmodum è converſo ignominia, quæ fiebat humanitati à Judæis, ipſimet Domino gloriæ inferebatur.

Sunt hæc ſolida & firma, quæ etiam ex Calvinianis quendam *Martinium* moverunt, ut, quanquam carni Chriſti non cultum ipſi Deo proprium tribuat, alium tamen cultum inferiorem concedat, qui ſit non ſaltem politicus quidam honor, ſed verè religioſus, carni Chriſti ita proprius, ut ſine ſcelere gravis blaſphemiæ nulli creaturæ exhiberi poſſit: & hoc genere cultus divini, ait *Martinius*, ſe fiduciam collocare in carne Chriſti, & ſe confiteri, carnem Chriſti ſe exaudire. *σφάλμα Martinii.*

Sed ſcriptura non niſi unius generis cultum divinum ac religioſum novit: diverſas ſpecies *Pontificij* ſtatuunt, cum quorum ὑπερδουλείᾳ, quam *B. Mariæ* tribuunt, cultus ille, quem *Martinius* carni Chriſti largitur, *Confutatur. Martinius Papizare videtur.*

tur, coincidit. Idcircò *Alexander ab Ales p. 4. q. 2. n. 3. & Gabriel Biel in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. concl. 3. & 4.* expresſè ſtatuunt humanam Chriſti naturam honorandam eſſe cultu hyperduliæ, referente *Azorio tom. 1. Inſtit. lib. 9. cap. 5. quæſt. 7.*

Sed utrobique deficiunt probationes: ideò mens pia in hac diſtinctione cultus religioſi adquieſcere non poteſt, unum eſt verbum, *una fides eſt Epheſ. 4. ſic & una fiducia, unus honor, idem cultus divinus, eadem adoratio religioſa.*

*Vna eſt adoratio religioſa.*

Qui cultum religioſum carni Chriſti tribuunt, alium certè tribuere non poſſunt, quàm qui debetur λόγῳ, quia ſcriptura alium ignorat: & qui fiduciam ponunt in carne Chriſti, non inferiore quodam modo hoc faciunt: quàm quo confidunt in λόγῳ, quia omnis fiducia præſupponit omnipotentiam ejus, cui confidimus; ideò fiducia nudo homini denegatur *Ier.* 17. unde ſequitur, neminem verè & ex animi ſententia fiduciam in carne Chriſti ponere poſſe, qui non credit carnem Chriſti omnipotentem eſſe.

Proinde non eſt divellenda caro Chriſti à λόγῳ in cultu, ſed ſi fiducia ponatur in utramque naturam, ab utraque etiam auxilium petatur & exauditio ſperetur: id quod magnum affert ſolatium, afflictis, morbis, pauperie, injuriâ, preſſis, in ipſo etiam articulo mortis conſtitutis, quòd accedere ipſis liceat Dominum Jeſum, etiam ut dilectiſſimum fratrem, & ab eo ſuccurſum, auxilium & liberationem petere in ea natura, quâ tentatus eſt in omnibus, ut poſſit iis, qui tentantur, ſuccurrere: quo ſolatio neceſſario deſtituuntur, qui in eodem genere cultus humanam Chriſti naturam à divina diſiungunt.

*Solatium ex adoratione carnis Christi.*

## CASUS IIX.

*De fiducia in creaturam.*

### *Num bona cum conſcientia & in Deum & in creaturam aliquam ſimul fiduciam meam ponere poſſum?*

*An ea poſſit ſimul ſtare cum fiducia in Deū?*

RESp. Certum eſt, quòd ἀκριβῶς loquendo fiducia noſtra nullum aliud objectum habeat, quàm Deum, qui, quemadmodum præcepit, ne habeamus Deos alienos coram ipſo, ita etiam vult nos ſimpliciter ſibi ſoli confidere. Idcircò opponuntur in ſcripturis Deus, in quo ſperare debet omnis *congregatio populi, & filij hominum, qui vani ſunt, & mendaces Pſ. 62. v. 9. 10. bonum eſt confidere in Domino, & non confidere in homine Pſal.* 118. *v.* 8.

*Fiducia noſtra non aliud objectū habet, quā Deum.*

Sæpè tamen audiuntur hujuſmodi ſermones, quibus id, quod ſoli Deo debetur, cum creaturis communicari videtur, ut cùm opifex dicit: confido Deo & arti meæ; miles: confido Deo & manui meæ; agricola; confido Deo & frumento meo:

to meo: ich verlaſſe mich auff Gott vnnd meine Kunſt/auf Gott vnd meine Fauſt/auff Gott vnd meine G.rſte / &c. num ergò hoc ſalvâ pietate & illibatâ religione dicatur? quæritur.

*In locutionibus vulgaribus nō eſt quærenda ἀκρίβεια. Verba enim valēt uſu, ſicut nummi.*

Sciendum autem eſt, eſſe hos ſermones populares, in quibus, non eſt quærenda ἀκρίβεια, neque dividunt objectum fiduciæ inter Deum & creaturas, ſed tantùm notant fiduciam in Deum directam, qui non immediatè, ſed per artem, per manum, per frumentum & ſimilia organa cuique donat neceſſaria. Nam ars honeſta ſemper alit cultorem induſtrium, qui eam amat & exercet, & qui tempore neceſſitatis ad parandum victum ea utitur, non tam fiduciam in ipſa arte ponit, quàm in Deo per hoc medium agente.

*Explicantur vulgares ſermones & in bonum ſenſum revocantur.*

Sic Deus eſt, qui *manus militum docet ad prælium, & ut arcum æreum brachia ipſorum ponit, Pſal.* 18. *v.* 35. nec tamen abſque manu militis, aut abſq; armis victoriam largitur; qui ergò confidit in manu, in ſanitate, & robore corporis, nihil aliud agit, quàm quòd Deo confidit, qui manus ſuas in honeſto prælio ſit confortaturus, ne ipſe in manus hoſtiū incidere cogatur, cumque Deus per frumenta ſatiet homines, confidit paterfamilias, Deum per hoc medium, & ſibi & ſuæ domui ad ſatietatem proſpecturum. Non enim vult Deus talem fiduciam, quæ ſecuros reddat homines, quaſi jam, cùm ſciunt, Deum curam ſuorum habere, ipſi planè abſque omni curâ aut labore eſſe debeant; ſed fiduciam cum labore noſtro conjunctam. Idcircò *David* jubet quidem nos vias noſtras commendare Domino & ſperare in eo, & tamen vult etiam nos *inhabitare terram, & paſci divitiis ejus Pſal.* 37, 35.

*Confidentia illa propriè loquēdo non eſt fiducia.*

Illa ergò confidentia, quàm quis habet in arte, in robore manuum, in frumento ſuo, non eſt propriè loquendo fiducia, virtus illa primi præcepti, ſed tantùm ſolatium & ſignum animi præſentis & tranquilli, qui per mediorum illorum præſentiam in fiducia ſua in Deum magis confirmatur.

*Fiducia propriè dicta objecti loco tantùm Deum habet.*

Aliàs fiducia propriè ſic dicta, objecti loco tantùm omnipotentem Deum habet, cui in hoc cultu nemo eſt conjungendus, cùm autem ei conjungitur, idque habet rationem medii & inſtrumenti, per quod ſuccurrere nobis ſolet, tum fiducia fertur non directè in illud organon, ſed in ſolum Deum, qui per illud operatur, & hæc fiducia propriè ſic dicta, ſemper firmiter adhæret Deo, etiamſi media illa deficiant, quia Deum ad ea non alligatum novit.

Idcircò maledicuntur, *qui confidunt in homine Ierem.* 17. *v.* 5. multò magis, qui confidunt in creatura alia, maledicti erunt, quia auxilium noſtrum omne à Domino, qui per paucos æquè juvare poteſt ac per multos, qui etiam ſine mediis omnipotentiæ ſuæ vim ſæpè teſtatam reddidit.



Digitized by Google

Poſſumus ergò ſermonibus illis popularibus uti ſenſu jam indicato; præſertim, cùm ſimilem habeamus locutionem in ſcriptura. Nam *Prov.* 31. *v.* 11. de muliere probâ legitur: *confidit in ea cor viri*: & *Exod.* 14. *v.* 31. dicitur populus *timuiſſe Dominũ, & credidiſſe in Dominum, & in Moſen ſervum ejus.*

Objectum fidei ſolus Deus eſt, dicuntur tamen in Deum & in Moſen credidiſſe, quia dum verbis Moſis fidem habuerunt, fiducia ipſorum in Dominum confirmata fuit.

## CASUS IX.

*De amore in Deum ſive de diligendo Deo.*

### *Præcipua pars cultus interni, amor eſt: quæritur igitur, quandonam Deum homo ita ſufficienter amet, ut conſcientia adquieſcere poſſit?*

*Deum nemo hominũ in hac natura corruptione perfectè amare poteſt.*

RESP. Ante omnia hîc tenendum eſt, amorem in Deum undiquaque perfectum & abſolutum, cui nihil poſſit addi, in nemine mortalium hoc in ſeculo reperiri. Præceptum enim de diligendo Deo nimis arduum eſt, ut natura hominis infirmata per carnem longè minor & imbecillior ſit, quàm ut ex aſſe ei ſatisfacere poſſit. Ita enim dicit *Moſes: diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua Deut.* 6, 5. quod *Chriſtus* mandatum maximũ & primum appellavit, *Matth.* 22, 33.

*Pontificiorum opinio de perfecta Dei dilectione.*

Agnoſcunt Pontificii, amare Deum ex toto corde reipſa idem eſſe, ac mandata Dei cuſtodire, aut certè alterum cum altero neceſſario connexum, *ſiquidem fieri non poſſit, ut qui diligat Deum ex toto corde, non etiam ſervet omnia ejus præcepta*: id enim his ipſis verbis fatetur *Becanus in diſp. de juſt. bonorũ operũ, c.* 1. *th.* 35.

Cùm autem perfectam mandatorum divinorum obedientiam homini in hac vita poſſibilem eſſe doceant, varia quærunt emblemata, ut etiam præcepti illius de diligendo Deo ex toto corde, poſſibilitatem oſtendant, quibus tamen omnibus conſcientiæ de vero Dei amore ſolicitæ, ſatisfacere non poſſunt.

*Stapletonus lib.* 6 *de juſtif. cap.* 10. & *Gregor. de Valentia lib.* 3. *de votis c.* 3. ſcribunt: *præceptum diligendi Deum ex toto corde &c. doctrinale eſſe, non obligatorium*: cum quo ferè coincidit, quod *Bellarminus ſcribit lib.* 2. *de monach. cap.* 13 *præceptum hoc ſaltem dari, ut moveat nos, non autem, ut impleatur: idcircò etiamſi non impleatur, non tamen facere prævaricatores.*

*Nulla lex eſt, quæ non obliget.*

Sed profectò hæc nimis cruda ſunt, quibus facilè opponeret homo pius, ſe intelligere non poſſe, quomodo præceptum aliquod non obliget, ſed tantùm doceat: nam omne præceptum particula legis eſt, lex autem ab obligando nomen habet, & abſurdum eſt ullam dari legem, quæ non obliget eos, quibus lata eſt.

Sic

Digitized by Google

*Nulla lex à Deo data eſt, quæ nō debeat impleri.*

Sic æquè difficile intellectu eſt, quomodo præceptum aliquod à Deo dari poſſit, quod non debeat impleri: omne potiùs præceptum ideò datur, ut impleatur, ideò omnis transgreſſio legis dicitur *ἀνομία* 1. *Iohan.* 3. quia non eſt præcepto conformis: & Deus expreſsè dicit de præceptis ſuis *Deut.* 6. *v.* 1. *hæc præcepit Deus, ut facias*; & *non facientibus maledictum minatur Deut.* 27. *v.* 26.

*Bellarmini vanum προσφύγιον.*

Bellarminus l.d. ſcribit: *Deum diligere ex totis viribus & ex toto corde, non ſignificare omnes vires & actus cordis, ſed tantùm pro viribus amandum eſſe Deum amore præcipuo.* Sed hæc ſibi non tam facilè perſuaderi patitur mens pia, quia expreſsè pugnat cum verbis Domini, qui non dicit, pro viribus, ſed *ex omnibus viribus* diligas Deum, & *ex toto corde*, requirens omnes animæ potentias, quibus Deus diligitur, ita ut omne ſcire, velle & poſſe noſtrum, ad Deum referatur. Totum enim hominem ſibi Deus deſtinavit tanquam ad gloriam ſuam conditum. *Non autem reſtat in nobis aliquid, quod addi poſſit ad totum, quod ſi reſtabit aliquid, illud non erit totum*, dicente *Auguſtino de ſpir. & lit. c.* 36.

*Locus Deut. 6. à depravatione Bellarmini vindicatur.*

*Aliud effugium Bellarmini irritum; cui frigidā ſuffundit Toletus.*

Idem *Bellarminus* l.d. ſcribit: præceptum illud de diligendo Deo eſſe *affirmativum, quod non ad omne tempus obliget ſed tantùm, quando id neceſſitas gloriæ ejus procurandæ requirit.* Idem habet *Toletus l.* 4. *caſ. conſc. c.* 9. Sed nec in hoc emblemate adquieſcere poteſt mens pia, cùm nullū dari poſſit tempus, quo non ſit promovenda per nos gloria Dei. Etſi ergò quoad exercitium externum dilectio ſingulis momentis in Deum non fertur, tamen quoad habitum & finem ſemper ipſum reſpicit: omnia *enim ad Dei gloriam facere jubemur* 1. *Cor.* 10, 31. Quando ergò parentes, liberos & amicos diligimus iisque benefacimus, tunc ipſum diligimus Deum, propter quem omnia diligenda ſunt, quæ nobis cara eſſe poſſunt. Unde *Auguſtinus* dixit in *confeſſionibus: minus te, ô Deus diligit, qui præter te aliquid diligit, quod propter te non diligit.*

*Becani inſufficiens interpretatio.*

*Becanus* ſcribit in *diſp. juſtit. bon. operum th.* 31. *nos diligere Deum ſuper omnia, cùm præferimus eum rebus aliis, & nullius creaturæ timore vel amore Deum offendimus, nec ab illius amore recedimus.* Quæ quidem vera ſunt, ſed non ſufficiunt: nam dilectio Dei omnium virium rectitudinem, officiorumque Deo debitorum promtitudinem requirit, qualis in corruptam naturam non cadit.

*Hæ interpretationes Pontificiorum ex falſa ὑποθέσει fluunt, quaſi homo in hac vita perfectè legem Dei implere poſſit.*

Hæc igitur omnia ſatisfacere non poſſunt conſcientiæ, fluunt enim ex vitioſo principio, quaſi hac in vita perfectè legem implere valeamus, id quod ſcriptura multis in locis negat, de quo alibi: *quis enim daret homini talem mentem, ut timeat Deum & cuſtodiat univerſa mandata ejus omni tempore? Deut.* 5, 27.

Longè rectiùs conſulitur conſcientiis, ſi imperfectionem noſtrā agnoſcamus, Deum quantum in nobis eſt amemus, omnia noſtra ei ſubmittamus, ipſi ſoli adhæreamus, & ſi vel nulla appareret retributio,

ſed potiùs afflictiones quotidie creſcerent, ab amore tamen ejus nunquam deſiſtamus, & in his omnibus, etiam cùm ad ſumma contendimus, defectus noſtros deploremus, certò credentes, Deum illos propter Chriſtum nobis non imputaturum, & in qualibuſcunq; conatibus noſtris ex fide in Chriſtum profectis paternè adquieturum. Nam, ut *Bernhardus ſerm. 50. in cant.* loquitur, *mandando impoſſibilia non prævaricatores homines fecit, ſed humiles, ut omne os obſtruatur & ſubdit⁹ fiat omnis mundus Deo.*

## CAPUT VI.

### *De Caſibus Conſcientiæ circa cultum Dei externum in genere.*

*Quid ſit externus Dei cultus?*

EX devotione, amore, & reverentia Dei interna oritur externus Dei cultus, qui devotionem animi verbis & operibus prodit. Nihil enim aliud eſt, quàm exercitium veræ pietatis, in quo ex abundantia cordis os loquitur, manus operantur, totumq; corpus ad Deum habilitatur.

*Externus præſupponit internum.*

Præſupponit hic cultus internum, ex quo etiam perficitur, Deóque gratus efficitur. Niſi enim cor hominis rectum eſt coram Deo, vero in ipſum amore & fiducia firma fervens, omnis externa devotio vertitur in hypocriſin.

*Externus æquè neceſſarius ac internus.*

Requirit autem Deus hunc cultum à nobis, æquè ac internum, quia diligendus eſt ex totis viribus, ergò omnes noſtri ſermones, geſtus, & opera de noſtra in Deum fiducia & amore teſtari debent. Et quemadmodum Chriſtus & animæ & corporis noſtri redemtor eſt; ita & utriusque in Deum directio eſt neceſſaria, quam ob cauſam *D. Paulus* hortatur 1. *Cor. 6, 20. glorificate Deum in corpore veſtro, & ſpiritu veſtro.*

*Externus cultus populariter vocatur religio.*

Externus ille Dei cultus καθ' ἐξοχὴν & juxta uſitatiſſimam vulgi conſuetudinem appellatur religio, die Religion/ quæ vel publicè exercetur ab omnibus, vel privatim in cujuslibet familia.

*Religio ratione exercitij eſt, vel publica vel privata.*

Publicum religionis exercitium conſiſtit in pia cura ſinceræ religionis in aliqua Repub. conſervandæ, in congreſſuum publicorum conſervatione, in auſcultatione verbi, in publicis precibus, in uſu ſacramentorum.

Privatum in diſciplina domeſtica, in exercitiis pietatis inter liberos & ſervos, in conſervatione vitæ innocentis, & ſuaviſſima conjunctione domeſticorum, ut Deum uno numero colere poſſint.

Quemadmodum ergò cultus internus circa primum decalogi præceptum verſatur: ita internus circa ſecundum & tertium occupatus eſt, & complectitur, invocationem, vota, juramenta, tractationem verbi & ſacramentorum, & quæ ſunt his affinia.

*Quid in hoc capite agendum?*

De his ſpecialibus partibus religionis

gionis externæ poſtea videbimus: jam de iis caſibus, qui circa cultum Dei externum in genere verſantur, agemus.

## CASUS I.

*De neceſſaria religionis cura in quavis benè cõſtituta republica.*

### *Num cura veræ religionis in qualibet benè conſtituta repub. eſt neceſſaria, ita, ut ſalva conſcientia omitti nequeat?*

RESP. In gentilitate fuêre non pauci, docti quidem, ſed athei, *Lucretius*, *Diagoras*, *Lucianus* & ipſorum aſſeclæ, qui caſu & fortuna res publicas & privatas abſq; ullo divinitatis alicujus regimine aut providentia agitari, nec numen ullum adorandum eſſe, ſomniarunt.

*Nonnullorum antiquorũ Philoſophorum Epicurea opinio.*

*Alij* politico conſilio divinitatis cultum adinventum fuiſſe dixerunt, ut homines Deorum ſaltem timore, juſtitiæ communitate concordes, rebus non ſolùm privatis, quibus alter alterum ſpoliari non verebatur, in pace & ſecuritate fruerentur; ſed & publicis feliciter uti valerent, ut refert *Plutarchus in lib. de placitis Philoſophorum.*

*Philoſophi ſaniores religionis curam primã habendam eſſe aſſeruerunt.*

Sed ſapientiores Philoſophi rempub. nec ſine numine gubernari, nec ſine religione numinis felicem eſſe poſſe, judicarunt. Idcircò *Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap.* 8. inter ea, ſine quibus civitas eſſe nequit, primo loco ponit curam de rebus divinis, *& lib. 6. cap.* 8. religionis gratia in repub. templa à magiſtratibus inſtituenda eſſe docet, omnemque cultum divinum piè conſervandum. *Plato etiã lib. 2. de repub.* præcipuam curam in repub. de religione ſuſcipiendam eſſe dicit.

*Rationes, cur prima religionis cura ſit habenda?*

Eſt enim religio vera fundamentum civitatis, origo juſtitiæ & honeſtatis. *Nam malè vivitur, ſi de Deo non benè creditur*, ait *Auguſtinus lib. 5. de civit. Dei cap.* 10. & *Cicero lib. 1. de nat. Deor. excuſſo ex animis hominum Dei metu, immanitate ac ſcelera omnia complentur.*

Eſt vinculum legum & honeſtæ diſciplinæ, ut *Plato nominat lib. 4. de repub. & lib. 6. de legib.* Deus enim hominum mentibus indidit diſcrimen honeſtorum & turpium, & reverentia numinis multos in officio continet, qui aliàs profligato omni pudore, quamvis facilè patrarent turpitudinem.

Eſt cauſa benedictionis divinæ, nam prout Deum curamus, ita & curamur ab ipſo. *Dominus erit vobiscum, ſi fueritis cum eo. Si quæſieritis eum, invenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet & vos 2. Paral. 15. v. 2.*

*[Vt Deum curamus, ſic nos curamur ab ipſo.*
*Neminem Deus deſerit, niſi prius ab ipſo deſeratur.]*

Eſt denique confuſionis omnis in repub. impedimentum. Nam cum nemo curat, quam quiſque religionem foveat, vel athei fiunt homines,

mines, qui in corde suo dicunt, non esse Deum; vel Epicurei, qui religiones omnes in promiscuo habent, vel impii, qui religionem falsam amplectuntur, cultibusque idololatricis indulgent, quæ res & confusionem parit, & ad eversionem reipublicæ viam sternit. Unde *Plato lib. 10. de legibus* veri Dei ignorationem præsentissimam pestem rerumpubl. appellavit.

Proinde, si quietam & pacatam rempub. optamus, si felices rerum nostrarum successus speramus, si nobis & posteritati benè consulere volumus, prima cura sit religionis sinceræ, circa quam & magistratus, & subditorum omnium opera occupata esse debet. *Bernhardi studium: sit hæc mea prima cura, ut te quæram mente purâ.*

## CASUS II.

*De conservatione & exercitio religionis.*

### *Quomodo verò religio vera conservari & exerceri potest?*

RESP. Non est hoc unius ordinis, sed omnium ac singulorum reipub civium. Primas hac in parte tenent *ecclesiarum ministri*, quorum est, purè docere verbum, legitimè administrare sacramenta, attendere gregi, ne ingrediantur falsi fratres, aut irruant lupi in ovile Domini, informare & castigare mores auditorum, ne blasphemetur nomen Dei inter hostes, consolari tristes, & impedire omnia salutis obstacula, quæ omnia *Paulus in epist. ad Timoth. & Tit.* ut & *Act.* 20. præscripsit.

*Quodnam sit officium ministrorũ ecclesiæ in conservãda & exercenda religione?*

Huc pertinent preces pro populo, exemplo *Samuelis 1. Samuel.* 12, 23. & exhortatio ad pœnitentiam, exemplo sacerdotum *Ioel.* 2, 12. 17. Hac ratione ex parte prima ministrorum ecclesiæ religionis puritas conservari potest.

*Quodnam magistrat. officiũ sit?*

Magistratus ipse in vera religione à teneris, quod dicitur, unguiculis, enutritus sit & confirmatus, ne à quovis vento flabellorum aulicorum flectatur. Hanc religionem veram inter subditos ad posteritatem propagare studeat: ideò idoneos ecclesiæ doctores præficiat, scholas utiles erigat ac conservet, ex quibus tanquam ex Trojano equo viri in ecclesia utiles prodeant, docentes in ecclesia & scholis honestè sustentet, ne famem ministrorum ipsius verbi divini fames sequatur: visitationes ecclesiarum instituat, consistoria erigat, synodos convocet, quibus adminiculis diligens & necessaria ecclesiarum inspectio conservari potest: collapsa cultus divini exercitia instauret, idololatricum cultum aboleat, hæreticos coerceat, quibus omnibus ecclesiam in tranquillum statum locare potest, qui præcipuus officij sui finis est, *teste Paulo 1. Tim. 2, 2. ne eveniat juxta illud:*

*Sunt Musæ mulæ, nostraq; fama fames.*

vel:

*Artes laudantur: at algent.*

Hæc

*Rationes, quæ magistratū movere debēt huius sui officii partes strenuè obire.*

*1. Ob mandantis Dei autoritatē.*

Hæc omnia incumbunt pio magistratui 1. *ob mandatum Dei*, qui vult custodire magistratum & facere omnem legem *Ios.* 1,7. librumque legis sibi familiarem reddere, ut discat timere Deum suum, *& custodire verba & ceremonias, quæ in lege præcepta sunt*, *Deut.* 17, 18. *vult reges terræ erudiri, & osculari filium Psalm* 2,10. *elevare portas terræ, ut intret rex gloriæ Psal.* 24,7.

*2. Ob muneris sui sublimitatem.*

2. *Ob sublimitatem sui muneris*, in quo est custos utriusque tabulæ, & pastor populi *Esa.* 44, 28. *Ier.* 49,19. qui subditis non tantùm de victu corporis & politicâ tranquillitate, sed & de pascuis salutaribus animæ prospicere debet.

*3. Ob exēplorū pluralitatem.*

3. ***Ob exemplum piorum regum atque principum***, inter quos primariū habet locum *Iosua*, qui devictis hostibus, terrâque Chanaan jam divisâ, populum suum tanquam novos illius terræ incolas ad serium religionis veræ studium hortatus est *Ios.* 24, 14. *seqq.* ***David*** etiam cultum divinum magno studio promovit, arcam fœderis in civitatem suam reduxit 2. *Sam.* 6, 12. 1. *Par.* 13,12. vasa aurea & argentea hostibus erepta Domino sanctificavit 2. *Sam.* 8, 11. Levitas & cantores instituit, & in certas vices distribuit 1. *Paral.* 16,4: 23. 4. *seqq.* Similia exempla vide in Salomone 1. *Reg.* 2,27: 6, 1, 8, 1. *seqq.* in Asa rege Juda 1. *Reg.* 15,12. 2. *Paral.* 14,3,4: 15,8. *seqq.* in Josaphato 2. *Paral.* 17,6: 19,4,4. in Josia 2. *Reg.* 23. 2. *Paral.* 34. *&c.*

*Quodnam*

Subditi privatim curam veræ religionis habeant, operam dantes sedulò, ut quoad eius fieri potest, domus ipsorum privata quædam templa fiant, in quibus Deus colatur, & ad habitandum apud ipsos invitetur.

*sit, ... rum officiū in conservanda & exercenda religione.*

*In quatuor præcipuè officium eorum consistit.*

Quod fit, cùm quilibet paterfamilias primùm omnium per se Deū timet, & ne quid contra legem Dei committat, sedulò cavet, idq; ad exemplum *Cornelij*, qui *vir religiosus appellatur, timens Deum cum omni domo suâ Act.* 10, 2. & Apostoli *Pauli*, *qui servivit Deo à progenitoribus suis in purâ conscientiâ* 2. *Tim.* 1,3.

Deinde, cùm domum suam mundat ab omnibus, quæ cōtra pietatem & honestatem sunt, non ferens in liberis vel servis blasphemias, maledicta, contemtum verbi, neglectum precum, mendacia, rixas, idololatriam, & similia, quemadmodum ***Iacob*** olim familiam suam mundavit ejectis Diis alienis ***Gen.*** 25,2. & Samuel revertētes ad Dominum auferre jubet Deos alienos 1. ***Sam.*** 7,3. sic ***David*** dicit ***Psal.*** 101,7. ***non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, &c.***

Tertiò instituere suos in verâ pietate debet, loquendo cum ipsis de rebus sacris, & commemorando opera Dei, ut ad diligendum Deum & verbum ejus assuefiant, quemadmodum *Abraham* præcepit filiis suis, & domui suæ, *ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam &c. Gen.* 18,19. *&* *Lois* ac *Eunice* instruxerunt ***Timotheū*** ab infantiâ, &c. in sacris literis 2. *Tim.* 1,3. idque fit ex

T jussu

jussu Domini, qui vult, ut *repetant parentes præcepta filiis suis Deut. 6, 7.* iisdemque *memorabilia in populo suo enarrent Exod. 12, 26. Jos. 4, 21.* filiosque *in exhortatione Domini educent Eph. 6, 4.* quodque viri etiam instruere debeant uxores in vera pietate, inde colligitur, quod Paulus *uxorem* virum suum *domi interrogare jubet 1. Cor. 14, 35.*

Denique quilibet paterfamilias, tanquam caput domus suæ caveat, ne quidquam alieni à fide aut vera pietate in se reperiatur, quo offendi queant domestici, sed in iis omnibus, quæ exigit à suis, seipsum præbeat exemplum, amet verbum Dei, diligenter oret, à vitiis omnibus abstineat, quoad ejus fieri potest, & veræ pietati ex animo studeat. Multum enim valent exempla in utramque partem, & *qualis rector civitatis,* (ita & domus) *tales & inhabitantes eam Sir. 10, 2.*

*Quomodo quilibet Christian⁹ seorsim curam veræ religionis habere debeat?*

Verum non tantùm paterfamilias in domo, sed & quilibet seorsim veræ religionis curam habere debet, non tantum, ut rectè credat, sed & ut fidem suam operibus comprobet, conscientiam puram servet, & spem vitæ æternæ habeat non fluctuantem.

Ad hunc enim scopum D. *Paulus* omnes vitæ suæ rationes direxit, *Act. 24, 14, 15, 16.* ubi scribit, se patrium colere Deum, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt, se spem habere in Deum, & in hoc se exercere, ut conscientiam habeat sine offendiculo apud Deum & apud homines semper.

*Media conservandæ fidei & bonæ conscientiæ sunt quinque. 1 Assidua precatio.*

Ut autem scopum istum attingamus, necessaria primùm est *assidua precatio*, quæ diem inchoare debet, ut Deus gressus nostros dirigat, felices rerum successus largiatur, à periculis custodiat, & in favore suo nos conservet. Eadem etiam diem claudere debet, quâ Deo pro clementi custodiâ, & prosperitate rerum nostrarum grati sumus. Ita *Paulus* vult nos *indesinenter orare 1. Thess. 5, 16.*

*2. Scripturarum meditatio.*

Deinde *sacrorum Bibliorum lectio & meditatio*, quæ precationis individuus esse comes debet: beatus enim *ille, qui in lege Domini meditatur die ac nocte Psal. 1. v. 2.* & *Christus jubet nos scrutari scripturas Ioh. 5. v. 39.* in his enim DEUS nobiscum loquitur, cujus verbum Apostolus vocat *gladium Spiritus Ephes. 6. v. 17.* Nemo ergò Christianorum sit, qui non codicem habeat Biblicum in domo suâ. *Comparate vobis Biblia, animæ pharmaca, scribit Chrysost. homil. 9. in epist. ad Coloss. si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum adquirite, Apostolorum acta, Evangelia, &c.* His duobus, oratione & lectione scripturarum Deus & homo conjunguntur. Ideò *Augustinus* hortatur, *serm. 112. de tem. qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm vero legimus, Deus nobiscum loquitur.*

*3. Verbi divini auscultatio.*

Ad hæc tertio loco accedat *auscultatio verbi divini*, si fieri potest.

Hinc

Hinc enim inchoati labores vocationis sine successu esse non possunt: *beati enim sunt, qui verbum Dei audiunt & custodiunt Luc.* 11. *v.* 28. & *Petrus*, auditâ concione Christi felicem habuit piscaturam *Luc.* 5. *versic.* 6.

*4. Voluntaria & industria laborum acceptio.*

Quartò *opera vocationis fiant libenter* & animo obsequentissimo cum voluntate placendi Deo, præcipienti, ut in sudore vultus manducemus panem *Genes.* 3. *v.* 19. fiant etiam ordine, ne in minùs necessariis curiosi, necessaria negligamus; fiant in nomine Christi, hoc est ad mandatum Dei, cum precibus & voto: vult enim *Paulus* omnia nostra *in nomine Christi fieri Col.* 3. *vers.* 17. fiant in fide, ita ut animus hominis semper à Deo dependeat, successum non suæ prudentiæ aut industriæ, sed soli divinæ benedictioni adscribens; fiant in verâ patientiâ, ne murmuremus contra Deum, qui tam duram nobis injunxit provinciam, nec invideamus aliis, qui in tolerabiliori vitæ genere vivere videntur: ideò *fides & patientia* in scripturâ sæpè conjunguntur *Phil.* 1. *vers.* 29. *Hebr.* 6. *vers.* 12. &c: & *Sirac.* scribit: *non oderis laboriosa opera, & rusticationem, quam creavit Altissimus Sir.* 7, 16.

*5. Quotidiana vita nostra examinatio.*

Quintò *sub vesperam* cujuslibet *diei acta* diligenter *examinentur*, & quæ juxta normam legis divinæ, & regulam vocationis nostræ facta sunt, pro benedictione Dei habeantur & gratiæ agantur, si verò in quibusdam exorbitaverimus, deprecemur, & ne sequente die in eundem impingamus lapidem, caveamus.

Hæc sunt adminicula conservandæ fidei & bonæ conscientiæ, quibus unusquisque se non verbis tantùm, sed opere potiùs, totaque vita quotidie verum Dei cultorem probare potest.

## CASUS III.

*De pluralitate religionum in una bene constituta republ.*

### *Num consultum est conscientiis & saluti publicæ, plures quàm unam in benè constituta repub. admittere religionem?*

*Varietas opinionum hoc de casu.*

RESP. Variè disputatur de hac quæstione à Theologis & politicis, ubi ad utrumq; extremorum interdum nimis deflectitur. Sunt enim, qui simpliciter & sine omni consideratione circumstantiarum, plures in repub. religiones non admittunt, eò quòd Deus olim in repub. Israelitarum unam saltem religionem, ut & unum tantùm templum admisit; quòd Israelitici reges propterea lucos & delubra deorum gentilium destruxerunt, quò unam tantùm in populo religionem retinerent; quòd multarum dissensionum origo sit dissensio in religione; quòd libertas credendi sit libertas errandi, & quæ sunt similia, de quibus vide *Bellarm. de laic.* c. 18. *Lipsium lib.* 4. *polit. cap.*

Alii religionis dissensum reipub. utilem putant, ac proinde non tantùm non prohibent plures in unâ repub. religiones, sed & admittunt haud inviti. *Ita Diodorus Siculus de Ægyptiorum regibus refert lib.* 11. quòd variam & miscellam religionem induxerint stabiliendo sceptro, & ne unquam conspirare inter se Ægyptii omnes possint: *& in historia Gallica lib. 6. apud Dinothum* adseritur, nullâ cum ratione asseverari, quòd duæ atque diversæ religiones in uno atque eodem regno retineri non possint, quia in Occitaniâ contrarium ostendatur, ubi dissentientium in religione summus videatur consensus. Et *de Turcarum Solimanno refertur*, quòd ad extirpandum Christianos & alios à religione Turcicâ alienos instigatus, varios flores simul enatos hortumque decorantes per fenestram adspexerit, dixeritque: quemadmodum ista varietas herbarum ac florum non solùm nihil obest, sed mirificè oculos & sensus recreat; sic in imperio meo diversa fides & religio potiùs usui est, quàm oneri, modò pacatè vivant, referente *Camerario part.* 1. *operar. succis. cap.* 58.

Verùm, ut hac in partè conscientiis consulatur, tutissimum est mediam hic tenere viam. Nam si ex voto nostro & in pacatâ repub. nobis semper vivere liceret, nihil sanè magis optandum esset, quàm religionis unitas, ut uno numero DEUM colere, & inter nos cor unum & anima una esse possit. Nihil enim æquè distrahit animos hominum, quàm religionis diversitas, cùm vicissim optimum concordiæ fundamentum sit in religione consensus.

*In republ. pacata religionis unitas maximè optanda.*

Quam ob causam pius magistratus, quoad ejus fieri potest, operam dare debet, ut veræ religionis puritas suis in ditionibus conservetur, omnisque innovatio caveatur: nam & *ethnicus Philosophus Aristoteles in Rhetoricis* ubique gentium nefarium haberi scribit, patrios ritus mutare aut violare.

Idcircò apud omnes in confesso est, magistratum illum graviter peccare in DEUM & subditos, qui religiones varias, quas præcavere potuisset, in repub. voluntariè admittit, recipit, fovet, aut absque ullâ necessitate retinet. Is enim nihil aliud facit, quàm quòd confusam Dei ignorationem & opinionem, (quam *Plato lib. 19. de leg. summam omnium rerumpub. pestem appellavit*) introducit, siquidem omnis humanæ societatis fundamentum convellit, qui religioni est noxius.

*Magistratus peccat, qui voluntariè mixtum religionum chaos admittit quod posset impedire aut præcavere.*

Quapropter *Tholosanus lib. 2. de ennomiâ* censuit, magistratum, si adventitias religiones admiserit, tanquam Reipub. eversorem & clancularium patriæ proditorem, privandum esse autoritate & dignitate gubernandi non tantum, sed & si rex fuerit, regno ac ditionibus suis; quæ in prædam & possessionem eorum veniant, qui eas illa lue libe-

Digitized by Google

liberaverint, idque per novam constitutionem *Friderici Imperat.* fieri adserit.

*Quando religiones diversæ in republica toleranda? 1. Casus.*

Fieri autem potest, ut religiones diversæ non quidem spontè admittantur, attamen in Repub. non incommodè tolerentur, quod fit: 1. *in republ. turbatâ*, & diversis sectis jam occupatâ, cùm propter multitudinem adhærentium absque metu seditionis religiones falsæ extirpari non possunt, tunc tolerari debent, & interim à purioris doctrinæ doctoribus diligentius instandum, ut si reliqui converti nequeant, alij tamen puriori religioni addicti in eâ conserventur, tanquam lilia inter spinas. Melius enim est aliquam habere religionem puram, quàm omnino nullam, & minus malum est, plurimas in repub. religiones ferre, quàm unam tantùm alienam habere.

*2. Casus.*

2. Cùm imperium magistratus non est merum, sed mixtum, hoc est; cùm proceres regni in partem potestatis veniunt, tunc superior magistratus eam religionem, quàm amplectuntur proceres, & præcipui subditi in regno, tollere non potest, sed *αὐτονομίαν* subditis relinquere tenetur: *quod enim plures tangit, à pluribus est etiam curandum*: & inferiores quoque magistratus subditorum vitam & bona defendere debent, ideò adjuncti sunt superiori magistratui, non tantùm, ut laborum socii, sed & ut licentiam ejus coërceant, sicubi opus fuerit. Ita enim Centuriones & principes populi *Athaliam* reginam tyrannicè gubernantem deposuerunt 2. *Reg.* 11; modò prius omnia precibus & intercessionibus aliorum, adde etiam, si opus fuerit, muneribus tententur, ut placetur animus superioris magistratus, quàm aliquid durius in ipsum statuatur.

*3. Casus.*

3. Cùm magistratus per leges Imperii fundamentales se ad diversarum religionum observantiam juramento obstrinxit, tunc in tollendis religionibus à fide suâ diversis, & in obligatione suâ comprehensis sine periculo perjurii & salvâ conscientiâ nihil attentare potest. Sic Imperator religionem Evangelicam & Pontificiam in Imperio Romano liberam relinquere tenetur, propter *pacificationem Passaviensem An.* 1552. *initam, & in comitiis Imperii Anno* 1555. omnium Imperii statuum, tàm Pontificiorum quàm Evangelicorum suffragio & assensu *comprobatam*, quæ legibus Imperii fundamentalibus, quam *Capitulationem* vocant, inserta est, & in electione novi Imperatoris repetitur ac confirmatur, ad eandemque Imperator electus obligatur.

*Cautiones dua adhibenda.*

In his casibus non licet magistratui religiones diversas è repub. tollere, sed tolerare eas debet, his tamen adhibitis cautionibus: 1. ne tolerentur apertæ blasphemiæ in DEUM, in Christum, aut beatissi-

mam ejus matrem, quales habet religio Turcica & Judaica: quæ blaſphemiæ ſeverè ſunt coërcendæ.

2. Ne ex tolerantiâ religionum diverſarum fiat ſyncretiſmus, quo propter pacem politicam homines in alienas religiones conſentire vel ſaltem cum ejuſdem profeſſoribus colludere jubentur.

Quemadmodum enim Samaritaniſmus olim prohibitus erat 2. *Reg.* 16. v. 24: ita & ſyncretiſmus in religione prohibetur, myſticè quidem, cum interdicitur uſus veſtium ex lino & lanâ confectarum *Deut.* 22. *v.* 9. & commixtio animãtium *Lev.* 19. *v.* 19. apertè verò, cùm Paulus nos non vult jugum trahere cum infidelibus 2. *Cor.* 6. *v.* 14. cùm docet unum eſſe Dominum, unum Deum, unum baptiſma, unam fidem *Epheſ.* 4. *verſ.* 5. cumque Chriſtus tepidos in fide reſpuit *Apocal.* 3. *verſ.* 15. eo enim pacto omnis in religione zelus extinguitur, & ad Epicureiſmum, qui omnes religiones in promiſcuo habet, lata via ſternitur.

Quod ergò *Elias* olim *Baalitis* dicebat: *uſque quò claudicatis in duas partes: ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum,* 1. Reg. 18, 21: idem reſpondere poſſumus iis, qui hodie ſyncretiſmum in religione à nobis expetunt, ut contra communem hoſtem, Pontificios videlicet, conjunctis viribus ſtare poſſimus. Talis enim conjunctio non habet ſolidum fundamentum, ideò non diu durabit, & ſimulatio ne quidem in politicis ſemper fit in tempore: in rebus fidei autem nullo unquam tempore admitti debet, quia ſpeciem abnegationis habet.

*Q. An miniſtri eccleſia in religionis negotio cum aliis diverſæ religionis hominibus colludere queant propter communē hoſtem? Neg.*

*Pertinent huc verſus:*

*In Chriſto fratres non poſſunt jure vocari,*
*quorum non pater eſt Deus atque eccleſia mater,*
*Chriſtus, & una fides, & cordis ſpiritus unus.*
*Non potes eſſe igitur frater, Calvine, Lutheri,*
*eſt alius tibi namque pater, materq́ fidesq́*
*Spiritus eſt alius ——*

Item:

*Abjice dogma malum, ſit Spiritus unus, & una*
*menſaq́ fidesq́, bonus tunc mihi frater eris.*

Sicut & hi ſimiles:

*Quos non in Chriſti conjungit dogmate conſtans*
*Relligio, hos fratres dicere relligio eſt.*

Neque admittit hoc praxis eccleſiæ, ut miniſtri eccleſiarum, inprimis in religionis negotio, cum aliis propter communem hoſtē colludant. Ubi enim *Chriſtus* cum *Phariſæis* contra *Sadducæos*, aut cum his contra illos, aut denique *Apoſtoli* cum *Pſeudoapoſtolis* contra alios hæreticos, ut communes hoſtes, ſyncretiſmum in religione inſtituerunt? *Phariſæi* quidem & Sadducæi, ita conſpirârunt contra *Chriſtum*, ſed de piis & ſinceris doctoribus nihil tale legitur.

Niſi ergò eccleſiæ de hujuſmodi ſyn-

ſyncretiſmo probè caveatur, ſatius eſſet diverſitatem religionum in unâ repub. non admittere.

## CASUS IV.

*De expulſione eorum, qui diverſa religionis ſunt, à republica.*

### *Annon præſtaret in repub. pacata alienæ religioni addictos expellere, ut reliqui quietius vivere poſſint?*

*Errantes ſunt duplices, publicè & privatim errantes.*

RESP. Diſtinguendum eſt inter *Errãtes publice & privatim. Publicè* errantes dicuntur, qui non tantum ipſi periculosè errant in rebus fidei, ſed & alios turbant, ad ſe clanculum alliciunt, errores ſuos ſpargunt, & ſimpliciores ſeducunt. Hi quamvis non ſint doctores eccleſiæ, non tamen procul abſunt ab hæreticis, de quibus ſcriptum eſt, quòd *contra doctrinam diſſenſiones & offendicula faciant Romanor. 16. verſ.* 17. quòd alios *ſeducant*, 2. *Timoth. 2. v.* 13. *quòd ſectas inducant exitiales 2. Pet. 2. v.* 1. quòd non tantùm ipſi à veritate excidant, ſed & *aliorum fidem ſubvertant 2. Tim. 2. v.* 18.

*Publicè errantes in rep. pacata non gladio ſunt coercendi, ſed interdictis. Moriatur error, vivat homo.*

Tales in republ. pacatâ coercendi ſunt, non quidem gladio aut igni: *nullis enim bonis unquam in eccleſiâ placuit, ſi uſque ad mortem in quenquam, licet hæreticus, ſaviatur*, ait *Auguſtinus lib. 3. contr. Creſcon: Gra: cap.* 50; ſed monitis & interdictis: quòd ſi ab inſtituto non deſiſtant, exterminandi ſunt, & ad ſuos remittendi: ſermo enim ipſorum ut cancer ſerpit, qui lento gradu membra plurima depaſcit, niſi maturè medicina adhibeatur.

Idcircò Paulus obſervare jubet eos, qui *diſſenſiones & offendicula præter doctrinam ſanam faciunt Roman. 16. verſ.* 17. unam & alteram admonitionem requirit, quæ ſi nihil proficit, *vitare & reycere jubet Tit. 3. verſic.* 10.

*Publicè errantes nonnunquam, ut ſeditioſi puniuntur.*

Quòd ſi ad hæreſin ejuſque clancularıam propagationem accedant inſuper ſeditiones & conſpirationes contra magiſtratum, etiam durius aliquid in vitam ipſorum ſtatui poteſt: tunc enim non ut errantes in doctrina, ſed ut ſeditioſi & pacis publicæ turbatores plectuntur, gladiuſque non in peccata primæ ſed ſecundæ tabulæ ſtringitur, quo pacto olim tempore *Auguſtini in Donatiſtas & Circumcelliones* animadverſum fuit, qui non tantùm periculosè in doctrinâ errabant, erroreſque ſuos diſſeminabant; verum etiam armis & exquiſitis ſuppliciis orthodoxos perſequebantur, referente *Auguſtino epiſt. 50. ad Bonifacium.*

*Privatim errãtes tolerãdi ſunt, quamdiu pacatè vivunt.*

*Privatim errant*, qui ſibi tantùm errant, cætera quieti, res ſuas agentes, neminem turbantes, nec errorem ſpargentes, quin potiùs ad cedendum parati, ſi meliora edoceantur, magiſtratui inſuper obtemperant, & onera civilia æquè ac alii non inviti ferunt.

Hi ferendi ſunt etiam ab iis, qui diverſæ religionis homines inter ſuos

suos ferre etiam ex pacto non tenentur quamdiu nimirum pacatè vivunt. *Nam tacere liceat*, inquit *Seneca in Oedipo, nulla libertas minor à rege petitur.*

Neque vi cogantur ad religionem meliorem: *nihil enim tam voluntarium, quàm religio, in quâ si animus aversus est, jam sublata, jam nulla est*, dicente *Lactantio lib. 5. cap. 14.* & *ut medici sæpè plus quiete, quàm movendo atque docendo proficiunt: ita horum errores docendo magis quàm jubendo, monendo quàm minando tolluntur*, ut *August* judicat *epist. 65.*

Publicum autem religionis suæ exercitium talibus concedendum non est, sed potiùs ut nostra sacra invisant, monendi: neque ad munera reipubl. publica admittendi, nisi errorem deposuerint, & nostris cœtibus ex animo se adjunxerint.

Quo in genere ministrorum ecclesiæ opera eò diligentius occupata esse debet, quò errantes hujusmodi in viam reducantur, quos divina providentia propterea inter nos vivere permittit, ut occasionem habeant ab erroribus suis resipiscendi.

Unde & Apost. Paulus infirmos in fide adsumere jubet, & firmioribus injungit, ut *imbecillitates infirmorum sustineant Roman.* 14. v. 1:15, 1. ipse quoque discrimen inter seductos & seducentes observavit: illos ut fratres & filios dilectos meliùs instruit; his verò ex justo zelo imprecatur, ut conturbet eos Dominus, & ut exscindantur, judiciumque Dei ipsis minatur, *Gal.* 2, 1: 4, 19, 5, 11. 12. *&c.*

## CASUS V.

### *Num Judæorum religio inter Christianos bona cum conscientia tolerari potest?*

*De tolerãdis inter Christianos Judæis.*

RESpond. De Judæis inter Christianos tolerandis variè disputatur à Theologis, & politicis. Multi patrocinantur ipsis, & non tantùm tolerandos, sed & recipiendos esse suadent à Christianis, ut habeant occasionem conversionis, cujus spes eis facta *Esa. 6. vers. 13. Ose. 3. v. 4. 5. Rom. 11, 25.* & quia reverentia habenda est sanguini, ex quo Christus natus est secundum carnem *Roman. 9. 5.* Unde etiam *Lutherus* dixit, *se propter unum Judæum crucifixum omnibus favere Judæis, in epist. ad Jeselium Judæum Rocheimensem tom. 6. Jen. germ. fol. 509.* Habent & alias causas, ob quas ejicere eos nolunt, ne nimirum alibi liberius blasphement Christum, & aliis modis Christianis noceant.

*Rationes eorum, qui putant Judæos esse tolerandos in rebuspublicis Christianorum.*

Sed si rem rectè æstimamus, ingens illud lucrum quod ex Judæis exspectant, Magistratus Christianos erga Judæos tam faciles facit, ita ut in imperialibus quibusdam privilegiis Judæi der Römischen Käyserl. May. Kammerknecht appellentur, quia cameram Imperialem

*Causa genuina, cur nonnulli Judæis faveant, est φιλαργυρία.*

lem pecuniâ replere possunt, quoties opus est, quam tamen non nisi ex Christianorum bonis furantur, ex quibus Magistratus sæpè numero tanquam ex spongiâ per Judæos exprimunt, non sine gemitu subditorum.

*Respondetur ad rationes superiº allatas.*

Rationes reliquæ non magni admodum momenti sunt. Nam etsi conversionem Judæis non invidemus, quàm difficilis tamen ea sit, experientia testatur, adeò ut *Lutherus* eam ferè putet *impossibilem in lib. de Iudæis & eorum mendaciis tom.* 8. *Ien: germ: fol.*49.509, eò quòd non tantùm sub triplici maledictione sunt, quarum una ex ipsius Dei *Deut.* 28. *v.* 15: altera ex Davidis *Psal.*69. *vers.*24: 109, *vers.*17: tertia ex proprio ipsorum ore prodiit tempore passionis Christi, *Matth.* 27.*v.*25. verùm etiam, quia audire non possunt, gentes esse Dei populum, & tamen manere gentes, circumcisionem enim veram populi Dei notam etiamnum esse existimant, quam rationem indicavit *Lutherus in enarrat, Psal.* 117.*tom.*5. *Ien, germ fol.*129.

*Ad primã: Conversio Iudæorum operanda potius quã speranda, sed tamen nõ omnino neganda. Iudæi sunt sub triplici maledictione.*

Etsi verò conversio Judæorum valdè est difficilis, dubium tamen non est, quin subinde aliqui convertantur, & adhuc convertendi sint: id enim *Paulus* præ cæteris docuit *Rom.*11.*v.*26. ubi conversionem Judæorum mysterium vocat, quia multis nova & ferè incredibilis visa fuit. Propter hanc vero caussam ad nos non invitandi, multo minus sceleratâ pecuniâ quasi emendi sunt, omnium minimè autem synagogæ, omnis amentiæ & blasphemiæ receptacula ipsis erigendæ sunt, cum Deus alia ratione eos in potestatem nostram tradere, & occasionem suæ conversionis eos monstrare possit & solet.

*Ad secundam.*

Reverentiam sanguinis Christi obtendunt: sed ea longè maior esset, si caveretur, ne pretiosus ille sanguis pro nobis effusus ab impiis illis pedibus conculcaretur. Quid enim prodest sanguinis conjunctio, ubi divulsus est spiritus? Gloriatio de externo sanguine *Abrahami* & reliquorum *Patriarcharum* ab ipso *Christo* & *Apostolo Paulo* jampridem annihilata est *Iohan.*8. *vers.*39: *si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, & vers.* 44. *vos ex patre Diabolo estis & desideria patris vestri vultis facere: Galat.*3.*v.*7. *agnoscite, qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ.* Multò minùs hodierni Judæi de sanguine Abrahæ & sanctorum Patrum gloriari possunt, siquidem infallibiliter docere non possunt, quòd ex patrum illorum prosapiâ descendant, quod *Lutherus* latè deduxit *in lib. de Schemhamphoras & familiâ Christi tom.* 8. *Ien.germ f.*120,121.

*Ad tertiã. Iudæorum Diabolica malitia, & quomodo non sint inter Christianos tolerandi.*

Incommoda, quæ ab ipsis, si pellantur, metuenda essent, tanti esse non possunt, quanti ea, quibus Christianos, in quorum sinu foventur, afficiunt. Nam præter horrendas blasphemias, quibus Christum, & beatam ejus matrem afficiunt,

ciunt, immani insuper odio contra Christianos flagrant, quos intolerabilibus suis usuris & fraudibus expilant & exhauriunt, rem licitam se facere putantes, quia erga alienigenas, inter quos Christianos censent, fœnerati sibi concessum putant lege divinâ *Deuter. 23. vers. 20*: [ *Lang. in Epist. medic. epist. 71. ut marsupium fœnore, ita facultates corporis vitales medicamentis exhauriunt & experimentum per mortes agunt. Vide Consilium Theologorum Giessensium, anno 1614. publicatum, ubi & aliorum Theologorum annexa judicia, unâ cum tabellâ usurariâ, quâ ad oculum patet, 20. florenis usuram 51854. florenorum fieri à Iudæis posse, intra 20. annos, si hebdomadatim unius floreni usura sit duo nummi Francofurtenses.* ] sanguinem Christianorum sitiunt, & dum adultos in potestate suâ non habent, infantes miris modis clam excruciasse leguntur: sub specie medicæ artis, quam nunquam didicerunt, multorum vitæ insidias struxerunt, veneno puteos inficiunt, etiam magistratui suo quotidie in precibus suis, quas *Velanische modim* vocant, imprecantur, ut Deus eos perdat, annotante *Antonio Margarita* Judæo baptisato, qui de Judæis sanctè affirmat, quò quis sit erga ipsos humanior, eò crudeliores ipsos esse erga Christianos: cogitant enim ex singulari Dei providentiâ fieri, & infallibile signum redemptionis suæ esse, quòd ab iis, quibus in corde suo pessimè convitiantur, ipsi amentur & beneficiis adficiantur.

*Cum Christiani alicuius mentionem faciunt, addit: pereat nomẽ eius,* ימח שמו

Quæ sanè res movit *B. Lutherum*, ut omnium consultissimum judicaret, si à convitiis Judæorum multisque aliis incommodis immunes esse volumus, ut illis habitationem inter nos non permittamus, sed in patriam suam remittamus, ita non habent amplius, quod conquerantur, quòd captivi nostri sint, neque nós, quod de ipsorum usuris & fraudibus querulemur.

Quam ob causam jam olim à Christianis episcopis & magistratibus è societate Christianorum ejecti sunt. Ejecit eos *Cyrillus* circa annum Christi 418. ut est in *histor. tripart. lib. 11, cap. 11.* ejecit eos *Sisebutus Gothorum rex ex Hispaniâ* circa annum Christi 632, teste *Funccio in chronico.* cumque ibidem denuò nidificarent, ejecit eos iterum *Ferdinandus* rex, numero 144000. circa annum Christi 1492. teste *Munstero*: ejecit eos ex *Galliis Dogebertus* circa annum Christi 639. referente *Funccio.*

*Exempla ejectionis Iudæorum.*

Postea multæ respub. suis è civitatibus ipsos ejecerunt: *Norlinga, Augusta Vindelicorum, Praga, Ratisbona, Magdeburgi,* & ex hoc quoque oppido ejectos fuisse, indicio est non saltem platea, quæ à Judæis nomen habet, sed & imago Schemhamphoras, in ignominiam Judæorum in exterâ parte templi parochialis lapidi incisa, & omnium oculis exposita.

*Felix Respublica in quâ nõ est Abraham (Iudæus) Nimrod (tyrannus) & Naaman (leprosus,) veteres dixerunt.*

Verum enimverò ne saluti & conversio-

*De conver-*

Digitized by Google

*sione Judæorum promovenda.* versioni Judæorum, (quæ omnium maximè urgetur) obesse videamur, consultum quidem est, ut, sicubi locorum jam pridem ejecti, vel recepti nunquam fuerint, ibi etiam nullus eis locus habitandi concedatur, quantumcunque etiam lucri ab illis sperari queat: nam aliàs sat multa impia & inordinata tolerantur, & zizania sponte suâ in agro Domini nascuntur, non est necesse, ut ea seramus: ideò laudabiliter & piè faciunt illi magistratus, qui Judæos in provincias suas non recipiunt.

Sicubi verò jam à multis annis antiquum habuere domicilium, ibi tolerentur utique: siquidem omninò in exilio vivunt, & ipsorum inter gentes dispersio prædicta est, sed non propter pecuniam tolerentur, quod non esset aliud, quàm Christum propter 30. argenteos denuò prodere, sed ex merâ gratiâ, certisque cum conditionibus, ne ullo modo vel de blasphemâ ipsorum religione, vel de humanis ipsorum furtis participemus, verùm potiùs, quoad ejus fieri queat, impia illa & illicita prohibeamus, aut saltem minuamus.

Idcircò *Lutherus* de *Judæis & eorum mendaciis tom.8.Jen.germ.fol.92 seqq.* judicat. sicubi Judæi tolerandi essent inter Christianos, nullo modo tamen ipsorum mendacia, convitia & blasphemias tolerandas esse, sed severam potius misericordiã, Eine scharpffe Barmhertzigkeit erga ipsos exercendam, ut saltem aliqui ex flammis illis impietatis & blasphemiæ eripiantur. Et quibus in rebus severa illa misericordia consistat, mox addit. 1. vult ut synagogæ Judæorum igne consumantur penitusque aboleantur, tanquam delubra iniquitatis, in quibus blasphemetur Christus, cujusmodi officinas blasphemiæ & iniquitatis DEUS olim exscindi & igne consumi jussit, *Deut. 13. v. 16.*

*Quibus cũ conditionibus tolerari possint Judæi? Prima conditio.*

Erat quidem *Arcadij & Honorij* Imperatorum rescriptum *l. Nullus 14. C. de Judæis & cælicolis*, quâ prohibetur, ne Judæorum synagogæ vel habitacula concrementur, vel perperam sine ullâ ratione lædantur: sed eo non obstante *Cyrillus*, cùm Judæorum sævitia in Christianos accederet, cum maximâ multitudine Alexandriæ in synagogas Judæorum irruit, & illas quidem sustulit, Judæos autem civitate expulit.

In Papatu statuerunt olim, Judæis non licere synagogas novas erigere, veteres tamen retinere & reficere posse, ut patet *ex cap. consuluit de Jud. & Saracenis & juxta Bullam Papæ Pij R.* anno 1566. publicatam, duntaxat unicam in quaque civitate habere debent synagogam: sed quomodo istæ leges observentur, experientia docet: hodie enim & multæ novæ, & plures unâ in quibusdam civitatibus reperiuntur.

Operæ pretium autem & optandum esset, ut Judæis nullæ prorsus synagogæ concederentur inter Christianos; nam quem habere possunt usum Deo gratum? si maximè nul-



Digitized by Google

mè nullæ in eis audiuntur blasphemiæ, (quæ nullo modo tolerari debent,) cultus tamen ipsorum Deo placere non potest, quia divinitus non præceptus: circumcisio finem suum habet: thora seu lex etiam domi legi debet, in synagogis sine sensu legitur & immani cum ululatu prophanatur. Neque ulla pars est religionis Judaicæ, quæ DEO grata esse queat: vel ipsis necessaria; cùm enim ad fidem Christianam convertendi sint, & ob hanc caussam inter Christianos tolerentur, quemnam amplius habere possunt usum ipsorum synagogæ? in quibus nihil quidquam de fide Christianâ auditur.

Quæ considerans *Ambrosius* reprehendit *Theodosium Imperator.* qui puniri jussit Christianos, qui Judæorum synagogas incenderant, addita ratione, *quia synagogæ sint perfidiæ locus, impietatis domus, amentiæ receptaculum, quod Deus damnarit, lib. 5. epist. 29.*

*Secunda conditio.* 2. Vult Lutherus, ut ædes etiam Judæorum privatæ excindantur, quod eatenus suadet, quatenus blasphemiæ in Christum in illis audiuntur: tunc enim præstaret, ipsos in stabulo aliquo habitare, ut intelligant, se non dominos, sed mancipia Christianorum esse. Aliàs conceditur ipsis in peculiari quadam parte civitatis habitare, ita ut ex unâ saltem parte pateat aditus ingredientibus & egredientibus, ut habet *prædicta Bulla Pij V.*

Hinc in *jure canonico causa* 28. 1. *cap. nullus & cap. omnes* ex conciliorum decretis decem casus recensentur, in quibus interdicta est Christianis communio cum Judæis: primò prohibentur habitare Christiani cum Judæis: deinde ad eorum convivia accedere, vel eos ad sua invitare convivia & unà cum eis cibum capere: tertiò simul cum eis in balneum intrare, & in eo se lavare: quartò eorum medicamentis uti, quintò eos ut medicos arcessere ad ægrotos: sextò eorum filios in domibus suis nutrire: septimò, eis famulatum præstare: octavò servitutis vinculo eis subjici: nonò eos publicis officiis fungi inter Christianos: decimò vesci eorum azymis. Noti sunt versus:

*Decem casus in jure Canonico recensentur, in quibus interdicta est Christianis communio cum Judæis.*

*Fingunt se Medicos quivis, idiota, sacerdos,*
*Judæus, monachus, histrio, rasor, anus,*
*Miles, mercator, cerdo nutrix, & arator,*
*Vult medicas quivis vanus habere manus.*
*Vide Lonic: in præf. herb.*

Huc pertinet, quod illis nequaquam concedendum est matrimonium cum liberis Christianorum, ob periculum seductionis: ideò in *jure civili l. ne quis 6. c. de Judæis* matrimonium inter Judæos & Christianos sub pœnâ capitali interdicitur.

*Judæis nequaquam concedendum est matrimonium cum Christianis.*

Ubi tamen observandum, legem hanc loqui de matrimonio *contrahendo:*

Digitized by Google

*bendo*: de jam *contracto* verò *Paulus* docet 1.*Cor*.7,13: *si qua mulier habet virum infidelem, & hic consenserit habitare cum illâ, non dimittat illum: sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem, &c.*

Ideò malè facit *Papa*, qui Judæū, nisi ad fidem accesserit, separandum esse judicat ab uxore fideli, ut est *c.* 28 *qu*.1.*cap. Iudæi.*

Plura Judæis prohibita inter Christianos vide apud *Iod. Lorich in Thesauro Theol. voce Iudæus* §. 16. & *Ioh. Azor. tom*.1. *Instit. moral. lib*. 8. *c*. 22. *quæst*. 8.

[*Non habeant Christianas nutrices, non egrediantur domo sine certo signo, non prodeant in die passionis, nec ostia aut fenestras aperiant, non ferant, contra Christianos testimonium, non accipiant gradum dignitatis in Academiis Christianorum.*]

*Tertia conditio.* 3. Vult Lutherus, Judæos omnibus suis libellis Thalmudicis & precationum suarum spoliari, quia pleni sunt abominationum & blasphemiarum, quin & precum contra magistratum Christianum, à quo proteguntur & foventur. In horum locum adigantur ad sacra Christianorum, h. e., jubeantur templa ipsorum ingredi, concionibus & precibus interesse, ut occasionem habeant cognoscendi Christianorum fidem: Biblia quoque in linguâ Germanicâ eis legenda committantur, ut paulatim à glossis suorum Rabbinorum avocentur, quibus aliás à teneris, quod dicitur, unguiculis adsueti sunt.

*Quarta conditio.* 4. Vult Lutherus, ne permittatur Rabbinis Judæorum, munus informandi suos: hoc enim jus jampridem amiserunt, quia persuadere volunt suis, sibi credendum esse, quidquid dixerint, etiam sinistram esse dexteram, & dexteram sinistram, ut habet *Rabbi Salomon Iarchi in expos. cap.* 17. *Deuteron*: cùm tamen Deus in lege aliter non obedire jusserit populum sacerdoti, quam *Quatenus docuerit juxta legem Deuter*. 17, 11.

*Quinta conditio.* 5. Vult Lutherus, ut contractus omnes ac proinde itinera & peregrinationes omnes illis prohibeantur: nam contractus non nisi usurarios habent, itinera suspecta sunt de seditione & conspiratione contra magistratum.

*Sexta conditio.* 6. Vult Lutherus, ne usuræ ipsis permittantur, iis enim Christianos hirudinum instar exugunt contra omne jus & fas, & otiando plus lucrantur de Christianorum bonis, quàm alij honestè laborando.

de quibus Poëta:

*Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.*

Imponendi ergò ipsis sunt labores serviles, ne dolis & fraudibus se pascant, sed potius se Christianorum servos esse agnoscant: quâ servitute faciliorem habent viam ad conversionem, quàm si licentia lucrandi pro lubitu ipsis permittatur.

Ad hanc servitutem etiam à Deo

ipso damnati sunt, qui ejecit eos de terrâ suâ in irâ ac furore, & in indignatione maxima, projecitque in terram alienam, ut minatur *Deuter.* 29,28: *& iterum: persequar eos*, inquit *Dominus*, *Jer.* 29,18, *in gladio & in fame, & in pestilentiâ, & dabo eos in vexationem universis regnis terræ, in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego ejeci eos.*

*Perstringitur quorundam Magistratuum πλεονεξία ϗ φυλαργυρία.*

Quod si hæc omnia diligenter observarentur, religio Judæorum inter Christianos sponte suâ concideret: dum autem multi magistratus turpis lucri gratia Iudæis & ipsorum sacris nimium indulgent, talia ferenda quidem sunt à subditis, qui quamdiu Judæi pacatè vivunt, nullâ ipsos afficiant molestiâ, nec maledicant ipsis, qui jam dum satis sunt maledicti, multò minus occidant, quia de ipsis scriptum est *Psal.* 59,12: *ne occidas eos, ne quando obliviscatur populus meus.*

*Judæi non occidendi.*

Deus enim inter Christianos servat Judæos tanquam *scriniarios nostros & custodes codicis Biblici*, ut *Augustinus* nominat *lib.* 12. *contr. Faustum Manich. cap.* 23. *& epist.* 59. Sunt quoque exemplum iræ divinæ, contra contemtum Christi & evangelii. Quæ considerans *Bernhardus* scripsit *Epistol.* 322: *Non sunt persequendi Judæi, non trucidandi, sed nec effugandi quidem, vivi quidam apices sunt repræsentantes Dominicam passionem.*

*Magistratus autem ille φυλάργυρος* qui non salutem Judæorum sed commodum suum privatum attendit, rationem ea de re reddet suo tempore Deo, cujus sincerum cultum, & Judæos ipsos in suâ conversione impediunt, in impietate autem & blasphemiis confirmant: *væ autem, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, &c. Esa.* 5,20: id quod à fidelibus ecclesiæ ministris frequenter est inculcandum.

## CASUS VI.

### *Potestne aliquis bona cum conscientia sacris Iudæorum aut hæreticorum interesse?*

*De sacris hæreticorum & Judæorum.*

RESP. Gravissima est admonitio *Pauli* 2. *Cor.* 6. *vers.* 14: *nolite jugum ducere cum infidelibus, nam quæ participatio justitiæ cum iniquitate? &c: & Ephes.* 5. *vers.* 11. *nolite communicare operibus infructuosis*; item 1. *Cor.* 10. *vers.* 14. *fugite idola*; quæ pios omnes à consortio impiorum abstrahit & diversarum religionum confessores in exercitio religionis disjungit.

Quam ob causam officium pii & constantis confessoris est, depositum sanæ doctrinæ, cujus in conscientiâ convictus est, ita custodire, ne ullo modo polluatur, imminuatur,

Digitized by Google

nuatur, aut omninò amittatur: id quod per incautam cum iis, qui religioni veræ adversantur, conversationem fieri potest.

Ideò quantum in nobis est, à sacris eorum abstinere debemus, ne vel nobis ipsis faciamus scrupulos, vel cum offendiculo infirmorum cum adversariis colludere videamur.

*Dupliciter circa hunc casum peccatur.*

Contra hanc admonitionem Apostolicam bifariam peccatur à quibusdam, primùm enim nonnulli proprio motu, nemine jubente sacris illis prophanis se immiscent, vel quia Epicurei sunt, qui religionem nullam curant, quibusque perinde est, cui cætui se adjungunt, vel quia lucellum aliquod quærunt, quod impetrare se non posse vident, nisi in religione cum aliis colludant.

Hi verò gravissimè peccant, cùm una saltem fides sit, de qua quilibet in corde suo certus esse debet: *quidquid* autem fit *titubante conscientiâ, peccatum est Rom.*14.& in caussa religionis turpe lucrum omninò fugiendum est. Tales claudicant in utrumque latus, & si non Epicurei prorsus, ad minimum tamen in religione tepidi sunt, quos grave judicium Domini manet.

*Magistratus non est dominus conscientiæ aut religionis.*

Deinde sunt, qui magistratus mandatum prætendunt, quo ad sacra illa compelluntur: sed cùm magistratus non sit Dominus conscientiæ aut religionis; rectè hoc in genere obedientia ipsi negatur: *oportet enim Deo plus obedire, quàm hominibus Actor.*5.& ita *dandum est Cæsari, quod est Cæsaris, ut Deo quoq; detur, quod Dei est. Si imperator aliud præcipit, aliud Deus,* inquit *Augustin. serm.*6. *de verb. Dom. in Matth. quid judicatis? major potestas Deus: inferior magistratus: solve magistratui tributum, Deo præsta obsequium: da veniam, magistratus carcerem, Deus gehennam minatur.*

*Duobus in casibus salva conscientia quis sacris infidelium aut hæreticorũ interesse potest. Primus casus,*

Duobus tamen in casibus fieri potest, ut quis absque vulnere conscientiæ sacris infidelium aut hæreticorum interesse possit. 1. *videndi causâ*, cùm quis spectatum saltem venit, ut de prophanitate infidelium aut hæreticorum melius certiusque testari queat: quo pacto peregrinantes ingrediuntur synagogas Judæorum, intersunt missæ papisticæ, spectant ipsorum processiones, ut *αὐτόπται* fiant eorum, quæ narrantibus vix credidissent.

*Cautio adhibenda.*

Magnâ autem hîc cautione opus est, ne colludere cum adversariis videamur, ideò à gestibus adversariorum abstinendum, in genua non procidendum, pectus non pulsandum, ut Pontificii, dum missificatur, faciunt, sed potius apertè quibuscunque signis dissensus noster declarandus est, quamquam cultus ille adversariorum risu, aut alio quodam publico contemtus signo excipiendus non est.

Ubi publicè dissensum declarare non licet, satius est abstinere ab ejusmodi sacris, ne vel conscientiæ scrupulum injiciamus; vel apud adversarios periculum nobis creemus.

*Hypo-*

Digitized by Google

*Hypocritica simulatio hic locum nullum habet*, sed potiùs Deum atque homines offendit: *nemo enim potest duobus dominis servire, aut enim unũ odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet* *Matth.* 6. v. 24. Ita *Paulus Athenis* templum idololatricum ingrediebatur, sed non approbabat idololatriam, verùm occasionem inde petebat idololatras rectiùs informandi *Act.* 17. v. 22, 23.

Oportet autem illum, qui hæreticorum sacris tantùm videndi causâ interesse vult sine periculo conscientiæ, antè omnia quàm certissimum esse, quòd, quæ ibi videt auditque, à vero Dei cultu sint aliena, e. g. quòd Judæi suis in synagogis cultum habeant, partim abrogatum, ut est circumcisio, partim nuspiam præceptum, ut est ostensio legis, quam Thora vocant, & immanis ille clamor, quo partim verba quædam Mosis absque sensu & spiritu, partim preculas suas effundunt; quòd in Papistica Missâ nullum sit sacrificium, quòd particula panis, quem populo ostendunt, non sit ipsum Christi corpus, quod sanguis non concomitetur corpus, ut ipsi loquuntur, quòd totus ille cultus, cum processionibus omnibus sit humanum inventum, quo Deus frustra colitur.

Qui de his omnibus in corde suo persuasissimus est, deplorabit hominum cæcitatem in tantâ luce Evangelii, & precibus suis pro miserè seductis intercedet apud Deum, ne imputet eis hoc peccatum, sed potiùs ad agnitionem veritatis adducat. Ita & ipse aliquo cum fructu sacris illis interesse potest.

*Casus secundus.* 2. Deinde sacris hæreticorum interesse licet *officij politici causâ*: ut si quis fortè principem aut dominum Pontificium comitatur ad missam & processiones Papisticas, facere hoc ei licet, modò non idololatriam fieri ullâ ratione approbet, aut in ejus gratiam quidquam in religione suâ dissimulet, aut in superstitione Papisticâ simulet, non coram idolo Papistico in genua procumbat, non pectus tundat, non sanctos invocet, sacrificulis non offerat, non alia ratione devotionem aut aliquam collusionem præ se ferat: sed tantum ut spectator adstet, respiciens non sacra ista, sed dominum suum, cui politicum illud servitium comitatus debebat.

Hoc pacto *Naaman Syrus ab Elisæo* impetravit, ut liceret sibi comitari regem suum ad templum *Rimmon*, in quo Rex quidem adorabat idolum suum, *Naaman* vero non item, sed tantùm regi suo officium ducendi præstabat 2. *Reg.* 5, 18.

*Duplex cautio in hoc secũdo casu adhibenda.* Sed & hoc in genere, duplici cautione opus est: 1. ut hoc officium etiam politicum fiat sine scandalo infirmorum, nam si illa ministri evangelici conversatio in templo papistico offenderet infirmos opinantes forsan, illum de religione evangelicâ dubitare, & idololatriam Papisticam approbare, abstinendum potiùs esset à talibus servitiis: nam

Digitized by Google

nam & res per se licitæ intermitti debent, si sine scandalo usurpari nequeunt, sicut *Paulus* de esu carnium scribit: *si esca scandalizat fratrem, non mäducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* 1. *Cor*. 8, 13. In hoc ergò casu aut informandi priùs sunt infirmi, & vera eis causa hujus conversationis indicanda, aut à Pontificio domino venia petenda est, ut tali genere servitii, quo offenditur infirmus frater, nobis parcat.

2. Fieri potest, ut tentandi gratia servitia talia ab evangelicis ministris exigantur, an nimirùm cum magistratu in religione colludere velimus, vel ut præsentia ista cultus impius approbetur & stabiliatur, tunc interesse sacris prophanis non licet.

Nam cùm libertas nostra tentatur, & consensus noster contra voluntatem subdolè extorquetur, minimè cedendum est hostibus veritatis, exemplo *Pauli Gal*. 2. *&* 5.

*Comitia Augustana 1530.* Ita Electores & principes protestantes in magnis illis Comitiis Augustanis An. 1530. noluerunt comitari Cæsarem Carolum V. ad missam & processiones in festo corporis Christi, quia animadvertebant, instinctu monachorum data opera hoc ministerium ab ipsis postulari, non ut duntaxat Cæsari politicum quoddam officium præstarent, sed ut præsentia sua Papisticas illas abominationes stabilirent: quod ipsis integrum non erat, cùm bonam partem hanc ob causam comitia illa indicta essent, ut protestantium confessio Pontificiis abominationibus opposita audiretur, cui isto actu periculoso officere nolebant. Vide *D. Cœlest. in histor. August. an. Comitiorum part. 1. fo. 82.*

## CASUS VII.

### *An urgente necessitate sacris hæreticorum uti licet?*

*De verbo & sacramentis in casu necessitatis ab hæreticis usurpãdis.*

RESP. Per sacra intelligimus hîc verbum & sacramenta: quæ cùm in ecclesia vera absque impedimento habere possumus, nemo tàm temerarius esse debet, ut apud hæreticos ea quærat. Si tamen fiat, ut quis inter ipsos vivat, & vel officii ratione, vel ob aliam urgentem necessitatem, ab iis prorsus exire non possit, ibi quid facto opus sit, dispiciendum est.

Quod ergò verbum attinet, quia ab hæreticis corruptum est, rectè faciunt, qui hoc sciunt, si ab auditu illius prorsus abstineant, quia verbum glossis humanis corruptum non est verbum Dei, sed traditio hominum: sicut *Pharisæi* verbum Dei quidem habuerunt, legebant enim Mosen & Prophetas in synagogis suis *Actor*. 15. *v*. 21. & tamen cùm vitiosis suis interpretationibus scripturam hanc depravarent, dixit de eis Christus; quòd transgrediantur mandatum Dei propter traditionem suam *Matth*. 15, 3. *De auditu verbi apud hæreticos.* *Verbũ Dei glossis humanis corruptum nõ est verbum Dei.*

*Limitatio.* Si quis verò in fide verâ adeò confirmatus sit, ut absque periculo seductionis esse possit, audiat sanè, ut lucem cum tenebris conferre, & verum à falso discernere discat: præstat enim interdum, ut ad hæreticorum castra nos conferamus, non ut transfugæ, sed ut exploratores.

*De usurpatione sacramentorum apud hæreticos. Baptismus nō est accipiendus ab iis, qui ejus substãtiam convellũt, ut Ariani faciunt.* Sacramenta sunt in duplici differentia; unum est *initiationis*, alterum *confirmationis*. Sacramentum initiationis, est baptismus, qui ab iis nec petendus, nec accipiendus est, qui substantiam ejus convellunt, quod faciunt Ariani, negantes tres personas in una essentia divina, cum tamen Christus baptisare jubeat in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Ipsi verò baptisant in vero Deo, in Jesu Christo salvatore & creaturâ, & in Spiritu S. utriusque servo, ut *Hieronymus testatur contra Luciferianos & Athanas. orat. 3. cont. Arianos.*

Quòd si maximè usitata verba institutionis retinent; non tamen sonus verborum attendendus esset, cùm nullam illis tribuamus vim magicam, sed verus ille sensus, quem Christus in institutione baptismi intendit. In cœtibus ergò Arianorum, convellentibus articulum de Trinitate, non est verus baptismus, ideò pro non baptisatis habendi sunt, qui apud illos baptismum acceperunt.

*Qui apud Arianos baptisati sunt, pro nō baptisatis habendi & rebaptisãdi sunt.* Unde *Damascenus* scripsit *lib. 4. orth fid. cap. 5 quicunq; non in sacrosanctam Trinitatē baptisati sunt, illos oportet rebaptisari*: eamque ob causam *Paulianistæ* olim rebaptisabãtur, quia in cœtibus *Samosatenianorum* negantium articulum de Trinitate, baptisati erant, quâ de re Canon extat in *Concilio Niceno*, in ordine *decimus nonus*, & in *Concilio Arelatensi* in ordine octavus.

*Pauli anistæ rebaptisantur.*

Si verò in ecclesia aliqua orthodoxa lateat minister Arianus, is, non obstante sua hæresi, rectè baptisare potest, nec ab ejus ministerio hoc in genere abhorrendum est, quia sacramenta non dependent ab intentione ministri, neque baptismus est donum ministri, sed ecclesiæ, quæ si rectè sentit de articulis fidei, suasque preces super baptisandum conjungit, de vero baptismo dubitare non debet, præsertim cùm principaliter hîc non minister, sed Christus baptiset. [*Hinc maxima Theologica: Sacramenta sunt bona totii Ecclesiæ communia.*]

*Qui apud Pontificios baptisati sunt, non sunt rebaptisandi.* In cœtibus Pontificiorum verus adhuc est baptismus, ex singulari Dei providentia, ne sub densissimis illis tenebris papatus omnes perirent, sed ad minimum infantes mox post baptismum hinc discedentes, salvarentur. Etiamsi enim quædam humanitùs inventa baptismo affingant, ut chrisma & exorcismos suos superstitiosos, secundùm illud:

*Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismale, saliva,*
*Flatus, virtutem baptismatis ista figurant.*

Iis tamen aqua baptismi non polluitur

lauitur, quia in se munda est, ut creatura Dei, & divinitus ad hoc ordinata, ut mundet eos, qui in Baptismo illa lavantur, *Eph.* 5, 26 unde *lavacrum regenerationis ac renovationis in Spiritu S. appellatur, Tit.* 3, 5.

[*De his vide Bellarm. tom. 2. cont. 2 l. 1. c. 25, 26, 27. Rational. divin. l. 6. sub. sabb. Pasch. num.* 5.]

*Quid de eo baptismo sentiendũ, qui administraretur in nomine Patris, Filii, Spiritus S. & B. Mariæ?*

Dum ergò substantia baptismi in Papatu retinetur integra, hoc est, baptisant in nomine trium personarum Trinitatis, de baptismo eorum, qui in Papatu baptisati sunt, quin verus sit, dubitare non licet. Sed si verbis institutionis aliquid adderetur, quemadmodum disputant aliqui, baptismum non corrumpi, si administretur etiam in nomine B. Mariæ, ut docet *Fabius Incarnatus Theologus Neapolitanus, in scrutinio sacerdotali tractat.* 2. *pag.* 18. talis sanè baptismus pro legitimo habendus non est.

*Baptisati à Calvinianis etiam verum acceperunt baptismũ.*

In cœtibus Calvinianorum multi quidem errores foventur circa secundam personam Trinitatis, circa omnipotentiam Dei, circa operationes Spirit S. in ipsa quoque actione baptismi exorcismus nostris ecclesiis usitatus omittitur: baptismum tamen habent verum, quia substantialia relinquuntur integra, & quòd tres sint personæ in Deo, in quarum nomine sit baptisandum, apud ipsos creditur.

Hic ergò locum habet illud *Augustini de ecclesiast. dogmat. cap.* 52. *baptisma unum est, sed in ecclesia, ubi fides una est, ubi scilicet in nomine Dei, Patris, Filii, & Spiritus sancti administratur.*

Qui ergò in cœtibus istis, qui pura ecclesia non sunt, baptismum, juxta institutionem Christi acceperunt, verè baptizati sunt, quemadmodum olim verè circumcisi, qui in ecclesia Pharisæorum, ubi plures gravissimi errores doctrinæ cœlesti repugnantes, retinebantur, circumcisionem acceperunt. *Vide infra cap.* 11. *cas.* 5.

*An quis Pontificiis, Calvinianis aut similibus hæreticis, inter quos vivit, infantem suum baptisandum offerre debeat? Negatur.*

Alia verò quæstio est, *an quis à Pontificiis, Calvinianis & similibus hæreticis, inter quos fortè vivit, baptismum petere, aut infantem suum illis baptisandum offerre debeat?* & hic simplex est responsio: si quis certus est in conscientia, quòd cœtus illi vera ecclesia non sunt, à quibus etiam sua confessione se jam antè separavit, is baptismum illa in ecclesia salva conscientia petere non potest: sed in vicinia potius ab orthodoxis ecclesiæ ministris eum petere debet.

*1. Ratio ab Apostolico præcepto.*

Primùm enim habemus præceptum Apostolicum, *ne trahamus jugum cum infidelibus* 2. *Cor.* 6, 14. *sed fugiamus potiùs idolorum culturam* 1. *Corinth.* 20, 14. Qui ergò scientes & volentes idololatrico cultui Papistarum, & erroneis sacris Calvinianorum se immiscent, licet ea in animo suo non approbent, eo ipso tamen exercitio publico peregrini cultus jugum cum infidelibus trahunt. Necesse enim est, ut qui

veritatem agnovit, omne mendacium, errores omnes fugiat.

*2. A primitiva ecclesia exemplo*

Deinde habemus exemplum ecclesiæ primitivæ, ubi Christiani cum Judæis in publico religionis exercitio nihil commune habebant, licet in multis religionis capitibus consentirent: quilibet tamen suam religionem in suo cœtu exercebat, ne mixturam religionis facere viderentur quàm Deus in lege prohibuit *Deut.* 22, 9. *Lev.* 19, 19.

*3. Ab hæreticorum præpostero triumpho.*

Tertiò non sunt confirmandi hæretici in suis erroribus: quòd fieret à nobis, si ipsorum sacris uteremur: hac enim ratione spem sibi facerent, fore, ut progressu temporis, in reliquis etiam nos ipsis conjungeremus: quin & traducerent nos, quasi eo ipso testaremur, nos absque causa ab ipsis discessisse, siquidem ipso facto sacra ipsorum approbaremus.

*4. A præsentissimo periculo.*

Quartò multarum blasphemiarum & abominationum, quibus hæresis ipsorum referta est, participes nos redderemus, quod summopere cavendum est, ideò exire jubemur ab ipsis, ne participes fiamus delictorum, & *de plagis ipsorum accipiamus Apoc.* 18, 4. exitus si non corpore semper fieri potest, fiat saltem animo, quo nos à sacris ipsorum separamus.

*5. Ab insequenti infirmorum scandalo*

Quintò scandalum præberetur infirmis, quasi in fide nostra non satis confirmati essemus, ipsique malefecissent, quod adversariis tamdiu & constanter contradixerunt. Cur enim ad sacra eorum accedimus, quorum religionem falsam esse scimus? *Væ autem, per quem veniunt scandala Matth.* 18.

*6. A Sacramentorum proprio. Sacramenta sunt nota ecclesiæ & confessionis.*

Sextò, sacramenta etiam sunt notæ ecclesiæ & confessionis: qui ergò scit ecclesiam Pontificiam aut Calvinianam non esse veram ecclesiam, is quoque à sacramentis illius ecclesiæ abstineat necesse est, aliàs tacitè ejus ecclesiæ fidem approbabit. Quin & usurpatio Sacramentorum species confessionis est, si ergò seriò abhorremus à doctrina alicujus cœtus, à sacramentis quoque illius abstinere debemus, ne in hypocrisin incidamus, quâ peste nihil est periculosius in negotio religionis.

Qualis enim ea est fides & religio, cujus contrarium ipso opere testamur? Idcircò Deus in suo cultu totum hominem requirit *Deuter.* 6. *Matth.* 22.

Neque verò periculum hoc hypocriseos avertere potest protestatio addita, quòd hac actione externâ religionem adversæ partis approbare non velimus: talis enim protestatio est contraria facto, quo Pontificios & similes in erroribus suis juvamus, confirmamus, & quod rectè faciant, tacitè approbamus.

*7. à piorũ testimonio, facto, confessione.*

Accedit denique exemplum piorum in primitiva ecclesia, qui cum pseudodoctoribus nullum habere voluerunt commercium. *Joh. Apostolus Cerintho* hæretico ne quidem assidere voluit, referente *Irenæo lib.* 3. *cap.* 3. *Polycarpus* Johannis discipulus hæretico *Marcioni* ne quidem ave dicere voluit: quare *Marcion commotus*

*motus an non nosti me? dixit: cui respondit Polycarpus: novi te primogenitum Satanæ.* Ita præcepit olim *Cyprianus lib. 1. epist. 4. plebs fidelis,* inquit, *& morigera, à peccatore proposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere.* Cùm pulso in exilium *Chrysostomo, Arsacius* succederet; in ecclesia Constantinopolitana nemo fidelium vel alloquio vel auscultatione dignatus eum fuit, dicente *Theodoreto, lib. 5. cap. 34. Sozomeno lib. 8. c. 23. Nicephoro lib. 3. c. 22.* imò multi, in exilium abire, quàm sacra istius mercenarii visere maluerunt. *De Lucio* Ariano dixit quidam: *absit, ut manus tua me consecret,* apud *Socratem lib. 4. c. 36.* Usque adeò abhorruerunt pii ab hæreticorum sacris, dum purius ministerium alibi adhuc habere potuerunt.

*Quid si verò Magistratus cogeret, quid tum faciendum.*

His de causis abstinendum est à sacris eorum, quorum religionem impiam & verbo Dei contrariam esse certi sumus: & si magistratus ad hæc sacra nos cogere auderet, non parendum esset, quia contra conscientiam est, cui nullus hominum imperare potest. *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus Act. 5. v. 29.* Et hæ rationes militant in Sacramento baptismi, etiam, cùm ministerium sincerum in vicinia adhuc reperitur: quid verò faciendum sit in defectu ministerii corrupti, infra dicetur casu 5. cap. 11.

*Omnes hæ rationes fortiores sunt robo-* *ris in sacramento eucharistiæ.*

Multò autem magis attendendæ sunt hæ rationes in sacramento eucharistiæ, quod tantæ necessitatis non est, ac baptismus. Ea igitur neque à Pontificiis neque à Calvinianis sumenda est: hi enim non habent veram eucharistiam, quia substantiam hujus sacramenti corrumpunt. Pontificii quidem panem & vinum, Calviniani verò corpus & sanguinem Domini auferendo: quin & in papatu ex sacramento hoc fit sacrificium, & altera pars substantialis, calix nimirum dominicus, laicis planè denegatur, id quod cum substantia sacramenti, prout à Christo institutum est, non congruit.

Satiùs ergò est abstinere ab usu eucharistiæ inter Pontificios & Calvinianos, quam contra institutionem Christi eam usurpare: hîc enim locum habet illud *Augustini: crede & manducasti,* & uti dixi, sacramenti usurpatio est nota confessionis & doctrinæ, qui ergò doctrinam illius ecclesiæ, in quâ sacramento uti vult, pro verâ non agnoscit, is sacramento quoque salvâ conscientia in illa ecclesia uti non potest.

## CASUS IIX.

### *An inter hostes veritatis, conservandæ religionis veræ causa privato ministerio uti licet?*

*De privato verbi ministro inter hostes veritatis alendo & usurpando.*

*Quid intelligatur per privatum ministerium?*

RESP. Privatum ministerium voco cùm paterfamilias in suis ædibus pro se & domesticis suis utitur

 pastore

paſtore ad hoc à ſe vocato, ut ſibi ſuiſque in cura religionis inſerviat, ſicuti ſæpè fit, ut qui inter Pontificios habitant, ſuos in privata domo habeant conventus, & paſtorem ad hoc ab ipſis vocatum, ut verbum Dei purè doceat, & ſacramenta legitimè adminiſtret, conjuges copulet & ſimilia munera eccleſiæ exerceat.

*Quæſtio de ciditur per quatuor theorema ta.* De hujuſmodi privato miniſterio quatuor ſupponendæ ſunt hypotheſes: 1. *Cùm publicum miniſterium etiam iis in locis ubi dominantur hoſtes veritatis, adhuc eſt incorruptũ, ita, ut quilibet eo abſque periculo uti poſſit, concedendum non eſt, ut quilibet ſua privata habeant conventicula*: nã vocare miniſtros verbi eſt totius eccleſiæ, cujus ordo & conſtitutio privatâ illâ ſingularitate non eſt convellendus: neque *deſerenda eſt congregatio publica Hebr.* 20,25. quæ propterea inſtituitur, ut preces & ſacra conjungantur, & pij numero uno ſerviant Deo; & nota ſunt ſuſpiria Davidis ſacris eccleſiæ publicis intereſſe cupientis *Pſal.* 42. *v.* 1. *ſeqq.* contra verò malè ceſſit *Michæ*, qui tempore *Iudicum*, cùm eo in loco, quem Dominus elegerat, publicum extaret miniſterium, privata ſacra ſuis in ædibus inſtitueret, peculiari ad hanc rem vocato Levitâ, *Iud.* 17.

*Primum theorema.*

*Secundum theorema.* 2. Cùm *miniſterium quidem eo in loco, ubi nos habitamus, corruptum eſt, & tamen in vicinia abſq; periculo puriores miniſtros habere poſſumus*, qui verbum purè doceant, infantes noſtros baptiſent, ſacram cœnam juxta inſtitutionem Chriſti porrigant, conjuges copulent, ægrotos viſitent &c. *tunc eorum opera utendum eſt*, neque enim ibi ulla eſt neceſſitas, quæ nobis miniſterium privatum imperet.

3. Cùm *vicino miniſterio ſine periculo vicini paſtoris uti non licet, ab eo abſtinendum eſt*: Caritas enim ſuadet, ne proximo periculum aliquod creemus, quod evitare poſſumus. *Tertium theorema.*

4. *Etſi paterfamilias privatim legere poteſt Biblia*, & ex iis, pro viribus, familiam ſuam erudire: *privatim tamen baptiſare ſuos*, abſolvere à peccatis, cœnam ſacram porrigere, *& ſimiles miniſterij actus exercere non poteſt*, quia hæc omnia fierent abſque vocatione, & non ſine ſcandalo & cum periculo ſchiſmatum. Quâ de re vide peculiare conſilium *Lutheri Tom.* 6. *Ien. germ. fol.* 275. *Quartum theorema.*

In hoc ergò extremæ neceſſitatis gradu, cùm publicum miniſterium nullo modo haberi poteſt, nec quilibet abſque vocatione actus miniſterii ad ſe rapere debet; licitum omninò eſt in conſcientia privatos inſtituere conventus, vocare paſtorem privatum, ejuſque miniſterio uti: & qui ita vocatus eſt, legitimo fungitur munere eccleſiæ & ſub protectione Dei officium ſuum intrepidè facere poteſt.

Nam Chriſtiani ſine periculo ſalutis æternæ miniſterio verbi carere non poſſunt: quomodo *enim credent, ſi non audiunt, quomodo audient*

Digitized by Google

*dient absq; prædicante? Roman.* 10,14. Neque carere possunt sacramentorum usu, præsertim baptismi, qui quanquam ab hæreticis quoque substantiam hujus sacramenti non convellentibus administratus, verus sit ac legitimus, ut antea docuimus: non tamen facilè ab hæreticis petendus est, si orthodoxus ecclesiæ minister haberi potest, ne sacra à quibus abhorret mens pia, non sine scandalo infirmorum, approbare videamur.

Et quanquam sacramentum cœnæ tam necessarium non sit ad salutem, ac baptismus; si qui tamen magno hujus sacramenti desiderio teneantur, & ex rationibus antea adductis, certi sint, quòd ab iis, qui substantiam hujus sacramenti convellunt, illud petere non possint, necesse sanè est, ut sibi privato ministerio consulant.

In hac sententia mirificè confirmat nos *Pauli* sententia, qui ad *Corinthios scribit*: *omnia vestra sunt* 1. *Cor.* 3. *v.* 21. si ergò omnia sunt ecclesiæ, utique & constitutio ministerii pertinet ad ecclesiam. Jam verò negari non potest, quin illi sub tyrannide magistratus à religione verâ alieni pressi fideles, sint ecclesia, cur ergò ipsis prohibita sit cura ministerii, si non publicè, privatim tamen inter se instituendi, in suam suorumque salutem?

*Quid si verò à Pontificio Magistratu publicum ministerium interdicatur? Pacificatio Passaviensis.*

Quòd si à Pontificio magistratu publicum ministerium ipsis interdicitur, habent illi pro se pactum *Passaviense Anno* 1555. *in Comitiis* publicatum, cujus vi tenebuntur *Augustanæ confessionis* socios non tantùm inter se tolerare, sed & exercitium religionis suæ permittere. Nam mens Imperatoris & statuum Imperii fuit, non tantùm, ut sese invicem, sed etiam quilibet suos subditos in causa religionis Christianæ tolerarent, & sine ulla molestia pacatè vivere sinerent, donec religionis controversiæ per Christianam transactionem sublatæ essent: & in *eodem* etiam *pacto* jurisdictio ecclesiastica omnimodè adversus Evangelicos suspensa est §. damit auff obberührte &c.

Cùm ergo magistratus id, ad quod vi hujus pacti tenetur, impedit, subditi omninò jus suum urgere & exercere possunt, sine ulla specie rebellionis; præsertim, cùm in re salutis Deo magis sit obediendum, quàm hominibus.

Accedit, quòd nemo piorum negare potest, eos, qui inter Turcas aut barbaros habitant, cùm magistratus barbarus non promovet publicum verbi divini ministerium, posse privatum instituere, ne impediatur cura salutis. Ergò & hoc illis licet, qui inter pontificios aut similes veritatis evangelicæ hostes habitant, & per magistratum in publico religionis suæ exercitio impediuntur. Nisi enim in tali casu privatim animæ nostræ consulere liceret, sequeretur, fidem & salutem nostram ab arbitrio magistratus pendere, quod oppidò absurdum est. Non hic agitur de corporis

poris aut fortunæ bonis, quæ etiam magistratus infidelis imperio subjecta sunt, sed de salute animarum, & rebus conscientiæ, in quas non nisi Deus in cœlis dominium habet.

Præterea non desunt exempla eorum, qui in casu necessitatis inter infideles privata sua sacra habuerunt, ut *Abraham*, qui eo tempore, quo inter Philistæos vixit, sine dubio non intermisit religionis suæ exercitium, concionando & circumcidendo domesticos, *Gen.* 12. *v.* 20. *Paulus* quoq; cum *Dionysio*, *Damari*, & paucis aliis à se conversis, purum Dei cultum sine dubio privatim excoluit, non obstante, quòd publicè & Ethnici & Judæi alium exercerent cultum *Act.* 17, 34. quibus exemplis animum nostrum in simili casu non parùm confirmare possumus.

*Duæ objectiones. Prima proponitur.* Sed hic duo obstare videntur, 1. quòd ex privato ministerii exercitio sectæ & schismata oriri videantur, dum pauci quidam à toto cœtu sese abjungunt, & sua peculiaria pietatis exercitia habent.

*Solvitur.* Verùm nulla sunt schismata, cùm sit secessus ab ecclesia malignantium, sed legitima potius & divinitùs præcepta est segregatio ab impiis & infidelibus. Neque fit separatio ab ecclesia; nam illi ipsi, qui privato ministerio in casu necessitatis utuntur, sunt ecclesia particularis illius loci, in fide cum ecclesia universali & verè catholica in toto orbe dispersa, conjuncta.

Neque quemvis promiscuè vocant doctorem, sed qui ab aliis orthodoxis ecclesiis approbatus fuerit, & de cujus doctrina & vita nullum est dubium.

Quòd si maximè schisma aut scandalum inde oriretur: non tamen id tribuendum esset privato ministerio, sed hominum perversæ opinioni. Quemadmodum enim non sunt facienda mala, ut eveniat bonum: ita quoque bonum ob aliquod malum, quod metuitur, non est intermittendum. Etiam ex publico ministerio Corinthiorum oriebantur schismata ob perversa hominum judicia, quæ *D. Paulus* castigat *in priore ad Cor.* nec tamen propterea illud intermittitur, cur ergò hoc hominum vitium ministerio privato noceret?

*Secunda proponitur.* 2. Dicunt aliqui, orthodoxos, ne se periculo offensi magistratus exponant, ministerio potiùs adversariorum uti debere, quemadmodum *David* olim in casu necessitatis panibus propositionis vescebatur, quibus aliàs solis sacerdotibus vesci licebat 1. *Sam.* 21. Quo pacto multi præceptum Dei de fugienda idololatria dispensationem admittere putant, qui propterea, ne magistratum offendant, sub cujus jurisdictione vivunt, missæ & aliis abominationibus Papisticis se interesse posse arbitrantur, modò in corde suo illis contradicant.

*Solvitur.* Sed miserè decipiuntur: Nam in *legibus ceremonialibus* quidem, qualis erat illa de panibus propositionis, locum habet dispensatio, quoad

certos

Digitized by Google

certos caſus: ſed *lex moralis* diſpenſationem nunquam admittit, eſt enim immota & perpetua regula voluntatis in Deo. Ad legem autem moralem pertinet etiam fuga idololatriæ, & abominationum omnium, quas, qui in corde ſuo agnovit, ab iis etiam externa converſatione abſtinere debet: aliâs cultus ejus degenerabit in hypocriſin, quæ Deo eſt adverſa, qui non tantùm fidem cordis, ſed & confeſſionem oris à fidelibus requirit.

Nullum autem periculum majus eſſe poteſt, quàm facere contra præcepta Dei moralia, quod ut evitetur, periculum corporale & externum, quod ab hominibus imminet, curandum non eſt: poteſt enim Deus eos, qui ipſi ex animo adhærent, facilè è manibus hoſtium liberare. Ideò vult *Chriſtus, nos non metuere eos, qui corpus occidere poſſunt, ſed Deum potius, qui corpus & animam perdere poteſt in gehennam, Luc. 12. verſ. 5.*

## CASUS IX.

*De converſatione orthodoxi, ejusdemque habitatione inter hoſtes ſuæ religionis.*

*Num quis ſinceræ religioni addictus bona cum conſcientia inter hoſtes illius religionis vivere, habitare, & vocatione ſua, quam habuit à Deo, fungi poteſt?*

RESp. Sunt qui ſimpliciter negant, eò quòd in *ſecunda epiſtola Iohannis v. 10.* ſcribitur: *ſi quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis.* *Opinio ſimpliciter negantiū*

Sed Johannes loquitur de ſeductoribus & hæreticis, qui ad nos veniunt, & falſam doctrinam afferunt, quam clam vel palam diſſeminant, quibus nemo hoſpitium præbere, nemo eos fovere, & vel verbo vel opere de peccatis ipſorum participare debet, *nam qui aliud evangelium affert, ſi vel angelus de cœlo eſſet, anathema ſit Gal. 1. verſ. 8.* *Reſp.*

Hic verò quæritur: *an ſinceræ religioni addictis inter hoſtes illius, puta Pontificios, Calvinianos, Arianos, quin & inter Turcas & Iudæos, habitare, iisque vel famulitio, vel negotiatione, vel aliâ quadam parte vocationis ſuæ inſervire liceat?* *Status controverſiæ formatur.*

Ubi ante omnia neceſſe eſt, ut quilibet excutiat conſcientiam ſuam, & conſideret circumſtantias locorum & hominum, quibuscum ſibi converſandum eſt. Si ab illis prorſus abhorret, ſatius eſt, etiam cum diſpendio rerum ſuarum mutare locum, quàm dubitante conſcientiâ inter ipſos habitare: *nihil enim faciendum eſt, in quocunque rerum genere, dubitante conſcientia,* ut colligitur ex *Roman. 14. v 23* Sed cùm multi ſibi faciant ſcrupulum in conſcientia, ubi opus minimè

erat, is ut deponatur, & conscientiæ consulatur, informatio aliqua in hac quæstione requiritur.

*Explicatio & decisio quæstionis Quivis Christian° duplicem vivit vitã: 1. Vitã politici seu spiritualem.*

Sciendum itaq; est, unumquemvis Christianum veluti geminam vivere vitam, in hoc mundo: primùm *vitam spiritualem*, juxta quam Christiani sunt, & consistit in fide, doctrinâ & confessione, in auditu verbi, in usu sacramentorum, & similibus cultus divini partibus. Quoad hanc vitam necessaria est separatio fidelium ab infidelibus, orthodoxorum ab hæreticis: *nulla* enim *est participatio justitiæ cum injustitia*: igitur *nolite trahere jugum cum infidelibus* 2. *Cor.* 6. & *fugite idololatriam* 1. *Cor.* 10. *v.* 14. *exite, ne participes fiatis delictorum, & de plagis eorum accipiatis, Apoc.* 18. *v.* 4. Deinde vitam *politicam*, juxta quam homines sunt, qui negotiantur, dominantur, ministrant, edunt, bibunt, & similia faciunt, quæ ad humanam conversationem spectant.

*2 Vitã soli, fori seu civilem.*

Quoad hanc vitam, non possunt semper à conversatione cum hostibus veritatis abstinere, aliàs *è mundo ipsis egrediendum esset* 1. *Cor.* 5. *v.* 10. civilis enim cohabitatio non est unius saltem populi, sed omnium hominum dispersa per mundum, è quo Deus sibi colligit ecclesiam, in quâ rectè agnoscitur & colitur, cujus membra non in uno certo loco aut populo reperiuntur, sed per unitatem fidei colliguntur.

Dominatur enim Christus in regno suo à mari ad mare, etiam in medio inimicorum. Neque fert conditio omnium aut vitæ genus, ut semper inter fidei socios vivant, sed multi ratione suæ vocationis inter hostes fidei habitare coguntur, ut mercatores, milites, studiosi & similes, etiam ii, qui bonorum paternorum gratiâ domicilium mutare non possunt.

His omnibus politica cum hostibus veritatis conversatio non est prohibita, idcircò *D. Paulus* conjuges disparis religionis non separat, sed cohabitare jubet, quia *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelē* 1. *Corinth.* 7 *vers.* 13. & multi serviunt dominis à fide verâ alienis, qui propterea stationem suam relinquere non debent, sed in vocatione, in quâ vocati sunt, manere 1. *Cor.* 7. *v.* 20. Ita *Iacob* ut servus vivebat in domo *Labani* idololatræ totos viginti annos *Gen.* 31. *v.* 38. *Ioseph* in domo *Potipharis Ægyptii Gen.* 39. *v.* 4. ancilla Israelitica in domo *Naamani* Syri 2. *Reg.* 5. *v.* 2. *Daniel* & socii in aula regis *Assyriaci Daniel.* 14. *Christus* ipse inter *Capernaitas* domicilium suum habuit *Matth.* 9. *v.* 1. *Marc.* 2. *v.* 1. cum Pharisæis etiam cibum sumsit. Quæ rationes & exempla, quid hoc in genere liceat, facilè ostendunt.

Sed quia verissimum est, quod *Siracides* ait *cap.* 13. *vers.* 1. qui *picem attigerit, commaculabitur ab ea*; & *claudus claudo cohabitans claudicare discet*: idcircò cautionibus quibusdam opus est, si habitantes inter illos conscientiam mundam retinere volunt.

*Cautiones quædã hoc in casu observandæ.*

1. *Nemo*

*Prima.* 1. *Nemo inter hostes veritatis habitare desideret, si mutare possit, præsertim si fuerit simplex & in fide orthodoxâ nondum satis confirmatus.* Nam cereus est hominis animus, qui facilè flectitur, & plerumque faciliùs in deteriorem partem. Ideò qui inter puræ religionis homines vivere potest, magis hanc vitam eligat, eoque nomine sibi gratuletur: nota enim est querela *Davidis* in exilio: *heu mihi, quod incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar Psal.* 120. *v.* 5.

*Secunda.* 2. Si quis, rebus ita aliter non ferentibus, inter hostes veritatis habitare cogitur, *non affectet nimium ipsorum familiaritatem aut amicitiam*, sed quanquam cum illis edere etiam & negotiari liceat, non tamen faciat hoc, nisi quantum necessitas, & humanitas in vita communi postulat: nam & Christus ad Pharisæorum convivia accedebat, sed non nisi rogatus.

*Tertia.* 3. *Imprimis cavendum est, ne quoquo modo in religione cum hostibus colludamus*, nec dictis, nec factis ipsorum errores approbemus, sed contradicamus potiùs, si opus fuerit: quòd si impunè non licet, & collusio aliqua quæritur, exeamus potiùs ab iis etiam corpore, quàm ut in improbam istam hypocrisin consentiamus. Ita enim Christus etiam inter prandendum, & doctrinam & mores Pharisæorum reprehendit *Luc.* 14. & cuilibet Christianorum competit semper *paratum esse ad reddendam rationem spei, quæ in ipso est, cuilibet petenti,* 1. *Petr.* 3. *vers.* 15.

*Quarta.* 4. *Ad sacra ipsorum non est accedendum*, imprimis à sacramentis ipsorum abstinendum, quia sunt notæ religionis, à quâ nemo abhorret, quibus sacramentorum usus placet: in vicinia ergò, si fieri potest, sibi sacrorum usu consulat, aut privatis exercitiis pietatis contentus sit: quâ de re plura in præcedentibus.

*Quinta.* 5. *Matrimonia cum ipsis non sunt contrahenda*, nec opera ipsorum in sponsione baptismi petenda, tum propter multas causas alias, de quibus infra, suo loco; tum etiam propter vitandum scandalum & speciem collusionis.

*Sexta.* 6. *Nemo operam suam navet hæreticis ad propugnandam falsam religionem*, non sit amanuensis, non tabellarius aut notarius in causa religionis, contra confessores ejus, nec quoquo alio modo impietatem hostium promoveat, potiùs officio suo renunciet, & aliò se conferat, licet non sine dispendio rerum suarum, quàm ut persecutoribus veritatis se administrum præbeat.

Hac ratione igitur fit separatio & egressus ab hostibus veritatis *vel corpore*, quemadmodum *Abraham à Chaldæis, Loth à Sodomitis, Iacob à Labano, Moses ab Ægyptiis*, egrediebatur. quando videlicet absque periculo animæ non ampliùs inter ipsos vivere possumus: *vel animo*, cùm absque detrimento religionis veræ inter ipsos subsistimus, habitamus,

negotiamur, & vivimus, doctrinam tamen ipsorum nullo modo approbamus aut juvamus, promovemus, nec ipsis colludimus, sed potiùs ubi opus fuerit, dissensum nostrum aperimus: quâ ratione multi, de quibus suprà, inculpatè inter hostes vixerunt, quibus interdum etiam, Deo sic disponente, in rebus fidei utiliter inservierunt, ut inprimis *Ioseph in Ægypto, Daniel in Chaldæa* & alii. Deus enim adhuc lucem in tenebris splendescere jubet, multosque verbum vitæ continentes tanquam *luminaria in medio nationis pravæ conservat Philip. 2, 15.*

## CAPUT VII.
## *De Casibus Conscientiæ circa orationem.*

*Quid in proximè sequentibus capitibus agendum?*

SUpra dixi, externum DEI cultum in genere consideratum appellari religionem: & quinam circa eam incidere possint scrupuli, hactenus vidimus: jam specialia sequuntur, in quibus potissimùm religionis exercitium consistit. Huc pertinent virtutes secundi & tertii præcepti, ut oratio, votum, juramentum, auditus verbi divini, usus sacramentorum, confessio, jejunium &c.

*Quid hoc in capite proponendum?*

Quæ circa has religionis species occurrunt dubia considerandum est, ut & hoc in genere conscientia hominis tranquilla maneat. De oratione ut primario Dei cultu, hoc in capite seorsim agam.

### CASUS I.

*De oratione.*

Cum præcipua religionis pars sit oratio, ante omnia sollicita est mens pia:

*Quomodo debeat institui, ut sit Deo grata & oranti proficua.*

### *Quomodo preces suas instituere debeat, ut fiant Deo gratæ, & oranti salutares?*

*Tres conditiones orationis.*

REsp. Considerandæ hîc sunt conditiones orationis & orantis. Conditiones orationis tres sunt, 1. *ut sit debita*, h. e. ad solum Deum directa, à quò omne *datum optimum, & omne donum perfectum descendit Jacob.* 1. qui solus à nobis invocari voluit, solus preces & suspiria cordis exaudit, & opitulari novit: preces autem, quæ ad sanctos diriguntur, indebitæ sunt, de quibus in sequenti casu.

*1. ut sit debita.*

*2. ut sit necessaria.*

2. *Vt sit necessaria*: nam res curiosæ, temerariæ, inutiles aut etiam illicitæ à Deo non sunt petendæ, e. g. si quis successum consiliorum pessimorum, aut ex ambitione aliquid à Deo petat, quemadmodum mater filiorum Zebedæi, *Matth.* 20, 21. eminentiam filiorum suorum in regno Christi, quod terrenum esse putabat, petiit, sed repulsam tulit.

Necessitas autem illa est vel *spiritualis*, quæ includit res æternæ salutis, ut remissionem peccatorum, fidem, patientiam, perseverantiam, in bono, ipsamque vitam æter-

nam

Digitized by Google

nam: vel *corporalis*, quæ complectitur omnia ad hanc vitam necessaria, sive corporis, sive animi, sive fortunæ bona sint, & in oratione dominicâ communi nomine panis quotidiani comprehenduntur.

*3 Vt sit decora.*

3. *Vt sit decora*, quæ petat à Deo, quæ ipsi dare decorum sit, qualia sunt, quæ nominis sui gloriam, regnique sui incrementum concernunt: quæque non in multiloquio, aut in ornatu verborum & sententiarum consistit, in quibus plerumque quantum verbis accedit, tantùm spiritui decedit: sed sit brevis & devota, qualem orationem Christus commendavit, cùm nos in orando *non vult esse multiloquos*, ut Ethnicos *Matth.6.v.7.* & *Siracides*, cùm monet: *verba in precatione ne iteres Sir.7.v.15.* Repete versum:

*Vt tua pertingat, penetretq; oratio cœlos,*
*Corde sit ex puro, sit brevis atq; frequens.*

*Conditiones orantis.*

Conditiones orantis plures sunt,

*1. Oret in nomine Christi.*

1. *Oret in nomine Christi Ioh.16.v.23.* hoc est, in vera fide, & certa spe exauditionis, quam Christus promisit, *per quem fiduciam habemus & accessum ad patrem in confidentia Eph.3 v.12.*

[*Israelitæ adoraturi ad propitiatorium respicere jubebantur, sic Christiani ad Christum.*
*Christus orat PRO NOBIS, ut sacerdos noster.*
*Orat IN NOBIS, ut caput nostrũ.*
*Oratur A NOBIS, ut Deus noster.*
*Augustinus in Psal.85.*]

*2. Ex corde puro.*

2. *Oret ex corde puro*: *peccatores enim Deus non exaudit Ioh.9.vers.31.* Ideò *D. Paulus* vult *nos in precibus levare puras manus 1. Tim.2.v.8. & per hoc novimus, accepturos nos quod petimus, quando præcepta ejus custodimus, & quæ placent ei, facim⁹, 1. Ioh.3.v.22.*

*Quæ peccata impediant orationem.*

Etsi ergò non omnino à peccato omni inter orandum immunes esse possumus; cùm non sit homo *justus in terra, qui faciat bonũ & non peccet Eccl.7,21.* à singularibus tamen peccatis, quæ conscientiam vulnerant, alienos esse oportet orantes, quorum aliqua notavit scriptura, ex quibus de cæteris judicare possumus, ut violenta & crudelitas, de quâ *Esa.1,15.* dicit Dominus: *cum extenderitis manus vestras, avertã oculos meos & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*: immisericordia, de qua Salomon dicit *Prov.21,3. qui obturat aurẽ suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*, inveteratum odium, seu rancor animi adversus proximum, de quo Paulus *1.Tim.2.v.8. volo viros orare in omni loco levantes puras man⁹ sine irâ?* Et Christus *Matth.5,24. si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi mun⁹ tuum ad altare, & vade prius, reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*: Superbia, de qua Petrus *1.Pet.5,5. Deus superbis restit, humilibus autem dat gratiam*; Diffidentia, de qua Paulus, *cum vult nos orare absque disceptatione 1.Tim.2,8. & Ia-*



Digitized by Google

*cob.cap.1,6.postulet in fide, nihil hæsitans.* Ab his & similibus delictis orantem alienum esse oportet.

*3. Accedat benè præparatus ad preces.*

3. Oraturus ad preces benè præparatus accedat, nam in conspectum Dei venit, qui non admittit aliquid immundi, hinc David dicit *Ps.* 57, 8. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meũ, cantabo & Psalmum dicam.*

*Præparatio digna quatuor requirit.*

Præparatio hæc quatuor requirit: 1. Ut oraturus mentem omnibus carnalibus curis & cogitationibus exoneret, hoc enim est *effundere cor coram Domino, Psal.* 62. 9. 2. Ut cor reverentia Numinis plenum ad Deum elevet, quod *David fecit Psal.* 25, 1. *Ad te Domine, animam meam levavi.* 3. Ut secum expendat, & præmeditetur, quid Deo proponere velit, juxta *monitum Siracidæ cap.* 5, 1. *ne acceleres ore tuo, & animo tuo ne festines proferre aliquid coram Deo.* 4. Ut vitam suam, antequam oret, excutiat, & cum pœnitentia oret, sicut David *prius innocentia lavit manus suas, antequam circuiret altare Domini, Psal.* 26, 6.

*In multis labimur omnes.*

Nam cum in multis labamur omnes, nemoque delicta sua omnia intelligat, operæ pretium est ante omnia remissionem peccatorum petere, quâ impetratâ eò confidentius necessitates nostras in sinum Dei effundere possumus, quod consilium populo suo dedit Dominus, *Esa.* 1, 16.

Huc pertinet animus humilis *& cor contritum, quod Deus non despicit, Psal.* 51, 19. quo pacto Daniel & Esdras intercessuri pro populo suo omnium peccatorum remissionem petebant, *Dan.* 9, 5. 6. *Esdr.* 9. 6. *seqq.*

*4. Oret ferventer.*

4. Oret non frigidè, sed ferventer, præsertim in gravioribus periculis, quales Christi preces erant in horto, *Matth.* 26, 39. & aliàs regula Christianorum est, *ut sint spiritu ferventes, Rom.* 12, 11. Quem fervorem excitare posset temperantia in victu; idcircò veteres, ut ad preces præsertim publicas excitatiores essent, jejunia indixerunt, ut exemplo Israelitarum constat, *Judic.* 20, 26. & Davidis *Psal.* 35, 13.

*5. Instanter.*

5. Oret instanter, seu ut Paulus loquitur, *sine intermissione, Col.* 4, 2. 1. *Thess.* 5, 16. non enim statim ad nutum nostrum facit Deus, ideò urgendum & instandum est, ut vel hac ratione Deus ad miserendum commoveatur; id quod in parabolâ judicis & viduæ docuit Christus, *Luc.* 18. *v.* 1. *seqq.*

*6 Cum desiderio & appetitu.*

6. Oret cum desiderio & appetitu rerum petendarum, sicut Hanna in precibus suis dicit: *Effundo desiderium animi mei, coram Domino,* 1. *Sam.* 1, 15. Et qui ita orant, his etiam gemitus, absque sermone loco precum sunt, quod ex Mosis exemplo clarum est, *Exod.* 14. *v.* 15.

*7. Discretè oret.*

7. Oret res spirituales sine conditione, quia nunquam nobis nocent: corporales verò, cum conditione voluntatis divinæ, quia interdum obesse nobis possunt, ideò voluntati Dei committendæ sunt, qui, quid nobis prosit, omnium rectissimè novit: quo in genere exemplum Davidis, 2. *Sam.* 15, 25. leprosi *Matth.*

Digitized by Google

*Matth.* 8, 2. ipsius denique Christi, *Matth.* 26, 39. habemus.

His modis institutæ preces, piæ sunt & utiles, suoque fructu nunquam destituuntur.

## CASUS II.

*De invocatione sanctorum & defunctorum.*

## *Num præter Deum etiam Sancti defuncti sunt invocandi?*

RESP. Non hic simpliciter quæstio est de Sanctis: nam vivi pro se invicem intercedere possunt apud Deum, imò debent, juxta præscriptum Apostoli Jacobi: *Orate pro invicem, ut salvemini, Jac.* 5, 16. potest etiam unus ab altero hujusmodi intercessionem apud Deum petere, ut Paulus ab Ephesiis petiit, *Eph.* 6, 18. Nec de Sanctis illis, quos Papa in Catalogum sanctorum retulit, quorum vel incerta est beatitudo, ita, ut & in Papatu proverbium fuerit usitatum: multorum reliquias coli in terrâ, quorum animæ ardeant inferno.

*Status controversia formatur.*

[*Papa Gelasius historias nonnullorum sanctulorum, qui in Papatu coluntur, rejicit, ut fabulosas & ab hereticis scriptas, ut S. Quirini, S. Gregorij, S. Iudithæ: dist.* 15. *c.* 3.]

Vel tam certa fabulatio, ut dubium sit, an unquam in natura extiterint, quales sunt Christophorus, Longinus, Catharina, Georgius: quos invocare absurdum esse, vel ipsa ratio docet: nam Christus objecit Samaritanæ probri loco: *Vos adoratis, quod nescitis, Joh.* 4, 22. Sed quæstio est de Sanctis cœli incolis, de quibus constat, quòd jam æterna felicitate ante faciem Dei fruantur.

*Sancti defuncti.*

Hos defunctos appellamus, non quasi eos vivere negemus, quod olim Julianum fecisse constat *ex Cyrilli lib.* 6, *&* 10. *contra Iulianum*, quem errorem Luthero per calumniam imputat Bellarminus *lib.* 1. *de sanct. beatit. cap.* 1. sed quia animæ ipsorum quidem sunt in manu Dei, reverâ autem ipsi vitâ hac mortali defuncti, quemadmodum & corpora sanctorum κεκοιμημένων, qui jam olim obdormierunt, cum Christo surrexisse dicuntur *Matth.* 27, 52. nam etiam hac in vita sancti fuerunt per fidem in Christum donati spiritu Dei sanctificante, quæ appellatio sanctorum in scriptura frequens est, 1. *Cor.* 2. *v.* 1. 6. *v.* 11. *Act.* 9, 32. 13. 26, 10. 1. *Tim.* 5, 12. *Philem. v.* 7. *Rom.* 12, 13. 2. *Cor.* 9. 1, 12. *Apoc.* 14, 12. *&c.*

*Bellarminus refutatur.*

*Sancti honorandi sunt, non invocandi.*

Sanctos igitur defunctos & jam cœlorum incolas non omni honore spoliamus, sed eum ipsis tribuimus, qui salvâ pietate eis tribui, & ab ipsis admitti potest: quem Augustana confessio *art.* 21. ad duo capita restringit, videlicet, *ad ipsorum memoriam & imitationem.*

*Honor ille in duobus consistit.* 1 *Est memoria.*

Memoria fit, cùm virtutes & dona ipsorum proponuntur in ecclesia, prædicantur & commendantur, Deusque eo nomine celebratur, qui tantis viris ecclesiæ prospexit. Itâ Stephanus plerumq; Patriarcharum

charum *Act.*7. Paulus Abrahami *Rõ.* 4. Siracides plurimorum sanctorum c. 44. meminit. Nã *in memoria aeterna erit Iustus, Ps.*112, 7. & *Iusti memoria in laude & benedictione Prov.*10,7. & hoc modo Deus ipse *in sanctis suis laudari dicitur, Psal.* 150. v. 1. Quia ad autorem Deum dona sanctorum referuntur, de quo honoris genere *Cyrillus scripsit lib.*6. *in Iulianum : Sanctos neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus, laudamus tamen eos summis honoribus, quòd pro veritate strenuè certarunt, & fidei sinceritatem servarunt.*

*2. Imitatio.* Imitatio sanctorum praecipitur *Hebr.*13,7. *Mementote praepositorũ vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum cõversationis, imitamini fide, & Heb.*6,12. *imitatores estote eorum, qui fide & patientia haereditant promissionem.*

*Opera Sanctorum trium sunt generum.* Cum autem opera sanctorum trium sint generum, praecepta, prohibita, & heroica, sciendum est imitationem instituendam esse tantùm secundum primum genus, in quo & ipsi imitatores Christi facti sunt, sicut Paulus ait: *Estote imitatores mei, sicut ego Christi,* 1. *Cor.* 11. v. 1. *Et Gal.* 4. 2. *Estote sicut ego sum.* Non autem in secundo genere, quia *lapsus sanctorum non sunt imitationis, sed consolationis, ut Ambros. dixit*: neque tertii generis, nam facta heroica non sunt cuivis data, sed iis, qui peculiarem ad illa vocationem habent. Hoc modo sancti defuncti satis à nobis honorantur.

*Pontificiorũ errores.* Sed Pontificii his non contenti honori cultum insuper addunt, quae vox, quia religiosam venerationem significat, soli debetur DEO: Neque distinctas species λατρείας & δουλείας admittit, sub quo latibulo idololatriam suam abscondunt Pontificii; ista enim vocabulorum saltem, non cultus est distinctio, neque fundamentum in scripturâ habet, in quâ utraque vox de cultu soli Deo debito usurpatur, ut suo loco ostendimus supra, *cap.*5.

[*Distinctio haec* 1. *Scripturae est contraria, Rom.* 1. *vers.* 9. *&* 16. *vers.* 18. *nec ea invocationis gradus ullos novit, sed eumdem cultum esse religiosum primae tabulae, & sic uni DEO proprium docet.* 2. *Est à doctissimis Pontificiorum L. Valla & L. Vive aliisque rejecta.* 3. *Est Nestoriana, cum Christus una adoratione sit adorandus quoad utramque naturam.* 4. δουλεύειν *est non tantùm servitus hominibus sed & Deo facta Actor.* 20. δουλεύειν τῷ κυρίῳ *Romanor.* 7. δουλεύειν *in novitate Spiritus Roman.*14. *Christo* δουλεύειν *Ephes.* 6. *servientes Domino & non hominibus.*]

Docent in Papatu, aliosque credere jubent, sanctos meritis suis aliis succurrere posse, ideò invocandos eos statuunt, tribus de causis, 1. ob nostram inopiam, ut Alexãder de Ales loquitur, quam nos habemus in merendo, ut nimirum illorum merita

merita nobis suffragentur: 2. ob ipsorum gloriam. 3. ob Dei reverentiam. Hinc Lombardus scripsit *lib. 4. dist. 45.* intercedunt (Sancti) apud Deum pro nobis, & merito, dum illorum merito suffragantur nobis: & affectu, dum vota nostra cupiunt impleri. Oramus ergò, ut intercedant pro nobis, hoc est, ut merita illorum nobis suffragentur. Et *Concil. Tridentin. sess. 25.* decernit, fiducialiter invocandos esse sanctos, supplici mente confugiendo ad eorum opem & auxilium.

Docent etiam, à foro Justitiæ Dei appellandum esse ad forum misericordiæ Mariæ, ut habet Bernardinus *in suo Mariali*: ideò omnem fiduciam soli Deo debitam ad Mariam applicant *in Psalterio Mariæ*.

[*Nota est pictura in quibusdam templis. Infimo loco stat peccator vertens faciem ad B. Virginem cum hac compellatione: Te rogo virgo pia, me nunc defende Maria. Ex uno latere Maria denudatis uberibus Christum filium alloquitur. Hæc quia suxisti, fili, veniam precor isti, digito monstrans peccatorem. Ex altero latere Christus vulnera Patri monstrat his verbis: Vulnera cerne pater, fac quod rogitat mea mater. In excelso constitutus Pater cœlestis concludit: Quæque petita dabo, Fili, tibi nulla negabo. Vide sis plura apud Dn. D. Gerhardum pag. 719. tom. 8.*]

Docent, per auxilium sanctorum orationem ad Deum meliùs & feliciùs perventuram, ut habet Bellarminus *lib. 1. de Sanctor. beatit. cap. 16.* sanctos vocant ministros & dispensatores quorumlibet bonorum cum spiritualium, tùm corporalium, ut scribit Gabr. Biel *super can. Missæ. sect. ... lit. N.*

I..ò singulis provinciis & urbibus, animantibus, ordinibus quoque singulis, singulos præficiunt sanctos, quos non saltem precibus, sed & oblationibus, donariis, votis, dedicationibus templorum, & similibus religiosè colunt. Hæc omnia in Papatu usitatè docentur, & credenda proponuntur.

[*Germaniæ Georgium, Hispaniæ Iacobum, Galliæ Dionysium, Ungariæ Ludovicum, Mediolano Ambrosium præficiunt; Tutela Vitis est Vrbanus, ignis Florianus, anserum Gallus, ovium VVendelinus, porcorum Antonius, Studiosorum Catharina, pictorum Lucas, Pesti opitulari creditur Sebastianus, dentibus Apollonia, oculis Otilia, calculo Liborius, Epilepsiæ Valentinus, &c.*]

Sed omninò talia sunt, quæ salvâ pietate & conscientiâ admitti non possunt, sanctè enim tenendum est sanctos neque ut mediatores, neque ut intercessores, neque ut opitulatores, nec quocunque nomine alio invocandos esse, sed quicunque hoc faciunt, eos idololatriæ crimine pollui, statuendum.

Primùm enim constat, ex ore Christi, *frustra coli Deum, mandatis hominum, Matt. 15.* Mandata autem homi- *Refutatio Pontificiorum. Quid sint*

*mandata hominum.* hominum sunt, quæ nullum certum habent verbum.

Et in confesso est apud omnes pios, nullum dogma in ecclesiâ recipiendum esse, quod non habet fundamentum in scriptura, *Deuter.* 12. *vers.* 32. *omnis enim plantatio, quam non plantavit pater, eradicabitur*, inquit Salvator *Matth.* 15. *vers.* 13. qui ex hoc ipso fundamento Samaritanorum invocationem rejiciebat, licet temporis præscriptione, & patrum autoritate suffultam, quia verbo DEI destituebatur, *Iohan.* 4. *vers.* 21.

DEUS quoque in lege ideò idololatras puniri jussit, quia adorarunt, quod ipse non præcepit *Deut.* 17. *vers.* 4. Fatentur autem Pontificii, nullum extare mandatum vel exemplum in sacris, quo id fieri jubeatur, ut scribit Georgius Cassander *in consult. art.* 21.

Eccius *in enchiridio, loco de veneratione Sanctorum* rationes addit, cur in scripturâ non fuerit sanctorum invocatio præcepta in V. T. inquit, populus alioqui erat propensus ad idololatriam, & patres erant in limbo nondum beati, *Esai.* 63. *Abraham nescivit nos, Israel ignoravit:* *Eccii formalia.* sub evangelio ideo non fuit præcepta, ne gentiles conversi crederent, se iterum induci ad cultum terrigenarum, & pro veteri more sanctos, non ut patronos, sed ut Deos adorassent, sicut Lycaoniæ Paulo & Barnabæ sacrificare volebant. Porrò si Apostoli & Evangelistæ docuissent, sanctos invocandos, arrogantiæ datum eis fuisset, ac si ipsi post mortem illa quæsivissent: Hæc Eccius.

Cogitent jam, qui sanctos invocant, quâ conscientiâ hoc faciant, & quomodo hic ipsorum cultus placere possit Deo, vera enim invocatio *ex fide fit Iac.* 1. *v.* 6. *Ro.* 10. *v.* 14. quomodo autem fides esse potest, ubi nullum est verbum, extra quod credendum nihil est? *Invocatio sanctorum est præter Dei verbū*

Deinde etiam contra verbum est invocatio sanctorum, quod docet, *Deum esse adorandum, & ipsi soli serviendum*, Matth. 4. *v.* 10. *Deut.* 6. *v.* 13. *& contra Dei verbū.* idcircò à Domino rejiciuntur Samaritani, qui verum Deum colentes nihilominus etiam diis suis serviebant, juxta consuetudinem gentium 2. *Reg.* 17. *vers.* 33. & Paulus reprehendit Gentes, quòd præter creatorem suum servierint etiam creaturis, *Rom.* 1. *v.* 25. & iis, qui naturâ non sunt dii, *Gal.* 4. *v.* 8. quales omnes sancti sunt, quorum invocatio hoc ipso simpliciter est prohibita.

Præterea impingit hic cultus in officium Christi, qui solus est *mediator & Advocatus noster* 1. *Tim.* 2. *v.* 5. 1. *Ioh.* 2. *vers.* 5. *sedens ad dexteram patris & interpellans pro nobis Rom* 8. *v.* 34. Romanenses verò sanctos invocant, ut intercessores suos, quorum meritis se juvari putant ac petunt: quod nihil aliud est quàm officium Christi cum sanctis partiri, & probos etiam accessum ad patrem quæ-

quærere, quem nos per Christum tantùm habere, Paulus affirmat, *Eph.3.v.12. Hebr.9.v.24.*

Adde, quod sancti ipsi honorem hunc detrectant, sicut *angelus Iohanni dixit: noli hoc facere, Deum adora, Apoc.* 19. *v.* 10. 22. *v.*9. partim quia conservi nostri sunt, quibus honor ille divinus non debetur, partim quia neque precum neque calamitatum nostrarum in specie sunt conscij, quod Esaias de Abrahamo & Jacobo testatur, *Esa.63. v.16.* & Stipulatur Augustinus *lib. de curâ pro mort. cap.* 13 & Chrysost. *homil. 4. de pœnitent. Christus curare solus potest*, inquit, *qui finxit sigillatim corda nostra, & intelligit semper omnia opera nostra. Ipse ergo nostram subire potest conscientiam, mentem tangere potest, animam flectere.*

Denique Scriptura docet, eum solum adorandum esse, in quem credimus, *quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt, Rom.* 10. *v.* 14. Fatetur hoc Bellarminus, ideò *lib.1. de sanct. beat. c.20.* scribit, eum qui sanctos invocat, ut sanctos & amicos Dei, suo modo in eos etiam credere debere & in eis sperare, ut patronis. Sed credere nobis non licet in ullum sanctum: *maledictus enim qui confidit in homine Ier.17.v.5.* & in solo Deo ponenda est spes & fiducia nostra, *Psal.118,6. Roman.15. vers.13. Psal.46.v.1.* ad solius quoq; Dei misericordiam confugiendum est in periculis, *Hebr.4.v.16. Ps.145. v.18.* quem honorem, sicuti Deus non vult dare alteri extra suam hypostasin, *Esai.48.v.12.* ita vehementer peccant, qui eum tribuunt sanctis, quos invocant, id quod in Papatu fieri nimis est manifestum.

Considerarunt has rationes sine dubio Christiani in primitivâ ecclesia: ideo Smyrnenses, cum Judæi & gentiles Polycarpi martyris Corpus ipsis tradere nollent, ne fortè Crucifixo illo derelicto hunc venerari incipiant, responderunt: *illud miseri prorsus ignorant, nimirum nos non aliquando in animum posse inducere ut vel Christum deseramus, qui pro salute omnium, qui in toto mundo salvi futuri sunt, crucis tormenta perpessus sit, vel alium quempiam aliquando colamus*, referente Eusebio *lib. 4. histor. Eccles. c.* 14.

Sequamur ergò nos quoque hanc consuetudinem, nec Dei honorem inter ipsum hominesque dividamus. A solo Deo, qui solus dare & solus exaudire potest gemitus cordium, petamus, quibus indigemus. *Hæc ab alio orare non possum*, inquit, *Tertullianus in apolog. ca.* 30. *quàm, à quo me scio consecuturum, quoniam & ipse est, qui solus præstat, & ego sum, cui impetrare debetur, famulus ejus, qui eum solum observo.*

* * *

## CASUS III.

*De materia precũ. Quid sit petendum?*

## *Num omnia, quæcunque nobis sunt utilia, à Deo petere possumus ac debemus?*

RESP. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, &c.* scribit Apost. *Iacob. 1, c. 17: Datum optimum vocat*, id, quod nobis bonum & utile est hac in vitâ: *donum perfectum*, quod vel in alterâ vitâ nobis paratum est, vel in hac vitâ nos ad eam ædificat.

*Beneficia sunt duplicia: corporalia & spiritualia*

Unde sunt duorum generum beneficia; *quædam temporalia* & caduca, ut divitiæ, honores, sanitas corporis, vita longæva & hujus generis alia, quæ omnia Christus complectitur petitione quartâ orationis Dominicæ: *quædam* sunt *spiritualia* & æterna, ut verbi divini puritas, propitius Deus, adsistentia Spiritus S. remissio peccatorum, studium pietatis, solatium in adflictionibus, felicitas sempiterna &c.

Hæc omnia à Deo patre petere jubet Christus, & exauditionem promittit petentibus in nomine suo *Ioh. 16, 23. si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, & Matth. 18, 19: si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est.* Generalis hæc est promissio, quæ certò implebitur, modò preces fiant legitimo modo.

*Modus precandi legitimus est, 1. ne malus, 2. ne male, 3. ne malũ petat.*

Modus autem legitimus precandi est 1. ne malus, 2. ne male, 3. ne malum petat. Malus est, qui in peccatis contra conscientiam adhuc vivit, aut infidelis, aut impœnitens est: *tales enim peccatores Deus non exaudit Ioh. 9, 31. & cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestra sanguine plenæ sunt*, ait Dominus *Esa. 1, 15.*

Malè petunt, qui vel non orant in nomine Christi, quod faciunt omnes, qui suis aut aliorum hominum meritis confidunt; vel non satis perpendunt, quid petant. Nam cum discrimine petenda sunt corporalia & spiritualia: hæc quidem sine ullâ conditione, quia nocere nobis non possunt, sed extra dubium sunt salutaria: illa verò cum conditione voluntatis divinæ, exemplo leprosi, *Domine, si vis, potes me mundare Matth. 8, 2.* & ipsius *Christi: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibero illum, fiat voluntas tua Matth. 26. v. 24.*

*Corporalia bona sunt cum conditione pet. sed spiritualia sine conditione.*

Malum est, quod vel contra Dei voluntatem est, ut omnia vitia, vel extra Dei voluntatem, ut omnia, de quo non habemus expressum Dei mandatum aut exemplum, ut petamus: *quicquid enim petierimus juxta voluntatem ejus, dabit nobis 1. Ioh 5, 14.*

Regula ergò petendorum est voluntas Dei; voluntas revelatur in



Digitized by Google

*Distinguendum inter utilia ἀληθῶς & φαινομένως.*

verbo: quod in verbo nec ut petamus mandatum, nec promissum, nec alicui datum est, id petere non debemus, si vel maximè nobis utile videatur. Distinguendum enim hîc est inter ea, quæ verè sunt utilia, & quæ nobis tantùm talia videntur. *Verè* utilia sunt, quæ & Deo placent, & nobis, proximoque prosunt, qualium plenum est verbum Dei. Multa autem *videntur* nobis utilia, quæ Deo sunt ingrata, proximoque, quin & nobis ipsis interdum noxia, quæ contra voluntatem DEI petuntur, qui non vult, ut ipsi ingrata faciamus, vel nobis aut aliis noceamus.

Sic non petendus est malarum actionum successus à Deo, quemadmodum Baalitæ, pro successu idololatriæ suæ orabant à mane usque ad meridiem 1. *Reg.* 18, 26. non petenda sunt temeraria & quæ sunt extra vocationem nostram, sicut orabat mater filiorum Zebedæi: *dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, alter ad sinistram in regno tuo*: cui respondit Dominus: *nescitis, quid petatis, Matth.* 20, 21. non petendum quicquam est ex impatientiâ etiamsi nobis videatur utile, sicut Elias orabat: *sufficit Domine, tolle animam meam* 1. *Reg.* 19, 4. & Jonas *petiit animæ suæ, ut moreretur Ion.* 4, 8. non sunt petenda singularia & extraordinaria dona Dei, paucis admodum concessa, ut est donum miraculorum, donum Prophetiæ, donum linguarum, quale fuit in Apostolis, quò pertinet etiam donum continentiæ: quæ dona, qui habent, grati sint Deo, & rectè eis utantur: qui non habent, à DEO, non petant, hoc enim esset tentare Deum, qui nuspiam, quòd ea singulis ipsum petentibus dare velit, promisit.

*Quid de hodiernis Enthusiastis judicandum, qui raptus, visiones & somnia somniant, narrant, jactant?*

Conscientias ergò hodierni fanatici onerant, qui visiones & raptus nescio quos arcanos, ut Propheticum donum jactant, suosque sectatores, qui hæc dona nondum habent, ea à Deo petere jubent. Quia enim nullum hac de re extat mandatum, promissio nulla, & præterea à publico ministerio verbi, quod Deus nobis commendavit, hac ratione homines abstrahuntur, non video, quomodo talium precum expectari queat exauditio.

*Annon rectè faciant Pontificii, quòd jubent votarios suos donum continentiæ à Deo petere?*

Male etiam in Papatu conscientiis consulitur, ubi votarios, continere non valentes, donum continentiæ petere jubent à DEO. At verò *donum hoc non est omnium Matt.* 19, 11. sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic 1. *Cor.* 7, 7. neque verò mandatum habemus, ut hoc petamus, neque exemplum, neque promissionem exauditionis: sed continere non valentibus commendavit *Apostolus Paulus* conjugium, tanquam ordinarium extinguendarum flammarum remedium 1. *Cor.* 7, 1. 9.

Nullo ergò modo solidari potest conscientia eorum, qui donum continentiæ à Deo petunt, ut votum continentiæ servent, quia nullum habent mandatum, ut hoc donum

 speciale

Digitized by Google

speciale paucis admodum concessum petant, ac proinde Deum tentant, perinde ac si donum miraculorum peterent, 2. non sunt certi, an votum continentiæ Deo placeat, & sic orant conscientiâ vel dubitante, vel etiam reclamante: oportet autem nos ex fide orare res tales, quas scimus Deo gratas & in verbo præceptas, quale votum illud non est. 3. contemnunt ordinem à Deo sancitum, videlicet conjugium, quod inter cætera etiam ad extinguendas libidinum flammas est institutum.

Quæ cum ita sint, petenda quidem sunt utilia à Deo; sed utilitas rerum non ex nostro, aut aliorum hominum judicio, sed ex Dei verbo & præscripto æstimetur.

## CASUS IV.

*De oratione pro aliis hominibus*

### *An pro omnibus omninò hominibus absque discrimine orare fas est?*

RESP. Intercessiones nostræ pro aliorum hominum necessitatibus à nobis exiguntur, quando Christus ipse in formulâ usitatâ, quam discipulis suis præscripsit, in plurali numero nos orare jubet; cum & ipse orat pro populo *Iohan.* 17. & nos orare jubet pro aliis. *Luc. 6. vers.* 28. cùm Apostolus Paulus orat pro ecclesiâ 1. *Thessal.* 1. *vers.* 2. & ecclesiæ preces pro se postulat *Ephes. 6. v.* 18. cùm denique Apostolus Jacobus orare nos jubet pro nobis invicem *Iac. 5. v. 16.*

*An in oratione pro omnibus hominibus innuantur tantùm genera singulorum, non verò singula generū?*

Et hæc quidem intercessio generaliter pro omnibus hominibus nobis injungitur 1. *Tim. 2. vers.* 1. ubi quidam non universalitatem singulorum, sed tantum generum intelligunt, quia pro prædestinatis duntaxat orandum censent, ut videre est apud *Bezam in glossâ marginali & in part. 2. resp. ad acta colloq. Mompelg. pag.* 195. sed glossa illa locum habere non potest, quia Paulus nos orare vult pro omni magistratu, etiam tyrannico, qualis tunc temporis erat Nero, Christus etiam jubet nos orare pro inimicis *Luc. 6. v.* 28. quemadmodum & ipse fecit in cruce, *Luc. 23. vers.* 34. caritas enim Christiana nullam personam excludit.

*Pro tribus non est orandum.*
*1 Pro impiis, ut Deus ipsis successus largiatur felicieres.*

Sunt tamen quidam, quorum scriptura meminit, pro quibus certo respectu non est orandum. 1. non est orandum *pro impiis* & filiis hujus seculi, ut videlicet Deus conatibus ipsorum faveat, & successus felices largiatur: hoc enim esset contra Deum orare. Et hoc sensu Christus *dicit Ioh. 17. vers. 9: non oro pro mundo*, scilicet uti orat pro Christianis, pro quibus ibi preces fundebat, ut in fide maneant, crescant, pergant, nec excidant, quemadmodū *Lutherus* interpretatur *in cap. 17. Iohan. tom. 6. Ienensi germ. fol.* 186. *& in glossâ marginali.*

*Quomodo orare possimus pro impiis?*

Aliàs orandum est pro impiis, ut convertantur, si non convertantur, ut saltem nos tran-

*R. Vt Deus vel convertat, si sint sanabiles: vel evertat, si sint insanabiles, obstinati, contumaces, & finaliter impœnitentes.*

tranquillam vitam inter ipsos agamus, cùm non semper corpore ab ipsis separari queamus, quam ob causam etiam *pro Babylone* orare jubet Dominus *Ier.* 19. *vers.* 7. quam tamen postea per Medos & Persas sine incommodo Judæorum delevit.

*II. Pro aversione pœnarum, quæ debentur extremè malitiosis.*

2. Non est orandum *pro aversione pœnarum*, quæ debentur obstinatis & impœnitentibus peccatoribus, qui correctionem nullam admittunt, & de quibus non est spes conversionis. Nam pœnas impiorum pii precibus suis interdum avertere possunt, quemadmodum *Aaron* thuribulo suo plagam à populo avertit *Num.* 16. *v.* 46. Sed cum extremè malitiosi fiunt, nec benevolentiâ piorum emendantur, sed potiùs quasi in rabiem versi deteriores fiunt, orandum amplius pro ipsis non est, ut Deus plagis suis parcat ipsis, ne fiduciâ illius intercessionis in sceleribus suis obfirmentur, nec gloria Dei per ipsorum malitiam amplius obscuretur, nec intempestivis nostris precibus voluntati Dei resistatur, qui fidem & emendationem eorum, pro quibus oratur, requirit: Hoc sensu Deus ipse preces pro obstinatis peccatoribus prohibuit *Ier.* 7. *vers.* 16. *noli orare pro populo hoc, non obsistas mihi quoniam non exaudiam te*; & *cap.* 11. *v.* 14. *noli orare pro populo hoc, non assumas laudem pro eis & orationem, quia non exaudiam in tempore clamores eorum ad me, in tempore afflictionis eorum*; & *c.* 15. *v.* 1. *si steterit Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populũ istum*; & *Ezech.* 14. *v.* 14: *si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel & Iob, ipsi liberabunt animas suas.*

*III. Non est orandum pro peccantibus in Spiritum Sanctum.*

3. Non est orandum pro iis, qui peccant ad mortem. Id enim expressè prohibetur 1. *Iohan* 5. *vers.* 16: *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*: qui locus uti difficilis est, ita variè fuit expositus.

*Quomodo sit explicãdus locus 1. Ioh. 5. v. 16.*

Quidam putarunt, non esse orandum pro iis, qui mortali cum peccato hinc discesserunt, sine pœnitentiâ, *ut Augustinus de corr. & grat. cap.* 12. *& Gregorius lib.* 6. *moral. cap.* 31. quos sequitur Esuita *Azorius tom.* 1. *Institut. moral. lib.* 9. *cap.* 31. *fol.* 788. quæ quidem sententia vera est: sed D. Johannes non loquitur de precibus pro defunctis, sed viventibus.

*Varia variorum explicationes.*

*Ambrosius* putat, Apostolum Johannem velle, ne imperfectiores, quales erant, ad quos tunc scribebat, & qui ipsimet peccatis adhuc polluti erant, pro gravioribus delictis orarent, satis esse ipsis, si pro levioribus delictis Deum precentur, graviorum veniam orationibus justorum (quales *Mosen, Ieremiam, Iohannem fuisse ait*) reservandam esse.

Sed illa distinctio non agnoscitur in textu Johannis, verum sicut vult, omnes absque discrimine orare pro fratre non peccante ad mortem; ita omnibus etiam prohibitum est, orare pro eo, qui peccat ad mortem. Neque verò Deus exaudit preces pro mensurâ perfectionis aut sanctitatis in homine, sed pro ratione

*De⁹ exaudit preces pro ratione fidei.*

ratione fidei, quæ etiam in infirmis vera esse potest: idcircò sibi quoque *ex ore infantium & lactentium laudem parat Ps. 8, 3.*

*Hieronymus lib. 2. cont. Iovinian.* existimat, Johannem docere orationem pro peccato ad mortem difficulter exaudiri: quam interpretationem sequitur *Sotus in lib. 4. sent. dist. 15. q. 1. art. 1. Bellarminus lib. 2. de pœnit. cap. 16. & Serarius in comment.* super istum locum. Sed verba Apostoli nihil habent de difficultate exauditionis: verum ipsas preces prohibent.

*Cur peccatum in Spiritum S. vocetur peccatum ad mortē?*

Sciendum igitur D. Johannem non loqui de quovis peccato mortali, sed de enormi illo planeque singulari peccato, quod vocatur blasphemia in Spiritum Sanctum, quod peccatum ad mortem vocatur, quia talis peccator, cùm medium conversionis suæ, hoc est, meritum Christi pedibus conculcet, certò æternæ morti mancipatus est, undè & irremissibile vocatur *Matth. 12. v. 32. Marc. 3, v. 29. Luc. 12 v. 10.*

*Requisita peccati in Spiritū S.*

Requisita hujus peccati, ex quibus agnosci potest, hæc sunt, abnegatio Evangelii cum blasphemiâ *Matth. 12. vers. 31.* vera & evidens veræ doctrinæ cœlestis agnitio, *Heb. 6. vers. 4, 5: 10. vers. 26.* voluntaria defectio *Hebr. 10. vers. 25. 26.* *αὐτοκατάκριμα Tit. 3. vers. 11.* rejectio omnium mediorum conversionis, quod scriptura vocat Spiritum Sanctum contumelia afficere. *Hebr. 10. v. 29.* Cùm ergò de tali peccatore exactè constet, quòd hujus tàm enormis blasphemiæ convictus sit, pro eo sanè orandum non esset, quia preces absque fructu funderentur, cùm peccatum illud nunquam remittatur.

Sed cum quis saltem videtur nobis ad mortem peccare, sub conditione pro eo orare possumus, ut nimirum, si inscius veritatem abneget, & oppugnet, Deus eius misertus, in viam ipsum reducere dignetur, quemadmodum in Litaniâ nostrâ orare solemus, ut DEUS omnes errantes & seductos in viam reducere velit: Nam ut *Augustinus lib. 1 retract. cap. 19.* pie scripsit: *de quocunque pessimè in hac vitâ constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.*

## CASUS V.

*De oratione pro mortuis.*

Hæc quidem de iis, qui superstites adhuc sunt, ita habent.

### *Num verò orandum etiam est pro hominibus defunctis?*

RESP. Ex oratione pro defunctis purgatorium suum probare volunt Romanenses, unam nimirum fabulam per aliam. Sed de precibus illis, quales in Papatu pro defunctis funduntur nihil scit Scriptura. Neque orandum est pro defunctis ullo modo, quasi intercessione nostra indigeant. Nam si piè hinc

*Ratio, cur non sit orādum pro defunctis.*

hinc discesserunt, jam sunt in requie *Apoc.* 14 *v.* 13. nec patiuntur tormentum *Sap.* 3 *vers.* 1. quid ergo prosunt eis preces nostræ? sin verò in peccatis mortui sunt absque pœnitentiâ, habitatio eorum est in inferno, ex quo nulla est redemptio. *Neque enim est ullus ulli medius locus*, inquit, *August. lib.* 1. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 28. *ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum CHRISTO.*

[*Rectè ergò respondit ille filius, cujus meminit discipulus de tempore serm.* 103. *qui mortui parentis promissis noluit satisfacere. Cùm enim sacrificuli parentem in agone mortis constitutum blandimentis & promissionibus liberandi è purgatorio eousque adegissent, ut multa post mortem monachis & sacrificulis eroganda præcepisset, eoque mortuo monachi peterent promissa, filius respondit rectissimè uti dixi, ita: ex inferno nulla deprecationes, nulla etiam opera vel merita damnatum hominem liberare possunt. Qui verò in cœlis vitam beatam degit, is nullis porrò precibus vel meritis indiget. Cum ergò preces vestræ patri meo defuncto nihil commodare possint, nihil etiam de bonis meis temerè elargitus fuero.*]

Ex quo fundamento improbamus orationes & oblationes Pontificiorum pro defunctis, in purgatorio, igni infernali ad tempus ustulatis quas orthodoxa ecclesia in V. & N. T. ignoravit, non enim oravit, aut obtulit Josephus pro Jacobo; non David pro filiolo ex Bethsabe suscepto, cum quo tamen aliquando se victurum credebat; non vidua Nainitica pro filio defuncto, quem tenerrimè lugebat, non Petrus pro Tabea, non Paulus pro Eutycho: nec Christus id præcepit, nec Apostoli commendarunt.

*Objectio Pontificiorũ ex libro Apocrypho 2 Mac.* 12. *v.* 42. *Solvitur.*

Unicus saltem locus est in libro apocrypho 2. *Mac.* 12, 42. *seqq.* ubi Jamnienses pro defunctis orasse & obtulisse leguntur, iis nimirum, qui in prælio aliquid è donariis abripuerant. Sed precatio illa votum tantùm erat, ne peccatum illud ipsis imputetur in resurrectione, & ne propter admissum delictum reliqui penitus delerentur. Neque inficiari possumus, Machabæos in plurimis, gentilium mores ac ritus illaudabili κακοζηλίᾳ imitatos esse, ad quam æmulationem hic quoque ritus non incommodè refertur, qui nullis aliis Judæis unquam fuit receptus.

A gentibus sanè ritus iste originem primam habuit, qui super defunctis se discerpebant, eorum sepulchris fercula inferebant, quasi ex ea ratione in viam redituris, diis infernalibus pro animabus eorum sacrificabant, quos & affabantur, ut illis placidi essent, neque ad sedes patrias remeantibus obstacula impeditionis opponerent, referente *Arnobio lib.* 2. *adv. gentes num.* 11. Hunc morem gentilium postea imitati sunt Christiani, ne iis inhu-



Digitized by Google

maiores erga suos viderentur ; in parentationibus amicorum offerebant aliquid, sed in usum pauperum, non ad placandum DEUM. Preces quoque addebant super eos defunctos, de quibus certi erant pii, quod ad terminum suorum certaminum venerint, quam ob causam *obdormitio ipsorum est in lætitiâ & spe immobili*, ut *Dionysius* loquitur, *in eccles. hier. cap.* 7.

Et hæ preces corpora terræ data, non animas in purgatorio ustulatas spectabant, ita enim habet *liturgia Basilio* tributa : *memento, Domine, omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ.* De dormientibus loquitur in spem resurrectionis, quod corporum est, non animarum. Illis autem precibus non mereri volebant ipsis DEI gratiam, aut vitam æternam, sed partim gratulabantur defunctis, partim erudiebant superstites, ut & ipsi ad beatam mortem contenderent, Ita enim scribit *Origenes lib. 3 in Iob : in fide morientium devote memoriam agimus, tàm illorum refrigerium gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.*

*Explicatur Apologia Augustana Confessionis.*

Et hoc sensu *Apologia August. Confess.* scribit *art.* 21. *tit. de vocab. Missæ*, nos orationem pro mortuis non prohibere, non intelligens oblationem pro defunctis, qua liberentur ex loco tormentorum, quales patroni purgatorii in Papatu intelligunt, sed stylo veteris ecclesiæ, vota, quibus defunctis optamus benè esse, de ipsorum beatitudine benè sperantes, & nos ad similem exitum cohortantes.

*De precib. pro animabus in purgatorio.*

Preces verò pro animabus in purgatorio tempore *Gregorij Magni Papæ* ex superstitiosis spirituum apparitionibus seu spectris potius enatæ sunt, circa annum Christi sexcentesimum. Sed quia scimus, non esse quærendam veritatem à mortuis *Deut.* 18, 11. superstitionem istam autori suo relinquimus, unà cum annexis quæstiunculis, an suffragia pro pluribus simul præstita, tantum efficaciæ habeant, quantum pro uno ? an pro uno solo præstita omnibus prosint, qui in purgatorio ? an suffragia ab iis, qui sunt in peccato mortali præstita defunctis prosint ? de quibus vide *Lombardum lib.* 4. *distinct.* 45. & *Mornæum de sacrâ euchar. lib.* 3. *ca.* 11. *sub finem.*

Nos Salvatori nostro fidem habemus dicenti *Iohan.* 5, 24: *qui credit in eum, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam.* Hoc ut nobis omnibus contingat, oremus pro nobis invicem, dum adhuc superstites sumus : mortuis nil prosunt viventium suffragia, nisi fortè verum esse credas, quod *Durandus de efficaciâ precum pro defunctis scribit in lib.* 4. *sent. dist.* 25. *quæst.* 2. *ex vitis patrum* : non aliter juvabantur damnati per preces Macarii, nisi quia se mutuò videbant in tormentis. Et de hoc non poterant habere verum gaudium, nisi falsum & phantasticum,

eum, ſicut ſolatium miſerorum eſt, ſocios videre in pœnâ, ſecundùm illud: *Solamen miſeris ſocios habuiſſe malorum*, ſicut dæmones gaudere dicuntur, quando homines ad peccata pertrahunt, pœna tamen inflicta tam hominibus damnatis, quàm dæmonibus non minuitur.

Egregium ſanè ſolatium, quod ſibi habeant purgatorii patroni, nos in ſinu Abrahæ ſempiternum ſolatium manere ſcimus eos, qui piè in Domino obdormiunt, tormentum verò ſentire cum divite, qui in peccatis decedunt, quorum illi precibus noſtris opus non habent, hi verò nullam inde requiem ſperare poſſunt.

## CASUS VI.

*De oratione, pro remiſſione peccatorum, quotidiana.*

*Num ſancti quotidiè remiſſionem peccatorum petere poſſunt?*

RESp. Ita quidem conceptis verbis docet David *Pſal.* 32, 6: pro hac *ſcilicet remiſſione peccatorum, orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno.* Sed rationem dubitandi facit doctrina noſtræ eccleſiæ, de certitudine gratiæ. Si enim jam certi ſumus certitudine fidei, cui non ſubeſt falſum, quòd remiſſa nobis ſint peccata, quid opus eſt, remiſſionem pecatorum demum petere? quo ſanè ariete impugnat *Bellarminus* certitudinem gratiæ *lib.* 1. *de juſtific. c.* 10. *ſi certò atque ex fide credere debeo*, inquit, *mihi peccata eſſe remiſſa per Chriſtum, quomodo poſſum cum publicano dicere, Deus propitius eſto mihi peccatori? aut cum Apoſtolis & eccleſiâ univerſâ: dimitte nobis debita noſtra, niſi hæſitem in fide, & Deum mendacem efficiam?*

*Dubitatio.*

*Solutio duplex dubitationis. Prima.*

Sed cavillus eſt, qui facilè diluitur. Etſi enim de peccatis jam præteritis certi eſſe poſſumus, quòd remiſſa ſunt, ſi remiſſionem eorum in vera fide petierimus, quia tamen multa habemus *occulta delicta Pſal.* 19, 13. & operibus noſtris etiam juſtis aliquid immundi adhæret, *Eccleſ.* 7, 21. quotidiè etiam ad peccata proclives ſumus, idcirco ſemper orandum eſt, ut Deus hæc peccata nobis ignoſcat: quod ſanctos multos feciſſe conſtat, qui de præteritorum peccatorum remiſſione nunquam dubitarunt.

*Secunda.*

Deindè abſurdum non eſt, à Deo petere continuationem illius boni, quod nos jam antè conſecutos eſſe credimus. Nam petimus etiam ut regnum Dei ad nos veniat, ut voluntas Dei fiat, quod tamen jam factum eſſe non dubitamus: ſed ut deinceps quoque hoc bono fruamur, ſemper rogandum eſt. Nam fides & oratio conjuncta ſunt, & quæ DEUS vult nos credere, ea inpoſterum etiam jubet exorare.

* * *

## CASUS VII.

*De certitudine nostra in exauditione precum.*

## *Num de exauditione precum in vera fide factarum, certi esse debemus?*

*An pii certi esse possint de exauditione suarum precū?*

RESP. Pontificii negant, quemquam infallibili certitudine certum esse posse vel debere, quòd preces exauditæ sint, nisi exactè sibi constet, quòd fidem habeat, & in gratiâ sit: & hoc ipsum neminem, absque speciali revelatione scire posse contendunt. Tribuunt tamen homini certitudinem quandam obscuram, quam conjecturalem vocat *Bellarminus lib. 3. de justificat. c. 2.* & tribuit eam illis, quæ tot signis & conjecturis nituntur, ut securum reddant hominem & anxietatem excludant, non tamen formidinem omnem expellant. Talem certitudinem concedit orantibus cap. 9 ubi scribit: *quod Spiritus Sanctus sit, qui nos movet, cùm dicim9, Abba pater, non constat nobis ex fide divinâ, sed solùm ex conjecturis, quæ fallaces esse possunt.*

*Bellarmini opinio de hac quæstione.*

Sed hæc certitudo, quæ fallacibus nititur conjecturis, reipsâ nulla est, & meram dubitationem animique anxietatem parit. Proinde non erramus, si Pontificios omnem è precibus certitudinem tollere, dicimus, unde & præsumptionem & temeritatem vocant, si quis certissimam precum suarum exauditionem sibi promittat.

*Vide Patres Concilii Tridentini sess. 6. Can. 9. & 12.*

*Orthodoxa veritas de hac quæstione.*

Contra hunc errorem muniendus est hominis animus. Statuimus enim preces ritè formatas non esse irritas, sed certò exaudi, *si non secundum voluntatem, tamen ad utilitatem nostram.* Ritè autem formantur preces, cùm invocamus Deum, precesque nostras in mandato & promissione Dei fundamus, & ex corde verè pœnitente in fide verâ fundimus.

*Rationes, quod preces piorum legitimè factæ exaudiantur.*

*1. à fidei ratione.*

Quòd hujusmodi preces exaudiantur 1. ipsa fidei ratio docet, quæ est anima precum. Nam vera fides est immota & firma animi fiducia promissiones sine dubitatione apprehendens: ideò dubitatio ex diffidentiâ esse dicitur, & fidei opponitur *Rom. 4. v. 20.*

*2. à Dei promissione.*

2. Expressam habemus promissionem in verbo: *invoca me, & eruã te Psal. 50. vers 15. antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam Esa 65, 24 si duo ex vobis consenserint, super terrâ, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est Matth. 18. v. 19. petite & dabitur vobis Luc. 11. v. 9. Iohan. 16. v. 24. quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, 1. Iohan. 5. v. 14.* His verbis Dei meritò fidem habemus: *impossibile enim est, Deum mentiri Heb. 6. v. 18.*

*3. à Dei juramento sive asseveratione.*

3. Juramento insuper confirmatæ sunt hæ promissiones, *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrē*

*in no-*

*in nomine meo, dabit vobis Ioh.* 16. *v.* 23. quod juramentum ideò fuit additum, ut oſtenderetur firmitas & immobilitas conſilii divini, & nos validam haberemus conſolationem *Hebr.* 6. *v.* 16. 17. Eſt enim juramentum *Dei promiſſionis confirmatio & fidelium increpatio, dicente Auguſtino lib.* 16. *de civ. Dei cap.* 32. *O beatos igitur nos, quorum cauſa Deus jurat! O miſerrimos, ſi nec Deo juranti credemus, ait Tertullian. lib. de pœnit.*

[*Triplicem ob cauſam Chriſtus jurare ſolitus eſt:*

1. *ad excitandam attentionem Iohan.* 8.
2. *ad infidelium increpationẽ Matt.* 8. *Quid eſt veri Dei juratio, niſi infidelium increpatio? Tertul. & Auguſt.*
3. *ad excludendam dubitationem. Vide Auguſt. Dei juramentum ſit noſtrum firmamentum vide* 1. *Sam.* 15. *v.* 29. *Ioh.* 3. *v.* 33. *Ioh.* 8. *v.* 26. *Hebr.* 6. *v.* 18 *Rom* 3 *v.* 3. *Pſal.* 51 *v* 6. *&* 106. *v.* 1.]

*4. à dubitationis excluſione.*

4 Multa ſecum incommoda fert dubitatio: preces facit irritas: *qui orat poſtulet in fide,* inquit, *Iacobus, nihil hæſitans, qui n. hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circũfertur: non ergo æſtimet homo, quod accipiat aliquid à Domino Iac.* 1, 6. Deum mendacii arguit: *nam qui non credit Deo, mendacem facit eum.* 1. *Ioh.* 5. *v* 10 aufert conſolationem ſolidã in adverſis: *nam preces & lacrymæ, ſunt arma Eccleſiæ: & cum ignoramus, quid rogamus, hoc ſolum habemus reſiduũ, ut oculos noſtros ad Deum dirigamus* 2. *Paral.* 20. *v.* 13. Si ergò nulla eſt certitudo exauditionis, fortiſſimum ſolatium nobis eripitur, deſperationi lata janua aperitur, & Spiritus S. teſtimonium enervatur. Is enim teſtificatur, quod ſimus filii Dei, filiorum autem eſt confidere parentibus, quòd ab illis impetraturi ſint, quidquid filiali cum fiduciâ petierint, teſte Chriſto *Luc.* 11. *v.* 11. *ſeqq Matth.* 7. *v.* 7. *ſeqq.* Plura in hanc ſententiam hoc loco non addo: hæc enim ſatis ſunt, ad convincendam conſcientiam, ut perſuaſum habeat, ſatiùs eſſe non orare, quàm de exauditione dubitare.

*Diſcrimen rerum petendarum.*

Semper tamen obſervetur diſcrimen rerum petendarum, quod & ſupra attigimus. Si enim bona ſunt ſpiritualia & æterna, ea nunquam denegantur rectè orantibus, quia ea nobis dari ſemper expedit: Ideo ſine conditione voluntatis divinæ petuntur, nam quòd velit ea nobis dare Deus, in verbo ſatis, ſuperque declaravit. Si verò bona ſunt temporalia, ad hanc præſentem vitã pertinentia, ea cum conditione voluntatis divinæ petenda ſunt: & has preces ſemper audit Deus, licet non ſemper ad noſtrum placitum, tamen ad commodum.

*Quomodo Deus ſemper exaudiat noſtras preces*

Interdum ſtatim dat, quod petimus, ut ſanitatem leproſo *Matth.* 8. interdum differt auxilium, & auget interim ſolatium, quo pacto Davidis preces, quas in exilio fudit, tandem exauditæ fuerunt: interdum negat prorſus, quod petimus, quia nobis non expedire videbat, & dat

aliquid utilius, quemadmodum Apostolo *Paulo* remotionem stimuli in carne suâ instanter petenti, respondit: *sufficit tibi gratia mea, quia virtus mea in infirmitate perficitur* 2. *Cor.* 12. *v.* 9.

*Quid infirmo sit utilius, magis novit medicus, quàm ægrotus*, ait Prosper.

Adquiescendum ergò semper est in voluntate Dei, neque fallit pro missio exauditionis, dum non statim ad nutum nostrum succurrit nobis in tribulationibus. Nam & negatio rei noxiæ, & suppeditatio solatii, aut melioris boni, species est exauditionis. Ideo *Augustinus* scribit *tract.* 73. *in Iohan*: *aliquando Deus exaudire preces nostras dicitur, dum negat, & renuit facere, quod petimus, quod tunc fit, quando petimus ea, qua putamus utilia nobis futura, & reverà non sunt, sed potius noxia.* Vide plura in *commentar.* 2. *epist. ad Corinth. cap.* 12. *p.* 1. 9. 4.

## CASUS VIII.

Non absque causâ quæritur:

### An etiam liceat orare contra alios eisque malè precari?

*De orando contra alios, & imprecationibus.*

RESP. *Augustin. lib.* 1. *de sermon. Domini in monte*, dubium hoc proponit: Utrum sicut pro quibusdam non est orandum, inquit, ita & contra aliquos orandum sit, nondum satis apparet. Et sanè nimis frequentes sunt diræ & imprecationes, quibus alter alteri malè dicit sæpè innocenti, quâ ratione sibi ipsi magis nocet, quàm aliis. Fiunt enim ex hujusmodi precibus maledicta, quibus ea, quæ in salutem nostram divinitùs ordinata sunt, aliis in perniciem cedere optatur.

In genere igitur sciendum est, *ab omni temerario maledicto abstinendū esse*, quo impetuntur ij interdum, qui vel leviter alium offenderunt, contra quos oratur, ut DEUS eos perdat, fulmine percutiat, ut terra eos absorbeat & similia; qualis precatio ex cholerâ est, & impotentiam animi arguit, omnemque caritatem proximi evertit. Locum ergò hîc habeat illud *Sap.* 1. *v.* 11: *a detractione parcite linguæ, quâ maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt Iac.* 3. *v.* 9.

Deinde, si etiam causam haberemus justam imprecandi aliis, non tamen faciles hanc ad rem simus, sed priùs nos & eos, quibus imprecari volumus, consideremus.

Nos vel privati sumus, vel publicæ personæ, ut parentes, præceptores, pastores, magistratus, & quicunque aliis divinitus præfecti sunt.

Privatis dictum est *Matth.* 5. *vers.* 44: *diligite inimicos vestros, benedicite iis, qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, & precamini pro iis, qui vobis sunt infesti, & persequuntur vos. Rom.* 12. *v.* 14, 7, 21: *benedicite & nolite maledicere; nulli malum pro malo reddentes: noli vinci malo, sed vince malum bono.*

Hi ergò

Hi ergo orant contra hoſtes vel privatos, vel Dei & Eccleſiæ, non ex odio erga perſonam, (hoc enim eſſet contra dilectionem, quam etiam inimicis debent) ſed ex amore erga DEUM & ex juſto zelo contra vitia, impedientia honorem Dei, & communem tranquillitatem; quo pacto *Paulus* etiam orare voluit *Theſſalonicenſes*, contra hoſtes ſuos importunos & malos homines impedientes curſum evangelii 2. *Theſſ.* 3. *v.* 2.

Publicæ perſonæ orant 1. contra hoſtes publicos, ut *David* contra hoſtes eccleſiæ *Pſalm.* 6. *v.* 11. *erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur & erubeſcant valdè velociter. Pſal.* 35 *v.* 1. judica, Domine, nocentes mihi, expugna impugnantes me, apprehende arma & ſcutum, & exſurge in adjutorium mihi &c. ſimilia vide *Pſal.* 96. *v.* 29; *deleantur de libro vitæ, & cum juſtis non ſcribantur. Pſal.* 94. *v.* 2: *exaltare qui judicas terram, redde retributionem ſuperbis &c.* Ita *Paulus* orat contra Pſeudoapoſtolos turbatores Eccleſiæ: *utinam abſcindantur, qui vos conturbant Gal.* 5. *v.* 12. & contra *Alexandrum ærarium: Alexander multa mala mihi oſtendit: reddat illi Dominus ſecundum opera ejus* 2. *Tim.* 4. *v.* 14.

2. Orant contra eos, qui ſibi ſunt ſubjecti, cùm contumaciter & præfractè reſiſtunt, quemadmodum Noachus incorrigibili filio Chamo & poſteritati ejus imprecatur, *Gen.* 9. *v.* 25. & multi parentes contra liberos immorigeros ingemiſcunt; miniſtri quoque Eccleſiæ malè interdum ominantur auditoribus contumacibus, verbi divini contemtoribus: quò referenda eſt imprecatio Apoſtoli *Pauli* 1. *Cor.* 16. *v.* 22. ſi quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, maranatha.

Apparet ex his, licitum eſſe interdum orare contra alios: ſed ne hoc in genere peccetur in caritatem Chriſtianam, ſequentes obſervandæ ſunt cautiones. *Cautiones obſervãdæ in oratione cõtra alios.*

1. *Non fiant preces contra quemvis promiſcuè*, ſive ſit noſter privatim, ſive publicus Dei & eccleſiæ hoſtis: ſed ſaltem contra eos, qui ſunt incorrigibiles. Nam dum adhuc ſpes emendationis eſt, fiant potiùs preces pro ipſorum converſione: quo pacto Chriſtus oravit pro crucifigentibus ſe: *Pater, dimitte eis, neſciunt enim, quid faciant. Luc.* 23, 34. ut & Stephanus pro lapidantibus *Act.* 7. 60. quæ preces non fuerunt irritæ. Chriſtus enim precibus ſuis Capitaneum cum Judæis multis ſub cruce; Stephanus verò Paulum lucratus. Ita Chriſtus *pro inimicis nos orare jubet Matth.* 5, 44. Paulus in genere pro omnibus hominibus, etiam pro magiſtratu tyrannico, qualis tunc erat *Nero* 1. *Tim.* 2, 1. & Jeremias Judæis injungit, ut pro civitate eâ orent, in qua captivi tenebantur: quærite proſperitatem iſtius civitatis, inquit, quò deportavi vos, & orate pro eâ Jehovam *Jerem.* 29, 7. *Pro perſecutoribus. Luc.* 23. 34. *pro incredulis.* 2. *Pet.* 3. *v.* 9.

2. *Contra hoſtes pertinaces* & planè incurabiles oretur quidem, ſed *preces non tam contra perſonam, quàm contra*

*contra cauſam ipſorum dirigantur*, ut nimirum Deus conatibus eorum reſiſtat, conſilia pernicioſa impediat, aliis negotiis eos occupatos reddat, ne tranquillitatem noſtram & eccleſiæ diutius interturbent: quo pacto contra Ahitophelem oravit *David 2. Sam. 15, 31: infatua, quaeſo, conſilium Ahitophelis, Domine*; & Apoſtoli contra Pontifices & Phariſæos conſilii Hieroſolymitani orabant *Act. 4, 15, 19*: nunc igitur, *Domine, intuere in minas eorum, da ſervis tuis, ut cum omni libertate loquantur ſermonem tuum.*

3. *Contra perſonas hoſtium nemo oret, niſi ex revelatione Dei certus ſit, hominem illum, contra quē orare vult, eſſe incurabilem*, ac proinde jam divino judicio pœnæ deſtinatum, quod *David & Paulus* certò ſcire poterāt, ideò imprecationes eorum Prophetiæ potiùs fuerunt, quid impiis eventurum ſit, quàm preces, quid ipſi fieri velint; ut cùm *David Pſal. 109.* contra populum Judaicum, inprimis etiam contra Judam proditorem orat: *cùm in jus venerit, damnatus abeat, & oratio illius illi ſit crimini: ſint dies ejus pauci, epiſcopatum ejus accipiat alter: ſint filij ipſius pupilli, & uxor ejus vidua &c.* & *Pſalm. 59, 6. non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem, convertentur ad veſperam, & famem patiantur ut canes, & circumibunt civitatem.*

De his & ſimilibus verbis durioribus virorum ſanctorum ſcribit *Auguſtinus lib. 16 cont. Fauſt. Manich. cap. 22: maledicta cùm ex Prophetiâ dicuntur, non ſunt de malo voto, ſed de præſcio ſpiritu denunciantis. Nam illa, quæ de malo voto ſunt, prohibentur, cùm dicitur: benedicite & nolite maledicere: hæ autem ſæpè inveniuntur in ſermone ſanctorū ſicut Apoſtolus Paulus: Alexander, inquit, ærarius, multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundum opera ſua.* Unde liquet, quod exemplum Davidis aut Pauli non cuilibet ad imitationem ſit propoſitum, cum ſpiritus ille diſcretionis & Prophetiæ non ſit datus omnibus.

4. Etiam *qui contra perſonas incurabilium hoſtium Dei & piorum orant, non faciant hoc ex vitioſo affectu*; *ſed pro zelo* commendantes juſtitiam & potentiam DEI in evertendis hoſtibus ſuis: idcirco relinquunt Deo executionem ſuæ imprecationis, vel ad perditionem vel ad cōverſionem impiorum. Solet enim interdum temporalis impiorum confuſio converſioni impiorum inſervire, juxta illud Davidis *Pſal. 83, 17. imple facies eorum ignominiâ, & quærent faciem tuam, Domine.*

Quòd ſi converſio conſequitur, preces piorum contra impios, nihil aliud ſunt, quam approbatio ſententiæ divinæ, jam antè in ſcripturâ latæ; neque referuntur ad hominis pœnam; ſed ad punientis juſtitiam, quæ omnibus placere debet, licet mallent pii, omnes ita vivere, ut miſericordia potiùs quàm juſtitiâ DEI apud ipſos locum inveniret: quâ de re *David* dicit *Pſal. 58, 11. lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam.*

*dictam*. His conſideratis, preces contra impios legitimo more, modoque inſtitui queunt.

## CASUS IX.

*De externis geſtibus inter orandum.*

### *Numquid etiam inter orandum externos adhibere liceat geſtus?*

RESP. Quemadmodum regnum Dei non venit cum obſervatione externa: ita verus Dei cultus, quo à ſubditis regni ſui afficitur, in externis corporis geſtibus non conſiſtit. Ideò ſcriptura nihil certi hoc in genere præſcribit, nec geſtus certos orantibus præcipit, proinde nec conſcientia ad aliquid certum & determinatum obligata eſt.

*Verus Dei cultus non conſiſtit in geſtibus externis.*

In genere tamen ſciendum eſt, cùm preces noſtræ cum devotione & humili ſpiritu faciendæ ſint, vocem ipſam & omnem corporis habitum ita comparatum eſſe oportere, ut humilitatem ac ſubmiſſionem verè ſupplicem ſpiret. Nam & ſancti angeli coram ſolio Dei ſtantes alis velabant faciem, hoc ipſo teſtificantes ſe indignos eſſe, qui in faciem Dei intueantur, neque ſe majeſtatem ac ſplendorem Dei ferre poſſe *Eſa.6.v.2.*

*Geſtus in genere ad humilitatē & ſubmiſſionem conformētur.*

Veteres inter orandum faciem ad orientem convertebant, quo ritu ſignificabant, quemadmodum ſol & lux quendam ſui ordinis principatū habent; ita Deum, ad quem oratio dirigitur, res creatas omnes longo poſt ſe intervallo relinquere. Ita enim *Auguſtinus ſcribit lib. 2. de ſermon. Domini in mōte tom. 4. fol. 1144. cùm ad orationes ſtamus, ad orientem convertimur, unde cœlum ſurgit, non tanquam ibi Deus ſit, & quaſi cæteras mundi partes deſeruerit, qui ubiq; præſens eſt, nō locorum ſpatijs, ſed majeſtate potentia: ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, ideſt ad Dominum; cùm ipſum corpus ejus, quod eſt terrenum, ad corpus excellentius, ideſt, ad corpus cœleſte convertitur.*

*Mos veterum.*

*Damaſc.lib.3.orth.fid.cap.13.* multas hujus rei rationes habet; quia Chriſtus oriens in Scripturâ appellatur, & Chriſtus crucifixus ad occidentem reſpiciebat, & aſſumtus ad orientem ferebatur, ab oriente etiam venturus eſt ad judicium, ad orientem ſpectavit tabernaculum Moſaicum, & templum Salomonis, ad orientem plantatus erat hortus Edē: ideò homines hac ceremonia antiquam patriam inquirunt, unde primus homo expulſus fuit.

*Cur veteres ad orientē verſus, inter orandum ſpectarint.*

In Scriptura varii exprimuntur orantium geſtus, quoad præcipua membra & ſitum corporis. Orabant detecto capite, ut cōſtat ex illo *Apoſtoli 1. Cor. 11. v. 4. vir orans velato capite deturpat caput ſuum*: ex quo loco autor libri de contemtu mundi (qui *Auguſtino* adſcribitur,) *c.4.* clericos reprehendit, qui pſalmodias hymnosque ſpirituales canentes, capillos, mitras, cæteraque velamina in

*Geſtus in ſcriptura expreſſi varij.*

capitibus portabant. Orabant ſublevatis oculis in cœlum, ut *Chriſtus Joh.* 17. *verſ.* 1. Orabant flentes, ut Hanna 1. *Sam.* 1. *verſ.* 10. Orabant flexis genibus, quod *Daniel* tribus vicibus indies faciebat *Daniel.* 6, 10. & *Chriſtus* in horto hoc geſtu orabat *Luc.* 22. *v.* 41. *Paulus* quoque pro eccleſia genua ſe flectere ſcribit *Epheſ.* 3. *v.* 14.

Huc referunt nonnulli quod *Eſa.* 54. *v.* 23. legitur; mihi curvabitur omne genu, & *Philip.* 2. *verſ.* 10. in nomine Jeſu flectetur omne genu &c. Orabant levatis in cœlum manibus, quo pacto *Salomon* ante arcam oraſſe legitur 1. *Reg.* 8. *verſ.* 22. & *Paulus* ſcribit. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus* 1. *Tim.* 2 *verſ.* 8. Orabant proſtrati in terram, ut *Chriſtus Matth.* 26. *v.* 39. Orabant etiam ſtantes, ut de *Phariſæo & Publicano* legitur *Luc.* 18. *verſ.* 11. 13. & *Chriſtus* dicit: *cùm ſtabitis ad orandum Marc.* 11. *v.* 25. idque fieri putat *Auguſtinus in ſignum reſurrectionis, epiſt.* 119. *cap.* 15. Orabant & ſedentes, ut *Elias* ſedens ſuper junipero oravit ad Deum 1. *Reg.* 19. *verſ.* 4. David quoque ſedens oravit 1. *Paral.* 17. *v.* 16

Hæc omnia non ſunt neceſſitatis, ſed liberæ obſervationis, aliàs geſtus illi habitusque corporis non ita variaſſent, quin & ægroti in lectis orare poſſunt, ut *Hiskias* 2. *Reg.* 20. *v.* 2. Non enim ideò geſtus in orando adhibemus, ut preces Deo fiant gratiores, ſed, ut *Auguſtinus* ſcribit *lib. de cura pro mortuis gerenda cap.* 5. *Orantes de membris corporis ſuis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt, quamvis eorum inviſibilis voluntas & cordis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus, ſed his magis ſeipſum excitat homo ad orandum gemendumque humiliùs atq; ferventiùs.*

Hi geſtus piorum faciunt ex precatione adorationem. Ita enim hæc duo diſtinguit *Auguſtinus lib.* 2. *contra Maxim. cap.* 9. ut adoratio fiat cum geſtu tanquam humilitatis ſigno, precatio verò aut rogatio, etiam abſque geſtu, quo pacto etiam Spiritus S. rogare & interpellare pro nobis dicitur *Rom.* 8, 26. licet patrem non adoret. *Quomodo diſtinguātur oratio & proſtratio?*

Etſi autem quoad geſtus in precibus præcepta certa dari non poſſunt: in genere tamen hoc tenendum, quòd in precibus publicis quilibet eccleſiæ particularis, in qua degit, ritum ſequi debeat: nam diſſenſio à ritibus uſitatis ſchiſma parit: in privatis verò precibus ſequatur quiſque id, quod affectus animi ſui exprimat, excitet, permoveat, inflammet, quod geſtu corporis modeſto decenti, honeſto & gravi fieri ſolet: ſemper enim in precibus major animi, quàm corporis ratio habenda eſt, *Quinam geſtus in publicis & privatis precibus adhibendi?*

*quia oculi Domini cor intuentur.* 1. *Sam.* 16. *v.* 7.

CASUS

## CASUS X.

*Quâ linguâ preces ſint proponendæ?*

### *Quanam lingua in precibus ad Deum uti convenit?*

RESp. Nihil quidem certi hoc in genere præſcribere poſſumus: Deus enim omnium linguarum autor eſt, & non tam vocem, quàm cor hominis orantis adſpicit: diſtinguendum tamen eſt inter preces publicas ac privatas, ut & inter homines linguarum peritos aut ignaros.

In precibus privatis qualibet lingua uti potes, modò ea tibi nota ſit: nam ut idiotas etiam, & ſexum muliebrem ad linguam latinam præciſè adſtringamus, prorſus conſultum non eſt. Improbat hoc Apoſtolus Paulus in 1. *Cor.* 14, 14,15. *ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt: quid ergò eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Vult igitur Apoſtolus, ut oretur ea lingua, quam quis intelligit, ut ſciat, quid cum Deo loquatur, attentione enim & devotione in precibus opus eſt, quæ in precibus non intellectis eſſe non poteſt; ideò ſcribit Apoſtolus *verſ.* 5. dicti capitis: *Volo omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare*: ubi quidem preces peregrina lingua admittit, ſed ita, ut & intelligamus, dicereque poſſimus, quid oraverimus.

Preces publicas lingua latina tanquam omnium communiſſima fieri, ſanxit *Tridentinum Concil. ſeſſ.* 22. *Can.* 8. & 9. & conſentiunt præcipui Romanæ Eccleſiæ doctores, *Bellarmin. lib.* 2. *de verbo Dei cap.* 15. & 16. *Stapleton. in antidot. ſuper* 1. *Cor.* 14. *Sixtus Senenſis Biblioth. ſanct. lib.* 6. *annot.* 263. &c. Undè & indocti monachi & moniales pſalmos & preculas demurmurant illa lingua, quam non intelligunt.

*Probatur conſultiùs eſſe preces publicas inſtitui lingua vernacula.*

Sed preces, liturgias & litanias publicas ea lingua, quæ eccleſiæ eſt vernacula, inſtituendas eſſe longè conſultius & ſcripturæ convenientius eſt, ob ſequentes rationes.

*Ratio* 1. *à populi ædificatione.*

1. Apoſtolus Paulus in 1. *Cor.* 14. 12 *omnia* in eccleſia fieri vult *ad ædificationem.* Eodem autem in capite multis argumentis oſtendit, linguam peregrinam in ſacris publicis nihil ædificare. Nam prodeſſe quidem poteſt loquenti, non autem audienti *v.* 2. imò preces Pontificiorum ne quidem loquenti ſemper proſunt, ut pſalmodiæ monialium docent. Preces & omnia officia publica ad conſolationem & exhortationem eccleſiæ fieri debent, quem finem ignotæ linguæ non aſſequuntur *verſ.* 3. lingua ignota nec ad orationem præparat, neque affectus movet, quemadmodùm tuba incertum ſonum movens neminem parat ad bellum *verſ.* 8. lingua ſine ſenſu, ſonus ſine mente eſt. *v.* 14. ad linguam peregrinam non poteſt idiota Amen dicere,

quia non intelligit, quid dictum fuerit *v.16.* qui linguâ aliis ignotâ utitur in precibus, benè quidem gratias agit, alius autem non ædificatur *v.17. lingua ignota pertinet ad infideles, qui non ſunt digni intelligere,* annotante *Ambroſio ſuper v.21.* res ſacras ignotâ linguâ proferentes auditoribus inſanire videntur *v.23.*

Hæc congeries argumentorum Paulinorum movit *Cajetanum Cardinalem, ut in commentar. illius capitis ſcriberet: ex hac doctrina habetur, quòd melius ad ædificationem eccleſiæ eſt, orationes, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi clericis & populo, quàm dici latinè. Bellarmini exceptiones in commentario meo in epiſtolam priorem ad Corinth examinavi.* Vide *part. 1. quæſt. 2. pag. 739.* Prima ergò hæc ratio firma ſtat & immobilis, quia Apoſtolica.

*2. à doctrina relatione, hoc eſt, ab analogia docendi & orandi.*

2. In precibus publicis miniſter orando eſt os eccleſiæ, cujus nomine ad Deum loquitur, ſicuti prædicando eſt os Dei, cujus nomine loquitur ad populum. Quemadmodùm ergò peregrinâ linguâ non eſt docendum, ita nec orandum: *Nemo enim ædificatur audiendo, quod non intelligit,* ait *Auguſtinus lib. 12. de Geneſ. ad lit. cap. 8. & in iis linguis, quas non intelligimus, ſurdi ſumus, inquit Cicero lib. 5. Tuſcul. quæſt.* Preces autem publicæ cum attentione ac devotione populi fieri debent, quæ in peregrinis linguis eſſe non poteſt, cùm vox non intellecta aures ſaltem tangat, cor autem non afficiat.

[ *Excipit Bellarm. I. In exhortationibus tantùm ſpiritualibus prohibitam eſſe linguam peregrinam. Reſp. loquitur Paulus de cultus divini exercitiis, in quibus populus reſpondet Amen, quod in exhortationibus non fit.*

*II. Loqui Paulum de canticis, quæ Chriſtiani componebant ad laudandum Deum. Reſp. hoc non ita habet, ſed in uſu fuerunt in conventibus publicis Pſalmi* Davidis *Eph 5,19. Col. 3,16.*

*III. Miniſtros non precari populum ſed Deum pro populo. Ergo non neceſſe eſſe ut populus intelligat. Reſp. ita fortè ſatius eſſet, ut Pontificii populum domi relinquerent, ſi non debet intelligere, quid in templo agatur.* ]

3. Preces publicæ ſolatium præbent afflictis, qui orandi cauſa ſæpenumero ad publicos accedunt conventus: ſed non intellectæ ſolatium nullum habent, ſed terrorem potiùs, quia *lingua peregrina ſigni vice ſunt incredulis,* ait *Apoſt. 1. Cor. 14, 22.* Signum autem terret quidem, non verò docet prorſus, neque juvat, quandoquidem & ſæpè noceat, inquit *Oecumenius & Theophylactus* ſuper iſtum locum.

*3. Ab afflictorum accedentium conſolatione.*

4. In Veteri Teſtamento Pſalmi & preces publicæ in vulgari lingua canebantur. De Pſalmis conſtat ex eo, quòd David cantoribus ſuis numero 4000. Pſalmos dederit cantandos, doctis pariter ac indoctis *1. Paral 24, 8.* quòd in dedicatione tem-

*4. à pietâ in V. T. conſuetudine.*

templi omnes filii Iſrael adoraverunt & laudaverunt Deum dicentes *ex Pſal.* 106, 1. *quoniam bonus, & in ſeculum miſericordia ejus* 2. *Paral.*7,3.& 1.*Eſdr.*3,11.quodque in introitu Chriſti Hieroſolymitano verſiculum decimum quintum & ſextum *Pſal.*118. cecinerunt turbæ, quæ præcedebant & ſequebantur, pueri etiam *Matth.*21, 9,15.

De precibus cæteris, quòd lingua nota omnibus fuerint dictæ colligimus ex hiſtoria *Ioſaphati* 2. *Paral.*20,5. *ſeqq.* ubi pius rex contra *Ammonitas & Moabitas* orabat, adſtantibus Iſraelitis unà cum parvulis,uxoribus & liberis, quorum præſentia fruſtranea fuiſſet, ſi preces illas non intellexiſſent: ideò ipſi quoque poſtea proni ceciderunt in terram & adoraverunt *v.*18.quin & unà cum Levitis voce conſonâ dixerunt: *confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia ejus, v.* 22.

*5. A primitiva eccleſia exemplo & more.* 5. In primitiva quoque eccleſia novi Teſtamenti uſitatum erat, ut preces cum aliis ſacris,lingua omnibus nota fierent. Refert *Iuſtinus Martyr apol.*2.*circa finem*: quomodo diem Solis ſanctificarint, quo omnes,qui in oppidis & ruri vivunt, in unum locum convenerint, commentaria Apoſtolorum aut ſcripta Prophetarum legerint, concionem audierint, preceſque communiter omnes profuderint, ſacram Eucharistiam celebrarint,quâ finitâ præpoſitus precibus finierit, populuſque Amen acclamarit.

*Baſilius in regul. contract. q.*178. quæſtionem proponit ex *cap.* 14. *prior. Corinth.* quomodo ſpiritus alicujus precetur, mens verò fructu careat, & reſpondet: *hoc de illis dictũ eſt, qui in lingua audientibus ignota preces faciunt. Nam quando præſentibus verba precationis incognita ſunt, ſine fructu eſt mens, quia nihil utilitatis redit ad precantem &c. Auguſtinus in Pſal.*18. quaſi aliud agens moniales pſaltrias depingit: *deprecari Dominum,* inquit,*ut ab occultis noſtris mũdet nos, & ab alienis parcat ſervis ſuis, quid hoc ſit,intelligere debemus, ut humana ratione non quaſi avium voce cantemus. Nam & meruli, pſittaci, & corvi, & picæ, & hujuſmodi volucres ſæpè ab hominibus docentur ſonare, quod neſciunt. Scienter autem cantare natura hominis divina voluntate conceſſum eſt.*

6. Agnoverunt hanc veritatem quidam è Pontificiis ſcriptoribus, qui uſum linguæ vulgaris in precibus omninò prætulerunt linguæ ignotæ. De *Cardinali Cajetano* ſupra audivimus. *Nicolaus Lyra Paulum in cap.*14.*prior. ad Corinth.* docere ſcribit,lingua nota utendũ eſſe in oratione publica, quia ſi populꝰ intelligat orationem ſeu benedictionem ſacerdotis, meliùs reducitur in Deum, & devotiùs reſpondet Amen. *6. Ab adverſariorũ confeſſione.*

Fatetur *Thomas* in idem caput Apoſtoli Pauli, in primitiva eccleſia inſaniam fuiſſe, ſi quis ignota lingua preces dixiſſet, quia tunc fuerint rudes in ritu eccleſiaſtico, neſcientes quæ fierent ibi. Idem habet *Hardingus,tom.* 1. *ſect.* 28. agnoſcunt ergò

morem primitivæ eccleſiæ Apoſtolicæ, ab hodierno ritu Romanenſium diſcrepare: ratio autem addita nulla eſt, cùm illa epiſtola non Corinthiis ſolùm ſcripta ſit, ſed omnibus eccleſiis ætatum omnium. *Eccius in Enchrid. cap. 37.* fatetur, Indis Auſtralibus conceſſum eſſe, ut in lingua ſua rem divinam facerent: cur ergò non concederentur preces in uſitata lingua aliis quoque populis? imò *Æneas Sylvius*, poſtea Pontifex Pius II. dictus, *in hiſtoria Bohemorum ſcribit cap. 11.* Cyrillum quendam à Papa Romano petiiſſe indultum linguæ Sclavonicæ in iſto regno, in ſacris publicis, quâ de re cùm diu in ſenatu ſacro diſceptatum fuiſſet: tandem negotium hoc voce quaſi cœlitus delapſa deciſum fuiſſe: *omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ipſum*, indeque Cyrillo datum indultum. Sed ſufficiant iſta ad probationem noſtri inſtituti.

*Objectio ſolvitur. Cur in noſtris eccleſiis cantiones & preces latino idiomate publicè fiant?*

Si quis objiciat conſuetudinem noſtratum eccleſiarum, ubi interdum diebus præſertim ſolennioribus collectæ ſeu preces publicæ & cantiones latino idiomate audiuntur, ſciendum eſt; id non fieri omnibus locis, multò minus in pagis, ſed tantùm in nobilioribus civitatibus, ubi juventus in ſcholis linguarum exercitia habet, ubi, ſi non omnes, aliqui tamen ex auditoribus Amen dicere poſſunt.

Neque retinetur hæc conſuetudo, ut pars cultus divini, ex neceſſitate, ſed eſt ritus indifferens, quem Paulus non prohibuit, ſiquidem optat omnes loqui linguis, 1. *Cor.* 14, 5. modò intelligant, quid loquantur: uſumque habet hunc peculiarem, ut juventus ſibi Pſalmos Davidicos & alia pia cantica longè ante Papatū in templis Chriſtianorum uſitata addiſcat, quam cauſam habet *Apologia Auguſtanæ confeſſionis artic.* 15, & 24. quâ de re vide plurib. *comment. meum in prior. epiſt. Pauli ad Corinthios part. 1. quæſt. 3. pag.* 744, 745.

## CASUS XI.

*De loco ubi ſit orandū?*

### *Num in precibus Chriſtianorum etiam certa loci habenda eſt ratio?*

RESP. In Veteri Teſtamento cultus ſacer ad externas quaſdam circumſtantias, quaſi devinctus & alligatus fuit, inter quas etiā fuit locus. Voluit enim Deus Hieroſolymis preces fieri, quia ibi templum erat & propitiatorium, ſuper quo Deus loquebatur cum populo, ejuſque preces exaudiebat: ideò *domus orationis* appellat *Eſa.* 56, 7. in quâ *Salomon* preces fieri voluit, quarum petiit exauditionem 2. *Paral.* 6, 20. de quâ *David* dicit, quòd ædificata ſit, *ut illuc aſcenderent tribus Iſrael, ad confitendum nomini Domini Pſal.* 122, 4. idq; non fiebat ideò, quaſi hic locus in ſeſe eſſet religioſior aut ſanctior aliis, ſed quia partim ibi *nominis ſui memoriam poſuit Exod.* 20, 24. partim quia corporis ac humanitatis

*Deus in V. T. Iudæos ad circumſtantiam certi loci alligavit.*

tatis

tatis Chriſti typus fuit *Ioh* 2. *v.* 19. *Hebr.*9,11. Quam ob cauſam David in exilio reditum ad templum anxiè deſiderabat *Pſal.*42.*v.*3. & in principio Novi Teſtamenti adſcendebant in hoc templum precandi cauſa *Luc.* 2.*v.*37.18. *verſ.*10. Si qui Hieroſolymis eſſe non poterant, ii alibi locorum quidem orare poterant, ſed verſa facie ad templum, quo pacto Daniel apertis feneſtris, facieque ad templum converſa oraſſe legitur *Dan.*6.*v.*10.

*In N.T. iſta ceremonialia circũſtantiam loci ſpectãtia abrogata ſunt.*

Poſtquàm verò nunc in N. T. & templum Hieroſolymitanum deſtructum, & ceremoniæ Leviticæ abrogatæ ſunt, nulla nos cogit neceſſitas, nullum mandatum urget, ut in templis ſaltem, vel facie ad templum converſa oremus: ſed impletum jam eſt vaticinium *Malach.*1. *v.*11. *in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, unde & Paulus* ſcribit 1. *Tim.* 2. *verſ.* 8. *volo viros orare in omni loco,* & Chriſtus: *venit tempus, ait, quando neq; in monte hoc, neq; Hieroſolymis adorabitis patrem Joh.* 4. *v.*21. & oraturos ire in *conclave*, *& clauſo oſtio orare jubet Matth.* 6. *v.* 5, 6. Locus enim non ſanctificat preces, ſed preces locum.

*Chriſtus in horto oravit Matt.* 26, 39. *Apoſtoli* in domo privata *Act* 1.*v.* 14, 24. 4, *v.*14. *Paulus & Silas* in carcere *Act.*16. *v.*25. nemo ergò de loco precum ſit ſollicitus, modò animus ad orandum ſatis ſit inſtructus. Hinc *Origenes* ſcripſit *lib.* 7. *cont. Celſum: Chriſtianus etiam idiota perſuaſiſſimũ habeat, quemvis mundi locum partem eſſe univerſi, & mundum univerſum eſſe templum Dei, & in quovis loco precatur clauſis ſenſibilibus oculis, erectis autem animæ luminibus, atq; ita ſuper totum mundum adſcendit.*

*Cur preces publicæ, quæ ſunt in templis, non ſint negligendæ.*

In templo tamen non tantùm publicæ preces rectè inſtituuntur, verùm etiam privatim cor ad Deum effunditur, non, quòd aliqua ſit in loco religio atque ſanctitas; ſed quia pars præcipua cultus ſacri preces ſunt, & præſentia plurium devotorum hominum, devotionem in orantibus accendit, conſenſio verò precantium ſuper una eademq; petitione ſpem promiſſionis habet *Matth.*18.*v.*19. Ideò eccleſia ad preces convenire ſolebat *Act.*12, 5. quod & ſequentibus temporibus uſitatum fuit, quia *Tertullianus* ſcribit in *Apolog. cap.* 29: *coimus in cœtum & quaſi manufactâ, Deum vincimus, & hac vis Deo grata eſt.* Et *Auguſtinus refert lib.* 3. *de doctrin. Chriſt. quòd primi credentes in templo veteri Domino ſervierint.* Et *Plinius quoque ſecundus ad Trajanum ſcribit epiſt.*97. *Chriſtianos ſolitos fuiſſe ſtato die ante lucem convenire, carmenq; Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.*

Quæ cùm ita ſint, non poſſumus aſſentiri iis, qui vel templorum uſum prorſus rejiciunt, exiſtimantes ſpirituales viros contentos eſſe debere precibus, quas in ſacellis & oratoriis privatis explerent, ut de *Meſſalianis* refert *Damaſcenus hær.* 80. vel preces in templis ſacratiores eſſe, faciliusque exaudiri ſtatuunt propter præſentiam Dei & media-

mediatoris Chriſti in Euchariſtia, ut *Pontificij* putant, *Bellarminus lib. 3. de cultu ſanctorum. cap. 4. Stapleton. in promtuar. catholico Domin. 9. poſt Pentecoſt. §. 1.*

Etſi enim Deus preces ubique exaudit, non tamen templa ſunt contemnenda, nec preces, præſertim publicæ in eis negligendæ. Etſi etiam utile eſt in templis orare, non tamen loco aliqua peculiaris ſanctitas eſt affingenda, nec Deus templis alligandus, neque præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia extra ejus uſum cogitanda; ſed propter conſenſum multorum, qui ardorem in precibus accendit, in templis libenter orandum eſt: quo ſenſu rectè ſcripſit *Leo ſerm. 4. de jejunio ſeptimi menſis: tunc eſt efficacior & ſanctior devotio, quando in operibus pietatis totius eccleſiæ unus eſt animus, & unus eſt ſenſus.*

## CASUS XII.

*De tempore in precibus obſervando.*

## *Eſtnè in precibus certum tempus obſervandum?*

RESp. Etiam in hoc genere vitanda eſt omnis ſuperſtitio: nullum enim tempus precibus in ſcriptura definitum; ſed hoc cujuſque voluntati & arbitrio permiſſum fuit, ne quis metu aut neceſſitate coactionis bonum operetur, & in omni religione, quoad precum tempus, ne duo quidem inter ſe conſentientes reperirentur, dicente *Socrate lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 22.*

Chriſtus vult nos *ſemper orare, & nunquam deficere Luc. 18, 1. Paulus* jubet *indeſinenter orare 1. Theſſal. 5, 17. omni tempore & cum perſeverantia precari Eph. 6. verſ. 18. inſtare orationi Col. 4, 2.*

Quibus locis moti veteres hæretici Euchitæ & Pſalliani precibus ſemper invigilabant, & tantum orabant, ut eis, qui hoc de illis audirent, incredibile videretur, ut *Auguſtinus* ſcribit *ad Quodvult. hær. 57.*

*Explicatio præcedentium dictorum.*

Sed dicta illa 1. mentis *devotionem commendant*, quæ ſemper ad Deum directa eſſe debet, nunquam enim deeſt occaſio, prædicandi miſericordiam Dei, vel expetendi ejus benedictionem. 2. *Studium in precibus laudant*, à quibus omnia noſtra opera incipere debent, ac deſinere. 3. *Superſtitioſam temporis obſervationem tollunt*, ne putemus tempus unum ſanctius in ſeſe eſſe altero, preceſque hoc vel illo tempore fuſas Deo gratiores. 4. *Suſpiria illa notant, quibus ſemper ad Deum ingemiſcimus*, cùm omni temporis momento auxilio & præſidio ejus indigeamus: unde *Baſilius in ſermone de Juditta* ſcribit: *ipſi tibi ſomni quoque pietatis meditationes exercitationesq; fiant.* Oret ergò quiſque quoties neceſſitas ipſum urget, juxta illud *Iacob. 5, 13. triſtatur aliquis veſtrûm, oret.*

*Certas horas ad orãdũ eligere, prohibitum nõ eſt.*

Interim tamen prohibitum non eſt certas ad orandum horas eligere, nam *Daniel* tribus vicibus in die oraſſe legitur *Dan. 6, 11. David* veſpere, me-

re, meridiè & manè oravit *Pſal.* 55, 18. unde factum, quòd Chriſtiani ordinarias ſuas preces ter in die inſtituunt. Manè cùm ſurgunt, & ad labores accedunt; in prandio vel cœnâ, cùm creaturis Dei fruuntur: veſperi, cùm ſomno ſe committunt. Quòd ſi plures ad orandum horæ ſumuntur, pium eſt & utile, modò abſit ſuperſtitio & opinio neceſſitatis. Hæc enim omnia ſunt liberæ obſervationis.

*Quid de conſuetudine Pontificiorũ ſtatuendum, quâ preces 40. dierũ inſtituunt?*

Proinde laudare non poſſumus per omnia conſuetudinem Pontificiorum, qui preces 40. dierum inſtituunt. Etſi enim nunquam ſatis orare poſſumus, tamen quia dies illi neceſſariò obſervari jubentur, & opinio alicujus meriti accedit, devotio illa omnem gratiam amittit, & multiloquio gentilium, quod Chriſtus interdixit *Matth.* 6, 7. non eſt abſimilis. Teſtatur enim Apoſtolus diſcrimen dierum, menſium & temporum, quod religionis gratia adhibetur, in N. T. ſublatum eſſe Gal. 4, 10.

*Quid de horis canonicis eorundem?*

Ex quo fundamento etiam probare non poſſumus horas illas canonicas, ſeu regulares, quibus clerici tantùm orationum ſuarum penſum perſolvunt: quarum ſeptem numerant, ſingulisque ſuas preculas adſignant, ut matutina, quæ ſolis ortum præcedit: prima, quæ ab aurora ad horam diei tertiam ſe extendit; tertia, ab hora tertia, uſque ad ſextam; ſexta, quæ ab hora ſexta incipit & ad nonam uſque durat; nona, ab hora nona uſque ad duodecimam; veſpera, quæ in ſolis occaſum incidit; & denique completorium, quæ ſolis occaſum excipit. Alii octavam addunt, & in ordine primam faciunt, quas nocturnas vigilias vocant: eamque diſtributionem probant ex *Pſal.* 119, 164. ubi *David* dicit: *ſepties in die laudem tibi dixi*, & paulò antè *v.* 62. *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Originem harum horarum refert *Polydorus Virgil. lib.* 6. *de rer. inventor. cap.* 2. *ad Pelagium* 1. *Papam: alij ad Damaſũ* 1. *alij ad Gregorium primum.* Afferunt etiam multa Patrum teſtimonia, qui horas illas obſervarunt, ut *Hieronymum*, *Baſilium*, *Chryſoſtomum*, quos *Eccius in Enchirid. tit. de oratione & horis Canon. citat.*

*Quibus fundamẽtis Põtificii probare nitantur horas ſuas Canonicas?*

*Reſpondetur ad illa.*

Sed etſi non negamus, veteres habuiſſe certas precandi horas, nullam tamen hic urſerunt neceſſitatem, neque homines in conſcientiis obſervatione iſtarum horarum obſtringebant, neque ſolis ſacerdotibus aut aliis clericis officium precandi illis horis injungebant, quæ omnia in Papatu fiunt: neque etiam in publicis cœtibus eccleſiarum omnium horarum illarum fuit conformitas, ſed eccleſia ſemper libertatem habuit his de rebus ſtatuendi, unde magnum olim diſcrimen circa has horas in eccleſiis fuiſſe, teſtatur *Socrates lib.* 5. *hiſt. eccl. cap.* 22.

*Hieronymus* tria ſcribit eſſe tempora, quibus DEO flectenda ſunt genua, ſed non ex divino inſtituto, verùm ex eccleſiaſtica traditione,

tertiam nimirum, ſextam & nonam. Has horas obſervari ſcribit ad exemplum ſanctorum: nam tertiâ horâ deſcendit Spiritus S. ſuper Apoſtolos; ſextâ volens Petrus comedere ad orationem, adſcendit in cœnaculum, nonâ Petrus & Johannes aſcendebant in templum.

Eaſdem horas obſervari ſcribit *Tertullianus*, ita tamen, ut cuique ſua relinquatur libertas: *intelligamus*, inquit, *ſalvâ planè indifferentiâ, ſemper & ubique & omni tempore orandum: tamen tres iſtas horas, ut inſigniores, in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publicè reſonant, ita & ſolenniores fuiſſe in precibus divinis; quod ſuadet etiam Danielis argumentum ter die orâtis, utpote per aliarum horarum exceptionem, non aliarum autem, quàm inſigniorum exinde Apoſtolicarum, tertiæ, ſextæ, & nonæ.*

Conſtat ex his, horas illas Canonicas non omnibus Patribus notas, nec eo fine modoque ut in papatu fieri conſuevit, obſervatas fuiſſe, ac proinde conſcientias precantium obligare non poſſe.

## CASUS XIII.

*De forma precum.*

### *An in orando certâ precum formâ uti licet?*

Resp. Dubitare poſſet aliquis: nam hujuſmodi precandi ratio Spiritum Sanctum intra certos verborum cancellos includere videtur: ideò præſtaret potius, quibuſcunque modis poſſumus, neceſſitates noſtras exponere Deo, præſertim, cum Spiritus S. neſcientibus nobis quid aut quomodo oremus, *pro nobis interpellare* dicatur *Roman.* 8, 26. *Dubitatio.*

*Solutio dubitationis. Cur preces ſanctorum formaliter deſcriptæ.*

Sed non eſt, cur hic fluctuet conſcientia. Nam preces ſanctorum ideò formaliter deſcriptæ ſunt, præſertim Davidici Pſalmi, ut nos illis ipſis Spiritus S. verbis Deum compellemus. Chriſtus quoque certam precandi formulam nobis præſcripſit, quam meritò retinemus: neque prohibitæ ſunt formulæ precationum, quæ in libris publicis reperiuntur. Nihil enim iis præſcribitur Spiritui S. ſed infirmitati noſtræ ſuccurritur, cùm non omnes ſatis aptè calamitates ſuas exponere poſſint. Meliùs autem eſt, certis & conceptis verbis cum Deo loqui, quàm imperitè quicquid in buccam venit, effundere.

Pſalmi certè Davidici in primitivâ eccleſiâ ſemper uſitati fuère, ut ex *Dionyſio de eccleſ. hierarch. cap.* 3. conſtat: quò referunt aliqui illud Apoſtoli *Eph.* 5. *Col.* 3. *implemini Spiritu S. loquentes vobismetipſis in Pſalmis, hymnis &c.*

Quemadmodum autem certa precum forma abſque ratione improbatur: ita perperam fit, ſi non niſi illis precum formulis, quæ in ſcripturâ extant, uti concedatur, quemadmodum olim in *Concilio Laodicenſi can.* 59. conſtitutum eſt, ne

privati

privati Psalmi in ecclesia legantur hoc est, ne præter 150. Psalmos Davidis alii recitentur, ut habetur in *Concilio Bracarensi 1. Can. 30.*

*Quid de Pontificiorum canticis sentiendum, qui ad nocturnas vigilias duodecim Psalmos Davidis nec plures nec pauciores continent?*

Superstitiosum quoque illud est, quòd in Papatu ad nocturnas vigilias duodecim Psalmi Davidis cantantur, non alii nec plures aut pauciores, ad hunc enim numerum per angelicam institutionem se adstrictos esse fabulantur, angelum enim coram monachis semel apparuisse, & duodecim Psalmos continenter cecinisse, iisque finitis *Alleluja* cantasse, ac siluisse, nec ampliùs visum, aut auditum fuisse; cujus rei testem adducunt *Concilium Turonicum, in cujus cap. 19* legitur: *ad matutinum saltem duodecim Psalmi expediantur, quia patrum statuta præceperunt, ut ad duodecimã duodecim Psalmi dicantur cum Alleluja, quod etiam angelo ostendente didicerunt.* Vide *Azorium tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 15.*

Sed nos ista autoribus suis relinquimus, nec conscientiis hoc in genere jugum imponendum esse censemus, Deus enim preces nostras non numerat, sed ponderat: neque etiam quibus verbis, sed quo affectu oretur, attendit: proinde quilibet eâ formulâ & numero precum utatur, quem necessitas requirere videtur.

## CASUS XIV.

### *An cogitationes alienæ, quæ inter precandum incidunt, exauditionem precum impediunt?*

*De cogitationibus alienis, quæ inter precandum incidunt.*

*An impediant exauditionẽ precum?*

RESP. Etsi attentio in precibus requiritur: imbecillitas tamen hominum & astutia Satanæ magna est, qui cùm precibus sibi validissimè resisti sciat, quomodocunque potest, eas impedire aut irritare laborat. Unde fit, quòd raro aliquis in precibus suis tàm sit attentus, ut non peregrinas cogitationes aliquando sentiat.

*Saluberrimum consilium, ut ante preces ad Deum suspiremus, ne permittat malas cogitationes nobis incidere.*

Eæ vel honestæ sunt, à proposito tamen alienæ; vel impuræ ac illicitæ. Hinc conscientia turbatur, an non preces nostræ factæ sint peccatum, nedum ut impetrent, quod volumus? & hæc tentatio Satanæ non est omninò de nihilo, cui quàm rectissimè resistere possumus, si ante preces ad Deum suspiremus, ut ipse nos orare doceat, linguam animumque dirigat, & *filium*, peregrinas cogitationes incidere nobis non permittat. Nos enim quod petituri sumus, ut oportet, non novimus, ipse ergò ut pro suâ misericordiâ ea nobis suggerat, & impedimenta veræ precationis removeat, necesse est. Fit hoc juxta monitum *Siracide cap. 18 23. ante orationem prapara animam*

 *tuam,*

Digitized by Google

*tuam, & noli eſſe, quaſi homo, qui tentat Deum.*

*Aliud conſilium utiliſſimum.* Deinde detur opera, ut oratio ſit brevis & nervoſa, quæ rem ſuccinctè proponat, ita non facilè cogitationibus evagari poſſumus, in multiloquio autem plerumque vanitas eſſe ſolet: quam ob cauſam Chriſtus battologiam in precibus prohibuit *Matth.* 6, 7.

Denique ſimus memores, ſi maximè defectibus nonnullis laboret oratio noſtra, illos tamen nobis non nocere, ſi de eis ſeriò doleamus. Deus enim non ſecundum merita nobiſcum agit, ſed ſecundum magnam ſuam miſericordiam, idcircò cùm ſciat infirmitatem noſtram, aſtutiamque Satanæ, defectibus illis ignoſcit: *nulla enim condemnatio in his, qui ſunt in Chriſto Ieſu Rom.* 8, 1. licet multa in eis reperiantur, quæ condemnare poſſint.

*Tertium conſilium non minus fructuoſū.* Proinde utile erit ſub finem precum deprecari culpam, quæ ex noſtra parte preces facere poſſet irritas: & ſic cogitationes illæ alienæ exauditione precum non obſtare poterunt, quemadmodum peccata venialia, quæ ſanctis adhuc adhærent, & quibus dominium non permittunt, ſalutem eorum non impediunt.

Tantum de Caſibus conſcientiæ, quæ circa preces incidere poſſunt,

## Caput VIII.

## *De Caſibus conſcientiæ circa vota.*

PRogredimur à precibus ad vota, quæ duo apud Græcos unâ voce efferuntur. Nam εὐχὴ ſignificat & poſtulationem, quâ deſideramus aliquid orantes, & promiſſionem aliquid offerendi Deo, ſi poſtulata impetraverimus.

*Vota quid ſint?* Sunt autem vota, promiſſiones Deo factæ, ex judicio rationis & propoſito voluntatis, cùm judicamus nos facturos, quod promittimus, & id nos facere decernimus.

*Votum quo modo à promiſſione differat?* Differt votum à promiſſione 1. ut ſpecies à genere, quia votum eſt promiſſio ſeu ſponſio Deo facta; promiſſio verò quævis dicitur pollicitatio, etiam ea, quæ fit homini, 2. Votum Deo fieri poteſt ſine ullis verbis aut ſignis externis, promiſſio conſiſtere nequit ſine verbis vel ſignis, aut nutibus, verborum locum tenentibus. 3. Promiſſio poteſt eſſe voti materia: nam ſi promiſeris pauperi aliquam pecuniam, poteris inſuper vovere Deo, te eam pecuniam pauperi largiturum, ut docet *Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 88. *art.* 1. & 5.

*Quæſtio. An votum ſit actus rationis aut voluntatis?* Multùm diſputatur à ſcholaſticis, an votum ſit actus rationis, aut voluntatis: ſed hæc diſputatio non pertinet ad noſtrum inſtitutum: rectè tamen ad utrumque refertur.

Nam

*Tria sunt in voto. 1. Deliberatio. 2. Propositum. 3. Promissio.*

Nam in voto tria sunt: deliberatio, quæ est rationis: propositum, quod est voluntatis: & promissio, quæ est utriusque; per illam inchoatur, per istud confirmatur, per hanc consummatur. Nam deliberatio primùm decernit aliquid polliceri Deo: propositum statuit vovere Deo; promissio fidem obstringit, hominemque Deo obligat.

*Solennizatio.*

Romanenses addunt solennizationem, ut loquuntur, quâ quis prælato ritu solenni ac palàm se obstringit, ad voti obligationem, ut monachi faciunt.

*Divisio votorum in Papatu multiplex.*

In papatu variè dividuntur vota: primùm *in solennia & simplicia. Solenne votum* Pontificiis est, cùm solennis aliqua juris formula, qualitas, sive conditio additur, videlicet vel sacri ordinis susceptio, vel religionis approbatæ confessio. *Simplex* est omne aliud votum, sine solenni aliquâ juris formulâ factum.

Deinde in *implicita* & *explicita*: *implicita* vocant, cùm quis suscipit aliquid, quod votum requirit, ut in ordinatione ad sacra requiritur à Pontificiis votum castitatis: *explicita*, cùm quis Deo se expressè obligat.

Tertiò in vota *absoluta & conditionata. Absoluta* sunt, quæ nullam adjectam habent conditionem. *Conditionata* sunt certa conditione affecta, ut si voveas, te ad loca sancta profecturum, vel religionem certam suscepturum, si ex morbo convalueris &c.

Quartò *absoluta* vota distinguunt *in temporalia & perpetua. Temporalia* vocant, cùm quis ad certum tantùm tempus se ad rem aliquam obstringat, ut ad jejunium aliquot dierum. *Perpetua*, quæ durant usque ad vitæ finem, ut est votum castitatis.

Quintò *conditionale* votum distinguunt *in pœnale & non pœnale. Pœnale* est, cùm quis sub conditione certæ pœnæ, si non promissis steterit, aliquid vovet; *non pœnale*, quod talem pœnam adjectam non habet. De quibus omnibus vide *Azorium tom.1.institut.lib.*11.*cap.*14.

Sed cùm hæ votorum species non omnes verbo divino congruæ sint, distinctiones has omnes non admodum attendimus.

*Votum perpetuum Christianorum est baptismus.*

Votum Christianorum perpetuum est baptismus, in quo homo Satanæ & mundo abrenunciat, semetipsum abnegat & Christo se serviturum promittit: unde baptismus appellatur *stipulatio bonæ conscientiæ* 1. *Pet.* 3, 21. Hoc votum quotidiè repetitur in exercitiis pœnitentiæ, & omninò necessarium est, tanquam præcipua pars cultus divini.

*Præter illud perpetuum votum in scriptura tria reperiuntur votorum genera. 1. εὐχαριστίας gratitudinis.*

Præter hoc generale & perpetuum votum, in scriptura tria repeririuntur alia votorum genera. Unum est *gratitudinis*, quòd vocare possumus εὐχαριστικὸν, cùm quis in periculis constitutus gratitudinis ergò vovet aliquid Deo liberatori suo, si inde fuerit ereptus, sicut David Deo non despicienti orationem



Digitized by Google

suam promittit: *te laudabo in ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium te, Psal. 22, 26.* Et iterum: *introibo domum tuam in holocaustis, & reddam tibi vota mea, quæ voverunt labia mea, & locutum est os meum, dum essem in angustiis, Psal. 66, 13, 14.*

*2. εὐσεβείας, devotionis.* Alterum est devotionis ac pietatis, quod appellare possumus religiosum, quo voventur Deo servitia nostra, quale votum erat Davidis *Ps. 132, 2, 3. juravit Domino, inquit David, votum vovit Deo Jacob, si introiero in tabernaculum domus meæ, si adscendero in lectum strati mei &c.* quò pertinet votum Nazaræorum, quo se consecrabant Domino certis ritibus, quos Deus ipse describit *Num. 6* & votum Hannæ, filium suum offerentis Deo *1. Sam. 1. vers. 11.*

*3. παιδαγωγίας, obedientiæ & observationis.* Tertium est externæ pædagogiæ, seu legalis observantiæ, quod vocare possumus pædagogicum, quo in V.T. certorum dierum jejunium, aut quarundam rerum abstinentiam vovebant, de quo *Num. 30, 3.* agitur.

Cùm ergò vota suum in scriptura fundamentum habeant, omnibusque gentibus usitata sint, facileque hac in parte peccari queat, operæ pretium est, considerare casus, qui in hoc genere conscientiam angere possunt.

## CASUS I.

Primùm omnium dubitare quis posset:

### *An etiam vovere quid Deo sit licitum?*

Resp. Neque hæc dubitatio omninò est de nihilo. Nam ratio dubitandi quadruplex dari potest: *Quadruplex dubitandi ratio.* 1. Quia jam ante omnia nostra debemus Deo, ad quæ ipsi offerenda præceptum divinum nos urget, ita ut non sit opus peculiari obligatione ex voto.

2. Quia, quod Deo liberè offertur, magis ei placet, quia cultum à nobis requirit spontaneum: vovendo verò necessitatem nobis imponimus, quæ invitos potest reddere cultores, quo ipso oblatio suam amittit gratiam: hilarem enim datorem amat Deus.

3. Periculum est transgressionis: si quis enim ea, quæ vovit, non præstaret, peccato se obstringeret: meliùs ergò fortè esset non vovere, quàm conscientiis laqueum nectere.

4. Præterea nullum est in N. T. mandatum, quo vota à nobis exigantur, nulla promissio, quòd DEO sint grata, nobisque utilia futura.

Resp. Hæc omnia tanti momenti non sunt, ut quæ subinde fiunt à piis, temerè in dubium vocemus. *Respondetur ad primam dubitationem.*

Digitized by Google

mus. Nam quod primum attinet, omnia quidem nostra debemus Deo: sed ad præstandum plerumque segniores sumus. Vota autem faciunt ad excitandos animos nostros, ut promtiores simus ad præstandum, ad quod aliàs nos obstrictos novimus. Sic *Iacob. Gen.* 28,21. vovit, se Deum veneraturum, ad quod tamen vi primi præcepti obstrictus erat.

Objicitur id, quod Thomas scribit *in* 14 *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 1. materiam voti propriè non esse rem alioqui lege imperatam, sed tantùm consilium; sed hoc ita intelligendum, quòd res imperata non est solius voti materia, sed & præcepti, ut res quæ in consilium cadit, est solius voti materia, non legis aut præcepti.

*Resp. ad secundam. Vota afferunt præstandi necessitatem, sed non coactionem.* Ad secundum: vota quidem necessitatem præstandi afferunt, sed non coactionem. Sicut enim liberè fiunt, (nam quæ extorquentur invitis, Deo minimè placent:) ita & libero spiritu præstantur, licet ratione promissionis debitum involvant. Distinguendum ergò inter *necessitatem debiti & coactionis*: hæc cum libertate pugnat; illa non item. Nam & bona opera necessariò facimus, quia sunt præcepta, & ratione præcepti debitores sumus *Rom.* 8,12, 13,7,8. & tamen non sunt coacta, nec fiunt ab invitis, sed libero spiritu: nam *ubi spiritus Domini est, ibi libertas* 2. *Cor.* 3,17. Ita vota præstantur ex debito, quia promissa, omne autem promissum cadit in debitum: non tamen ex coactione, quia promissio libertatem spiritus non tollit. Necessitas coactionis cum tristitia conjuncta est, ideò Paulus non vult eleemosynas dari ex tristitia aut necessitate 2. *Cor.* 9,7. necessitas verò debiti cum gaudio, quia lætantur pii, cùm vel præceptis divinis, vel promissis suis satisfaciunt.

Ad tertium dico: distinguendum esse inter naturam rerum, & inter ea, quæ sunt ex nostro vitio; quæ prioris generis sunt, utique fugienda & intermittenda, ut petere vel vovere illicita ac inhonesta: quæ verò posterioris generis, non semper sunt ob periculum illud omittenda. *Resp. ad tertiam.* Nam & cibus & potus periculum aliquod importare potest, non ex natura sua, sed nostro vitio, si intempestivè aut immodicè eo utamur, non tamen propterea à cibo & potu prorsus abstinemus. Ad ea, quæ naturâ suâ periculosa sunt, vota non pertinent: nam uti dixi, ea quæ vovemus, aliàs Deo debemus: ergò etiam vovendo nos ad ea præstanda excitatiores facere possumus. Ut autem in difficilioribus periculum omne caveatur, præstat votum facere cum conditione, si Dominus voluerit, viresque præstandi largitus fuerit: nec voveamus aliquid divina lege prohibitum, aut impossibile, neque omni tempore vitæ nostræ, sed ad tempus saltem faciendum, ita periculum facilè evitabitur.

Postremum quod attinet, verum

*Resp. ad quartam.* rum quidem est vota ad V. T. potissimum pertinere, ubi & præcepta & exempla votorum habemus: Novo exempla rariora sunt, præceptum verò nullum. Nuspiam tamen interdicta sunt vota Christianis. In V. T. erant pars cultus divini, ut ceremoniæ aliæ, sicut patet ex *Levit.* 27, 2. in Novo autem sunt tantùm subsidia & adminicula cultus. In V. T. multa vota erant necessaria, ut vota sacrificiorum & oblationum, tum, cum ædes & agri in usum templorum conferebantur; In N. verò sunt libera, ut constat ex *Act.* 5. *v.* 4. Et si fiunt, utilitatem suam habent eximiam, quòd nimirum hominis animum in bono confirmant, & à malè agendo nos cohibent, modò aliàs nihil in se habeant vitiosi; de quo postea.

*Vota licita, quoad materiam, trium sunt generum.* Sciendum igitur est, vota licita quoad materiam trium esse generũ: 1. *Vota de moralibus officiis*, ut de observantia mandatorum Dei, & fugâ peccatorum, quale votum fecimus in baptismo. Ad hæc vota omnes obstringimur: sunt enim pars cultus divini, semperque propositum nobis esse debet servare ea, quæ Deo promisimus in baptismo, ideò *Lutherus* solum baptismum appellavit *religiosum Christianorum votum, in quo fit omnium una & communis obligatio, quâ ad præstandum Deo cultum spontaneum & in ejus verbo præscriptum obstringuntur, serm. de sacro baptismo tom.* 1. *Ien. germ. fol.* 187.

2. *Vota de officiis ceremonialibus*, ut de sacrificiis offerendis, de bonis nostris ad usum templi conferendis. Hæc vota propriè ad V. T. pertinent, & nos hodie non obstringunt, quia ceremonialia omnia per Christum sublata sunt.

3. *Vota de exercitiis corporalibus*, ut de jejunio, de facienda eleemosyna, de abstinentia à quodam cibo aut potu causa temperantiæ. Talia vota etiam præstari hodie possunt, modò non fiat opinione cultus aut meriti, sed ex libertate Christiana, ut ad preces, labores, meditationes & alia promtiores simus. Nullus autem cultus in iis consistit, quia *exercitia corporalia pietati opponuntur.* 1. *Tim.* 4. *vers.* 8.

## CASUS II.

Alterum, quod conscientias turbat, concernit eum, cui vota præstantur: dubium enim est:

### *An etiam liceat vovere sanctis?*

RESp. Dubium hoc movent Pontificii, ex quo se facilè extricare possent, si sibi ipsis constarent. Nam scholastici expresè docent, vota soli Deo fieri, & hoc ipso votum à promissione distinguunt, quòd illud fiat soli Deo, hæc verò homini.

Sed ab hac scholasticorum doctrinâ discesserunt recentiores. Nam *Bellarminus* expresè scribit *lib.* 1. *de cultu sanctorum cap.* 9. *posse vota aliquãdo sanctis nuncupari certissimũ est,*

*& lib.*

*& lib. de Monach. cap. 14. vota verè fiunt sanctis.* Et in religionum institutis, cùm religiosi solenni ritu regulam profitentur, votum Deo & sanctis nuncupant, hunc in modum: *Deo & B. Augustino, vel B. Francisco, vel B. Dominico & tibi priori vel præposito generali, &c.*

Quæ omnia probare non possumus, votumque impium esse statuimus, quod non fit soli Deo. Nam cũ vota exiguntur in scriptura, expressa mentio fit solius Dei, *Deut.* 23, 21. *Psal.* 50, 14; 76, 12. *Eccles.* 5, 3. solus etiam Deus jus habet animadvertendi in eos qui vota violant: & vota sunt species aliqua confessionis & religiosæ invocationis, quam soli Deo debemus. Ut ergò in precibus & juramentis; ita & in votis male Deo adjunguntur sancti defuncti.

Vident hanc veritatem Pontificii, ideo opinionem suam de votis, quæ præstant sanctis, ita emolliunt, ut dicant promissionem factam sanctis vel prælatis cadere sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo, se impleturum, quod sanctis vel prælatis promittit, ut habet *Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 3.

Verum sanctis defunctis nihil promittere possumus, quia nec sciunt cordium nostrorum recessus, nec audiunt promissa, neque opitulari possunt, nec vindicare, si promissa non servantur. Si verò Deo vovetur præstatio eorum, quæ promittuntur hominibus vivis, si promissa sunt licita, votum illud malum non est, sed in eo homines Deo non junguntur in voto, sed tantùm in materia voti, de quo non est controversia.

Dicunt alii: Votum Deo fieri in præsentiâ tantùm sanctorum, qui ut testes, advocati, & patroni adhibentur, ut quæ promittimus, faciliùs commodiusque præstemus, ut habet *Azor. lib.* 11. *c.* 13. *tom.* 1. *instit.*

Sed, 1. hæc explicatio non congruit formulæ voti, quo quid vovetur Deo & Augustino, &c. 2. sancti defuncti non audiunt nos, nec cognita habent instituta nostra, quomodo ergò in testimonium vocari possunt? 3. Deus non opus habet testibus, qui corda & renes scrutatur, & in reos violati voti facilè animadvertere potest.

Idem Azorius dicit: vota quidem fieri Deo, sed sanctis tanquam Dei ministris ipsius locum tenentibus: Deo fieri jure, & nomine ipsius, hominibus verò nomine Dei: Sed hac ratione etiam magistratui, parentibus, & aliis qui locum Dei tenent, vota nuncupanda essent, cum tamen hæc sit pars gloriæ suæ, quam dare non vult alteri: neque uspiam legitur, Deum voluisse, ut hominibus nomine Dei vota fiant, neque exempla habemus eorum, qui hoc fecerint.

Figmentum ergò Papisticum est, & malæ causæ indicium, quòd nunquam solidare potest conscientiam. Quam ob causam vel vota prorsus omittamus, vel ea soli Deo nuncupemus.

## CASUS III.

*De personis ad vota admittendis.*

## *Quinam sunt ad facienda vota admittendi?*

*Infantes aut amentes non possunt vovere.*

RESP. Cùm votum fieri debeat ex proposito & deliberatione, ratio docet, vovere non posse infantes, aut amentes, qui cum voti naturam non intelligant, jure naturali à vovendo arcentur.

*Qui sub aliorum potestate sunt, non possunt vovere.*

Sunt autem alii etiam, quibus jure divino vovere prohibetur, ut omnes, qui non sunt sui juris, sed sub aliorum adhuc potestate. De his enim legitur *Num.30,6.* quòd pater votum filiæ in ætate puellari constitutæ mox contradicendo, irritum facere potuerit v. 6 & sponsus votum desponsatæ, v. 7. & maritus votum uxoris *v. 13.*

Quo quidem in loco nulla fit mentio filiifamilias & servi, sed eadem quoad hos etiam ratio est: quia Deus potestatem patris à filio, aut domini à servo prætextu voti non vult infringi. Sunt enim ipsi quoque sub aliena potestate, ideò hic in genere sine superiorum consensu vovere ipsis non licet.

Intelligendum autem hoc est de votis iis, quæ vel obsequium, aut familiæ administrationem, aut jura connubii impediunt, vel corporalia quædam exercitia, puta jejunium aut abstinentiam à certis rebus concernunt: in his sine superiorum consensu, hi qui sui juris non sunt, vovere nihil possunt, quia tam quoad personam, quàm quoad res, opera & actiones suas sub alienâ sunt potestate. Voto verò moralia, ut de servandâ castitate, de faciendis precibus, aut eleemosynis similibusque rebus, facere possunt etiam sine præscitu superiorum, quia in his non sunt obstricti hominibus, sed Deo, qui ista pietatis exercitia ab ipsis exigit: neque verisimile est superiores in hisce contradicturos esse: modo hic caveatur vovendi necessitas: nam opera pietatis etiam absque voto præstantur, ob majorem tamen animi excitationem votum accedere potest. Absit etiam opinio meriti: nam opera pietatis non sunt meritoria, sed debita obsequia.

*Q. An vir sine uxoris consensu aliquid vovere possit?*

Disputant hîc Scholastici: *an etiam vir sine uxoris consensu aliquid vovere possit?* Negant hoc *Innocentius*, *Andreas*, *Antonius*, *Butrius*, quia vir & uxor sunt pares: affirmant *Hostiensis*, *Abbas*, *Panormitanus & Gloss. in c. Manifestum 33. q. 5.* quia vir sit caput mulieris. Quæ posterior sententia vera quidem est. Quia tamen inter conjuges arctissima rerum est communio, æquissimum esset, ut & hac in re mutua fieret instituti in sese honesti communicatio.

*Q. An Episcopi & sacerdotes, an abbates & Prælati, an monachi & moniales absque consensu supe-*

Disputant etiam, *an episcopi & sacerdotes, an abbates & prælati, an monachi & moniales absque consensu superiorũ vovere possint?* qua de re prolixus est *Azorius tom. 1. instit. lib. 11. c. 16.* Sed de abbatibus, prælatis, monachis, & monialibus frustra quæritur,

*rierum vovere possint.* ritur, quid ipsis liceat, cum totum illud vitæ genus non à Deo sit, sed humanum inventum, sanctionibus divinis in multis rebus oppositum. Sacerdotum verò & ministrorum ecclesiæ vota sunt cum aliis Christianorum votis communia, ut peculiariter de ipsis quærere opus non sit.

*Quinam possint vovere? 1. Qui sui juris sunt.* Concludimus igitur 1. vovere posse omnes, qui sui juris sunt, vel ratione ætatis, vel ratione status & conditionis. Unde sequitur, malè fieri in Papatu, quòd ad vota monastica non tam admittuntur, quàm adiguntur impuberes, qui vix decimum quartum ætatis annum expleverint, quod ante *Concilium Tridentinum* jure antiquo licitum fuisse, docet *Azorius loco dicto, & Thomas secunda secundæ quæst.* 88. *art.* 8. *Q. An rectè in Papatu impuberes ad vota monastica adigantur?* Nam, præterquam quòd vota illa monastica per se sunt illicita, ut suo loco probabimus, ætas insuper illa adhuc infirmior est, quàm ut statuere possit, quid homini ad extremum usque vitæ halitum utile sit, & servatu possibile.

Quod animadvertens *Concilium Tridentinum*, consuetudinem illam antiquam mutavit, & ne professio monasticis ante annum ætatis decimum sextum fieret, decrevit *sess.* 25. *cap.* 15. sed ne sic quidem consulere possunt conscientiis. Nam & illa ætas, quæ conciliabulo Tridentino isti oneri ferendo sufficiens visa est, satis adhuc est lubrica, & minùs idonea ad præstandum id, quod vix viri fortissimi præstare possunt. Lubricæ autem ætati fides facilè haberi non debet, scribit *Ambrosius in cap.* 5. *prioris ad Timoth.*

Probè hoc intellexerunt veteres: ideò concilium *Cæsaraugustanum Can. ult. & Agathense can.* 17. virgines ante annum ætatis quadragesimum velari prohibuit, & concilium Romanum can. 10. monachos ante annum 25. consecrari noluit, de virginibus autem sanxit, ne ante annum ætatis septuagesimum secundum benedicantur, & rationem addit, quia post eam ætatem non est periculum ne earum pudicitia violetur. Sed ab his veterum conciliorum statutis, jam pridem divortium fecerunt Romanenses.

2. Vovere possunt, qui in vovendo intra limites vocationis suæ se continent: si v. per votum in vocatione suâ impediuntur, ad vovendum non sunt apti. *2. Qui inter limites vocationis manent.* Unde sequitur, vota de peregrinationibus ad loca sanctorum, quæ fiunt religionis causâ, non sine sumtu & impedimento negotiorum debitorum nobis ratione vocationis commissorum, non esse licita: *Quæstio. Quid sentiendum de votis peregrinationum ad loca sanctorum in papatu.* quia hac ratione vitæ genus divinitùs nobis demandatum deseritur, & novum, quod nullo Dei verbo nititur, suscipitur, id quod sine vulnere conscientiæ fieri non potest. Omnibus enim dictum est. 1. *Cor.* 7, 20. unusquisque in vocatione, in quâ vocatus est, maneat.

## CASUS IV.

*De materia voti.*

## *Num promiscuè, quicquid nobis libitum fuerit, vovere licet?*

RESP. Materia liciti voti non est arbitraria, sed certis limitibus inclusa. Non enim temerè vovendum est Deo, quod vel præstare nefas est, vel impossibile, hoc enim esset illudere Deo. Sit ergò regula: *Materia voti esse debet actus alicujus virtutis, aut res alioquin bona, honesta, gravis, possibilis, utilis.* Unde colligitur, quidnam vovendum non sit.

*Quid non sit vovendum?*

1. *Non sunt vovenda res illicita verbo Dei prohibita.*

Vovendum non est 1. peccatum aut res illicita expresso Dei verbo prohibita, quale votum erat illud Judæorum, quod voverant Melechet cœli *Jer.* 44, 25. aliorum, qui se obstrinxerant voto, se neque esuros, neque bibituros, donec Paulum interfecissent *Actor.* 23, 13, 14. Hujus generis est, si voveas te adulterium, aut maleficium aliquod cōmissurum, te inimico non condonaturum, te ad tempus aliquod eleemosynam non daturum: quò pertinet votum Papale de interficiendo rege, suâ opinione, hæretico. Ita Deus recipere noluit mercedem meretricis, aut precium canis, licet voto oblatum *Deut.* 23, 16. Et summatim: *quicquid pugnat cū pietate & officiis caritatis aut misericordia, votū facit impium ac illicitum*: Tale votum est, si quis voveret, se nunquam publicum aliquod munus suscepturum: hoc enim esset labores subterfugere & talentum divinitùs acceptum defodere. Item si quis voveret, se ad tempus non daturum eleemosynam, nec visitaturum ægrotos, nec, mutuum daturum &c. Hæc enim omnia sunt contra leges caritatis. Ideò qui tale votum facit, peccat, quia vovet id, quod DEO displicet.

2. *Non sunt vovenda res inepta.*

2. Non est vovenda res levicula & inepta, ut si quis voveat, se sabbato, aut certo aliquo die præcisurum ungues, se paleam aut festucam non sublaturum. Huc pertinent stulta illa & superstitiosa vota, quæ *Thomas in* 4. *dist.* 33. *qu.* 1. *& Navarrus in Manuali c.* 12. *num.* 17. exempli loco afferunt, quòd muliercula vovet de non edendo in sabbato ob honorem Deiparæ, quòd alius quis vovet de non edendis capitibus animalium ob cultum & honorem Johannis Baptistæ, vel de non edendis carnibus igni assis ob venerationem S. Laurentii Martyris. Quæ quidem vota ut susperstitiosa improbat *Iohan. Azorius tom.* 1. *institut. lib.* 11. *cap.* 16. *q.* 5. approbat autem, si fœmina voveret, se in die sabbati ab omni opere servili cessaturam ob Deiparæ cultum, aut si votum faceret de non edendis carnibus ob cultum S. Johannis aut Laurentii. Sed æquè stolidum hoc votum est, ac prius, partim, quia opera servilia in Sabbatho requirere posset casus necessitatis, quem votum nullum impedire potest, partim, quia ob nullius

lius sancti cultum aliquid est vovendum, cùm ipse cultus sanctorum sit illicitus.

*3. Non sunt vovenda res impossibiles.*

3. Non est vovenda res impossibilis, ut si quis voveat se sydera, aut arenam maris numeraturum, si quis Iro pauperior voveat in usum divinum regias divitias, ideo olim in voto pauperis fiebat æstimatio, quantum posset reddere *Levit.* 27. *v.* 8. nam ad impossibilia nemo potest obligari. Huc pertinet votum, quo quis nunquam se peccaturum vovet: optare quidem hoc possumus, sed vovere non licet, quia ob carnis imbecillitatem nunquam præstabitur. Sic si quis voverit, se factam confessionem omnium peccatorum editurum coram sacerdote, *Azorius* pro licito voto habet *lib.* 11. *cap.* 14. *qu.* 4. sed scriptura inter impossibilia ponit, dicente regio Psalte: *delicta quis intelligit? Psal.* 19. *v.* 13.

*4. Non est vovenda res certo eventura aut necessaria.*

4. Non est vovenda res alioqui certo eventura, aut necessaria, ut si quis voveat, se certo moriturum, nam cùm vota fiant DEO, his rebus in vanum usurpatur nomen Domini, & talia vota parum differunt à stolidis illis & ineptis, de quibus antea, quæ nullam prorsus habent utilitatem, interdum etiam cum levitate sunt conjuncta.

*5. Non est vovendum quod corpori vel animæ periculum offert.*

5. Quod sine periculo animæ aut corporis fieri non potest, non est vovendum, ut sunt immodica jejunia, flagellationes corporis, diuturna habitatio inter hostes veritatis & similia.

*De voto Jephte.*

Ad hanc quæstionem de materia votorum pertinet nobile illud dubium de voto *Iephte Iudic.* 11. *vers.* 31. de offerendo in holocaustum eo, quidquid ipsi revertenti è bello Ammonitico primum omnium in occursum venerit, egressum ædibus suis: idque filiam suam tetigit, quæ parentem victorem cum tympanis & choris excepit.

*Q. An Iephte filiā suam immolaverit.*

Votum hoc quia crudele & inhumanum videretur, si immolasset Jephte filiam, ideò aliqui filiam non immolatam, sed perpetuæ virginitati consecratam censent.

Alii verò verborum claritate moti, judicant filiam à patre immolatam fuisse, sed votum patris temeritate non caruisse, ideoque inter vitia magni illius viri referunt: in quâ posteriore sententiâ sunt *Origenes tom.* 8. *in Iohannem, Chrysostom. homil.* 14. *ad pop. Antioch. & homilia de Iephte, Tertullianus li.* 3. *cōtra Marchion. ca.* 4. *Augustinus lib.* 7. *quæstion. in Vetus T. quæst.* 49. *Ambros. lib.* 3. *officior. cap.* 12. *Hieron. in cap.* 7. *Ierem. Iosephus lib.* 2. *antiq. Iud. cap.* 9. Qui omnes existimant Jephten in vovendo fuisse temerarium; in solvendo inhumanum: cui sententiæ etiam subscribit *Lutherus* noster, & suffragatur claritas textus. Vovit enim Jephte, se, *quidquid primùm egressum sit foribus domus suæ, oblaturum domino in holocaustum vers.* 32. 33. cumque filiam sibi primum omnium obviam vidisset, laceravit vestes suas vehementer perturbatus, quod jam ob votum filiam co-

geretur immolare, *fecit enim ei uti voverat, v 36,37.*

Priorem sententiam tuentur Iudæi nonnulli, quos sequitur *Lyra, Perkinsius*, & plerique ex *Calvinianis* alii.

Iesuita *Azorius* priorem quidem sententiam amplectitur, sed tantùm propter consensum Patrum, qui si non obstaret, apertè fatetur, sibi Lyrani sententiam magis probari. *tom. 1. instit. lib. 11. c. 14. q. 2.*

*Votum perpetuæ virginitatis tempore Iephte in V. T. non fuit usitatum.*

Verum enimverò, quò minus sententiæ priori subscribamus, obstat ratio quædam evidentissima; quia nimirum neque ex scripturâ, neque ex aliis idoneis scriptoribus probari potest, votum perpetuæ virginitatis tunc temporis in populo Dei usitatum fuisse. Quidquid enim sit, quod de *Essenorum* instituto, quasi illud tunc temporis jam in usu fuerit, nonnulli prætendunt, de virginibus tamen hoc ostendi non potest, quòd per votum perpetuæ virginitati destinatæ fuerint: nam sterilitas apud Iudæos contumeliosa & pro signo maledictionis habita fuit, quin & ne hodie quidem Iudæis hujusmodi virginitatis votum notum est.

Qui posteriorem sententiam sequuntur, primùm nituntur ambiguitate Hebræi textus in v. 31. ubi in vulgatâ versione habetur: offeram eum holocaustum Domino: in fontibus verò legitur;

והיה ליהוה והעליתהו עולה

& erit Domino, & in holocaustum offeram Domino, quæ verba disjunctivè legunt; aut offeram domino, si nimirum tale erit, quod offerri potest: aut erit Domino consecratum: multa enim occurrere poterant, quæ offerri aut immolari non poterant, sed pecuniâ templo inferendâ redimenda erant, ut animalia immunda & similia.

Sed ratio illa interpretandi hunc textum per disjunctionem, non est necessaria, cùm & copulativè exponi queat, ideò LXX. interpretes posteriorem copulam prorsus omiserunt: ita enim reddiderunt καὶ ἔσται τῷ κυρίῳ, ἀνοίσω αὐτὸν ὁλοκαύτωμα: præterea ET pro VEL accipitur in duabus quasi distinctis speciebus, aut ejusdem speciei individuis, ut *Gen. 26, 11. qui tetigerit hunc virũ aut uxorem ejus &c.* & *Exod. 21. v. 15. qui percutit patrem aut matrẽ morte morietur*, non autem in duobus, quorum unum est genus, alterum species; vel unum species & alterum individuum: ineptum enim esset, si dicas: hoc est substantia, vel corpus; anima, vel homo; homo vel Petrus. Ita etiam in nostro textu consecrare aliquid Domino, quasi genus est, & in holocaustum offerre, quasi species: nam qui holocaustum offert, is etiam Domino consecrat, quod offert.

*Observatio de vocula VEL & ET.*

*Exceptio solvitur.*

Sed dicunt, homines immolari lege non licebat. Verùm hoc sententiæ priori nihil obstat. Eam enim ob causam votum hoc pro temerario habetur, & Iephte à Paraphraste Chaldæo reprehenditur, quòd Phineam sacerdotem summum non consuluit, antequam, sicut voverat, face-

faceret. Quidam etiam Phineen punitum esse putant, quod Iephten non accesserit, monuerit que votum illud pretio solvi posse.

*Exceptio nova.*

At verò, inquiunt, Iephte Sp. S. regebatur v. 29. & fide victoriam obtinuisse dicitur, *Hebr.* 11,32. quomodò ergò tàm crudeli voto se polluere potuit? Quæ sanè ratio nonnullos movit, ut statuerent, in voto Iephte nullum fuisse peccatum, quia Sp. S. afflatu ac incitatu religiosè voverit ac exsolverit: in quâ sententiâ est *Nicolaus Serarius in c. 11. Judicum qu. 12. fol. 326.*

Sed non video, quomodo stante hac sententiâ Deus à credulitate, quasi humanis delectaretur cædibus, absolvi possit. Nam homicidia, quæ Deus ipse in lege interdixit, nunquam ipse jubet, aut ad ea instigat: quòd enim Abrahamum jussit immolare filium, tentatio erat seu probatio, non præceptum: nunquam enim seriò hoc voluit Dominus: ideò nec in effectum duci permisit.

*Quomodo Spiritus S. fuerit super Iephte.*

Quod autem Spiritus Sanctus super Iephte fuisse legitur, non eum sensum habet, quasi ex instinctu Spiritus S. votum hoc fecerit, ac solverit: sed quia is hunc heroem in hostem animavit, victoriamque largitus fuit: quod etiam absque voto isto fieri potuit.

*Fides sanctorum multas habet imperfectiones.*

Fidem habuit Iephte, sed fides sanctorum multas habet imperfectiones, sicut *Gedeon* & *Simson* fidem & Spiritum S. habuerunt, & tamen ille dubitatione, hic concubinatu polluebatur. Primum ergo argumentum adversariorum nihil probat.

*Nova exceptio.*

Deinde Iephten filiam suam virginitati perpetuæ consecrasse probare volunt: quòd puella petiit à patre sibi copiam fieri ad menses duos, virginitatem suam deplorandi in montibus v. 37. quia voto parentis à conjugio in æternum arcebatur, ipsaque non cognoverat virum v. 39. sterilitas autem in maledicto censebatur *Exod.* 23,26. *Deut.* 7,14. *Sap.* 3,13. id quod deplorare illa voluit. Si immolanda fuisset, non tam virginitatem, quàm vitam deplorasset.

*Respondetur ad hanc exceptionem.*

Verùm infirma est ratio. Nam cùm ob pertinax parentis votum sibi absque revocatione moriendum esse videret, vehementer sanè deplorabat conditionem suam tam tristem, quod sibi è vivis discedendum videret, antequam prolem susciperet, per quam non tantùm nominis sui memoriam in populo DEI conservaret, sed & verum Dei cultum propagaret: quod sanè piorum in populo Dei votum erat maximum.

*Aliud κρησφύγετον.*

Dicunt præterea, ex eo, quod puellæ quotannis iverunt ad invisendam Iephte filiam, satis constare, quòd non fuerit immolata. In Hebræo n. textu legitur v. 40. convenisse filias Israel לתנות, quæ vox in latina versione redditur ad plangendum: sed posse æquè reddi ad confabulandum seu colloquendum: unde colligunt convenisse eas, ut colloquiis suis solitudinis suæ dolorem mitigarent.

Sed

Digitized by Google

Sed nulla est necessitas hujus versionis. Nam vox Hebræa תנה in secunda significatione significat dono dedit, quod generale est, & intelligi potest de planctu & colloquio, quo donarunt puellam. Interpretes plerique hoc in loco reddiderunt per planctum. Paraphrastes Chaldæus, habet vocem leallah, quæ est à radice, alà, quæ sine dubio plangere significat: Rabbi Salomon & Cimhi reddunt per lekonen ad lamentandum: Radix enim Konen significat, lamentatus est. LXX. habent θρηνεῖν: & sic Lutherus quoque zu flagen.

Deinde si maximè reddas, ad colloquendum, annotarunt tamen eruditi, quod addita vox lebath non sit reddenda, cum filiâ, sed de filia, ut sensus sit, venerunt ad colloquendum de filiâ Jephte, quàm miserè nimirum perierit in virginitate, ob votum parentis, atque sic colloquendo hac de re simul conquesti sunt, ut parentes inposterum in vovendo cautiores sint. Et huc afferunt exemplum, ubi Lamed accipiatur non pro Ad sed pro De, *Esa.* 41. *v.* 7. ledebek de glutine, seu ferrumine, quem Hebraismum imitatur Apost. *Hebr.* 1, 7. πρὸς τοὺς ἀγγέλους, pro περὶ τῶν ἀγγέλων, *& cap.* 4, 13. πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος pro περὶ οὗ de quo nobis est sermo.

Cùm ergo nulla sit ratio, quæ solidè convincat, Jephten filiam suam non immolasse, sed tantùm perpetuæ virginitati consecrasse; concludimus, Jephten circa materiam voti aberrasse: quem ejus errorem quidam sic emolliunt, ut dicant Jephten, partim consuetudine gentilium, qui liberos suos interdum diis immolabant, seductum, partim exemplo *Abrahami* immolare volentis filium, persuasum fecisse, quod facere aliàs lege divinâ non licuit.

Sed neutra ratio excusat Jephten: gentilium enim mores sequi populo Israelitico piaculum erat, quem eam ipsam ob causam Deus à gentibus sequestravit, ne mores gentium disceret *Deut.* 4, 6. 7.

Abrahami quoque exemplum, quia speciali utitur mandato DEI, non est ad imitationem propositum. Generale autem præceptum erat, ne immolarentur homines *Deut.* 12, 31. quod in voto Jephte meritò fuisset attendendum.

Talis ergò error in hoc voto commissus est, qui pœnitentiâ expiandus erat, quam etiam Jephte egisse creditur, cum aliàs nomen ejus inter eos, quorum fides celebratur in epistola ad Hebræos, referri nequeat.

## CASUS V.

*Potestnè aliquis votum Deo facere, quòd certum aliquod peccati genus sit vitaturus?*

Resp. Supra diximus, hominem in hac imbecillitate naturæ corruptæ peccatum omne effugere non

*De voto, quoad certum genus peccati evitandum.*

non poſſe, ideò neque ad hoc voto ſe obſtringere debere. Alia tamen ratio eſt, ſi de certa quadam ſpecie peccati quæratur.

*Scholaſticorum opinio.*

Scholaſtici exiſtimant, votum quidem de omni veniali peccato vitando nullam vim habere, quia, ut quis omne peccatum veniale fugiat, eſſe ſpecialis gratiæ divinæ munus: votum verò de omni peccato letali fugiendo eſſe ratum & firmum, quia divinæ gratiæ beneficium, quo quis poteſt ab omni letali peccato abſtinere, non ſit ex inſolitis Dei beneficiis, licet magnum ſit Dei donum.

De peccato verò aliquo in ſpecie dicunt, poſſe aliquem vovere, ſe certum peccati venialis genus devitaturum, quanquam aliqua ſint peccati venialis genera, quæ difficilè dignoſcuntur & declinantur, ac propterea vitatio eorum vovenda non ſit: ſi quis eam voverit, ſuadent ut vel in aliud commutandum vel ad relaxandum curet, quæ diſputatio legatur apud *Ioh. Azorium tom.* 1. *inſtitut. lib.* 11.*c.*13.*qu.*4.

*Examinatur Pontificiorum ſententia.*

Verùm enimverò, ſi ſcripturam ſacram conſulamus, ſatis apertè edocemur, evitationem omnis peccati tàm letalis quàm venialis in hac corruptâ naturâ nobis planè eſſe impoſſibilem. Et quanquam Pontificii producant exemplum *B. virginis & Ioh. Baptiſtæ*, quorum illam etiam abſque originali peccato natam, hunc ſine letali peccato vixiſſe putant, id tamen omni caret fundamento, ut alibi ex profeſſo docetur.

Scriptura docet, *quòd omne, quod ex carne natum eſt, caro ſit Iohan.* 3,6. *quodq́; omne figmentum hominis tantum pronum ſit ad malum omni tempore Gen.*8, 21. Hinc *concluſit DEVS omnia ſub peccatum, ut omnium miſereretur Rom.* 11, 32. *nec datur homo juſtus in terris, qui faciat bonum & non peccet* 1. *Reg.* 8, 46. *Eccleſ.* 7, 21. Unde *Auguſtinus cenſuit lib. de ſpir. & lit. cap.*36. *eum multum profeciſſe, qui quàm longè à perfectione juſtitiæ abſit, proficiendo cognovit.*

Cùm ergò nemo poſſit omne evitare peccatum, temerarium eſſet, voto ſe hanc ad rem adſtringere, hoc enim idem eſſet ac vovere, ſe pro remiſſione peccatorum, non precaturum amplius: hæc autem precatio locum non habet, ubi non eſt peccatum.

*Limitatio & cautio obſervatu digna.*

Fieri tamen poteſt, ut quis certam aliquam ſpeciem peccati ſe evitaturum, firmiter propoſuerit, ut eſt ebrietas, fornicatio, lites, & rixæ cum proximo, avaritia &c. Ad tale peccatum ſi quis ſe proniorem ſentit, voto repagula objicere poteſt ſuis deſideriis, ut eò diligentius ſibi caveat ab eo, ad quod vitandum aliàs divinâ lege compellitur. Hujuſmodi enim votum nihil aliud eſt, quàm firmum animi propoſitum, de fugiendo certo aliquo peccato, quod ne facilè nobis excidat, nec animus à propoſito illo exorbitet,

Ee votum

votum prohibet, quo animus noster in officio continetur.

Huius generis ferè est, quòd Job fœdus pepigit *cum oculis suis, ut ne cogitaret quidē de virgine Iob.* 31, 1. & quòd *Siracides optat, dari custodiam ori suo & super labia sua signaculum certum, ut non cadat ab ipsis, & ne lingua perdat ipsum Sir.* 22. *v.* 33. quæ sanè votis sunt quàm simillima.

*Consilium hac in re tutissimū.* Quòd si hoc in voto aliquid difficile videtur carni, precibus id compensetur, ut Deus, qui dedit animum vovendi illa, quæ sancta & honesta sunt, largiatur etiam vires ea præstandi. Nam gratia illa DEI fugiendi speciale aliquod peccatum, non est ἐκ τῶν ἀδυνάτων: multis enim concessit Deus gratiam abstinendi ab ebrietate, avaritiâ & similibus delictis, licet ab aliis omninò immunes esse non potuerint.

## CASUS VI.

*De rebus indifferentibus.*

### *An res indifferentes possunt esse materia voti?*

RESpond. Res indifferentes sunt contingentia omnia, quæ aliter se habere possunt, quàm eveniunt. De his communis est doctrina Scholasticorum, quòd simpliciter & in se consideratæ sub votum non cadant. Vanum enim esset vovere, non accedere ad convivium, non ingredi aliquam domum, non alere cum aliquo amicitiam: hæc enim omnia in se sunt licita, quæ per votum impediri non debent. Sed propter honestam circumstantiam aliquam fieri potest, ut & tale votum sit ratum & firmum: exempli gratiâ, si quis voveret se ad convivium non iturum ob vitandam ebrietatem, vel scurriles sermones, aut domum aliquam non ingressurum, ob vitandam occasionem peccandi, aut amicitiam cum aliquo non contracturum, ne seducatur, cuius generis occurrunt multa in quotidiano usu.

[Hic valet illud: *vitare peccatum, est vitare occasionem peccandi.*]

Occasio igitur mali facit, ut votum per se vanum atque irritum fiat justum, ratum atque firmum. Cùm autem occasio mali cessat, tunc res illa non amplius est materia voti, sed incipit rursus esse media seu indifferens.

## CASUS VII.

*De voto circa contrahēdum matrimonium, cum certa aliqua persona, aut de abstinendo in perpetuum à conjugio.*

### *Potestnè quis votum facere de contrahendo matrimonio cum aliqua persona, aut etiam de abstinendo in perpetuum à conjugio?*

RESp. In decisione hujus casus discrepant Scholastici.

Existimant aliqui, matrimonium, ut est naturæ officium, materiam voti esse non posse, quia impediat statum

ſtatum perfectionis, qualem eſſe putant cœlibatum, quem profitentur, qui religionem aliquam ingreſſi ſunt, aut ſacris ordinibus initiati. Qui ergò matrimonium vovet, eum idem facere ajunt, ac ſi voverit, ſe altiorem virtutis gradum non adſcenſurum. Si vero matrimonium ſit libidinis remedium, tunc ſub votum cadere poſſe concedunt, quia *Paulo* teſte, *melius ſit nubere, quam uri.* Eum itaque in quo libido dominatur, & cujus caſtitas illecebris ſæpè tentatur, conjugium vovere poſſe. Ita ſtatuit *Navarrus in Manuali c.12.nu.43. & Cajetanus in 2. ſecundæ q.88. art. 2.*

Contrarium ſentit *Sotus lib. 7. de inſtit. q.1. art. 3.* matrimonium videlicet non eſſe voti materiam, ne quidem quatenus eſt libidinis remedium, hoc eſt, ne quidem eum, qui incontinentior eſt, vovere poſſe, matrimonium ſe contracturum. Etſi enim qui matrimonium contrahit, libidini medetur, votum tamen matrimonii remedium libidinis non afferre.

Nos controverſiam illam non facimus noſtram.

*Omne votum, bonũ debet habere finem.*

Ut autem conſcientiæ ſatisfiat, præſupponimus, omne votum bonum habere debere finem: is vero finis bonus eſt, qui non eſt contra verbum aut ordinationem Dei, & qui juvat utilitatem proximi, aut etiam nobis ipſis eſt proficuus. Matrimoniũ ergò voveri poteſt, etiã quatenus eſt naturæ officium, ſi bonus aliquis finis votũ hujuſmodi poſtulet. Nam quòd ſtatum perfectionis impediat, falſa eſt hypotheſis, ſiquidem vix ulli homines perfectiores fuerint ſanctis Patriarchis, qui tamen in conjugio vixerunt, & liberos genuerunt, *Gen. 5.* neque credibile eſt, hominum inventum, qualis eſt certè profeſſio religionis, & perpetuus cœlibatus, majorem habere perfectionem, quàm ordinationem DEI, quale eſt conjugium.

*Falſa hypotheſis de ſtatu perfectionis in cœlibatu.*

*Poteſt ſe aliquis voto obſtringere ad matrimonium contrahẽdum, etiã extra periculum prædominantis libidinis.*

Incidere ergò poſſunt honeſtæ cauſæ, ob quas aliquis voto ſe obſtringat ad matrimonium contrahendum, etiam extra periculum prædominantis libidinis, ut ſi quis ad cœlibatum perpetuum tanquam ſtatum perfectiorem, in quo magnum ſit meritum, & quidem majus, quàm in conjugio, ab aliis adigeretur, tunc vovere poteſt, ſe quàm citiſſimè matrimonium contracturum, ut ipſo facto impiæ huic opinioni contradicat; Si cœlibatus ejus aliis fiat ſuſpectus, licet abſque ſuâ culpâ. Nam non tantùm conſcientiæ, ſed & famæ conſulendum eſt. Si Reipubl. alicujus ſalus conjugio partium diffidentium, uti interdum fit, recuperari, ſi puella aliqua ex hæreticorum aut tyrannorum manibus aut è ſuſpicione vitæ inhoneſtæ eripi poteſt: ſi ſpes eſt, ut per tale conjugium aliquis in vitâ ac moribus ædificari, quin & in rebus fidei & ſalutis æternæ juvari queat, (quemadmodum Petrus teſtatur 1. *Pet. 3. v. 1. viros infideles per mulierum converſa-*

Ee 2 tionem

*tionem etiã sine verbo lucrifieri posse,)* in tali casu etiam voto se quis obstringere potest Deo ad conjugium cum certâ aliquâ personâ contrahendum. Nam quod est occasio alicujus boni, quod temporalem & æternam felicitatem tam nostram quàm aliorum promovere, quod remedium esse potest ad peccata cavenda, id utique vovere licet. Et sic se habet votum de matrimonio contrahendo, quatenus est officium naturæ.

*Potest se aliquis multò magis voto adstringere ad matrimonium contrahẽdum, præsente libidinis periculo.*

Cùm autem sit remedium libidinis, multò magis voveri potest ab iis præsertim, qui vitiosorum affectuum dominium in se sentiunt: hoc enim nihil aliud est, quàm occasionem peccandi à se removere, quod citius per votum, quàm per simplex animi propositum impetrare quis à seipso potest. Quo tamẽ in genere, non, quid fieri debeat, aut ut fiat, necesse sit, quàm quòd liceat, si quis facere velit, attenditur.

Aliter verò se res habet, cum votum vel ad qualitatem personæ, vel ad finem aliquem minus honestum dirigitur, ut, si quis voveat, se conjugem nobilem aut divitem, aut formosam ducturum: hæc enim indifferentia sunt, quæ ut antè dixi, sub voti materiam non cadunt: aut si quis voveat, se uxorem ducturum non ob desiderium prolis, sed tantùm explendæ libidinis causâ: hic enim finis est illicitus. Nam, ut *Raphael ad Tobiam dixit: dæmonium habet potestatem super eos, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à suâ mente excludant, & suæ libidinĩ vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus Tob.6 v.17.* Ita si quis voveat, se matrimonium cum aliquâ personâ contracturum, ut eam veneno tollat, vel ad apostasian alliciat, vel aliàs peccatorum suorum consortem faciat, iniquum votum est, minimeque concedendum, nec obligare potest, quia fines illi omnes sunt illiciti.

Ex his omnibus constat, quid de votis in contrahendo matrimonio sit statuendum.

*De voto contra matrimoniũ.*

Votum autem, quòd est contra matrimonium, planè non est faciendum, ut si quis voveat, se nunquam ducturum uxorem, licet ad matrimonium aptus sit. Esset enim votum contra Dei ordinationem, & cum periculo animæ aut corporis conjunctum, cùm quis hac ratione se illicitis ustionibus, quibus per conjugium mederi potuisset, objiceret. Talia autem vota facienda non sunt, quæ ordinem Dei convellunt, vel corpus aut animam lædunt, vel occasionem peccandi præbent.

Si quis autem voveret, se ad tempus saltem à conjugio abstinere velle, donec fortè honestum vitæ genus instituerit, aut aliàs rebus suis prospexerit, è morbo convaluerit, ab itinere aliquo redierit &c. tale votum est licitum, & interdum utile iis, qui vel impetu juvenili, vel immaturis persuasionibus amicorum ad matrimonium alliciuntur, cui se fortè cum præsentissimo periculo

riculo nimis intempeſtivè involverent.

## CASUS VIII.

### *Num vovere licet aliqua bona, quæ magis bonum impediunt?*

RESp. Voti materia bona, honeſta, & utilis eſſe debet: cum autem gradus ſint bonitatis, fieri poteſt, ut quis dubitet, an vovendo bonum aliquod obſtaculum poſuerit meliori. Exempli gratia: *Quæſtio.* *deſtinat ſe quis per votum muneri alicui honeſto: fieri poteſt, ut offeratur ei ſublimius aliquod officium, cui etiam cum laude præeſſe poſſet: quæritur hic, an votum illud ita ipſum obliget, ut bonâ cum conſcientiâ inferius illud officium relinquere, & ad altiora adſcendere nequeat?*

Reſpondeo. Votum illud vim habet, nec facilè reſcindendum eſt: obligat enim, cum ſit de re honeſta licitâque. Neque enim in voto ſemper neceſſe eſt, ut voveatur id, quod eſt optimum: ſatis eſt, ut ſit in ſe bonum & aliis utile. Cùm quis ergo voto obligatus eſt ad aliquod officium, manendum ipſi eſt, donec ab iis, quibus inſervit, ejiciatur: tunc enim exſpirat voti obligatio, cùm penes ſe non ſit amplius ejus præſtatio, & locum invenit tritum illud: *ultra poſſe nemo obligatur.* Semper tamen maneat animus & propoſitum inſerviendi iis, quibus voto ſumus obſtricti, ſicuti *Samuel,* licet quoad officium politicum rejectus à populo, dicebat tamen: *abſit hoc peccatum à me, ut ceſſem orare pro vobis, & docere vos viam bonam & rectam 1. Samuel.* 12, 23. ad hoc enim voto matris adſtrictus erat 1. *Sam.* 1, 11.

Cum autem quietus in munere ſuo, cui ſe devovit, relinquitur, etiamſi ad altiora vocetur, ratione tamen voti ſui nec adſpirare nec vocationem oblatam accipere poteſt.

Excepta tamen hîc eſt extrema neceſſitas, ut in defectu aliorum, qui ad ſublimius illud officium ſatis ſint idonei, ubi Deus ipſe diſpenſat in voto, ne publicum multorum commodum impediatur. *Excipiendus hic eſt caſus neceſſitatis* Cum enim voto quis ad bonum aliquod obſtrictus eſt, tacitè ea conditio intelligitur, modò non Dei gloria aut commodum publicum hoc voto impediatur: hoc enim cùm fit, votum illud pro nullo habetur; quia rem illicitam involvit, cum contra Dei gloriam & commodum publicum nihil ſit vovendum.

Cauti ergò ſimus in hujuſmodi votis, ne nobis ipſis difficultates injiciamus. Hîc enim iterum, non quid fieri debeat, ſed quid, ſi quis facere velit, liceat, & cùm factum ſit, in conſcientiâ excuſari queat, attendimus.

Notetur autem, quòd ſcholaſtici in deciſione hujus quæſtionis conferant vota de quolibet alio bono cum vitâ religioſâ. Exiſtimant enim vitam religioſam eſſe bonum omnium *Scholaſticorum in hac controverſia deciſio*

nium præstantissimum, quippe, cui statum perfectionis adscribunt, idcircò nihil vovendum esse putant, utut in suo genere optimum, quod religiosæ vitæ institutum impugnet; ut habet *Cajetanus 2. secunda q. 88. art. 2. Sotus de justitiâ lib. 7. quæst. 1. art. 3. Paludanus in 4. distinct. 38. art. 3. q. 1. &c.* de quibus vide *Azor. lib. 11. instit. moral. c. 14. q. 7.*

Sed errant in hypothesi, quòd vitam religiosam, qualem in Papatu profitentur, pro perfectissimo bono habent, cum humanum tantum sit inventum, ut suo loco ostendam. Multa autem voveri possunt in rebus divinitus institutis, ut matrimonium, aut munus aliquod publicum, in quibus votum per subsequentem religionis professionem irritum fieri non potest, quia divinis meritò cedunt humana, ut paulò post, cum de relaxatione votorum agemus, plenius explicabimus.

*Tantum de materia votorum*: jam sequuntur alia, quæ ad formalem votorum rationem spectant.

## CASUS IX.

*De votis, ex metu & perturbatione animi factis.*

### *An etiam vota ex metu & perturbatione animi sunt valida?*

Reperiuntur enim, qui in gravissimo morbo, in naufragio, inter latrones, aut alio quodam repentino periculo territi vovent multa: qui ne postea in conscientiâ agantur, cavendum est.

*Rationes dubitandi.*

RESP. Sunt, qui tale votum simpliciter censent irritum, quia sit subitum & inconsideratum, verum autem votum fieri debeat ex firmo & deliberato animi proposito, quod in hominibus perturbatis esse non possit, ideò citò pœnitent. Imò tale votum ferè ab invitis videtur esse extortum, sed cum Deus cultorem velit spontaneum, votum hujusmodi ipsi non videtur acceptum. In quam sententiam afferunt *ex lib. 3. decretalium Gregorij tit. 33. capitulum* 3. ubi Papa cuidam ex pavore mortis perterrito voventi statum religiosum, votum relaxat.

Alii contrarium statuunt, existimantes votum etiã à quocunq; affectu perturbatis factum, valere, quia affectus perturbant quidem hominem, non tamen omne rationis judicium auferunt.

*Decisio controversiæ.*

Sciendum ergo est; metum quendam esse levem & vanum, qui in virum constantem non cadit: & dubium non est, quin votum ex tali metu factum valeat, quia rationis judicium non admodum perturbat, ut si quis ex metu eorum, qui nocere non possunt, voveat aliquid præstandum, si ab illis liberetur. Deinde est motus quidam gravis & justus, qui in constantem virum cadit, qualis est, cùm quis patitur injuriam minorem vel jacturam minoris boni, ut vitet injuriam majorem, vel jacturam majoris boni, ut est metus mortis, perpetui carceris, aut vinculorum, stupri, captivitatis, servitutis, acerbi cruciatus, infamiæ, dedecoris, amissionis bonorum.

Metus

Metus mortis vel à Deo immittitur vel ab hominibus: à Deo vel intrinſecus, fortè per periculoſos morbos, vel extrinſecus, fortè per naufragium, aut ſimile quid, quod cauſas naturales habet.

Votum ergò ex tali metu factum validum eſt, ut ſi quis voveat aliquid Deo, ſi ipſum ex periculoſo morbo, aut naufragio liberaverit.

Ab hominibus incutitur metus, vel juſtâ de causâ, ut ſi quis ob flagitium in vincula conjiciatur, aut ad mortem damnetur: vel per injuriam, ſi quis alteri mortem minitetur, niſi votum voverit.

De voto ob metum primi generis facto nullum eſt dubium, quin valeat, poteſt enim aliquis Deo aliquid vovere, ſi ipſum ab ignominioſo aliquo carcere aut ſupplicio, licet peccatis ſuis debito, liberaverit: De voto ob metum poſterioris generis nonnulli dubitant, cum videatur involuntarium eſſe.

Verùm non eſt merè involuntarium, ſed mixtum, ad ea actionum genera pertinens, quæ ab *Ariſtotele* 3. *Ethic. cap.* 1. vocantur μὴ ἑκόντα non voluntaria. In hoc enim actionum genere, quatenus actionem ipſam malam non libenter facimus, invita eſt, quatenus verò inter duo mala minus eligimus, voluntaria eſt. Magis tamen ad voluntatis actiones refertur, ratione principii eligentis.

Ita votum quoque quod interminatione mortis ab aliquo extorquetur, mixum eſt ex volũtario & involuntario; quia tamen vovens adhuc mentis compos eſt, & inter duo mala minus eligit, ideò pro coacto, aut involuntario haberi nequit; eam ob cauſam reddendum etiam eſt, modò aliàs in materia voti aut in ipſo vovẽte nullum ſit vitium, quod legitimi voti rationem impedire poſſit. Exẽpli gratiâ: exigitur fortè ab aliquo ſub interminatione mortis votũ, de numeranda magna pecuniæ ſummâ in uſum pauperum: hîc is, qui votum extorquet, graviter peccat, videtur etiam concurrere aliqua coactio, ſed non eſt ſimplex coactio, ſed quia vovens poteſtatem eligendi habet, & ut vitam redimat, magnã pecuniæ vim ex ſuis bonis potiùs amittit, eaque res, quæ vovetur, in ſeſe honeſta licitaque eſt, votum illud certè irritum fieri non poteſt.

Exiſtimat quidem *Azorius*, hujuſmodi votum, quamvis jure naturali validum, Eccleſiæ autoritate reſcindi poſſe: ſed eccleſia non habet poteſtatem condendi leges obligantes conſcientiam, nec contra jus naturale, quòd cum jure divino congruit, aliquid ſtatuere poteſt. Ita igitur ſtatuendum eſt de votis, quæ metu mortis facta ſunt. *Azorij exceptio ſolvitur.*

In genere verò de omnibus perturbationibus animi ſciendum, quatenus illæ omne rationis judicium non tollunt, vota ex illa perturbatione facta, adhuc valent: ſi verò omne judicium rationis præcurrant, irrita fiunt, qualia ferè ſunt vota ex præpropera iracundia facta, quia ira furor brevis, mentemque

præci-

præcipitat, veramque electionem, quæ in voto legitimo requiritur, tollit. Ideò quod subito motu iræ fit, ferè pro non facto habetur, nisi sedato motu iræ factum repetendo confirmetur.

## CASUS X.

*De simulatis & fictis votis.*

*Si quis fictè & simulatè aliquid vovisset, numquid illud votum esset validum, & vovens ad præstandum obstrictus?*

*Quid sit votum simulatum?*

RESP. Simulatum votum est, cum quid promittitur Deo verbis, audientibus aliis, de quo tamen servando animus nunquam cogitavit. Omnis quidem simulatio à cultu nostro aliena esse debebat, juxta monitum *Siracidæ cap. 1. v. 36: ne accesseris ad Deum duplici corde:*

Et illud Poëtæ:

*Odi illos, ceu claustra Erebi, quicunque loquuntur,*
*Ore aliud, tacitoque aliud sub pectore condunt.*

si quis tamen votum aliquod simulatè fecerit, is, quod ore dixit publicè, præstare tenetur, non quidem vi & naturâ voti, (hoc enim ex pleno animi proposito faciendum fuisset,) sed ratione scandali, quod evitare debet.

Si votum illud prius absque proposito servandi factum, posteà vel tacitè vel apertè ratum habuerit & acceptum, tunc etiam ipsius vi voti ad præstandum tenetur. Quod enim ab initio non valuisse censent, postea per ratihabitionem confirmatur.

Exempli gratia: vovet aliquis Deo, si ad honestum aliquod officium promotus fuerit, se virginem aliquam pauperem ducturum in matrimonium, quod tamen in animo suo se facturum nunquam constituit. Is scit quidem votum hoc naturâ suâ nihil valere, sed si illud cum proposito servandi repetat, tunc, quasi de novo fit, & ad servandum in conscientiâ obligat, quia per sequentem ratihabitionem confirmatum fuit, sicut aliàs in promissionibus matrimonii fieri solet.

## CASUS XI.

*De votis cum conditione factis?*

*Num vota cum conditione facta in conscientia obligant?*

*Cõditio est vel honesta & possibilis: vel turpis & impossibilis.*

RESP. Pleraque vota cum conditione fiunt. Conditio autem vel est *honesta & possibilis: vel turpis & impossibilis. Conditio turpis* votum in se quoque licitum facit irritum, ut, si voveas Deo eleemosynam, si quis interficiat inimicum tuum.

Si conditio vel *naturâ est impossibilis, vel lapsu temporis facta* est talis, votum cum eâ conditione factum nullum est. e. g. si voveam, si quis Iro pauperior mihi alquot multa millia

millia florenorum donaverit, tunc me daturum eleemoſynam, eſt votum ob conditionem naturâ ſuâ impoſſibilem, nullum. Aut ſi voveam, ſi quis poſt aliquot menſes ad me redierit, quem tamen jam pridem ſcio eſſe mortuum, me hoc vel illud facturum. Talia vota ſtolida ſunt, nullamque vim habent.

Si *conditio fuerit turpis & ſcandaloſa*, itidem votum ſub hac conditione factum nullum eſt. Ut ſi voveam, ſi homicidium aut furtum commiſeris, me in tui gratiam facturum aliquid: votum hoc non obligat, quia ad peccandum alium movet.

*Conditio poſſibilis vel neceſſaria eſt, vel contingens.*

*Conditio poſſibilis & honeſta eſt vel neceſſaria vel contingens.* Votum ſub conditione *neceſſaria* factum, ſtatim obligat, qui conditio illa pro impleta habetur, ut ſi voveas, ſi ſol cras oriatur, te ad labores rediturum, votum eſt validum, & abſque dilatione implendum.

Votum ſub conditione *contingente* factum, ſervandum eſt, impletâ conditione, etiam cum conditio in pœnam adjicitur, ut, ſi quis voverit multam pecuniariam, ſi in peccatum aliquod incurrerit. Etſi enim qui pœnam apponit, conditionem impleri nollet, ne pœnam ſuſtinere cogatur: attamen ad pœnam ſe ſpontè obligavit, ſi voto de fugiendo aliquo peccato non ſteterit.

## CASUS XII.

*De alieni voti perſolutione.*

### *An votum, quod is, qui vovit, perſolvere nequit, alius ejus loco perſolvere poteſt, ac debet?*

RESp. Votum legitimum, prout hacten⁹ deſcriptum fuit omninò præſtari debet. Ita enim Dominus præcepit *Deut. 23. v. 21. cùm votũ voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tu⁹, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris: quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.* Simile præceptum repetitur *Eccleſ. 5, 3. Pſal. 76, 12.* Sæpè autem aliquis vel morbo vel captivitate, vel bello, vel aliquâ aliâ causâ ſonticâ, vel deniq; ipſa morte præpeditur, quo minùs ipſe perſolvere poſſit, quod vovit: quo in caſu, quid faciendum ſit, haud abs re quæritur. Nam uſitatè dicitur, votum perſonæ eſt, non rei, unde nemo alterius voto adſtrictus eſſe videtur, ita ut reus teneatur, niſi id præſtet, quod alius vovit.

*Votum perſonæ eſt, non rei.*

Sciendum igitur, vota eſſe trium generum; vel *realia, vel perſonalia, vel triplicia, mixta. Realia* poteſt etiam alius quis alterius loco perſolvere, ut hæredes vota defuncti: exempli gratia: ſi quis voverit certam pecuniæ ſummam in

*Vota ſunt realia, perſonalia, & mixta.*

Ff uſum

usum pauperum, extructionem sacelli, aut simile quid honestum & possibile, hæredes obstringuntur hoc voto ad solvendum, non quidem, quòd ipsi voto hoc teneantur, sed quia defuncti, qui voverat, hæreditatem adepti sunt.

*Personalia* vota nemo pro altero debet, ut si quis voverit jejunium, & morte præventus præstare non possit, alius ejus nomine non tenetur.

*Mixta* vota sunt, quæ ex parte personalia sunt, ex parte realia. Ea reddere tenentur alii, præsertim heredes, non quatenus personalia, sed realia sunt, ut si quis voveret peregrinationem ad certum quendam locum, ut pauperibus in exilio viventibus, certam pecuniam offerret, hæres peregrinationem quidem præstare non tenetur, pecuniam tamen exulibus mittere debet. Si verò votum est principaliter personale, & ex aliqua parte reale, hæres, cùm ad personale reddendum compelli non possit, etiam reale præstare non tenetur, quia sublato principali tollitur etiam accessorium, si quis peregrinationem voverit ad aliquem locum, hæres, cùm ad ipsam peregrinationem non sit obligatus, ne quidem ad sumtus, qui in itinere faciendi erant, obligari potest. *Sed satis etiam de formali ratione votorum.*

## CASUS XIII.

### *Suntnè vota facienda meriti aut perfectionis alicujus causa?*

*De finali causa votorum.*

RESP. Nullo modo. Omne enim meritum omnisque perfectio nostra adscribenda est perfectissimo λύτρῳ Filii Dei, cui quidquid opinione meriti adjicitur, cedit in peccatum. Non ergò caret impietate, quod docetur in Papatu à *Thoma secunda quæst.* 88. *art.* 6. quem sequitur *Azorius lib.* 11. *instit. moral. cap.* 15. *q.* 18. *nos, cùm votum persolvimus, eo ipso meritum augere, & copiosius præmium promereri.*

*Pontificiorum error.*

Quod duplici nomine falsum est. 1. Quia omne meritum salutis nostræ extra nos est præstitum, & quanquam præmia dantur benè operantibus, non tamen dantur *ex debito*, *sed ex gratuito Dei promisso*, ut alibi docetur. 2. Quia vota sunt libera, nuspiam enim Deus ea à nobis requisivit: opera verò bona sunt divinitùs præcepta. Dubium autem nullum est, quin Deo magis placeat, quod secundum ejus mandatum fit, quàm quod pro arbitrio nostro suscipitur.

*Duplex falsitas.*

Nemo ergò audeat voto suo meritum attingere, ne sibi meritum Christi faciat irritum. Finis votorum nostrorum esse debet gloria Dei & utilitas proximi. Meritis verò nostris non honoratur, sed ignominia affici-

*Verus finis votorum.*

afficitur Deus, quaſi ipſe noſtris indigeat meritis, nec proximo inſervitur, ſed proprium commodum, retributio videlicet operis, quæritur.

## CASUS XIV.

*De votis monaſticis.*

### *Quid de votis monaſticis ſentiendum? num illa quoq; obligant?*

RESp. Monachatus præcipuum Papatus ornamentum eſt, ſed nemini ſine votis contingit. Vota enim ad ſubſtantiam ordinis monaſtici pertinent Horum tria ſunt, omnibus monachorum ordinibus communia: votum *paupertatis* voluntariæ; votum *obedientiæ* religioſæ; & votum *continentiæ* perpetuæ; quorum omnium patrocinium ſuſcipit *Bellarmin. lib. 2. de monach. cap. 20. & ſequentibus.*

*Tria vota in Papatu monaſtica: 1. Caſtitatis. 2. Paupertatis. 3. Obedientiæ.*

Jeſuitarum ſecta vota hæc quidem retinet, ſed correcta, & aucta, nam multa in illis mutat & quartum inſuper addit. Nam paupertatem ita vovent, ut quamdiu maneant in voto ſimplici, ut vocant, divitias mundi hæreditate adquirere & poſſidere poſſint in linea recta & collaterali: caſtitatis votum ita temperant, ut quis in voto ſimplici poſt decennium aut circiter à Generali iſtius ordinis abſolvi, & ad conjugium admitti valeat: obedientiam vovent Pontifici Romano, & ordinis ſui Generali, longè majorem, quàm cæterorum ordinum monachi, ita videlicet, ut omnibus in rebus, ut habent verba voti, ad quas ſe poteſt cum caritate, obedientia extendere, ad ejus vocem quam promtiſſimi ſint, imò ut à ſuperioribus ſuis regi ſe patiantur, perinde ac ſi cadaver eſſent, quod quoquò verſus ſe ferri, & quacunque ratione tractari ſe ſinit: vel ſimiliter atq; ſenis baculus, qui ubicunque & quacunque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inſervit: & hanc vocant obedientiam cœcam.

*Jeſuitarum correctio & auctio.*

*Obedientia revera cœca.*

His omnibus addunt quartum votum ordini Jeſuitico proprium, quod votum *miſſionis* nominant, quo promittunt, ſe legationes ſubituros in quamcunq; terræ partem, ad quam à Pontifice Romano miſſi fuerint, in commodum ſedis Romanæ, quod aliorum ordinum monachis non licet. De quibus vide inter cæteros *Catechiſmum Ieſuiticum germanum lib. 2. cap. 9. & ſeqq.*

*Votum miſſionis.*

Etſi autem votis hiſce multũ tribuant Romanenſes, arbitramur tamen, ea eſſe illicita, & in conſcientia non obligare, rectiusque facere eos, qui ab eis prorſus abſtinent, quàm qui præſtant: idq; 1. in genere probo de omnibus, 2. in ſpecie de ſingulis.

In genere tenendum, quòd hæc vota non ſanctorum hominum, ſed infidelium & hæreticorum exempla habeant, & hanc ſolam ob cauſam à Chriſtianis aliena eſſe debeant. Nam *Hieronymus lib. 2. contra Iovian. cap. 39.* de ſacerdotibus Ægyptiorum ſcribit: *quòd renunciaverint curis hujus mundi, mulierib⁹ non conſueverint,*

*Iſta vota monaſtica refutantur.*

*(1.) Quia originem trahunt ab hæreticis & infidelibus.*

*verint, cognatos adſpicere noluerint, à carnibus & vino, imò ab ovis & lacte abſtinuerint, quæ omnia hodiè à monachis ſunt.*

De Eſſæis refert *Ioſephus lib. 2 bell. Iud. cap. 7. & lib. 18. antiq. Iudaic. cap. 2. quòd omnes vitæ ſollicitudines fugerint, extra urbes habitaverint, proprias facultates deſeruerint, vel in commune contulerint,* unde etiam *Polydorus Virgilius lib. 7. de rerum inventor. c. 1.* monachorum originem ab Eſſæis deducit.

(2.) *Quia verbo Dei ſunt contraria.* Deinde vota monaſtica ſunt directè contra ordinationem Dei: *Nam Iohannes à Daventria ſcribit in harm. Auguſt. conf. p. 515. monaſticam publicis mundi officiis præferri, & in monachatu impuro perfectionem majorē eſſe, quàm in Magiſtratu etiam puriſſimo.* Quid eſt ordinationem Dei, (ut Paulus *Magiſtratum* vocat *Rom. 13.*) tollere, ſi hoc non eſt? conjuges ſeparant, contra præceptum Chriſti *Matth. 19. v. 6. quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: hominem extra limites vocationis ſuæ rapiunt contra præceptum Apoſtoli *Pauli*: *unusquisq; in quâ vocatione vocatus eſt, maneat, 1. Cor. 7, 20.* amorem & officia parentibus debita tollunt: hos enim votarii abnegare tenentur, contra ſententiam Apoſtoli *1. Tim. 5. v. 8. ſi quis ſuorum & maximè domeſticorū curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*: à laboribus ad otia homines avocant, contra dictum *Apoſtoli: qui non laborat, non manducet, 2. Theſſ. 3. v. 10.*

(3.) Præterea in votis illis manifeſtò apparet illuſio. *Quia ſunt impoſtura & fallacia.* Etſi enim primo intuitu nonnihil rigida eſſe videntur: interpretationem tamen admittunt monachis non ingratam. *Quomodo monachi paupertatē voveant?* Nam paupertatem vovent, non ut egeant, ſed tantùm, ut à poſſeſſione privatorum bonorum abſtineant, aliàs nulla re deſtituti, quâ ad curam corporis opus habent. *Quomodo obedientiam?* Obedientiam vovent, non Deo aut parentibus, quibus eam debebant, ſed prælatis ſuis, itáque comparatam, ut iis, quibus jure naturæ obſequium debent, fiant refractarii. *Quomodo caſtitatem?* Continentiam vovent, non à ſcortatione & libidinibus, ſed tantùm à conjugio: interim votario continere non valenti concubinæ permittuntur, ut docet *Coſterus in enchirid. cap. 5. de cœlibat. ſacerdot. propoſit. 9.* Quin & *Baldus refert l. ſi tibi filius. D. de adopt. Papam diſpenſare poſſe, ut monacho liceat, depoſito cucullo, uxorem ad tempus ducere, nempe uſque ad procreationem ſobolis ſimulatque autem proles ſuſcepta fuerit, ad cucullum ſuum redeat*, referente *Hottomanno in fulmine bruto pag. 166. & in jure canonico diſt. 34. cap. fraternitatis legitur: eum, qui poſt mortem uxoris habuerit de ancilla filios, diaconum fieri poſſe.*

(4.) *Quia carent requiſitis legitimorum votorum.* Denique requiſita votorum legitimorum in votis monaſticis non reperiuntur omnia. *Vota ex pleno animi propoſito fieri debent,* ideò coacta & impuberum vota nulla ſunt. Ad vota monaſtica verò admittuntur ſæpè impuberes, & qui ad pubertatem venerunt, ad ea coguntur. Ita enim habet *can. 19. Carthaginenſis ſynodi tertia:*

*tertiæ: placuit, ut lectores, cùm ad annum pubertatis venerunt, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri.*

*Vota debent eſſe poſſibilia nec occaſionem præbere peccandi, ſed* continentia perpetua non poſſibilis omnibus, qui eam vovent, ideò votum hoc multi illiciti concubitus, ſtupra, infanticidia, & atrociora ſcelera ſunt inſecuta, unde tot ſunt veterum querelæ, clauſtra monialium eſſe proſtibula meretricum, & *ſacerdotales ſub prætextu ancillarum habere concubinas*, ut *Gerſon ſcribit in deplorat. defect. virorum eccleſiaſt.* Et *Hilarius Epiſcopus Auguſtanus*, referente *Chemnitio part. 3. examinis* circa annum Chriſti 860. in epiſtola ad Nicolaum Papam conqueritur de clericis papalibus, quòd patrum uxores ſubagitent, maſculorum & pecudum amplexus non abhorreant, in quovis ſanctiſſimo ordine conſtituti, alienis uxoribus non dubitent abuti &c. Hæc omnia ſunt ex impuro voto perpetui cœlibatus.

Vota non debent eſſe meritoria: at verò vota monaſtica hunc præcipuum habent finem, ut à peccatis liberent, vitamque mereantur æternam. Ideò vota illa paria dixere baptiſmo, quæ non ſaltem mereantur juſtitiam apud Deum, ſed ampliùs etiam, quod ut rectè dictum, laudat *Johannes à* Daventria *in harmonia cōfeſſ. Aug. f.* 514 Et *Bellarminus* ſcribit *de monach cap. 6. B. Antoniū in viſione audiviſſe ſanctos angelos dicētes, omnia peccata ſibi remiſſa fuiſſe, quoniam monaſticam vitam ſuſceperit*: & ex *Thoma* docet: *rectè credi, per monaſticam profeſſionem ſatisfieri pro omnibus peccatis, & eſſe hanc profeſſionem alterū baptiſma.* Olim etiam in *confutatione confeſſ. Auguſt. Anno* 1530. inſtitutâ expreſsè ſcripſerunt, monaſticam vitam debitâ obſervantiâ cuſtoditam mereri vitam æternam, & quidem multò auctiorem Chriſtum eis promiſiſſe, qui reliquerint domum, agros, &c. quæ omnia ſunt contra naturam legitimorum votorum: ergò etiam ex hoc capite vota monaſtica nulla ſunt.

*Georg. Caſſander ſcriptor Pontificius in Conſult. ad Impp. Ferdinandum I. & Maximilianū II. art. 25. palàm aſſerit ac probat, vota non eſſe meritoria vitæ æternæ, cum ſic ſcribit: In hoc itaq; vitæ genere (Monachatu) ſi rectè ex mente inſtitutorū obſervetur, nil eſt, quod vel iniquiſſimus huic monaſticæ vitæ reprehendat, ſed potius quod miretur & laudet: tantummodo removenda eſt falſa opinio, & præpoſtera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quæ in ſolo Chriſti merito collocanda eſt, quam falſam opinionē & præpoſteram fiduciā, ab omni exte[r]nū operū & Ceremoniarū obſervatione abeſſe oportet. Quid autē quod eruditiores & ſaniores Monachi de hiſce Monaſticis exercitiis idipſum ſentiūt, & publicis ſcriptis profitentur? Ita enim quidam Concionator celebris Frācīſcani inſtituti, hac noſtra ætate ſcriptum reliquit: Hoc (inquit) cavendum eſt ne ponatur juſtitia, id eſt, ſalus in hujusmodi obſervationibus, id eſt, ne quis putet, ſe promereri juſtitiā*

*& remissionem peccatorum & gratiã, hujusmodi servandis ritibus, nam justificationẽ & gratiam impetrare, fit per fidem in Christũ. Igitur Monachus servata sua regula si sentiat se propterea justitiam coram Deo consequi, is errat juxta illud Christi Matth. 15. Frustra me colunt, mandatis hominũ, sic sentiendum est de omnibus traditionibus, Ceremoniis & institutis Ecclesiæ.*

*(5.) Quia sunt recentiora hominum inventa.*

Accedit tandem, quod vota monastica sint recentiora hominum inventa. Nam *Iohannes à Daventria in harm. conf. Aug. pag.* 510. fatetur *non constare an tempore Augustini monasticum votum præstiterint, nec ne.* Certè primis Apostolorum temporibus adhuc ignota erant, ubi qui donum continentiæ habebant, vixerunt quidem cœlibes, sed sine voto aut professione aliquâ: circa annũ Christi 170. cœpêre quidam profiteri castitatem coram ecclesiâ, sed tum nondum à quoquam talia vota fuêre extorta. Hæ ergò sunt generales rationes, quæ votorum monasticorum nullitatem demonstrant.

*II Vota monastica in specie refutantur.*

In specie verò de singulis, facilè ostendi potest, quàm impia, verbo Dei contraria, homini perniciosa, ac proinde admittenda non sint.

*De monachorum paupertate.*

Quod in specie votum paupertatis attinet, pugnat id diversimodè cum Scripturâ. Primùm enim Deus expresſè prohibuit, ne sit mendicus in populo suo, *Deut.* 15. *v.* 4. monachi verò ad mendicandum voto se obstringunt, & nonnulli sibi laudi ducunt, quòd mendicantes appellantur.

(2.) Universa Evangelii doctrina est, non abjicere bona, sed retinere, ut beneficentiam erga pauperes exercere possimus 1. *Tim.* 6. *v.* 17. 18.

(3.) Apostolus Paulus non vult nos mendicare, sed egentibus dare, *& propterea manibus nostris laborare, quod bonum est Eph.* 4. *v.* 28.

(4.) Paupertatis votum exemplo Christi & Apostolorum, (quorum imitatores nos esse decet) non congruit, quia Christus pecuniam ab aliis collatam non devovebat, aut abjurabat, sed in loculis reponebat *Matth* 26, 9. *Ioh* 13, 29. Apostoli pro pecuniâ emebant necessaria *Ioh.* 4. *v.* 8. & Paulus testatur, *se abundare, & penuriam pati posse, Phil.* 3. *v.* 12. eleemosynas quoque nos ita dare vult, ne *ipsi ad mendicitatem redigamur,* 2. *Cor.* 8 *v.* 10.

Deinde votum paupertatis, est contra regulam monachorum veterum, qui bona sua distribuebant pauperibus, hodierni verò monachi conferunt ea in monasteria, ut tanquam ex communi fisco absq; curis eò latiùs vivant. Sed olim non erat sic. *Non licet tibi, inquit Hieronymus in epist. ad Heliodorum, quicquid habere de rebus tuis, & Cassianus lib.* 4. *de institutis monachorum cap.* 4. *monachos olim pecunias usibus cœnobij profuturas non suscepisse testatur.*

Præterea votum paupertatis mera est illusio. Aut n. pauperes sunt, qui votum illud faciunt, & sic stolidè vovent id, quod jam sunt, aut divites, & sic fiunt hypocritæ, quia bona sua

na ſua deſtinant monaſteriis, ut inde abſque ſollicitudine vivant: impii quoque, dum meritum aliquod ex illo voto effingunt.

*Splēdida & ditiſſima paupertas.*

Deniq; votum paupertatis in pleriſq; fallax & doloſum eſt. Nam fingunt ſe perpetuò fore pauperes, & tamen *Benedictini* fundos ampliſſimos poſſident, maxima vectigalia ſummasq; opes habent. *Franciſcani* in Anglia Pontifici Romano magnū auri & argenti pondus obtulerunt, ut ſibi facultatē bona ſtabilia poſſidendi cōcederet, ut habet *Matthæus Pariſius in Henrico III. Ieſuitæ* in ordinē mendicantium ſe referunt, ſatis ridicule, cùm regias opes poſſideant, principumq; palatia paſſim inhabitent & nunc vigeſies centies aureorum millia quotannis ex vectigalibus ſuorum collegiorum percipiāt, ut refert *Matthæus Sutlivius de monach. inſtitutis cap.* 21. *Hi nimirū ſunt illi pauperes, qui dum ſe nihil habere ſimulant, omnia poſſident*, ut ſcribit *Crantzius metropol. lib.* 7. *cap* 42.

Reliqui monachi ex miſſis ſanctis, donationibus, confeſſionibus & aliis mille artibus penum & cellam ſuam replent, & tamen omnes paupertatem voverunt; unde jam tum ſuo tēpore *Hieronymus* ſcripſit ad *Nepotianum: ſunt ditiores monachi, quàm fuerunt ſeculares. Poſſident opes ſub paupere Chriſto, quos ſub locuplete diabolo non habuerunt. Suſpirat eos eccleſia divites, quos tenuit mundus antea mendicos.*

*De monachorum obedientiā.*

Quod attinet votum obedientiæ, illud ſcripturæ contrarium eſt, ideò (1.) quòd hoc voto ſe Abbatum & præpoſitorum ſuorum mancipia faciunt, ad quorum nutum in rebus fidei & conſcientiæ ſe victuros promittunt. Aliter autem nos inſtituit *D. Paulus: nolite, inquit, fieri ſervi hominum, quia pretio empti eſtis, pretio nimirum ſanguinis Chriſti* 1. *Cor.* 7, 23.

(2.) Peccare ait Chriſtus eos, qui relinquunt mandata Dei propter traditiones hominum *Marc.* 7. *v.* 8. obedientia verò monaſtica tota in hominum conſiſtit mandatis.

(3.) Nemo poteſt duobus contrariis dominis ſervire: hoc facere coguntur monachi, dum obediunt ex voto Abbatibus & prælatis ſuis, ſæpè contraria Deo præcipientibus.

(4.) Obedientia præſertim cœca Jeſuitarum, multorum ſcelerum eſt latibulum, non credunt ſe peccare, cùm coram rege mentiuntur, mendaciumque juramento confirmant, quia ut mentiantur cœcum aliquod mandatum, à ſuo Generali ſe habere putant, ut objicitur in *Catech. Jeſuitar. lib.* 2. *cap.* 17. ſub hoc impio voto, omnes ſuas fraudes, cædes & parricidia tegunt, & tamen illud ſub nomine ſingularis devotionis venditant.

*Vide quoq; praxin Ieſuitæ Edmundi Campiani in Epiſt. ad generalē ſociet. Anno* 1583. *Treviris excuſa pag.* 23. *&* 24. *ubi fatetur, in Anglia ſæpe ſe cōmutare nomina, & habitu dementiſſimo eſſe. Item in Epiſt. de perſecutione Angl. pag.* 126. 212. 314. *Mentita nomina pag.* 130. *Mentita veſte. pag.* 126. *Nomina non rectè profitentur.*

Votum

Votum perpetuæ continentiæ etiam contra Scripturam est. Ea enim (1.) continentiam singulare donum Dei vocat, *quod non sit datum omnibus, Sap. 8. v. 21. 1. Cor. 7. v. 7. Matt. 19. v. 11.* & tamen Romanenses hoc voto absque discrimine omnes, qui monasticen profitentur, & ad sacros adspirant ordines, obstringunt, licet vires suas nondum probaverint: displicet autem Deo infidelis & stulta promissio *Eccles. 5. v. 3.* ideò qui donum hoc non habet, tutiùs ab hoc voto abstineret.

(2.) Paulus juniores viduas *nubere jubet 1. Tim. 5. v. 14.* Talibus ergò conjugium præceptum est divinitùs, tanquam remedium libidinis; contra quod præceptum expressè faciunt virgines aut viduæ, quæ perpetuam vovent continentiam.

(3.) Paulus continere non valentibus *melius esse dicit nubere, quam uri 1. Cor. 7. v. 9.* Romanenses verò etiam eos, qui ustiones sentiunt, vovere jubent.

(4.) Paulus etiam, cum virginitatem certis de causis suadet, non tamen *laqueum vult injicere conscientiis 1. Cor. 7, 34.* Romanenses verò voto virginitatis laqueum injiciunt, dum omnem libertatem nubendi votariis eripiunt.

(5.) Paulus eum demum in cœlibatu manere posse scribit, *qui absq; necessitate in corde suo firmus sit, potestatem tamen suæ voluntatis habeat 1. Cor. 7, 37.* Quomodo ergò vovere possunt continentiam, qui non habent cordis sui firmitatem, nec voluntatis suæ potestatem, & tamen post editam professionem vota servare coguntur.

(6) Votum continentiæ sanctioni divinæ de conjugio, cui benedixit ipse, tanquam ordinario medio multiplicandi generis humani Gen. 1. è diametro opponitur: Deus enim nullam dedit legem cœlibatus, sed matrimonium injunxit omnibus, qui continere non valent, & ad illud idonei sunt.

(7.) Sterilitas probrosa res fuit in populo Dei, ut patet *Exod. 29. v. 2. Deut. 7. v. 14.* Votum autem de re probrosâ meritò habetur pro illicito.

(8.) Votum continentiæ occasionem præbet vastationi corporis, quia multi, ut ab ustionibus fiant liberi, sua corpora jejuniis, flagellis, & similibus disciplinis macerant, nec tamen sic impuritati suæ mederi possunt. *Nemo autem unquam suam ipsius carnem odio habuit, imò enutrit & fovet eam, sicut & Dominus ecclesiam Eph. 5, 29.*

Constat ex his omnibus, vota monastica sine læsione conscientiæ fieri non posse.

CASUS

Digitized by Google

## CASUS XV.

*De retractatione votorum monasticorum.*

### *Num ergò talia vota bona cum conscientia retractari queunt, ita ut monachus ordinem suum deserere & matrimonium contrahere possit?*

RESP. Valde repugnant hoc in genere Pontificii, ita ut sacrilegos nominent, qui post votum, ad seculum redierint, & conjugio se implicarint. Hoc dicunt esse ex sententia Pauli 1. *Tim.* 5. *v.* 12. *primam fidem irritam facere*, ex quo loco venisse putat *Luther. de vot. monast. fol.* 313. celebre illud dictum *Augustini*, quo definitur sanctimonialibus, non solùm nubere, sed & velle nubere damnabile esse.

*Pontificiorum opinio.*

*Contraria sententia probatio: Prima ratio.*

Sed multa sunt, quæ contrarium suadent. 1. generales illæ sententiæ: *in malè promissis rescinde fidem*: in turpi voto muta decretum: impia est promissio, quæ scelere adimpletur: quod incautè vovisti, ne facias. Quæ sententiæ in *Concilio Toletano* leguntur, *can. si publicis.* Talia autem esse vota monastica in præcedentibus sufficienter demonstratum fuit.

*Secunda ratio.*

2. *Deum frustra coli mandatis hominũ affirmat salvator Marc.* 7. religionem verò monachorum, ad quam voto obstricti sunt, merum esse hominum inventum in propatulo est, & regulæ autorum, qui eas introduxerunt, docent, unde *Gerson factitiam religionem* appellavit. Frustraneum ergò est studium, quod in iis præstandis adhibetur, meritoq; talia vota rescindenda sunt, quia temerè fit, quod frustra fit.

3. Deus legi suæ *nihil vult addi* *Deut.* 12. & in cultu suo nos præcisè ad præcepta sua remisit *Ezech.* 20. vota verò monastica tantùm sunt verbo superaddita, & hominum tradita, non igitur obligare possunt conscientiam. *Tertia.*

4. Prohibet Apostolus illam religionem, quæ omnes ficta humilitate seducit. *Col.* 2. *v.* 18. Talis verò est religio monastica, ad quam votis se alligare impium est, ideò talia vota licitè retractantur. *Quarta.*

5. Vota monastica fiunt non tantùm contra legem Domini, dum furantur liberos parentibus, impediunt, imò retractant officia vocationis, alligant ad onera impossibilia; verùm etiam fiunt de rebus nauci, ut de certo habitu, de radendo capite, de comedendis leguminibus & oleribus, de catenis & ciliciis gestandis & similibus nugis: talia autem rescindenda sunt, quia votis non est violandus Deus, nec ordinatio ejus convellenda, nec onerandæ vires, & si de inutilibus & vanis rebus fiunt, ridenda potiùs sunt, quàm servanda.

6 Vota monastica innituntur arenoso fundamento, fictitio videlicet illo discrimine peccatorum & consiliorum: vota enim illa dicunt *Sexta.*



Digitized by Google

esse consilii, & ad statum perfectionis pertinere: quod discrimen nullum est, cùm præceptis divinis, quæ omnes homines obligant, nihil esse possit perfectius: unde *Lutherus in l. de votis monasticis* rectè scripsit: *vota illa niti super mendacia impietatis.*

Septima. 7. *Quicquid absque fide est peccatum est Rom.* 14. vota monastica perpetua, necessaria & non libera, absque fide sunt: carent enim fide justificante, quia faciunt, ut homo suis innitatur meritis: carent fide conscientiæ, quia nemo monachorum certus esse potest, an opera sua monastica sint grata Deo, imò hoc asserere præsumtionem esse docent, imò semper dubitant, an satis operum habeant, quæ ad meritum sufficiant: quod est dubitante conscientiâ servire Deo. Idcircò *Lutherus in lib. de vot. monast.* magnâ cum fiduciâ spiritus scribit: *hæc dicit Dominus exercituum; vota monastica extra fidē facta & servata sunt peccata, per hos & irrita, damnabilia, revocanda & omittenda, aut aliter denuò vovenda & servanda.*

Octava. 8. Vota monastica pugnant cum libertate Christianâ, quia sunt perpetua & necessaria, licet nobis impossibilia, ad quæ non sunt obligandæ conscientiæ: in omni enim promissione subintelligitur hæc conditio, si potero. *Votum ergò monasticum*, inquit, *Lutherus in lib. de votis si ipsum est, debet necessariò secū involvere libertatem rursus omittendi, & in hanc fermè sententiā interpretari: voveo tibi obedientiam, castitatē, paupertatem servandam cū tota regula S. Augustini usq; ad mortem, liberè, hoc est, ut mutare possim, quando visum fuerit. Si aliter interpreteris aut intellexeris, peccas adversus libertatem divinam nobis mandatam, nec fieri potest, ut Deus aliter acceptet, nisi revocet libertatem, id est, neget seipsum.* Plura argumenta, cur sint rescindenda vota monastica, quia nimirum pugnant cum præceptis Dei, cum fide, & caritate, vide apud *Lutherum in præclaro illo libello de votis monasticis.*

9. Præterea Pontifex ipso suo docet exemplo, vota illa relaxari posse, cùm ipse sibi potestatem illam dispensandi in votis sumat, monachos ex uno ordine in alterum transferat, quin & omnes monachorum ordines se tollere posse putat. Nona.

10. Non etiam desunt testimonia patrum, qui post propositum cōtinentiæ, conjugium licitum judicarunt. *Augustinus* contrariam sententiam inconsideratam appellat, *de bono viduitatis c.* 10. *fit*, inquit, *per inconsideratam hanc opinionem, quæ putat lapsarū à sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum: & c.* 8. ejusdem libri scribit: qui *dicunt talium* (qui nimirū voto soluti nubunt) *nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acutè ac diligenter considerare, quid dicant.* Et *in epist.* 70. *ad Bonifac.* nuptias talium virginū probat. *Hieronymus in epist.* 8 *ad Demetrianum* de virginibus scribit: *aut nubant, si non possunt se continere, aut cōtineant,* Decima.

*tineat, si nolunt nubere. Basilius de virgin.* scribit: *præstabilius fore, ut virgines non cōtinentes nubant, quàm ut flagitiosè vivant. Athanas. in ep. ad Dracontium: monachi parentes liberorum facti sunt; quomodo hoc fieri potuit, si non licuit ipsis conjugium contrahere: Epiphanius hæres.* 61. scribit: *melius esse lapsum à cursu palam sibi uxorē sumere secundùm legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere; & non quotidiè jaculis sauciari &c.*

*Q. An rectè faciant, qui relicto cucullo monasticen deseruerint.* His de causis laudem merentur, qui relicto cucullo monasticen deseruerunt, conscientiæ suæ libertatem omnibus Romanensium injuriis, quibus se hoc nomine exposuerunt, anteponentes.

*Undecima.* Accedunt denique exempla eorum, qui monasteriis post votum egressi sunt ad seculum, quod *Bruschius* refert *de nobilissimo monasterio ordinis Benedictini*, quod vocatur Reichenaw circa annū Domini 724. quòd plurimis Principum, Comitū & nobilium liberis ibi benè institutis liberum fuerit, inde egredi vel uxores ducere, vel aulas principum vel militiam sequi. Circa annum 637. *Dagobertus Rex Francorum* monialem *referente Stumpfio* duxit. *Rachisius quidam* deserto monasterio arma contra *Desiderium* sumsit, regni occupandi gratiâ. Plura exempla vide apud *Hospinian. de monachis c.* 28. *errore* 6. quæ & similia facta nemo unquam culpavit.

*Objectio solvitur.* Quod autem locum Apostoli ex 1. *Tim.* 5. de viduis primam fidem irritam reddentibus attinet, nihil is habet de votariis & monialibus, neque enim tempore Pauli vota monastica usitata fuerunt: sed de viduis eleemosynariis loquitur Apostolus, quæ primam fidem irritam facere dicebantur, cùm repulsâ conscientiâ & rejecto freno pudicitiæ luxuriantes contra Christum, naufragium circa fidem faciebant: quod malum ut præcaveretur, Paulus non nisi sexagenarias ad illud munus eligendas suasit: nihil autem hoc facit ad vota monialium sæpenumero juvencularum, & quarum votum nuspiam in scripturâ fides appellatur: quâ de re fusiùs egi *in comment. cap.* 5 *epist.* 1. *ad Tim. part.* 1. *quæst.* 5.

## CASUS XVI.

### *Possuntnè parentes irrita facere vota liberorum?*

*De votis liberorum.* RESp. Distinguunt hîc Pontificii inter ea vota, quæ juri, potestati & domesticæ gubernationi patris incommodant, & inter ea, quæ non incommodant.

Ad priorem classem referunt vota religionis, seu vota monastica, ad posteriorem quædam politica, ut abstinentias, jejunia, peregrinationes, &c. Hinc factum, quod cùm teneros adolescentum & puellarum animos blanditiis suis deceperunt, ut religionem ingrediantur, (ut ipsi loqui solent) nullo

modo parentibus permittunt vota liberorum, licet inconsiderata, ipsisque impossibilia, retractare.

Et quanquam Canonistæ disputent, si votum religionis à filio factum fuerit ante annum decimumquartum, à filia verò ante duodecimum, à patre dissolvi posse, *ut est in cap. I. de regular. in 6. & c. ad nostram de religionibus*, nonnulli tamen non permittunt potestatem hanc irritandi vota matri, quatenus mater est, eò, quòd eam non habere putant patriam potestatem in liberos, ut est apud *Azorium tom. I. instit. moral. lib. II. cap. 17. quæst. 7.* quin & exempla non desunt, quòd ne quidem in illo casu patribus potestatem irritandi votum religionis in filio aut filiâ impubere permiserint; vide illustre *apud Lutherum tom. 2. Ien. germ. fol. 358.*

*Affirmativa probatur septem rationibus. Prima.* Verumenimverò si in ullo aliquo voto liberorum parentes jus retractandi habent, in eo certè habent potissimum, quo finguntur miseri in religionem ingredi. 1. Quia jam demonstravimus, quàm multis modis impia sint & illicita vota monastica: ab omnibus autem illicitis liberi à parentibus, quocunque tempore, sunt avocandi.

*Secunda.* 2. Jura parentum in liberos sunt perpetua, & nec temporis præscriptione, nec voto ullo tolli possunt. Est enim quartum præceptum pars legis moralis, quæ est æterna & immota voluntas in Deo. Semper igitur obligat liberos, in omnibus, quæ non sunt contra Deum: ideò *Paulus* liberos vult parêre parentibus per omnia *Coloss. 3. v. 22.*

3. Ex hac potestate parentum factum est, quòd Deus ipse vota liberorum habeat pro irritis, in quæ parentes non consenserint, *Num. 30. v. 6.* ubi nulla est votorum aliquorum exceptio, nisi fortè sint moralia, de officiis pietatis, ubi non præsumitur, quòd Christiani parentes ea rescindere ausint. *Tertia.*

4. Cum lege divinâ congruunt leges civiles, quæ sanciunt, filiumfamilias ex voto sine consensu parentum non teneri, *ut est in l. filiusfamilias C. de fidejussoribus.* Neque hîc discrimen faciendum inter patrem & matrem: nam uterque parens in præcepto de honorandis parentibus conjungitur, & Tobias filio suo imprimis honorem matris commendat, qui etiam in obsequio consistit *Tob. 4. v. 3.* Idcirco *Iodocus Lorichius in thesauro Theol. nova vocab. votum, num. 6.* contra *Azorium* statuit, etiam matrem, deficiente patre, omnia vota irritare posse. *Quarta.*

5. Parentes debita πενθήεια à liberis exigere possunt. Paulus enim liberos vult ἀντιπελαργεῖν parentibus 1. *Tim. 5. v. 4. si quis autem suorum curam nõ habet, eum fidem negasse, & infideli deteriorem esse scribit vers. 8.* Officia hæc pietatis per vota monastica impediuntur, quibus liberi parentes abjurare, & ne nosse quidem amplius, quin &, ut ex *Hieronymo* loquuntur, per *calcatum pergere patrem jubentur*, à quâ sanè impietate si parentes liberos suos avocent, *Quinta.*

cent, nihil ab officio suo alienum faciunt.

*Sexta.* 6. Cum hoc præcepto Apostolico concordat *Concilium Gangrense*, quod *can.* 16. hunc in modum decernit: *quicunq; filij à parentibus prætextu pietatis seu divini cultus secedūt, maximè si fideles fuerint, debitumq; honorem parentibus nō exhibent, æstimatâ videlicet pluris in ipsis Dei religione, anathema sint.* Undè rectissimè infertur, quòd parentes liberos suos votarios ab hac infidelitate jure avocare possint.

*Septima.* 7. Si neque uxor invito marito, neque servus sine consensu heri monasterium ingredi, sed à suis superioribus vocari potest, quod non negant Romanenses, cur non idem jus sit parentibus in liberos? Etsi enim liberi post annos pubertatis non ampliùs sub patria potestate esse dicantur; non tamen talis eis licentia conceditur, quæ honorem & obsequium, quod parentibus vi quarti præcepti debetur, tollat. Semper enim locum habet illud *Prov.* 30. *vers.* 17. *parentes spernens à corvis comedetur.*

Hæc & similia evincunt, parentes illicita liberorum vota, qualia inprimis sunt monastica, jure optimo retractare posse. Quæ *Bellarmin. lib.* 2. *de monach. cap.* 36. cum aliis Pontificiis objiciunt, alibi discussimus.

Vide *comm. in* 1. *ad Tim.* 5. *part.* 1. *quæst.* 5.

## CASUS XVII.

*De potestate Pontificia in dispensatione votorum.*

### *Estnè penes Pontificem Romanum & prælatos potestas dispensandi in votis?*

RESP. Multa hac de re disputantur in Papatu: ubi primùm varii constituuntur modi dispensandi, seu irrita faciendi vota: 1. per absolutionem. 2. per commutationem unius voti in aliud. 3. per relaxationem, cùm voti vinculum prorsus tollitur. 4. per redemptionem, cùm obligatio pecuniâ loco eleemosynæ datâ compensatur. *Varietas opinionum in Papatu.*

Deinde potestatem hanc dispensandi in votis negant esse ecclesiasticam aut spiritualem, sed civilem aut profanam, quæ cuilibet superiori etiam gentili competat, ratione rei seu materiæ voto promissæ, cùm id potestati suæ aliquid nocere viderit superior.

Tertiò superiores ecclesiasticos, ut Episcopos, Abbates, & Prælatos dispensare posse in votis clericorum sibi subjectorum, sed tantùm quatenus hi curæ illorum œconomicæ subjecti sunt.

Quartò de Romano Pontifice docent, dispensare ipsum non posse in votis Laicorum seu hominum secularium, quia ejus cura non est domestica administratio & gubernatio personarum: in votis clericorum autem dispensare posse, sed cum discrimine.



Digitized by Google

Si vota fuerint clericorum, qui ab omni religionis instituto & vinculo liberi sunt, tunc Pontifici potestatem dispensandi non concedunt nisi voverit aliquid, quod ad gubernationem ecclesiarum, beneficiorum & rerum ecclesiasticarum pertineat, tunc enim tacitâ conditione, si nimirum Pontifici Romano placuerit votum videri factum. Si verò vota monachorum & religiosorum fuerint, ea à Pontifice irrita prorsus reddi posse ajunt, quia tacitâ conditione facta videantur, si videlicet ipsi grata acceptaque fuerint. Ita hac de re disputat è Casistis suis *Iohan. Azorius lib.11.institut. moral.cap.17.*

Alii Papam solùm super quinque votis dispensare posse docent, ut super votum perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis in Hierusalem vel Romam, vel ad S. Jacobum Compostellam, nisi idem Papa eam potestatem alicui peculiariter concesserit. In simplici voto perpetuæ castitatis solum Papam ordinariè dispensare posse, Episcopum autem, quando imminet periculum evidentis incontinentiæ, & vovens habet impedimentum proficiscendi ad Papam. Ita disserit hac de re ex *Navarro* & aliis Casistis *Iodocus Lorichius in thesauro Theol. nov. vocabul. votum.*

*Baldus* quoque disputat (ut supra audivimus) *l. Si tibi fil. ff. de adopt. dispensare posse Papam, ut monacho liceat, deposito ad tempus cucullo uxorē ducere, nempe usq; ad procreationem sobolis &c.*

Denique de eo disputant Pontificii, an in dispensatione aut relaxatione voti justa causa sit attendenda. Multi affirmant ita, ut ne quidem Papam super voto sine rationabili causâ dispensare posse statuant. Et quidem pro causis rationabilibus habent: 1. facilitatem seu præcipitationem in vovendo. 2. imbecillitatem exequendi votum factum. 3. necessitatem vel utilitatem publicam, aut magnam necessitatem, magnamque utilitatem privatam. 4. Omnem eventum, ex quo impletio voti fieret inutilis aut noxia, vel majoris impedimentum. 5. Omnem aliam causam, quam superior judicavit sufficientem esse ad dispensandum.

*Rationabiles causæ Pontificiorum quoad dispensationem voti.*

Alii verò existimant, ad votum rescindendum justam causam non requiri, sufficere solam voluntatem ejus, qui ad id habet potestatem: & hanc opinionem veriorem nominat *Azorius d. l. quæst. 5.* quoniam vota facta sunt ex tacitâ conditione, si ea superiori placuerint.

Præterea disputant, an quis privatim commutare possit unum votum in aliud, & plerumque concludunt, posse, cùm mutatur in bonum aliquod evidenter melius, *nō enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat,* ait Gregorius: cùm autem dubium est, an bonum aliquod sit melius, tunc superioris autoritate opus esse ajunt.

Et quidem penes Pontificem dicunt

cunt esse potestatem commutandi vota omnia omium Christianorum, ubique degentium, penes Episcopos autem potestas est, commutandi ea saltem, quorum commutatio Pontifici Romano non est reservata.

*Quando commutatio in voto fieri possit ex mẽte Pontificiorum.*

Ex jure communi autem dicunt potestatem commutandi habere, qui potestatem dispensandi habet. Tunc autem fit commutatio. 1. cùm res quæ vovetur erat inutilis. 2. cùm difficultas incidit in persolvendo. 3. si votum factum sit ex subita animi consternatione. Et hæc commutatio fit cum consideratione qualitatum personæ. Nam commutaturus votum peregrinationis in divite vel paupere laborem quidem itineris mutabit in jejunia & orationes, sumtus autem quos facturus erat, præter eos, quos fecisset domi, in eleemosynas, ita ut diviti largiores imponat, quàm pauperi. Cùm verò impeditur aliquis in impletione voti certo quodam tempore, tunc sufficere aiunt, si commutans non ipsum votum tollat, sed tantum temporis dilationem concedat.

*Rejiciuntur hæ Pontificiorum disputationes.*

Hæ disputationes Pontificiorum fluunt ex spurio illo imperio, quod prælatis, imprimis Papæ in conscientias hominum tribuunt; quod tyrannicum est & verbo Dei prorsus contrarium, quod solum Deum conscientiarum Dominum agnoscit.

Nullum ejusmodi dispensationis aut relaxationis exemplum extat in sacris, multò minus ullum præceptum.

Sed si votum factum est à persona inhabili, quæ non est sui juris, tunc quidem scriptura parentibus & aliis superioribus dat potestatem rescindendi ea, nisi sint vota moralia, quâ de re supra ex *cap. 30. Numer.* audivimus.

Si materia voti est illicita, votum ipso facto nullum est, nec peculiarem requirit dispensationem.

Si verò votum est licitum, legitiméque factum, tunc nullam admittit dispensationem: quia mandatum Dei de reddendis votis liberè licitéque factis, clarum est Deut. 23. v. 21. Psal. 50. v. 14. Eccles. 5. v. 3.

Impia ergò vox est *Lorichij l. d. etsi vota facta implere, sit juris divini: tamẽ veniente aliquo impedimento ad implendum votum, Papa declarat votum tunc non obligare: ideoq; non tollit jus divinum, sed explicat.*

Sed nulli homini licet aliquid dispensare contra jus divinum, & ubi Deus explicationem non addit, pro nostro arbitrio non sunt explicanda præcepta Dei. Nullum enim impedimentum esse potest, quod obsequium nostrum divinis mandatis debitum vel tollere, vel suspendere possit.

Votum perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis ad Hierosolymam implere &c. non est juris divini: ideò dispensatione Papæ opus non habet, sed ipso facto nullum est & illicitum, ob causas suprà *cas. 14.* indicatus.

Auget autem tyrannidem Papæ, quòd existimant, ipsum absque ullâ causâ rescindere votum posse, tantùm voluntatem ejus sufficere. Cùm enim Deus non ad voluntatem Papæ aut Prælatorum eius ecclesiam suam regat, temerarium est res conscientiæ voluntati unius hominis absque justâ causâ committere.

Ideò experientia testatur, quomodo angantur conscientiæ, cùm Papa potestatem dat monachis ex uno ordine in alterum transeundi, quod nihil est aliud, quam prioris ordinis votum, quo tamen obstrictas putabant conscientias, rescindere, & novo voto novum conscientiis jugum imponere: ex quibus angoribus miseri emergere priùs non possunt, quàm potestatem illam Papæ, & in imponendis & rescindendis votis, nullam esse agnoscant.

## CASUS IX.

### *De Casibus Conscientiæ circa juramenta.*

IUramentum priscis Latinis idem erat, ac sacramentum. Id enim teste *Festo & Paulo Grammatico*, sacramentum dicitur, quod jurisjurandi sacratione interpositâ geritur: unde sacramento interrogari dicebantur, qui mediante juramento adigebantur, ut veritatem dicerent.

*Est autem juramentum confirmatio religiosa & necessaria rei dubia, in quâ Deus ipse testis invocatur & vindex atq; ultor, contra mentientem appellatur.* *Quid sit juramentum?*

*Confirmatio dicitur*, quia non est nuda promissio aut asservatio, sed rei promissæ aut adsertæ stabilitio: ideò Apostolus scribit, *juramentum ad confirmationem adhibitum omnis controversia finem esse, Heb. 6. v. 16.* Hac ergò voce distinguitur 1. *à voto*, quod est promissio Deo facta, juramentum autem est promissionis cujuscunque confirmatio. 2. *à nuda assertione*, quæ juramentis confirmatur. *Explicatur definitio juramenti.* *Quomodo juramentum differat à voto?* *Quomodo à nuda assertione?*

*Religiosa confirmatio* dicitur, quia est pars cultus divini, quin & totus cultus divinus interdum juramenti voce exprimitur *ut Esa. 19. v. 16. in die illo jurabunt per Iehovam exercituum*, id est, verum Deum colent.

Distinguitur hac voce ab obtestatione civili, ut cùm Josephus in Ægypto jurat per *salutem Pharaonis Gen. 42. v. 15. Moses obtestatur populum per cœlum & terram Deut. 30. vers. 19. Elisæus ad Eliam* ait, *vivit Dominus, vivit anima tua, non deserã te 1. Reg. 2. v 4. & Paulus per gloriam Corinthiorum jurat 1. Cor. 15. vers. 31.* quales formulæ non sunt propriæ sic dicta juramenta, sed civiles saltem & domesticæ obtestationes, quâ solemus in vulgari usu loquẽdi res nobis caras quasi pignora interponere, ad faciendam fidem. *Quomodo ab obtestatione civili?*

Necessa-

*Neceſſaria* dicitur *confirmatio*, quia juramentum non niſi magna requirente neceſſitate, & cum aliàs non crederetur noſtræ adſertioni, adhiberi debet, opponitur hæc vox temeritati jurantium, quibus aliàs etiam non jurantibus fides habita fuiſſet.

In juramentis *teſtem dictorum aut factorum è cœlo petimus*, quod prius faciendum non eſt, quam cum teſtes in terrâ deficiunt. Eandem ob cauſam additur, quod ſit *rei dubiæ confirmatio*. Nam quæ certa ſunt & in confeſſione, non opus habent juramento: *Forma* & quaſi anima juramenti eſt, quòd DEUS invocatur teſtis dictorum aut factorum, & fallentium vindex, quod in nudis promiſſionibus, adſertionibus, aut obteſtationibus non fit.

*Tria ad formam juramenti pertinent.*

Tria ergò ad formam juramenti pertinent. 1. aſſeveratio nuda negotii. 2. teſtimonium numinis divini, quod fallere neſcit. 3. execratio, ſeu vindictæ divinæ evocatio, ſi jurans fallat.

*Quotuplex ſit juramentum?*

Diſtinguitur juramentum in varias ſpecies. Eſt juramentum *promiſſorium & adſertorium*: illud de rebus futuris eſt, quarum promiſſiones juramento confirmantur; hoc de rebus præteritis aut præſentibus. Eſt juramentum *religionis*, quo quis ad certam religionem ſe obligat: eſt juramentum *fidelitatis*, quo magiſtratus & ſubditi ſibi invicem ad præſtandam fidelitatem obligantur, ut fit in homagiis: eſt juramentum *veritatis*, quod magiſtratus uni vel alteri parti imponit, cùm veritas alioquin indagari non poteſt: eſt juramentum *calumniæ*, uſitatum in contractibus, fœderibus ac pactis, cùm contrahentes vel paciſcentes utrinque ſe obligant, & ultrò citroque ſe devinciunt ad ſervandam fidem: eſt juramentum *militiæ*, quod & ſacramentum militare dicitur, in quo poſt electionem jurat unuſquiſque miles, ſe non receſſurum à militiâ, niſi poſt completa ſtipendia ſeu militiæ tempora, ut eſt apud *Iſidorum lib. 9 Orig. cap. 3.*

[*Sic Ciceroni milites dicuntur obſtricti ſacramento, h.e. juramento militari ad præſtandam Imperatori fidelitatem.*]

*Triplex eſt juramentū. 1. voluntarium.*

Uſitatè tria juramentorum genera conſtituuntur. Unum eſt *voluntarium*, quòd *Suidas* vocat κατώματον, & locum habet in pactis & contractibus, & à privatis hominibus defertur & præſtatur; ideoque cuivis vel præſtare vel rejicere liberum eſt.

*2. neceſſarium.*

Alterum eſt *neceſſarium*, *Suidas* vocat ἐπακτὸν, injunctum & imperatum: nam à magiſtratu ſeu judice graviſſimis de cauſis defertur, ideò rejici non poteſt. Ad quod genus pertinet judiciale, quòd una pars litigantium alteri debet: quod cum à parte provocatâ provocanti defertur, eſt neceſſarium, aliàs ſæpè recuſari poteſt.

*3. aſſertoriū.*

Tertium eſt *aſſertorium*, *Suidas* vo-

cat ἐπιώμοτον, cùm quis nemine deferente, assertionem suam iureiurando confirmat.

Quemadmodum autem aliàs materia iuramentorum multis disputationibus est obnoxia: ita varia hîc incidunt dubia, quæ conscientiam piorum faciunt sollicitam, quorum præcipua ita enodabimus, ut veritatis studiosi acquiescere possint:

## CASUS I.

Primùm omnium sollicitus est homo pius:

*De iuramentis.*

*An etiam juramenta sint licita,* cum Christus ea prohibere videatur, dicendo: *sermo vester sit, est, est, non, non: ne juretis omninò, Matth. 5. v. 35.* quod repetit ex ore Christi Apostolus *Iacobus cap. 5. v. 12.*

*Anabaptistæ iuramenta in totum damnant.*

REsp. Non tantùm Anabaptistæ hodie, verùm etiam veteres hæretici, Esseni & Basilidiani iuramenta Christianis prorsus illicita esse statuerunt, ut est apud *Eusebium lib. 9. præparat. evang. cap. 11. & lib. 6. hist. eccles. cap. 4* cui opinioni quidam etiam ex patribus favere videntur, cùm multorum in iurando temeritatem & levitatem viderent.

Sed rectè scripsit *Augustinus epist. 154. non jurare, sed pejerare, peccatum est.* Nam iuramenta in se licita esse, sive sint voluntaria, sive delata seu injuncta, modò aliàs legitima, ex sequentibus constat argumentis (1.) quia DEUS ipse iurat *Genes. 22. vers. 16.* iuravit per *animam suam Ier. 51. vers. 14. Amos. 6. vers. 8.* per vitam suam *Num. 14. v. 21. Deuter 32. v 40. Ezech. 33. v. 11.* per sanctitatem suam *Psal. 89. v. 36. Amos 4. vers. 2.* quod autor *epistolæ ad Hebræos cap. 6. v. 13* interpretatur, Deum per semetipsum iurasse. Est enim vita & sanctitas ipsa.

*Probatur iuramenta iuse esse licita.*

*1. ab ipsius Dei juratione.*

(2.) Quia Deus iuramenta iniungit in certis casibus per magistratum *Exod. 22. v. 11.* & ut per nomen Dei iuretur, expressè præcipit *Deut. 6 v. 13. 10. v. 20.* Et ita futurum in N. T. per Prophetam prædixit *Esa. 9. v. 18. 6; v. 6.*

*2. à Dei in certis casibus injunctione.*

(3.) Christus iuravit aliquoties *Matth. 16. v. 28 & 23 14 v. 12. Mar. 3. v. 28.* quibus in locis utitur particula Amen, quæ affirmationem cum interposito iuramento notat, sicut scriptum est: *qui benedixerit sibi in terrâ, benedicet sibi in Deo Amen, & qui juraverit, jurabit in Deo Amen Esa. 65. v. 16.*

*3. à Christi actione.*

[*Dissuadetur in Scriptura circa juramentum:*

*1 affectio jurandi Ier. 5.*

*2. assiduitas jurandi Sir. 23.*

*3 levitas in jurando Deut. 5.*

*4 falsitas Ierem. 4. Iurabitis in veritate.*]

(4.) Au-

*4. ab angelorum obtestatione.* (4) Angeli iurarunt allevatione manus obtestantes cœlum & terram, *Apoc.* 10. *v.* 5. 6. quo gestu in iurandò usus est *Esa.* 62. *v.* 10.

*5. à Patriarcharum exactione.* (5) Patriarchæ & Apostoli iurarunt, & ab aliis iuramenta exegerunt *Gen.* 14. *v.* 22: 21. *v.* 23: 24. *v.* 3. *Rom.* 1. *v.* 9 2. *Cor.* 1. *v.* 23. 1. *Thess.* 2. *v.* 5.

*6. à multiplicitatione confirmatione.* (6) Ratio quoque evincit iuramenta non esse illicita. Oriuntur enim ex rectâ fide in Deum, quia, qui iurat, *facit hoc per eum, qui major & excellentior se est Heb.* 6. *vers.* 16. cui testimonium perhibet, quòd omnia ei sint comperta, quod sit veritatis amans & vindex periurii, quodque periuros punire possit. Utilitati quoque tàm nostræ, quàm proximi inserviunt iurantes, nostræ quidem, quia plus fidei habetur iuranti, quàm simpliciter affirmanti, undè vulgò dicitur, *juramentum confirmare actum*; proximi verò, quia innocentes iuramentis liberantur à periculis, & controversiæ finiuntur, *Heb.* 6. *v.* 16. & occasio fallendi alios præciditur. Quin & pars cultus divini est iuramentum, quo nomen Dei extollitur; & ut de re aliquâ testetur, fallentesque puniat, invocatur.

*Objectio solvitur, & explicatur locus Matth. 5. v. 37. item Iacobi, 5. v. 12.* Quòd autem Christus *Matth.* 5. *vers.* 37. dicit: *sermo vester sit, est, est, non, non, ne juretis omninò*: id minimè omnem simpliciter iuramentorum usum tollit: sed 1. *inconstantiæ opponitur*, ne sint homines versipelles, qui modò aiunt, modò negant, vel, qui ut decipiant alios, simul ναὶ & οὒ loquuntur: ut est apud *Paulum* 2. *Cor.* 1. *vers.* 17. vult enim Dominus, ut sermo noster sit simplex, candidus & apertus, ac si iuramento esset confirmatus.

2. Opponitur *hominum incredulitati.* Nam iuramentum τῷ est & non oppositum malum est, non respectu iurantis, sed respectu incredulitatis eius, cui iuratur: ea enim incredulitas mala est, declarante *Augustino epist.* 154. *ad Publicolam, & lib.* 1. *de serm. Dom. in monte.*

3. Opponitur *levitati hominum*, qui nimis faciles sunt ad iurandum non tantùm in communi vitâ, sed & ad iuramentum in iudiciis sese offerunt, non expendentes periculum cui se opponunt, ubi sanè præstaret simplex adsertio, quàm nimia in iurando facilitas. *Falsa enim juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est*, inquit, *Augustinus serm.* 28. *de verbis Apostoli.*

4. Opponitur iuramento *temerario*, quale fuit *Pharisæorum*, contra quos Christus ibi ex professo sermonem suum dirigit, qui partim licitum esse iudicabant, in familiari etiam sermone, quacunque de re, in quocunque casu iurare, si vel maximè nec ad Dei gloriam, nec ad proximi utilitatem faceret: partim ea, quæ per simplicem promissionem pacta erant, facilè violabant, existimantes, DEUM periurii saltem esse vindicem, quod committatur ab iis, qui non tantùm per DEUM, sed & per cœlum, per templum, per terram, & similia iurabant.



Digitized by Google

bant. His opponit Christus: omninò non juretis, reprehendens in istis exemplis omnia temeraria juramenta, absque causâ, & sine necessitate facta.

Universalis igitur particula, omninò, cum restrictione intelligenda est, nimirum de juramento temerario & illicito: quemadmodum & alibi sæpiusculè, ut *Exod.20.v.10.* cum dicitur: *nullum opus faciendum esse sabbato*: ubi nullum, tantùm profana excludit opera. Sic *Luc.7.vers.78. nemo surrexit major Iohanne Baptistâ*; universalis restringenda est ad eos, qui vulgariter ex virili semine nati sunt.

Quod sine dubio observavit *Siracides*, ideò cùm juramenta non necessaria prohiberet, illud omninò in verbis Christi explicat per διὰ παντὸς: *jurans διὰ παντὸς*, inquit, *subinde & frequenter, non erit vacuus à peccato Sir.23.v.11.*

## Casus II.

Cùm ergò satis constet, juramenta simpliciter prohibita non esse; quæritur amplius.

## *An sit licitum jurare per Deum & omnes sanctos?*

RESP. Juramentum hoc usitatum est in Papatu, sed existimamus non carere prophanatione nominis divini: DEUS enim ea tantùm juramenta approbat, quæ in suo nomine fiunt, *Esa.19.v.18.65.vers.16. Ier.4.v.2.* improbat autem ea, quæ fiunt per nomen idolorum *Ier.5.v.7. filij tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non sunt dij*: pœnas quoque minatur iis, qui in juramentis Deo adjungunt creaturas *Soph.1.5. disperdam eos, qui jurant in Domino, & jurant in Melchom.* Christus quoque reprehendit juramenta in genere, quæ per creaturas fiunt *Matth 5,34.* Unde *Hieronymus* infert, Christum formulas jurandi per creaturas, simpliciter improbare, tanquam impias.

Et ratio est manifesta. Nam juramentum est pars cultus divini, qui neque sanctis, neque ulli creaturæ competit: & sicut sancti non sunt invocandi, ita nec in eorum nomine jurandum, quia juramentum est species invocationis, ubi Deus advocatur testis omnium eorum, quæ fiunt, aut dicuntur, & invocatur vindex mentientium, quod sanctis tribui non potest. *Negativa defenditur & probatur.*

Quam ob causam *Innocentius III. Papa in cap. etsi Christus, de jurejurando, ex Hieronymo* censet, Christum prohibuisse juramentum per creaturas, ne transferretur ad creaturam honorificentia creatoris, & *in concilio Carthag. IV.* statutum est, *clericum per creaturas jurantem acerrimè esse objurgandum, quòd si persistiterit in vitio, excommunicandum*: ex quo cōcilio *in jure cap.22. quæst.1.* sancitur: *si quis per creaturas juraverit, acerrimè castigetur, & juxta id, quod synodus dijudicaverit, pæniteat.*

Non

*Turca, quomodo jurent.*

Non igitur probare possumus, quòd Mahomet per solem, per lunam, astra, igneum splendorem, animalia & huiusmodi jurat.

*Ethnicorum juramenta.*

Ethnicorum juramenta per creaturas varias usitata fuerunt. *Ægyptij* per allium & cæpas veluti sanctissima numina jurabant: ex Græcis soli *Athenienses* per Isidem, Græci alii per Rhadamātum, *Thraces* per *Mercuriū*, *Massagetæ* per *Tanaim & Meotidem* paludem, *Cappadoces* per montem, *Persæ* per Μιθρην, hoc est, solem, *Afri* per viros excellentes, *Pœni* per patrios Deos, *Iones* per crambem, *Zeno* per capparim, *Lampon* per anserem, *Socrates* per canem & platanum, per quercum & hircum, (per Deos enim jurare noluit) *Sophocles* per *Lapersas*, hoc est, geminos, *Castorem & Pollucem*, *Pythagorei*, per quaternionem, quia hunc numerum ad animæ integritatem pertinere dicebant, in quâ considerandâ mens, scientia, opinio, & sensus, &c. De his omnibus *vide Alexan. ab Alexandro. lib. 5. genialium dierum cap. 10.*

*Cur non per asinum & porcum.*

Sed Ethnicorum mores nemo piorum facilè imitatus fuerit, mirum enim non est, ipsos in ista cæcitate & ignorantiâ veri Dei, circa hanc partem cultus ac religionis tam ridiculè partim, partim etiam turpiter aberrasse.

Magis mirandum, quòd inter Christianos reperti sunt viri magni nominis, qui in hac parte cultus divini, vero Deo creaturas insuper adjunxerunt. Inter quos est *Justinianus Imperator*, qui *novellâ. 9.* magistratus novos jurare jubet, *non modo per Deum omnipotentem, & filium ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, sed & per sanctam & gloriosam Dei genetricem & semper virginē Mariam, ac per sanctos Archangelos Gabrielem & Michaelem.* Rex *Otho Iohanni Papæ jurat per sacrosanctam Trinitatem, per lignum vivificæ crucis, per sanctorum reliquias & c. dist. 63. cap. tibi Dn. Iohanni.*

Impietate quoque non caret, quòd in Papatu juratur *per Deum & evangelium*, quale juramentum à Pontificio magistratu interdum evangelicis etiam imponitur, & quanquam *Matt. VVesenbecius in paratit. de jurejurando num. 6.* id intelligendum censeat de verbo hypostatico, hoc est, de Filio Dei, non de literâ evangelii: fas tamen non est in juramentis uti formulis adversariorum, à quibus eas aliter intelligi non ignoramus. Præstaret ergò à tali formulâ juramenti prorsus abstinere, quàm in gratiam adversariorum eâ alio & fortè tolerabili sensu uti, ne cum ipsis colludere videamur.

*Pontificiorum mitigationem de juramentis per sanctos factis, vanum esse effugium probatur.*

Agnoscunt Pontificii per solum Deum esse jurandum, sed, cum etiam per sanctos jurant, ita mitigant, ut dicant, jurari per sanctos, non propter ipsos, quasi numinis & divinitatis aliquid habeant, sed propter DEUM qui est auctor omnis veritatis, & sanctitatis, quam habent sancti: quemadmodum imagines coluntur non propter ipsas, sed pro-

pter Deum omnis sanctitatis datorem & largitorem: vide *Azorium lib. 10. instit. c. 2. & 3.*

Sed σοφὸν φάρμακον est. DEUS nuspiam præcepit invocari sanctos vel jurare nos per eos, sed hoc potiùs prohibuit: juramentum ergò, quod fit per sanctos, quomodocunque pallietur, quia præcepto DEI est contrarium, eo ipso est impium.

Deinde nulla est consequentia: sancti habent suam sanctitatem à Deo, ergò sunt invocandi, vel per eos jurandum. Idem enim etiam de *Hierosolyma* dicere possem, quæ civitas sancta in scripturâ appellatur *Matth. 27, 53.* per quam tamen jurandum esse Christus negat *Matth. 5. v. 35.*

Objiciunt alii juramentum *Iosephi per salutem Pharaonis Gen. 42. 15. Mosis per cœlum & terram Deuter. 30, 19 Elisæi* jurantis per Dominum *& per animam Eliæ 2. Reg. 2, 4.* unde inferunt creaturas in juramentis Deo adjungi posse. Sed suprà docuimus formulas illas non tam juramenta esse, quàm obtestationes serias, & asseverationes, cujus generis multa sunt in communi vita, ut cùm quis per fidem, per existimationem, per vitam, per animam suam aliquid affirmat, idque sine injuriâ creatoris fit, quia nulla accedit invocatio, nulla vindictæ postulatio, si fallamus, sed est simplex assertio in majorem fidem adhibita.

## CASUS III.

*Num juramentum, quod fit per falsum Deum, verum est juramentum, quod jurantem in conscientiâ obligat?* *De juramento, quod fit per falsum Deum.*

RESpond. Gentiles jurant per id, quod naturâ non est DEUS, per Jovem, per Herculem, &c. Turcæ per Mahometem, Pontificii per omnes sanctos. Tale juramentum illegitimè quidem fit, cum non nisi in nomine veri Dei jurandum sit, valore tamen & effectu verum & obligans juramentum est. *Affirmatur.*

Nam id, per quod juratur, non quidem verus Deus est, in opinione tamen jurantis numen aliquod habet. Sic Abraham admittit juramentum *Abimeleci* jurantis per *Deos fictitios Gen. 21, 23. Laban* in juramento suo vero DEO admiscet Deos gentilium. Jurat enim *per Deum Abraham, & Deum Nachor,* qui fuit Deus alienus, cui serviret ipse & patres eius in Chaldæâ *Gen. 24, 2.* quod juramentum in sese erat illicitum, sicut scriptum est: *per nomen deorum externorum non jurabitis Exod. 23. vers. 15.* Quia tamen *Abimelech* deos suos & *Laban* idola illa patrum suorum pro vero DEO habuit, ideò *Jacob* juramentum illud ex parte *Labani* ratum esse censens, suum addidit,

didit, quo per timorem patris sui *Isaac* juravit.

Ad eundem modum hodie in pactis cum Pontificiis gerere nos possumus. *Pontificij* in juramentis suis Deo vero admiscent sanctos, & per utrosque jurant: quod in sese impium est. *Evangelici* principes jurant per verum DEUM duntaxat, Pontificios verò juramento suo obstrictos sciunt, quocirca propter illud ipsis fidem habent. Sic *Romanus* Imperator juramento confirmans fœdus cum *Turcico Tyranno*, admittit *Turcam* jurantem per *Mahometem*.

*Applicatio prioris exempli ad nostra secula.*

Etsi ergò utrobique aliquid vitii accedit, *Turca* enim per suum *Alcoranum*, *Imperator* per sanctos & sancta evangelia jurat: uterque tamen ad servandum ea, quæ juravit, tenetur: hîc enim non forma juramenti, sed animus & intentio jurantis attendenda est.

Optandum quidem esset, ut omnia rectè atque ordine fierent, sed quia in mundo inter homines vivimus, *multa sunt toleranda, quæ mutari non possunt*, modò propositum servandi ea, quæ jurantur, maneat firmum.

In eundem sensum *Augustinus* ad hanc quæstionem à *Publicola* propositam respondet *epistol.* 154. ubi eum quidem qui per falsos Deos jurat, & promissam fidem non servat, bis peccare scribit, primùm, quia falsum Deum invocavit, deinde quia fidem non servavit: *qui verò utitur fide illius*, inquit, *quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malam rem, sed ad licitam & bonam, non peccato ejus se sociat, qui per dæmonia juravit, sed bono pacto ejus, qui fidem servavit.*

## CASUS IV.

### *Quibusnam in rebus juramenta sunt admittenda?*

RESP. Vulgò dicitur: *non omne, quod licet, etiam honestum est.* Honestatis autem semper major est habenda ratio, quàm libertatis. Sic jurare quidem licet, sed non semper tutum aut honestum est. Levitas enim in jurando vitiosa est, & pœnâ digna.

Quilibet ergò, si fieri potest, ab omni juramento prorsus abstineat, & sic veritati alluescat, ut sermo simplex vim juramenti habeat. Nam non ipsa promissionis natura, sed hominum imbecillitas juramenta facit necessaria. Si enim in moribus hominum nullum omninò esset vitium, si omnes iustitiæ & veritatis ita studiosi essent, uti debebant, si fraudem & mendaciorum odium esset in omnibus, neque juramentis, neque legibus opus esset. Sed uti *ex malis moribus bona leges, ita & juramenta nata sunt*: ideò *Hesiodus* in *Theogonia* fingit, ὅρκον seu iusiurandum ex *Eride* seu contentione natum esse.

Proinde

Proinde nemo se adsuefaciat ad jurandum, ne sibi ipsi argumentum perfidiæ faciat; quâ de re gravissima extat admonitio *Siracidæ cap.23. v.9. seqq.* & *Augustinus* scribit *serm.28. de verbis Apost. juro, sed quantum mihi videtur, magnâ necessitate compulsus, cum videro nõ mihi credi, nisi faciam, & ei, qui mihi non credit, non expedire, quod non credit, &c.*

*Materia juramenti liciti esse debet 1. res certa.* Materia igitur juramenti liciti est 1. *res certa*: de dubiis enim neque certi quid affirmare, nedum jurare possumus. *Ubi enim veritas locum nõ habet, nec juramentum locum habebit, ut est in l. fin. C. de non numer. pecun.*

*2. res magni momenti.* 2. *Res magni momenti*, vel publici commodi causâ vel in utilitatem proximi suscepta: nam res leviculæ, aut in quibus privatum tantummodò lucrum spectatur, juramentis temerè & non sine abusu numinis divini confirmantur. Ideò *Nazianzenus* monet, *ne per jusjurandum aliquem faciamus quæstum.*

*3. res honesta.* 3. *Res honesta*, verboque Dei cõveniens: quæ enim turpia sunt, ne quidem affirmari, ne dum per juramentum confirmari debent, cum juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, *& quod contra bonos mores est, non obliget*, ut est in *lib. 3. Instit. tit 27.*

*4. res possibilis.* 4. *Res possibilis*, quæ apud JCtos cum honestâ pari passu ambulat, quibus quicquid contra bonos mores est, inhonestum appellatur *l. filius ff. de condit. instit.* ad impossibilia autem nemo obligatur *l. non solum ff. de act. & obligation.*

Videt ergò homo pius, quàm multa sibi consideranda, quàm diligenter sibi circumspiciendum sit, antequam juret, ne vel in temeritatis vel in perjurii periculum incidat, nomenque Dei prophanando pœnas in lege dictas *Exod. 20, 7.* incurrat.

## Casus V.

### *Quænam personæ habiles sunt, ut vel ipsi jurent, vel juramentum ipsis deferatur?*

*De personis ad juramẽtum aptis.*

*Quænam sint habiles.* Resp. Etiam hîc cautione opus est. Sicut enim ad vota; ita etiam ad juramenta non quilibet promiscuè sunt admittendi, sed ii tantùm, qui sui juris sunt, & quid jurent, expendere possunt.

*Qui non possint jurare? 1 nõ pueri.* Non ergò possunt jurare 1. *pueri*, qui vim juramenti & pœnas perjurii neque intelligunt, neque rectè expendunt. Sed hodie ferè nemo frequentiùs, proh dolor, jurat quàm impuberes, & vix decem annorum pueri ac puellæ, qui fructus est collapsæ disciplinæ domesticæ.

*2. non virgines & uxores.* 2. *Virgines & maritæ*, quibus vovendi potestas adempta est, *Numer. 30. v. 4, 6, 13.* ergò & jurandi, si pater aut maritus contradixerit, quorum potestati subsunt, propter imbecillitatem sexus, qui, quid ex usu sit, non accuratè expendit.

3. Eadem

Digitized by Google

*3. non ſervi & ancillæ.*

3. Eadem eſt *ratio miniſtrorum* aut aliorum, qui à ſuperiorum poteſtate dependent, qui ſine ſuperiorum ſuorum conſenſu juramentum, præſertim ſolenne, præſtare non poſſunt, niſi in certis quibuſdam caſibus, de quibus JCti docere ſolent.

*4. non perſonæ eccleſiaſticæ.*

*Cur eccleſiæ miniſtris juramentũ judiciale non deferendum ſit?*

4. *Perſonæ eccleſiaſticæ* in causâ religionis quidem jurare poſſunt, in foro autem juramentum eis non eſt deferendum, cujus rei *Plutarchus in quæſtio. 44. Romanar. quæſtion.* quator cauſas attulit: 1. quia juramentum ſit tormentum, at ſacerdotes omnis torturæ tam in corpore, quam anima expertes eſſe debent, 2. quia non ſit veriſimile eum in minimis rebus fallere, qui ne quidem in maximis ac divinis fallere fuit deprehenſus. 3. quia omne juramentum in execrationem, rem verè triſtem exeat: abſurdum autem ſit, eum, qui benedictionem & ſalutem prædicet, ad execrationes atque diras adigi. 4. quia perjurii periculum ſit in juramentis, cujus occaſionem ſacerdoti præbere non debeamus.

*5. ebrii.*

5. *Ebrii* jurare in judicio non poſſunt, quia judicio carent, & nomine divino facilè abuterentur. Ideò olim ſolennia juramenta manè fiebant à jejunis, cujus exemplum habemus in hiſtoriâ *Iſaaci, Abimeleci, Ochotzati & Phicholis Geneſis 26, 31.*

*6. leves & ſuſpecti.*

6. *Homines leves*, & de perjurio ſuſpecti ad juramentum non ſunt admittendi. Qui ergò hujuſmodi hominem ad jurandum adigit, quem pejeraturum novit, is homicidâ deterior eſt: homicida enim corpus ſaltem tollit, hic verò animam necat.

7. *Furioſi* jurare non poſſunt, *7. furioſi* cùm, quid jurent, & pœnas perjurii expendere non poſſint.

8. *Coacti* quoque & nolentibus *8. coacti.* juramentis parcendum eſſet, ſi tamen ab ipſis extorta eſſent, quid ſtatuendum, infrà peculiari in caſu exponam.

Ex his omnibus requiſita liciti juramenti colligi poſſunt, quod fieri debent à perſonâ, quæ ſit ſui iuris, in nomine ſolius Dei, de re licita, ex deliberato propoſito, vel ut fidem faciamus auditori de veritate, vel ut neceſſitatem non fallendi imponamus aliis: de quâ re ſunt veteres verſiculi:

*Stulta, doloſa, placens, mendax, temeraria, fruſtra*
*Deteſtans, iterata, procax, ſuper idola membra;*
*Non ſine peccato eſt omnis juratio talis.*

## CASUS VI.

### *Quænam ceremoniæ in juramentis ſunt adhibendæ?*

*De ceremoniis in juramentis adhibendæ.*

RESp. Varii fuerunt ritus gentilium in iuramentis, quorum aliquos annotavit *Alexander ab Ale-* *Ceremoniæ gentilium.*

*xandro lib.* 5. *Genial. dier. cap.* 10. Interdum verre apprehenso & stricto in jugulum gladio, cœlum, terram, solem & ultrices furias advocare solebant, mox verre immolato & in mare dejecto, jusiurandum præbebant, quo pacto *Agamemnon apud Homerum Iliad. lib.* 15. iurat.

Interdum jurantes deorum aras tangebant, & hoc sanctissimum dicebant juramentum, cuius exemplum est de *Ptolemæo Ceraunico* apud *Iustinum lib.* 24. *Pani* aram & sacra tangentes vel agnum lævâ, dextrâ silicem tenentes, deos hominesque contestabantur, ut si illos sciens falleret, ita se Jupiter feriret, quemadmodum ipse agnum percuteret: de quo more legatur *Livius lib.* 1. *decad.* 3. & *Valer. Maxim. lib.* 9. *cap.* 3.

Romanorum mos erat, ut juraturi per Jovem, modò ad deorum aras, sacrificio perfecto, ignem, aram atque exta tangerent, modò super cæsis hostiis jurarent, de quo vide *Liv. lib.* 7. *decad* 1. & *Macrob. lib.* 3. *cap.* 2. nonnunquam lapidem silicem tenentes hæc ad verbum proferebant: *si sciens fallo, me Iuppiter, salvâ urbe arceque bonis ejiciat, uti ego lapidem hunc ejicio:* quibus enunciatis, lapidem manu emittebant & hoc dicebant, jurare *per Iovem lapidem*, quod solennissimum & sanctissimum jusiurandum erat: de quo legatur *Festus Pompejus libr.* 10. & *Cicero lib.* 7. *epistol. famil.* 13. & *Gellius lib.* 1. *cap.* 21. qui ritus inprimis in fœderibus publicis solenniter observabatur, ut est apud *Polybium lib.* 3. *de fœdere Romanorum & Carthaginensium.*

*Christianorum ritus propter utilē quandam commonefactionem commendātur.*

Apud Christianos etiam ritus quidam adhibentur, præsertim in iis juramentis, quæ à magistratu imponuntur, non quidem necessitatis causâ, &c. sed propter utilem aliquam commonefactionem. Deus ipse licet membra corporea non habeat; elevatione tamen manus in cœlum iurasse legitur. *Esa.* 62, 8. ut nos admoneat, mentes nostras inter iurandum ad cœlum elevatas esse debere, ubi est cordium scrutator, testis veritatis, & perjurii vindex. Hinc levare manum in scripturâ, cùm de Deo usurpatur, idem est, ac jurare *Deuter.* 32, 40. *Ezech.* 36, *v.* 7. angeli quoque levatis manibus ad cœlum iurarunt *Apoc.* 10, 5. 6. *Abraham*, levatâ manu ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, jurat *regi Sodomorum Genes.* 14, 22. ad horum exemplum prisci Christiani etiam jurabant levatâ manu in cœlum, *ut Cyrillus in Apologiâ suâ de Victore*, quodam sene scribit, *quod jurarit sublatis in cœlum manibus per sacrosanctum baptismum & veneranda Christi mysteria.*

Cùm inferiores iurabant superioribus, non elevebant manum, sed imponebant eam femori ejus, cui iurandum erat, quo ritu *Eleasar* servus *Abrahami*, hero suo iurat *Genes.* 24, 2. & *Ioseph Iacobo* patri suo morituro *Gen.* 47, 29: 50, 5. quo ritu recordabantur, vel fœderis cum Deo in circumcisione initi, sicut hodie tacto evangeliorum libro iurantes admo-

admonentur, fidei evangelicæ & redemtoris sui Christi in evangelio propositi, vel recordabantur seminis benedicti ex femoribus beatæ virginis suo tempore prodituri, per quod semen se jurare isto ritu testificabantur.

Christiani in primitiva ecclesia iurabant, vel tacto sancti alicuius martyris sepulcro, ut *Gregorius Magnus refert lib. 5. epist. 33.* vel tacto altari, ut refert *Gregor. Turonensis lib. 5. histor. c. 3.* vel manu imposita sacrorum Bibliorum libro, referente *Chrysostomo hom. 15. ad populum Antiochen.* aut in specie evangeliorum libro, notante *Sozomeno lib. 6. histor. Eccles. cap. 30.*

Vulgus hominum indices digitos utriusque manus in formam crucis componit, & sic jurat; quo ritu per sanctam Christi crucem aliquid iuratur, quamquam hoc fere non nisi in execrationibus & minis fieri soleat, ex vitiosa potius consuetudine, quàm devota reitantæ consideratione.

Hodie in judiciis accenduntur interdum lucernæ, coram quibus viri in genua procumbentes ita jurant, ut indicem ac medium dextræ manus digitum vel imagini crucis, vel sacris Bibliis imponant, vel cœlum versus attollant, reliquis digitis intra manum contractis.

Fœminæ jurant apposita ad pectus dextera, ex veteri *Alemannorum consuetudine, de quâ vide Petrum Gregorium Tholosanum lib. 50. syntagm. cap. 8. num. 30.*

Horum rituum concinnæ dari possunt interpretationes. Lucernæ accenduntur, quia in conspectu Dei, cui nulla creatura est invisibilis, sed *omnia nuda & aperta oculis ejus Heb. 4, 13.* homo jurans sistitur.

In genua procumbitur, ob reverentiam Numinis præsentis.

Index digitus porrigitur, quia jurans quasi indice digito ostendit, quem sermonis sui testem vocet, & quem velit esse vindicem, si fallat.

Medius digitus elevatur, contractis reliquis, ut mentis & affectuum ostendatur integritas, quodque nihil fiat aut dicatur ex odio, invidia, aut alio aliquo inordinato affectu erga adversarium.

Uterq; digitus con ungitur, ad notandum consensum iurantis, & eius per quem iurat.

*An tres, an tantum duo digiti in juramẽto erigendi sint?*

Etsi verò hic ritus erigendi duos saltem digitos maximè concinnus & usitatus esse videtur, unde & vulgò de iurantibus dicitur, **daß sie zwey auff fünffen ziehen /** & periuris non tres sed duo tantum digiti amputantur, ex constitutione Caroli V. multi tamen sunt, qui tres digitos, pollicem, indicem & medium, erigendos esse censent in honorem & reverentiam SS. Trinitatis.

*Interpretatio juramẽti, quæ prælegi solet juraturis in*

Qui mos etiamnum observatur in nostris consistoriis, & certa interpretatio additur, quæ iuraturis priùs prælegi solet, quàm ad iuramenti præstationem admittantur. Interpretationem illam addo, quia elegans est, & gravis, quæ multos à periurio absterruit. Ita ergò habet: *principio eriguntur tres digiti, videlicet pollex,*



Digitized by Google

*Consistorii Electoralib Saxonicis ante solennem juramenti actū.*

*pollex, qui notat, Deum Patrem: index, qui notat Deum Filium, medius, qui notat Spiritum sanctum, reliqui duo digiti, in manu contrahuntur, quorum unus pretiosam hominis animam in corpore ejus latentem, alter, nimirum minimus digitus, notat corpus, quod in collatione ad animam minimum esse videtur. Tota manus notat unum esse Deum & creatorem omnium in cœlo & in terrâ. Quicunque ergò tam extremè fraudulentus atque mendax est, ut perjurium committere non vereatur, is jurando nihil aliud facit, ac si dicat 1. si hodie perjurium committo: oro Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. sacrosanctam Trinitatem, ut me ex communione Dei excludat, & verbum ejus sit maledictio corpori & animæ meæ. 2. si perjurium committo, Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus deserat me, & immensa misericordia Domini ac Salvatoris mei Iesu Christi nunquam mihi vel auxilio vel solatio sit in agone mortis meæ, & in illâ, in quâ corporis ac animæ necessaria futura est dissolutio. 3. si perjurium committo, oro te Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ut pretiosissimum illud corpus Domini nostri Iesu Christi, acerbissimam ejus passionem, & mortem, & omnes innocentissimos ejus cruciatus miserrimo mihi peccatori irritos reddas & inutiles. 4. si perjurium committo, anima mea, quæ notatur digito, in novissimo die abnegetur, ubi cæco & perjuro mihi standum erit coram tribunali justi judicis, & ego me jure tunc exclusum agnosco ab omni communione cum Deo & electis suis, & desideratissimo adspectu Domini nostri Iesu Christi privatum. Quilibet ergò, qui salutis suæ cupidus est, perjurium vitet, ne partem habeat cum Diabolo & damnatis omnibus. Nam perjurio animam Deo creatori & salvatori suo unico subtrahit, & æternæ damnationi mancipat: quod ne fiat à nobis, prohibeat Altissimus, per Christum Dominum nostrum.*

Præmissâ hac interpretatione rituum, formula juramenti prælegitur, jurato expendenda datur, & si paratus ad jurandum est, ad solennia juramenti consueta admittitur. Ex quibus apparet, *ceremonias illas non quidem ad juramenta necessario requiri, propter salutares tamen commonefactiones utiliter adhiberi.*

## CASUS VII.

*De verborum acceptione in juramentis.*

## *An in juramentis verba sunt accipienda secundum intentionem jurantis, an verò eo sensu, quo accipit is, cui juratur?*

RESP. Multa hac de re disputantur à scholasticis, subtilia potiùs quàm utilia, de quibus vide *Azorium lib. 11. instit. moral. cap. 4.* Oritur autem hic casus ex verbis jurantis, quæ interdum satis clara sunt, ut intentio jurantis agnosci facilè queat, interdum verò sunt ambigua, ut de mente jurantis dubitetur.

Cùm verba sunt ambigua, dubiū nullum

Digitized by Google

nullum est, quin ex mente jurantis sint accipienda, quilibet enim est verborum suorum optimus interpres: & Deus per quem juratur, non luditur verbis, sed cor introspicit. Ideò *Gregorius lib. 26. moral. cap. 7.* scribit: *humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina verò judicia talia ea audiunt qualia ex intimis proferuntur.* Et iterum: *certè noverit ille, qui intentionem & voluntatem alterius variis explicat verbis, quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis inservire, sed verba intentioni.* Quæ verba citantur in *jure canonico cap. 22. quæst. 5. cap. 11. ubi glossa addit: patet, quòd Deus non accipit sic juramentum, sicut ille, cui juratur: sed potiùs, sicut qui jurat, intelligit, cùm recipienti non ex intimis, sed ex his quæ proferuntur foris, verba nostra sonent.*

E contra verò, cùm verba juramenti non sunt ambigua, nec significatione suâ nec communi hominum usu, nec habent nisi unicum tantùm, sensum tunc eo, quem reddunt, sensu usurpare ea debemus, nec mentis cogitatione aliò detorquere fas est: quia mentiri nobis non licet, quod fieret, si aliter verbis loqueremur, quàm mente concepimus. Omnis autem qui jurat, ad hoc jurat, ut quod verum est, eloquatur: & *sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam: ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium,* inquit *Chromatius in cap. 5. Matth.* & citatur in *jure can. distinct. 22. q. 5. cap. 12.*

*Duo errores scholasticorum circa hunc casum. Primus error refellitur.*

Contra hanc doctrinam bifariam impingitur à Scholasticis. Primùm sunt nonnulli, qui existimant, etiamsi verba significatione ambigua non sint, posse tamen sine mendacio tacitam mentis cogitationem pro vero sermonis sensu haberi, licet is, cui juratur, aliter intellexerit. Sic putant fas esse cuiquam, jurejurando, ut vitam redimat, latroni pecuniam promittere, cùm tamen in animo habeat nullam ei dare, quia tacitè secum dicit: dabo, si debeo: posse adulteram (at occultam) jurejurando affirmare viro, se adulterium non commisisse, tacitè videlicet cogitando, quod tibi confiteri debeam.

Sed hæc impia est doctrina, quæ hominibus licentiam mentiendi facit. Nihil enim tam falsum esse potest, quod non à mendacio liberari queat, si aliquid pro arbitratu nostro in mente nostrâ retineamus. Quis enim non jurare posset, se aliquid non vidisse, non audisse, ut alteri aperiret? sermo est character animi, cum quo si non respondet, mendax est, si juramentum insuper accedit, fit perjurium.

*Alter error confutatur.*

Deinde putant aliqui, verba juramenti posse esse ambigua, ita, ut vera sententia in mente teneatur, absque metu perjurii, si nimirum vel sacerdos rogetur de his, quæ in sacris confessionibus audivit, quem respondere posse ajunt, se nihil audivis-

divisse: si reus à iudice de occultè patrato crimine præter ius interrogetur, posse illum iurare, se non commisisse crimen illud, nec quicquam de eo scire: si cui quærendo fiat iniuria, posse ipsum verbis ambiguis in respondendo uti, eaquè accipere suo sensu, quamvis ea in animis audientium alium sensum generent; sic adulteram in publico de adulterio rogatam iurare posse putant, se adulterium non commisisse, quia præter ius rogata fuerit. Hæc omnia ut rectè dicta defendit *Azorius* loco dicto.

*Verba in juramentis non debent esse ambigua.*

Sed si rem rectè æstimamus, hæc non satisfaciunt conscientiis. Nam verba iuramenti non debent esse ἐπαμφοτερίζοντα, nec studio ita comparata, ut in utramvis partem flecti queant, instar oraculi Delphici: *Ajo te Æjacida Romanos vincere posse, &c.* sed simplicia & plana, clara & dilucida, quæ, si fieri potest, etiam à pueris intelligantur. Ideò si quis præter ius aut fas de re quadam interrogetur, silere præstat, quàm mentiri, aut si ad dicendum adigatur, mendacium potiùs, quam ignominiam suam fugiat.

Sic sacerdos de iis, quæ in confessione sacra audivit, respondere non tenetur, nec tamen negare debet, se aliquid audiisse, sed dicat, se non audivisse, ut privatam personam, sed ut ministrum Christi, cui arcana sui Domini relevare non liceat.

Reus de crimine suo etiam extra iudicium rogatus, non iuret, se nihil mali commisisse, sed iuramentum detrectet, & causæ cognitionem ad suum iudicem remittat. Adultera in conscientia sua de crimine convicta per iuramentum illud non diffiteatur, etiamsi in loco & tempore non quæratur: sed iuramentum potiùs detrectet. Etsi enim verbis interdum licet simulare, & fallere curiosè quærentes, iuramenta tamen simulationem nullam admittunt, quia fiunt cum invocatione DEI, cuius nomine non est abutendum.

## CASUS IIX.

### *An juramenta, quæ officia pietatis & caritatis, ut & bonum publicum impediunt, obligare possunt conscientiam?*

*De juramento officia pietatis & caritatis aut bonum publicum impedientibus.*

RESP. Ad iurandum nemo facilis sit: levitatis enim est iurare, quæ præstare neque possis, neque debeas. Quidquid autem promittere non debemus, ea nec iurare possumus: ideò iuramenta fieri debent ab iis, qui sunt ab affectibus liberi: multi enim ex iracundia, impatientia, metu, iurant ea, quorum pœnitentia postea ducuntur.

Si ergò quis, quocunque affectu præoccupatus iuraverit, quæ con-

contra pietatem & officia caritatis ſunt, & quæ bonum publicum quoquo modo impediunt, ad ea præſtanda non tenetur, ut ſi quis iuraverit, ſe non daturum eleemoſynam, ſe non iturum ad templum, ſe non daturum mutuò, nec fideiuſſorem futurum, nec artem ſuam cum aliquo communicaturum. Si quis iuret, ſe officium aliquod publicum non ſuſcepturum: hæc omnia ad iuramenta temeraria pertinent, in quibus magnus eſt abuſus nominis divini, quæ ſicuti facienda non ſunt, ita ſi facta fuerint, iurantem ad ſervandum non obſtringunt: promiſſio enim per ſe illicita iuraméto confirmari non poteſt. Et ut JCti loquuntur *l. 15. ff. de conditio. inſtitut. facta, quæ lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & generaliter contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe, credendum eſt; C. de pactis: pacta, quæ contra leges conſtitutionemque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris eſt.*

## CASUS IX.

*De rei adiaphora juramento.*

*Quid, ſi quis rem per ſe indifferentem juraverit, num ad præſtandam eam tenetur?*

*Quid ſit res indifferens?*

RESpond. Rem indifferentem voco, quæ neque bona neque mala in ſe eſt, quæque non neceſſariò fit, ſed aliter ſe habere poteſt. Quemadmodum ergò ſupra de votis diximus *caſ. 6. cap. præcedentis*: ita hîc tenendum eſt, rem quatenus indifferens & media eſt, ſub iuramentum non cadere. Temerè enim quis iuraret, ſe non aliturum cum aliquo amicitiam, ſe non ingreſſurum in domum aliquam, ſine iuſta aliqua cauſa.

Si verò res illa rationem aliquam boni ſub ſe habeat, iuramentum de ea factum in conſcientia obligat, ut ſi quis iuraverit, ſe converſationem alicuius hominis vitaturum, ne ab eo ſeducatur.

Quando verò res merè eſt indifferens, cui nullum bonum ſubeſſe poſſit, ut cùm quis iuret ſe dextera potiùs, quàm ſiniſtra aliquid attacturum, levitatis eſt, tale quid promittere, nedum iuramento promiſſionem confirmare.

## CASUS X.

*De iuramentis ad finem malũ ſuſceptis.*

Quid juris, *ſi quis juramento promiſerit, ſe aliquid facturum ob finem malum, num tale iuramentum ad tenendum obligat?*

REſp. Diſtinguendum inter id, quod per ſe malum eſt, & inter bonum, quod ex malo oritur. Res per ſe mala neq; promitti, neque iuramen-

ramento confirmari debet. *Exempli gratiâ*, si quis juret, se furtum, adulterium aut homicidium commissurum, se bello, quod novit injustum esse, interfuturum, juramentum temerarium & illicitum est, proinde ad tenendum, quæ juravit, non obstringitur.

Alia vero ratio est, si juret, se facturum aliquid utile & DEO gratum, si ex bello etiam iniquo salvus redierit, si ex adulterio sobolem susceperit, si in furto, homicidio & simili delicto incolumis manserit. Tale juramentum præstare tenetur. Etsi enim inique belligerando, adulterando, furando, &c. peccet: liberatio tamen ex bello, susceptio prolis, conservatio in periculis tempore delicti, non est res mala, sed beneficium à Deo acceptum, cui eo nomine aliquid gratitudinis ergò etiam cum juramento, si opus fuerit, promittere possumus.

## CASUS XI.

*De juramento facto ad rem exiguam & parvi momenti.*

### *Num juramentum de re exigua & parvi momenti factum, conscientiam ad servandum obligat?*

RESP. Discrepant hac de re scholastici. Quidam distinguunt inter rem exiguam, quatenus est pars totius, & quatenus non est pars alterius, sed per se res integra. Priori respectu dicunt, si non præstetur, licet juramento promissa fuerit, non lethali peccato, sed veniali saltem hominem obstringit, quia non ex toto, sed ex parte saltem minimâ juramentum violatur: ut si quis jurejurando promitteret, se quotidie recitaturum septem *Psalmos pœnitentiales*, & inter recitandum, versum duntaxat unum omitteret. Posteriori respectu ajunt, si non præstatur res etiam minima juramento promissa, peccatum lethale committi, quia res subjecta juramento, est quidem minima per se, sed integra, & tota materia juramenti, ut si quis juraverit, se puero pomum daturum, nec tamen dederit. In hac sententiâ est *Cajetanus*.

Alii statuunt lethale peccatum nunquam committi, si maximè juramentum in promissione rei minimæ adhibitum, non servetur: sed jurantem quidem teneri, verum vinculo & obligatione levi: in quâ sententiâ est *Sotus lib. 8. de just. quæst. 1. art. 7. Navarr. in manuali cap. 12. num. 10. & 40. Azorius lib. 11. instit. moral. cap. 5.*

Oritur autem hæc disceptatio ex falsâ distinctione peccati lethalis & venialis. Putant enim quædam peccata, quæ ipsi vocant exigua & minima, naturâ suâ esse veniâ digna: quod falsum est.

*Nullum peccatum sua natura est veniale.*

Nullum enim peccatum tam exiguum esse potest, quin iram Dei mereatur æternamque maledictionem

*Quare venialia peccata dicantur venialia?*

nem, cùm omne peccatum ſit tranſgreſſio legis, *cui Deus maledictionem minatur Deut. 27. v. 26.* Venialia autem dicuntur quæ fiunt à renatis, invitis & repugnantibus, ideò veniam impetrant, & non imputantur, quia perſona apud Deum eſt in gratia.

Si ergò juramentum aliàs licitè factum eſt, etiamſi res, quæ jurejurando promittitur, videatur minima, modò ſit honeſta, & quæ ſub juramento cadere poſſit, violatio ejus conſcientiam lædit, & maledictionem meretur.

Proinde nemo in re qualibet minimâ facilè juret, ut ſe daturum puero pomum, nucem aut ſimile quid, aut ſi juraverit, quia res in ſe honeſta, ſibique poſſibilis eſt, ad ſervandum ſe non levi quadam obligatione, ſed æquè ac in rebus gravioribus obſtrictum eſſe ſciat, quia *omne juramentum fit cum invocatione nominis divini*, quod prophanari nulla in re debet.

## CASUS XII.

*De juramentis vi & metu extortis.*

### *An juramenta vi metuvè extorta ita obligant in conſcientiâ, ut quis ad ſervandum teneatur?*

RESp. Intricata hæc eſt quæſtio, de qua aliter JCti diſputant, quàm Theologi: neque Theologi omnes in deciſione conſentiunt. Nos amputatis diſputationibus, quomodo conſcientiis hæc in parte conſuli queat, videbimus.

Omnia juramenta de re licita & poſſibili cum electione facta à ſcientibus & non planè invitis ſunt præſtanda, niſi is cui promiſſio jurata facta eſt, rem promiſſam ſpontè remittat. Tale enim juramentum fit cum invocatione nominis divini, quod non eſt prophanandum.

Nulla valet hic Papæ aut eccleſiæ diſpenſatio vel abſolutio. Papa enim verbum Dei irritum facere non poteſt. Jam autem juramentum metu aut vi extortum de re aliqua licita, cum aliqua adhuc electione factum eſt non planè ab invitis, quia ad jurandum ipſum nemo cogere poteſt: & habet adhuc libertatem vel damnum aliquod patiendi, vel promiſſione juratâ alicujus rei à damno ſe liberandi. Ergo ad præſtandum id, quod juravit tenetur, ne per ipſum prophanetur nomen Domini: *exempli gratia*, incidit aliquis, inter latrones, promittit eis jurejurando certam pecuniæ ſummam, ne occidatur. Hic ſi ſimplex tantùm fuiſſet promiſſio pecuniæ, irrita fieri poſſet, & ad ſolvendum non teneretur, quia facta eſt homini, qui metum incuſſit, & promiſſionem extorſit contra bonos mores: ſed quia juramentum acceſſit, tenetur ad ſolvendam, (1.) quia juramentum factum eſt Deo, cujus nomen non eſt prophanandum, (2.) neque factum eſt ſimpliciter ab invito, ſed eſt actio mixta, in qua aliquid eſt volun-



Digitized by Google

Proinde nemo se adsuefaciat ad jurandum, ne sibi ipsi argumentum perfidiæ faciat; quâ de re gravissima extat admonitio *Siracidæ cap. 23. v. 9. seqq.* & *Augustinus* scribit *serm. 28. de verbis Apost. juro, sed quantum mihi videtur, magnâ necessitate compulsus, cum videro nō mihi credi, nisi faciam, & ei, qui mihi non credit, non expedire, quod non credit, &c.*

*Materia juramenti liciti esse debet 1. res certa.*

Materia igitur juramenti liciti est 1. *res certa*: de dubiis enim neque certi quid affirmare, nedum jurare possumus. *Ubi enim veritas locum nō habet, nec juramentum locum habebit, ut est in l. fin. C. de non numer. pecun.*

*2. res magni momenti.*

2. *Res magni momenti*, vel publici commodi causâ vel in utilitatem proximi suscepta: nam res leviculæ, aut in quibus privatum tantummodò lucrum spectatur, juramentis temerè & non sine abusu numinis divini confirmantur. Ideò *Nazianzenus* monet, *ne per jusjurandum aliquem faciamus quæstum.*

*3. res honesta.*

3. *Res honesta*, verboque Dei cōveniens: quæ enim turpia sunt, ne quidem affirmari, ne dum per juramentum confirmari debent, cum juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, *& quod contra bonos mores est, non obliget*, ut est in *lib. 3. Instit. tit. 27.*

*4. res possibilis.*

4. *Res possibilis*, quæ apud JCtos cum honestâ pari passu ambulat, quibus quicquid contra bonos mores est, inhonestum appellatur *l. filius ff. de condit. institut.* ad impossibilia autem nemo obligatur *l. non solum ff. de act. & obligation.*

Videt ergò homo pius, quàm multa sibi consideranda, quàm diligenter sibi circumspiciendum sit, antequam juret, ne vel in temeritatis vel in perjurii periculum incidat, nomenque Dei prophanando pœnas in lege dictas *Exod. 20, 7.* incurrat.

## Casus V.

### *Quænam personæ habiles sunt, ut vel ipsi jurent, vel juramentum ipsis deferatur?*

*De personis ad juramētum aptis.*

*Quænam sint habiles?*

Resp. Etiam hîc cautione opus est. Sicut enim ad vota; ita etiam ad juramenta non quilibet promiscuè sunt admittendi, sed ii tantùm, qui sui juris sunt, & quid jurent, expendere possunt.

*Qui non possint jurare? 1 nō pueri.*

Non ergò possunt jurare 1. *pueri*, qui vim juramenti & pœnas perjurii neque intelligunt, neque rectè expendunt. Sed hodie ferè nemo frequentiùs, proh dolor, jurat quàm impuberes, & vix decem annorum pueri ac puellæ, qui fructus est collapsæ disciplinæ domesticæ.

*2. non virgines & uxores.*

2. *Virgines & maritæ*, quibus vovendi potestas adempta est, *Numer. 30. v. 4, 6, 13.* ergò & jurandi, si pater aut maritus contradixerit, quorum potestati subsunt, propter imbecillitatem sexus, qui, quid ex usu sit, non accuratè expendit.

3. Eadem

Digitized by Google

*3. non servi & ancillæ.* 3. Eadem est *ratio ministrorum* aut aliorum, qui à superiorum potestate dependent, qui sine superiorum suorum consensu juramentum, præsertim solenne, præstare non possunt, nisi in certis quibusdam casibus, de quibus JCti docere solent.

*4. non personæ ecclesiasticæ.* 4. *Personæ ecclesiasticæ* in causâ religionis quidem jurare possunt, in foro autem juramentum eis non est deferendum, cujus rei *Plutarchus in quæstio. 44. Romanar. quæstion.* quator causas attulit: 1. quia juramentum sit tormentum, at sacerdotes omnis torturæ tam in corpore, quam anima expertes esse debent, 2. quia non sit verisimile eum in minimis rebus fallere, qui ne quidem in maximis ac divinis fallere fuit deprehensus. 3. quia omne juramentum in execrationem, rem verè tristem exeat: absurdum autem sit, eum, qui benedictionem & salutem prædicet, ad execrationes atque diras adigi. 4. quia perjurii periculum sit in juramentis, cujus occasionem sacerdoti præbere non debeamus.

*Cur ecclesiæ ministris juramentũ judiciale non deferendum sit?*

*5. ebrii.* 5. *Ebrii* jurare in judicio non possunt, quia judicio carent, & nomine divino facilè abuterentur. Ideò olim solennia juramenta manè fiebant à jejunis, cujus exemplum habemus in historiâ *Isaaci, Abimeleci, Ochotzati & Phicholis Genesis 26, 31.*

*6. leves & suspecti.* 6. *Homines leves*, & de perjurio suspecti ad juramentum non sunt admittendi. Qui ergò hujusmodi hominem ad jurandum adigit, quem pejeraturum novit, is homicidâ deterior est: homicida enim corpus saltem tollit, hic verò animam necat.

7. *Furiosi* jurare non possunt, cùm, quid jurent, & pœnas perjurii expendere non possint. *7. furiosi*

8. *Coacti* quoque & nolentibus juramentis parcendum esset, si tamen ab ipsis extorta essent, quid statuendum, infrà peculiari in casu exponam. *8. coacti*

Ex his omnibus requisita liciti juramenti colligi possunt, quod fieri debent à personâ, quæ sit sui iuris, in nomine solius Dei, de re licita, ex deliberato proposito, vel ut fidem faciamus auditori de veritate, vel ut necessitatem non fallendi imponamus aliis: de quâ re sunt veteres versiculi:

> *Stulta, dolosa, placens, mendax, temeraria, frustra*
> *Detestans, iterata, procax, super idola membra;*
> *Non fine peccato est omnis juratio talis.*

## CASUS VI.

### *Quænam ceremoniæ in juramentis sunt adhibendæ?*

*De ceremoniis in juramentis adhibendis.*

RESP. Varii fuerunt ritus gentilium in iuramentis, quorum aliquos annotavit *Alexander ab Alexandro* *Ceremoniæ gentilium.*



Digitized by Google

*xandro lib. 5. Genial. dier. cap.* 10. Interdum verre apprehenso & stricto in jugulum gladio, cœlum, terram, solem & ultrices furias advocare solebant, mox verre immolato & in mare dejecto, jusiurandum præbebant, quo pacto *Agamemnon apud Homerum Iliad. lib.* 15. iurat.

Interdum jurantes deorum aras tangebant, & hoc sanctissimum dicebant juramentum, cuius exemplum est de *Ptolemao Ceraunico* apud *Iustinum lib.* 24. *Pani* aram & sacra tangentes vel agnum lævâ, dextrâ silicem tenentes, deos hominesque contestabantur, ut si illos sciens falleret, ita se Jupiter feriret, quemadmodum ipse agnum percuteret: de quo more legatur *Livius lib.* 1. *decad.* 3. *& Valer. Maxim. lib.* 9. *cap.* 3.

Romanorum mos erat, ut juraturi per Jovem, modò ad deorum aras, sacrificio perfecto, ignem, aram atque exta tangerent, modò super cæsis hostiis jurarent, de quo vide *Liv. lib.* 7. *decad* 1. *& Macrob. lib.* 3. *cap.* 2. nonnunquam lapidem silicem tenentes hæc ad verbum proferebant: *si sciens fallo, me Iuppiter, salvâ urbe arceque bonis ejiciat, uti ego lapidem hunc ejicio:* quibus enunciatis, lapidem manu emittebant & hoc dicebant, jurare *per Iovem lapidem*, quod solennissimum & sanctissimum jusiurandum erat: de quo legatur *Festus Pompejus libr.* 10. *& Cicero lib.* 7. *epistol. famil.* 13. *& Gellius lib.* 1. *cap.* 21. qui ritus inprimis in fœderibus publicis solenniter observabatur, ut est apud *Polybium lib.* 3. *de fœdere Romanorum & Carthaginensium.*

Apud Christianos etiam ritus quidam adhibentur, præsertim in iis juramentis, quæ à magistratu imponuntur, non quidem necessitatis causâ, &c. sed propter utilem aliquam commonefactionem. Deus ipse licet membra corporea non habeat; elevatione tamen manus in cœlum iurasse legitur. *Esa.* 62, 8. ut nos admoneat, mentes nostras inter iurandum ad cœlum elevatas esse debere, ubi est cordium scrutator, testis veritatis, & perjurii vindex. Hinc levare manum in scripturâ, cùm de Deo usurpatur, idem est, ac jurare *Deuter.* 32, 40. *Ezech.* 36, *v.* 7. angeli quoque levatis manibus ad cœlum iurarunt *Apoc.* 10, 5. 6. *Abraham*, levatâ manu ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, jurat *regi Sodomorum Genes.* 14, 22. ad horum exemplum prisci Christiani etiam jurabant levatâ manu in cœlum, *ut Cyrillus in Apologiâ suâ de Victore*, quodam sene scribit, *quod jurarit sublatis in cœlum manibus per sacrosanctum baptismum & veneranda Christi mysteria.*

*Christianorum ritus propter utilē quandam commonefactionem commendātur.*

Cùm inferiores iurabant superioribus, non elevebant manum, sed imponebant eam femori ejus, cui iurandum erat, quo ritu *Eleasar* servus *Abrahami*, hero suo iurat *Genes.* 24, 2. *& Ioseph Iacobo* patri suo morituro *Gen.* 47, 29: 50, 5. quo ritu recordabantur, vel fœderis cum Deo in circumcisione initi, sicut hodie tacto evangeliorum libro iurantes admo-

Digitized by Google

admonentur, fidei evangelicæ & redemtoris sui Christi in evangelio propositi, vel recordabantur seminis benedicti ex femoribus beatæ virginis suo tempore prodituri, per quod semen se jurare isto ritu testificabantur.

Christiani in primitiva ecclesia iurabant, vel tacto sancti alicuius martyris sepulcro, ut *Gregorius Magnus refert lib. 5. epist.* 33. vel tacto altari, ut refert *Gregor. Turonensis lib. 5. histor. c.* 3. vel manu imposita sacrorum Bibliorum libro, referente *Chrysostomo hom.* 15. *ad populum Antiochen.* aut in specie evangeliorum libro, notante *Sozomeno lib. 6. histor. Eccles. cap.* 30.

Vulgus hominum indices digitos utriusque manus in formam crucis componit, & sic jurat; quo ritu per sanctam Christi crucem aliquid iuratur, quamquam hoc fere non nisi in execrationibus & minis fieri soleat, ex vitiosa potius consuetudine, quàm devota reitantæ consideratione.

Hodie in judiciis accenduntur interdum lucernæ, coram quibus viri in genua procumbentes ita jurant, ut indicem ac medium dextræ manus digitum vel imagini crucis, vel sacris Bibliis imponant, vel cœlum versus attollant, reliquis digitis intra manum contractis.

Fœminæ jurant apposita ad pectus dextera, ex veteri *Alemannorum consuetudine, de quâ vide Petrum Gregorium Tholosanum lib. 50. syntagm. cap.* 8. *num.* 30.

Horum rituum concinnæ dari possunt interpretationes. Lucernæ accenduntur, quia in conspectu Dei, cui nulla creatura est invisibilis, sed *omnia nuda & aperta oculis ejus Heb.* 4, 13. homo jurans sistitur.

In genua procumbitur, ob reverentiam Numinis præsentis.

Index digitus porrigitur, quia jurans quasi indice digito ostendit, quem sermonis sui testem vocet, & quem velit esse vindicem, si fallat.

Medius digitus elevatur, contractis reliquis, ut mentis & affectuum ostendatur integritas, quodque nihil fiat aut dicatur ex odio, invidia, aut alio aliquo inordinato affectu erga adversarium.

Uterq; digitus conjungitur, ad notandum consensum iurantis, & eius per quem iurat.

*An tres, an tantum duo digiti injuramẽto erigendi sint?*

Etsi verò hic ritus erigendi duos saltem digitos maximè concinnus & usitatus esse videtur, unde & vulgò de iurantibus dicitur, daß sie zwey auff sünffen ziehen / & periuris non tres sed duo tantum digiti amputantur, ex constitutione Caroli V. multi tamen sunt, qui tres digitos, pollicem, indicem & medium, erigendos esse censent in honorem & reverentiam SS. Trinitatis.

Qui mos etiamnum observatur in nostris consistoriis, & certa interpretatio additur, quæ iuraturis priùs prælegi solet, quàm ad iuramenti præstationem admittantur. Interpretationem illam addo, quia elegans est, & gravis, quæ multos à periurio absterruit. Ita ergò habet: *principio eriguntur tres digiti, videlicet*

*Interpretatio juramẽti, quæ prælegi solet juraturis in*

Consistoriis Electoralib Saxonicis ante solennem juramentiactũ.

pollex, qui notat, Deum Patrem: index, qui notat Deum Filium, medius, qui notat Spiritum sanctum, reliqui duo digiti, in manu contrahuntur, quorum unus pretiosam hominis animam in corpore ejus latentem, alter, nimirum minimus digitus, notat corpus, quod in collatione ad animam minimum esse videtur. Tota manus notat unum esse Deum & creatorem omnium in cœlo & in terrâ. Quicunque ergò tam extremè fraudulentus atque mendax est, ut perjurium committere non vereatur, is jurando nihil aliud facit, ac si dicat 1. si hodie perjurium committo: oro Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. sacrosanctam Trinitatem, ut me ex communione Dei excludat, & verbum ejus sit maledictio corpori & animæ meæ. 2. si perjurium committo, Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus deserat me, & immensa misericordia Domini ac Salvatoris mei Iesu Christi nunquam mihi vel auxilio vel solatio sit in agone mortis meæ, & in illâ, in quâ corporis ac animæ necessaria futura est dissolutio. 3. si perjurium committo, oro te Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ut pretiosissimum illud corpus Domini nostri Iesu Christi, acerbissimam ejus passionem, & mortem, & omnes innocentissimos ejus cruciatus miserrimo mihi peccatori irritos reddas & inutiles. 4. si perjurium committo, anima mea, quæ notatur digito, in novissimo die abnegetur, ubi cæco & perjuro mihi standum erit coram tribunali justi judicis, & ego me jure tunc exclusum agnosco ab omni communione cum Deo & electis suis, & desideratissimo adspectu Domini nostri Iesu Christi privatum. Quilibet ergò, qui salutis suæ cupidus est, perjurium vitet, ne partem habeat cum Diabolo & damnatis omnibus. Nam perjurio animam Deo creatori & salvatori suo unico subtrahit, & æternæ damnationi mancipat: quod ne fiat à nobis, prohibeat Altissimus, per Christum Dominum nostrum.

Præmissâ hac interpretatione rituum, formula juramenti prælegitur, jurato expendenda datur, & si paratus ad jurandum est, ad solennia juramenti consueta admittitur. Ex quibus apparet, *ceremonias illas non quidem ad juramenta necessario requiri, propter salutares tamen commonefactiones utiliter adhiberi.*

## CASUS VII.

De verborum acceptione in juramentis.

### *An in juramentis verba sunt accipienda secundum intentionem jurantis, an verò eo sensu, quo accipit is, cui juratur?*

RESP. Multa hac de re disputantur à scholasticis, subtilia potiùs quàm utilia, de quibus vide *Azorium lib. 11. instit. moral. cap. 4.* Oritur autem hic casus ex verbis jurantis, quæ interdum satis clara sunt, ut intentio jurantis agnosci facilè queat, interdum verò sunt ambigua, ut de mente jurantis dubitetur.

Cùm verba sunt ambigua, dubiũ nullum

Digitized by Google

nullum est, quin ex mente jurantis sint accipienda, quilibet enim est verborum suorum optimus interpres: & Deus per quem juratur, non luditur verbis, sed cor introspicit. Ideò *Gregorius lib. 26. moral. cap. 7.* scribit: *humana aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina verò judicia talia ea audiunt qualia ex intimis proferuntur.* Et iterum: *certè noverit ille, qui intentionem & voluntatem alterius variis explicat verbis, quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis inservire, sed verba intentioni.* Quæ verba citantur in *jure canonico cap. 22. quæst. 5. cap. 11. ubi glossa addit: patet, quòd Deus non accipit sic juramentum, sicut ille, cui juratur: sed potiùs, sicut qui jurat, intelligit, cùm recipienti non ex intimis, sed ex his quæ proferuntur foris, verba nostra sonent.*

E contra verò, cùm verba juramenti non sunt ambigua, nec significatione suâ nec communi hominum usu, nec habent nisi unicum tantùm, sensum tunc eo, quem reddunt, sensu usurpare ea debemus, nec mentis cogitatione aliò detorquere fas est: quia mentiri nobis non licet, quod fieret, si aliter verbis loqueremur, quàm mente concepimus. Omnis autem qui jurat, ad hoc jurat, ut quod verum est, eloquatur: & *sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam: ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium,* inquit *Chromatius in cap. 5. Matth.* & citatur in *jure can. distinct. 22. q. 5. cap. 12.*

*Duo errores scholasticorum circa hunc casum. Primus error refellitur.*

Contra hanc doctrinam bifariam impingitur à Scholasticis. Primùm sunt nonnulli, qui existimant, etiamsi verba significatione ambigua non sint, posse tamen sine mendacio tacitam mentis cogitationem pro vero sermonis sensu haberi, licet is, cui juratur, aliter intellexerit. Sic putant fas esse cuiquam, jurejurando, ut vitam redimat, latroni pecuniam promittere, cùm tamen in animo habeat nullam ei dare, quia tacitè secum dicit: dabo, si debeo: posse adulteram (at occultam) jurejurando affirmare viro, se adulterium non commisisse, tacitè videlicet cogitando, quod tibi confiteri debeam.

Sed hæc impia est doctrina, quæ hominibus licentiam mentiendi facit. Nihil enim tam falsum esse potest, quod non à mendacio liberari queat, si aliquid pro arbitratu nostro in mente nostrâ retineamus. Quis enim non jurare posset, se aliquid non vidisse, non audisse, ut alteri aperiret? sermo est character animi, cum quo si non respondet, mendax est, si juramentum insuper accedit, fit perjurium.

*Alter error cõfutatur.*

Deinde putant aliqui, verba juramenti posse esse ambigua, ita, ut vera sententia in mente teneatur, absque metu perjurii, si nimirum vel sacerdos rogetur de his, quæ in sacris confessionibus audivit, quem respondere posse ajunt, se nihil au-

divisse: si reus à iudice de occultè patrato crimine præter ius interrogetur, posse illum iurare, se non commisisse crimen illud, nec quicquam de eo scire: si cui quærendo fiat iniuria, posse ipsum verbis ambiguis in respondendo uti, eaquè accipere suo sensu, quamvis ea in animis audientium alium sensum generent; sic adulteram in publico de adulterio rogatam iurare posse putant, se adulterium non commisisse, quia præter ius rogata fuerit. Hæc omnia ut rectè dicta defendit *Azorius* loco dicto.

*Verba in iuramentis non debent esse ambigua.*

Sed si rem rectè æstimamus, hæc non satisfaciunt conscientiis. Nam verba iuramenti non debent esse ἐπαμφοτερίζοντα, nec studio ita comparata, ut in utramvis partem flecti queant, instar oraculi Delphici: *Ajo te Æjacida Romanos vincere posse, &c.* sed simplicia & plana, clara & dilucida, quæ, si fieri potest, etiam à pueris intelligantur. Ideò si quis præter ius aut fas de re quadam interrogetur, silere præstat, quàm mentiri, aut si ad dicendum adigatur, mendacium potiùs, quam ignominiam suam fugiat.

Sic sacerdos de iis, quæ in confessione sacra audivit, respondere non tenetur, nec tamen negare debet, se aliquid audisse, sed dicat, se non audivisse, ut privatam personam, sed ut ministrum Christi, cui arcana sui Domini relevare non liceat.

Reus de crimine suo etiam extra iudicium rogatus, non iuret, se nihil mali commisisse, sed iuramentum detrectet, & causæ cognitionem ad suum iudicem remittat. Adultera in conscientia sua de crimine convicta per iuramentum illud non diffiteatur, etiamsi in loco & tempore non quæratur: sed iuramentum potiùs detrectet. Etsi enim verbis interdum licet simulare, & fallere curiosè quærentes, iuramenta tamen simulationem nullam admittunt, quia fiunt cum invocatione DEI, cuius nomine non est abutendum.

## CASUS IIX.

*De iuramento officia pietatis & caritatis aut bonum publicum impedientibus.*

### *An juramenta, quæ officia pietatis & caritatis, ut & bonum publicum impediunt, obligare possunt conscientiam?*

RESP. Ad iurandum nemo facilis sit: levitatis enim est iurare, quæ præstare neque possis, neque debeas. Quidquid autem promittere non debemus, ea nec iurare possumus: ideò iuramenta fieri debent ab iis, qui sunt ab affectibus liberi: multi enim ex iracundia, impatientia, metu, iurant ea, quorum pœnitentia postea ducuntur.

Si ergò quis, quocunque affectu præoccupatus iuraverit, quæ con-

contra pietatem & officia caritatis sunt, & quæ bonum publicum quoquo modo impediunt, ad ea præstanda non tenetur, ut si quis iuraverit, se non daturum eleemosynam, se non iturum ad templum, se non daturum mutuò, nec fideiussorem futurum, nec artem suam cum aliquo communicaturum. Si quis iuret, se officium aliquod publicum non suscepturum: hæc omnia ad iuramenta temeraria pertinent, in quibus magnus est abusus nominis divini, quæ sicuti facienda non sunt, ita si facta fuerint, iurantem ad servandum non obstringunt: promissio enim per se illicita iuraméto confirmari non potest. Et ut JCti loquuntur *l. 15. ff. de conditio. institut. facta, quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & generaliter contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse, credendum est; C. de pactis: pacta, quæ contra leges constitutionemque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est.*

## CASUS IX.

*De rei adiaphora juramento.*

### *Quid, si quis rem per se indifferentem juraverit, num ad præstandam eam tenetur?*

*Quid sit res indifferens?*

RESpond. Rem indifferentem voco, quæ neque bona neque mala in se est, quæque non necessariò fit, sed aliter se habere potest. Quemadmodum ergò supra de votis diximus *cas. 6. cap. præcedentis*: ita hic tenendum est, rem quatenus indifferens & media est, sub iuramentum non cadere. Temerè enim quis iuraret, se non aliturum cum aliquo amicitiam, se non ingressurum in domum aliquam, sine iusta aliqua causa.

Si verò res illa rationem aliquam boni sub se habeat, iuramentum de ea factum in conscientia obligat, ut si quis iuraverit, se conversationem alicuius hominis vitaturum, ne ab eo seducatur.

Quando verò res merè est indifferens, cui nullum bonum subesse possit, ut cùm quis iuret se dextera potiùs, quàm sinistra aliquid attacturum, levitatis est, tale quid promittere, nedum iuramento promissionem confirmare.

## CASUS X.

*De juramentis ad finem malũ susceptis.*

### Quid juris, *si quis juramento promiserit, se aliquid facturum ob finem malum, num tale iuramentum ad tenendum obligat?*

REsp. Distinguendum inter id, quod per se malum est, & inter bonum, quod ex malo oritur. Res per se mala neq; promitti, neque iuramen-

ramento confirmari debet. *Exempli gratiâ*, si quis juret, se furtum, adulterium aut homicidium commissurum, se bello, quod novit injustum esse, interfuturum, juramentum temerarium & illicitum est, proinde ad tenendum, quæ juravit, non obstringitur.

Alia vero ratio est, si juret, se facturum aliquid utile & DEO gratum, si ex bello etiam iniquo salvus redierit, si ex adulterio sobolem susceperit, si in furto, homicidio & simili delicto incolumis manserit. Tale juramentum præstare tenetur. Etsi enim inique belligerando, adulterando, furando, &c. peccet: liberatio tamen ex bello, susceptio prolis, conservatio in periculis tempore delicti, non est res mala, sed beneficium à Deo acceptum, cui eo nomine aliquid gratitudinis ergò etiam cum juramento, si opus fuerit, promittere possumus.

## CASUS XI.

*De juramento facto ad rem exiguam & parvi momenti.*

### *Num juramentum de re exigua & parvi momenti factum, conscientiam ad servandum obligat?*

RESP. Discrepant hac de re scholastici. Quidam distinguunt inter rem exiguam, quatenus est pars totius, & quatenus non est pars alterius, sed per se res integra. Priori respectu dicunt, si non præstetur, licet juramento promissa fuerit, non lethali peccato, sed veniali saltem hominem obstringit, quia non ex toto, sed ex parte saltem minimâ juramentum violatur: ut si quis jurejurando promitteret, se quotidie recitaturum septem *Psalmos pœnitentiales*, & inter recitandum, versum duntaxat unum omitteret. Posteriori respectu ajunt, si non præstatur res etiam minima juramento promissa, peccatum lethale committi, quia res subjecta juramento, est quidem minima per se, sed integra, & tota materia juramenti, ut si quis juraverit, se puero pomum daturum, nec tamen dederit. In hac sententiâ est *Cajetanus*.

Alii statuunt lethale peccatum nunquam committi, si maximè juramentum in promissione rei minimæ adhibitum, non servetur: sed jurantem quidem teneri, verum vinculo & obligatione levi: in quâ sententiâ est *Sotus lib. 8. de just. quæst. 1. art. 7. Navarr. in manuali cap. 12. num. 10. & 40. Azorius lib. 11. instit. moral. cap. 5.*

Oritur autem hæc disceptatio ex falsâ distinctione peccati lethalis & venialis. Putant enim quædam peccata, quæ ipsi vocant exigua & minima, naturâ suâ esse veniâ digna: quod falsum est.

*Nullum peccatum sua natura est veniale.*

Nullum enim peccatum tam exiguum esse potest, quin iram Dei mereatur æternamque maledictionem

Digitized by Google

nem, cùm omne peccatum ſit tranſgreſſio legis, *cui Deus maledictionem minatur Deut. 27. v. 26.* Venialia autem dicuntur quæ fiunt à renatis, invitis & repugnantibus, ideò veniam impetrant, & non imputantur, quia perſona apud Deum eſt in gratia.

*Quare venialia peccata dicantur venialia?*

Si ergò juramentum aliàs licitè factum eſt, etiamſi res, quæ jurejurando promittitur, videatur minima, modò ſit honeſta, & quæ ſub juramento cadere poſſit, violatio ejus conſcientiam lædit, & maledictionem meretur.

Proinde nemo in re qualibet minimâ facilè juret, ut ſe daturum puero pomum, nucem aut ſimile quid, aut ſi juraverit, quia res in ſe honeſta, ſibique poſſibilis eſt, ad ſervandum ſe non levi quadam obligatione, ſed æquè ac in rebus gravioribus obſtrictum eſſe ſciat, quia *omne juramentum ſit cum invocatione nominis divini*, quod prophanari nulla in re debet.

## CASUS XII.

*De juramẽtis vi & metu extortis.*

### *An juramenta vi metuvè extorta ita obligant in conſcientiâ, ut quis ad ſervandum teneatur?*

RESp. Intricata hæc eſt quæſtio, de qua aliter JCti diſputant, quàm Theologi: neque Theologi omnes in deciſione conſentiunt. Nos amputatis diſputationibus, quomodo conſcientiis hac in parte conſuli queat, videbimus.

Omnia juramenta de re licita & poſſibili cum electione facta à ſcientibus & non planè invitis ſunt præſtanda, niſi is cui promiſſio jurata facta eſt, rem promiſſam ſpontè remittat. Tale enim juramentum fit cum invocatione nominis divini, quod non eſt prophanandum.

Nulla valet hìc Papæ aut eccleſiæ diſpenſatio vel abſolutio. Papa enim verbum Dei irritum facere non poteſt. Jam autem juramentum metu aut vi extortum de re aliqua licita, cum aliqua adhuc electione factum eſt non planè ab invitis, quia ad jurandum ipſum nemo cogere poteſt: & habet adhuc libertatem vel damnum aliquod patiendi, vel promiſſione juratâ alicujus rei à damno ſe liberandi. Ergo ad præſtandum id, quod juravit tenetur, ne per ipſum prophanetur nomen Domini: *exempli gratia*, incidit aliquis, inter latrones, promittit eis jureiurando certam pecuniæ ſummam, ne occidatur. Hic ſi ſimplex tantùm fuiſſet promiſſio pecuniæ, irrita fieri poſſet, & ad ſolvendum non teneretur, quia facta eſt homini, qui metum incuſſit, & promiſſionem extorſit contra bonos mores: ſed quia juramentum acceſſit, tenetur ad ſolvendam; (1.) quia juramentum factum eſt Deo, cuius nomen non eſt prophanandum, (2.) neque factum eſt ſimpliciter ab invito, ſed eſt actio mixta, in qua aliquid eſt volun-

 tarii;

Digitized by Google

tarii, quia inter pecuniæ solutionem & vitæ redemptionem eligit id, quod est melius, & ut vitam redimat, pecuniam dare jurejurando promittit. (3) res promissa etiam est possibilis & privata, cui religio & veritas semper est præferenda. (4.) & hac præstatione juramenti bonum aliquod reipubl. promovetur, quatenus videlicet membrum aliquod reipub. servatur, quod etsi cum aliquo hominis detrimento fit: illud tamen privatum saltem est, cui vita hominis semper est anteferenda. Ita ratio politica & Theologica præstationem juramenti suadet.

Quod prudentiores Ethnici quoq; probè intellexerunt, qui in servandis juramentis etiam extortis fuere constantes. Ideo *Cicero* laudat *Pomponium lib. 3. officior.* quòd constanter servaverit ea, quæ terrore coactus jurasset.

*Exceptio solvitur.* Si dixeris, hâc ratione latrocinia & rapinas stabiliri, si latronibus solvas, quod illi vi extorserant: respondeo, id fieri per *accidens*. Viator enim juravit neque juvat latrones, neque probat ipsorum factum, sed vitam suam redimit solvendo, quod jurando promisit. Interim latronibus resistere & damnum publicum præcavere potest, si magistratui factum revelet.

*Novus casus deciditur.* Quid si *verò juravit insuper silentium, vel se factum hoc magistratui non revelaturum?* Difficile est hoc in genere certi quid statuere. Tutius tamen videtur, si silentium non præstet, sed magistratui latrones indicet, etiamsi hoc se non facturum jurarit. Nam juramentum hoc est de re illicita, speciemque habet alicujus collusionis cum latronibus, & si maximè talis collusio abest, justitiam tamen impedit, improbos in malitia sua confirmat, proximo in discrimen vitæ incidendi occasionem præbet, & sic multis modis in pietatem, justitiam, & caritatem proximi peccat. Juramenta autem non debent esse vincula iniquitatis, neque justitia, amor proximi & commoda publica sunt negligenda.

Ideò certi juris est, quòd juramenta, quæ contra Deum & amorem proximi sunt, rebusque malis & illicitis occasionem præbent, sint rescindenda; quia juramenta omnem suam vim à verbo Dei habent, cui cùm adversantur, vim & potestatem cogendi nullum habent, quâ de re plura in sequentibus.

## CASUS XIII.

### *Quænam ergò juramenta salva conscientia scindi possunt?*

RESP. Duo potissimum sunt juramentorum vitia: 1. si temerè juratur. 2. si malè jurata præstantur. *Duo vitia juramentorum.*

Malè autem juratur. 1. cùm quid contra Deum & proximm. jurando pro- *I. Respectu materia duplicitermale juratur.*

do promittitur, quo ipso vel peccatur, vel peccatum promovetur: ibi rescissio est necessaria: nihil enim, quod Deo est adversum, obligare potest. Ideò qui tale juramentum rescindit, ne putet se perjurum factum, cùm promissio illa non habeat locum veri juramenti: unde vulgò dicitur, *in malè promissis rescinde fidem.*

Et hæc retractatio juramenti eò magis locum habet, cùm quis vel amore erga alios illicito, vel ex affectu iracundiæ juravit aliquid illicitum, ut *Herodes* ex amore saltatricis juramento ei promittebat caput *Iohannis Baptistæ*, *Matth.* 14. *vers.* 7. quod rescindere debuisset. Sic *David* ex irâ & vindictæ cupiditate jurabat excidium domui *Nabalis*, sed per *Abigailem* monitus id non persolvit; Deo gratias agens, quòd ipsum per hanc fœminam à malo proposito retraxit. 1. *Sam.* 25, 22. 23.

Unde *Augustin ferm.* 1. *de decollat. Iohan.* scribit: *juravit David temerè, sed non implevit, majori pietate.* Sic juravit *David Simei*, qui ipsi maledicebat, non moriturum 2. *Sam.* 19, 23. & tamen postea juramentum hoc retractavit, cùm *Salomoni* præciperet, ne sontem absolvat 1. *Reg.* 2, 9. quia juramentum illud ex præcipitantia factum erat, in re minus honestâ. Nam Dominus in lege interdixit: *principi populi tui ne maledicas Exod.* 22, 28. Homini ergò legem hanc sceleratè transgredienti vitam promittere non debebat: ideò, quòd injustè & incogitanter juravit, justè & prudenter retractavit.

Deinde respectu materiæ ita quoque malè juratur, si juramentum pugnat cum salutaribus alicujus Reipub. legibus ac institutis. Tale juramentum rescindendum est, quia ad observationem legum à magistratu latarum adstricti sumus *Rom.* 13, 1, 8. ubi ordinationi Dei resistere dicitur, qui Magistratui resistit.

Tertiò, cùm res jurata est impossibilis & illicita, licet primò licita ac possibilis visa fuerit, ut cùm quis primùm cœlibatui voto se adstringat, postea verò continentiæ donum se non habere sentiat, promissio illa licet juratò facta, non obligat.

2. Malè juratur respectu personarum, quæ jurare non possunt, ut sunt pueri, amentes, stulti, phrenetici, aut qui aliàs judicio rationis vel propter ætatem, vel alium aliquem defectum uti non possunt. Tales sunt etiam, qui sub aliorum potestate vivunt, ut liberi, servi, fœminæ &c. quæ cum juramento se, invitis iis, quibus subjecti sunt, ad aliquid obligarint, jure non sunt obstricti, sed rescindere debent, juxta præceptum Domini *Num.* 30, 4. etiamsi hoc prætextu cultus & religionis fiat: idcirco in *Concilio Gangrensi canon.* 16. cautus est: *quicunq, filij à parentibus prætextu divini cultus abscedunt, nec debitam reverentiam dependunt illis, anathema sint.* 2. *Respectu personarū.*

## CASUS XIV.

*De juramento dolo & astu elicito.*

### *Quid de juramento sentiendum, quod dolo & astu fuit elicitum, num illud etiam obligat?*

RESP. Si de re licitâ est & possibili, obligare omninò videtur: non enim hic animus deferentis, sed intentio jurantis attendenda est. Exemplum habemus *Iosua* 9, 18. *seqq.* ubi *Gibeonitæ* simulant se peregrinos esse, & conjunctionem cum populo Dei quærere, quos *Iosua* admittit ad fœdus, ipsisque jurat, & quanquam triduo post experitur, se deceptum esse, non tamen juramentum rescindit, sed præstat, quod juraverat, hoc tamen cum temperamento, ut *Gibeonitæ* quidem relinquerentur in medio populi Dei, ad vilissima tamen servitia adhiberentur.

Etsi ergò *Gibeonitæ* erant ex illis populis, quos evertere jussit Dominus, ne seducant populum suum in terra promissa, placuit tamen ei, ut juramentum ipsis datum servaretur, cùm absque detrimento, istâ cum conditione, ut quasi mancipia Israelitarum essent, servari posset: ideò Josua & principes restiterunt populo, qui putabat Gibeonitas jure occidi posse, ipsi verò respondebant, *juravimus eis in nomine Domini Dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere Iosu.* 9, 10. miraculo Deus comprobat rem istam sibi placere; nam pugnante Josua pro Gibeonitis, Sol in medio cœli sistitur usque ad finem pugnæ *Ios.* 10, 13. E contra verò, cùm *Saul* post centum annos, quosdam ex *Gibeonitis* occidisset, pro perjurio habuit, in cujus pœnam fames grassabatur, & septem è liberis *Saulis* publico suspendio è medio subiati sunt, 2. *Sam.* 21, 1. *seqq.*

## CASUS XV.

*De perjurio.*

### *In quibusnam rebus perjurium committi potest?*

*Quid sit perjurium?* RESP. Perjurium vocat *Lombardus lib.* 3. *sentent. dist.* 39. *mendacium jurejurando confirmatum.* Ubi quidam dubitant, an in omni perjurio sit mendacium, quia mendacium consistit in verbis, multa autem perjuria fiunt factis, ut, cùm quis non facit, quod facturum se juravit. *An in omni perjurio sit mendaciū?*

Sed in omni perjurio mendacium inest, si non in verbis, tamen in facto: ut si quis jurat aliquid ita esse, quod tamen aliter se habet, perjurium est cum mendacio in verbis: & si quis jurat, se facturum aliquid, quod non facit, perjurium est cum mendacio in factis. Omne autem juramentum postulat veritatem & justitiam, quorum unum si desideratur, fit perjurium. Veritas considera-

Digitized by Google

deratur vel in verbis, vel in cogitatione jurantis: juſtitia in factis, quæ vel præſtanda erant, & omittuntur; vel omittenda, & præſtantur.

*Triplex perjurium.* Hinc triplex fit perjurium. 1. cùm quis ea iurat vera eſſe, quæ probè noverat eſſe falſa, cùm juraret, alterius fallendi cauſa. 2. cùm quis iuramento aliquid promittit, de quo tamen præſtando nunquam cogitavit, ſed potiùs fallere ſecum conſtituit. 3. cùm quis iurat ea, quæ honeſta ſunt & licita, & de præſtando cogitat etiam, dum iurat, & tamen non præſtat.

Huc referunt alii, cùm quis rem illicitam iurat ſe facturum, & facit etiam, ſed is non quidem periurus eſt, quia facit, quod iurat: periurio ſimilis eſt, quia nomine divino abutitur, iuſtitiamque violat.

Ad periuria referunt aliqui etiam, cùm quis ſine iudicio iurat, id eſt, temerè & leviter; ſed propriè loquendo periurium non eſt, quia non ineſt verbis aut factis mendacium; propter abuſum tamen nominis divini ad periurium revocari poteſt.

Alii referunt etiam ad periurium, cùm quis non præſtat ea, quæ per creaturas iuravit, in qua ſententia eſt *Azorius lib. 11. inſtitut. moral. cap. 12.* ſed periurium iuramento eſt oppoſitum. Quemadmodum ergò iuramentum per creaturas non obligat, quia eſt illicitum, ut ſuprà probavimus: ita periurium nullum fieri poteſt, ſi tale iuramentum non præſtatur. Si tamen quis per falſos Deos iurat, quos putat eſſe veros, is ſi non præſtat, quæ iuravit, periurium committit.

Obſervandum autem eſt, quòd ad periurium propriè dictum requiratur propoſitum malum faciendi aliquid contra datam fidem, & decipiendi alios. Ideò ſi quis iurat aliquid eſſe verum, quod tamen falſum eſſe novit, non animo fallendi, ſed vel ex prava conſuetudine, vel per jocum, non eſt perjurium; levitas tamen eſt, pœnâ digna propter abuſum nominis divini. Ita qui juravit ſe legibus obtemperaturum, & ex propoſito datâque operâ non obtemperat, eo ipſo perjurus eſt: ſi verò pœnis, quæ prævaricatoribus legum conſtitutæ ſunt, ſe ſubmittat, à periurio liber fit, quia juramenta obligant ad legem, lex autem obligat vel ad obedientiam vel ad pœnam. Eo ipſo autem dum pœnas ſuſtinet, pœnitere, & non ex propoſito, ſed vel ex inſcitiâ vel incogitantiâ vel ſeductus ab alio leges tranſgreſſus eſſe videtur. *Ad periurium propriè dictum requiritur propoſitũ, malum faciendi.*

## CASUS XVI.

### *Quibusnam de cauſis fugiendum eſt perjurium?*

*Cauſa, propter quas perjurium eſt fugiendum.*

RESP. Magna eſt multorum improbitas, quibus nec ara, nec fides, nec ulla firma pactio eſt; qui omnia recta & honeſta negligunt dummodo potentiam conſequantur, qui tritum illud *Euripidis* in ore



Digitized by Google

& manu habent: *jus regnandi gratia violandum est: aliis in rebus pietatem colas.*

Non minor est multorum temeritas, qui peierare pro re levicula habent: ideò & jurant facilè, & fallunt libenter, vel quia perjurium non curant, vel quia fraudi speciem aliquam juris imponunt.

Tenendæ igitur sunt causæ, quæ periurium detestabile faciunt, ut omnes qui Deum timent, & conscientiam habere volunt tranquillam, illud fugiant.

*1. Ratio, ab expressa Dei prohibitione.* Primùm igitur, habemus *expressam Dei prohibitionem Zach.* 5, 3. *omnis fur judicabitur & omnis jurans judicabitur similiter*: & *cap.* 8, 17. *unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum mendax ne diligatis, quoniam hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Levit.* 19, 12. *non pejerabis in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui, quia ego Dominus.* Qui ergò Dei mandata amat, periurium meritò odit.

*2. à perjuri à regno cœlorum exclusione.* 2. Perjuri excluduntur regno cœlorum, *quia is stabit in loco sancto, qui jurat proximo suo, & non decipit Psalm.* 15, 4. *maledictio autem veniet in domum jurantis in nomine meo mendaciter Zach.* 5, 4. *ero testis velox perjuris*, inquit Dominus, *Mal.* 3, 5.

*3. à severa perjurii punitione.* 3. Sunt exempla quàm plurima puniti perjurii: *Israelitæ* non servantes, quod juraverant *Gibeonitis*, fame puniuntur, & septèm filii *Saulis* propterea suspenduntur, 2. *Sam.* 21. *Saul* non servans fidem, quam juraverat *Davidi*, multiplices incurrit pœnas, tandemque sibi ipsi manus infert 1. *Sam.* 19, 20. Oseam regem Israel, nolentem ampliùs tributa reddere debita, *Salmanassar* rex *Assyriorum* obsedit, & vinctum misit in carcerem, 2. *Reg.* 17. *Zedekias* perjurus à *Nebucadnesare* capitur & oculis privatur. 2. *Paral.* 36. idque Dominus ei prædixerat; *vivo ego, quoniam spreverat juramentum, ut solveret fœdus, non effugiet Ezech.* 17, 16. *Alcimus* Pontifex ob perjurium apoplexiâ moritur 1. *Machab.* 7. *Andronicus* perjurus eodem in loco, quo interfecit *Oniam* sacerdotem, vitâ privatus est 2. *Machab.* 4. Similia exempla puniti perjurii passim in historiis leguntur: *non enim manet impunitus is, qui adsumit nomen Dei frustra*, Exod. 20, 17.

*4. à perjurii scelestâ magnitudine.* 4. Perjurium gravius est scelus, quam homicidiũ, quia periurus violat primam decalogi tabulam, pietatem ac religionem, abutitur nomine divino, Deumq; justissimum ac potentissimum sibi ipsi optat vindicem, atque sic fit αὐτοκατάκριτος, quia, dum fallit, se dignum pœnâ fatetur. In confesso autem est, quantũ sit peccatum homicidium, quod ex sententia Dei hominem temporalibus & æternis pœnis obnoxium facit *Gen.* 9, 6. *Gal.* 5, 20. 1. *Ioh.* 3.

*5. à prodigiorum in perjurorũ punitionibus multitudine.* 5. Quantoperè Deo perjuria displiceant, prodigiis etiam quibusdã in gentilitate testatus est. Miris enim modis interdum perjuri quasi divinitus deprehensi & puniti fuerunt, quâ de re lege *Alexandrum ab Alexandro lib.* 5. *genial. dier. cap.* 10. De arâ *Palicorum* refert *Diodorus Siculus lib.* 11. & *Macro-*

*Macrobius lib. 5. Saturnal. cap.* 19. quòd ibi lacus fuerit religiosus, brevis & profundus, ſemperque lucidus, apud quem *Siculi* juramenta præſtabant, & qui caſtè & ſine labe criminis juraſſent, illæſi ac illibati abibant, qui verò contra religionem jurisjurandi fidem abjuraſſet, reus criminis in lacu demerſus fuit. Virg. 9. *Æneid.*

----*Symethia circum*
*Fulmina, pinguis ubi & placabilis ara Palici.*

*Ariſtoteles in libr. de mirabilibus auſcultationibus* de fonte *Acadino* memorat, qui juxta *Palicos in Sicilia* manat, tabellas, inſcripto juramento, ſi rectè juratum foret, ſupernataſſe, neque livore perfuſos fuiſſe: ſi perperam, protinus in profundum rapi, neque apparere ultrà. In *Sardinia* quædam aquarum ſcaturigines fuerunt, in quibus ſi immergerentur perjuri, oculorum lumine privabantur, qui rectè juraverant, his aquis tincti, clariùs cernebant, teſte *Solino lib.* 10. Juxta *Tyanam* fontem eſſe perhibet *Philoſtratus in vita Apollonij lib.* 1. *cap.* 4. qui cùm cæteris eſſet placidus & guſtu dulcis, perjuris ſolùm puſtulas liventes & vomicas fecit calamitoſas. Simile quid de aquis ſtygiis memorat *Herodotus lib.* 6. *Plinius libr.* 2. *cap.* 103. & multi alii, quæ perjuris ſemper fuere noxiæ: unde *Ovid. in Ibin.* aquam Stygis vocat imperjuratam. Specum quoque *Palemonis* ad *Corinthum* perjuros impunè accedere non potuiſſe, autor eſt *Pauſanias in Corinthiacis.* Ita nimirum Deus naturæ prodigiis oſtendit, quanto zelo perjuros averſetur.

6. *Ethnici* lege naturæ edocti, quantum eſſet ſcelus pejerare, perjuros graviſſimis afficiebant pœnis. *Cicero lib. 2. de legib. art. perjurij pœna divina exitium, humana dedecus violati jurisjurandi eſto.* Apud *Indos*, qui falſus deprehenditur, & de perjurio convictus, manuum pedumque digitis extremis decurtatur. Apud *Scythas* perjurii pœna capitis amputatio eſt, inquit *Strabo lib.* 15. De *Ægyptiis* ſcribit *Diodorus Siculus lib. 2. cap.* 3. perjuri capite mulctabantur, tanquam qui duplici tenerentur ſcelere, ut qui & pietatem in Deum violarent, & fidem inter homines tollerent, maximumque vinculum ſocietatis humanæ. *9. ab Ethnicorum ſevera in perjuros animadverſione.*

7. Chriſtiani perjurium puniunt infamiâ. Nam iure *Canonico* omnes, qui mendacium jureiurando confirmant, aut qui fidem juratam non ſervant, ſententiâ iudicis infames eſſe pronunciantur: ut eſt in *c. infames.* pœnam inſuper imponunt canones periuris, *in cap. quicunque in 6. quæſtion.* 1. plectuntur jejunio 40. dierum in pane & aquâ, & ſeptem ſequentium annorum pœnitentia, à ferendo quoque teſtimonio excluduntur *in C. prædicandum c. 22. quæſtio.* 1. periurio talis imponitur pœna, qualis debetur adulterio & homicidio, & cæteris criminibus capitalibus. Clericus in periurio deprehenſus, ſecundum canones deponitur, ut *eſt in* C. *eum non ab homine & tit. de judic.* *7. à Chriſtianorum perjurorũ pro infamibus aſtimatione.*

Secun-

Secundum leges civiles periurus non est infamis in iuramento assertorio, sed promissorio, ut docet *Baldus in l. Lucius ff. de his, qui notantur infamiâ*, præsertim si in iudicio publicè & solenniter fuerit adhibitum. Aliàs etiam extra iudicium infames sunt, qui periurium committunt in alterius nocumentum, ut habet *Gloss. in l. si quis major.*

Constat ex his atrocitas huius delicti, quod semper legibus divinis ac humanis gravissimâ pœnâ dignum iudicatum fuit. Proinde ab omnibus, quibus Dei hominumque favor curæ cordique est cane prius & angue fugiendum.

## CASUS XVII.

*De juramēto perjurij.*

### *Possuntnè incidere casus, in quibus citra periculum perjurij juramentum aliquod in se licitum non obliget?*

RESP. Non agitur hic de iuramento *Assertorio*, quòd propriè non obligare dicitur, obligatio enim est promissionis, non assertionis. In promissorio verò iuramento etsi semper opera danda est, ut præstetur, quòd iurato promisimus, quia duplici virtute innititur, veritate ac fide, ac proinde dupliciter peccat, qui non præstat, 1. quia mendax est, 2. quia perfidus & infidelis; incidere tamen possunt casus aliqui in quibus promissio iurata, licet aliàs valida, non obligat; de quibus disputat *Thomas in 22. q. 110. art. 3. ad 5. Cajetan. ibid. q. 113. art. 1. Navarrus in manuali c. 8. numer. 7.*

*Affirmatiū quæstio. Proponitur casus primus.*

Primum, si res iuramento promissa fiat illicita, vel inutilis vel impossibilis: ea enim sub iuramentum non cadit, nec eam antea iurasse quis præsumitur. Quod ergò contra mentem iurantis est, id iurans præstare non tenetur. Sic *Herodes* iuravit saltatrici dare, quidquid postulaverit ab ipso *Matth. 14, 7.* Sed cùm illa peteret caput *Iohannis Baptistæ*, non obligatus fuisset ad dandum, quia res illicita erat, quam ipsi non promiserat: *contristabatur enim, cùm petitionem puellæ audiret, vers. 9.*

*Casus secundus.*

Deinde, si status rerum vel personarum ita mutetur, ut iurans iuxta iudicium prudentum non videatur illum eventum voluisse comprehendere, quod ex circumstantiis iudicari potest. Nam ut *Senec.* ait *lib. 4. de beneficiis cap. 34. ad hoc, quòd homo teneatur facere, quod promisit, requiritur, quòd omnia immutata permaneant, aliàs nec fuit mendax in promittendo, quià promisit, quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus. Neque etiam est infidelis, non implendo, quod promisit, quia eædem conditiones non extant.* Sic Apostolus *Paulus* non mentitus est, quòd *Corinthum* non venit, sicut promiserat, impedimenta enim, quæ propositum mutaverant, intervenerunt, *2. Cor. 1, 17.*

3. Cùm

Digitized by Google

*Tertius casus.* 3. Cùm juramenta sunt mutua, & ex una parte id, quod promissum fuit, non præstatur, tunc altera quoque pars promissis stare non tenetur, sed uti potest compensatione: videtur enim cum conditione illâ jurasse, si alter quoque promisso suo steterit; hîc enim locum habet illud: *frangenti fidem, fides frangatur eidem*: quia juramentum illud mutuum semper illâ cum conditione factum præsumitur, si modò alter etiam stet promissis.

*Quartus casus.* Quartò cùm aliquid promissum est ob causam, quæ subesse putabatur, & non subest, ut si juraveris te facturum aliquid, eò quòd beneficium aliquod te impetraturum sperabas, quod tamen non impetras: tunc ad implendum promissum non teneris, quia conditio illa tacitè in juramento fuit inclusa: si beneficium impetravero. Conditione autem non impletâ promissio ipsa licet jurata obligare cessat.

## CASUS XIIX.

*De relaxatione juramentorum.*

### *Num quis hominum potestatem habet relaxandi juramenta?*

RESP. Hic etiam non est quæstio de juramento *assertorio*, in quo relaxatio locum non habet: sed de *promissorio*, ut monet *Thomas* 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. sed qui conscientiam habet, nec illud facilè audet, nam juramenti vinculum est juris naturalis, quod autoritate nullius hominis relaxari potest.

Verùm Pontifici Romano omnia quæ libent, licent: is enim in juramentis dispensat, ab illis absolvit, ea commutat, relaxat pro lubitu. Hinc fit, quòd subditos à juramentis sui magistratus absolvit, contractus regum atque principum rescindit, quando id ex ecclesiæ Romanæ usu esse videt.

Negat quidem hoc Martinus Becanus in *appendice disputationis de fide hæreticis servandâ in exam. propos.* 3. & tamen vi veritatis compulsus mox idem fatetur, ubi negat, Pontificem in principum ac regum Christianorum contractibus dispensare posse; sed addit; *nisi urgente necessitate boni spiritualis.* conceditur igitur Papam dispensare posse urgente necessitate boni spiritualis, hoc est, cùm ex ecclesiæ Romanæ incremento & utilitate esse videtur: hæc enim est urgens illa necessitas in rebus spiritualibus.

Hanc potestatem dispensandi in juramentis quidem Pontifici tribuunt, in iis rebus, in quibus votorum relaxatio ipsi reservatur; alii contendunt, episcopos potestatem ordinariam habere omne jusjurandum relaxandi, nullum autem jusiurandum Romano Pontifici reservatum fuisse, quam contentionem vide apud *Azorium lib.* 11. *instit. cap.* 9. Fluit autem ex fictitia illa potestate ac dominio, quod Papæ tribuunt in conscientias hominum.

Ideò quemadmodum suprà de votorum relaxatione diximus, ita hic de juramentis repetimus, non esse penes Pontificem aut prælatos

Secundum leges civiles periurus non est infamis in iuramento assertorio, sed promissorio, ut docet *Baldus in l. Lucius ff. de his, qui notantur infamiá*, præsertim si in iudicio publicè & solenniter fuerit adhibitum. Aliàs etiam extra iudicium infames sunt, qui periurium committunt in alterius nocumentum, ut habet *Gloss. in l. si quis major*.

Constat ex his atrocitas huius delicti, quod semper legibus divinis ac humanis gravissimâ pœnâ dignum iudicatum fuit. Proinde ab omnibus, quibus Dei hominumque favor curæ cordique est cane prius & angue fugiendum.

## CASUS XVII.

*De juramẽto perjurij.*

### *Possuntnè incidere casus, in quibus citra periculum perjurij juramentum aliquod in se licitum non obliget?*

RESP. Non agitur hîc de iuramento *Assertorio*, quòd propriè non obligare dicitur, obligatio enim est promissionis, non assertionis. In promissorio verò iuramento etti semper opera danda est, ut præstetur, quòd iurato promisimus, quia duplici virtute innititur, veritate ac fide, ac proinde dupliciter peccat, qui non præstat, 1. quia mendax est, 2. quia perfidus & infidelis: incidere tamen possunt casus aliqui in quibus promissio iurata, licet aliàs valida, non obligat; de quibus disputat *Thomas in 22. q. 110. art. 3. ad 5. Cajetan. ibid. q. 113. art. 1. Navarrus in manuali c. 8. numer. 7.*

*Affirmatiuè quæstio. Proponitur casus primus.*

Primum, si res iuramento promissa fi[illegible] illicita, vel inutilis vel impossibilis: ea enim sub iuramentum non cadit, nec eam antea iurasse quis præsumitur. Quod ergò contra mentem iurantis est, id iurans præstare non tenetur. Sic *Herodes* iuravit saltatrici dare, quidquid postulaverit ab ipso *Matth.* 14, 7. Sed cùm illa peteret caput *Iohannis Baptistæ*, non obligatus fuisset ad dandum, quia res illicita erat, quam ipsi non promiserat: *contristabatur enim, cùm petitionem puellæ audiret, vers. 9.*

*Casus secundus.*

Deinde, si status rerum vel personarum ita mutetur, ut iurans iuxta iudicium prudentum non videatur illum eventum voluisse comprehendere, quod ex circumstantiis iudicari potest. Nam ut *Senec.* ait *lib. 4. de beneficiis cap. 34. ad hoc, quòd homo teneatur facere, quod promisit, requiritur, quòd omnia immutata permaneant, aliàs nec fuit mendax in promittendo, quia promisit, quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus. Neque etiam est infidelis, non implendo, quod promisit, quia eædem conditiones non extant.* Sic Apostolus *Paulus* non mentitus est, quòd *Corinthum* non venit, sicut promiserat, impedimenta enim, quæ propositum mutaverant, intervenerunt, 2. *Cor.* 1, 17.

3. Cùm

*Tertius casus.*

3. Cùm juramenta sunt mutua, & ex una parte id, quod promissum fuit, non præstatur, tunc altera quoque pars promissis stare non tenetur, sed uti potest compensatione: videtur enim cum conditione illâ jurasse, si alter quoque promisso suo steterit; hic enim locum habet illud: *frangenti fidem, fides frangatur eidem*: quia juramentum illud mutuum semper illâ cum conditione factum præsumitur, si modò alter etiam stet promissis.

*Quartus casus.*

Quartò cùm aliquid promissum est ob causam, quæ subesse putabatur, & non subest, ut si juraveris te facturum aliquid, eò quòd beneficium aliquod te impetraturum sperabas, quod tamen non impetras: tunc ad implendum promissum non teneris, quia conditio illa tacitè in juramento fuit inclusa: si beneficium impetravero. Conditione autem non impletâ promissio ipsa licet jurata obligare cessat.

## CASUS XIIX.

*De relaxatione juramentorum.*

### *Num quis hominum potestatem habet relaxandi juramenta?*

RESP. Hic etiam non est quæstio de juramento *assertorio*, in quo relaxatio locum non habet: sed de *promissorio*, ut monet *Thomas* 2. 2. *quæst*. 89. *art*. 9. sed qui conscientiam habet, nec illud facilè audet, nam juramenti vinculum est juris naturalis, quod autoritate nullius hominis relaxari potest.

Verùm Pontifici Romano omnia quæ libent, licent: is enim in juramentis dispensat, ab illis absolvit, ea commutat, relaxat pro lubitu. Hinc fit, quòd subditos à juramentis sui magistratus absolvit, contractus regum atque principum rescindit, quando id ex ecclesiæ Romanæ usu esse videt.

Negat quidem hoc Martinus Becanus in *appendice disputationis de fide hæreticis servandâ in exam. propos*. 3. & tamen vi veritatis compulsus mox idem fatetur, ubi negat, Pontificem in principum ac regum Christianorum contractibus dispensare posse; sed addit; *nisi urgente necessitate boni spiritualis*. conceditur igitur Papam dispensare posse urgente necessitate boni spiritualis, hoc est, cùm ex ecclesiæ Romanæ incremento & utilitate esse videtur: hæc enim est urgens illa necessitas in rebus spiritualibus.

Hanc potestatem dispensandi in juramentis quidem Pontifici tribuunt, in iis rebus, in quibus votorum relaxatio ipsi reservatur; alii contendunt, episcopos potestatem ordinariam habere omne jusjurandum relaxandi, nullum autem jusjurandum Romano Pontifici reservatum fuisse, quam contentionem vide apud *Azorium lib*. 11. *instit. cap*. 9. Fluit autem ex fictitia illa potestate ac dominio, quod Papæ tribuunt in conscientias hominum.

Ideò quemadmodum suprà de votorum relaxatione diximus, ita hic de juramentis repetimus, non esse penes Pontificem aut prælatos

jus dispensandi in juramentis pro lubitu. Nulla enim res efficacior excogitata est à majoribus nostris, quàm jurisiurandi religio, nullum præterea vinculum ad astringendam fidé jureiurando majores nostri arctius esse voluerunt: quod & *Cicero* agnovit *in officiorum libris*, ubi *Reguli* consulis Romani exemplum proponit, quem nec patriæ, nec suorum amor retinere potuit, quò minùs fide hosti datâ rediret etiam ad crudelissima *Pœnorum* supplicia.

Si ergò sine justâ causâ, aut prætextu saltem alicujus necessitatis solvuntur juramenta à Papa vel ab alio, absolutio falsa est, & peccat, qui eam petit & confert. Si verò justa causa subest, non opus est demum dispensatione Papæ aut episcoporum, sed quilibet retractare tenetur, quod injustè promisit, juxta vulgare dictum: *in malè promissis rescinde fidem.*

Justa autem causa est, cùm turpitudo aut impossibilitas est in jureiurando, ita ut juramentum absque periculo salutis aut honestatis servari non possit.

Si dubitetur, an jusiurandum locum habeat, nec ne, non opus est arbitrio Papæ, quod non cuivis impetrare facile est, sed causa coram judice ecclesiastico vel politico, prout materia juramenti ecclesiastica vel politica est, cognosci potest & recognitâ vel juranti imponi, ut servet, vel ei cui juratur, ut jusiurandum remittat.

Si jurans non est sui juris, is cui subest, sive parentes, sive domini sint, rescindere potest juramentum, subintelligitur enim factum esse cum ea conditione, si placet superiori: iterum nihil hic est negotii Pontifici Romano.

Si quis in gratiam alterius juratò aliquid liciti promisit, antequam is, cui juravit ratum habeat, non obligat, sin verò ratum habuerit, & servari illud velit, nemo hominum illud relaxare potest; sicuti nemo alteri jus adquisitum adimere potest. Si verò is, cui iuravit, nolit servari, tunc ipse remittit, & iurantem obligatione solvit, quilibet enim de suo iure cedere, & rem sibi debitam condonare potest.

Hæc de relaxatione iuramentorum sufficiunt: plura disputant scholastici, sed nihil faciunt ad nostrum institutum, quo non indulgere litibus, sed consulere conscientiis visum fuit.

## CASUS XIX.

### *Quænam de juramentis, quæ in publicis fiunt judiciis, scitu & observatu maximè sunt necessaria?*

*De juramentis, quæ in publicis judiciis fiunt.*

RESP. De his coronidis loco pauca subjiciam. 1. non admittantur ad tale iuramentum impuberes,

*Septem observationes de talibus juramentis.*

puberes, ut præcipitur *in cap. pueri* 22. *q.* 5. infames, periurii damnati, ſacerdotes quoque coram magiſtratu civili iurare non tenentur, ut habetur in *c. nullus* 22. *q.* 5. ne quidem, cum ut teſtes ſaltem producuntur.

*Quando ſacerdotes admittantur ad iuramentum?*

Si autem ſacerdotis teſtimonio opus eſt, coram epiſcopo vel conſiſtorio id facit: idque ferè fit hîs in cauſis: ſi deficientibus aliis probationibus aliquis fortunas & res ſuas amittat, ſi commune bonum fidei & religionis adferi non poteſt: ſi communis Reip. ſalus ita poſtulat; ſi ab infamiæ notâ purgare ſe cogitur &c.

2. Juramenta fieri debent coram iudice competente.

3. Judex competens interdum ad iuramentum cogere poteſt, ſi teſtis odio vel metu ſe ſubtrahit à dicendo teſtimonio, nec tamen veritas aliter indagari poteſt.

4. Juramenta in iudiciis fiant à ieiunis, ut eſt in *c. honeſtum* 22. *q.* 5. quod tamen magis ex æquo & bono, quàm ex iure & lege requiritur.

5. Ad iurandum cogi non debet, quem iudex novit falſum iuraturum, aut iusiurandum non ſervaturum, licet iurans ad iurandum ſit paratus, quia nemo alium cogere debet ad mentiendum. Et hoc valet etiam, cùm ſuſpicio ſaltem, ſed vehemens eſt de periurio. Idcircò *Abbas Panormitanus in c. clericos de habitat. clericorum* iudicat, non eſſe clericos cogendos iurare dimiſſuros ſe concubinas. Si tamen ſufficiens à iudice præcedat admonitio, & lites aliter finiri nequeant, iurans quoque ad iurandum promptus ſit, & ſe vera dicturum ſanctè atteſtetur, tunc ob ſuſpicionem ſaltem periurii à iuramento non eſt excludendus.

6. Qui notatus eſt infamia, aut dedecore aliquorum ſcelerum, iurare non poteſt, ſe ab his criminibus liberum eſſe, eò quòd in confeſſione ab illis ſit abſolutus. Nam abſolvimur per pœnitentiam in judicio Dei, ſalvâ autoritate judicis, qui delicta illa adhuc damnare poteſt, & punire.

7. Licitum eſt præſtare juramentum calumniæ, ſi à judice ad inſtantiam alterius partis litigantis deferatur.

*Quid ſit juramentum calumniæ.*

Eſt autem *juramentum calumniæ, cùm jurat quis, ſe non cauſa differendi aut malitiosè aliis litem intendere*, & requiruntur ad hoc quinque, 1. Ut litigator exiſtimet, ſe juſtam litem intendere. 2. Ut rogatus à judice veritatem non diſſimulet. 3. Ne ſciens falſas adhibeat probationes. 4. Ne in fraudem litem aut cauſam proroget. 5. Vt juret, ſe nihil alicui promiſiſſe, nec quidquam deinceps promiſſurum cauſâ litis, niſi id quod leges & jura permittunt, &c.

*Hactenus de juramentis.*

## CAPUT X.

## *De Casibus Conscientiæ circa auditum verbi divini.*

Ratio ordinis.

EXercitia cultus divini juxta virtutes secundi & tertii præcepti decalogi consideranda sunt, quia potissimùm in nominis & verbi divini sanctificatione consistunt. De secundo præcepto hactenus, quantum satis est, egimus: jam ad tertium accedimus, ubi primo loco occurrit auditus verbi divini, quo sabbatum omnium maximè sanctificatur. De eo incidunt dubia in conscientia tàm ex parte ministrorum, quàm ex parte auditorum. De ministris verbi suo loco peculiariter, volente Domino, acturi sumus; quæ auditoribus hoc in genere ad tranquillandam conscientiam necessaria sint, hoc in loco considerare placet.

### CASUS I.

Primùm omnium operæ pretium est, scire:

### *An auditus verbi divini ita sit necessarius, ut absque peccato intermitti nequeat?*

REsp. *Spiritus manifestè dicit, quòd in novissimis temporibus quidam discessuri sint à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*, ait Apostolus Paulus. 1. *Tim.* 4, 1.

Inter hos sunt fanatici illi, qui homines abducunt à verbo ad colloquia cum Deo, quæ *Anabaptistæ* olim, & etiamnum quidam jactitant, magno suo cum periculo, & aliorum, quos seducunt, detrimento.

*Anabaptistarum deliria.*

Hi contemnunt publicum verbi ministerium, & privatis suis speculationibus, somniis, & visionibus plus tribuunt, existimantque se hujus sui delirii habere fundamenta in scriptura, ut cùm omnes dicuntur esse *docti à Deo Esa.* 54, 13. sed ibi saltem notatur causa efficiens profectuum nostrorum in rebus sacris, qui non habent originem ab homine, sed à divino magistro, qui tamen non immediatè, sed per verbum nobiscum agit, cui magnam tribuit efficaciam *Esa.* 55. *v.* 10. *Ier.* 23. *v.* 29. *1. Eorum objectio.*

Sic arripiunt id, quod David dicit *Psalm.* 59. *v.* 9. *sedebo & audiam, quid loquatur in me Deus.* sed non est hìc exemplum arcani afflatus, sed votum, ut Deus mittat Prophetas, per quos afflictum suum populum consoletur. Verba illa, *loquatur in me Deus,* non sunt in textu. *2. Objectio.*

Suum quoque faciunt illud D. Johannis 1. *Ioh.* 2. *v.* 27. *non opus habetis ut quis doceat vos, quia unctio docet vos omnia.* Sed non impugnatur hìc publicum ministerium, sed Spiritus sancti institutio (quæ ordinariè fit per ministerium) opponitur pseudodoctoribus, qui seducebant doctrina sua populum, qui ne audian- *3. Objectio.*

diantur, cavere voluit Apoſtolus.

Contra hos muniendus eſt animus certis argumentis, quòd publicus verbi divini auditus bonâ cum ſcientiâ à nemine piorum intermitti poſſit.

*Probatur, quòd publicus verbi divini auditus à nullo piorum ſalva conſcientia intermitti poſſit.*

*Probatur 1. à Dei mandato.*

Primùm urget hoc *mandatum Dei*, quo jubemur *ſanctificare ſabbatum* Exod. 20, 8. quod potiſſimum fit auditu verbi & uſu ſacramentorum. Remittimur à ſomniis & viſionibus *ad legem & teſtimonium* *Eſa.* 8, 20. Huc pertinet præceptum Apoſtolicum: *ſermo Dei habites inter vos opulenter, in omni ſapientia & doctrina* Col. 3, 16. & illud Sap. 6, 2. *audite reges & intelligite, præbete aures, qui continetis multitudinem*, & *Sirac.* 6, 34. *ſi inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam, & ſi dilexeris audire, ſapiens eris.* Et ne hoc de privata inſtitutione accipiatur, obſervanda ſunt loca, quibus ad congreſſus publicos in templis excitamur, ut cùm *introire jubemur portas Domini Pſal.* 100, 2. *venire & adſcendere ad domum Dei Iacob Eſa.* 2, 3. cùm Deus ipſe nos alloquitur, *audi popule mi, & loquar Pſal.* 50, 7. *ne deſeratis congregationem, ſicut eſt mos nonnullis Heb.* 10, 25. Hæc dicta inſtar campanæ ſunt, quâ invitamur ad auſcultationem verbi in templo. Excitemus ergò nos ipſos, dicentes cum Davide: *lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Pſal.* 122, 1.

*2. à noſtra indigentia.*

2. Auditum verbi divini requirit à nobis *ſumma neceſſitas.* Ab eo enim ordinario modo dependet fides & ſalus noſtra, ſicut ſcriptum eſt: *quomodo invocabunt, ſi non crediderint? quomodo credent, ſi non audiant? aut quomodo audient ſine prædicante?* &c. *fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei* Rom. 10, 14. 17. Chriſtianorum nomine gaudere non poſſumus, ſine auditu verbi: *oves enim meæ vocem meam audiunt*, inquit, *Salvator Iohan.* 10, 27. & *qui ex Deo eſt, verbum Dei audit Iohan.* 8, 47. 1. *Iohan.* 4, 6.

*3. à noſtro commodo.*

3. Accedit *ſumma utilitas*, quam ex auditu verbi habemus: *beati qui verbum audiunt & cuſtodiunt*, *inquit Salvator Luc.* 11, 28. Beatitudo illa latè ſe extendit. Conjungit enim auditus verbi hominem cum Deo, *quando enim legis*, (ſic & cum audis) *Deus tibi loquitur, cùm oras, loqueris cum Deo*, ait *Auguſtinus in enarrat. Pſalm.* 85. *lex Domini illuminat oculos Pſalm.* 19, 9. *ſolatur afflictos Pſal.* 119, 50. *amorem Dei in cordibus accendit Iohan.* 14, 21. facit filios & amicos Dei, *nam qui verbum audit & diſcit, is venit ad patrem Ioh.* 6, 45. eſt cibus animæ, qui conſervat nos ad vitam æternam, & ab æterna morte liberat, ſicut Chriſtus dicit *Ioh.* 8, 51. *ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* His beneficiis omnibus privatur, qui auditum verbi divini negligit.

*4. à laboris ſanctimonia.*

4. Ad hanc utilitatem pertinet etiam *ſanctitas hujus laboris*, qui in auſcultatione verbi divini impenditur. Quid enim ſanctius eſſe poteſt, quàm audire loquentem ſecum Deum? ideò Chriſtus ipſe laborem

Ll 3 hunc

hunc vocavit optimum, solumque necessarium *Luc.* 10, 42. in quæ verba *Ambrosius scribit lib.* 7. *in Luc. studeamus igitur & nos habere, quod nemo nobis possit auferre, non ut perfunctoria, sed diligens audientia deferatur. Solent enim etiam ipsius semina verbi cœlestis auferri, si secus viam sint seminata: agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ: hoc enim majus, hoc perfectius opus, nec ministerij cura à cognitione verbi cœlestis avertat, nec arguas eos, ut otiosos judices, quos videas studere sapientiæ: hanc enim sibi cohabitantem Salomon ille pacificus adscivit.*

*5. à remuneratione.* 5. *Remuneratio* quoque hujus laboris non est exigua. Nemo enim existimet, auditum verbi divini in publico, rei suæ domesticæ quidquam adferre detrimenti. Populus Dei olim ter in anno apparere jubebatur in conspectu Dei, in loco, quem elegerat, interim verò Deus erat custos domuum & totius terræ: *nullus insidiabitur terræ tuæ*, inquit, *adscendente te, & apparente in conspectu Dei ter in anno* Exod. 34, 24. ita & hodie non saltem domos nostras custodit ab incendio & irruptione hostium, sed & benedictione sua eas implet, audientibus nobis verbum ejus. Generalis enim est promissio Dei. *Exod.* 20, 24. *in omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.*

*6. à pœna contemtorum.* 6. E contra non relinquit Deus *impunitos contemtores* verbi sui: hos enim negat *gustaturos cœnam suam*, *Luc.* 14, 24. ob contemtum illum minatur defectum doctorum. *Esa.* 3, 2. & ipsius verbi, *Amos* 8, 11.

7. Moveant præterea nos *exempla sanctorum*, qui semper magni fecerunt conventus publicos, & exercitia verbi divini. *Patriarchæ* ædificarunt aras, ad quas cultus divini causâ convenerunt *Gen.* 12. *v.* 8. 35. *v.* 6. tempore *Mosis* habuerunt tabernaculum *Exod.* 25, 8. in cujus loco exercitia pietatis habuerunt usque ad tempora *Salomonis*, qui in hunc usum templum Hierosolymis extruxit 2. *Sam.* 7, 13. 2. *Paral.* 21, 10. in principio *Novi Testamenti Christiani* primis ducentis annis nulla habebant templa, teste *Polydoro Vergilio lib.* 5. *de rer. invent. cap.* 6. conveniebant tamen in superiori cœnaculo alicujus domus *Actor.* 1, 13. & 20, 8. Postea cùm numerus cresceret, in cœmiteriis, in quibus Episcopi Synodos congregabant, populum docebant, sacramenta administrabant, *teste Onuphrio lib. de ritu sepeliendi mortuos cap.* 11. *& Eusebio lib.* 9. *hist. eccl. cap.* 2. *& lib.* 7. *cap.* 20. tempore *Constantini Magni* demum in templis suos instituerunt conventus: is enim basilicas extruxit & splendidè exornare cœpit, teste *Sozomeno lib.* 2. *eccl. hist. cap.* 2. Vicissim in hæreticis *Manichæis & Messalianis* observatum & reprehensum fuit ab *Augustino lib.* 20. *cont. Faust. Manich. cap.* 3. & 4. *quòd non in templis, sed suis in ædibus privatis orare voluerint.* *7. Ab exemplis sanctorum.*

His de causis non tantùm in publico libenter convenire, sed & auditum verbi divini nobis quàm commendatissimum habere debemus.

Quid verò faciendum sit, cum inter

inter hoſtes veritatis vivitur, & publici illi conventus orthodoxis interdicuntur, ſuprà diximus *cap.6. caſ.* 8.

## CAPUT II.

Solicita eſt mens pia:

*De auditu ſalutari verbi divini.*

### *Quid faciendum, ut verbum Dei ſalutari cum fructu audiat:*

quod ſecundum eſt, in hoc capite explicatione dignum.

RESP. Sollicitudo hæc non eſt de nihilo. Nam & Diabolus intereſt concionibus ſacris, earumque effectum in auditoribus impedire ſatagit, undè fit, quòd multis verbum prædicatum fit *odor mortis ad mortem 2. Cor. 2. v. 16.* & *Chriſtus* in parabola docet, quòd vix quarta pars auditorum ſemen verbi divini cum fructu recipiat, *Luc. 9.* quam ob cauſam *Chriſtus* hortatur: *videte, quomodo audiatis Luc. 8. v. 18.*

*Diabolus etiam concionibus intereſt.*

Ut ergò verbum Dei cum fructu audiatur, *ante, in & poſt concionem* cor auditoris ritè compoſitum eſſe oportet.

*Ante, in & poſt concionem cor auditoris rectè debet eſſe compoſitum.*

Primum omnium ante concionem neceſſaria eſt recta præparatio. Non enim illotis manibus ad hæc ſacra irruendum eſt.

Ad præparationem pertinent 1. *Preces*, ut Deus in nobis operetur deſiderium verbi, ſeriam attentionem, verum intellectum, cuſtodiam verbi in bono corde: hæc enim omnia Dei ſunt opera, quæ precibus piorum impetrantur, quâ de re *Origenes loquitur homil. 12. in exodum: non ſolùm ſtudium nobis adhibendum eſt ad diſcendas ſacras literas, verùm & ſupplicandum Domino, & noctibus & diebus obſervandum, ut veniat agnus ex tribu Iuda, & ipſe accipiens librum ſignatum dignetur aperire.*

*Ad præparationem pertinent quatuor. 1. Preces.*

2. *Vera animi devotio*, ut ſurſum elevemus corda, non conſiderantes ſaltem perſonam concionatoris, ſed cogitemus in conſpectu Dei nos conſtitutos, audire verba non hominis, ſed ipſius Dei. Ita enim *Petrus Cornelium* ad devotionem exhortatur *Act. 10, 33. nunc ergò omnes nos coram Deo adſumus, ut audiamus omnia, quæ tibi præcepta ſunt à Deo.* *2. Devotio.*

3. *Animus à curis vacuus:* Qui enim cum fructu audire vult verbum, eum à peregrinis cogitationibus, & ſollicitudine hujus vitæ alienum eſſe oportet. Nam ut Abbas *Neſtoros* apud *Caſſianum* dicit *collat. 14. c. 9. ſi ſcientiæ ſpirituali ſacrum in corde veſtro vultis tabernaculum præparare, ab omnium vos vitiorum contagione expurgate, & curis præſentis ſeculi exuite, impoſſibile namque eſt, animam, quæ mundanis vel tenuiter diſtentionibus occupatur, donum ſcientiæ promereri, vel generationem ſpiritualem ſenſuum aut tenacem ſacrarum literarum fieri:* *3. Animus liber à curis.*

4. *Impedimentorum*, quæ fructum verbi impedire poſſunt, *remotio*, qualia ſunt 1. *præſumtio*, cum quis ſibi perſuadet, ſe informatione doctorum ſuorum non opus habere, ſe ſapientiorem *4. Impedimentorum remotio.*

tiorem illis esse, seque ipsos erudire posse, quibus cogitationibus opponendum est illud Apostoli *Iacobi cap.* 1, 19. *sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum* (2.) prava affectio erga doctores: nunquam enim proficiet ex concione, qui concionatorem non amat. Quò pertinet illud *Augustini ad Honoratum de utilit. credendi cap.* 6. *agendum tecum priùs est, ut autores ipsos non oderis, deinde ut ames.* 3. *pruritus aurium*, quem *Paulus* reprehendit 1. *Tim.* 4, 3. ne *quis placentia saltem, aut nova audire desideret, sed institutioni & correctioni Spiritus Sancti totum se submittat*: hoc est circumcisis auribus audire verbum, illudque cum lenitate recipere, quorum illud Dominus, *Ierem.* 4, 4. hoc verò *Iacobus cap.* 1, 21. præcipit. Hæc est præclara præparatio ad auditum verbi, quæ cor hominis tanquam agrum bonum subigit, ut semen verbi divini libenter recipiat, & cum fructu retineat.

*In concione necessaria est recta cordis dispositio.*

Deinde in audiendo, seu in ipsa concione necessaria est recta cordis dispositio.

*Ad hanc requiritur 1. ut cor sit discretum.*

Ad hanc requiritur I. ut cor sit discretum, h. e. ut cum judicio audiatur verbum.

Judicium hoc vel circa ipsum concionatorem, vel circa verbum versatur.

In concionatore multæ sunt imperfectiones, imbecillitates & defectus, tam in moribus, quàm in gestibus & donis externis. Hi patienter sunt ferendi, & non tam quis dicat, quàm quid dicatur, attendendum. Etsi enim fieri solet, ut, juxta *Gregorij* verbum *homil.* 12. *in evangel. cujus vita despicitur, ejus etiam prædicatio condemnatur*: non tamen dependet efficacia verbi à vita docentis: sed Spiritus S. etiam per putidos canales sua ad nos dona, demittit, sicut & per Judam docuit.

Dona quoque doctorum ita sunt attendenda, ne iis, qui minora habent, minus etiam fidei habeamus: *virtus enim Dei sæpe in infirmitate perficitur* 2. *Corinth.* 12, 9. *divisiones donorum sunt, unus autem Spiritus* 1. *Corinth.* 12, 4. *ideò Paulus Corinthios* reprehendit, quòd ob donorum diversitatem schismata inter doctores suos fecerint, ita ut hic à *Petro*, iste ab *Apollo*, ille à *Paulo* cognominaretur. *Quid est Apollo*, inquit, *quid est Paulus? ministri sunt ejus, cui creditis, sicut unicuique dedit Deus* 1. *Cor.* 3, 4. *non potest homo sibi sumere aliquid, nisi datum ei sit cælitus*: cui ergò Deus tantas donorum divitias elargitus non est, quantas in aliis videmus, ab ejus doctrinâ propterea non abhorreamus, sed cogitemus, in domo magnâ esse non tantùm *vasa aurea & argentea sed & lignea & fictilia* 2. *Timoth.* 2, 20. Locum ergo hic habeat illud *Christi: nolite judicare secundum faciem, sed rectum judicium judicate Ioh* 7, 24.

De verbo quoq; doctoris judicare licet auditori, juxta illud Apostoli: *vos ipsi judicate, quæ dico* 1. *Cor.* 10, 5. & *D. Ioh.* vult, ne cuilibet spiritui credant,

dant, sed *probent spiritus, num ex Deo sint* 1. *Ioh.* 4, 1.

*Quomodo judicium de verbo docti sit instituendū?* Hoc autem judicium ut rectè instituatur, (1.) fundamenti loco ponat Dei verbum, ad quod tanquam lydium lapidem verba dicentis conferantur, quemadmodum *Berhoenses* fecerunt *Actor.* 17, 10. ideò præcepit Dominus populo, ut legem ex ore sacerdotis acciperet *Mal.* 2, 7. ad legem ergò, hoc est, ad verbum Dei verba concionatoris sunt examinanda.

2. Non fluat ex carnali affectu, sed in timore Domini instituatur studio veritatis & desiderio discendi; nam spirituales sunt, qui omnia dijudicant 1. *Corinth.* 2, 15.

3. Rectam faciat eorum quæ dicuntur, applicationem, seligendo videlicet ea, quæ sibi quilibet maximè necessaria esse novit. *Secum enim agi*, omnis auditor judicare debet: si ad alios saltem ea quæ dicuntur, pertinere putat, frustra audiet, & sine judicio.

*II. ne sit laxum, quale sit* II. Ad dispositionem cordis in audiendo requiritur, ne nimis sit laxum, in quo, quod auditur, citò diffluat, quale cor confertur à *Christo agro juxta viam jacenti, in quo semen verbi divini vel pedibus conculcatur, vel à diabolo antequam radices agat, aufertur.*

*dubitantium,* Tale cor est (1.) *dubitantium*, qui quovis vento doctrinæ feruntur, omnia quæ audiunt, in dubium vocant, nuspiam tutò consistunt, & hac ratione semper discentes nunquam ad agnitionem veritatis perveniunt. 2. *Tim.* 3. Fiunt enim tandem empectæ, qui nullam religionem seriò curant, doctrinam sanam pro ludibrio habent, tantum abest, ut in succum & sanguinem eam convertant: qualis fuit *Festus*, qui *Paulum* de conversione suâ, de passione & resurrectione Christi, de vocatione gentium ad ecclesiam disserentem insanire putabat *Act.* 26, 24. His inculcandum est illud *Apostoli: non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ Eph.* 4, 14.

(2.) *In peccatis sordescentium*, qui jam longo usu habitum peccati attraxerunt. Quidquid his dicas, surdis auribus dicis: exhorrescunt quidem, cum de pœnis peccatorum, & exemplis eorum, qui eas jam luerunt, audiunt, sed citò transit metus iræ divinæ, quia servilis est, vix terga vertentes doctori, ad antiquum redeunt genium: qualis fuit *Felix*, qui cum *Drusillâ* uxore *Paulum* audiebat dicentem de fide in Christum, de justitiâ, de castitate, de judicio futuro, tremefactus respondit: *vade, tempore opportuno te accersam. Act.* 24, 25. Similes hi sunt ægrotis, qui à medico secti aufugiunt, antequam ligentur. Hi continuis acclamationibus è somno peccatorum exsuscitandi sunt, & frequenter eis ira Dei ob oculos ponenda, & quanto cum periculo peccatis assuescant, crebrò inculcandum, juxta monitum *Pauli* 2. *Tim.* 4, 2. *prædica verbum, insta, opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ & doctrinâ.* *in peccatis sordescentium,*

3. *Lascivientium*, qui non attendunt, *Lascivientium,*



Digitized by Google

dunt, quid dicat concionator, sed quàm pomposè verbis & gestibus res suas proponat: hi corticem concionum lambunt, ad nucleum vix pertingunt: quales erant illi, qui apud *Esaiam* dicebant: *loquimini nobis placentia Esa. 30. vers.* 10. His opponenda est consuetudo Apostoli *Pauli*, de quâ ipse scribit 1. *Corinth.* 2. *vers.* 3. sermo *meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis:* in memoriam etiam revocandum ipsis est illud alterum 1. *Corinth.* 4. *vers.* 20. *non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.*

*Oscitantiū.* 4. *Oscitantium*, qui cum tædio verbum audiunt, aut etiam omninò inter docendum oculos claudunt, hi clausis simul auribus & cordibus assident, nihil percipientes de iis, quæ dicuntur, quia & trita & obsoleta ipsis videntur. *Demosthenes* objurgabat populum *Atheniensem*, qui ipsum de asini umbrâ dicentem attentè audire volebat, de salute Græciæ verò disserentem audire nolebat. Multò magis hoc reprehendendum est in Christianis, qui ad audiendum verbum, non in theatrum aliquod tanquam ad audiendam comœdiam veniunt, sed in domo DEI & conspectu sanctorum angelorum assident de salute animæ suæ erudiendi.

Hi ergò è somno suæ negligentiæ excitandi sunt, illo Christi: *qui habet aures ad audiendum, audiat Luc.* 8, 8. & Apostoli *Pauli Ephes.* 5, 14. *surge, qui dormis, & illuminabit te Christus.*

III. Cor auditoris non sit *nimis durum*, in quo audita radicare non possint: quale cor Christus confert agro petroso, in quo semen verbi divini in superficie hæret, *enatum exarescit, quia non habet humorem Luc.* 8, 7. *II. Non sit durum.*

Tale cor est (1.) temporariorum, qui verbum auditum cum gaudio quidem excipiunt, sed ad tempus duntaxat, donec videlicet rebus secundis affluunt, cùm autem æstus persecutionis & periculorum ingruit, exarescunt, doctrinam semel receptam non profitentur ampliùs, quia periculum metuunt. Ideò dicuntur πρόσκαιροι, quia tempori inserviunt, & facili de causâ religionem mutant. Tales erant *Capernaitæ*, qui quærebant Christum, eò quòd miraculosè ab ipso saturati erant, sed paulò post conciones ejus deserebant *Iohan.* 6, 16. 66. & *Hierosolymitani* nonnulli, de quibus *Iohan.* etiam, 12, 42. legitur: *multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, ne è Synagogis ejicerentur, Galatæ*, de quibus *Paulus* testatur, *quòd si fieri posset, oculos suos eruissent & dedissent ipsi Gal.* 4, 15. & tamen de ipsis conqueritur, *quod ab aliis fascinati non obedierint veritati cap.* 3, 1. His inculcandum est illud Apostoli, *quòd nobis datum sit à Christo non tantùm, ut credamus, sed etiam, ut patiamur pro illo Philip.* 1, 29. & quòd illi demum facti sint Christi participes, qui *initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retinuerint Hebr.* 10, 14. *quale est temporariorum.*

2. Indu-

Digitized by Google

*Induratorum,*

2. Induratorum, qui in peccatis obdurtuerunt, nec propositum emendandi vitam habent. Quicquid his dixeris de cœlo vel inferno, surdo narras fabulam. Quemadmodum ergò pluvia incidens in petram, quadantenus eam humectat, sed quia non penetrat irrigare non potest, ita hi, qualitercunque afficiuntur concionibus pœnitentialibus, sed non pertingunt ad cor, quod occupat diabolus, qui excæcat mentes infidelium, *ut non fulgeat eis illuminatio evangelii gloriæ Christi. 2. Corinth. 4, 5.* Tales erant auditores *Ieremiæ*, de quibus conqueritur *cap.* 5, 3. *non doluerunt, contrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, induraverunt reverti; & cap. 6, 10. cui loquar? & quem contestabor, ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt, verbum DEI factum eis est opprobrium, & non suscipiunt illud.* Sic de suis auditoribus conqueritur *Zacharias cap. 2, 11. noluerunt attendere & avertereunt scapulam recedentes & aures suas aggravaverunt, ne audirent.* Tales etiam erant auditores *Stephani, qui dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum Actor. 7, 54.*

*Requisita induratorum.*

Requisita induratorum, ex quibus agnoscuntur, hæc sunt: 1. πώρωσις, quando nullo amplius sensu comminationum divinarum ducuntur *Iohan. 12, 40. Ephes. 4, 18.* 2. ἀπηλγηκία, cum nullum amplius dolorem vulneratæ conscientiæ sentiunt, unde indurati vocantur ἀπηλγηκότες *Ephes. 4, 19.* 3. πνεῦμα κατανύξεως *Roman. 11, 8.* quem *Esaias spiritum soporis nominat Esa. 29, vers. 19.* quo non tantùm judicium conscientiæ repellitur, ac petulanter prosternitur, sed & homo partim odio erga benè monentes exardescit, partim etiam conflictus cogitationum patitur mutuò se accusantium & defendentium. 4. sunt indurati διεφθαρμένοι τὸν νοῦν 1. *Timoth. 6, 5.* 2. *Timoth.* 3, 8. hoc est, justo DEI judicio omni facultate judicandi destituti, ut quid ex usu suo sit dijudicare non possint. *Paulus* vocat malos homines, & *seductores, qui proficiunt in pejus, errantes, & alios in errorem seducentes. 2. Timoth. 3, v. 13.* 5. accedit denique contradictio & blasphemia eorum, quæ dicuntur, quæ indurati non tantùm cum mansuetudine non recipiunt, sed contemnunt, nec contemnunt saltem, sed & blasphemo ore obloquuntur, quasi non sint vera, quo pacto *Pharisæi* obloquebantur Christo: *tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum Iohann. 8. versic. 13.* & indurati quidam *Iudæi* in Synagogâ *Ephesinâ* maledicebant viam Domini coram multitudine *Actor. 19. versicul. 9.* alii in *Synagogâ Antiochenâ* contradicebant *Paulo*, & blasphemabant *Actor. 13. versic. 45.* His induratis seriò inculcandum est illud *Apostoli: tu secundum duritiem tuam & impœnitens cor, thesaurisas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, Roman. 2. v. 5.*

Mm 2

2. v. 5. Cogitent etiam, quod verbum Dei sit *efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, &c. Hebr.* 4, 12. proinde mirum non est, si scindat cor, & vulneret peccatores non sine dolore, sed cum magno ipsorum fructu, si gladium hunc patienter admittant.

*IV. non sit spinosum.*

IV. Cor auditoris *non sit nimis spinosum*, in quo verbum auditum suffocatur antequam vel radices agat, vel fructum ferat; quale cor Christus confert agro spinis & sentibus obsito *Luc.* 8, *v.* 7.

*ut est curiosorum.*

Tale cor est (1) *curiosorum*, qui sollicitudinibus hujus seculi nimium sunt implicati, attenti saltem ad rem, & circa carnalia occupati, unde nec de rebus animæ seriò sunt solliciti, nec inter concionandum à curis domesticis alieni esse possunt. Nam, ut *Augustinus* loquitur: *amor rerum terrenarum est viscus spiritualium pennarum, detrahitur cor & quasi agglutinatur ad terrena, ut serio studio ad superna & cœlestia elevari nequeat. serm.* 33. *in Lucam.* Tale cor fuit divitis illius *Luc.* 12. *v.* 19. qui dicebat animæ suæ: *habes bona multa in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Sed dixit ei Deus: stulte, hac nocte tollitur anima tua, & quæ parasti, cujus erunt?* Opponantur autem inanibus curis verba *Christi: quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & cætera adjicientur vobis Matth.* 6. *v.* 33. & *Pauli: Dominus prope est, nihil solliciti sitis Phil.* 4. *vers.* 5. cogitemus Deum patrem in cœlis curam nostrûm omnium habere, qui scit, quibus indigeamus: huic *committamus vias nostras, ipse faciet Ps.* 37. *v.* 55.

*avarorum.*

(2.) Avarorum, qui tantùm divitiis hujus seculi inhiant, & nunquam exsatiari queunt, de quibus *Paulus* scribit, quòd incidant in tentationem & laqueum Diaboli; & desideria multa inutilia & noxia, quæ *mergunt hominem in interitum & perditionem* 1. *Timoth.* 6, 9. Hi terrena sapiunt, *Deus ipsorum venter est, & finis interitus Philip.* 3, 19. Nam ob divitias accumulandas spernunt cœnam magnam *Luc.* 14, 18. regiasque nuptias *Matth.* 22, 5. quales erant Pharisæi, qui audientes parabolam Christi de iniquo dispensatore, irridebant eum, erant enim avari *Luc.* 16, 14. sed huic malo medetur admonitio *Christi: cavete ab omni avaritiâ, quia non in abundantiâ cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet Luc.* 12, 15. ut & recordatio instabilitatis omnium temporalium, quæ tandem deserenda sunt, nec quenquam juvare possunt in die iræ *Soph.* 1, 18. *Ezech.* 7, 19. Proinde tutum hac in parte est sequi consilium *Davidis: si divitiæ vobis affluant, nolite cor apponere Psal.* 62, 11.

*Voluptuosorum.*

3. *Voluptuosorum*, qui desideriis, carnis præoccupati sunt, in quorum complemento summum bonum collocant. Ideò mirum non est, quòd verbum absq; fructu audiunt. Nam cor ipsorum nimis molle, quin & plenum rimarum est, hac & illac perfluit. Voluptates carnis cor implicant & deprimunt pias cogitationes

nes in illo, ut nihil jucundius aut optabilius esse putent, quàm genio indulgere, & carnis libidinem explere: unde fit, quòd rectè monentes non audiunt, salutaria præcepta contemnunt, & disciplinam omnem respuunt, quale cor fuit empectarum illorum, qui conciones de adventu Christi ad judicium adspernabantur 2. Petr. 3, 4. qui resurrectionem mortuorum non credebant dicentes: *edamus, bibamus, cras enim moriemur* 1. Corinth. 15, 32. Esa. 22, 13. qui monita seniorum petulanter contemnunt *Sapient.* 2, 12. quo in capite petulantia istorum hominum prolixè describitur.

[*Cicero 5. Tuscul. quæst. hoc Epitaphium tribuit Sardanapalo:*

*Hæc habui quæ edi, quæq; exaturata libido*

*Hausit, at illa jacent multa & præclara relicta.*

*Clemens l. 2. strom. sic reddidit:*

Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος

Τέρπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται

καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.]

Hæ sordes ex animis auditorum expurgandæ sunt seriâ consideratione judicii divini, quod tangit impuros: quam ob causam Christus adhortatur: *attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate Luc. 21. vers. 34. & Petrus: abstinete à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* 1. Pet. 2. v. 11. *& Iohannes: nolite diligere mundum, nec, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo* 1. Ioh. 2. v. 16.

Hæc omnia pertinent ad veram animi dispositionem in auscultatione verbi. Quemadmodum enim semen nullum tam bonæ est naturæ, quin degeneret, si in agrum non ritè dispositum cadat: ita & semen illud verbi divini naturâ suâ incorruptibile, nihilominus corrumpitur, & efficaciam suam amittit, si cor auditoribus ritè dispositum non fuerit.

*Post concionem requiritur verbi divini custodia.*

Jam tertium sequitur, quod ad salutarem verbi divini auditum necessariò requiritur. Hoc post concionem concernit *verbi divini custodiam: beati enim illi, qui verbum audiunt & custodiunt Luc.* 11, 28. & apud hos verbum auditum in bonam cecidit terram, qui in *corde bono audientes verbum suscipiunt, retinent, & fructum ferunt in patientiâ, Marc.* 4, 20. *Luc.* 8, 15.

*Quatuor officia auditorum post concionem.*

*1. cor habere bonum.*

Quatuor hic nobis monstrantur auditorum officia post auditum verbi necessaria: 1. *cor habere bonum*, hoc est, affectibus pravis defecatum, ad Deum elevatum, & erga doctorem verbi benè affectum; quod amore in Deum, qui verbo suo ipsum pavit, & erga ministros verbi tanquam Dei συνεργὺς totum inardescat, officiumque institutionis pro summo beneficio habeat cum proposito in

 vita

Digitized by Google

vita sua exprimendi ea, quæ in concione audivit: non enim auditores saltem, sed & factores verbis requiruntur *Iac. 1. vers. 2.* Quòd cum in viribus nostris non sit, accedat serium votum ad Deum, ut ipse verbum in cordibus nostris obsignet, & nobis animum addat, juxta illud vitam nostram instituendi.

*2. verbum suscipere & recondere.*

2. *Verbum auditum suscipere, & quasi thesaurum in corde recondere:* quo pacto David verbum suscepit, cùm in *Psalm. 119.* scribit, se non tantùm amare illud *super aurum & argentum, sed & in corde suo abscondere, ne peccet v. 11.* De *Berhoensibus* etiam refertur, quòd susceperint verbum *aviditate Actor. 17. versic. 11.* & *Thessalonicenses* verbum auditum acceperunt, non ut verbum hominum, sed sicut est verè, *verbum* DEI, *1. Thessal. 2. vers. 13.* *Iacobus* quoque nos hortatur, ut suscipiamus *cum mansuetudine* verbum insitum, *quod salvare potest animas nostras Iac. 1. versic. 21.* Benè agitur cum iis, qui hoc faciunt: hi enim CHRISTUM ipsum suscipiunt: *qui verò me recipit*, inquit ipse, *non me recipit, sed eum, qui misit me Iohan. 13, 20.* quin & tota SS. Trinitas habitat in eo; sicut Dominus testatur *Iohan. 14. versic. 23.* suscipitur autem verbum, cum non tantum fides habetur dictis, sed & specialis dictorum fit applicatio, prout usus noster postulat, si tristes aut tentati simus, verbum solatii nobis applicemus: si vitii alicujus rei, correptiones nobis dictas putemus & sic consequenter, ita demum verbum in cordibus nostris verè radicare potest. Ideo *Hebr. 4. v. 2.* scribitur, verbum eis non profuisse, qui inter audiendum fidem admixtam non habuerunt.

3. *Verbum susceptum retinere*, ne citò per aures diffluat, sed in corde radices agat, donec tempus fructificandi veniat. Latet enim interdum verbum in corde, ut semen in agro, & non statim efficacia eius sese exerit, eandem prodit sanctus oportuno tempore. Quam ad rem utile est, ut verbum auditum ruminemus, animalia enim ruminantia tùm hominibus in escam, tùm Deo in sacrificium inserviebant *Levit. 11. versic. 3.* Quæ ruminatio fit diligenti meditatione eorum, quæ audivimus, hoc enim est *meditari in lege domini die ac nocte*, quod de piis *Psalm. 1.* dicitur: deinde serio etiam examine vitæ nostræ, an cum iis, quæ audivimus, conveniat, & si defectus aliquis appareat, ut maturè de emendatione cogitemus. ita David fecit *Psal. 119. vers. 59. reputavi vias meas, & converti pedes meos, ad testimonia tua.* His demum fit verbum auditum *odor vitæ ad vitam 2. Cor. 2. vers. 16. ut gustare possint, & videre, quàm suavis sit Dominus timentibus eum. Psal. 34. v. 3.* *3. verbum susceptum retinere.*

4. *Verbum retentum fructificare debet*, non torpescere in cordibus auditorum, sed succrescere, & per fructus fidei, quâ receptum fuit, se exerere. Ideò non auditores duntaxat, *4. fructificare &c.*



Digitized by Google

xat, *sed & factores verbi esse* jubemur *Jac.* 1 *v.* 22. Huc pertinet obedientia piorum, qui in omnibus placere student DEO, quorum lux *lucet coram hominibus, ut videant homines bona ipsorum opera Matth.* 5, 17. qui juxta admonitionem *D. Petri* omnem dant operam, *ut fide suâ ministrent virtutem, in virtute scientiam, in scientiâ abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientiâ pietatem, in pietate timorem fraternitatis, in timore caritatem 2. Petr. 1. vers.* 5. 6. Fructificatio hæc fieri debet in patientiâ: nam qui voluntatem Domini faciunt, non semper rebus fruuntur secundis, sed *judicium incipit à domo Domini* 1. *Petr.* 4. *versic.* 17. Hic ergo patientiâ opus est, ut facientes voluntatem DEI reportemus promissionem *Hebr.* 10. *versicul.* 36. *diligentibus enim DEUM omnia tandem in bonum cooperantur, Rom.* 8. *v.* 28.

Hæc sunt illa tria hominis pii requisita, ante, in, & post concionem, quæ ubi reperiuntur ibi verbum fructu suo non caret, sed fit verbum vitæ, reficiens animam, conservans hominem in ipsa morte ad vitam æternam, sicut Salvator dicit *Iohan.* 8. *versic.* 51. *amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum servabit, mortem non videbit in æternum.*

* * *

## CASUS III.

### *Quid faciendum, si quis desiderium habet audiendi verbum, ipsum autem verbum habere non potest; interim tamen angitur in corde suo illo Pauli Rom. 10. vers. 17. fides est ex auditu?*

RESP. Desiderium hoc duorum esse potest generum. Vel enim est *pœna praecedentis contemtus verbi,* cui Deus interminatus est, se missurum famem in terris, *non famem panis sed audiendi verbum Dei, ut commoveantur à mari ad mare, & ab aquilone usque ad orientem, circuibunt quærentes verbum Dei & non invenient Amos* 8. *v.* 11, 12. Et fieri plerumque solet, ut qui verbi divini tædium senserunt, cum illud adhuc opulenter inter ipsos habitaret, postea, cùm amissum est, cum desiderio, illud quærant: in quibus haud abs re illi excitantur stimuli de fide ex auditu, quibus cor ipsorum lancinatur. *Desiderii duplicis est generis.*

His ergò feriâ pœnitentiâ opus est, ut agnoscant, se magno suo merito illo privatos esse thesauro.

Quòd si desiderium ipsorum serium est, lectione & meditatione privata illud explere possunt, donec DEUS pœnitentia & suspiriis ipsorum motus, radios verbi sui per

per ministerium publicum ad ipsos denuò demittat.

Interdum desiderium illud causatur *externus aliquis casus, præter hominis culpam*, qui semper sedulus auditor verbi fuit, sed vel diuturno morbo vel exilio, vel carcere, vel per violentiam hostium, qui puriores evangelii Doctores expulerunt, publico verbi divini præconio interesse non potest. In eo ipsum desiderium audiendi verbum, pars cultus divini est, per illud enim se animo conjungit cum cœtibus fidelium, qui absque impedimento verbum audire possunt: quemadmodum *David* fecit *Psalm.* 42. *vers.* 1. *quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus &c. effudi in me animam meam, quoniam transire cupio in locum tabernaculi admirabilis,&c.*

Interim contentos eos esse oportet privatis exercitiis pietatis, lectione & meditatione verbi, quæ & ipsa in isto casu loco præconii est. Potest enim evangelium etiam prædicari, etiamsi legatur saltem, & non accedat interpretatio, quemadmodum *Moses* in Synagogis prædicari dicitur, cum legeretur singulis sabbatis *Act.* 15, 21. Ideò *Chrysostom. homil.* 9. *in epist. ad Coloss.* laicos hortatur: *comparate vobis Biblia, animæ pharmaca,&c.*

Non est autem, ut quis per locum *Rom.* 10. sibi scrupulum faciat. Sunt interpretationes quædam, quæ scrupulum istum impediunt.

*Variæ explicationes dicti ex Rom.* 10.

*Clemens Alexandrinus libr.* 2. *ςρωματ.* auditum menti tribuit ex sententiâ *Epicharmi*: *mens videt, mens audit, cætera surda & cœca sunt.* Juxta hanc interpretationem sensus dicti Paulini esset: ex seriâ meditatione verbi divini est fides. Ita quidem res salva esset, & nullus scrupulo locus: sed præcedentia testantur, Apostolum loqui de auditu aurium, seu de ipsâ audiendi actione, quemadmodum *Lydiæ*, dum verbum auribus percepit, *Dominus cor aperuit, ut intenderet his, quæ dicerentur à Paulo* *Act.* 16, 14.

Svvenckfeldius verba *Pauli* de auditu interno accipit, qui immediatè est à Spiritu S. quæ interpretatio quidem scrupulum tolleret, sed non est consentanea textui: Etsi enim concedimus, ad fidem requiri internũ illum auditum, qui est à Spiritu S. & in assensu verbi divini consistit: S. S. tamen non operatur immediatè extra externum illum qui fit auribus, sed per eum, quia ita cohærent ejus verba: *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodò credent, de quo non audiverunt? quomodo audient sine prædicante? quomodò prædicabunt, nisi mittantur? sed non omnes obediunt evangelio, Esaias enim dicit, Domine, quis credit auditui nostro? ergo fides ex auditu est, auditus per verbum Dei.* Ubi ordo ostenditur: quomodò Deus hominum salutem promoveat, nimirum per ministerium verbi, quod inter nos prædicatur & à nobis auditur. Quemadmodum ergò in verbis *Esaiæ* auditus pro prædicatione Evangelii ponitur

tur, ita & cùm fides ex auditu esse dicitur, auditus de prædicatione illa, quæ auribus percipitur, accipienda est, sicut etiam *Gal.3,2. ex auditu fidei dicitur esse Spiritus Sanctus*, hoc est, per prædicationem Evangelii rectè auditam & expensam Spiritus Sanctus operatur fidem.

*Vera interpretatio.* Cùm ergò per falsam interpretationem scrupulus non eximatur, sciendum est, quòd *Paulus* quidem agat de externo auditu verbi prædicati, quod est ordinarium organum comparandæ fidei: sed casus necessitatis semper est exemtus. Nam & surdi audire non possunt verbum, nec tamen omnibus negari potest fides: in his enim DEUS alio modo operatur, per lectionem nimirum & meditationẽ verbi: habet enim animus quoq; aures suas. Ita multò magis ii qui legere & meditari possunt verbum, & de eo cum aliis conferre, tempore morbi, periculi & persecutionum his ipsis mediis fidem consequi, augere & conservare possunt.

*Externus auditus nõ est perpetuum & absolutè necessarium medium fidei consequendæ.* Neque enim externus auditus perpetuum & absolutè necessarium medium est fidei consequendæ. aliàs auditores verbi omnes fidem haberent. Imò in periculis & defectu publici ministerii exercitia verbi & puriora sunt & magis ardua, quàm extra periculum, ubi opulentia verbi apud multos securitatem parit, quâ fides amittitur: unde colligitur, externum illum verbi auditum absolutè necessarium ad fidem non esse.

## CASUS IV.

### *Quid si verò etiam lectio scripturæ prohiberetur, quænam ibi supersunt adminicula fidei?*

RESP. Usitata hæc est praxis in *Papatu*, sicuti orthodoxos pastores expulerunt, codicem quoque Biblicum simplicioribus è manib⁹ extorquent, quos legẽdarum fimo potiùs quàm sacrarum literarum alimento pascere volunt. Ita enim habet *censura Coloniensis in artic. 1. fol. 21. qui salvam volũt esse religionem, omnino debent laicis interdicere in universum lectione sacrarum literarum. Censura quoque facult. Theol. Parisiensis contra Erasmum tit. 12. consultius esse putat, laicos breviarium in manus sumere, quam sacras literas rimari, Bellarminus scribit lib. 2. de verbo Dei cap. 15. lectionem librorum prohibitorum* (inter quos etiam sunt sacra Biblia in linguâ vernaculâ) *concedi iis, qui utiliter & cum fructu eâ uti possunt, scilicet iis, qui facultatem habent ab ordinario, prohibetur tamen, ut passim omnibus sine discrimine concedatur.* *De prohibitione lectionis scripturæ.*

In hoc rerum statu non sunt expectandi raptus arcani, aut revelationes extra verbum: sed 1. hic demum usum suum habet illa *verbi antea auditi ruminatio* & meditatio, de quâ suprà dixi. Tunc enim omnium maximè in piis sese exserit *Hoc in casu prodest 1. verbi antea auditi ruminatio.*

illud Spiritus Sancti officium, quod in suggerendo consistit, de quo Christus *Iohan.* 14, 26. *paracletus suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis*; tunc semen illud, quod hactenus in corde bono adhuc quasi emortuum latuit, fructificare incipit. Per verbum ergò antea auditum operatur Spiritus Sanctus fidem & consolationem in iis, qui diligenter audita secum ruminant & meditantur: quod ægroti & captivi multi experiuntur: quæ res nos movere debet ad auditum verbi non superficialem, sed serium & attentum, dum adhuc audire tutò possumus.

*2. Cũ aliis piis crebra collatio.* Accedant *sacra colloquia cum aliis piis* & DEUM timentibus, verbumque ejus amantibus, per quorum ministerium isto in casu maximè efficax est Spiritus Sanctus, cujus rei illustre habemus exemplum *Actor.* 18, 24. seqq. ubi *Apollos* quidam vir eloquens & potens in scripturis, fiducialiter quidem de *Messiâ* disserebat in *synagogâ*, sed per colloquiũ *Aquilæ & Priscillæ* diligentius in istâ doctrinâ de *Messiâ* informabatur. Sic *Timotheus* ex assiduâ conversatione cum matre & aviâ suâ, à pueris rectè institutus fuit in sacris literis, 2. *Tim.* 1, 5: 3, 14, 15. Huic meditationi & collationi de verbo Dei tribuit *David in Psalmo* 1. radicationem & incrementum in fide, cum fructu bonorum operum, quotidie exindè resultante.

*3. Baptismi jucundissima recordatio.* 3. Qui lectione & auditu verbi puro spoliantur, sæpius *recordentur baptismi sui*, in quo fide donati sunt. Is enim est *stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo* 1. *Pet.* 3, 21. & quod Deus ibi nobis promisit, non retractabit: fidelis enim Deus est, seipsum non abnegat. Et hîc succurrat seria Dei voluntas, de salute nostrâ, gratuita Filii donatio, seria ad ecclesiam vocatio: quorum beneficiorum usu fruuntur adhuc, qui hominum tyrannide præter suum meritum exercitio verbi privantur, Qui ergò desiderat verbum, licet habere non possit, non dubitet, quin gratiam sibi in baptismo collatam Deus in ipso obsignaturus sit, mediante piâ aliorum informatione, quamdiu ipse non resistit.

*4. Precum continuatio.* 4. Multùm hac in re possunt piæ preces, ut Dominus augeat nobis fidem, & bonum quod in nobis opus cœpit, perficiat: quod DEUS ipse præstare novit, & præstabit, licet ordinario illo medio, quo alii tranquilli utuntur, nos per injuriam hostium defraudemur; *quicquid enim petierimus secundum voluntatem ejus, dabit nobis.* 1. *Iohan.* 3. 14. 15.

*5. Aliorum locorum visitatio.* 5. Si mens pia exercitio verbi privata nondum adquiescere potest, det operam, ut interdum aliò excurrat, ut verbo Dei pascatur, quemadmodum populus Judaicus, relictis Pharisæis ordinariis suis doctoribus, *Christum* etiam in desertum usque sequebatur: & *Naaman ex Syria* proficiscebatur ad *Elisæum* in Judæam, à quo & corporali & spirituali leprâ liberabatur 2. *Reg.* 5.

*& En-*

*& Eunuchus* reginæ *Candaces* ex *Æthiopiâ* proficiſcitur *Hieroſolymã* divini cultus gratiâ *Actor*, 8. quod ſi neque hoc per tyrannorum violentiam tutò licet, tunc etiam relictis omnibus, & cum aliquâ etiam rei familiaris jacturâ domicilium mutetur. *Melius enim eſt abjectum eſſe in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum Pſal.*84. *v.*11. Meliùs etiam eſt privari bonis fortunæ, quam theſauro animæ, præſertim cum jacturæ illi luculenta facta ſit retributionis promiſſio *Matth.* 19. *v.*29.

## CASUS V.

*Status cõtroverſia explicatur & rectè formatur.*

### *Num quis auditorum, deſerto ſuo ordinario paſtore, apud alium animæ ſuæ curam quærere poteſt?*

RESP. Non hîc agitur de iis, qui *peregrinantur*, ut aliàs negotii ſui causâ apud exteros verſantur, ubi ordinarii ſui paſtoris copiam habere non poſſunt. Hi non peccant, ſi apud exteros quoque verbum audiant, cœnâ Domini utantur, & ſi fortè in morbum aut tentationem aliquam incidant, aliorum quoque orthodoxorum paſtorum conſolatione, abſolutione, & ſimili miniſterio utantur. *Neceſſitas enim non habet legem.* Neque agitur de iis, qui in tali habitant urbe, ubi diverſarum religionum exercitia publica reperiuntur, & fortè à Pontificiâ religione, cui à pueris addicti fuerunt, juſtis de cauſis alieniores facti, ad evangelicum aliquem paſtorem ſe cõferunt, ejuſque miniſterio utuntur. Hi quoque non peccant, *exire n. jubentur è Babylone Apoc.*18. *v.*4. Neque de iis, qui quidẽ orthodoxo fruuntur miniſterio, ſed paſtor ipſos miniſterio ſuo non dignatur, locum inter auditores eis invidet, ad abſolutionem aut uſum ſacramentorum non admittit, abſque juſta cauſa, nullaq; præcedente legitima cognitione. Hi de injuria ſibi facta in conſcientia ſua convicti, non peccant, ſi animæ pabulum, quod invito paſtori ordinario extorquere non poſſunt, alibi quærunt, modò animum ſemper habeant ab odio aut contemtu ordinarii ſui paſtoris alienum.

Agitur autem de iis, qui *vel cum ordinario ſuo paſtore litigant in foro, vel aliquâ de causâ animum erga ipſũ infenſiorem habent: de his quæritur, an bonâ cum conſcientia, miniſterio ejus neglecto, alterius paſtoris operam implorare, hujus duntaxat conciones audire, ab ipſo abſolutionem & Cœnam Dominicam petere poſſint?*

Prætendunt illi quidem majorem devotionem animi ſui, cum peregrinorum paſtorum miniſterio utuntur. Negant ſe paſtoris ſui, cum quo diſſenſiones alunt, operam cum aliquo fructu admittere poſſe: ſed nudi prætextus ſunt.

Nos rationes habemus, non contemnendas, quæ movere ipſos debebant, ut ſepoſitis ſimultatibus,

ordinarii sui pastoris ministerio contenti sint, peregrinis autem se non committant. Primùm requirit hoc scriptura iis in locis, quibus cuilibet episcopo seu pastori certus quidam cœtus committitur, ut cùm *Paulus* jubet *Ephesinos episcopos attendere illi gregi, in quo constituit eos Spiritus S. episcopos, Act. 20. vers.* 28. cùm *Petrus* hortatur presbyteros, ut pascant gregem illum, qui ipsis commissus est 1. *Pet.* 5. *v.* 1. & omninò ratio ministerii ecclesiast ci postulat, ut quilibet pastor non omnium promiscuè hominum curam gerat, sed certum quendam cœtum habeat, cui operam suam navet: eo ipso enim distinguitur ecclesiæ minister ab *Apostolis*, qui totius orbis terrarum doctores erant à Christo constituti. Quam ob causam etiam *Paulus* discipulos suos ablegavit ad certas ecclesias particulares, *Crescentē* in *Galatiam, Titum in Dalmatiam, Tychicum ad Ephesios* 2. *Tim.* 4, 10, 12. Unde rectissimè colligimus, auditores ordinariis suis pastoribus contentos esse oportere, ne eos in crimen ἀλλοτριοεπισκοπῆς conjiciant.

2. *Ratio.* (2.) Habent & auditores præceptum suum, ut obtemperent præpositis non quibusvis, nec proprio judicio sibi electis, sed suis, hoc est, sibi legitimè ab ecclesiâ præfectis, his obediant & sequantur eos, *ut qui vigilant pro animabus ipsorū Heb.* 13. *v.* 17. & quemadmodū *Paulus Philippensibus Epaphroditum*, tanquam ordinarium ipsorum pastorem commendat, & ut ipsum cùm gratia recipiant & in honore habeant, præcipit *Phil.* 2, 29 ita in specie aliis etiam ecclesiis injungit, ut suos honorent pastores, ipsisque obediant, quod certè non fieret, si, neglectis illis, aliorum opera expeteretur.

(3.) Præterea generalis regula est Apostoli Pauli, ut omnia in *ecclesiâ ordine fiant ac decenter* 1. *Cor.* 14. *vers.* 40. magna autem confusio fieret, si quis sæpe levi de causâ mutaret pastorem suum, & alteri cœtui licet in fide æquè orthodoxo, se adjungeret. 3. *Ratio.*

Si hæc fit permutatio propter dona fortè pastorum, quæ apud alios sunt excellentiora, meminisse debebant, quid Apostolus ad *Corinthios* scribat, cùm ob diversitatem donorum in suis ministris schisma facerent, *quidam Apollo, quidam Cephæ, quidam Paulo se adjungentes*, quo nomine ipsos graviter objurgavit: *nūquid divisus est Christus, inquiens, numquid Paulus pro vobis crucifixus est?* 1. *Corinth.* 1. *vers.* 13. & iterum: *quid est Paulus, quid est Apollo? ministri ejus sunt, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. cap.* 3. 4, 5. Si verò permutatio ista fit ex odio aut irâ erga pastorem, cogitent auditores, quanto se peccato contaminent. Cum *omnibus pacem habere debent, si fieri potest, & quantum in ipsis est, Rom.* 12. *vers.* 18. multò magis cum pastoribus suis Quòd si ab illis se ex affectu vitioso separant, peccatum peccato augent: nam animo implacabili erga suum pastorem

rem, animæ curam quærunt apud peregrinum: quod nihil aliud eſt, quàm in peccatis ſervire velle Deo, & contemnere monita ſcripturæ, de reconciliatione cum proximo, antequam ad ſacra accedamus *Matt.* 5,24: 6,14. *Marc.* 11, 26. & de levandis ad Deum *manibus abſque irâ* 1. *Timoth.* 2, 8.

4. *Ratio.* (4.) Præterea multa ex iſtâ permutatione damna fluunt. Suſpectus redditur paſtor, qui deſeritur, quaſi officium ſuum non pro dignitate adminiſtret, quâ tamen in re ipſi injuria fieri poteſt. Scandalum præbetur aliis, qui ad hoc exemplum facile ſuos quoque permutarent paſtores, quâ ratione obſequium miniſterio debitum, cum omni diſciplinâ facilè corrueret. Licentia peccandi introducitur, dum enim auditores ab uno paſtore ad alterum vagantur, nemo accuratam ipſorum curam habet, nemo etiam vitia ipſorum liberè taxare audet, cum ſemper metuendum ſit, ne denuo hoc paſtore deſerto, alium quærant.

5. *Ratio.* (5.) Hoc probè conſiderarunt veteres, ideò patres orthodoxi & in conciliis & in ſcriptis ſuis privatis morem iſtum permutandi paſtores ſeriò improbarunt. In *concilio III. Carthaginenſi*, cui *Auguſtinus* interfuit, *cap.* 20 talis extat canon: *placuit, ut à nullo epiſcopo uſurpentur plebes alienæ, nec aliquis epiſcoporum ſupergrediatur in diœceſi ſuum collegã. Cyprianus lib.* 1. *epiſt.* 6. ſcribit: *ſine ſpe ſunt, & perditionem maximam de indignatione DEI adquirunt, qui ſchiſma faciunt, & relicto epiſcopo, alium ſibi foris pſeudoepiſcopum conſtituunt. Et lib.* 1. *epiſtol.* 3. *ſtatutum eſt omnibus Vobis, & æquum ac pariter juſtum eſt, ut uniuscuiuſque cauſa illic audiatur, ubi admiſſum eſt crimen, & ſingulis paſtoribus portio gregis eſt adſcripta, quã regat unusquisque & gubernet, rationem ſui actus Domino reddat. Oportet eos, quibus præſumus, non circumcurſare, nec epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere, &c: In jure Canonico lib.* 3. *decretal. Gregorÿ tit.* 29. qui eſt de *Paraciis cap. ut Dominicis, ex concilio Nanetenſi ſancitur, ut dominicis*, aut *feſtis diebus presbyteri, antequam miſſam celebrent, plebẽ interrogent, ſi alterius Paracianus ſit in eccleſiâ qui proprio contemto presbyterio ibi velit miſſam audire, quem, ſi invenietur, ſtatim ab eccleſiâ abjiciant. & lib.* 5. *tit.* 38, *qui eſt de pœnitentiis & remiſſis ſancitur cap. omnis, ut quilibet confiteatur proprio ſacerdoti, ſi quis autem alieno ſacerdoti voluerit juſtâ de cauſâ confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet* & obtineat à proprio *ſacerdote, cùm aliter ipſe illum non poſſit abſolvere vel ligare.*

Conſtat ex his omnibus, & ſcripturæ & rationi conſentaneum eſſe, à primitivâ etiam eccleſiâ approbatum, ut quilibet paſtore ſuo ordinario in curâ animæ ſit contentus, alterius autem operâ, non niſi ſummâ urgente neceſſitate, utatur.

## CASUS VI.

*De subditis, doctoribus suis privatis.*

*Quid faciendum subditis, cùm inter hostes veritatis habitant, à quibus fidelissimis animarum suarum pastoribus privantur, nec potestatem alios vocandi habent?*

RESp. Primùm omnium, qui in corde suo convicti sunt, quòd hactenus purum Dei verbum à pastoribus suis acceperint, quòdque doctrina illa, cui addicti sunt indubitatò vera sit, gratias agant DEO pro agnitione veritatis, animumque suum obfirment, ne latum quidem unguem se ab eâ discessuros: *nam qui initium substantiæ usque ad finem vitæ retinent, hi demum Christi verè participes facti sunt Hebr.* 3,6. Proinde non inducant animos, audire falsos doctores, inter quos vivunt, ut oves inter lupos, *nam oves Christi pastoris sui vocem audiunt, & sequuntur, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo Ioh.* 10,5. sic *Naaman Syrus* habitabat in medio populi idololatrici, regem quoq; suum in templum idoli *Rimmon* comitabatur, cùm ratione officii hoc intermittere non posset: in illo verò templo idola gentium non coluit, sed DEUM suum adoravit 2. *Reg.* 5, 18; tempore *Eliæ* erant 7000. patresfamilias, qui genua non flectebant coram Baal, hi non audiebant Baalitas, sed privatim cum suis in doctrinâ illâ, quam ab Eliâ didicerant, perseverabant & se cum suis in eâ exercebant 1. *Reg.* 18. ita qui in *Papatu* vivunt, orthodoxis doctoribus privati, sacris *Romanensium* immiscere se non debent, sed exercitia pietatis cum suis privatim instituere possunt, semper memores illius admonitionis Apostolicæ: *fugite idola* 1. *Iohan.* 5,21. *& nolite jugum ducere cum infidelibus* 2, *Corinth.* 6. *versicul.* 14.

Et quamquam per se non sit prohibitum templa ingredi missatica, non tamen omnibus est utile, quia non omnes ita confirmati sunt in fide suâ, ut absque scandalo sacris illis Papisticis interesse possint: idcircò locum hic habeat illud *Apostoli Pauli* 1. *Cor.* 6,12, 10,23: *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

Si qui verò officii & ministerii sui ratione unâ cum iis, quibus serviunt, interesse coguntur, *Naamanum* imitentur, & animo se ab idololatrico illo cultu sejungant, quâ de re suprà ca. 6. Cas. 6. ex professo egi.

Inprimis autem caveant auditores, ne contra ordinarium magistratum, qui doctores orthodoxos expulit, aliquid externâ vi, aut clandestinis consiliis machinentur, neque etiam verbis & conviciis in ipsum fiant injurii, neque doctores suos armis ex manu persecutorum liberent, hæc enim non sunt legiti-

ma

tima media religionem defendendi, ideò sancti viri suos semper ab illis dehortati sunt.

*Eusebius à Valente Imperatore Ariano* in exilium pulsus, cùm auditores ipsum vi retrahere tentarent, restitit ipsis, ostendens subditos etiam injusto magistratui parere oportere, donec DEUS per alia legitima media ecclesiæ suæ Halcyonia largiatur, referente *historiâ tripartitâ lib. 7. ca. 16.* cum *Ægeas* præfectus *Arabia* Apostolum *Andream* carcere inclusum teneret, & auditores ipsum armatâ manu è carcere liberare vellēt, dehortatus est ipsos, ne quid contra magistratum suum tentarent.

*Media licita.*

*1. Patiētia.* Aliis ergò mediis huic malo succurrendum est. Primùm omnium autem in *patientiâ* possideant animas suas, commendantes Deo hanc injuriam, cui ipsi resistere non possunt. Cogitent, quòd Christus discipulis suis factum hoc prædixerit, & consilium dederit: *cùm persequentur vos de civitate una, fugite in aliam Matth 10,23.*

*2. Ruminatio verbi.* Deinde privatim sacra tractent cum suis, ruminantes ea diligentiùs, quæ antea à fidelibus animarum suarum pastoribus audierunt, & orantes pro pastorum suorum salute, quemadmodum septem illa millia tempore *Baalitica* persecutionis, & cives *Hierosolymitani*, cùm *Herodes* persequeretur *Apostolos*, & *Petrum* etiam jam in carcerem conjecisset, interim continuè orabant pro ipso ad DEUM, qui preces ipsorum exaudivit, & inopinatum auxilium cælitus misit *Act.* 12, 5 *seqq.*

*3. Clam saluti pastorum consulere.* Tertiò si animadvertant auditores, hostes evangelii non contentos esse sola relegatione suorum doctorum, sed & mortem eis intendere, non peccant, si clam saluti ipsorum consulunt, quemadmodum discipuli *Pauli*, cùm præfectus *Aretæ* regis ipsum comprehendere vellet, in sportâ eum dimiserunt, per murum *Actor.* 9,25. 2. *Cor.* 11,33. & *Obadias* centum Prophetas tempore persecutionis Baaliticæ in speluncis abscondit 1. *Reg* 18. Hîc enim locum habet illud Salomonis: *erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses, Prov.* 24,11.

*4. Literis supplicatoriis hostes sollicitare.* Præterea supplicibus literis sollicitandi sunt animi hostium, ut iram suam mitigent, & in restitutionem pastorum & exercitii publici consentiant: quo in genere & aliorum intercessiones multum interdum proficiunt, modò omnia fiant moderatè & prudenter, ex serio amore erga puritatem verbi divini, quo haud immeritò nemo piorum, nihil quidquam habet carius. Sic *Ionathan* orat pro *Davide* in exilium ejecto, 2 *Sam.* 19,4. *Abdemelech* orat pro *Jeremia* in lacum demerso *Iere.* 38, *v.* 9. præfectus *Valentis* Imperatoris Ariani, cùm patientiam & constantiam Christianorum videret, pro ipsis intercessit, & *Imperatoris* iram mitigavit. Per intercessionem *Esthera* Judæis liberum religionis exercitium restituebatur *Esth.* 8,5. &

8,5. & similia exempla passim in historiis occurrunt.

*5. Patientiam sanctorum exercere.* Quòd si ne hac quidem ratione aliquid proficitur, hic opus est patientiâ sanctorum, & instanter ingemiscendum ad Deum, qui ecclesiæ suæ promisit, ne quidem portas inferorum ei prævalituras, is ἀπὸ μηχανῆς opem feret oppressis suis: non enim perpetuò dabit afflictionem justo *Psal.55.v.23.* & ut in proverbio dicitur: *cùm duplicantur lateres, venit Moses.*

## CASUS XI.

### *De casibus conscientiæ circa usum Sacramentorum, & in specie baptismi.*

*Sacramẽta sunt invisibilis gratia visibilia signa.* SAcramenta vocat *Augustinus libr. 19. cont. Faustum cap. 16. & in Levit quæst. 84.* verba visibilia, & invisibilis gratiæ visibilia signa. Nam per ea oculis quasi subjicitur, quod per verbum prædicatum auditur, promissio nimirum gratiæ, & quidquid in verbo de salute nostrâ nobis credendum proponitur.

Quo in genere Deus se ad infirmitatem nostram accommodat. Nã, ut *Chrysostomus scribit hom 60 ad populũ Antiochen. & hom. 83. in Matth. si incorporeus esses, nudè tibi ipsa dona incorporea tradidisset: quoniam verò conjuncta corpori est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* *Ratio ordinis.* Præsupponimus autem hîc, tanquam alibi demonstratum, quòd duo tantùm sint sacramenta novi Testamenti: baptismus & cœna Domini. *In hoc capite de casibus Consc: circa baptismũ occurrentibus agitur.* Circa horum usum incidunt non pauca, quæ hominis conscientiam reddere possunt dubiam: in quibus explicandis jam nostra versabitur opera; hoc in capite initium facimus à baptismo.

## CASUS I.

### *Estnè sacramentum usus ita necessarius, ut sine periculo salutis intermitti non possit.*

*De usu Sacramentorum N.T. in genere.*

*De baptismo.* REsp. Perturbant hac in parte conscientiam 1. ea, quæ contra baptismi necessitatem à *Photinianis & Calvinianis* disputantur, & multi casus, qui hominem ab usu sacramentorum excludunt.

*Photinianorum error.* *Photiniani* negant baptismum esse necessarium ad salutem, quia à Christo non sit institutus, nec discipulis præceptus, sed tantùm permissus, quia tum commune commodum id requirere pro sua sapientiâ providebat, ut *Smalcius* loquitur *disp.19. Antifranziana* §.1.

*Calvinianorum error.* *Calviniani* necessarium quidem dicunt baptismum, sed non ut medium regenerationis, sed partim, ut signum, quo vera Dei ecclesia à falsâ

à falſa dignoſcitur, partim, ut teſtimonium hominis de incorporatione ſui in corpus Chriſti, partim ut declarationem & ſigillum fœderis gratiæ, in quâ nati ſunt infantes, uti docet *Perkinſus in caſib. conſcient. lib.* 2. *c.*10.*quæſt.*1.*ſect.*1. & *Trelcatius in inſtitut.lib.*1.*part.*1.*de baptiſm.p.*194.

Negant ergò baptiſmum eſſe neceſſarium organon, per quod conferatur fides, regeneratio & ſalus. Ideò *Calvinus* expreſsè ſcribit *lib.*4. *inſtit. cap.*15. §. 20. *quantum damni invexerit dogma illud malè expoſitum, baptiſma eſſe de neceſſitate ſalutis, pauci animadvertunt.* Quam ob cauſam dictum illud Chriſti *Ioh.* 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, de baptiſmo exponere intempeſtivũ eſſe* ſcribit, in *comm. cap.* 3. *Ioh.* per aquã autem ipſe intelligit Spiritum S. à quâ expoſitione non omninò alienus eſt *Sadeel.in reſp.ad profeſſ. fidei monach. Burdegal. art.*11. & *Perkinſus in caſ. conſc.l.d.*

*Muſculus etiam in L.C.f.*338. reprehendit eos, *qui cum infantibus ad baptiſmum feſtinãt, & ſi ſeculi mores paterentur, non diſpliceret ei Nazianzeni ſententia, qui cõſuluit, ut parvulorum baptiſmus differatur in annũ uſq; tertium: quod ex illo errore, quaſi ad ſalutem neceſſarius non ſit, originem trahit.* Hæc ergò cor hominis faciunt dubium ex parte baptiſmi.

*De Cœna, dubia homini incidere poſſunt.*

Ex parte cœnæ, multa etiam occurrere poſſunt, quæ hominem hoc ſacramento privant, unde ſcrupulus injicitur, an privatio illa fiat cum detrimento ſalutis.

*Non eſt per omnia ratio eadem baptiſmi & cœnæ Dominicæ.*

Sciendum igitur eſt, I. non eſſe per omnia eandem baptiſmi & S. Cœnæ rationem. Baptiſmus eſt Sacramentum *initiationis*: S. cœna *confirmationis*: illo inſeruntur homines Chriſto, & corpori ejus myſtico; hoc conſervantur & confirmantur in illo. Quẽadmodùm ergò inſitionis in Chriſtum major eſt neceſſitas, quàm confirmationis: (illa enim omnes indigent, qui Chriſti participes eſſe cupiunt: hac tentati ſaltem & in fide fluctuantes,) ita major etiam eſt neceſſitas baptiſmi quam S cœnæ. Hac enim carere poſſunt infantes, illo non item.

*Baptiſmus non eſt abſolutè neceſſarius ad ſalutẽ.*

II. Sciendum eſt, baptiſmum eſſe non abſolutè neceſſarium ad ſalutem, ita ut nemo prorſus, qui baptiſatus non fuerit, ſalvari poſſit: ſed tantum ex hypotheſi, ſi videlicet caſus neceſſitatis non obſtiterit. Nam extra caſum neceſſitatis, cùm Deus ordinario modo in nobis ſalutem operatur, baptiſmo carere non poſſumus (1.) quia præceptum Chriſti clarum eſt: *docete omnes gentes, baptiſantes eos &c. Matth.*28. & *qui crediderit ac baptiſatus fuerit, ſalvus erit Marc.*16.

*Extra caſum neceſſitatis & extraordinariũ modum baptiſmo carere non poſſumus.*

(2.) Verba Chriſti ad *Nicodemum* etiam non ſunt obſcura: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non ingredietur regnum cœlorum Ioh.* 3. ubi certè de baptiſmo agitur tanquam ordinario medio regenerationis noſtræ, quod Chriſtus *Nicodemo* commendat, niſi verbis ejus inanem affingere velis ταυτολογίαν.



Digitized by Google

(3.) Infantibus omnibus necessaria est regeneratio *Ioh.* 3,3. ergò & baptismus, sine quo regeneratio ordinariè non fit.

(4.) Necessitatem baptismi agnoverunt etiam *Apostoli* & alii sancti. Nam cùm Judæi, quorum cor *Petrus* sua concione tetigit, quærerent, quid faciendum ipsis sit, videlicet, ut salutem consequerentur, respondit *Petrus*: *pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisq; vestrûm in nomine Iesu Christi Act.* 2, 38. & cùm *Paulus* post conversionem ad *Ananiā* remitteretur à Domino, *Ananias* ei dixit: *surge & baptisare, & ablue peccata tua in nomine Iesu Act.* 22. *vers.* 16.

*Calvinianorū error unde oriatur.*

Oritur autem error Calvinianorum ex eo, quòd ex baptismo tantùm faciunt externum *gratiæ sigillum, quo homo non recipitur in fœdus; sed fœdus Dei, in quo jā ante fuit, tantùm obsignatur & declaratur, ut Perkinsius* loco dicto loquitur: & *Beza quæst.* 118. *part.* 2. *quæst. & resp.* scribit: *baptismum non esse institutum, ut recipiantur demum infantes in fœdus, sed ut tabulæ fœderis obsignentur*:

*Refutatur.*

cui opinioni obstat *Salvator* ipse, qui nos *renasci* ait, *ex aqua & ex spiritu*, non demum renascentiæ donum per aquam obsignari *Iohan.* 3. obstat Apostolus *Paulus*, qui testatur Christum *mundasse ecclesiam lavacro aquæ in verbo Eph.* 5, 26. & baptismum vocat *lavacrum regenerationis ac renovationis in Christo*: quibus verbis baptismum utique non tantùm sigillum aliquod obsignatorium, sed organon constituit & medium conferendæ gratiæ. Unde sequitur, quòd, qui gratiâ Dei ac regenerationis beneficio carere nolunt, baptismo etiam carere non possint.

*Deus in casu necessitatis etiam extra baptismū fidē largitur & salutem confert.*

Et hæc quidem ita habent, quando Deus ordinario modo salutem in nobis operatur. In casu autem necessitatis Deus etiam extra baptismum fidem largitur & salutem confert. Deus enim liberè agit, qui nos quidem ad media certa, quæ monstrat in verbo, alligavit, ita ut ea salvâ pietate negligere nequeamus, dum habere possumus: se verò ad ea non adstrinxit. Ideò Christus non simpliciter eos damnat, qui non sunt baptisati, sed qui *non crediderint Marc.* 16. *v.* 16.

*Quid intelligatur hic per casum necessitatis?*

Est autem casus necessitatis, cùm infantes in utero matris, aut paulò post partum, moriuntur, ut baptisari non possint, etiamsi parentes baptismum maximè desiderent, aut si adulti in ultimo demum vitæ articulo convertantur, aut alioquin à baptismo impediantur, ut *latro in cruce Luc.* 23. *v.* 43. Ibi enim non est contemtus sacramenti; sed privatio, quæ non damnat.

*Usus cœnæ nō omnibus est necessarius, sed iis tātùm, qui ad justam pervenerunt ætatem, & seipsos probare possunt.*

III. Quod S. cœnam attinet, ejus usus non omnibus est necessarius, sed iis tantùm, qui ad justam pervenerunt ætatem, & seipsos probare possunt 1. *Cor.* 11. *v.* 28. Hi, si habere possunt, sæpiùs eâ utantur, quia hujus spiritualis alimenti sæpius opus habemus, ob famem

Digitized by Google

onem ſpiritualem [illegible] in fidelibus redeuntem: ideò in verbis inſtitutionis additur: *hoc facite, quotieſcunque feceritis, in mei commemorationem.*

Non autem abſolutè neceſſarius eſt S. cœnæ uſus, ſed urgente neceſſitate, ſalvâ fide & conſcientiâ intermittti poteſt. Urgens autem neceſſitas eſt, cùm quidem ſanctum quoddam deſiderium hujus ſalutaris alimenti habemus, ſed impetrare illud non poſſumus, vel ob morbum contagioſum, vel ob peregrinationes juſtis de cauſis ſuſceptas, vel ob captivitatem inter barbaros, vel aliâ aliqua ſontica de cauſa à ſacris conventibus excluſi. In his quoque caſibus non eſt contemtus, ſed privatio ſacramenti, ideò locum ibi invenit illud *Auguſtini*: *crede & manducaſti.*

Qui verò ſine juſta cauſa ab uſu hujus ſacramenti ſe ſubducunt, hi contemtores ſunt, & ſeipſos ſalutari ejus fructu, magno cum periculo, privant, neque digni ſunt, qui vel ad ſuſceptionem infantium in baptiſmo, vel ad communionem aliorum ſacrorum admittantur.

## CASUS II.

*De fide parvulorū.*

### *Undenam certus eſſe poſſum, quòd parvulis in baptiſmo conferatur fides?*

Reſp. Rem hanc in ſeſe ſatis certam, dubiam faciunt 1. *Anabaptiſtæ*, qui infantes ante annos diſcretionis ad baptiſmum non admittunt, quia defectum rationis obſtare putant, quò minùs credant. *Anabaptiſta, Calviniani & Ieſuita hic errant.*

2. *Calviniani & Ieſuitæ*, qui infantibus fidem actualem negant, ſed ejus tantùm habitum, inchoationem & veluti ſemen ac radicem, ut loquitur *Gregor. de Valent. de baptiſm. parv. cap. 3. Beza part. 2 reſp. ad act. Trelc. lib. 2. inſtitut.*

3. Calviniani ſeorſim, qui ex baptiſmo tantùm ſigillum fœderis faciunt, docentque parentes tùm pro ſeipſis, tùm pro liberis ſuis fœdus apprehendere, ac liberos credere, quia parentes credunt, ut *Perkinſus loco ſupra allegato* loquitur. Unde fit, quòd etiam extra caſum neceſſitatis baptiſmum infantibus minùs neceſſarium eſſe putant, eoſque reprehendunt, qui cum infantibus ſuis ad baptiſmum feſtinant, ut in præcedentibus audivimus.

4. His ſe, ſi non animo, ipſo tamen opere adjungunt illi, qui liberos ſuos ob cauſas ſæpè frivolas non ſaltem ad dies, ſed & ad ſeptimanas aliquot, abſq; baptiſmo relinquunt. Qui ſi ſcirent, quanto cum periculo ſalutis infantes ab ipſis negligerentur, ſine dubio hoc in genere cautiores eſſent.

Cùm ergò abſque fide non ſperanda ſalus ſit, opere prætium eſt ſolidis docere argumentis, quòd



Digitized by Google

infantibus per baptiſmum tanquam ordinarium Dei organon fides conferatur, undè ſpontè ſequitur, baptiſmum neque negligendum, neque diu differendum eſſe, ſi haberi poteſt.

1. Ratio. 1. Certum eſt, quòd infantes etiam piorum parentum extra baptiſmum ſint etiam extra gratiam, quia *in peccatis nati & concepti ſunt*, ut *David* de ſe fatetur *Pſal.51.caro de carne nati ſunt Iohan.3.natura filij iræ ſunt Epheſ.*2,3. hoc eſt, filii iræ nati ſunt: ergò extra baptiſmum ſub irâ ſunt, non ſub gratiâ. In baptiſmo autem recipiuntur in gratiam & placent Deo, quia *baptiſmus eſt clavis eccleſiæ*, per quam ingrediuntur in domum Dei & domeſtici ejus fiunt: ideò qui ex *Iudaiſmo* aut gentilitate ad Chriſtum converſi ſunt, baptiſari juſſi ſunt *Act.*2,38.8,38.10,48.22,16 Jam verò abſq; fide impoſſibile eſt placere Deo *Heb.*11, 6. unde ſequitur, quòd infantes, qui in baptiſmo incipiunt placere Deo, fidem accipiant, dum baptiſantur.

2. Ratio. 2. Infantum eſt regnum cœlorum *Marc.*10.*verſ.*13. *Matth* 19.*v.*14 quod ut ingrediantur, baptiſmo opus habent: *niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non ingredietur regnum cœlorum Iohan.*3.*v.*3. Ad regnum autem cœlorum nemini patet acceſſus, qui non credit: nam *qui non crediderit, damnabitur Marc.* 16.*v.*16. hinc iterum firmiſſimè colligimus, infantibus fidem in baptiſmo conferri.

3 Ratio. (3.) Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis *Tit.*3.*v.*5. per quod naſcuntur filii Dei, quod abſque fide non fit: dedit enim Deus *poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomẽ ejus Ioh.* 1. Et hoc ipſo diſcernitur regeneratio à generatione naturali, quia hæc eſt infidelium ſeu filiorum iræ, illa autem fidelium: ideò *non naſci, ſed fieri* debent *Chriſtiani*, dicente *Tertulliano in apolog. cap.* 17. & *Auguſtinus* ſcribit: *Chriſtianus non de Chriſtiano naſcitur, quia non facit generatio, ſed regeneratio Chriſtianum lib.*1.*de peccat.merit.cap.*9. *Differentia inter generationem & regenerationem.*

4. Ratio. (4.) Teſtatur *Apoſtolus Paulus Gal.*3.*v.*28. nos in baptiſmo Chriſtum induere. Eſt autem Chriſtum induere juſtitia Chriſti frui, quæ *veſtis juſtitiæ & indumentum ſalutis* appellatur *Eſa.*6. *v.*10. Hoc verò per fidem fit, quæ Chriſti juſtitiam apprehendit & noſtram facit.

5. Ratio. (5.) Infantes Hebræorum per ſacramentum circumciſionis recipiebantur *in fœdus Dei Geneſ.*17. *v.* 10. ideò qui non circumciſi erant, excluſi erant à populo Dei. Eadem eſt ratio baptiſmi, qui in locum circumſionis ſucceſſit. Ideò namque vocatur *ſtipulatio bonæ conſcientiæ* cum Deo 1. *Petr.*3. *v.*21. quia hominem de fœdere Dei certum & ſecurum reddit.

6. Ratio. (6.) Spiritus ſanctus in baptiſatis non eſt otioſus: propria autem ejus operatio eſt in iis, qui primùm ad eccleſiam accedunt, quòd fidem in eis accendit, quam novi motus caritatis poſtea in adultâ ætate ſequuntur. Niſi ergò infantibus baptiſatis

ptiſatis Spiritum ſanctum denegare, aut Spiritum ſanctum in ipſis otioſum eſſe fingere velimus, fateri neceſſe eſt, quod in baptiſmo fidem accipiant. Hinc eſt illud *Auguſtini epiſt. 57. habitare in infantibus Spiritus ſanctus ideò dicitur, quia in eis occultè agit, ut ſint templū ejus, id quod poſtea perficit in proficientibus, & proficiendo perſeverantibus.*

*7. Ratio.* (7.) Qui non baptiſantur, cùm baptiſari poſſint, certò damnantur, qui ordinarium illud ſalutis ſuæ medium contemnunt: ergò à contrario ſenſu rectè colligo, eos qui baptiſantur, ſalvari ac per conſequens fidem accipere, ſine quâ ſalus nulla confertur. Hoc atteſtatur *Auguſtinus ad Patrem Diaconum cap. 30. firmiſſimè tene*, inquit, *& nullatenus dubita, exceptis illis, qui pro nomine CHRISTI ſuo ſanguine baptiſantur, nullum hominē accepturum vitam æternā, qui non hic à malis ſuis fuerit per pœnitentiam fidemq; converſus, & per ſacramentum fidei ac pœnitentiæ, id eſt, per baptiſmum liberatus, & majoribus quidem neceſſarium eſſe, & pœnitentiā de malis ſuis agere & fidem Catholicā ſecundum regulam veritatis tenere, & ſacramentū baptiſmatis accipere, parvulis verò, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahūt, agere poſſunt, ſacramentū fidei, quod eſt ſanctum baptiſma, quamdiu rationis eorum ætas capax eſſe non poteſt, ſufficere ad ſalutē.* Huc accedit teſtimonium *Ambroſii*, qui non baptiſatis prorſus vitam æternam detogat: ergò baptiſatis fidem, ſine quâ nemo vitam poteſt ingredi, concedit. Ita enim ſcribit *lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. neq; credi fas eſt, eos, qui regenerationis non adepti ſunt ſacramentum, ad ullum beatorum pertinere conſortium. Et lib. de Elia & jejunio cap. 22. ſi quis non eſt baptiſatus, ſecurior convertatur & remiſſionem accipiat peccatorum, ſiquidem baptiſmus velut ignis quidam peccata conſumit, quia Chriſtus in igne & ſpiritu baptiſat.*

Cùm ergò Spiritus S. fides, regeneratio, ſalus, baptiſmus individuo nexu conjuncta ſint, quilibet intelligit, quàm malè conſulant infantibus ſuis, qui eorum baptiſmum differunt abſque causâ. Si qui enim exiſtimant, infantes ante baptiſmum eſſe in fœdere, & fide parentum credere, hi vehementer errant. Nam abſque ſcripturâ ita ſentiunt, quæ omnes nondum baptiſatos, dum naturâ filios iræ facit, extra fœdus collocat, viciſſim autem *baptiſmum ſtipulationem noſtram cum Deo nominat 1. Petr. 3.* & ſicuti parentum animâ nemo vivit vitam naturalem, ita nemo parentum fide vivere poteſt coram Deo: ſed *juſtus ſua fide vivit Habacuc cap. 2. v. 4.* generant enim parentes non ea parte, quâ ſpiritus ſunt & renati, ſed quâ caro ſunt & polluti: non ſecus ac Judæus circumciſus abſque præputio generat filium cum præputio, & grana nuda in agrum repoſita generant grana cum folliculis, ſpicis, ariſtis, & paleis: quibus ſimilitudinibus *Augusti-*

*Baptiſm. infantium non eſt differendum abſq; prægnanti causâ.*



Digitized by Google

*gustinus utitur lib. 6. contra Iulian. cap. 2.*

*Respondetur ad exceptionem ex Gen. 17. v. 7.*

Dixit quidem Deus ad Abrahamum *Genes.* 17. *v.* 7. *Ero Deus tuus & seminis tui post te*: sed hoc non nisi cum determinatione propriæ fidei intelligendum est: nam credentes duntaxat, pertinent ad semen Abrahæ, sicut scriptum est *Galat.* 3. *v.* 7. *qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahami.* Omnibus quidem beneficia pacti *offert* Deus, sed iis saltem *confert*, qui per medium à se institutum ad percipienda illa beneficia habiles fiunt.

Sed de his satis: ex quibus satis abundè constat, quàm periculosum sit, baptismum infantum differre. *Mosen* certè interficere voluit Dominus, eò quòd circumcisionem infantis sui justo diutius differret *Exod.* 4. *vers.* 24. viderint procrastinatores baptismi, ne & ipsi justam Dei animadversionem incurrant.

## CASUS III.

*De infantibus ante baptismũ mortuis.*

### *Quid si infans ante baptismum absque parentum culpâ moreretur, numquid actum esset de ejus salute?*

*Varia Pontificiorum opiniones recensentur.*

RESP. In *Papatu* sunt quatuor diversæ hac de re opiniones, pro miseris infantibus, & afflictis parentibus nimis rigidæ, quas recenset *Bellarm. lib. 6. de amiss. grat. & statu peccati cap. 1.*

*Prima Ambrosii Catharini & Alberti Pighy*, qui excludunt infantes in utero mortuos à regno cœlorum & vita æterna, concedunt tamen eis vitam æternam & naturalem beatitudinem sine ulla molestia aut dolore, extra regnum beatorum, & procul à carcere damnatorum, hoc est, in loco medio inter cœlum & gehennam.

*Secunda* est *Thomæ, Bonaventuræ* & aliorum scholasticorum, qui docent hujusmodi infantes puniri in limbo puerorum, quem vocant, sed tantùm pœna damni, non sensus, hoc est, privari visione & conspectu Dei; nullos autem sentire cruciatus.

*Tertia* est *Lombardi*, & aliorum, qui censent, tales infantes liberari à cruciatu ignis & vermis, sed non ab eo dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternæ felicitatis.

*Quart* est *Gregory Arimiensis & Iohannis Driedonis* statuentium, infantes hujusmodi in loco damnatorum utroque genere pœnæ, damni videlicet & sensus perpetuò cruciari.

*Bellarminus cap.* 24. 6. *libr.* dicti statuit parvulos sine baptismo decedentes mortis æternæ pœna damnandos esse, non tamen sentire ignem sensibilem, sed interiorem animi dolorem, quia intelligunt se beatitudine privatos esse.

In *colloquio Ratisb. sess. 1. p.* 35. vocarunt

runt fidem catholicam, quòd infantes, qui ſine baptiſmo decedunt, non ſalventur, unde mos eſt in papatu infantes non baptiſatos uſitato ritu ſepulturæ privare, & in angulo cœmiterii condere.

Et ſanè negari non poteſt, quin & *Auguſtinus* olim infantes non baptiſatos numero ſalvandorum adſcribere noluerit, *epiſt.* 28, 89. *&* 106. *& lib. de nat. & grat. cap.* 8. *de fid. ad Petrum cap.* 27. Sed hac ratione pii parentes perpetuis excruciarentur angoribus; *Auguſtinus aliis in locis* dubitanter hac de re loquitur *libr.* 1 *de peccat. meritis & remiſſ. cap.* 15. *lib.* 8. *de orig. animæ c.* 18. Alibi fidem etiam aliis tribuit, qui præter ſuam culpam baptiſari non potuerunt, *ut lib.* 4. *de baptiſ. cont. Donatiſt.* 22. 23, 24, 25. *lib.* 3. *quæſt. in Levit. cap.* 84.

*Auguſtinus dubitanter hac de re loquitur.*

Multi quoque ex ſanioribus Pontificiis huic rigidæ doctrinæ contradixerunt. Nam cùm *Lombardus* loco dicto ſcriberet, *parvulos ante baptiſmum defunctos perire*, *Facultas Pariſienſis* adſcripſit: *hic magiſter non tenetur*: & in ſpecie, *Gerſon, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, in ſerm. de nativit. Mariæ Virginis ſtatuit, Deum miſericordiam ſalvationis ſuæ non ita ſacramentis alligaſſe, quin abſque præjudicio legis ejuſdem poſſit pueros nondum natos extra uterum, intùs ſanctificare gratiæ ſuæ baptiſmo, vel virtute Spiritus ſancti, ideo ut parentes pro infante nondum nato, ſi fortè moriturus eſt, priusquam baptiſetur, à Domino petant, admonet, & ne ſine baptiſmo ita decedentibus omnem ſpem ſalutis ablatam putent, conſolatur.* Similia habent alii Pontificii; *Gabr. Biel. in* 4. *ſent. diſt.* 4. *quæſt.* 2. *art.* 3. *Cajetanus in p.* 3. *Thom. ad quæſt.* 68. *art.* 11. *Albertus Pighius in controv.* 1.

*Pontificij alij ſuperioribus contradicunt.*

Obſervandi autem ſunt fontes conſolationum, quibus pii parentes in hujusmodi caſibus ſe erigere poſſunt. Graviſſimè aberrarunt olim, qui infantibus in utero matris de vitâ periclitantibus, matris uterum aquâ adſpergebant, & hac ratione ipſos infantes baptiſatos credebant, quem errorē refutat *Auguſtinus lib.* 6. *contra Iulia. Pelagian. cap.* 5. & *Hieronymus* dixit in *materno utero nemo baptiſari poteſt, etiamſi mater baptiſetur.* Non minus errant illi, qui in periculo vitæ, vel manum vel pedem infantis aqua tingunt, nondum enim natus renaſci non poteſt, ideò morem hunc *Lutherus improbavit tom.* 3. *Jenenſ. in libro de abortientibus mulieribus.* Et Auguſt. epiſt. 57. *ad Dardan. nihil hic conſolationis eſt, pro afflictis parentibus: alij conſolationum fontes quærendi ſunt.*

*Fontes conſolationū, quibus pij parētes in hujusmodi caſibus ſe erigere poſſunt.*

Primùm igitur firmiſſimè tenendum, quòd promiſſio Abrahamo facta Gē. 17, 7. *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te*, etiam ad nos pertineat, licet ex proſapia *Abrahami non ſimus*. Gentiles enim in *oleam ex gratia Dei ſunt inſiti, & ſocij radicis & pinguedinis olivæ facti Rom.* 11, 17. Unde & *filij Abrahami* appellantur *Gal.* 3, 7. & vobis *promiſſio facta eſt, & filijs veſtris, & omnibus qui longè ſunt Act.* 2, 19. Abs-

*Prima cōſolatio ex Gen.* 17, 7.

que

que fide autem nemo nec filius *Abrahami*, nec oleæ particeps esse potest: unde sequitur infantes Christianorum, qui in casu necessitatis baptisari non possunt, fidem habere.

Habent autem fidem non ex naturali parentum ortu, dedit enim Deus potestatem filios suos fieri, nō *qui ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Ioh.* 1, 13. Deus ergò infantibus illis confert fidem ordinariè quidem per baptismum, extraordinariè autem in defectu baptismi etiam alio modo sibi cognito, quemadmodum *Iohannem* in utero matris adhuc latentem fide illustravit *Luc.* 1. quo exemplo *Augustinus* utitur *epist.* 58. *ad Dardan.* & latronē in cruce etiam non baptisatum illuminavit *Luc.* 23. quo exemplo utitur *Augustin. lib.* 4 *cont. Donat. cap.* 23. Deus enim nos quidem ad baptismum tanquam ordinarium regenerationis medium alligavit *Joh.* 3, 5. & quidem non priùs, quàm infantes sunt nati: nondum enim nati regenerari non possunt, se verò non ita adstrinxit, ut in defectu baptismi regenerationem operari in infantibus non possit. Si enim absque circumcisione, quæ in deserto totos 40. annos ob difficultatem itinerum omittebatur, liberos Israelitarum in fœdus recipiebat, quod ordinariè per circumcisionem fiebat, *Iof.* 5. *Gen.* 17. cur non idem hodie in casu necessitatis sine baptismo etiam præstaret? Et quot millia Catechumenorum in primitivâ ecclesiâ, antequam baptismum acciperent martyria passi sunt? quos omnes damnare extremæ temeritatis esset. Cogitent ergò pii parentes, suum quoque semen esse semen *Abrahami*, cui promissio facta; ergo & illius curam habebit Deus, ne pereat, si maximè ordinario salutis medio privetur: quis enim Deo præscribet rationem & modum salutem nostram procurandi?

*Deus infantibus ordinariè fidem confert per baptismum, extraordinariè modo sibi cognito.*

Deinde sciunt parentes Christiani, liberos suos esse *donum Domini & opus manuum suarum Psal.* 127, 3. Quemadmodum ergò *Iob* in summis suis angustiis præcipuam consolationem petebat ex hoc opere Dei, cujus manus ipsum plasmaverunt, à cujus manibus etiam præsidium & protectionem sperabat. *Iob.* 10, 8. ita pii parentes firmiter confidere debent, quod Deus liberos suos tanquam peculiare suum opus & donum non sit projecturus à facie sua, etiamsi citra omnem suam culpam baptismo, tanquam ordinario illo regenerationis medio, carere cogantur.

*Secunda cōsolatio ex Ps 127, 3.*

Præterea, cùm extra Christum nulla salus sit, certi esse possunt pii parentes quòd infantes sui morte præventi non tamen sint extra Christum, licet per baptismum ipsi inseri non potuerint. Nam & Christus infantium salvator est: ideò *carnis & sanguinis particeps factus est, sicut pueri Heb.* 2, 14. in utero matris suæ conceptus, & lacte materno nutritus est, ut pueri: ergò & infantium in matris

*Tertia cōsolatio ex Heb. 2, 14.*

Digitized by Google

tris utero adhuc ſitorum redemtor eſt, quorum pollutam nativitatem, immaculatâ ſuâ nativitate ſanctificavit. Quâ de re præclarè loquitur *Irenæus*: *omnes venit per ſemetipſum ſalvare, ideò per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus eſt, ſanctificās infantes, & c. lib. 2. ca. 39. & Bernhard. ſerm. 1. in ramis palmar. qui parvulus natus eſt, & primam parvulorum elegit aciem, hodie quoq; parvulos à gratia nō excludit, quia nec pietati incongruum, nec majeſtati ejus difficile eſt, ut ſuppleat manus gratiæ, quod minus in eis habet natura poſſibile.*

[*Auguſtini quoq; dictum eſt memorabile ſerm. 3. de nativ. ad omnes nos gaudium illud pertinet, quia Chriſtus omnibus venit, nec oportet eſſe triſtitiæ locum, ubi eſt natalis gaudiorum. Gaudeat itaq; ſanctus, quoniam accipit remunerationem; gaudeat peccator, quoniam invitatur ad veniam; gaudeat gentilis, quoniam mittitur ad vitam. Exultate pueri ſancti, quia puer natus eſt; exultate virgines, quia virgo peperit; exultate juſti, natalis eſt juſtificatoris; exultate debiles & ægri, natalis eſt ſervatoris; exultate captivi, natalis eſt redemtoris; exultate ſervi, natalis eſt Domini; exultate liberi, natalis eſt liberantis; exultate omnes Chriſtiani, natalis eſt CHRISTI.*]

Sic totius peccata mundi portare dicitur, totius etiam mundi Salvator appellatur: à mundo autem infantes non ſunt excluſi. Et quanquam ordinario medio conſequendi fidem, (per quam Salvator ille mundi apprehenditur) deſtituuntur, ipſa tamen fide non carent, quam Deus extraordinariè in illis operari novit, ut ſuprà dictis & exemplis monſtravimus.

*Quarta cōſolatio ab exēplis eorum, qui in utero matris gratia Dei fuerūt repleti.*

Huc pertinent quarto loco exempla eorum, de quibus ſcriptura teſtatur, quòd in utero matris gratiâ Dei fuerint donati. *David* certè etſi in *Pſal. 51.* conqueritur, *ſe in peccatis conceptum eſſe*, confitetur tamen in *Pſal. 22, 10. in te projectus ſum ab utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu: & Pſal. 139, 13. tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de utero matris meæ & c.* Ad *Ieremiam* dicit Dominus: *priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, ſanctificavi te Ier. 1, 5.* Talis autem projectio in Deum, & ſanctificatio non poteſt eſſe ſine fide. Quæ quidem exempla non oſtendunt, quid ordinariè faciat Deus in omnibus, docent tamen, quid facere poſſit & ſoleat, etiam abſque ordinariis mediis, cùm ſit liberrimum agens, & ad media certa ſe ita adſtringi non patiatur, ut in caſu neceſſitatis, id in defectu illorum mediorum aliter operari non poſſit.

*Quinta cōſolatio ab exēplis eorū, qui antequā ſacramento initiationis potirentur, bonam tamē ſpem ſalutis ſuæ habuerūt.*

Quintò non deſunt exempla in terminis terminantibus, ut loquuntur, eorum videlicet, qui antequam Sacramento initiationis potirentur, bonam tamen ſpem ſalutis ſuæ habuerunt. Inter hos fuerunt omnes



Digitized by Google

mnes illi infantes & adulti in deserto nati, ibidemq́ue mortui, qui circumcisionem illis 40. annis intermissam *Ios.* 5,5. non acceperunt, & tamen nemo eos damnat: illi Hebræorum masculi, qui jussu Pharaonis vix nati, in profluentem sunt projecti *Exod.* 1,22. infantes Israelitici, tempore *Antiochi* crudeliter interfecti 1. *Maccab.* 1,51.64. infantes Bethlehemitici, primus ille Nov. Test. martyrum flos, jussu Herodis extincti *Matth.* 2,16. quos omnes æternæ damnationi mancipare, aut saltem à conspectu Dei separare velle, magnæ tyrannidis & impietatis esset. Huc refertur à quibusdam infans ille *Davidis* ex adulterio natus, qui septimo die (quod de septimo à nativitate intelligunt,) mortuus est, antequam nimirùm juxta legem circumcidi potuit 2. *Samuel.* 12. *vers.* 18. tamen parens non dubitat, quin salvatus sit, quia ad *ipsum aliquando se venturum sperat vers.* 23. *David* autem in spe quievit *Actor.* 2. *vers.* 26. in spe videlicet lætæ resurrectionis ad vitam æternam. *Job* etiam existimat, si in utero matris mortuus fuisset, se dormientem siluisse, & somno suo requievisse, quæ descriptio beatorum est *Iob.* 3. *vers.* 13. Cùm ergò in locum circumcisionis successerit baptismus, idem esse potest solatium piorum parentum, quorum liberi celeritate temporis, non voluntate parentum baptismo sunt defraudati.

*Sexta cõsolatio ex triplici ratione, quòd Deus non tantũ possit, sed & velit in infantibus in casu necessitatis operari fidem & regenerationem.*

Denique quòd Deus non tantùm possit, sed & velit in infantibus casu necessitatis operari fidem & regenerationem ex tribus argumentis constat: 1. quòd iis quidem, qui baptisati sunt & credunt, salus tribuitur, cùm autem de damnatis dicendum esset, non fit mentio nõ baptisatorum, sed incredulorum saltem *Marc.* 16. *qui non crediderit, damnabitur.* 2. quia nõ *vult Deus, ut pereat ullus ex pusillis istis Matthæi* 18. *vers.* 14. cùm autem eos, qui non credunt perire necesse sit, dubitandum non est, quin eis extraordinariè fidem largiatur. 3. quia certæ sunt promissiones Dei de exauditione precum, præsertim quæ à duobus aut pluribus conjunctim fiunt, *Matth.* 18. *v.* 19.21.22.

*Admonitio ad parẽtes.*

Cùm ergò infans adhuc gestatur in utero, agnoscant parentes Dei donum, quo conjugio ipsorum benedixit, gratias ei agentes, quòd præclaro patrum ac matrum honore ipsos dignatus fuerit; vitent omnia externa, per quæ infantibus in utero aliquid detrimenti possit afferri: imprimis autem precibus ardenter Deum invocent, ut ipse curam habeat operis manuum suarum, infantem in utero custodiat, & propter sanctissimum illum infantem filium suum, à peccatis, in quibus conceptus est, emundet, in gratiam & fœdus suum recipiat, & hæredem vitæ æternæ, ad quam creatus est, efficiat.

Has preces Deus non sinet esse irritas: ipse enim eas mandavit, & exauditionem promisit *Psalm.* 50. *vers.* 15.

*verſ.* 15. 145, 18. *Matth.* 18. *v.* 19. 21, 22. *Iohan.* 16. *verſ.* 23. ſunt quaſi manus, quibus infantes offeruntur Domino. Ideò *Ambroſius* de *Valentiniano* juniore ſcripſit in *ſerm. de obitu ejus*; *quòd ipſum fides ſua laverit, & petitio conſecraverit*: petitio nimirũ parentum, quâ fidem impetrarunt filio, cùm baptiſmo celeritate temporis, non voluntate fraudaretur. De *Monicâ* etiam *Auguſtini* matre legitur, quòd precibus ſuis filium ab hæreſi *Manichæorum*, cui per novennium integrum addictus erat, liberaverit. Ideò *Ambroſius* ipſam conſolatus, dixit; *impoſſibile eſſe, ut filius tot lacrymarum pereat.* Veriſimile etiam eſt, *Iobum* tantâ patientiâ tuliſſe triſte fatum ſuorum liberorum, quia ſingulis diebus ſacrificia precum pro ipſis obtulit *Iob.* 1. *verſ.* 21. quas ſuo non caruiſſe fructu ſcivit.

His & ſimilibus firmiſſimè ſe erigere poſſunt, pii parentes, in præmaturo obitu ſuorum liberorum, antequam baptiſari queant, modò ipſi viderint, ne ex contemtu ſacramenti, aut negligentia aliqua, aut nimia procraſtinatione baptiſmo liberos ſuos defraudent: de cætero non eſt, quod ſint ſolliciti. Nam *Auguſtini* etiam ſententia eſt, *quòd id, quod baptiſmo deeſt, impleat fides & converſio cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt, &c.* nam *myſterium baptiſmi non contemtus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit libr.* 4. *de bapt. con. Donat. cap.* 22. *& de Ambroſio* paulò ante audivimus, quòd *celeritate temporis præventum fide & ſalute privare noluerit*: ad quorum duorum patrum teſtimonia provocat hac in re *Bernhardus epiſt.* 77. *ſatis evidenter oſtendit* (D. Auguſtinus) *fidelem & converſum ad Dominũ, non ſi nequiverit, ſed ſi contemſerit baptiſari, fructu privari baptiſmi: Ab his ergò duabus columnis, ( Auguſtinum loquor & Ambroſium ) crede mihi, difficilè avellor. Cum his, inquam, me aut errare aut ſapere fateor, credens & ipſe, ſolâ fide hominem poſſe ſalvari, cum deſiderio percipiendi ſacramentum: ſi tamen pio adimplendi deſiderio mors anticipans, ſeu alia quæcunque vis invincibilis obviarit, vide etiam, ne fortè ob hoc ſalvator, cùm diceret, qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit, cautè & vigilanter non repetierit, qui verò baptiſatus non fuerit, ſed tantùm, qui verò, inquit, non crediderit condemnabitur: nimirum innuens ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil. In eadem epiſtola ſcribit Bernhardus: voluntas pro facto imputatur, ubi factum excludit neceſſitas.*

Quæ omnia ad tranquillandam conſcientiam piorum parentum, qui caſu iſto ſuorum liberorum conſternuntur, ſufficere poſſunt.



Digitized by Google

## CASUS IV.

*De iis qui in Papatu aliis ritibus, quam apud orthodoxos fieri solet, in fidē ecclesiæ Papisticæ baptisati sūt, cui tamen in adultâ ætate non sunt addicti.*

*Quomodo consulendum iis, qui in Papatu aliis ritibus, quàm apud orthodoxos usitati sunt, & quidem in fidem Papisticæ ecclesiæ baptisati sunt, cui tamen in adulta ætate non sunt addicti, si fortè postea eo nomine angantur, aut de baptismo suo dubitent?*

*Disting. ēda est substantia à ceremoniis baptismi. Quid sit substantia baptismi?*

RESp. Cùm de veritate Baptismi agitur, semper distinguenda est substantia ejus à ceremoniis. Substantia ex verbis institutionis agnoscitur, cùm nimirum baptisatur aquâ *in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Ceremoniæ vel ab ipsis Apostolis fuerunt usurpatæ, vel post Apostolorum tempora additæ; illas *Apostolicas*, has *ecclesiasticas* appellamus. *Apostolicæ* sunt preces, gratiarum actiones & exhortationes ad populum: hujusmodi enim ritus ab Apostolis fuisse adhibitos, constat ex *Actis cap. 2. v. 38. Ecclesiasticæ* vel in sese *utiles* sunt, quia dignitatem & necessitatem baptismi commendant ac illustriorem reddunt, ad doctrinam pietatis, ornatum & decorum ecclesiæ pertinent, & ædificationi inserviunt, ut est trina adspersio aquæ, nominis impositio, candidæ vestis induitio, compatrum loco infantis confessio, exorcismus &c. vel sunt *superstitiosæ* & ineptæ, cum impietate etiam conjunctæ, non habentes utiles commonefactiones, sed otiosis lusibus sunt similes, & sacrosanctam illam actionem in theatricum quoddam spectaculum transformant, & peculiarem aliquam vim & efficaciam ex superstitione hominum includunt, ut sunt in baptismo Pontificiorum exorcisationes aquæ, exsufflatio, adjuratio dæmonis, cui adjurationi certa vis expellendi dæmonem affingitur, gustus salis, saliva, quâ tanguntur nares & aures baptisandi, unctio in pectore, vel in scapulis &c.

*Quotuplices sint ceremoniæ circa baptismi administrationem usitatæ?*

*Ceremoniæ ad integritatem & essentiam baptismi non sunt necessariæ, sed pro adiaphoris habendæ.*

De ceremoniis in genere tenendum est, quòd ad integritatem & essentiam baptismi non sint necessariæ, sed pro adiaphoris habendæ. Nam ut *Lombardus loquitur lib. 4. sent. dist. 3. verbum & elementum de substantia hujus sacramenti sunt, cætera ad solennitatem pertinent, & sacramentalia appellantur.*

*Quæ ceremoniæ omnium optimæ?*

Cùm tamen administratio baptismi, non sit muta actio, sed præcipua pars cultus divini, non carere potest omnibus omninò ceremoniis: ubi omnium optimæ sunt, quæ vel ab Apostolis profectæ, vel à viris Apostolicis, & omni impietate atq; superstitione carent.

Si verò accideret, ut quis in Papatu cum ceremoniis impiis & superstitiosis fuerit baptisatus, distinguere debet substantiam baptismi à ritibus. Substantia magno Dei bene-

*In Papatu distinguenda est, substantia baptismi à ritibus.*

beneficio & singulari providentiâ in Papatu relicta fuit integra, quamdiu baptisant aquâ, *in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti*, cui substantiæ baptismi adhibiti ritus impii & superstitiosi nihil derogare possunt.

*Sacramenti efficacia non pendet ab intentione baptisantis.*

Et quanquam infans ex intentione sacerdotis in fidem papisticam baptisatus fuerit, quia tamen sacramenti efficacia non pendet ab intentione baptisantis, ideò non est, cur, qui ita baptisatus fuit, de veritate sui baptismi dubitet, licet in adulta ætate à doctrina Papistica alienus fiat. Baptisatus enim fuit in fidem ecclesiæ non hujus vel illius particularis, quæ errare potest, sed catholicæ, quæ fidem Apostolicam profitetur. quemadmodum olim qui tempore *Pharisæorum* circumcisionis sacramentum acceperunt, ex intentione quidem *Pharisæorum* in fidem ecclesiæ *Pharisaica* ad circumcisionem admittebantur, reverà tamen in fidem ecclesiæ *Israeliticæ* seu in doctrinam *Abrahami, Isaaci & Iacobi* patrum suorum circumcidebantur, & in populum illum, qui Dei erat peculium, ex ordinatione Dei recipiebantur, quorum multi in adultâ ætate *Pharisæorum* ἐθελοθρησκείαις contradicebant, inter quos *Zacharias, Iohannes, Simeon, & alij* fuerunt, ut ex Evangelica historia constat.

## CASUS V.

*Num pij parentes, qui in ecclesia falsa vivunt, liberos suos ministris illis, à quibus in fide dissentiunt, baptisandos committere possunt?*

RESP. Melius quidem esset, ut pii à cohabitatione cum malignantibus prorsus abstinerent, secuti consilium Domini: *Exite ab illis, popule mi, ne participes sitis delictorum ejus Apocal.* 18. *v.* 4. sed quia civilis conversatio cum illis nec caveri omninò potest, nec in scriptura prohibita est, aliàs è mundo nobis egrediendum esset, ut *Paulus* docet 1. *Cor.* 5. *v.* 16. accidit interdum, ut pii & rectè in doctrinâ informati inter eos habitent, qui vel Antichristianæ vel alterius hæreseos fermento penitùs sunt imbuti.

Inter hos ergò ita vivendum est, ne sacris ipsorum polluamur, sed verbi & sacramentorum usus alibi in orthodoxorum cœtu quærendus est. Proinde si fieri potest, etiam infantium baptismus ab hæreticis, inter quos vivimus, petendus non est, sed in vicinia quærendi sunt fidei nostræ ὁμόψηφοι, quibus infans committatur.

*Infantium baptismus, si fieri potest, ab hæreticis non est petendus, sed alibi locorum quærendus.*

Si tamen haberi nequeat, considerandum impr. mis est, an ecclesia

*Si verò non possit h... le... aliter ... procedendum.*

particularis, in quâ vivimus, in substantiâ baptismi erret, nec ne? in substantia autem baptismi errant, qui vel non aquâ sed alio etiam liquore baptismum administrant, vel articulum Trinitatis negant: hi enim in nomine *Patris, Filÿ & Spiritus sancti* baptisare non possunt: si error est in substantialibus baptismi, videndum est, an error ille sit totius ecclesiæ, aut tantùm ministri baptisantis. Si totius est ecclesiæ, ut fit in cœtibus *Arianorum*, tunc ab ea baptismus non est petendus, & qui ibi baptisatus fuit, pro non baptisato habendus est, quia non secundum institutionem Christi baptismum accepit: si verò error est ministri saltem, orthodoxâ manente Ecclesia, occultum eum esse necesse est, si enim notorius esset, ecclesia orthodoxa sine dubio talem ministrum non toleraret. Baptismus igitur à tali ministro administratus, est verus ac legitimus, non obstante errore ministri, quia sacramenta sunt totius ecclesiæ, non unius vel alterius personæ, neque efficacia eorum à fide ministri, sed ab institutione CHRISTI, quâ ille adhuc utitur, dependet. Et dum adhuc error ille ministri occultus est, nihil obstat, quin infantes ipsi offerri queant baptisandi. Quòd si ecclesia aliqua particularis in aliis quàm plurimis erraverit, substantiam autem baptismi retineat integram, licet in quibusdam ritibus ab orthodoxa ecclesia discrepet, ejus quoque ecclesiæ ministris baptismus nostrorum infantum committi potest, unde fit, quod baptisatos à *Pontificiis & Calvinianis* non rebaptisamus, quia isti, licet in pluribus à nobis discrepent, articulum tamen SS. Trinitatis, & substantiam baptismi, qui in ejus nomine administratur, sartam tectam retinent.

*Ab Arianis baptismus non est petendus.*

*Sacramenta sunt bona communia ecclesiæ.*

*Baptisati à Pontificiis & Calvinianis non rebaptisantur.*

Cùm igitur ministri orthodoxi copia alibi locorum haberi potest, & parens infantem suum hæretico ministro baptisandum spontè offert, gravissimè peccat & veritatis confessionem quodammodo abnegat, ob rationes supra indicatas *cap. 6. cas. 7.* in defectu verò puri ministerii, (ut fit in ecclesia pressa, ubi nec in vicinia sincerus ecclesiæ minister haberi potest,) tanquam in extremo casu necessitatis, utatur sanè ministerio hæretici, sed cum apertâ confessione veritatis & protestatione, se infantem suum in fide orthodoxâ educaturum. Ita nihil erit amplius, quod conscientiam hoc in genere turbare possit.

Nam quod rituum disparitatem attinet, jam ante dixi, quòd substantiam sacramenti nec mutent, nec tollant: si quid verò superstitionis aut impietatis in iis occurrit, illud non est ex parte baptisandi, sed baptisantis, cui parentes infantis confessione veritatis satis contradicunt, unde nullum est periculum, ne se impietatis illius participes reddant. Ita *Pharisæi* corruptissimũ habebant ministerium, & in eo circumcisio-

*Declaratur exemplo.*

nem

nem multis traditionibus pollutam, multi tamen pii parentes infantes ſuos ipſis circumcidendos obtulerunt, dum alios meliores Doctores habere non potuerunt: quin & credibile eſt, Chriſtum ipſum & *Apoſtolos* à *Phariſæis* circumciſos fuiſſe. Licet enim *Phariſæi* eſſent fures & latrones *Joh.* 10. circumciſio tamen in ſeſe erat ordinatio Dei, qui per manum impuriſſimorum iſtorum doctorum ſacramentum hoc adminiſtrabat. Eodem modo Deus eſt, qui baptiſat, licet per impuram manum ſacrificuli à quo, ſi meliores doctores habere nuſpiam poſſumus, baptiſmum abſque peccato & petere & accipere poſſumus.

Si quid hoc in genere peccatum eſſet, ſequeretur majores noſtros, qui in *Papatu* ad Pontificii alicujus baptiſmum allati, ejusque manu baptiſati ſunt, impiè feciſſe, annihilaretur etiam prædicatio verbi à *monachis* facta, ut & ſolatium monachi, licet ex ſcriptura depromtum, omnesque qui etiam in *Papatu* baptiſantur, & poſtea ad noſtras ſe conferunt eccleſias, rebaptiſandi eſſent, ſi baptiſmus *Papiſticus* in ſeſe eſſet impurus & illicitus.

Quæ rationes omnes iis qui dociles ſunt, facilè ſatisfaciunt: nam quod *Papatus* plenus eſt hæreſibus, quòd baptiſmus *Papiſticis* ſuperſtitionibus refertus eſt, quòd baptiſans eſt hæreticus, id ipſi baptiſmo, in ſubſtantialibus integro nihil derogare poteſt, cùm non ex accidentibus illis, ſed ex ſubſtantia baptiſmi, quæ non eſt ab hominibus, ſed à Deo, de ejus efficacia meritò judicetur.

## CASUS VI.

*Quid ſi vero hæretici, ut hodie fit in Papatu, infantes etiam ſibi oblatos baptiſare recuſent, donec parentes ad eccleſiam illam malignantium publicâ confeſſione ſeſe conferant?*

*De hæreticis recuſantibus baptiſare infantes, donec parẽtes ad eccleſiæ ſuæ gremiũ ſe cõferãt.*

RESP. Eò hodiè progreſſa eſt tyrannis *Romanenſium in Bohemiâ* & aliis locis, ſine dubio ſic permittente Deo, & puniente ingratitudinem verbi ſui.

Etſi verò hic eſt verè peracutus ille gladius, qui piorum parentum corda tranſit: nullo tamen modo commovendi ſunt, ut ad iſta impia poſtulata conniventes ad cœtus *Pontificiorum* ſe aggregent, quos ſciunt eſſe ſynagogam Satanæ & ſcholam Antichriſti. Ideò extrema potiùs quævis ferenda ſunt, quàm in turpem illam triſtiſſimamq; apoſtaſiam conſentiendum.

*Parentes non debent annuere hac in parte Pontificiis, ſed orthodoxum eccleſiæ miniſtrũ alibi quærere.*

Ut tamen non ſuis tantùm conſcientiis, ſed & ſaluti infantum ſuorum conſulant, primùm omnium quærendus eſt orthodoxus eccleſiæ miniſter, etiam per aliquot milliaria, non obſtante vel itineris

vel

Digitized by Google

vel sumtuum dispendio. Qui, si haberi nequeat, supplicandum Magistratui Pontificio, sub cujus jurisdictione vivimus, aliorum etiam intercessionibus utendum, ne conscientiis nostris jugum hoc imponi permittat, cum nemo hominum tantæ sit majestatis aut potentiæ, ut potestatem in conscientias aliorum habeat.

*Aut si hoc non succedat, in extremo necessitatis gradu & statu infantem ipsi baptisare.*

Quod si neque sic aliquid proficitur, tunc tanquam in extremo necessitatis casu, parentes ipsi privatim infantes suos baptisare possunt, quemadmodum tempore persecutionis Antiochenæ etiam mulieres circumcidebāt infantes suos 1. *Macch.* 1,64. 2. *Macch.* 6,10.

Etsi enim ordinario modo circumcisio & baptismus à certis personis in ministerio constitutis administrari debebat; tamen in illo necessitatis casu ordo ille cessare potest, qui non dominari debet sacramentis, sed subservire: nec dependet baptismus à d gn tate personæ administrantis, sed à verbis institutionis.

*Bezæ obiectiuncula dissolvitur, de loco, ubi baptism° administrari debeat?*

Frustra etiam scrupulus injicitur de loco. *Beza* enim *in lib. quæst. & Respons. quæst.* 151. non nisi in publico cœtu ecclesiæ vult baptismum administrandum esse; quod quidem extra casum necessitatis etiam nos consultum esse arbitramur, sed, cùm omnis aditus ad publicos cœtus nobis præcluditur, nihil obstat, quin in privatis ædibus fiat, quia DEUS gratiâ suâ nulli loco se affixit, & cum *vel duo vel tres congregati sunt in nomine CHRISTI, ibi est* ecclesia & *in* ejus *medio CHRISTUS Matth.* 18. *vers* 20.

Ideò Apostoli non semper in publicis conventibus baptisarunt, sed interdū in privatis ædibus *Actor.* 16. interdum etiam in viâ, *Actor.* 8. aut aliis in locis, prout res postulabat, & ubi aqua in promtu erat. In his ergò circumstantiis nemo nimium sollicitus esse debet.

## CASUS VII.

*De infante à matre prater aliorum præsentiam baptisato.*

*Quid si mater sola, remotis arbitris seu testibus infantem suum in casu necessitatis baptisasset, num infans de baptismo suo in adulta ætate satis certus esse posset?*

*B. Lutheri decisio.*

RESp. Casum hunc proponit *B. Lutherus tom.* 8 *Ienen. ger. fol.* 45. & respondet: *si mater tempore partus ita praoccuparetur, ut neminē prorsus accersere posset, sed ipsa sola sit, infans autē, quem enixa fuit, de vita periclitaretur, in eo casu mater infantem suum adspersa aqua baptisare potest in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.*

*Quod si infans statim accepto baptismo moreretur, dubitare non debet, quin verum acceperit baptismum, & feliciter mortuus sit.*

*Sin verò superstes manserit infans, nemini hominum indicet, quòd infantem*

*tem*

*tem ſuum baptiſarit, ſed tanquam nondum baptiſatum in cœtum eccleſiæ adferat à miniſtro baptiſandum, nō quaſi baptiſmus à ſe adminiſtratus non fuerit verus & ſalutaris, ſed quia infans in adultiore ætate teſtibus opus habet, contra ignita diaboli ſpicula, quod baptiſatus fuerit: quod teſtimonium ab eccleſiâ, re exigente, præſertim autem ab iis, qui in ſpecie hanc ad rem adhibentur, teſtibus, quos patrinos vocant, petere poteſt. Soli enim matri, ut teſti unicæ, in re tanti momenti, quæ ſalutem animæ concernit, fides vix adhiberetur.*

*Et hic baptiſmus non eſt pro iterato habendus, nam ut Ambroſius dicit: iteratum dici non poteſt, quod ita neſcitur eſſe factum.*

## CASUS IIX.

*De patrinis.*

### *Quisnam eſt uſus patrinorum ſeu ſuſceptorum, qui in baptiſmo adhibentur?*

*Patrini nō ſunt abſolutè baptiſmo neceſſarii.*

RESpond. Patrini non ſunt de abſolutâ neceſſitate baptiſmi, quaſi abſque iis baptiſmus legitimè adminiſtrari non poſſit; jam enim audivimus, infantem à matre in loco ſolitario baptiſatum verum accepiſſe baptiſmū; ideò nec à Chriſto præceptum, nec ab initio uſitatum fuit, ut patrini adhiberentur, nullum enim exemplum hujus rei in Apoſtolicâ eccleſiâ reperitur.

*Patrinorū ritus antiquiſſimus.*

Referimus ergò ad ritus hujus ſacramenti, & quidem antiquiſſimos, meminit enim ejus *Tertullianus in lib. de Baptiſmo*, & *Dionyſius in hierarch. Eccleſ. cap. ultimo* ſub finem, ubi *patrinos diviniſſimos pueri patres, & ſalutis ſacræ anadochos* nominat.

*Patrinorum origo.*

Originem hujus ritus ad Higinum epiſcopum Romanum referunt, qui eum circa *annum Chriſti* 140. inſtituit; occaſionem ejus præbuit baptiſmus *Catechumenorum*, de quibus *Euſebius* refert *lib* 7. *cap.* 20. *& lib.* 8. *cap.* 21. *quòd ſuſceptores teſtes & ſponſores eis deſtinati fuerint, qui de fide & baptiſmo Catechumenorum teſtificarentur.*

*Occaſio.*

Alii occaſionem huic ritui præbuiſſe putant parentes, qui ex gentiliſmo ad Chriſtianam religionem recens converſi fuerant, qui vel ob ignorantiam non potuerunt, vel ob incuriam noluerunt infantes ſuos in vera fide Chriſtianorum educare, ideò alii, qui melioris eſſent judicii, electi ſunt, qui non ſaltem de baptiſmo infantis teſtarentur, ſed & curam educationis in pietate & verâ fide ſuſciperent.

*Uſus patrinorum conſiſtit. 1. in fidejuſſione.*

Hinc colligi poteſt, quis patrinorum uſus ſit. 1. ſunt fidejuſſores infantum, quorum nomine abrenunciarunt Satanæ, & fidem Chriſtianam profeſſi ſunt, quam ceremoniam vehementer approbat *Dionyſius loco dicto*, non ut diſpoſitionem aliquam ad baptiſmum, ut *Bellarminus* putat *lib.* 1. *de ſacramen. cap.* 11. nec quaſi fides illa patrinorum ſufficiat parvulis ad juſtificationem, ut *Gre-*



Digitized by Google

ut *Gregorius de Valent.* existimat *tom. 4. in Thom. disp. 4. quæst. 3. punct. 3.* sed quia ostendit infantem baptisari in eam fidem, quam de S. S. Trinitate tenet ecclesia, revocatque nobis in memoriam sponsionem illam supremi advocati parvulorum, dicentis *Marc. 10. sinite parvulos ad me venire, &c.*

*2 In paterna affectione.* 2. Sunt compatres, hoc est, adjutores parentum, vel etiam, post eorũ obitum propatres & vicarii in educatione infantum illa in fide, de quâ loco infantum responderunt. Operam ergò dare debẽt, ut infantem ab omnibus operibus diaboli, quibus in baptismo renunciavit, alienissimũ reddant, Deoque semper addictum præstent, exhortationibus, commonefactionibus, informationibus, nõ secus, ac si à se esset genitus. Hinc est admonitio *Augustini ad patrinos serm: 116. de temp. qui filios aut filias excipere religioso amore desiderant, inquit, & antequam baptisentur, & postquam baptisati fuerint, de castitate, de humilitate, de sobrietate, vel pace eos admonere vel docere non desinant, & agnoscant, se fidejussores eorum esse: pro ipsis enim respondent, quòd abrenuncient diabolo, pompis & operibus ejus, & ideò tam illi qui excipiunt, quàm qui excipiuntur, tam patres, quàm filij pactum, quod cum CHRISTO in baptismi sacramento conscribunt, custodire contendant, nec unquam aliquid diaboli pompis vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupiscant.*

*3. in testificatione.* 3. *Sunt* testes, qui testificari debent, baptismum infanti legitimè esse collatum, ipsumq; cætui ecclesiæ insertum, & membrum civitatis Dei factum esse.

*Quot numero patrini sint sollicitandi.* Cumque in *ore duorum vel trium omne verbum consistat Deuter. 19. v. 6.* hinc factum, quòd plerumq; duo vel tres adhibeantur susceptores, quò referunt nonnulli exemplum *Esaiæ*, qui filii nomen suscepturus duos adhibuit testes, *Es. 8. v. 2.*

*Sed* hæc res est liberæ observationis pro more cujusq; ecclesiæ, quem nemo temerè cõvellere debet: multo minus lucri causâ in multitudinẽ testium consentiendum est, qui abusus rei in se piæ & utilis à magistratu meritò prohibetur.

Ex quibus omnibus colligitur, titulum hunc non quidem simpliciter necessarium esse, ut sine peccato omitti non possit, nec tamen etiam temerè negligendum, cùm tàm præclarum habeat usum.

*Musculus anadcihomastix refutatur.* Quod observandum est contra μωρομαστίαν Musculi, qui *in L. C. loco de baptismo* consuetudinem illam interrogandi patrinos absque ratione receptam scribit in Ecclesia, eamque adeò absurdam vocat, ut defendi nequeat: imò patrinos, quantum in ipso est, penitus abrogat: *meo judicio* inquiens, *convenientius fuerit, si pater baptisandi infantis præsens ad baptisterium & baptismum pro parvulo suo poscens, à ministro coram adstantibus de fide interrogetur, non quam infans, sed quam habeat ipse in Christum Dominum ac servatorem, &* ad quam

*ad quam infantem suum educare & instituere velit, atq; interrogatus symbolum fidei Christianæ clara voce exprimat, postque ejusmodi confessionem in fidem hanc & gratiam Christi infantem suum obsignari religiosè petat. &c.* Hæc ille.

Sed novitas illa oritur ex errore *Calvinianorum*, qui putant infantes Christianorum fide parentum credere, qui error alibi refutatus est.

*Bucanus ipsi opponitur.* Nos opponimus hoc in genere *Musculo Bucanum*, qui in *institut. Theol. l.* 47. patrinorum usum non simpliciter rejiciendum esse rectè statuit, 1. *quia ortus sit ex imitatione baptismi Catechumenorum, qui baptisandi non solùm de fide interrogati ipsi respondebant, sed fidei suæ veluti testes & sponsores dabant.* 2. *non pugnat cum scripturis.* 3. *vetustissima est consuetudo in ecclesiâ.* 4. *hoc ita cedit in utilitatẽ, & salutem infantis, ut nemini sit fraudi.* 5 *habet nihil iniqui aut inhonesti.* 6. *ex caritate proficiscitur.* 7. *totum hoc ad ædificationem ecclesiæ facit.* 8. *ut ad facilem partum in generatione carnali adhibetur obstetrix; sic in spirituali regeneratione baptismi aliquis adhibetur, qui fungatur vice obstetricis, & pædagogi in iis, qui pertinent ad fidem & vitam Christianam.* Hæc ille.

Cùm ergò præclarus sit patrinorum usus, ritus ille non modò rectè observatur, sed & necesse est, ut homines maturi judicii, non pueri, item in fide ritè instituti, Deum timentes, & ab omni graviore scelere immunes, ad hoc pietatis officium seligantur. Non enim possunt hoc munere ritè perfungi, qui vel illud non intelligunt, vel ipsi magnum veræ fidei ac pietatis defectum habent.

## CASUS IX.

### *Suntne tales vel rogandi, vel admittendi patrini, qui vel vitæ sunt dissolutæ, aut infamia aliqua notati, vel à religione nostra alieni?*

*De hominibus dissoluta vita, diversa à nostra religionis, notatis infamia*

RESP. Non agitur hîc de efficaciâ baptismi, quasi ea tollatur aut enervetur, si ejusmodi homines ad baptismum fuerint admissi. Nam cùm ea non pendeat vel à dignitate ministri baptisantis, vel à fide testium, modo aliàs secundum Christi institutionem ritè administratus fuerit, nemo de efficaciâ baptismi sui dubitare debet, licet impios habuerit susceptores. *Negatur.* Sed sunt aliæ causæ, propter quas cautione hoc in genere opus est.

Parentes sanè, qui & ipsi pij sunt, verum patrinorum usum habent cognitum, suisque infantibus benè cupiunt, & ut, ipsis defunctis, rectè educentur, seriò exoptant, non nisi eos seligunt patrinos, de quorum pietate, probitate, & integritate, imprimis autẽ orthodoxiâ in



Digitized by Google

religione constat: idque ut omnes faciant, à pastoribus suis crebrò admonendi sunt, tribus potissimum de causis:

Ratio 1. 1. Multæ sunt exhortationes scripturæ, quæ nos à conversatione, amicitiâ & familiaritate hujusmodi hominum dehortantur: *nolite jugum trahere cum infidelibus*, inquit *Paulus* 2. *Cor*. 6, 14. *si is, qui frater nominatur, est fornicator aut avarus, aut idolorum cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumite*. 1. *Cor*. 5. v. 11. *denuntiamus vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis* 2 *Thess*. 3. v. 6. *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis* 2. *Iohan. versic*. 10. Quò pertinet exemplum *Davidis*, qui multis in locis testatur, quantoperè à familiaritate impiorum, qui vel in moribus vel in doctrinâ à se dissentiant, abhorreat. *Psal*. 26, 5. 16. 7. 119, 113. 163. 139, 21, 22, &c.

Ratio 2. 2. Officium patrinorum requirit homines pios & integros vitæ, ut & in religione sinceros. Nam fidejussores infantum sunt, quorum nomine fidem Christianam profitentur, pro quibus etiam orant, ut Deus eos in gratiam recipiat, & in verâ fide conservet. Id verò fieri non potest ab iis, qui ipsi non sunt in gratiâ nec veram fidem habent, nec orare possunt, quia *peccatores Deus non exaudit*. *Ioh*. 9. v. 31. infantes parentū loco in verâ fide & pietate educare debent: quomodo verò hoc præstare possunt ij, qui à verâ fide & pietate planè sunt alieni? testari etiam debent de baptismo infantum: sed infamiâ notati, & manifestis sceleribus polluti in civilibus judiciis à testimonio dicendo repelluntur. *c. testimonium*, 54. *extr. de testib. c. super* 13. *eodem*: quomodo ergo testimonium ipsorum in re tàm sanctâ admitti potest? Christus diaboli testimonium etiam vera dicentis non admisit: & tu testimonium ejus, qui servus est diaboli, admittas?

3. Admonitio Apostolica est, 1. *Thess*. 5. v. 25. *ab omni specie mali abstinete*. Illa autem tàm arcta cum impiis necessitudo speciem *collusionis* habet, & si patrini religioni falsæ addicti sunt, etiam securitatis, quasi parentes nullam religionem curent, & perinde habeant, quomodo & à quibus liberi ipsorum educentur. Speciem quoque *avaritiæ* habet, si præsertim ex locis dissitis, homines malæ notæ accersant, & infantibus suis susceptores eligant, cùm in propinquo pios ac religiosos habere possent. Ratio 3.

His & similibus de causis monendi sunt parentes, ut in electione patrinorum circumspecti sint; monendi etiam auditores improbi, & contumaciter malitiosi, ut ab enormibus suis sceleribus abstineant, fore aliàs, ut ab usu sacramentorum arceantur, imò ut morbida membra à corpore ecclesiæ planè abscindantur.

Quòd ſi verò parentes, ſive ex ignorantia, ſive etiam poſthabitis illis admonitionibus, & ex propoſito ejuſmodi impios & in fide errantes infanti ſuo patrinos & ſuſceptores elegiſſent, tunc eccleſiæ miniſter in ipſo actu baptiſmi neminem ab officio patrini arcere debet: id enim non ſine ignominiâ fieret, eaque ratione multi offenderentur, de quorum converſione aliàs ſpes eſſe poterat.

*Diſtinctio hoc in caſu obſervanda.* Sed hic cautione opus eſt & diſtinctione: ſi notoriè impius eſt, blaſphemus, adulter, uſurarius aut ſimili ſcelere pollutus, referatur res à miniſtro ante baptiſmum, ſi moram patitur, ad ordinarium Inſpectorem, qui cum ipſo agat, & converſionem ejus ſollicitè quærat. ſi ipſe nihil proficit, referat rem ad conſiſtorium, in quo eſt juriſdictio magiſtratus eccleſiaſtica. Si nec illius admonitiones admittit, tunc publicâ ejus auctoritate à communione ſacrorum meritò arcetur. Hi ſunt gradus ad monitionũ, juxta præceptum Chriſti. *Matthæi* 18. apud omnes obſervandi, qui in delicto aliquo deprehenduntur.

Quod ſi talis etiam ſæpius admonitus, & tamen impœnitens adhuc actui illi baptiſmatis ſe intrudat, tunc miniſter ipſum tolerare quidem tenetur, ſed finitâ actione, & parentes meritò reprehendere poteſt, quòd tales elegerint, & cum ipſis impœnitentibus jure agere: in ipſa verò actione ſcandalum infirmorum cavere debet.

Si patrinus non apertè eſt blaſphemus, nec contemtor noſtræ religionis, ſed errore quodam faſcinatus ob defectum melioris inſtitutionis, docilis tamen adhuc, is admitti debet ad hunc actum baptiſmi, quia præſentiâ ſua baptiſmum noſtrum approbat, & hac ratione aliquam apud nos eccleſiam agnoſcit, cujus clavis eſt baptiſmus: qui verò non eſt contra nos, nobiſcum eſt, & ſpes apparet in talibus, fore, ut ſi recta informatio accedat, ipſi tandem errores ſuos agnoſcant & deponant.

Quam ob cauſam à paſtore vel ante vel poſt peractum baptiſmum erroris ſui modeſtè admoneri, & ne ſibi pertinacia in illo periculum accerſat commonefieri debet.

Eadem eſt ratio eorum, quos fama ſaltem notavit, nondum autem alicujus inſignioris ſceleris convicti ſunt: qui arceri à baptiſmo non poſſunt, quia nondum ſunt, ut morbida membra ab eccleſia reſciſſi, monendi tamen ſunt, ut maculam ſibi aſperſam eluant, ne quid durius in ipſos ſtatuatur.

Hæc eſt praxis noſtrarum eccleſiarum, juxta *Conſtitutionem Electoralem eccleſiaſticam, art.* 10. quæ & removendo ſcandalo, & convertendis improbis omnium accommodatiſſima videtur & conſentit cum judicio *Theologorum Würtenbergenſium, quod vide in conſ. Bidenb. decad.* 2. *conſ.* 9.



Digitized by Google

## CASUS X.

*Si quis ab alio religionis diversæ parente rogaretur, ut infantem suum ex lavacro baptismi susciperet, numquid bona conscientia annuere posset ac deberet?*

RESP. Nemo semetipsum offerre debet hoc in genere iis, qui nostræ religionis non sunt, ne apud imperitos in suspicionem collusionis incidat. Si verò ab iis requiramur, videndum 1. est, quæ sit confessio illius ecclesiæ in qua opera nostra expetitur, si negantur ibi tres personæ Trinit. aut alioquin substantialia baptismi convelluntur, ut fit apud *Arianos, Photinianos, Anabaptistas*, recusandum est hoc officium, ne aliorum peccatorum participes fiamus.

2. Considerandum, quo animo hoc officium à nobis petatur. Si fit tentandi causa, hunc videl. in finem, ut nostrâ præsentiâ tacitam edamus confessionem ejus doctrinæ, quæ in illa ecclesiâ, in quâ baptismus administratur, sonat, recusandum est, *non enim cedendum est iis, qui explorare volunt libertatem nostram quam habemus in Christo, ut nos in servitutem redigant, exemplo Pauli Galat.* 2, 4.

Neque annuendum, si hoc facto nostro offenderentur infirmi, & de nobis opinionem alicujus collusionis cum adversariis conciperent. Nam propter scandalum etiam à rebus mediis est abstinendum, sicut *Paulus* scribit: *si esca scandalisaret fratrem meum, non manducabo carnẽ in æternum* 1. *Cor.* 10, 13. His de causis *constitutio electoralis ecclesiastica artic.* 10. dissuadet, *ne quis baptismo Papistarum intersit, ne abominationes ipsorum approbare videatur.*

[*Plura hac de re qui legere voluerit, consulat integrum tractatũ Germanicum, quem scripsit Dn. Melchior Episcopus Superintendens quondam Coburgensis p. m. a. m. d. cui titulus*: Grund und Ursach / warumb ein wahrer Christ / der Augsp. Confession-verwand / nicht könne mit gutẽ Gewissen bey den Bäpstischen zu Gevattern stehen / sampt widerlegung der fürnembsten gegenwürff unnd Einreden / gedruckt zu Coburg. 1594.]

Si verò periculum tentationis aut scandali non sit, baptismus quoque in substantialibus integer administretur; non video, quid obstet, quo minùs in ejusmodi petitionem consentire possit: accedat tamen solennis coram adversariis protestatio, sibi cum doctrinâ ipsorum nihil esse negotii, & se hoc suo facto nihil aliud, quàm de baptismo infantis testari velle.

Rationes hujus sententiæ sunt:

1. quia

1. quia quorum baptismum in substantialibus credimus esse verum, de eo etiam testari possumus nostra præsentiâ. Talis est baptismus Calvinianorum & Pontificiorum, ut suprà docuimus. Ergò.

2. Cùm præcipuus usus sit susceptorum, ut habeant infantes testes baptismi sui, etiam nostrum testimonium negari non potest de baptismo in substantialibus legitimè administrato, licet ab iis, qui in aliis doctrinæ capitibus à nobis discrepant: quemadmodum in foro etiam coram injusto magistratu innocentiæ testimonium alicui perhibere possumus.

3. Hac ratione infans in nostram potestatem traditur, & nobis aliqua pars educationis committitur, quo etiam jure nostro uti possumus, vel admonitionibus, dum parentes adhuc sunt in vivis, vel plenâ institutione in religione verâ, post obitum parentum.

4. Per hoc officium spiritualis contrahitur amicitia cum parentibus infantis, quos conversatione nostra faciliùs lucrari possumus, quemadmodum *Petrus* de mulieribus fidelibus & honestè viventibus scribit, quòd *per ipsarum conversationem, etiam qui non credunt verbo, lucrifieri possint* 1. *Pet.* 3, 1. qui fructus intempestivâ tergiversatione & morositate impediretur. Non enim verisimile est, pertinaces adversarios, & apertè blasphemos in religionem nostram, alicujus nostrûm operam hoc in genere imploraturos: si ergò infirmi hoc faciunt, illi facilitate nostrâ juvandi potius sunt, quàm morositate repellendi: sciat ergò, quisquis ad hoc sacrum officium adhibetur, se hoc ipso quasi vocationem accepisse, ut & parentes & infantem ab errore revocet, & quantum in se est, in religione verâ instruat, quod etiam ante actum baptismi, se in posterum facturum, parentibus operam suam expetentibus, prædicere potest.

## CASUS XI.

### *Num quis rogatus, ut infantem ex baptismo suscipiat, honestè id recusare potest?*

RESP. Reperiuntur qui existimant, se id honestè facere posse vel cum infans non est legitimè natus, vel ab hoste, cum quo fortè in foro litigant, rogantur; vel etiam, ut pecuniæ parcant, cum frequenter nimis ad hoc officium adhibeantur.

Verùm, cùm officium pietatis & caritatis sit, non video, quomodò honestè recusari queat. Nam 1. cum officium susceptorū sit testari de infantis baptismo, eumque in vera fide rectè educare, quilibet sanè ἀνδρῶν σωτηρίας eam ad rem paratus esse debet: juxta illud *Chrysostomi: quilibet nostrum videat, quomodo proximum è faucibus diaboli eripiat.* *Negatur 1 Ratio.*

2. Re-

2 Ratio. 2. Requirit hoc vinculum caritatis, quo tanquam membra unius mystici corporis sub uno capite Christo colligati sumus. *Caritas n. officiosa est & benigna* 1. Cor. 13, 4. quæ proximo etiam cum aliquo suo incommodo, (quod tamen hoc in genere esse non potest,) inservit.

3 Ratio. 3. Postulat insuper ipsa honestas, quæ violatur, cum leviculâ de causa, & inprimis ob tenacitatem nostram fidei socium in re tàm pia deserimus, quod quam sordidum sit, & famæ nostræ noxium quilibet æstimare potest.

4. Ratio. 4. Parcendum est famæ proximi, qui repulsam ferens, pudore suffunditur, ignominia afficitur, & in suspicionem rei minus licitæ trahitur: *Caritas autem non agit personam* 1. *Cor.* 13, 4.

5. Ratio. (5.) Denique quilibet, quod sibi non vult fieri, alteri ne faciat: ac proinde promptus & paratus ad pium hoc officium reperiatur, quò & alios simili in casu tales inveniat.

*Objectiones solvuntur.* Rationes illæ, quæ aliquem avocare possunt, nullius sunt momenti. Nam si infans non est legitimus, ipse nec parentum culpam præstare, nec in re tam pia deseri potest.

Si quis suæ dignitatis aut officii respectu actioni baptismi ipse interesse nolit, per alium id, quod rogatus fuit lubens præstet, modò misero infanti non penitus defuisse videatur.

Si ab inimico ad hoc officium expetitus fuerit, gratuletur sibi, quòd occasionem reconciliationis invenerit, quam quilibet piorum summo studio quærere debet. Neque eam impedire debent actiones forenses, quæ nihilominus salvis officiis pietatis stare possunt, & reconciliatis personis litigantibus, citiùs & feliciùs finiri.

Si quis verò propter pecuniam infantem Christo adducendum negligit, non est dignus, cui inter Christianos locus concedatur. Nam salus & educatio infantis merito omnibus mundi divitiis est anteponenda. Adde, quòd essentialis pars hujus officii non sit muneris oblatio; neque pii parentes hoc attendunt, sed vel prorsus eo carere, vel exiguo contenti esse possunt, neque deest Deo occasio, hanc beneficentiam, præsertim, cùm parentes sunt pauperiores, largiter compensandi.

Qui ergò, non dicam honestatis, sed & pietatis amans est, officium hoc nemini facilè denegabit.

## CASUS XII.

### *Num baptismus sine exorcismo minùs est legitimus?*

*De exorcismo.*

RESP. Exorcismus dicitur illa actio in baptismo, qua adjuratur spiritus immundus, ut exeat ab hoc servo Jesu Christi, in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti. *Quid sit*

Usitata fuit hæc actio tempore *Tertulliani, Cypriani, Naziãzeni, O-* *Fuit usitatus tempore Patrum.*

*ptati*

*ptati Milevitani, Augustini, Ambrosii, &c.* qui omnes exorcismum tanquam traditionem ecclesiasticam utilem, tam Græcis, quàm Latinis Ecclesiis commendarunt.

*Quid per exorcismũ intelligatur?*

Non autem intelligimus per exorcismum donum illud ejiciendi dæmones ab obsessis, quod in primitivâ ecclesiâ usitatum erat, ut ex *Iustini dialogo cum Tryphone & Tertulliani Apologetico cap. 32.* constat, sed in baptismo locum nullum habet; neque enim infantes nostros corporaliter obsessos esse credimus: nec intelligimus magicam quandam vim & efficaciam expellendi diabolum, qualem *Pontificij* fingunt, ut videre est *apud Bellarm. lib. 1. de baptism. cap. 25. & Gregor. de Valentia disp. 4. quæst. 6. de ritu baptismi puncto secundo*: nec tribuimus ei Apostolicam autoritatem, qualem ei tribuit *Leo 1. Epist. 4. cap. 7. & ex eo Bellarminus l. d.* neque enim uspiam legimus vel Christum præcepisse, vel Apostolos in baptismo usurpasse exorcismum: sed utimur eo ut ritu ecclesiastico humanitùs introducto, cujus usus merè est σημαντικὸς & τυπικὸς, significat enim & adumbrat spiritualem hominis captivitatem in regno Satanæ, in quo nascitur, & liberationem inde factam per Christum in baptismo, ubi transferuntur è regno satanæ in regnum Christi, qui nihil amplius juris habet in his, qui baptisati sunt, ideò adjuratur, hoc est gravi obtestatione ab infante, quem per peccatum originis spiritualiter occupat, cedere jubetur, & Christo redemtori locum relinquere. Est enim ἐξορκίζειν hoc in loco, non jurejurando obstringere, ut *Matth. 26. versic. 63.* usurpatur, sed obtestando arcere, sicut Christus Satanam abegit *Matth. 4, 10, 16, 23.* & de obtestatione utitur hac voce Paulus *1. Thessal. 5. v. 27.* & de hoc usu exorcismi loquitur *Chrysostom. in cap. 12. Marci: exit spiritus immundus ab homine, cum per fidem baptisatus in nomine Christi desierit esse diaboli, & factus fuerit Dei.*

*Exorcismus potissimum de quatuor rebus nos monet 1. de peccati servitute misera. 2. de virtute & efficacia baptismi. 3. de stipulatione & juramento soli Deo præstito. 4. de militia totius vitæ.*

Sicui autem verba exorcismi duriora videntur, rectè monet *D. Chemnitius part. 3. loc. Theol. tit. de baptismo; ecclesiam habere libertatem, ut doctrinam illam de peccato originis, de potestate & regno Satanæ, & de baptismi efficaciâ aliis verbis scripturæ magis consentaneis proponat & explicet. Non enim est exorcismus substantialis, aut integralis pars baptismi, sed ritus ἀδιάφορος, qui non tantùm inter baptisandum omitti potest, sed & penitùs abrogari, si totius ecclesiæ consensu ritè, & ordine fiat. Ideò, si quis absque exorcismo baptisatus fuerit, nullum de baptismo sibi scrupulum faciat, cum externi ritus ipsi substantiæ sacramenti nihil derogare, nihil etiam addere possint.*

[ *Exorcismus est ritus adiaphorus qui vel omitti vel retineri potest.*
*Quando abrogatur 1. debet fieri autoritate magistratus & ministerij Eccl. 33. v. 20.*

Rr 2. Eccle-

2. *Ecclesia consentiente & non contradicente πάντῳ γὰρ καλῶς πάξιν καὶ ἀσχημόνως.*
3. *Justâ & urgente causâ.*
4. *Citra vera doctrina adulterationem & condemnationem.*
5. *Citra præposteram superstitionē & religionis adulterina invectionem Galat. 2.*
6. *Citra tumultum & scandalum infirmorum Matth. 18, 6.*

*Quando in unam vel plures conditionum harum delinquitur, in Christianam libertatem impingitur.*]

Nemo autem privato arbitrio ritum hunc abrogare ausit, præsertim cùm in ejus usurpatione nullum est periculum scandali, ut fit in ecclesiis de baptismo institutis. Nam adiaphora fiunt necessaria, si temerè & absque causa, cum scandalo infirmorum, mutatio eorum suscipitur, plura de exorcismo alibi: hæc pro ratione instituti nostri sufficiunt.

### Casus XIII.

## *Quomodo homo in adulta ætate baptismo suo uti potest?*

Respond. Baptismus non est actus transitorius, qui suum saltem in infantia hominis usum habeat per regenerationem; sed durat etiam in adultis usque ad finem vitæ, quoad suam efficaciam. Nam fœdus DEI, in quod recipimur per baptismum, est perpetuum, secundum illud *Esa. 54, 10. omnes movebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, fœdus pacis mea non movebitur, dixit miserator Dominus.*

Est autem usus baptismi in adultis triplex. 1. *præmunitorius* contra suggestiones Satanæ, quibus nos ad peccandum instigat, ibi in mentem nobis veniat baptismus noster, in quo valediximus regno diaboli, & omnibus ejus operibus, & propterea in fœdus DEI recepti sumus, ut serviamus DEO in sanctitate & justitiâ omnibus diebus vitæ nostræ. Resistamus igitur tentatori: baptisati non sunt amplius sub peccato, nec amplius iræ filii, sed sub gratia, & filii Dei. *Hac ergò vita novos mores postulat, quæ consona debet esse baptismo,* monente *Augustino de fid. & operibus cap. 26. si enim refugientes coinquinationes hujus mundi, in cogitatione Domini nostri IESU Christi, rursus implicantur in ea, facta sunt posteriora deteriora primis. Melius enim eis erat non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum ruere ab eo, quod ipsis traditum est, sancto mandato,* ait Apostolus *Petrus* *2. Pet. 2, 20, 21.* *Triplex usus baptismi in adultis 1. præmunitorius.*

Hunc baptismi usum notat Apostolus *Paulus*, *Rom. 6. 3. consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Sit igitur baptismus noster instar fundibuli, quo

infernalem illum *Goliathum*, cum te- tris suis suggestionibus prosternere, & vulnera conscientiæ præcavere possumus.

*1. Consolatorius.*

2. *Consolatorius*, & quidem dupliciter, primum si post baptismum in peccata relapsi fuerimus, & propterea Satan salutem nostram reddere velit dubiam. Ibi recordatio baptismi nostri dubitationem pellit, & solatium suggerit efficacissimum, quia Deus in baptismo non saltem peccata, in quibus nascimur, sed & omnia, quæ toto vitæ nostræ tempore patrare possumus, remisit, delevit, nos in filios suos recepit, & fœdere gratiæ dignatus est, ex quo quanquam per peccatum contra conscientiam excidimus, reditus tamen ad illud patet per pœnitentiam: *Conversis reditus semper ad astra patet.*

[*Vox Christi ad filios suos dilectos: Aperite, inquit Christus, portas pœnitentiæ sicut foramen acus: & ego aperiam vobis portas misericordiæ, per quas equi transire poterunt.*]

*Pontificii enervant baptismi efficaciam.*

Solatium hoc & efficaciam baptismi enervant Pontificii, dum statuunt gratiam baptismi valere tantum ad remissionem peccatorum præteritorum, seu eorum, quæ baptismi tempus in homine invenit, ita, ut licet peccator post baptismum ad pœnitentiam redeat, nihil tamen ei prosit gratia in baptismo accepta, sed eam per lapsum prorsus esse detritam, fractam & annihilatam, in pœnitentia ergò tanquam altera ex naufragio tabula gratiam & reconciliationem quærendam esse: quem errorem *B. Lutherus refutat de captiv. Babylon. art. de sacram. baptismi*, ubi scribit: *manet illa unica, solida & invicta navis, nec unquam dissolvitur in ullas tabulas, in quam omnes vehuntur, qui ad portam salutis vehuntur, quæ est veritas DEI in sacramentis promittens &c.* Ut ergò semel super nos lata divinâ promissione baptismi: *qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit*, usque ad mortem veritas ejus perseverat: ita fides in eandem nunquam debet intermitti, sed usque ad mortem ali & roborari perpetuâ memoriâ promissionis ejusdem in baptismo nobis factæ.

[ *Ideò Scriptura dicit in præsenti: salvat nos 1. Petr. 3. in præterito, salvos fecit Tit. 3. in futuro, qui baptisatus fuerit, salvus erit Marc. 16.* ]

Quare dum à peccatis surgimus, sive pœnitemus, non facimus aliud, quàm quòd ad baptismi virtutem & fidem, unde cecideramus, revertimur, & ad promissionem tunc factam redimus, quam per peccatum deserueramus. Hæc nostra sententia stabilitur perpetuitate fœderis, nobiscum initi, quod ex parte DEI semper manet ratum, quia *incredulitas hominum fidem DEI non evacuabit Ro. 3, 3.* si non credimus, *ipse fidelis permanet, seipsum negare non potest 2. Tim. 2, 13.* Nos v. per lapsus

Rr 2 con-

contra conscientiam excidimus quidem ex fœdere: per pœnitentiam ad illud redire possumus, ideò Deus nos *redire jubet Ierem* 3.1,12. *Paulus* quoque *Corinthios* baptismi sui recordari jubet, quòd *abluti sint, in uno spiritu, & in unum corpus baptisati* 1. *Cor.* 6, 11: 12, 13. *Galatas* in peccato lapsos baptismi sui recordari jubet, *in quo Christum induerunt, Gal.* 3, 27. *Petrus* quoque sine dubio baptismi sui recordatus fuit, ideò post conversionem scribit: *baptisma nos salvat* 1. *Petr.* 3, 11. eandem ob causam vocat *baptismum stipulationem bonæ conscientiæ cum Deo* 1. *Petr.* 3, 21. quia stipulatur conscientiis nostris propitium Deum, qui promissionem gratiæ in baptismo factam non retractabit.

Ita *Nazianzenus orat.* 40. *in bapt.* tentatos Christianos ob peccata ad baptismum suum remittit: *si te luminis persecutor & tentator* (inquit) *post baptismum adortus fuerit, ut certè adorietur, habes, quo eum superes: ne certamen reformides: aquam adversus eum appone, spiritum appone, in quo ignita omnia parvi illius tela extinguentur. Spiritus quidem est, verum dissolvens montes: aqua quidem est, sed quæ ignis extinguendi vim habet.*

[*Aqua corpus abluitur, spiritu animæ delicta mundantur, Ambros. in cap.* 3. *Luc.* Das Aug allein das Wasser siehet / wie Menschen Wasser giessen / *&c. Hinc baptismo tribuitur emundatio à peccatis Ezech.* 36. *v.* 25. *Actor.* 3. *v.* 2. παλιγγενεσία, ἀνακαίνωσις *Ioh.* 3. *v.* 5. *Tit.* 3. *v.* 3. *Christi indutio Gal.* 3 *v.* 27. σωτηρία 1. *Pet* 3. *v.* 21. *In baptismo est aqua spiritus & sanguis: aqua mundat, regenerat, sanguis Christi aquæ vim à peccatis mundandi præstat.*]

Hoc est primum solatium, quod ex baptismo habemus.

Alterum suppeditat, contra difficultates & pericula, in quæ fortè in officiis vocationis nostræ, aut aliis subitis casibus incidimus; quemadmodum enim fideles in V. T. circumcisionis suæ memores hostes incircumcisos fortiter aggrediebantur, quia signum fœderis habebant in carne suâ, quo seipsos de præsentiâ & auxilio Dei confirmabant, ut exemplis *Davidis & Ionathæ* constat 1. *Samuel.* 16, 26. 1. *Sam.* 14, 6. & ita Christiani in periculis constituti ex baptismo suo efficacissimam consolationem de præsentia & præsidio Dei haurire possunt. *Novit enim Deus suos è tentatione eripere* 2. *Petr* 2, 9. quò pertinet dulcissima illa promissio Dei *Esa.* 43, 1, 2. *noli timere, ego redemi te, & vocavi te nomine tuo, meus es tu: cùm transieris per aquas, tecum ero, & fluvia non operient te, cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Nomine nostro vocavit nos Deus in baptismo: ubi ejus facti sumus peculium; baptismus ergò noster præsentiam præsidiumque Dei in periculis nobis firmissimè promittere potest.

3 Tertius usus baptismi in adultis est monitorius & quidem tribus *3. Admonitorius.*

bus modis. Prima admonitio est pro neophytis, qui per baptismum recens ad ecclesiam accesserunt. *Hunc Augustinus vocat baptismum primam salutis januam.* Hos admonet baptismus circumspectè agere. Insidiatur enim Satan baptisatis magis, quàm iis, qui extra ecclesiam sunt. Et quemadmodum Christus mox post acceptum baptismum, à Spiritu S. ducebatur in desertum, ut tentaretur à diabolo: ita baptisatus statim à baptismo vocatur ad militiam, ubi semper vigilandum & orandum est, ne palma salutis à tentatore nobis invertatur. Hinc est admonitio *Siracidæ cap.* 2, 1: *fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & in timore, & præpara animam tuã ad tentationem.* Ut autem tentatoris manus effugiamus, consultum est vitare occasionem tentationum, hoc est, illecebras carnis, & mundi loca & tempora, quibus corrupta nostra natura ad peccandum allicitur: & ut *Seneca* scribit *epist.* 117. *quantum possumus, a lubrico recedamus, in sicco quoq; parum firmiter stamus. Qui spiritu Dei aguntur*, (quales sunt omnes baptisati) *pugnant*, ait *Augustinus serm.* 43. de verbo Domini: *facta enim carnis spiritum mortificant: ibi concupiscit caro adversus spiritum, ubi est spiritus.*

Deinde pro stantibus, ut videant, ne cadant: proinde cautè ambulent, pacifice vivant cum proximo, cum quo uni capiti Christo per baptismum sunt conjuncti, & ut *Paulus* loquitur, *per unum spiritum, in unum corpus baptisati*, 1. *Cor.* 12, 13. Ideò sint inter se membra, per vinculum caritatis copulata, sint idem sentientes & stuadentes, ne sint inter ipsos schismata, per quæ corpus illud mysticum facilè dissolvitur: se totos in baptismo Christo consecratos esse sciant, quem ibi induerunt, ideò *exhibeant* etiam *corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem Rom.* 12, 1. certum habentes propositum, se, quod per sponsores fecerunt in baptismo, toto vitæ suæ tempore Diabolo renunciaturos esse.

Denique pro lapsis, ut sine morâ resurgant, cum per nullum aliud medium, quàm per seriam pœnitentiam sit reditus ad gratiam. Impœnitentes igitur gratiam baptismi sibi annihilant, & cum in eo signum gratiæ habere deberent, mutant ipsum in testimonium justæ pœnæ, ita ut ex baptismo suo plus mœroris habeant, quàm gaudii, plus cruciatuum, quàm solatii. *Baptismus enim tanquam character infixus ornat militem, convincit desertorem*, ait *Augustinus in enar. Psal.* 39.

[ *Si millies homo lapsus sit, & millies resipuerit, nequaquam eum DEUS abjicit. Athanasius q.* 4.? *ad Antioch.*

ut *Gregorius de Valent.* existimat *tom. 4. in Thom. disp. 4. quæst. 3. punct. 3.* sed quia ostendit infantem baptisari in eam fidem, quam de S. S. Trinitate tenet ecclesia, revocatque nobis in memoriam sponsionem illam supremi advocati parvulorum, dicentis *Marc.* 10. *sinite parvulos ad me venire, &c.*

*2. In paterna affectione.*

2. Sunt compatres, hoc est, adjutores parentum, vel etiam, post eorũ obitum propatres & vicarii in educatione infantum illa in fide, de quâ loco infantum responderunt. Operam ergò dare debẽt, ut infantem ab omnibus operibus diaboli, quibus in baptismo renunciavit, alienissimũ reddant, Deoque semper addictum præstent, exhortationibus, commonefactionibus, informationibus, nõ secus, ac si à se esset genitus. Hinc est admonitio *Augustini ad patrinos serm:* 116. *de temp. qui filios aut filias excipere religioso amore desiderant, inquit, & antequam baptisentur, & postquam baptisati fuerint, de castitate, de humilitate, de sobrietate, vel pace eos admonere vel docere non desinant, & agnoscant, se fidejussores eorum esse: pro ipsis enim respondent, quòd abrenuncient diabolo, pompis & operibus ejus, & ideò tam illi qui excipiunt, quàm qui excipiuntur, tam patres, quàm filij pactum, quod cum CHRISTO in baptismi sacramento conscribunt, custodire contendant, nec unquam aliquid diaboli pompis vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupiscant.*

*3. in testificatione.*

3. *Sunt* testes, qui testificari debent, baptismum infanti legitimè esse collatum, ipsumq; cœtui ecclesiæ insertum, & membrum civitatis Dei factum esse.

*Quot numero patrini sint sollicitãdi.*

Cumque in *ore duorum vel trium omne verbum consistat Deuter. 19. v. 6.* hinc factum, quòd plerumq; duo vel tres adhibeantur susceptores, quò referunt nonnulli exemplum *Esaiæ*, qui filii nomen susceptururus duos ad hibuit testes. *Es.* 8. v. 2.

*Sed* hæc res est liberæ observationis pro more cujusq; ecclesiæ, quem nemo temerè cõvellere debet: multo minus lucri causâ in multitudinẽ testium consentiendum est, qui abusus rei in sese piæ & utilis à magistratu meritò prohibetur.

Ex quibus omnibus colligitur, ritum hunc non quidem simpliciter necessarium esse, ut sine peccato omitti non possit, nec tamen etiam temerè negligendum, cùm tàm præclarum habeat usum.

*Musculus anadochomastix refutatur.*

Quod observandum est contra μωροσοφίαν Musculi, qui *in L. C. loco de baptismo* consuetudinem illam interrogandi patrinos absque ratione receptam scribit in Ecclesia, eamque adeò absurdam vocat, ut defendi nequeat: imò patrinos, quantum in ipso est, penitus abrogat: *meo judicio* inquiens, *convenientius fuerit, si pater baptisandi infantis præsens ad baptisterium & baptismum pro parvulo suo poscens, à ministro coram adstantibus de fide interrogetur, non quam infans, sed quam habeat ipse in Christum Dominum ac servatorem, & ad quam*

*ad quam infantem suum educare & instituere velit, atq; interrogatus symbolum fidei Christianæ clara voce exprimat, postque ejusmodi confessionem in fidem hanc & gratiam Christi infantem suum obsignari religiosè petat. &c.* Hæc ille.

Sed novitas illa oritur ex errore *Calvinianorum*, qui putant infantes Christianorum fide parentum credere, qui error alibi refutatus est.

*Bucanus ipsi opponitur.* Nos opponimus hoc in genere *Musculo Bucanum*, qui in *institut. Theol. l.* 47. patrinorum usum non simpliciter rejiciendum esse rectè statuit, 1. *quia ortus sit ex imitatione baptismi Catechumenorum, qui baptisandi non solùm de fide interrogati ipsi respondebant, sed fidei suæ veluti testes & sponsores dabant.* 2. *non pugnat cum scripturis.* 3. *vetustissima est consuetudo in ecclesiâ.* 4. *hoc ita cedit in utilitatē, & salutem infantis, ut nemini sit fraudi.* 5 *habet nihil iniqui aut inhonesti.* 6. *ex caritate proficiscitur.* 7. *totum hoc ad ædificationem ecclesiæ facit.* 8. *ut ad facilem partum in generatione carnali adhibetur obstetrix; sic in spirituali regeneratione baptismi aliquis adhibetur, qui fungatur vice obstetricis, & pædagogi in iis, qui pertinent ad fidem & vitam Christianam.* Hæc ille.

Cùm ergò præclarus sit patrinorum usus, ritus ille non modò rectè observatur, sed & necesse est, ut homines maturi judicii, non pueri, item in fide ritè instituti, Deum timentes, & ab omni graviore scelere immunes, ad hoc pietatis officium seligantur. Non enim possunt hoc munere ritè perfungi, qui vel illud non intelligunt, vel ipsi magnum veræ fidei ac pietatis defectum habent.

## CASUS IX.

### *Suntne tales vel rogandi, vel admittendi patrini, qui vel vitâ sunt dissolutæ, aut infamiâ aliqua notati, vel à religione nostra alieni?*

*De hominibus dissolutæ vitæ, diversâ à nostra religionis, notatis infamia*

RESP. Non agitur hîc de efficaciâ baptismi, quasi ea tollatur aut enervetur, si ejusmodi homines ad baptismum fuerint admissi. Nam cùm ea non pendeat vel à dignitate ministri baptisantis, vel à fide testium, modo aliàs secundum Christi institutionem ritè administratus fuerit, nemo de efficaciâ baptismi sui dubitare debet, licet impios habuerit susceptores. Sed sunt aliæ causæ, propter quas cautione hoc in genere opus est. *Negatur.*

Parentes sanè, qui & ipsi pij sunt, verum patrinorum usum habent cognitum, suisque infantibus benè cupiunt, & ut, ipsis defunctis, rectè educentur, seriò exoptant, non nisi eos seligunt patrinos, de quorum pietate, probitate, & integritate, imprimis autē orthodoxiâ in



Digitized by Google

religione constat: idque ut omnes faciant, à pastoribus suis crebrò admonendi sunt, tribus potissimum de causis:

*Ratio 1.* 1. Multæ sunt exhortationes scripturæ, quæ nos à conversatione, amicitiâ & familiaritate hujusmodi hominum dehortantur: *nolite jugum trahere cum infidelibus*, inquit *Paulus* 2. *Cor*. 6, 14. *si is, qui frater nominatur, est fornicator aut avarus, aut idolorum cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumite*. 1. *Cor*. 5. *v*. 11. *denuntiamus vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis* 2 *Thess*. 3. *v*. 6. *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis* 2. *Iohan. versic*. 10. Quò pertinet exemplum *Davidis*, qui multis in locis testatur, quantoperè à familiaritate impiorum, qui vel in moribus vel in doctrinâ à se dissentiant, abhorreat. *Psal*. 26, 5. 16. 7. 119, 115. 163. 139, 21, 22, *&c*.

*Ratio 2.* 2. Officium patrinorum requirit homines pios & integros vitæ, ut & in religione sinceros. Nam fidejussores infantium sunt, quorum nomine fidem Christianam profitentur, pro quibus etiam orant, ut Deus eos in gratiam recipiat, & in verâ fide conservet. Id verò fieri non potest ab iis, qui ipsi non sunt in gratiâ nec veram fidem habent, nec orare possunt, quia *peccatores Deus non exaudit*. *Ioh*. 9. *v*. 31. infantes parentū loco in verâ fide & pietate educare debent: quomodo verò hoc præstare possunt ij, qui à verâ fide & pietate planè sunt alieni? testari etiam debent de baptismo infantum: sed infamiâ notati, & manifestis sceleribus polluti in civilibus judiciis à testimonio dicendo repelluntur. *c. testimonium*, 54. *extr. de testib. c. super* 13. *eodem*: quomodo ergo testimonium ipsorum in re tâm sanctâ admitti potest? Christus diaboli testimonium etiam vera dicentis non admisit: & tu testimonium ejus, qui servus est diaboli, admittas?

3. Admonitio Apostolica est, 1. *Thess*. 5. *v*. 25. *ab omni specie mali abstinete*. Illa autem tâm arcta cum impiis necessitudo speciem *collusionis* habet, & si patrini religioni falsæ addicti sunt, etiam securitatis, quasi parentes nullam religionem curent, & perinde habeant, quomodo & à quibus liberi ipsorum educentur. Speciem quoque *avaritiæ* habet, si præsertim ex locis dissitis, homines malæ notæ accersant, & infantibus suis susceptores eligant, cùm in propinquo pios ac religiosos habere possent. *Ratio 3.*

His & similibus de causis monendi sunt parentes, ut in electione patrinorum circumspecti sint; monendi etiam auditores improbi, & contumaciter malitiosi, ut ab enormibus suis sceleribus abstineant, fore aliàs, ut ab usu sacramentorum arceantur, imò ut morbida membra à corpore ecclesiæ planè abscindantur.

Quòd

Quòd ſi verò parentes, ſive ex ignorantia, ſive etiam poſthabitis illis admonitionibus, & ex propoſito ejuſmodi impios & in fide errantes infanti ſuo patrinos & ſuſceptores elegiſſent, tunc eccleſiæ miniſter in ipſo actu baptiſmi neminem ab officio patrini arcere debet: id enim non ſine ignominiâ fieret, eaque ratione multi offenderentur, de quorum converſione aliàs ſpes eſſe poterat.

*Diſtinctio hec in caſu obſervanda.*

Sed hic cautione opus eſt & diſtinctione: ſi notoriè impius eſt, blaſphemus, adulter, uſurarius aut ſimili ſcelere pollutus, referatur res à miniſtro ante baptiſmum, ſi moram patitur, ad ordinarium Inſpectorem, qui cum ipſo agat, & converſionem ejus ſollicitè quærat. ſi ipſe nihil proficit, referat rem ad conſiſtorium, in quo eſt juriſdictio magiſtratus eccleſiaſtica. Si nec illius admonitiones admittit, tunc publicâ ejus auctoritate à communione ſacrorum meritò arceatur. Hi ſunt gradus admonitionũ, juxta præceptum Chriſti. *Matthæi* 18. apud omnes obſervandi, qui in delicto aliquo deprehenduntur.

Quod ſi talis etiam ſæpius admonitus, & tamen impœnitens adhuc actui illi baptiſmatis ſe intrudat, tunc miniſter ipſum tolerare quidem tenetur, ſed finitâ actione, & parentes meritò reprehendere poteſt, quòd tales elegerint, & cum ipſis impœnitentibus jure agere: in ipſa verò actione ſcandalum infirmorum cavere debet.

Si patrinus non apertè eſt blaſphemus, nec contemtor noſtræ religionis, ſed errore quodam faſcinatus ob defectum melioris inſtitutionis, docilis tamen adhuc, is admitti debet ad hunc actum baptiſmi, quia præſentiâ ſua baptiſmum noſtrum approbat, & hac ratione aliquam apud nos eccleſiam agnoſcit, cujus clavis eſt baptiſmus: qui verò non eſt contra nos, nobiſcum eſt, & ſpes apparet in talibus, fore, ut ſi recta informatio accedat, ipſi tandem errores ſuos agnoſcant & deponant.

Quam ob cauſam à paſtore vel ante vel poſt peractum baptiſmum erroris ſui modeſtè admoneri, & ne ſibi pertinacia in illo periculum acceſſat commonefieri debet.

Eadem eſt ratio eorum, quos fama ſaltem notavit, nondum autem alicujus inſignioris ſceleris convicti ſunt: qui arceri à baptiſmo non poſſunt, quia nondum ſunt, ut morbida membra ab eccleſia reſciſſi, monendi tamen ſunt, ut maculam ſibi aſperſam eluant, ne quid durius in ipſos ſtatuatur.

Hæc eſt praxis noſtrarum eccleſiarum, juxta *Conſtitutionem Electoralem eccleſiaſticam, art.* 10. quæ & removendo ſcandalo, & convertendis improbis omnium accommodatiſſima videtur & conſentit cum judicio *Theologorum Würtenbergenſium, quod vide in conſ. Bidenb. decad.* 2. *conſ.* 9.

## CASUS X.

*Si quis ab alio religionis diversæ parente rogaretur, ut infantem suum ex lavacro baptismi susciperet, numquid bona conscientia annuere posset ac deberet?*

RESP. Nemo semetipsum offerre debet hoc in genere iis, qui nostræ religionis non sunt, ne apud imperitos in suspicionem collusionis incidat. Si verò ab iis requiramur, videndum 1. est, quæ sit confessio illius ecclesiæ in qua opera nostra expetitur, si negantur ibi tres personæ Trinit. aut alioquin substantialia baptismi convelluntur, ut fit apud *Arianos, Photinianos, Anabaptistas*, recusandum est hoc officium, ne aliorum peccatorum participes fiamus.

2. Considerandum, quo animo hoc officium à nobis petatur. Si fit tentandi causa, hunc videl. in finem, ut nostrâ præsentiâ tacitam edamus confessionem ejus doctrinæ, quæ in illa ecclesiâ, in quâ baptismus administratur, sonat, recusandum est, *non enim cedendum est iis, qui explorare volunt libertatem nostram quam habemus in Christo, ut nos in servitutem redigant, exemplo Pauli Galat.* 2, 4.

Neque annuendum, si hoc facto nostro offenderentur infirmi, & de nobis opinionem alicujus collusionis cum adversariis conciperent. Nam propter scandalum etiam à rebus mediis est abstinendum, sicut *Paulus* scribit: *si esca scandalisaret fratrem meum, non manducabo carnē in æternum* 1. *Cor.* 10, 13. His de causis *constitutio electoralis ecclesiastica artic.* 10. dissuadet, *ne quis baptismo Papistarum intersit, ne abominationes ipsorum approbare videatur.*

[*Plura hac de re qui legere voluerit, consulat integrum tractatū Germanicum, quem scripsit Dn. Melchior Episcopus Superintendens quondam Coburgensis p. m. a. m. d. cui titulus*: Grund und Vrsach / warumb ein wahrer Christ / der Augsp. Confession verwand / nicht könne mit gutē Gewissen bey den Bäpstischen zu Gevattern stehen / sampt widerlegung der fürnembsten gegenwürff unnd Einreden / gedruckt zu Coburg. 1594.]

Si verò periculum tentationis aut scandali non sit, baptismus quoque in substantialibus integer administretur; non video, quid obstet, quo minùs in ejusmodi petitionem consentire possit: accedat tamen solennis coram adversariis protestatio, sibi cum doctrinâ ipsorum nihil esse negotii, & se hoc suo facto nihil aliud, quàm de baptismo infantis testari velle.

Rationes hujus sententiæ sunt:

1. quia

1. quia quorum baptiſmum in ſubſtantialibus credimus eſſe verum, de eo etiam teſtari poſſumus noſtra præſentiâ. Talis eſt baptiſmus Calvinianorum & Pontificiorum, ut ſuprà docuimus. Ergò.

2. Cùm præcipuus uſus ſit ſuſceptorum, ut habeant infantes teſtes baptiſmi ſui, etiam noſtrum teſtimonium negari non poteſt de baptiſmo in ſubſtantialibus legitimè adminiſtrato, licet ab iis, qui in aliis doctrinæ capitibus à nobis diſcrepant: quemadmodum in foro etiam coram injuſto magiſtratu innocentiæ teſtimonium alicui perhibere poſſumus.

3. Hac ratione infans in noſtram poteſtatem traditur, & nobis aliqua pars educationis committitur, quo etiam jure noſtro uti poſſumus, vel admonitionibus, dum parentes adhuc ſunt in vivis, vel plenâ inſtitutione in religione verâ, poſt obitum parentum.

4. Per hoc officium ſpiritualis contrahitur amicitia cum parentibus infantis, quos converſatione noſtra faciliùs lucrari poſſumus, quemadmodum *Petrus* de mulieribus fidelibus & honeſtè viventibus ſcribit, quòd *per ipſarum converſationem, etiam qui non credunt verbo, lucrifieri poſſint* 1. *Pet.* 3, 1. qui fructus intempeſtivâ tergiverſatione & moroſitate impediretur. Non enim veriſimile eſt, pertinaces adverſarios, & apertè blaſphemos in religionem noſtram, alicujus noſtrûm operam hoc in genere imploraturos: ſi ergò infirmi hoc faciunt, illi facilitate noſtrâ juvandi potius ſunt, quàm moroſitate repellendi: ſciat ergò, quisquis ad hoc ſacrum officium adhibetur, ſe hoc ipſo quaſi vocationem accepiſſe, ut & parentes & infantem ab errore revocet, & quantum in ſe eſt, in religione verâ inſtruat, quod etiam ante actum baptiſmi, ſe in poſterum facturum, parentibus operam ſuam expetentibus, prædicere poteſt.

## CASUS XI.

### *Num quis rogatus, ut infantem ex baptiſmo ſuſcipiat, honeſtè id recuſare poteſt?*

RESp. Reperiuntur qui exiſtimant, ſe id honeſtè facere poſſe vel cum infans non eſt legitimè natus, vel ab hoſte, cum quo fortè in foro litigant, rogantur; vel etiam, ut pecuniæ parcant, cum frequenter nimis ad hoc officium adhibeantur.

Verùm, cùm officium pietatis & caritatis ſit, non video, quomodò honeſtè recuſari queat. Nam 1. cum officium ſuſceptorū ſit teſtari de infantis baptiſmo, eumque in vera fide rectè educare, quilibet ſanè ἄνδ-ρεις σωπληψίας eam ad rem paratus eſſe debet: juxta illud *Chryſoſtomi: quilibet noſtrum videat, quomodo proximum è faucibus diaboli eripiat.* *Negatur 1 Ratio.*

2. Re-

*2. Ratio.* 2. Requirit hoc vinculum caritatis, quo tanquam membra unius mystici corporis sub uno capite Christo colligati sumus. *Caritas n. officiosa est & benigna* 1. *Cor.* 13, 4. quæ proximo etiam cum aliquo suo incommodo, (quod tamen hoc in genere esse non potest,) inservit.

*3. Ratio.* 3. Postulat insuper ipsa honestas, quæ violatur, cum leviculâ de causâ, & inprimis ob tenacitatem nostram fidei socium in re tàm pia deserimus, quod quam sordidum sit, & famæ nostræ noxium quilibet æstimare potest.

*4. Ratio.* 4. Parcendum est famæ proximi, qui repulsam ferens, pudore suffunditur, ignominia afficitur, & in suspicionem rei minus licitæ trahitur: *Caritas autem non agit personam* 1. *Cor.* 13, 4.

*5. Ratio.* (5.) Denique quilibet, quod sibi non vult fieri, alteri ne faciat: ac proinde promptus & paratus ad pium hoc officium reperiatur, quò & alios simili in casu tales inveniat.

*Objectiones solvuntur.* Rationes illæ, quæ aliquem avocare possunt, nullius sunt momenti. Nam si infans non est legitimus, ipse nec parentum culpam præstare, nec in re tam pia deseri potest.

Si quis suæ dignitatis aut officii respectu actioni baptismi ipse interesse nolit, per alium id, quod rogatus fuit lubens præstet, modò misero infanti non penitus defuisse videatur.

Si ab inimico ad hoc officium expetitus fuerit, gratuletur sibi, quòd occasionem reconciliationis invenerit, quam quilibet piorum summo studio quærere debet. Neque eam impedire debent actiones forenses, quæ nihilominus salvis officiis pietatis stare possunt, & reconciliatis personis litigantibus, citiùs & feliciùs finiri.

Si quis verò propter pecuniam infantem Christo adducendum negligit, non est dignus, cui inter Christianos locus concedatur. Nam salus & educatio infantis merito omnibus mundi divitiis est anteponenda. Adde, quòd essentialis pars hujus officii non sit muneris oblatio; neque pii parentes hoc attendunt, sed vel prorsus eo carere, vel exiguo contenti esse possunt, neque deest Deo occasio, hanc beneficentiam, præsertim, cùm parentes sunt pauperiores, largiter compensandi.

Qui ergò, non dicam honestatis, sed & pietatis amans est, officium hoc nemini facilè denegabit.

## CASUS XII.

### *Num baptismus sine exorcismo minùs est legitimus?*

*De exorcismo.*

Resp. Exorcismus dicitur illa actio in baptismo, qua adjuratur spiritus immundus, ut exeat ab hoc servo Jesu Christi, in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti. *Quid sit*

Usitata fuit hæc actio tempore *Tertulliani, Cypriani, Naziãzeni, Optati* *Fuit usitatus tempore Patrum.*

Digitized by Google

*ptati Milevitani, Augustini, Ambrosii, &c.* qui omnes exorcismum tanquam traditionem ecclesiasticam utilem, tam Græcis, quam Latinis Ecclesiis commendarunt.

*Quid per exorcismũ intelligatur?*

Non autem intelligimus per exorcismum donum illud ejiciendi dæmones ab obsessis, quod in primitivâ ecclesiâ usitatum erat, ut ex *Iustini dialogo cum Tryphone & Tertulliani Apologetico cap.* 32. constat, sed in baptismo locum nullum habet; neque enim infantes nostros corporaliter obsessos esse credimus: nec intelligimus magicam quandam vim & efficaciam expellendi diabolum, qualem *Pontificij* fingunt, ut videre est *apud Bellarm. lib. 1. de baptism. cap.* 25. *& Gregor. de Valentia disp. 4. quæst. 6. de ritu baptismi puncto secundo*: nec tribuimus ei Apostolicam autoritatem, qualem ei tribuit *Leo 1. Epist. 4. cap. 7. & ex eo Bellarminus l. d.* neque enim uspiam legimus vel Christum præcepisse, vel Apostolos in baptismo usurpasse exorcismum: sed utimur eo ut ritu ecclesiastico humanitùs introducto, cujus usus merè est σημαντικὸς & τυπικὸς, significat enim & adumbrat spiritualem hominis captivitatem in regno Satanæ, in quo nascitur, & liberationem inde factam per Christum in baptismo, ubi transferuntur è regno satanæ in regnum Christi, qui nihil amplius juris habet in his, qui baptisati sunt, ideò adjuratur, hoc est gravi obtestatione ab infante, quem per peccatum originis spiritualiter occupat, cedere jubetur, & Christo redemptori locum relinquere. Est enim ἐξορκίζειν hoc in loco, non jurejurando obstringere, ut *Matth. 26. versic.* 63. usurpatur, sed obtestando arcere, sicut Christus Satanam abegit *Matth.* 4. 10, 16, 23. & de obtestatione utitur hac voce Paulus 1. *Thessal. 5. v.* 27. & de hoc usu exorcismi loquitur *Chrysostom. in cap. 12. Marci: exit spiritus immundus ab homine, cum per fidem baptisatus in nomine Christi desierit esse diaboli, & factus fuerit Dei.*

*Exorcismus potissimum de quatuor rebus nos monet 1. de peccati servitute misera. 2. de virtute & efficacia bapti. smi. 3. de stipulatione & juramento soli Deo præstito. 4. de militia totius vitæ.*

Sicui autem verba exorcismi duriora videntur, rectè monet *D. Chemnitius part. 3. loc. Theol. tit. de baptismo; ecclesiam habere libertatem, ut doctrinam illam de peccato originis, de potestate & regno Satanæ, & de baptismi efficaciâ aliis verbis scripturæ magis consentaneis proponat & explicet. Non enim est exorcismus substantialis, aut integralis pars baptismi, sed ritus ἀδιάφορος, qui non tantùm inter baptisandum omitti potest, sed & penitùs abrogari, si totius ecclesiæ consensu ritè, & ordine fiat. Ideò, si quis absque exorcismo baptisatus fuerit, nullum de baptismo sibi scrupulum faciat, cum externi ritus ipsi substantiæ sacramenti nihil derogare, nihil etiam addere possint.*

[ *Exorcismus est ritus adiaphorus qui vel omitti vel retineri potest.*
*Quando abrogatur 1. debet fieri autoritate magistratus & ministerij Eccl.* 33. *v.* 30.

Rr 2. *Eccle-*

2. *Ecclesia consentiente & non contradicente πάντα γὰρ κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως.*
3. *Justâ & urgente causâ.*
4. *Citra veræ doctrinæ adulterationem & condemnationem.*
5. *Citra præposteram superstitionē & religionis adulterinæ invectionem Galat.* 2.
6. *Citra tumultum & scandalum infirmorum Matth.* 18,6.

*Quando in unam vel plures conditionum harum delinquitur, in Christianam libertatem impingitur.*]

Nemo autem privato arbitrio ritum hunc abrogare ausit, præsertim cùm in ejus usurpatione nullum est periculum scandali, ut fit in ecclesiis de baptismo institutis. Nam adiaphora fiunt necessaria, si temerè & absque causa, cum scandalo infirmorum, mutatio eorum suscipitur, plura de exorcismo alibi: hæc pro ratione instituti nostri sufficiunt.

## Casus XIII.

## *Quomodo homo in adulta ætate baptismo suo uti potest?*

RESpond. Baptismus non est actus transitorius, qui suum saltem in infantia hominis usum habeat per regenerationem; sed durat etiam in adultis usque ad finem vitæ, quoad suam efficaciam. Nam fœdus DEI, in quod recipimur per baptismum, est perpetuum, secundum illud *Esa.* 54,10. *omnes movebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator Dominus.*

Est autem usus baptismi in adultis triplex. 1. *præmunitorius* contra suggestiones Satanæ, quibus nos ad peccandum instigat, ibi in mentem nobis veniat baptismus noster, in quo valediximus regno diaboli, & omnibus ejus operibus, & propterea in fœdus DEI recepti sumus, ut serviamus DEO in sanctitate & justitiâ omnibus diebus vitæ nostræ. Resistamus igitur tentatori: baptisati non sunt amplius sub peccato, nec amplius iræ filii, sed sub gratia, & filii Dei. *Hæc ergò vita novos mores postulat, quæ consona debet esse baptismo,* monente *Augustino de fid. & operibus cap.* 26. *si enim refugientes coinquinationes hujus mundi, in cogitatione Domini nostri IESU Christi, rursus implicantur in ea, facta sunt posteriora deteriora primis. Melius enim eis erat non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum ruere ab eo, quòd ipsis traditum est, sancto mandato,* ait Apostolus *Petrus* 2. *Pet.* 2,20,21. *Triplex usus baptismi in adultis 1. præmunitorius.*

Hunc baptismi usum notat Apostolus *Paulus*, *Rom.* 6. 3. *consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Sit igitur baptismus noster instar fundibuli, quo inter-

Digitized by Google

infernalem illum *Goliathum*, cum cetris suis suggestionibus prosternere, & vulnera conscientiæ præcavere possumus.

*2. Consolatorius.*

2. *Consolatorius*, & quidem dupliciter, primum si post baptismum in peccata relapsi fuerimus, & propterea Satan salutem nostram reddere velit dubiam. Ibi recordatio baptismi nostri dubitationem pellit, & solatium suggerit efficacissimum, quia Deus in baptismo non saltem peccata, in quibus nascimur, sed & omnia, quæ toto vitæ nostræ tempore patrare possumus, remisit, delevit, nos in filios suos recepit, & fœdere gratiæ dignatus est, ex quo quanquam per peccatum contra conscientiam excidimus, reditus tamen ad illud patet per pœnitentiam: *Conversis reditus semper ad astra patet.*

[*Vox Christi ad filios suos dilectos: Aperite, inquit Christus, portas pœnitentiæ sicut foramen acus: & ego aperiam vobis portas misericordiæ, per quas equi transire poterunt.*]

*Pontificii enervant baptismi efficaciam.*

Solatium hoc & efficaciam baptismi enervant Pontificii, dum statuunt gratiam baptismi valere tantum ad remissionem peccatorum præteritorum, seu eorum, quæ baptismi tempus in homine invenit, ita, ut licet peccator post baptismum ad pœnitentiam redeat, nihil tamen ei profit gratia in baptismo accepta, sed eam per lapsum prorsus esse detritam, fractam & annihilatam, in pœnitentia ergò tanquam altera ex naufragio tabula gratiam & reconciliationem quærendam esse: quem errorem *B. Lutherus refutat de captiv. Babylon. art. de sacram. baptismi*, ubi scribit: *manet illa unica, solida & invicta navis, nec unquam dissolvitur in ullas tabulas, in quam omnes vehuntur, qui ad portam salutis vehuntur, quia est veritas DEI in sacramentis promittens &c.* Ut ergò semel super nos lata divinâ promissione baptismi: *qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit*, usque ad mortem veritas ejus perseverat: ita fides in eandem nunquam debet intermitti, sed usque ad mortem ali & roborari perpetuâ memoriâ promissionis ejusdem in baptismo nobis factæ.

[*Ideò Scriptura dicit in præsenti: salvat nos 1. Petr. 3. in præterito, salvos fecit Tit. 3. in futuro, qui baptisatus fuerit, salvus erit Marc. 16.*]

Quare dum à peccatis surgimus, sive pœnitemus, non facimus aliud, quàm quòd ad baptismi virtutem & fidem, unde cecideramus, revertimur, & ad promissionem tunc factam redimus, quam per peccatum deserueramus. Hæc nostra sententia stabilitur perpetuitate fœderis, nobiscum initi, quod ex parte DEI semper manet ratum, quia *incredulitas hominum fidem DEI non evacuabit Ro. 3, 3.* si non credimus, *ipse fidelis permanet, seipsum negare non potest 2. Tim. 2, 13.* Nos v. per lapsus



Digitized by Google

bus modis. Prima admonitio est pro neophytis, qui per baptismum recens ad ecclesiam accesserunt. *Hinc Augustinus vocat baptismum primam salutis januam.* Hos admonet baptismus circumspectè agere. Insidiatur enim Satan baptisatis magis, quàm iis, qui extra ecclesiam sunt. Et quemadmodum Christus mox post acceptum baptismum, à Spiritu S. ducebatur in desertum, ut tentaretur à diabolo: ita baptisatus statim à baptismo vocatur ad militiam, ubi semper vigilandum & orandum est, ne palma salutis à tentatore nobis invertatur. Hinc est admonitio *Siracidæ cap. 2, 1: fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & in timore, & præpara animam tuã ad tentationem.* Ut autem tentatoris manus effugiamus, consultum est vitare occasionem tentationum, hoc est, illecebras carnis, & mundi loca & tempora, quibus corrupta nostra natura ad peccandum allicitur: & ut *Seneca* scribit *epist.* 117. *quantum possumus, a lubrico recedamus; in sicco quoq; parum firmiter stamus. Qui spiritu Dei aguntur* (quales sunt omnes baptisati) *pugnant*, ait *Augustinus serm.* 43. de verbo Domini: *facta enim carnis spiritum mortificant: ibi concupiscit caro adversus spiritum, ubi est spiritus.*

Deinde pro stantibus, ut videant, ne cadant: proinde cautè ambulent, pacifice vivant cum proximo, cum quo uni capiti Christo per baptismum sunt conjuncti, &, ut *Paulus* loquitur, *per unum spiritum, in unum corpus baptisati*, 1. *Cor.* 12. 13. Ideò sint inter se membra, per vinculum caritatis copulata, sint idem sentientes & studentes, ne sint inter ipsos schismata, per quæ corpus illud mysticum facilè dissolvitur: se totos in baptismo Christo consecratos esse sciant, quem ibi induerunt, ideò *exhibeant* etiam *corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem Rom.* 12, 1. certum habentes propositum, se, quod per sponsores fecerunt in baptismo, toto vitæ suæ tempore Diabolo renunciaturos esse.

Denique pro lapsis, ut sine morâ resurgant, cum per nullum aliud medium, quàm per seriam pœnitentiam sit reditus ad gratiam. Impœnitentes igitur gratiam baptismi sibi annihilant, & cum in eo signum gratiæ habere deberent, mutant ipsum in testimonium justæ pœnæ, ita ut ex baptismo suo plus mœroris habeant, quàm gaudii, plus cruciatuum, quàm solatii. *Baptismus enim tanquam character impressus ornat militem, convincit desertorem*, ait *Augustinus in enar. Psal.* 39.

[ *Si millies homo lapsus sit, & millies resipuerit, nequaquam eum DEUS abjicit. Athanasius q.* 4. *ad Antioch.*

## CAPUT XII.

### *De casibus conscientiæ circa usum SS. Cœnæ.*

*Quid sit Cœna?*

COEna Dominica est Sacramentum Novi Testamenti à CHRISTO institutum in ea nocte, quâ traditus est, in hunc finem, ut pretiosissimo pignore corporis & sanguinis sui unà cum pane & vino nobis exhibiti de impetrata peccatorum remissione gratiaque Dei singuli credentes seorsim confirmarentur.

*Cœna usurpatio est pars cultus divini.*

Usurpatio ejus est una ex præcipuis partibus cultus divini, non tantùm propter mandatum Christi; verùm etiam propter alimoniam spiritualem, quam ex hac cœna accipientes ad serviendum DEO promtiores reddimur. *Verè enim caput bonorum omnium est*, ut *Chrysostomus nominat homil.* 83. *in Matt. & spiritualis medicina*, ut *Ambrosius in* 1. *Corinth.* 11. *quâ erigimur ad præstandam id libentiùs, ad quod naturâ tardiores sumus.*

Sed neque hæc pars cultus divini caret suis scrupulis ex parte usurpantium, qui ne in suspenso relinquantur, ordine scrupulos illos proponemus, & quoad eius fieri potest, eximere studebimus.

## CASUS I.

### *Cùm sacra cœna nemini salutaris sit, nisi dignè usurpetur, prima piorum cura est, quid faciendum, ut ad hanc sacram mensam digni inveniantur?*

RESpond. Meritò hæc prima piorum cura est in hac parte cultus divini: *qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit* 1. *Cor.* 11. 29. Nemo autem ad hoc sacrum convivium, vel naturâ vel habitudine quadam dignus est, sed omnibus nobis fatendum, quòd beneficium hoc, quo nos dignatur DEUS, sit supra nostrum meritum, quia nulla est comparatio inter peccatores & carnem illam sanctissimam Filii DEI, *cum qua non habitudine solum, sed & participatione naturali utimur*, ut *Cyrillus* loquitur *lib.* 10. *in Iohan. cap.* 13. & hæc ipsa indignitatis nostræ agnitio primus ad usurpationem Cœnæ gradus est.

[ *Ideo sumus Christi membra, quia de corpore ipsius participamus, hæc sumta & hausta faciunt, ut nos in CHRISTO & CHRISTUS in nobis maneat. Hilar.* 8. *de Trin pag.* 141. ]

Dignitas ergò rectè utentium hoc sacramento consideranda est tàm *ex parte* Dei, quàm *ex parte hominum. Ex parte DEI*, quia is est, qui solus nos dignatur hoc convivio, in quo, divino planè consilio, saluta-



Digitized by Google

re nobis offert animæ pabulum, nobisque simul gratiam largitur, ut beneficii hujus participes fieri valeamus. *Ex nostra verò parte* omnis illa dignitas consistit in dignâ præparatione. Nam ad nuptias, ad convivia, ad colloquium præstantium virorum nos præparamus, ne illotis, ut ajunt, manibus, in conspectum eorum prodeamus: quantâ majore præparatione opus erit, cùm ad mensam Domini, in qua Filius DEI ipse hospes atque cibus est, in conspectu sacrosanctæ Trinitatis & sanctorum angelorum comparemus? Ideò veteres communicantibus acclamabant: *sursum corda*: quia tunc non est locus terrenarum curarum aut carnalium desideriorum.

*Præparatio ad cœnam complectitur 1. dijudicationem corporis Dominici.*

Præparatio illa sequentia complectitur membra: 1. *dijudicationem corporis Dominici*, ideò enim *indigni judicium manducare & bibere dicuntur, quia non dijudicant corpus Domini* 1. Cor. 11,29. Diligenter itaque expendendum est, quis sit ille cibus cœnæ Dominicæ & quantum distet ab aliis epulis vulgaribus.

Dijudicatio illa sequentia complectitur membra, 1. non hîc panis tantùm & vinum apponitur, sed ipsum Domini corpus, quod pro nobis in mortem traditum, & Domini sanguis, qui pro nobis effusus est, ut verba institutionis docent.

[*Nondum satis erat amori filij* **Dei**, *ut fieret homo propter nos, voluit etiã fieri noster cibus Taul. serm. de cœn.*

Hinc *Leo serm. de jejunio: sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Domini ambigatis, hoc enim ore sumitur, quod corde creditur.* 2. Alii cibi naturalem famem sedant: & corpus ad hanc vitam naturalem nutriunt: hic verò cibus ita sedat famem spiritualem, ut eam simul excitet ac augeat. Nam quo sæpius aliquis cœnâ Dominicâ salutariter usus est; eò majus hujus saluberrimæ mensæ desiderium percipit. Nam, ut *Cyprianus loquitur serm. de Cœn. Domini, Ejus carnis hujus quædam aviditas, & quoddam desideriũ manendi in ipso, per quod sic imminuimus & eliquamus in nobis dulcedinem caritatis, ut hæreat palato nostro, & visceribus sapor dilectionis infusus, penetrans & imbuens omnes animæ corporisque recessus.* 3. Alii cibi transmutantur in substantiam adsumentis; hic verò cibus hominem in se transmutat. Hæc sumta & hausta faciunt, ut Christus in nobis, & nos in Christo maneamus. *Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, ejus tantùm in se assumtam habens carnem, qui suam sumserit, ait Hilarius lib. 8. de Trinit.* Quæ consideratio reverentiam ergo hoc epulum in nobis accendit, devotos & circumspectos reddit, omniaque ea impedit, quæ cibum hunc in se saluberrimum aliis noxium & perniciosum reddere possint.

*2. Probationem nostri.*

2. Præparatio requirit *probationem nostri*, de quâ Paulus: *probet homo seipsum, & sic de pane illo edat* 1. Cor. 11,28.

1, 28. Probatio autē illa potissimùm consistit in serio examine totius vitæ nostræ, juxta præcepta decalogi, cum quâ conjuncta est seria pœnitentia: idcircò præmitti solet peccatorum confessio, accipitur absolutio, promittitur vitæ emendatio. Excutiat ergò unusquisque, qui hanc cœnam desiderat, conscientiam suam, & absque hypocrisi cum timore ac tremore ad sanctam hanc mensam accedat, afferens animum verè humilem, mansuetum, à peccatis aborrentem, & perfectæ sanctimoniæ cupidum, quantum in hac infirmitate carnis nostræ fieri potest. *Nam quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lacrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad eucharistiam intrepidus & securus, inquit Augustinus lib. 1. de eccl. dogmat. c. 53.*

*3 Desideriū hujus convivii.*

3. Præparatio requirit *serium desideriū hujus sacratissimæ cœnæ*, quod est cum intimo gaudio conjunctum, quod oritur ex consideratione beneficiorum Christi, imprimis arctissimæ illius conjunctionis nostræ cum ipso, quâ nos nō tantùm animâ per fidem sibi adhærere voluit, verùm etiam corporum nostrorum consociationem per corporis & sanguinis sui communionem in sacrâ cœnâ procuravit; quâ sanè ratione intimum erga nos affectum satis luculenter comprobavit, quem *Chrysostomus hom. 60. ad pop. Antiochenū* his verbis expressit: quos *amamus interdum etiam morsu petimus. Ut Iob servorum in se amorem ostenderet, dicebat, illos sæpenumerò ex nimio amore in se dixisse:* quis *de carnibus ejus, ut saturemur. Iob. 31. Ita Christus suam carnē dedit nobis, ut ex ea saturemur, quô nos in plurimum sui amorem illexit.*

[ *Propter hoc corpus & cœlum & quæ in eo bona sunt accepturum me spero, Chrysost. hom. 24. 1. ad Corinth.*]

4. Præparatio requirit *piam meditationem omnium beneficiorū Christi*, imprimis autem sanctissimæ suæ passionis & mortis, quam quilibet sibi verâ fide applicare, & dubitare non debet, quin hæc beneficia ad se quoque pertineant: pro quibus gratus esse debet Christo redemtori suo. *4 Meditationem beneficiorum Christi.*

Hoc est mortem Domini commemorare, quod Paulus in usurpatione cœnæ requirit: & hæ meditationes cor hominis à rerum terrenarum desiderio abstractū sursum elevant, omnes huius seculi calamitates mitigant, & venturi seculi gustum præbent. Et hæc sola meditatio ita præparat animum hominis ad hanc mensam, ut ferè sola ad dignè percipiendum, satis idoneum reddat. Nam, ut *Chrysostomus* scribit: *si diligenter didiceris, quis sit* ὁ προκείμενος, *qui propositus est, & quis existens, cui se ipsum donet, non opus erit aliâ exhortatione, sed hoc sufficiet, nisi prorsus sis desperatus.* *Quid sit mortem Domini commemorare?*

5. Præ-

Digitized by Google

[*Cibus hic eſt redemtionis noſtræ pretium; redemtoris monumentum; redemti munimentum. Aug. 2. de viſ. inf. 4.*]

*5. Reconciliationem proximi.*

5. Præparatio requirit veram cum proximo reconciliationem. Ut enim fide in Deum, ita caritate in proximum flagrare debet cor noſtrum, ſi dignè hâc ſacrâ menſâ uti volumus. Idq; Chriſtus à nobis exigit, cùm oblaturos dona ſua ad altare, reconciliari priùs petit cum fratre ſuo, *Matt.* 5. *v.* 23, 24.

[*Sacra Cœna enim eſt Sacramentum pietatis, ſignum unitatis, & vinculum caritatis.*]

*6. Externâ diſciplinâ decori.*

6. Ad præparationem deniq; pertinet externa diſciplina corporis in victu & veſtitu. Temperanter enim vivendum eſt, ut precibus vacare, & myſterium hoc expēdere poſſimus. In veſtitu quoque nulla ſit levitas, ſed omnia honeſta & decora: nam externa illa ſæpè ſunt characteres animi, qui malè diſpoſitus eſt in iis, qui ad hanc ſacram menſam tanquam ad commeſſationes & choreas accedunt.

Accedamus ergò purâ cum conſcientiâ, humili corde, verâ cum fide, ſancto cum propoſito emendandi vitam, pio cum deſiderio, & ſincero cum amore erga proximum. *Non videtis,* inquit *Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. quantâ infantes animi alacritate mamillas arripiunt, quâ preſſione papillis infigunt labia; non minore cupiditate nos quoque ad hanc menſam & ad hujus calicis ſpiritualem accedamus papillam: imò verò majore deſiderio quaſi lactantes pueri gratia ſpiritus ſugamus, unus ſit nobis dolor, una mœſtitia, ſi hoc alimento ſpirituali privamur.* Plura de hac præparatione ad ſacram cœnam vide in *lib. 1. paſſion. typicæ typ. 2. comm. 5.*

## CASUS II.

## *Quid faciendum iis, qui fortè ſentiunt, ſe ad ſacram cœnam indignè acceſſiſſe?*

*Indigni qui ſint? Reſ. 1. Impœnitētes.*

RESP. Indigni ſunt. 1. *Impœnitentes* omnes, qui peccatis contra conſcientiam polluti ſunt, & nondum ſerium de iis dolorem conceperunt, multò minus propoſitum emendandi vitam habent.

*2. Infideles.*

2. Infideles, qui præſentiam carnis & ſanguinis Chriſti in cœna negant, vel aliàs de Chriſto ejusque perſona ac merito non rectè ſentiunt.

*3. Blaſphemi.*

3. Blaſphemi, qui impuro ore ſacramenta, vulneraque Chriſti dehoneſtant, & tamen ſanctiſſimum ejus corpus impuris manibus ſuſcipiunt, & execrando nefandoque admovent ori.

Hi omnes judicium ſibi manducant, & corporis ſanguinisque Domini rei fiunt, ac proinde graviſſi-



Digitized by Google

mas pœnas incurrunt. Nam, ut *Chrysostomus homil. 45. in Iohan.* loquitur, *si qui regiam purpuram coinquinant, haud secus, quàm qui scindunt, puniuntur, quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clavis cruci affixerunt?*

Cùm ergò quis hujus indignitatis se reum intelligit, abstineat ab hâc sacrâ mensâ, & se inter porcos referat, coram quibus hæc margarita nõ est projicienda. Etsi enim oculos hominum ficta sua pietate fallere potest: non tamen existimet, se Deum, cujus oculi intuẽtur cor, fallere posse. Si verò in hac sua indignitate accesserit, eoque nomine à propria sua conscientia convincatur, non pro ludibrio habeat rem istam; sed inter abjectissimos se reponat, indignum, qui in conspectum Dei aut piorum hominum veniat, tanquam is, qui ministerium ecclesiæ decepit, & semetipsum judicio, hoc est, æternæ damnationi mancipavit.

Non tamen penitùs de gratia Dei desperet, sed hoc ipsum etiam peccatum unum ex iis esse sciat, pro quibus Christus mortuus est. Seriò ergo resipiscat, sibi nõ parcat, sed seipsum accuset, remissionem propter Christum petat, & fideli pectore speret, hancque suam fiduciam digniore usurpatione cœnæ confirmet, cum serio proposito perfectioris emendationis.

Et ut omnibus constet, propositum hoc non esse simulatum, reipsa illud contestetur, à blasphemiis, rapinis, impuris libidinibus, & similibus peccatis, quibus hactenus pollutus fuit, abstineat, proximo, quem anteà odio habuit, benefaciat, & se totum immutatum esse, reipsa testetur. Qui enim realem pœnitentiam non agit, is frustra verbis de emendatione vitæ gloriatur.

Indignos quidem ad usurpationem cœnæ admittere non licet: siquidem, ut *Chrysostom. homil. 83. in Matth.* loquitur, *non parva nobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus mensæ participationem permittatis: & animam prius meam tradam, ait, quàm dominicum alicui corpus indigno, sanguinemque meum effundi potiùs patiar, quam sacratissimum illum sanguinem, præterquam digno, concedam.*

Cùm tamen seria adsunt signa pœnitentiæ, & spes emendationis apparet, tantùm abest, ut hujusmodi arcendus sit, ut potiùs inter dignissimos hujus epuli convivas reputandus, qui ex calice Domini refrigerium animæ suæ haurit. Idcircò *D. Paulus Corinthios* licet ipsis ob indignum cœnæ usum pœnas indixerit, non tamen propterea imposterum à cœna pellit, sed resipiscere & seipsos dijudicare, & aliter, quàm hactenus consueverant, ad manducandum panem Eucharisticum convenire jubet, 1. *Cor.* 11. v. 33.

CASUS

## CASUS III.

*Si maleficorum aliquis, puta homicida, adulter, & ſimilis enormiter facinoroſus remiſſionem pœnæ ordinariæ à Magiſtratu impetrarit, cum iis etiam, quos privatim delicto ſuo offendit, in gratiam redierit, num ſatis digne ad S. coenam accedere poteſt, antequam per deprecationem publicam cum eccleſia fuerit reconciliatus?*

RESp. In negantem partem inclinamus, ſequentibus de cauſis: 1. Quia maleficus hujuſmodi non privatos ſaltem aliquos ſuo facinore, ſed & totam eccleſiam læſit ſcandalo: ideò excommunicatus eſt, & à veris eccleſiæ membris reſciſſus, occultè à Deo in conſcientia ſua, licet aperta ejus excommunicatio ab eccleſia facta non ſit: pro excommunicato etiam & membro morbido habendus eſt, donec publicam agat pœnitentiam, juxta illud Apoſtoli 1. *Cor. 5. v. 11 ſi is, qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujusmodi ne quidem cibũ ſumite.* Ut ergò quis à vinculis hiſce excommunicationis ſeſe liberet, non ſufficit, quòd magiſtratui aut privatis quibuſdam ſatisfecit, ſed & cum eccleſia in gratiam redeundum eſt, quam offendit: quod fit deprecatione publica.

*Ratio 1. à totius eccleſiæ ſcandaliſatione.*

2. Scandalum toti eccleſiæ datum non eſt parvi æſtimandum, quia *CHRISTUS etiam unum ex minimis offendenti melius eſſe judicat, ſi in mari ſubmergeretur, Matth. 18.* illud verò non alio medio quàm publicâ deprecatione tolli poteſt.

*2. à ſcandali iſtius exaggeratione.*

3. Quia magiſtratus etiamſi pœnam à facinoroſis ſumſerit, non tamen animos convertit, hoc ad miniſterium pertinet, quod eſt miniſterium reconciliationis, quod veram pœnitentiam operatur per verbum, cujus ſignum eſt publica deprecatio.

*3 à neceſſaria animi cõverſione.*

4. Pœna vel remiſſio pœnæ facta à magiſtratu pertinet ad forum ſoli, & neminem juſtificat in foro poli. Etiamſi ergò magiſtratus vel remiſerit facinoroſo, vel pœnas ab ipſo popoſcerit, nondum tamen remiſit Deus; niſi ex publica deprecatione conſtet de ſerio dolore peccantis.

*4. à reſidua coram Deo juſtificatione.*

5. Huc pertinet, quod Dominus in lege ſanxit: *ſi quis cum muliere ſervâ concubuerit, eum quidem flagris cædendum juſſu magiſtratus, ſed poſtea pro delicto ſuo offerre tenebatur ad oſtium tabernaculi teſtimonij arietem in ſacrificium pro delicto, & abiq; pro eo ſacerdos, (inquit,) & pro peccato ejus corã Domino, & propitiabitur ei dominus,*

*5. à divina in V. T. conſtitutione.*

*nus, ac dimittet peccatum*: hæc erat deprecatio publica coram Deo & ecclesia, Lev. 19. v. 20. seqq.

*6. à legum humanarũ ordinatione.*

6. Hinc factum sine dubio, quod *Constitutio Electoralis artic.* 10. *iis facinorosis, quibus magistratus pœnas severiores remisit, injungitur, ut ad avertendum scandalum aliquot diebus Dominicis ante fores templi sistantur, baculos albos in manibus gestantes: quod signum est pœnitentia publica.*

*In primitiva ecclesia disciplina rigor fuit strictè observatus.*

In priscâ sanè patrum ecclesiâ hic rigor strictè observatus fuit, ita ut *Ambrosius Imperatorem Theodosium* ob cædem *Thessalonicensem* ne quidem in templum intromiserit nisi publicâ præcedente pœnitentia. Sed hujus disciplinæ severitas, cum multis aliis utilissimis constitutionibus ferè jam collapsa est: ideò mirum non est, atrociora scelera crescere.

Qui tamen micam adhuc conscientiæ habet, eò in genere suiipsius accusator erit, & quos delicto suo publicè offendit, cum iis etiam publicè in gratiam redire non verebitur, aliàs de vera pœnitentia, sine quâ sumtio cœnæ salutaris esse nequit, semper sibi dubitandum erit.

*Quomodo facinorosus deprecationem instituere debeat?*

Publica verò deprecatio fieri potest, si facinorosus (suppresso tamen nomine suo) per ministrum ecclesiæ indicet serium animi sui dolorem ob admissum publicum & scandalosum facinus, veniam petat, & intercessionem apud Deum, & vitæ suæ emendationem promittat: quò facto tranquilliore animo ad sacram cœnam accedere potest.

## CASUS IV.

### *An qui litigant in foro, indignè de sacramento Cœnæ participant?*

RESP. Est hæc una ex præcipuis causis, cur ad lites forenses non tam faciles esse debeamus, ut videlicet ad usum sacræ cœnæ paratiores esse possimus: difficile enim est omnem ita deponere acrimoniam erga eum, quo cum litigamus, ut cor nostrum nos eo nomine non ampliùs accuset. Ideò *D. Paulus ad Corinthios* scribit: *Omninò delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos: quare non magis fraudem patimini?* 1. *Cor.* 6. *v.* 7.

Quæ causa est, quòd nonnulli litigantes in foro, durante lite, ad sacram cœnam planè non admittantur.

Sed hoc simpliciter approbare non possumus. Nam à sacra cœna nihil arcet, quàm peccatum contra conscientiam. Litigare autem in foro in sese non est peccatum: nam & Christus in judicio stetit, & injustè percussus causam suam coram infideli judice egit, *Iohann.* 18. *v.* 23. Etsi ergò Christianos omninò decet

*Nihil à cœna arcet, quàm peccatum contra conscientiam.*

cet lites ſuas privatim tranſigere, & de jure ſuo potiùs remittere, quàm in foro contendere: ſi tamen propter cauſæ gravitatem & adverſarii importunitatem aliter fieri non poteſt, licitum ſanè eſt, ut judici totum negotium committat, modò ipſe ex animi ſententia adverſario remiſerit, & nullum adverſus ipſum odium conceperit.

Hæc eſt fraterna reconciliatio, quæ ad dignam ſacræ cœnæ uſurpationem ſufficit, cauſæ verò cognitionem in judicio non tollit: ubi ſi qua reo imponatur pœna, ea non pro vindictâ privatâ eſt habenda, ſed pro exercitio judicii publici, quod impedire non poſſumus, licet privatim cum adverſario reconciliati ſimus. Quæ reconciliatio ſi abſque hypocriſi eſt, non denegat læſus alteri parti officia pietatis & caritatis, ſed facit hoc in genere, quod caritas chriſtiana requirit, negotium controverſum committit judici. Qui talem erga adverſarium ſuum habet animum, is etiam lite pendente ſacrâ cœnâ uti poteſt.

*Taxatur conſilium quorundã cauſidicorum.*

Minimè autem approbare poſſumus, quòd cauſarum patroni clientibus ſuis diſſuadent colloquium aut converſationem ſimilem cum adverſario, eò quod leges prohibeant, & cauſæ bonitati hujuſmodi converſatio obſit. Unde fit, quòd litigantes ſæpè ſimul ad ſacram cœnam accedunt, & tamen neuter alterum vel aſpectu vel ſalute dignetur. Quò ſanè nihil ab officio hominis Chriſtiani alienius eſſe poteſt, Hujuſmodi enim geſtus ſunt indicia non obſcura animi irati, & in proximum malè affecti, Chriſtus autem judicat poſſe aliquem etiam geſtibus hujuſmodi graviſſimis pœnis ſeſe reddere obnoxium. Ideò ſuadet, ut qui munus ſuum offerre vult, priùs cum fratre ſuo reconcilietur, *Matth.* 5,23.24.

Sacræ cœnæ uſurpatio eſt mutui amoris ſignum & pignus, ut quemadmodum ex multis granis unus fit panis, & ex uvis multis vinum in calice confluxit, ita & communicantes unum ſint cor & anima amantes ſe invicem, non verbis ſolùm, *ſed & opere & veritate*, 1. *Ioh.* 3,18. quo ergo animo ad hanc ſacram menſam ſeſe conferunt, quorum corda odiis erga proximum adhuc flagrant? Hi ſanè coram facie Dei homicidæ ſunt, teſte *Iohanne*: 1. *Ioh.* 3. *v.* 15.

Viderit ergo unuſquisque, ut absque odio & irâ in proximum ſacro hoc epulo fruatur, omnem ex animo ſuo expellat rancorem, oportet adverſario ſuo proſpera quæque, & pro re natâ ſuum erga ipſum animum benè affectum reipſa declaret, & ſic etiam lite pendente bonâ cum conſcientiâ ad ſacram cœnam accedere poteſt. Evangelium enim non tollit politias, & judicia publica non præbent fomenta odiorum, ſed ea potiùs tollunt, ſi quis iis rectè utatur.

## CASUS V.

### *Num quis inter eos, qui de sacra cœna non rectè sentiunt, habitans, sibi ipsi & suis sacramentum cœnæ juxta Christi institutionem porrigere potest?*

RESP. Fieri potest, ut quis officii sui ratione habitet inter Pontificios aut Calvinianos, qui de cœnâ Domini non rectè sentiunt. Hic ante omnia scire debet, sibi non esse integrum, ut sacramentum ab iis accipiat, quos de substantia ejus rectè non sentire novit. Nam cum quibus de eadem cœnâ participamus, cum his communionem habemus, & doctrinam eorum tacitè approbamus. *Paulus* autem non vult nos habere communionem cum infidelibus; *non potestis*, inquit, *calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis, mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum*, 1. *Cor.* 10. *v.* 21. Deinde non potest prorsus abstinere à cœna Domini, quia mandatum Christi est, ut sæpius eò utamur.

*Consilium hoc in casu tutissimũ.* Tutissima ergò via est, discedere à talibus, qui doctrinam Christi de sacramentis non habent sinceram & incorruptam, & alibi locorum domicilium quærere, ne quoquo modo jugum trahere cum infidelibus, quis vel cogatur vel videatur; quemadmodum *Abrahàm* accepto divino mandato à populo suo idololatrico exivit, *Gen.* 12.

Si verò ob causas sonticas domicilium suum mutare non potest, in viciná quadam ecclesiâ orthodoxâ unâ cum suis sacræ cœnæ usum quærat: aut si morbo præoccupatus aliò se conferre non possit, verâ fide sibi Christum cum suo meritò applicet, & non dubitet, se in hoc casu necessitatis, etiam absq; sacræ cœnæ usurpatione Deum habere propitium: hîc enim locum habet illud *Augustini, tract.* 25. *in Iohan. crede & manducasti.*

Ut autem aliquis privatus sibi vel suis sacram cœnam porrigat, licitum non est: quia est hic actus sancti ministerii, quem privati sine profanatione sacramenti exercere non possunt: neque habemus mandatum Christi, neque ea est sacramenti hujus necessitas, quæ baptismi, qui in casu necessitatis etiam à laicis porrigi potest. Speciem quoque haberet alicujus schismatis, quod Magistratus non toleraret, & sic aliquis se cum suis periculo exponet.

Si verò magistratus prohiberet etiam cœnæ usum apud vicinos orthodoxos, tunc omnium tutissimũ est, deserere officium cum omni dignitate, & commodis aliis mundanis, & alibi quærere domicilium, ubi conscientiæ sua conceditur libertas. Nihil enim in mundo tàm carum nobis esse debet, quòd tàm præclaro animæ thesauro sit præferendum.

CASUS

## CASUS VI.

*De cõmunione Laicorum sub utraque specie.*

### *Vndenam laici certi esse possunt, se rectè facere, quòd sacram cœnam sub utraque specie accipiunt?*

*Quinam sunt Pontificiis Laici?* RESP. Laici sunt Pontificiis, omnes, qui non sunt rasi & uncti, licet aliàs eruditissimi, & in magna autoritate constituti, ne quidem regibus ac principibus exceptis. Hos omnes in usurpatione sacræ cœnæ ab usu calicis excludunt, & altera duntaxat specie cõtentos esse jubent, ut ex *Concilio Constantiensi* notum est. Quod cum falsum esse dicamus, & propterea Põtificios sacrilegii arguamus, oportet laicos solida habere fundamenta, quod usurpãdo utramq; sacramenti speciem non peccent.

*Probatur Laicos non peccare usurpãdo utramq; Cœnæ speciem 1. Ratio est Christi institutio.* Primum igitur ipsos confirmare potest *institutio sacramenti*, in qua Christus non saltem panem cum corpore, sed & vinum cum sanguine sumendum præcepit, nec panem cum sanguine, sed cum corpore, vinum autem cum sanguine conjunxit, & ex altera parte non tantùm aliquos sed omnes, & quidem ὡσαύτως seu similiter, ut de prima participare jubet.

*Exceptio solvitur.* Excipiunt quidem illud, omnes, notare saltem Apostolos: sed hac ratione sacramentum non esset institutum pro laicis.

*Aliud latibulum detegitur.* Ait *Becanus in disputat. de communic. sub utraq; specie cap. 1. Christum bis instituisse Eucharistiam, primùm Hierosolymis ante suam passionem sub utraque specie pro Apostolis, & deinde in Emaus post resurrectionem, sub una tantùm specie pro laicis.* At figmentum est. Christus enim nullum sacramentum instituit in statu gloriæ, sed utrumque ante suam mortem, & de sacra cœna in specie, cujus institutionem tradit Apostolus *Paulus Corinthiis*, qui utique fuerunt laici, quòd *Dominus Iesus eam instituerit ea nocte, quâ traditus est 1. Corinth. 11, 24.* *Historia Emauntica nihil habet commune cum institutione S. Cœna.* Adde, quòd duo illi discipuli Emauntici non fuerunt laici, sed ut & Pontificiis placet ex LXX. illis, quos Christus antea ad docendum emiserat: neque ulla fit mentio corporis aut sanguinis Christi, sed tantùm fractionis panis: neque mandatum habet vel sumtionis vel commemorationis mortis Christi, neque promissionem remissionis factam ritè usurpantibus. Nihil ergò habet hæc historia Emauntica commune cum institutione sacramenti, unde concludimus, in prima cœna sub Apostolorum nomine calicem ad bibendum fuisse datum omnibus Christianis, qui etiam panem benedictum ex mandato Christi manducant, quos Apostoli repræsentabant.

Cùm ergò faciendum nobis sit, quod Christus in institutione cœnæ faciendum præcepit, nemo dubitare potest, quin ad se quoque sumtio calicis pertineat.

Dein-

*2. Ratio. Paulina repetitio.* Deinde *Apostolus Paulus* ad totam ecclesiam *Corinthiorum* (in quâ pleraque pars fuit laicorum) scribens, verba primæ institutionis Christi repetit, & non tantùm panem edere, *sed & calicem bibere jubet* 1. *Cor.* 11. 26, 27, 28, 29. Quæ autem Corinthiis scripta sunt, ad nos omnes pertinent, quia traditio Apostolica (ut ibi nominat institutionem cœnæ) omnes obligat, *omnes à calice dæmoniorum arcet vers.* 21. *omnes mortem Domini annunciare jubet,* 26. *omnes seipsos vult probare v.* 28.

*3 Ratio, sacramentalis unio.* Tertiò, ut utramque speciem sacramenti accipiamus, requirit unio sacramentalis, quæ ex institutione Christi panem unit, non cum corpore & sanguine simul, sed panem seorsim cum corpore, & vinum seorsim cum sanguine, unde sequitur, quamlibet partem etiam seorsim esse sumendam: quod fictitiam illam Pontificiorum concomitantiam evertit; *Concomitantia Pontificiorum refellitur.* etsi enim corpus à sanguine nunquam sit separatum, si naturalem eorum conjunctionem consideres; tamen quoad unionem sacramentalem corpus separatim à sanguine, & sanguis separatim à corpore in Eucharistia sumitur, ita enim Christus fieri voluit.

*2. Ratio, testamenti conditio.* 4. Consideretur, quòd Eucharistia sacra sit testamentum morte Christi confirmatum, quod nemo spernit, aut aliquid aliud superordinat, ut Paulus loquitur, *Gal.* 3, 15. & *ICti* dicunt *l.* 7. *jus nostrum, ff. de reg. juris, quod testamentum, quia individuum est, pro parte agnosci & pro parte repudiari non possit.* Cùm ergò quilibet pius sit hujus testamenti hæres, omni etiam parte legati meritò fruitur, & si altera pars ipsi negaretur, non immeritò se defraudatum conquereretur.

Quintò præcipuum solatium, quod ex usurpatione cœnæ haurimus, postulat usum calicis. Nam ex eo illum bibimus sanguinem, qui pro nobis effunditur in remissionẽ peccatorum. Nam, ut *Lutherus in cõfess. majore* pulchrè scribit: *mãdatum Christi in sacra cœna cõplectitur calicem, calix continet vinum, vinum exhibet sanguinẽ Christi; sanguis Christi continet N. T. quia est Novi Testamẽti sanguis, N. T. cõtinet remissionem peccatorum, remissio peccatorũ conjuncta est cum gratia Dei;* quibus omnibus laici privantur, dum calix Dominicus in S. cœna ipsis eripitur. *5. Ratio, nostri consolatio.*

Sextò quilibet fidelium se obstrictum sciat ad commemorandum mortem Domini, commemoratio autem illa integrè fieri non potest, si non accipit totum sacramentum: quia mors Christi per unam speciem integrè non significatur. Consistit enim illa annunciatio mortis Christi in recordatione illa fideli, quòd Christus non tantùm corpus suum pro nobis in mortem tradiderit, sed & sanguinem suum pro nobis, in remissionem peccatorum effuderit. Qui ergò perfectè vult annunciare mortem Domini, non pati potest se defraudari sanguine, qui pro peccatis suis effusus est, in cujus sigillum & obsigna- *6. Ratio, mortis Dominicæ cõmemoratio.*

gnationem ipsi in sacrâ cœna bibendus traditur.

*7. Ratio. ecclesiæ orthodoxæ cõspiratio.*

Septimò accedit denique consensus orthodoxæ ecclesiæ, quæ semper usq; ad tempora *Concilij Constantiensis*, laicis utriusq; speciei sumtionem concessit, quod adeò verum est, ut *Latomus contra Bucerum* scribat, referente *Andrea Osiandro in refutat: analysis Valentiniana*, *cùm ecclesia adhuc rudis esset, eam ritũ à Christo traditum religiosè tenuisse, donec docta à patribus intellexerit, utramq; speciem solis sacerdotibus convenire, laicos autem solo pane contentos esse posse.* Intelligit autem patres *conciliabuli Constantiẽsis*, quibus se in hoc ipso etiam doctrinæ capite constantissimus ille martyr *Iohan. Hussus* ad sanguinem usque opposuit.

Quibus opponimus non tantùm patres orthodoxos reliquos, inprimis *Ignatium*, qui in *epistola ad Philadelph.* 6. obsecrat nos, *ut una fide, una prædicatione, una Eucharistia utamur, quia una sit caro Domini nostri Iesu Christi & unus sanguis ipsius, qui pro nobis effusus est, & unus calix, qui pro omnibus nobis distributus*: verum etiam ipsum *Papam Gelasium*, qui in *jure canonico c. comperimus dist. 2. de consecrat*: sanxit, ut qui sumtâ tantummodò corporis portione, à calice sacri cruoris, abstinent, aut sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius & ejusdem mysterii non possit sine grandi sacrilegio provenire.

His de causis quilibet pius cujuscunque sortis ac conditionis sit, non tantùm utraque cœnæ parte uti potest, sed & iis, qui à calicis usu ipsum arcere volunt, resistere debet, rectiùs faciens, si ab usurpatione eucharistiæ prorsus abstineat, quàm si mutilam accipiat.

## CASUS VII.

### *Potestnè bona cum conscientia fieri, ut nobilis aut alius quispiam magistratus in suo territorio in gratiam tyrannorum usum eucharistiæ sub utraque specie intermittat, modò ipsi pura prædicatio verbi divini concedatur?*

Resp. Quilibet Christianus in conscientiâ suâ convictus, quòd doctrina evangelii sit ipsum Dei verbum, scire debet, Sacramenta esse visibilia signa gratiæ invisibilis in verbo comprehensæ: quibus gratia unicuique in specie offertur, & per fidem applicatur, insuper etiam publica quasi tessera confessionis datur, quam, qui sacramentis utitur, se ad extremum vitæ halitum conservaturum tacitè testatur. Ideò in Christi commemorationem S. Cœnâ uti, & mortem ejus annunciare jubemur.

Quo præsupposito, quilibet facilè intelligit, in gratiam tyrannorum

neminem Sacramentorum legitimam administrationem intermittere posse, hoc enim esset confessionẽ fidei omittere, seu Christum abnegare, Christus enim ipse negationem confessioni opponit *Matth.*10. *v.* 32. Perinde autem est, sive totus Christus abnegetur, sive pars doctrinæ Christianæ. Omnia ergò priùs amittantur, quæ nobis in vita nostra cara esse possunt, quàm de doctrina cœlesti vel apex unus abnegetur. Si quid propterea amittendum, solatio nobis sit promissio Christi de larga compensatione *Matth.* 19. *Marc.*10. Vide plura de hoc casu apud *Luther. tom.*3. *Ien.germ.fol.*599.*seqq.*

## CASUS VIII.

### *Num in defectu panis & vini, sub alio visibili elemento Sacramentum accipere licet?*

RESP. Sunt nonnulla loca in quibus panis ex frumento factus, & vinum naturale deficit, ut in partibus quibusdam *Norvegiæ*, ubi vinum etiam eo illatum ob frigoris intensionem facilè corrumpitur, & in locis quibusdam *Indiæ Orientalis*, ubi nec frumentum nascitur, nec aliunde importari aut diu conservari potest, sed propter nimium solis æstum & aliam aeris temperiem mucore facilè corrumpitur: ideò in communi victu, panis loco utuntur radice quadam, quam vocant Iphiamech, cujus medullam molæ contritu instar farinæ ad conficiendum panem idoneum præparant, & panes exinde pinsunt, qui panis triticei saporem habere dicuntur.

*Opiniones Calvinianorum.*

His igitur in locis, ne destituantur homines usu cœnæ, aliarum partium elementarium usum concessit humana curiositas. De *Innocent. IIX.* scribit *Volaterranus lib.* 7. *Georg.* quòd *Norvegis* loco vini in usu cœnæ alium quendam liquorem permiserit: quod consilium laudat *Bucanus in instit. Theol.l.*48. *quæst.*21. ubi addit, *si panis & vinum in aliqua regione desit, iis terrenis alimentis & cibis corporalibus sacram cœnam administrandam esse, quibus omnes homines pro pane & vino, cibo & potu in illa regione utuntur. Beza* quoque ad *Thomam Tilium* scribit *epist.* 2. *à sententia Christi non aberrare eum, qui, ubi panis & vini nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, alia pro pane & vino substituat, quæ etsi non parem, similem tamen alimoniæ analogiam habent.*

*Alij tostos asellos etiā adhiberi posse panis loco dicūt. Sed relinquimus asellis asellos, & juxta Christi institutionem panẽ adhibem⁹.*

Sed nos salvâ conscientiâ opinioni huic subscribere per omnia non possumus, proinde Sacramentum sub aliis quàm veri panis & vini speciebus accipiendum non esse judicamus. Nam unumquodvis Sacramentum dependet à verbis institutionis, tanquam suo fundamento, à quo in minimis recedendum non est. Cùm ergo Christus non aliter quàm exhibito pane & vino corpus & sanguinem suum nobis man-

manducandum & bibendum exhibuerit, (neque enim in descriptione primæ institutionis *Matth.* 26. v. 26. *Marc.* 14. v. 22. *Luc.* 22. v. 19. neque in ejusdem repetitione 1. *Cor.* 11. v. 23. *aliorum* symbolorum mentio fit :) satiùs foret ab usu Sacramenti abstinere, quàm aliam quandam alimoniam loco panis & vini adhibere. Neq; enim hæc esset Sacramenti à Christo instituti, sed proprii figmenti usurpatio.

Nobis igitur religio sit discedere à verbis Christi instituentis: nam *si manseritis in sermone meo, inquit ipse, verè discipuli mei eritis, Ioh.* 8 *vers.* 31. Et si analogiæ quærendæ sunt inter elementares illas partes Sacramenti, & inter corpus sanguinemque Domini, nulla certè concinnior dari potest, quàm quæ pani & vino cum corpore & sanguine Christi intercedit. Nam de pane scriptum est, quòd *confortet cor hominis, & de vino, quod lætificet cor hominis, Psal.* 104. *vers.* 15. ita corpus & sanguis Christi intra nos assumta & vires conferunt in pugnâ contra spirituales nostros hostes, & verâ afficiunt lætitiâ peccati causâ contristatos. Unde *Chrysostomus* scripsit, nos à sacra illa mensa discedere debere *tanquam leones ignem spirantes*: Christi enim corpus *pascit nos ad vitam æternam Iohan.* 6. *v.* 50. & contra omnem impetum diaboli munit.

*Analogia omnium optima est, qua intercedit pani & vino cũ corpore & sanguine Christi.*

Panis & vinum etiam quotidie assumtum nullam pariunt nauseam, sed ventriculus famelicus hunc cibum potumque potissimùm desiderat: sic corpus & sanguis Christi in Sacra cœnâ sæpiùs sumta non exsatiant hominem, sed famem sacratissimi hujus cibi magis magisque excitant.

Panis ex multis conficitur granis, & vinum ex multis botris: ita qui de sacrâ hac mensâ communicant, omnes in eundem spiritum coalescere debent, quod & experiuntur illi, qui ad sacrum hoc convivium dignè accedunt. Quò respicit Apostolus Paulus, cùm scribit 1. *Cor.* 10. v. 17. *unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus,* & iterum 1. *Cor.* 12. *v.* 13. *omnes in unum spiritum potati sumus.*

Ob hanc convenientiam panis cum corpore, vini cum sanguine Christi, non sub aliis, quàm his ipsis speciebus, Christus cœnam suam instituere voluit, à cujus institutione qui discedit, ipsum sacramentum annihilat.

Quod radicem illam Indicam attinet, de quâ supra, quia panis ex medulla ejus pinsitur, qui in cibo vulgari adhibetur, & ad nutriendum corpus idoneus est, panem illum pro vero & elementari pane habemus, quia materia eadem est, quæ in pane illo, qui ex frumento pinsitur, licet modus producendi (qui rem ipsam variare non potest) sit alius. Proinde si istis in locis in defectu panis triticei isto pane cœna distribuatur, nihil fit contra institutionem Christi, quæ panem in communi cibo usitatum ad partem

tem elementarem in sacra Eucharistia requirit.

## CASUS IX.

### *Num uniformitas panis in perceptione veri sacramenti est semper & ubique necessaria?*

RESP. Forma panis Eucharistici vel quoad *qualitates intrinsecas*, vel quoad *externam speciem*, variare potest Respectu qualitatum internarum esse potest vel *azymus*, vel *fermentatus*. Ratione externæ speciei habere potest figuram vel *rotundam*, vel *quadratam*, vel *oblongam*, vel *similem* aliquam.

Semper autem reperti sunt, qui conformitatem panis in hisce accidentalibus urserunt, tanquam necessariam. Græci olim pro fermentato pane litigabant cum Latinis, & hi pro pane azymo contra Græcos, tantâ contentione, ut Latini Græcos appellarent fermentarios, Græci Latinos azymitas.

[*Distinguenda hic tempora: Latinæ ecclesiæ pane fermentato usæ sunt, usq; ad Alexandr. I. qui instituit, ut oblatio fieret ex asymis. Rectè autem respondit Episcopus quidam Græcus in Concil. Florent. anno 1439. de pane sive azymus, sive fermentatus sit, Græci non curant, dummodò ex tritico constet.*]

Pontificii quoque pro usu panis azymi, tanquam pro aris & focis pugnant: ita enim *Toletus* scribit *lib. 2. de instit. sacerd. cap. 25. §. 5. panis azymus debet esse, in ecclesia latina, in Græca verò cum fermento, adeò ut peccet Latinus mortaliter, non consecrans in azymis.*

Ex Calvinianis etiam non desunt, qui panem azymum necessariò requirunt, eò, quòd Christus in prima cœna tali pane usus fuit, quâ ratione *Bellarminus* quoque *utitur, lib. 4. de Euchar. cap. 7.*

[*Calviniani non omnes. Nam Beza epist. 12. panis azymusnè sit an fermentatus, non magnoperè putamus laborandum. Sic Daniel Chamier lib. 6. de Euch. c. 4. optimum videri & proximum instituti sacramenti scopo, usurpari fermentatum. Itaque hoc potius utimur paucis Ecclesiis exceptis, quibuscum non est propterea nobis non unanimis consensus, &c.*]

Alii quoad externam figuram panis Eucharistici nimis sunt superstitiosi, urgent enim sacramentarii panes oblongos & crassos, quorum usus est in communi victu, nostras verò placentulas orbiculares, quas hostias vocant, repudiant, minutiarum natales, hostias nummularias, crustulum farraceum, & spumam panis nominant. *Item lentorem viscosum, nebulas, quibus nulla vis nutriendi subsit.*

[*Hostia*

[ *Hostiæ autem vocantur ab oblationibus primitivæ ecclesiæ, quæ ad sustentationem ministrorum & pauperum in altaria olim conferebantur* ]

Verùm lites illæ nihil faciunt ad ædificationem. In pane Eucharistico neq; materiæ qualitas, neq; externa accidentia consideranda sunt, modò sit panis verus & naturalis, ad quem nihil aliud requiritur, quàm farina & aqua, ita inter se commixtæ, ut crassiore humore per calorem externum absumto, consistant, atque masticari, & in corporis nutritionē cedere queant, ut *Plinius* docet *lib.* 15 *nat. hist. c.* 11. An ex hordeo vel tritico pistus sit, an azymus vel fermentatus sit, nihil refert: hoc enim substantiæ panis nihil addit aut adimit.

In ecclesiis nostris azymus adhibetur, ex nulla necessitate, sed liberè, quia Christus eo usus fuit in institutione cœnæ, & panis Eucharistici typus fuit panis azymus, qui in esu agni paschalis usurpabatur, *Exod.* 12. *v.* 8. Si autem fortè ecclesia aliqua fermentato pane uteretur, non est, cur quis sibi eo nomine scrupulum faciat. Nullum enim CHRISTI mandatum habemus, ut vel azymo vel fermentato utamur, res hæc merè est ἀδιάφορον: & fermentato æquè ac azymo fieri potest communicatio corporis Christi.

Prout ergò fert uniuscujusq; ecclesiæ consuetudo, ita faciendum, nec una ecclesiam aliam propter dissensum condemnare; nec communicantes hoc in genere nimis curiosi esse debent.

Ita nihil refert, sive integri panes proponantur, fractique inter communicantes distribuantur, sive etiam hostiæ illæ orbiculares in distributione cœnæ usurpentur. Res hæc liberæ est observationis. Nam & orbiculares illæ hostiæ verus & naturalis panis sunt, ex aquâ & farinâ pistus, & licet tenues sint, tamen si in justâ quantitate sumantur, æquè ac spissiores panes virtutem nutriendi habent.

*An hostiæ orbiculares sint verus panis? Affirmatur.*

Harum usus retinetur nostris in ecclesiis, liberè & ex antiquissimâ consuetudine: nam ex *Ancorato Epiphanij* constat, circa annum Christi 390. rotundos jam in usu fuisse panes, & tempore *Chrysostomi* circa annum Christi 380. sphæricæ figuræ panem adhibitum fuisse *Gentianus Hervetius* comprobavit: quin & circa annum Christi 80. *in epist.* 2. *Clementis* cautum aliqui volunt, ut tot hostiæ seu fragmenta præparentur, quot universæ plebi sufficerent.

Nihil autem refert, quòd buccellæ illæ parvæ sunt & tenuiores: quod certè veritati panis nihil derogare potest: neque enim ad satietatem corporis, sed in escam spiritualem sumuntur, &, uti *canon Concilij Niceni* habet, non multum sumimus, sed parum, quia non ad satietatem, sed propter sanctimoniam hæc sumimus.

[ Hieron. *Corpus Christi est esca animæ, non corporis, impinguans mentem, non ventrem.* ]

Neque obstat, quòd Christus in primâ cœnâ talibus buccellis usus non fuit: nam neque usum earum prohibuit, neque certam figuram panis, quæ necessariò observanda sit, præscripsit: neque etiam omnia, quæ CHRISTUS in primâ cœnâ fecit, imitari possumus, aliàs in publico diversorio, vespertino tempore, & non nisi inter duodecim, quorum unus Judas esset, S. cœna administrari posset.

Nemo ergò in hisce accidentalibus sibi ipsi scrupulum faciat, nemo alterum judicet, multò minùs inutilibus novitatibus ecclesiam turbet: quia in ritibus & adiaphoris aliis utile est observare ea, quæ ecclesiam illam, in quâ vivimus, observare videmus: perpetua enim semperque sibi constans uniformitas harum rerum omnibus ac singulis in ecclesiis præscribi non potest.

## CASUS X.

*De fractione panis.*

### *Num quis verum & integrum sacramentum non acceperit, si panis in ipsa administratione cœnæ non fuerit fractus?*

RESP. Scrupulum hunc faciunt simplicioribus *Calviniani*, quorum aliqui fractionem panis in ipsa actione cœnæ, ut partem substantialem, alii ut partem integralem necessariam urgent: quos qui audiunt, dubitare possunt, an verum & integrum sacramentum acceperint apud eos, qui fractionem in ipso usu cœnæ intermittunt.

Sed absque causâ conscientias turbant. Aut enim ideò fractionem illam necessariò urgent, quia Christus in primâ cœnâ panem fregit; aut quia fractio panis repræsentat Christi crucifixionem & mortem, ratio neutra nos constringit, ut cœnam Domini pro mutila & imperfecta habeamus, licet fractio in ejus administratione omittatur.

*Negatur 1. Ratio.* Nam 1. antea etiam monuimus, non omnia, quæ Christus in primâ cœnâ fecit, nobis etiam facienda esse, multa enim fecit, quæ ratione circumstantiarum ita fieri oportebat, ut quòd vesperi, in diversorio publico, præsente Judâ cœnam suam distribuit, quod nemo *Calvinianorum* imitatur.

Hujus generis etiam est, quòd panem fregit: nam quia panem ex esu agni paschalis integrum habebat, ideò fregit, ut distribuere posset. Fregit autem, non cultro secuit, quia Judæi non ita spissis panibus, uti nos, sed latis & minus crassis, qui commodius frangi poterant, quàm scindi, utebantur, quod ex Calvinianis agnoscunt *Aretius part. 1. proble. 82. Bucanus in institutione loc. 48. q. 1.* Si ergò *Calviniani*, qui fractionem panis in ipsa actione cœnæ urgent, in omnibus Christum imitari volunt,

sunt, tales etiam latos & minùs crassos panes apponant, quod tamen non omnes faciunt.

Cùm ergò propter distributionem tantùm panis à Christo fractus sit, perinde est, sive in ipsa actione cœnæ, sive antea frangatur: distributio enim panis in ipsa actione est de integritate sacramenti, non ipsa fractio: & quia apud nos ante actionem cœnæ particulæ panis ita præparatæ sunt, ut inter communicantes distribui queant, nos quoque fractione panis non destituimur, licet in ipsa actione cœnæ non adhibeamus.

2. Ratio. 2. Si propter repræsentationem fractio panis necessariò urgetur, toto cœlo errant sacramentarii. Nam scriptura talem repræsentationem ignorat, sed contrarium potiùs habet. Ipsi enim dicunt, panem in usu cœnæ ideò frangendum esse, ut repræsentet fractionem CHRISTI in cruce; Scriptura verò docet, CHRISTO *os nullum confringendum fuisse, Iohan. 19. vers. 36.* Si dissolutionem corporis & animæ in morte fractionem nominant καταχρηστικῶς loquuntur: separatio enim & dissolutio illa sine fractione fit. Si fractio panis repræsentat fractionem corporis, præterquam, quod falsum dicunt, meritò insuper requirimus ab ipsis, ut & vinum in ipsa actione cœnæ effundant in terram, ut repræsentent effusionem sanguinis CHRISTI in terram. Quod si hoc ab ipsis absque mutilatione sacramenti omittitur, etiam illud omitti potest.

[*Analogia Calviniana ideò rejicitur 1. quia nihil de ea in verbis institutionis invenitur. 2. quia officium panis non est præfigurare sed cõmunicare corpus Christi 1. Cor. 10. v. 16. 3. quia scriptura negat os esse Christo fractum Io. 19. v. 35. & 36. 4. quia sic necessaria quoq; esset effusio sanguinis. 5. quia si agnus paschalis in V. T. non præfiguravit fractionem Exod. 12. v. 46. Num. 9. v. 12. multò minus in N. confer disp. Dn. D. Finckij de analogia schediasmatibus apposit.*]

*Fractio panis à nostratibus non omnimodò rejicitur, sed quãdo sub necessitatis ratione urgetur.* Sciendum igitur est, nos fractionem panis non quidem omninò rejicere, sed si in ipsa actione cœnæ urgetur, ut necessaria, & quasi absque ea S. cœna sit mutila, tunc absque causa conscientiis teneris scrupulum injici dicimus, ac proinde huic dogmati modis omnibus nos opponimus, idque his de causis.

1. Causa. 1. Quia nullum habemus Christi mandatum, ut panem in ipsa usurpatione cœnæ necessariò frangamus. Absque mandato autem divino necessitas alicujus in cultu perperam urgetur. *Objiciunt* verba Christi: *hoc facite.* Sed hæc referenda sunt ad ea, quæ Apostoli in primâ cœnâ fecerunt, ea enim Christus ipsos facere jussit, nimirùm accipere corpus & sanguinem ejus, edere & bibere, quo pacto etiam ex Calvi-

*Calvinianis* nõnulli interpretantur, ut *Aretius lib. 4. de cœna, Zanchius li. 1. epistolar. fol.* 238. qui falli eos scribunt, qui fractionem panis his verbis, *hoc facite*, præceptam putant. Et res ex eo manifesta videtur: quia Apostoli non distribuerunt panem, id quod Christus fecit. *Et adhuc incertum est*, inquit *Calvinus in Comm. cont. Evang. p. 334. quinam fractionis ritus, & ad quem modum à Christo fuerit servatus*: quomodo ergò id, quod ipse fecit, verbis illis præcipere nobis potuit?

2. Causa. 2. Nullum habet usum fractio in ipso actu cœnæ facta: nam si repræsentationis causâ adhibetur, jam antè ostendimus, quòd ea locum non habeat: si ob distributionem, non necessaria est in ipso actu: nam & ante administrationem panis ita præparari potest, ut ad distributionem aptus sit.

3. Causa. 3. Fractio panis in ipsa actione cœnæ est ἀδιάφορος, quia nõ mandata: ergò sub specie necessitatis obtrudi nobis nõ debet: hoc enim contra naturam adiaphororum est.

4 Causa. 4. *Calviniani* per suam illam fractionem ex pane tantùm faciunt signum repræsentativum, cum tamen *Christus* illum voluerit esse medium & organon corporis sui exhibitivũ. Idq; manifestè docuit *Pareus in libell. germ. de fract. panis*: ubi scribit; *panis fractione idololatricam & falsam opinionem de præsentia corporis Christi in, aut sub pane, & de orali manducatione omniũ potentissimè elidi, & ex animis simpliciorum ejici.* Cùm ergò per latus fractionis illius ipsam doctrinam de vera ac reali præsentia corporis & sanguinis Christi in cœnâ petant, nemo piorum in dogma illud subdolum & scandalosum consentire debet.

5. Ipsi *Calviniani* non uno modò de fractione docent, licet ejus necessitatem ob repræsentationem urgeant; quidam partem cœnæ essentialem vocant, quidam nõ essentialem, sed integrantem: alii ante cœnam panem secant in partes longiusculas, quas postea in actu cœnæ frangunt & distribuunt; alii verò unius panis in plures partes comminutionem in ipso actu sacramenti de necessitate ejus esse dicunt. Plures discrepantias vid. apud D. Gerhard. part. 5. L. C. de cœnâ p. 339. Conf. *Hesselbein antidot. 1. Dn. D. Meisn. p. m. part. 1. phil. sob. s. 4. c. 3. q. 2. & c. 4. q. 2.* 5. Causa.

6. Non desunt ex Calvinianis, qui fractionem in ipso cœnæ actu omitti posse statuunt, ut *Beza epist. 2. ad Titum & in lib. quæst. & resp. q.* 194. *Aretius lect. 4. de cœna. Zanchius lib. 1 epistolar.* qui expresse scribit, ut *distribuatur panis, perinde esse, sive extra mensam, vel in mensa frangatur, in quâ sententiâ* & nos adquiescimus, & absq; causâ scrupulum conscientiis injici statuimus ab iis, qui sacramenti integritatem aut veritatem etiam negant, si panis in ipsa actione cœnæ non frangatur. 6. Causa.

CASUS

Digitized by Google

## Casus XI.

*De abstemiis.*

*Quid faciendum abstemiis, qui desiderio S. cœnæ tenentur, & tamen ne guttulam vini sine nausea & periculo vomitionis assumere possunt?*

Resp. Romanenses talibus consulunt communione sub unâ specie, ut videre est *apud Bellarminũ lib.4. de sacr. Euchar. c.28.* & *Becanus* scribit *disp. de communic. sub utraque specie c.8. omnes, tam Catholicos quàm adversarios permittere abstemiis communionem sub unâ specie, nec unquam auditum esse, à temporibus Apostolorũ, ad nos usq; , abstemios fuisse à communione exclusos.* Et tandem concludit: *ergò vel communio sub unâ specie non est prohibita jure divino, vel si prohibita est, non potest fieri dispensatio in illa prohibitione, & sic abstemii erunt repellendi à communione &c.*

*Pontificiorũ opinio.*

Verùm hæc tanti non sunt, ut propterea institutio Christi sit mutanda; nam pauci admodum sunt, qui à vino ita abhorrent, ut ne quidem guttulam aliquam assumere possint de vino: propter hos paucos autem non est defraudanda calice ecclesia tota.

Negari quidem non potest, *Brentium* olim consultum putasse, si abstemiis una saltem species sacramenti detur, cui opinioni suffragatur *D. Schopperus in libello de cœnâ.* sed cùm vinum sit pars essentialis sacramenti, consilium hoc tutò nemo sequi potest, cùm semper ipsi dubitandum sit, an integrum sacramentum acceperit. Ideò *Schopperus* hanc suam sententiam mutavit *in disp. de cœna th.74.* ubi hunc in modum scribit: *quidam statuunt, abstemios sub una specie communicare posse, cui sententia & meus libellus de cœna ante hoc tempus editus adstipulatur: sed institutioni Christi minùs derogare videtur, si abstemius ne guttulam quidem vini ferre possit, quæ sumta in sacrâ cœnâ sufficeret, ut pauxillo vino consecrato misceatur aqua, ac id exhauriatur, juxta Agenda Noriberg.*

Quibus postremis verbis aliud suppeditat consilium pro abstemiis, ut nimirum vino in calice pauxillum aquæ misceatur: quod *Vitus Theodorus in Agenda sua* suasit.

*An vinum aquâ sit miscendum ut abstemii sumere possint?*

Quâ sanè ratione nihil quidem fieret contra Christi institutionem, quia verisimile est, Christum in ultima cœnâ, quâ finitâ sacramentum cœnæ instituit, vinum non merum, sed mixtum bibisse, ut *D. Chemnitius* existimat *part. 2. exam.* & antiquissimi scriptores in descriptione rituum Eucharistiæ mentionem faciunt vini aquâ mixti, unde & *Irenæus* mistum calicem & panem fractum, tanquam partes essentiales Eucharistiæ conjungit *lib.5.c.1.*

Sed quia illa mixtio aquæ cum vino in *Papatu* urgetur in ipsa administratione cœnæ, ut necessaria, ex præcepto Christi & traditione A-

 posto-

poſtolica, ut ex *Concilio Tridentino ſeſſ.22.c.8.Bellarminus* docet *lib. 4. de ſacram.Euchar.cap.*10. *Gregor.de Valent.tom.4.d ſp.6 qu.2. punct.* 920. *Azorius tom.primo inſtitut. moral.l.* 10. *cap.* 30. eam ob cauſam conſilium illud pro abſtemiis periculoſum eſt, ne cum Pontificiis colludere videamur.

Nihil ergò reſtat, quàm ut tales abſtemii, qui prorſus à vino abhorrent, ut ne guttulam quidem ferre poſſint, à communione S. Euchariſtiæ abſtineant, juxta conſilium Lutheri in ſerm. de Novo Teſtamento tom.1.Jen.Germ.fol.318.

Quod Vitus Theodorus etiam in ſua Agenda ſequitur, cùm ſcribit; Solche Leuth (abſtemii) kömen ohne Nachtheil deß Abendmahls gar gerathen/ vnd ſich an das Wort vnd Geiſtliche Nieſſung halten/ ſintemal ſie ihrer Natur halber gehindert werden/ daß ſie es nicht gantz/ wie Chriſtus befohlen hat/ genieſſen können. Ratio eſt, quia S. Cœna tantum eſt ſacramentum confirmationis, nec tantæ neceſſitatis, ſicut baptiſmus. Poſſunt ergò abſtemii ipſo quidem Sacramento carere, fructu tamen ſalutari ejuſdem non deſtituuntur, quo per fidem potiuntur etiam extra uſum ſacramenti, juxta illud Auguſtini: crede & manducaſti.

Diligenter igitur intereſſe debent adminiſtrationi cœnæ, beneficia Chriſti conſiderare, eaque verâ fide ſibi applicare, & ſic ad ipſos quoque fructus ſacramenti redundabit. Nihil autem faciunt hac abſtinentiâ ſuâ contra inſtitutionem Chriſti, ea enim attingit ſaltem omnes, qui neceſſitate non excluduntur. *Neceſſitas autem non habet legem,* & ut *JCti* loquuntur; leges attingunt ea, quæ communiter & ut plerunque contingunt, non quæ paucis aut rarò.

## Casus XII.

## *An ſurdi & muti ſacra cœna rectè uti poſſint?*

*De ſurdis & mutis.*

Reſp. Surdi & muti trium ſunt generum.

*Surdi & muti trium ſunt generum.*

Quidam ſenſibus illis integris nati ſunt, ſed poſtea caſu aliquo ſenſuum illorum uſum amiſerunt. Hi antea concionibus ſacris in capitibus doctrinæ Chriſtianæ informari potuerunt; poſtea cùm deſiderio S. Cœnæ tenentur: nutu & geſtibus illud declarare, de dolore cordis ſui, de fide, & ſerio propoſito emendandi vitam teſtari poſſunt. Quod cum fit, ſine dubio ſalutariter non minus atque alii, qui voce peccatorum ſuorum confeſſionem edunt, ſacrâ cœnâ uti poſſunt: ſic in *concilio Carthaginenſi IV. can.* 76. ſancitur, *ægroto in infirmitate ſuâ petenti S. Cœnam, & poſtea caſu quodam ſupervenienti obmuteſcenti, cùm deſiderii ſui teſtes habet, cœnam non eſſe denegandam.*

Deinde ſunt, qui muti ſunt nati, audiendi tamen adhuc facultatem habent. Hi ſi aſſidui verbi prædica-

tu au-

ti auditores fuerunt, inde in vera fide erudiri, & ad pœnitentiam agendam excitari possunt. Etsi autem neque peccatorum, neque fidei suæ confessionem verbis edere possint, interrogati tamen de iis, nutu, gestu aut etiam scripto respondere possunt: quòd si serio cum desiderio ad sacram cœnam accedant, dubium non est, quin salutariter accipiant.

Sunt denique alii, naturâ muti & surdi, qui nunquam facultatem loquendi aut audiendi habuerunt. Hos nonnulli ab usu cœnæ prorsus arcent; quia carere eos dicunt fide, quam Paulus *ex auditu* verbi divini esse scribit *Rom.* 10. neque ea, sine quibus nemo salvus fieri queat, ut quòd Christus æterno Deo æqualis, in tempore factus sit homo, passus, crucifixus, mortuus & resuscitatus pro nobis, quòd Spiritus Sanctus nos illuminet, regat, & ad faciendum aliquid boni idoneos reddat, ipsos ex nutibus & signis qualibuscunque addiscere posse. Quibus de causis ipsos ad usum cœnæ admittere nolunt, statuentes aliàs, Deum pro immensâ misericordiâ suâ etiam extraordinario modo illis prospicere, & salutem æternam tribuere: neque enim plus ab eis exiget, quam præstare possunt, cùm ipse sit, *qui mutum & surdum, cœcum & videntem condidit Exod.* 4. Hæc illi.

Sed quod solvâ illorum autoritate fiat, sententiæ huic subscribere per omnia non possumus. Etsi enim facilè largimur, quòd tales muti & surdi, ex auditu verbi divini fidem non habent: existimamus tamen eos per picturas etiam, nutus & gestus ita in fide informari posse, ut talem de Christo cognitionem hauriant, quæ fiduciam cordis in ipsis generet, & ad salutem sufficiat. Et hic suũ præclarum habent usum picturæ & imagines historiarum Biblicarum.

Nam quòd muti & surdi per picturas informari possunt, de iis, quæ alii ex aliorum ore percipiunt, *Plinius* testatur, qui de *quodam Romano Q. Pedio* scribit *lib.* 35. *nat. hist. cap.* 4. *quod cum naturâ mutus esset, suasu Messalæ oratoris pictoriam artem didicit, ut alios intelligere, & cum illis per picturas agere posset.*

Ita possunt muti & surdi ex pictis historiis de Christi nativitate, passione, morte, &c. addiscere rem ipsam: discretus informator tales addere potest gestus, ex quibus ille usum etiam illarum historiarum intelligat, de quo usu imaginum *Damascenus scribit lib.* 4. *orthod. fid. cap.* 17. quia *non omnes literas norunt, neque lectione incumbunt, patres nostri cõsenserunt, velut quædam trophæa hæc in imaginibus repræsentare ad promtam memoriam.*

Neque *Hieronymus* omninò abnuit in *epistola ad Galatas*, quin *qui surdi nati sunt, nutibus quoque & quotidiana cõversatione, & ut ita dixerim, totius corporis loquente gestu, possint evangelium discere.* Habet *enim & anima aures suas* ut *Hieronymus* ibidem loquitur, *quas qui habuerit, non magnoperè*

*gnopere indigebit his auribus corporis ad cognoscendum Christi evangelium.*

[*Quod legentibus scriptū, hoc idiotis cernentibus præstat pictura, Greg.epist.9.l.9.* ἡ χροπαιδία ἐστ μίμημα ἡ βιβλια γραμμάτων καὶ συλογραφία *Gregor. Nyss. sup. cant. Pictura in ecclesiis adhibeantur, ut hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videant, legant, qui in codicibus legere non valent Hier. epist.7. ad Sever. Episc.*]

Cùm ergo muti & surdi gestibus ostendunt Christum crucifixum, postea & se ostendunt, quo gestu applicationem crucis Christi ad se faciunt, levatis manibus ad cœlum, tunsione pectoris, lacrymis etiam serium de peccatis suis dolorem declarant, administrationi cœnæ libenter intersunt, & desiderium corporis & sanguinis Dominici ostensâ hostiâ & calice, admotâque manu ad os præ se ferunt, vel etiam hæc omnia scriptis literis de se testantur, nihil obstat, quò minùs ad S. cœnæ usurpationem admittantur, & pro dignis convivis habeantur.

Cujus rei exemplum recitat *Melanthon* de mutâ quâdam fœminâ *Gothæ* ad sacram cœnam admissâ: *M. Sebast. Boethius* Sup. intendens Hallensis de surdo & muto quodam equite in arce *Wbelingensi admisso* anno 1564. alius mutus & surdus fuit Halæ admissus anno 1589. *D. Johan. Gerhard. tom.5 loc.c.com. th.126.* recitat, anno 1613. in aula *Ioh. Casimiri Ducis Saxoniæ* mutum & surdū ex famulitio principis, confessionem peccatorum manu suâ scripsisse, & ad sacram cœnam admissum fuisse. Prædictus *Sebast. Boetius* refert, *Isenaci* talem puellam, filiam *Christiani Cotta* admissam ad communionem ex consilio *B. Lutheri*, ex cuius viri ore ait se audivisse: *si adsunt signa desiderij, non arceatur ab altari.*

Si qui autem planè nullo signo externo vel pœnitentiam, vel fidem, vel desiderium testari possunt, his satius est, ut ab hac mensâ abstineant, neque sunt admittendi ab ecclesiæ ministris, quod est judicium *Lutheri* de hac re *serm. de Novo Testamento tom.1. Ienen. Germ. fol.318.*

## CASUS XIII.

### *Rectene faciunt ægroti & alii, qui sacra cœna in privatis ædibus utuntur?*

*De ægrotis & aliis, an possint sacrâ cœnâ privatim in ædibus salvâ conscientiâ uti?*

REsp. Negant hoc *Calviniani*, qui morem illum, quo Eucharistia ad ægrotos tanquam viaticum defertur, improbant, eamque non nisi in cœtibus publicis usurpandam censent, ut videre licet apud *Bezam part.2. quæst & resp. qu. 242. Aretium part.1. probl.82. Musculum in locis fol. 369. &c.*

*Opinio Calvinianorū.*

Nostra autem est sententia, sacram cœnam ab iis, qui valent, & nullâ aliquâ sonticâ à cœtibus publicis

Google

blicis excluduntur, publicè cum aliis in templo sumendam esse. *Non enim deserenda est congregatio* ut mos est nonnullis, monente Apostolo *Heb.10,25.*

[ *Calvinianis opponi etiam potest Calvinianus Hieron. Zanchius, qui his verbis in nostram it sententiam: quod Christus nemini suorum discipulorum denegat, cur nos recusemus ægrotis, qui antequam hinc recedant, illud expetunt: idque non ex aliqua superstitione, sed animi magis ac magis consolandi erigendique causâ. Vide l.1.epist.fol.155.epist. ad Ioh. Crat.med.Casar.*]

Si quis tamen vel morbo, vel alio quodam casu necessitatis á publicis conventibus exclusus sit, & desiderium hujus sacræ mensæ habeat, nihil obstat, quin eâ in privata domo uti possit. Nam locus ad circumstantias sacramenti pertinet, quæ liberam observationem habent, cum Christus de iis in institutione cœnæ nihil certi præceperit.

In Veteri quidem Testamento certus erat locus, in quo cultus divini causâ conveniebant: sed hoc ad ceremonialia illius populi pertinebat, quæ in Nov. Testamento abrogata sunt.

Christus ipse & Apostoli non in templo, sed in privatis ædibus, sacram cœnam celebrarunt.

Neque verò existimandum est, ægrotos domi communicantes esse extra ecclesiam: nam ecclesia non est saltem multitudo hominum, sed *ubi duo vel tres congregati sunt in nomine Christi, ibi ipse est in medio eorum,* & ibi vera est ecclesia.

Ideò in scriptis Paulinis reperiuntur domesticæ ecclesiæ piorum *Rom.16,5. Philem.v.2.* & hi qui ægrotant, sæpenumero paratiores sunt ad sacram cœnam, quàm alii: malè ergò illis sacra cœna negaretur.

Quæ omnia sine dubio expenderunt veteres, qui epulum hoc cœleste ægrotis in ædibus suis non denegarunt. Apud *Eusebium lib.6.cap.43.* sacra Eucharistia defertur ad *Serapionem* ægrotum: idem legitur de *Exuperio*, qui panem Eucharisticum ad ægrotum defert in canistro vimineo, & vinum Eucharisticum in vitro, apud *Hieronymum in epist. ad Ruff.*

[ *Confer etiam Iustin. in Apol. ubi docet, quod ad absentes quoque detulerint cœnam in ecclesia primitiva Christiani.*]

His argumentis communio privata apud ægrotos stabilitur: proinde nemo hoc in genere conscientiam suam turbet; viderit modò, ne impœnitentiâ se à communione sanctorum separet.

## CASUS XIV.

*Rectè ne faciunt, qui certis quibusdam anni temporibus ad sacram cœnam accedunt?*

*De temporibus certis, quibus nonnulli cœnâ utuntur.*

RESpon. Veteres hæretici, quos *Tessaradecatitas & Quartadecimanos* appellarunt, certum anni diē, videlicet, 14. Martii ad celebrationem hujus sacramenti requirebant, quia eo die à Christo sit institutum, referente *historiâ Tripartitâ lib. 9. c. 38. & 39.* Ad quos hoc in genere quam proximè accedit *Innocentius III. Papa*, qui usum sacræ cœnæ ad Pascha adstrinxit *c. utriusq; sexus dist. 2. de consecrat.* Tempore Patrum, cum persecutiones increbrescerēt, singulis diebus Christiani communicabant, teste *Ambrosio lib. 5. de sacrament cap. 4.* postea singulis diebus Dominicis, quod ut fiat, suadet *Augustinus lib. de eccles. dogmat. cap. 53.* successu temporis tribus anni vicibus, nimirum in tribus præcipuis festis sacram Eucharistiam sumebant, quod ut à singulis Christianis fieret, *Fabianus Papa* præcepit, & *Concilium Agathense can. 18.* confirmavit, quibus alii addiderunt *diem viridium*, qui est dies Jovis ante Pascha, quo die imprimis tempore *Augustini* Christiani in Africâ sacrâ cœnâ utebantur, quia eo die sacramentum hoc à Christo erat institutum.

Sed etiam hæc circumstantia est liberæ observationis. Christus enim in verbis institutionis nihil hac de re præcepit, ut autem sæpius hoc sacramento utamur, innuit, quando ait: hoc facite, quotiescunque biberitis in mei commemorationem 1. *Cor. 11, 25.*

Frequenter igitur accedamus ad hanc sacram mensam, nec tamen certo nos tempori adstringamus, ne ipso opere operato DEO placere videamur: sed quotiescunque desiderium hujus sacri epuli sentimus, & nos dignè præparatos & probatos scimus, sive hoc singulis mensibus, sive singulis anni quadrantibus fiat, nemo hac in parte erraverit. Conscientiæ enim anxietas, cui in hoc sacratissimo convivio refectio quæritur, mensura temporis hac in parte erit.

[ *Veri Christiani, inquit Cyril. Catech. 4. myst. p. 530. frequenti sumtione cœnæ Dominicæ se veros esse Christophoros testentur, sic Christophori erimus, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus, atque divinæ naturæ consortes efficiemur.* ]

## CASUS XV.

### *Num peccatur ab iis, qui non jejuno stomacho sacrâ cœnâ utuntur?*

RESp. Etiam hac de re nihil habet institutio Christi. *Augustini* tempore utebantur hoc sacramento die Jovis ante Pascha nocturno tempore post sumtam cœnam, ut actionem Christi meliùs referrent.

Sed hæc consuetudo abrogata fuit per constitutionem ecclesiæ in *Concilio Carthaginensi VI.* ubi *can. 29.* cautum est, ut sacramentum altaris

tatis non nisi à jejunis hominibus celebretur. Unde & *Augustinus*, qui concilio illi interfuit scribit *epistol. 118. ad Januar. ex hoc placuit Spiritui S., ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani priùs Domini corpus intraret, quàm cæteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Hæc ille.

Sciendum autem est, consuetudinem istam non esse tantæ necessitatis, ut mutari non possit. Ideo *Lutherus* censet in *lib. de abroganda Missa part. 2. si ægrotorum & prægnantium, adde etiam decrepitorum senum ratio ita ferat, ut tamdiu jejunium ferre non possint, eos ad hunc ritum alligatos non esse, quem non Christi institutio, sed probabilis duntaxat ratio introduxit.*

Nam & ipse Christus Apostolis corporis & sanguinis sui sacramentum dedit, postquam cœnassent: neque sumitur ex eo alimentum corporis, quod præ aliis ejusdem generis privilegium temporis meritò haberet, sed cibus animæ, qui æquè ac prædicatum verbum, etiam assumto cibo, locum habere potest. Nemo tamen temerè & absque casu necessitatis consuetudinem ecclesiæ probabili de causa introductam convellat; ne sacrosanctum hoc epulum contemnere, aut sine reverentia perfunctoriè saltem tractare videatur.

## CASUS XVI.

### *Num orthodoxus à Calviniano ministro sacram cœnam bona cum conscientia petere & accipere potest?*

RESP. Distinguendum hic est inter talem ministrum *occultum & apertum*. Si fortè in ecclesia orthodoxa lateret *crypto-Calvinianus*, qui veram & realem corporis Christi præsentiam in S. Cœnâ non credit, ab eo membra veræ ecclesiæ, id est, ii qui de sacrâ cœnâ instituti sunt, eam omninò accipere possunt. Nam neque intentio, neque error ministri, præsertim, dum adhuc occultus est, communicantibus nocere potest: quia sacramentum non est ministri, sed ecclesiæ bonum, cujus fides de vera præsentia corporis Christi in cœna, cum sincera sit, de ea meritò etiam participant singula ejus membra. *Minister Calvinianus vel est crypto-Calvinianus vel apertus.*

*Apertus* minister *Calvinianus*, vel est membrum ministerii in ecclesia orthodoxa, ubi sanè non esset tolerandus, sed cognito ejus errore, ad confratres suos remittendus: si autem à Magistratu toleratur, fugiendum est ejus ministerium, tanquam lupi, qui invadit ovile Domini, non sine magno ovium detrimento; vel est membrum ministerii in ecclesia Calviniana,

&tunc

& tunc multò minus ab ipso cœna Domini accipienda est, quia ecclesia illa non credit veram corporis Christi in cœnâ præsentiam, & sic institutionem sacramenti non habet integram, ac per consequens, non habet verum sacramentum. Etsi enim institutio sacramenti non pendet à fide ministri, sed ab autoritate instituentis: non tamen Christus alibi, quàm in verâ ecclesiâ, quæ de sacramentis suis rectè sentit, institutionem sacramentorum locum habere voluit.

*Calviniani apud nos S. Cœnâ utentes, accipiũt verum corpus & sanguinẽ Christi, sed nostri apud Calvinianos cõmunicantes non accipiunt verum Sacramentum.*

Quæ ratio est, quòd *Calviniani* quidem in nostris ecclesiis ab orthodoxo ministro sacram cœnam petentes verum Christi corpus & sanguinem accipiunt, quia apud nos vera est ecclesia, cujus sunt sacramenta, quorum institutio etiam incorrupta servatur: sed nostri à *Calvinianis* ministris verum sacramentum corporis Domini non accipiunt, quia *Calvinianorum* ecclesia falsa est, quæ verba institutionis pervertit.

*Cur abstinendum à Synaxi Calvinianorũ?*

*Ratio 1.*

A talium ergò ministrorum communione abstinendum est (1.) quia *pseudoprophetas cavere*, nec *dæmoniorum consortes esse* debemus, *Matth.* 7. *v.*15. 1. *Cor.*10,21.

*Ratio 2.*

(2.) Quia omnes, qui de substantialibus sacræ cœnæ non rectè sentiunt, habent mensam dæmoniorum. Non autem *potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum*, ait Apostolus 1. *Cor.*10,21.

*Ratio 3.*

(3.) Quia communio illa apud *Calvinianos*, præberet scandalum, speciem enim habet confessionis, cujus notæ sunt sacramenta. *Tales autem estote*, scribit *Paulus* 1. *Cor.*10, 32. *ut nullum præbeatis ecclesiæ Dei offendiculum.*

*Ratio 4.*

(4.) Quia hæc est nota ovium Christi, *alienum non audire, sed vocem duntaxat pastoris Ioh.*10,5. Est autem vox sacramentariorum planè aliena à voce Christi. Illi corpus Christi in supernum quendam cœli locum alligant, hic in cœna manducandum unà cum pane exhibet: illi indignos à manducatione corporis arcent, hic etiam Judam proditorem admittit.

*Ratio 5.*

(5.) Quia *Calviniani* multis conviciis confessionem nostram de vera ac reali præsentia corporis Christi in cœna proscindunt, quomodo ergò cum ipsis de eodem pane participare possumus?

*Ratio 6.*

(6.) Quia hypocritarum est, iis se in communione sacramentorum conjungere, à quibus in doctrina planè abhorremus.

Quæ rationes omnes indignitatis reatum simul important: nam qui à *Calvinianis* sacram cœnam accipiunt, non dijudicant corpus Domini, perinde existimantes, sive illud juxta sensum institutionis Christi, sive juxta intentionem hominum accipiant. Qui reatus indignitatis meritò nos à tali communione revocare debet.

* * *

CASUS

## CASUS XVII.

### *Quid si verò alteruter ministrorum administrantium cœnam sit orthodoxus, alter verò Calvinianus, num ab iis sacram cœnam accipere licet?*

RESP. Fit hoc interdum in amplissimis rebuspublicis, ubi multi sunt errores, sicut in magnis fluminibus multæ sordes. Sed malè consulit ecclesiæ magistratus, qui cum orthodoxus esse velit, in *Calviniani* tamen ministri vocationem, & quod magis est in tam scandalosam ministerii mixturam inclinat: & si fortè magistratus in religione mixtus esset, hoc est, partim ex *Lutheranis*, partim *Calvinianis* constaret, quia tamen vocatio ministrorum est penes totam ecclesiam, subditi utique consentire in hujusmodi vocationem non deberent. Hoc enim est ovile Domini committere partim pastori bono, partim lupo, quo nihil est absurdius.

Prohibuit olim Deus *vestem ex lino lanaque confectam Deut. 22.* quâ inhibitione sine dubio mixturam in religione & ministerio respexit: cumque certum sit, quòd Orthodoxi & *Calviniani* in fundamentalibus fidei diffideant, quomodò quæso utriusque religionis ministri in uno templo, ad idem altare eadem sacra administrare possunt?

Si tamen Calvinianus minister præter voluntatem subditorum intrusus esset, satius esset abstinere à tali ministerio, propter causas in præcedente quæstione indicatas, præsertim cùm aliis in templis hujus sacri epuli copia detur apud ministros extra controversiam sinceros.

Qui verò etiam admonitus accesserit, vel magnæ temeritatis & negligentiæ in causa religionis haud immeritò accusabitur, vel certe in suspicionem alicujus collusionis incurret. Abstinendum autem est etiam ab *omni specie mali 1. Thess. 5.*

Si quis verò ex simplicitate & imperitiâ à tali mixto ministerio cœnam acceperit, de eo non dubitamus, quin verum sacramentum acceperit, quamdiu ecclesia illa, cui minister ille *Calvinianus* inservit, adhuc in religione fuerit sincera, sacramenta enim non dependent ab autoritate ministrantium, sed ab institutione Christi, quæ ubi sincera est, ibi quoque rectè administrantur.

## CASUS XVIII.

### *Num peccant, qui absque prævia confessione privata sacra utuntur cœna?*

*De confessione privata.*

Xx Resp.

*Quid intelligatur per confessionem privatam?*

RESP. Confessionem privatam voco, quâ quis ministro verbi sua confitetur peccata, non quidem omnia ac singula, ut in *Papatu* fit, sed generaliter, & pro re natâ, quædam in specie, quæ ipsum omnium maximè urgent

Talem confessionem veteres vocabant ἐξομολόγησιν, ita enim scribit *Cyprianus serm. 5 de lapsis: peccata sua apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confiteri est ὁμολόγησις conscientiæ.* Sumta est hæc appellatio ex *cap. 19. Act. vers. 17.* ubi sic legitur: *multi credentium veniebant ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν.*

*Exempla confessionis privatæ?*

Exempla hujus confessionis habemus in historiâ *Saulis*, qui confitebatur *Samueli 1. Sam. 15. & Davidis*, qui confitebatur *Nathani, 2 Samuel. 12.* eorum, qui baptismum à *Iohanne* petebant *Matth. 3, 6.*

*Veteres multũ tribuerunt confessioni privatæ.*

Multum ei tribuerunt veteres, qui expulsis *Novatianis*, tempore *Decij Imperatoris* constituerunt presbyteros, qui delinquentium confessiones audiebant: teste *Sozomeno in histor. tripartitâ lib. 9. cap. 35.* Et *Augustinus scripsit lib. 10.* confession: *confitendum esse coram Deo, non tantùm secretâ exultatione, sed etiam in auribus credentium filiorum.*

*Augustana* quoque *confessio docet, Artic. 11.* quòd absolutio privata in ecclesiâ retinenda sit, quanquam in confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio.

*Confessio privata in nostris ecclesiis retinetur, non ut absolutè necessaria, sed ut commonefactio fructuosa.*

Retinetur autem nostris in ecclesiis, nõ ut absolutè necessaria, nusquã enim est mandata: sed ut ritus utilis, qui facit ad explorationem communicantium, an satis dignè ad S. Cœnã accedant, cõsolationum fontes aperit, specialem applicationem gratiæ cõjunctam habet, occasionem etiam cum perturbatis peccatoribus seorsim agendi subministrat.

Quibus de causis ea non est temerè omittenda, sed ut *Lutherus* suadet, *libenter confiteri debemus peccata, antequam ad S. cœnam accedamus tom. 2. Ien. germ. f. 89. idq; se etiã fecisse* scribit *tom. 6. Ien. germ. fol. 110. utor confessione, nec carere eâ possum*, inquit, *quia sæpenumero maximum mihi suppeditat solatium, dum in angustiis ac sollicitudinibus animi hæreo.*

Ubi ergò usitatus est hic ritus, non est omittendus, non tantùm, quia tàm præclarum usum habet, verum etiam, quia non est convellendus ordo ecclesiæ, nec committendum, ut quilibet, quid sibi rectum videtur, faciat: id enim sine scandalo aliorum non fieret: & ut *Augustinus* loquitur *epist. 119. ad Ianuarium, mutatio, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

Usurpandus autem est hic ritus non ut necessarius, qui salvâ conscientiâ omitti nequeat, sed ut indifferens: ideò qui sine contemtu, & sine studio singularitatis tantummodò, ne conscientiæ suæ necessitatis legem imponat, omissa confessione ad sacram cœnam accedit, ei non est movendus scrupulus, quasi magnum admiserit delictum, nec communio-

munione rectè usus sit. Nam confessio privata propter absolutionem specialem, & informationem rudiorum imprimis introducta est. Ideò Lutherus scribit im unterricht an die Pfarrherrn im Churfürstenthumb Sachsen *tom. 7. fol. 10. etiamsi pastor ipse, qui quotidie sacramentũ tractat, sine præmissa confessione sacrâ cœnâ utatur, nihil ipsi sit interdictum.* Idem est judicium de aliis rectè informatis Christianis, ne Papisticam coactionem denuò revocemus in re in se indifferente. *Ipse ego D. Martinus,* inquit, *aliquoties sine confessione accessi, ne conscientiam meam quasi necessariâ consuetudine onerem: vicissim confessione utor, nec eâ penitus carere volo propter absolutionem,* hoc est, *propter verbum Dei. Rude vulgus enim hoc in genere aliter tractandum est, quàm peritiores.* Hæc Lutherus.

Etsi verò peritiores hoc in genere suâ libertate uti possint, propter scandalum tamen quod inde facilè peti posset, jure suo uti non debent: non enim semper quid licitum, sed & quid honestum sit, videndum est.

Cæterùm si in ecclesiis illis, ubi confessio privata in usu est, ea pro re natâ ab aliquo intermitti potest, multò magis iis in locis, ubi non est in usu, & tamen doctrina de cœnâ Domini aliàs pura retinetur, (ut in quibusdam superioris Germaniæ locis fit) omittitur, & tamen sacra Eucharistia salutariter accipitur. Ritus enim indifferentes substantiæ sacramenti derogare nihil possunt.

[*Accuratè hic discernendum est, inter enumerationem omnium peccatorum, auricularem & Papisticam: & inter confessionem privatam generalem aut quorundam peccatorum & ecclesiasticam. Illa nullum habet in scriptura mandatum, promissionem, exemplum, convertit legem in Evangelium, gratuitæ peccatorum remissioni meritum humanum substernit, ab ipso Pontificio Cassandro consult. ad Actor. 11. carnificina animarum vocatur, est impossibilis. Psal. 19. v. 13. unde meritò rejicitur. Hæc facit ad juniorum informationem, ad privatam admonitionem, specialem conscientiæ consolationem Ioh. 20. v. 22. Matth. 18. v. 18. remissionis peccatorum certitudinem. Vide Dn. Chemnit. part. 2. exam. Concil. Trident. de confess.*]

## CAPUT XIII.

### *De Casibus Conscientiæ circa Festa.*

AD circumstantiam cultus divini pertinet tempus: non enim requirit Deus continuum cultum, quemadmodum olim Psalliani & Euchitæ semper orabant, ut eis qui hoc de illis audiebant incredibile videretur, referente *Augustino de hære. ad Quod vult. hær.* 57. sed Deus

ipse tempora sic distinxit, ut quidam dies operi faciundo, quidam quieti & rebus sacris destinati essent, *Exod.* 20, 5, 10. Ethnici quoque festos dies vocarunt, qui diis dicati fuerunt, in quibus forensibus negotiis omissis, sacrificia, ferias, ludos epulasque solennes celebrare, ac inter vota & sacra faustaque omnia versari, verbisque prophanis abstinere convenit, dicente Alexandro ab Alexan. lib. 4. general. dier. cap. 20. Reliqui autem dicebantur profesti, quia festivitate carebant.

[*Ovid. l. 1. Fast:*
*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,*
*Fastus erit, per quem lege licebat agi.*]

Circa festorum igitur observationem incidunt quædam dubia, de quibus deinceps acturi sumus.

## CASUS I.

### *Dubium est, an Christianis ulla observare liceat festa, & annon potiùs dies omnes ipsis esse debeant æquales?*

*Anabaptistarum deliria & objectiones contra festa.*

RESP. In hoc errore fuerunt olim *Petrobrusiani*, quos hodie imitantur *Anabaptistæ*, qui multos hac opinione seducunt, quasi nulla Christianis concedenda sint festa. Neque desunt plausibiles rationes, quæ infirmiores seducere possunt.

*Primum* enim *Apostolus Paulus* omnium dierum æqualitatem concedere videtur, cùm scribit *Rom.* 14, 5: alius *quidem judicat diem inter diē, alius judicat omnem diem*, hoc est, unus diem unum præ altero æstimat, alter omnes peræquè æstimat: unusquisque in suo sensu abundet. *1. Objectio.*

Deinde idem Apostolus reprehendit *Galatas*, quod observant *dies, menses & tempora Gal.* 4, 10. *2. Objectio.*

Præterea non vult *judicari* Christianos *in parte diei festi*, hoc est, vult, ne patiantur se adstringi ad dies festos. *Col.* 2, 16. *3. Objectio.*

*Calvinianorū quorundam cū Anabaptistis amica conspiratio*

Parum distat ab his opinio *Lamberti Danæi*, qui scribit: *dies Christo dicatos tollendos existimo judicoq;. Quotidie nobis in Evangelij prædicatione nascitur, circumciditur, moritur, resurgit Christus.*

*Empectarum illusio.*

Fuerunt etiam tempore Siracidæ quidam, quos ipse empectas, seu subsannatores vocat, qui dicebant: *quare dies diem superat, & lux lucem, & annus annum à sole?* hoc est, cùm sol omnibus anni diebus luceat, omnesque à nocte discriminet. Sed respondit sapiens, & nos cum illo: *à Domini scientiâ separati sunt, facto sole, & præceptum custodiente, & immutavit tempora & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebraverunt ad horam Sir.* 33, *v.* 6, 7.

*Rationes, cur dies festi observari debeant?*

Ad moralia certè quæ perpetua sunt, pertinet discrimen illud, quod Deus ipse fecit inter dies operarios & festos *Exod.* 20, 9, 10. Æquum enim est, ut & certo tempore corpori quietem concedamus, & Deo labo-

Digitized by Google

laboribus nostris benedicenti cultum suum præstemus.

Quod & natura docuit gentiles, qui festos dies propterea à profestis distinxerunt, ut in procemio audivimus, ut sacris vacare possent. Quod autem legis naturalis & divinæ est, quod in sese æquum & justum, quod magnâ nostrum omnium cum utilitate fit, id Christianos etiam obligat.

Adde quòd discrimen illud etiam ordo & decorum ecclesiæ requirat: nam sine diebus certis feriatis nullus ordo in ecclesiâ observari potest. Vult autem Apostolus in ecclesiâ *omnia fieri ordine ac decenter* 1. *Cor*. 14. 40.

*Responsio ad primam objectionē.* Quæ objiciuntur, nihil ad rem faciunt. In loco *Rom*. 14. non simpliciter æquantur dies; sed de usu rerum adiaphorarum agitur, & docere vult *Paulus*, Christianum illius temporis, ubi ceremonialia V. T. adhuc erant libera, qui discrimen dierum judaicum liberè observat, non peccare, neque eum, qui non observat, modò uterque persuasus sit in conscientiâ, quòd observatione suâ Deum non colat, & neglectu ejus observationis, non offendat. Hæc enim est natura eorum, quæ sunt liberæ observationis. Distinguendum etiam videtur inter cultum & ordinem: cultus divini respectu nullum est discrimen hodie inter dies, omnes enim ad præstandum Deo cultum satis apti sunt, modò cor hominis etiam semper aptum sit, *Deus enim intuetur cor*, 1. *Samuel*. 16. & regnum *ejus non venit cū externâ observatione Luc*. 17. Sed quoad ordinem ejus intuitu dies una sanctior est alterâ, quia Deus ita ordinavit, ut certo tempore cultum suum præstemus.

*Responsio ad secundā & tertiam objectionē.* In locis ex epistolâ ad *Galatas* & *Colossenses* adductis agit *Apostolus* de superstitiosâ observatione festorum Judaicorum, cui pseudoapostoli addebant opinionem meriti. Illa verò festa Judaica hodie à Christianis non sunt observanda, quia fuerunt *umbra futurorum*, quæ per adventum Christi sunt abrogatæ *Col*. 2. *Heb*. 10. fuerunt pars legis ceremonialis, quæ tantùm *ad Iohannem* usque durare debuit *Matth*. 11, 13. mutato enim sacerdotio etiam legis facta est mutatio *Hebr*. 7. *versic*. 22. Quod si ad observationem hujusmodi festorum insuper opinio singularis sanctitatis & meriti accedat, bis peccatur, partim, quod ritus abrogati revocantur, partim, quòd ritui illi meritum adfingitur. Nostra enim festorum observatio tantùm est beneficiorum Dei recordatio, *quia enim intelligimus, quò pertineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus*, ut olim *Augustinus* Manichæis respondit *lib. cont. Adimant*: *c*. 16.

## CASUS II.

*Si festorum observatio est ex ordinatione Dei, cur igitur hodie non observatur diei se-*

*ptimi sanctificatio, quemadmodum Deus præcepit in decalogo Exod. 20. v. 10. & cur alia festa, ut Natalis Domini, annunciationis Mariæ, Iohannis Baptistæ & similia à Deo non ordinata celebrantur?*

*Sabbatarij quinam, & eorum rationes.* RESp. Fuerunt olim inter Christianos, qui à nobis etiam septimo die Sabbathum colendum esse judicarunt, unde *Sabbatarij* sunt appellati, idque propterea, quia sabbatum non à Mose demum sit inventum, sed ab initio mundi observatum, & quia in lege morali, quæ omnes obligat, expresse cultus eius præcipitur, & quilibet nostrum memoriam creationis recolere debet, & denique, quia Deus observationem septimi diei vocat *cultum perpetuum Exod.* 35.

[*Sabbatum venit ab Hebræo Schabbat & Schabbaton, hoc est, requies, otium, ita dictum, quia Deus requievit die septimo, intellige à novarum specierum creatione, non à creatarum conservatione, aut continua individuorum per generationem propagatione Chrysostom. homil. 40. in Matth.*]

*Objectiones Sabbatariorum solvuntur.* Sed hæc opinio jam pridem antiquata est in Ecclesiâ: quia non omnia, quæ *Iudæi* fecerunt, nos quoque obligant, memoria creationis etiam absque observatione septimi diei fieri potest, observatio Sabbati Judæis erat statutum sempiternum, sed *in generationibus suis*: neque intelligenda est perpetuitas continua, sed quæ saltem ad tempus durat, quemadmodum circumcisio etiam *pactum æternum* appellatur, *Gen.* 17. quam tamen abrogatam esse in N. T. *Paulus* sæpe docet, & servus dicitur *in seculum Exod.* 21. 6. id est, usque ad annum Jubilæum, ibi enim manumittebatur *Levit.* 25. 50.

Ebionitæ utriusque Testamenti festa, sabbatum nimirum, & diem Dominicam Christianis observanda esse statuebant, referente *Eusebio lib. 3. hist. eccl. cap.* 27. quem errorem quidam tempore *Gregorii Magni* renovabant, ut constat *ex libro* 11. *epist.* 3. & hodie Christiani in *Æthiopiâ* degentes sabbatum & diem Dominicam eodem honore habere leguntur. *Ebionitarum opinio.*

Sed quod observatio Sabbati in N. T. abrogata sit, expresse testatur *Paulus Col.* 2. *v.* 16.

Quòd præceptum Dei attinet, de sabbato sanctificando, sciendum est: quòd festa quoad genus divinitùs instituta sunt, ac proinde necessaria, sed quoad speciem manent in libera potestate ecclesiæ, quæ festa instituere & mutare potest, prout evidens aliqua utilitas postulaverit: sic, quod sabbatum attinet, Deus in tertio præcepto diem sabbati sanctificari jussit. Sed in hoc præcepto distin- *Respondetur ad objectionem de præcepto divino.*

Digitized by Google

distinguenda sunt *moralia à ceremonialibus. Morale est*, sanctificare unũ ex septem illis diebus, quia septimi diei sanctificatio exprimitur in præcepto: quæ sanctificatio consistit in precibus, in auditu verbi, in usu sacramentorum, in servitiis proximo debitis, quæ nemo Christianorum salvâ pietate omittere potest. *Ceremonialia* sunt, quòd Judæi in sabbato alicujus negotii causâ, extra casum necessitatis nuspiã prodire aut proficisci poterant *Exod.16,29,39*. quòd in sabbato ignem accendere ipsis nõ licebat *Exod.35.3*. quòd onera portare per portas civitatis non permittebatur *Ier.17,21*. quòd denique præcisè ipsum in ordine septimum diem sanctificare tenebantur, in memoriam creationis, cujus opere peracto Deus requievit, eumque benedixit & sanctificavit *Gen.2,2,3*.

*Quid sit sanctificare sabbatum?*

[*Circumstantia septimi diei est ceremonialis & Christianos non obligat*, 1. *quia in V. T. fuit signum ecclesiæ tempore Messiæ futuræ, Exod.31.v.13. Ezech.20.v.20.*

2. *Quia fuit typus sabbati æterni, Esai.66,23. Heb.2,4.*

3. *Quia fuit pædagogia populi Israelitici, Exod.20.v.28.*

4. *Quia fuit umbra futurorum, Col.2.v.17.*

5. *Quia Christiani N. T. non obstringuntur ad ceremonialia dierum, Gal.4.v.10. Col.2.v.10.*]

Hæc ceremonialia omnia obligabant saltem *Iudæos*, hodie abrogata sunt, ita ut quemadmodum itinera necessaria, accẽsio ignis in foco, portatio onerũ in sabbato nostro omninò prohibita non est: ita neq; nos ad diem in ordine septimum præcisè simus adstricti, sed ex libertate Christianâ sabbatum nostrum die primo septimanæ sanctificamus in memoriã resurrectionis Domini, ut docet *Cyrill. lib.12. in Iohan. cap.58. August. Epist.86. ad Casulanum & 119. ad Ianuar. cap.13.* quæ propterea dies Dominica appellatur *Apoc.1,10.*

*Iustinus apol.2. pro Christianis* nominat *diem solis*, ex Ethnicorum quidem consuetudine, sed libertate tamen Christianâ. *Ægyptij* etiam ex *Trismegisti* instituto dies septimanæ à planetis denominarunt. Rectiùs appellaretur feria prima septimanæ.

Hujus diei sanctificatio fluit ex constitutione Apostolorum, qui primâ sabbatorum cultus divini gratia conveniebant ad *frangẽdum panem, & ad audiendum Act.20,7.* prima aũt sabbatorum est prima dies post sabbatum, qua die Christus à mortuis resurrexit, *Marc.16,2. Act.20,7.* sic die pentecostes erant *omnes congregati in uno loco, & vacabant publicis precibus Act.2.v.1.* dies autem Pentecostes erat prima hebdomadis, quia dies resurrectionis, à qua 50. dies ad Pentecosten numerandi erant, incidebat in primum hebdomadis diem, quæ prima Sabbatorum appellatur.

*Quid sit prima sabbatorum?*

Apostolus Paulus etiam ordinavit, ut prima quaque die hebdomadis

*Hebraismus est, una, pro*

*prima, ut Hagg 1. v. 1. in uno mense, id est, in primo.*

dis collectæ instituerẽtur in ecclesiâ Corinthiaca. 1. *Cor.* 16. 1. 2. ergò, ut eo die convenirent, instituit: Institutio aũt *Paulina* est ipsius *Christi*, quia sanctus hic Apostolus nõ ausus est, quidquam loqui, quod non *per se operetur Christus*, *Rom.* 15. v. 18. Ex Christi ergò & Apostolorum constitutione hodie conventus sacri die Dominico instituuntur, qui licet non sit septimus in ordine, appellatur tamen sabbatum, quemadmodum apud Judęos omnia festa dicebantur sabbata *Lev.* 23, 38.

Observandum autem est, quod neq; Christus neq; Apostoli celebrationem primi diei lege aliquâ præceperunt, ita ut præcisè illo die & non alio sacra peragere liceret, neq; mulctam aut suppliciũ, (sicut lex Mosaica Judæis,) vel Evangelium vel Apostoli minati sunt, scopus enim Apostolicus fuit, non ut de diebus festis leges sancirent, sed ut rectæ vitæ & pietatis autores essẽnt, ut habetur apud *Socratem lib.* 5. *histor. eccles. ca.* 21. sed propter præsentem eo tempore commoditatem ita sanciverũt, à quâ quidem sanctione recedere, plura etiam festa addere possumus, si evidens utilitas ecclesiæ postulaverit.

Quâ libertate usus est *Constantinus Magnus*, qui non tantùm diem primum hebdomadis, sed & diem sextum, qui vocatur Veneris, sanctificandum censuit, ita ut ab omnibus negotiis forensibus aut aliis abstineretur, & solis sacris vacaretur, *quia eo die Salvator mundi crucifixus fuit*, testante *Eusebio in vitâ Constantini*, *lib.* 4. *c.* 18.

Ex eadem libertate ecclesiæ postea alia festa introducta sunt, ut *Natalis* & *Circumcisionis*, *Mortis* & *Resurrectionis Domini*, *Pentecoste*, *&c.* quę nos pręcipuorum beneficiorum Christi commonefaciunt, quorum memoria in ecclesiâ semper vigere debet.

*De festis sanctorũ.*

Sic festa Sanctorum, ut & angelorum liberè servat ecclesia, prout ex priscâ consuetudine invenit, modò non cultus ad ipsos dirigatur sanctos, propter quos festa non sunt instituta, aut si in *Papatu* ipsis instituta sunt, nostrum est, errorem hunc corrigere, non abrogatione ipsorum festorum, (quod sine scandalo infirmorum fieri non potest) sed superstitionis illius, quæ ex hominum placitis irrepsit; referamus autem cultum ad verum Deum, qui in sanctis suis laudandus est, ipsique gratias agamus pro beneficiis, quæ per sanctos illos ecclesię largitus est, ita ipse laudatur in sanctis suis: virtutes quoque sanctorum ad imitationem proponendæ sunt, ipsorum enim *imitatores esse* jubemur 1. *Cor.* 11, 1. *Hebr.* 13, 7.

Martyrum denique memorias celebremus, in laudem constantiæ ipsorum, & nostrum exemplum. Ita enim ecclesia Smyrnensis apud *Eusebium lib.* 4. *c.* 14. dicit, *se diem martyrij Polycarpi tanquam natalitium cum gaudio & exultatione, coacto cœtu ecclesiastico celebraturam, ad memoriam præcedentium, & ad excitationem & præparationem sequentium.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ omnia si attendantur, sine superstitione etiam illa festa observari possunt, sine scandalo autem vix intermitti. Ubi tamen consultum est, ut sequatur unusquisque morem illius ecclesiæ, ad quam pervenerit, quod *Augustini* consilium est *epist. 118. ad Januarium.*

## CASUS III.

### *An sine peccato sanctificatio sabbati intermitti potest?*

RESP. Ita quidem multi sunt persuasi, qui ex libertate Christianâ, quàm in rebus indifferentibus habemus, licentiam carnis faciunt etiam in iis quæ divinitùs præcepta sunt.

*Causa cur sabbatũ sit sanctificandum? 1. A divino mandato.* Observandæ ergo sunt causæ, quæ quemlibet pium ad observationem sabbati obligant: (1.) Requirit hoc mandatum Dei in tertio decalogi præcepto, quod, ut supra ostendimus, morale est, omnia autem mandata Dei obligant in conscientiâ, ita, ut *qui in uno peccaverit, totum decalogum transgredi dicatur Jac. 2,10.* & vix ullum est præceptum, à Deo tam frequenter repetitum, quàm hoc de sanctificãdo sabbato, reperitur enim *Exod.* 20,23.31,34,35. *Lev.* 19.23,26. *Num.* 15. *Deut.* 5. quâ repetitione Deꝰ severitatem sui mandati indicare voluit. (2.) Si maximè nullum hujus rei extaret mandatum, æquitas tamen à nobis exigeret, ut in honorem Dei, qui laboribus nostris hebdomadatim sex dies concessit, septimum sanctificaremus. *2. A justo & æquo.* *Centum & sexaginta horas habente hebdomada, unam & solam horam sibi segregavit Deus, & hanc in opera secularia, & ridicula, & conventicula insumis?* ait *Chrysost. homil. de Eucharist.*

*3. A transgressionis pœna & damno.* 3. Adde quòd Deus in transgressores Sabbati omni tempore severissimè animadvertisse legitur. In deserto lapidatur, qui in sabbato ligna collegerat *Num.* 15,35. apud *Jeremiam* transgressoribus sabbati minatur Deus incẽdia urbium *Jerem.* 17,27. prophanatores sabbati apud *Corinthios* contagiosis morbis puniuntur 1. *Corinth.* 11,30. *Judæis* gladium *Babyloniorum* minatur Dominus, cùm sabbata sua contaminassent *Ezech.* 22,8. Ideò cùm post captivitatem denuò sabbata pollueret, objurgavit eos *Nehemias*, in memoriam eis revocans, quòd patres ipsorum ob hoc ipsum peccatum in istas inciderint miserias *Nehem.* 13,18. & quomodo nostro tempore transgressores sabbati puniti fuerint divinitùs, exempla docent, quæ sunt passim obvia. (4.) Requirit nostra necessitas, siquidem sabbatum propterea institutum est à Deo, ut corpori consulatur, quiete à quotidianis laboribus, (quòd enim *caret alterna requie, durabile non est*,) & animæ, salutari pabulo verbi divini, & aliis exercitiis pietatis. Transgressores ergò *4. A nostrã indigentia & necessario.*



Digitized by Google

sabbati & corpori & animæ suæ incommodant.

*5. A genuino genuini Christiani requisito.*

(5.) Exigit dilectio proximi, præsertim domesticorum nostrorum, quibus quietem & informationem in pietate invidere non debemus. Nam etiam propter liberos, servos, & ancillas sabbatum est institutum, *Exod.* 20,10.

Peccant igitur in Deum, in seipsos, in proximum, quicunque sabbati sanctificationem susque deque habeant.

## CASUS IV.

### *Quidnam faciendum, ut sabbatum rectè, & sine peccato transigatur?*

*Duo hic à nobis exigũtur, requies à laboribus & sanctificatio sabbati.*

RESP. Deus ipse in institutione sabbati duo à nobis exigit, videlicet requiem à laboribus, & sanctificationem requiei *Exod.* 20,10. Requies prohibet in sabbato labores omnes, qui diebus pro festis aliàs fieri solent, uti sunt, labores domestici, serviles, omnia opera manuum, quæ fiunt ab opificibus, distractio mercium, quæ fit à mercatoribus, cognitio causarum in judicio, ut & omnis strepitus forensis, itinera minùs necessaria, quæ præsertim fiunt cum neglectu verbi divini, & quæ sunt his similia.

Peccant ergò, qui ordinaria vocationis suæ opera faciunt in sabbato aut diebus festis, vel ex nimia avaritia, & studio corradendi opes, vel ex contemtu cultus sacri, cui tũc temporis vacare debeant, vel etiam ex præpostera diligẽtia, cùm reliquis diebus profestis crapulæ indulgentes officia vocationis deseruerunt, quem defectum postea in sabbato complere tentant: quæ res peccatum ipsorum geminat.

Idcircò inculcandum ipsis est illud *Augustini ex serm.* 251. *de temp. à sanctis patribus nostris cõstitutum est, & Christianis mandatum, ut Dominicis diebus otium haberent, & à terreno negotio vacarent, ut paratiores & promtiores essent ad divinum cultum, ut relictâ terrenâ sollicitudine faciliùs in Dei intenderent voluntatem.*

Neque etiam hîc concedendum est, ut peractis sacris, in sabbato non urgente necessitate opera servilia & aliis diebus debita fiant. Ea enim res tolleret discrimen inter dies festos & profestos, cùm & in diebus profestis manè audiatur concio, & postea ad labores accedatur. Deus autem discrimen illud à seipso factum non vult sublatum.

Semper autem hîc exceptus est casus necessitatis, ut cùm eo ipso temporis articulo, quoad sacra conveniendum est, urbs, aut domus aliqua conflagret, aut hostis urbem obsideat, aut simile quid contingat, propter quod verbi divini prædicatio esset intermittenda, tunc intermissio illa fit absque pec-

*Excipe hic casum necessitatis.*

Digitized by Google

peccato, quia *necessitas non habet legem*: quo pacto *Machabæi* necessitate compulsi bellum in sabbato prosperè gerebant 1. *Machab.* 2, 41. *seqq.* cùm tempore messis rara est serenitas, eaque die Dominico affulget, necessitas eo die labores imperat, modò quoad ejus fieri potest cultus divinus non omninò, nec ab omnibus negligatur. Nam *Christus* discipulos suos in sabbato *per sata euntes, & spicas evellentes excusat Matth.* 12, 1. *& seqq.* sic qui necessaria habent itinera, quæ moram no patiuntur, ea in sabbato etiam instituere possunt, modo etiam peregrinantes cultus divini non omninò obliviscantur, quemadmodum eunuchus ille etiam in curru suo sedens legebat Prophetam *Esaiam Act.* 8. *v.* 28.

Imprimis autem excepta hîc sunt itinera, quæ in sabbato ipsius divini cultus gratiâ suscipiuntur, nam & *Israelitas* olim ad consulendum Deum, & verbum ejus audiendum sabbato, & aliis festis iter facere solitos fuisse, colligitur ex 2. *Reg.* 4, 23. in his omnibus locum habet illud Christi: *sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum Marc.* 2, 27. & ita sabbatum rectè secundum voluntatem Domini transigitur quiete à laboribus.

Sanctificatio quietis fit, cùm ea sacro consecratur usui. Non enim quiescere debet homo, ut brutum, sed laborem suum ordinarium & servilem mutare in sacrum. Quibus autem operibus primi Christiani sanctificarint sabbatum, ex *apologia* 2. *Justini* colligi potest: *omnes*, ait, *urbani & rustici ex agris in unum congregantur, & primo leguntur scripta Prophetica & Apostolica, secundo præses orationem habet & exhortationem, ut bona quæ lecta sunt, imitentur; tertiò cœtus omnis surgit ad preces, quartò celebratur communio Eucharistiæ, quintò conferuntur eleemosynæ ad sustentationem pauperum, pupillorum, ægrotantium, exulum, &c.*

**Sabbatum sanctificatur 1. per publicam in templo congregationem.**

Apparent hîc opera præcipua quibus sanctificatur sabbatum, qualia sunt 1. congregatio in templo &c. ad audiendum verbum, fundendas preces, utendum sacramentis, & similibus pietatis exercitiis, cultusque divini partibus. Nam ut amici suis in congressibus colloquuntur invicem: ita pii in sabbato comparent in conspectu Dei, cum quo loquuntur per preces, ipsumq; loquentem audiunt in concionibus. *Qui ergò ex Deo sunt, verbum Dei audiunt Ioh.* 8, 47. & qui Deum amant, libenter orant. Ideò *Gregorius* scribit *lib.* 11. *epist.* 3. *Dominico die à labore terreno cessandum est, atq; omni modo orationibus insistendum, ut, si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Fecit hoc S. David, qui diebus festis sacris interesse optabat *Psal.* 27, 4. 42, 5. animum suum his exercitiis recreabat *Psal.* 122, 1. & alios ad ea invitabat *Psal.* 95, 1. *seqq.*

**2. Per verbi divini meditationem.**

(2.) Verbi divini repetitio & meditatio: nam & quilibet paterfamilias domesticorum suorum doctor

ctor privatus fieri potest, quos diebus festis ex concionibus examinare, & pro modulo suo informare debet, juxta præceptum Domini *Deut.* 6,6,7. *erunt verba hæc, quæ ego hodie tibi præcipio, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ea, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens.* Huc pertinet, quòd plerisque in locis juventus *Catechesin* in templis diebus Dominicis publicè recitare solet: quod est exercitium pietatis utile, & huic diei proprium.

3. *Per sinceram proximi dilectionem.*

(3.) Proximi dilectio, quæ sese exerit per opera caritatis, quæ etiam ad sanctificationem sabbati pertinent, quia præceptum de diligendo Deo & proximo cohærent: & *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum* 1. *Iohan.* 4.12. Sunt autem hujusmodi opera caritatis varia, ut colligere eleemosynã pro pauperibus, quod ut sabbato fieret, *Paulus* in ecclesiâ *Corinthiacâ* ordinavit 1. *Cor.* 16, 2. visitare & curare ægrotos, quemadmodum *Christus* suo exemplo docuit *Luc.* 14, 5 & *Paulus* qui sabbato mortuum *Eutychum* resuscitavit *Act.* 20.9.3. curare pecudes: nam ducere boves aut asinos aquatum in sabbato, educere eosdem ex puteo, Christus non pro sabbathi profanatione, sed opere necessario, quo pecora nullo die carere possunt, habuit *Luc.* 13, 15. 14, 5. 4. parare cibum & potum, quod officium caritatis servi & ancillæ heris suis præstant: qui tamen, si uni concioni interesse non possunt, reliquas negligere non debent, ideò enim plerumque plures die Dominico instituuntur. Est ergò hoc tertium, quo sanctificatur sabbatum.

4. *Per piam vitæ sanctificationem.*

(4.) Vitæ sanctificatio, quæ quidem semper à nobis requiritur, potissimùm autem necessaria est eo tempore, quo ad Deum appropinquamus, *sancti estote, quia ego sanctus sum*, ait Dominus *Lev.* 19, 2. *quiescite perversa agere Esa.* 1, 16. quæ exhortatio imprimis in sabbato, qui dies quietis nostræ est, locum habet. Olim in sabbato duo agni offerebantur, in aliis verò dieb⁹, unus tantùm, præterquàm in solennitatibus ac calendis *Num.* 28, 9. ita pietas nostra quotidiana quidem esse debet, diebus autem feriatis geminatâ hac ratione fit sabbatum nostrum delicatũ & Deo acceptum, de quo ipse loquitur *Esa.* 58, 13. *Si vocaveris sabbatum delicatum, & glorificaveris Deum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, tunc delectaberis super Dominum. Festus dies Domini, est*, inquit *Ambrosius lib.* 2. *de Cain & Abel cap.* 2. *ubi perfecta virtutum gratia est, quæ tunc perfecta fiant, si sollicitudinem secularium & corporalis illecebræ victor animus delinimenta voluptatum excludat liber à seculo.*

*[Alias breviùs dicitur.*

*Triplicia opera sabbato concessa sunt:*

*I. Opera necessitatis ἀνάγκης, ut bovem ducere aquatum Luc.* 13. *v.* 15. *asinam liberare è puteo Luc.* 14. *v.* 5.

*II. Opera*

*II. Opera pietatis* προσευχῆς *ut paratio hostiarum Matth.* 12. *v.* 8. *oblatio eleemosynarum* 1. *Cor.*16. *v.*1. *circumcisio Ioh.* 7,22.

*III. Opera charitatis* ἀγάπης *ut* εὐεργεσίαν *exercere Matth.*12.*v.*12. *animam salvare Marc.* 3. *vers.*4. *ægrotos sanare Luc.*14. *v.*4.

[*Obiter nota: vocem sabbati nonnulli scribunt cum aspiratione th, nonnulli sine aspiratione simplici t. Illi Hebræam respiciunt derivationem Schabbath: hi Græcam* σάββατον.]

Ita primi Christiani coluerunt sabbatum, sed progressu temporis paulatim refrixit studium pietatis, & exercitia ista in ludos scenicos, comessationes, saltationes, & similia degenerarunt, quibus autem Christianis sabbatum longè tetrius, quàm ab Ethnicis pollutum fuit. Quâ de re semper conquesti sunt sancti Dei homines.

*Tertullianus* Christianos eo in genere *ethnicorũ mores imitari* scribit, imò *ethnicis deteriores facit: ô melior fides nationum in suam factam*, inquit in *apolog. cap.* 42. *quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecosten, etiamsi nossent, nobiscum communicassent, ne Christiani viderentur: nos, ne ethnici pronunciemur, non veremur.*

De commessationibus, quæ sabbato & diebus festis instituuntur, gravis extat querela *Augustini epist.* 64. *ad Aurelium: comessationes*, inquit, *& ebrietates ita concessa & licita putantur, ut in honorem etiam beatissimorum martyrum non solùm per dies solennes, quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit, sed etiam quotidiè celebratur*; quæ *fœditas si tantùm flagitiosa & non etiã sacrilega esset, quibuscunq; tolerantia viribus sustentandum putaremus.*

*Gregorius magnus* etiam in *epistola ad Augustinum Anglum* conqueritur, *laicos & seculares die Dominico plus solito cæteris diebus accuratiùs cibos carnium appetere, & non nisi nova quadam aviditate usq; ad medias noctes sese ingurgitare.*

Prophanitati huic pii *Imperatores* legum repagula obduxerunt. Nam in codice de feriis extat *Leonis & Anthemij Impp.* decretum: *dies festos majestate altissimi dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus prophanari, Dominicam itaq; diem semper honorabilem ita decernimus venerandam, ut à cunctis executionibus excusetur, nulla quemquam urgeat admonitio, nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit idem dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox silescat.* Et mox: *nec tamen hujus religiosa diei otia relaxantes obscœniorum quemquam patimur voluptatibus detineri &c.*

In *Synodo* quoq; *Toletanâ can.* 15. ita sancitur: *irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per sanctorũ solmnitates & festivitates agere consuevit, nimirũ, quòd populi, qui debẽt officia divina at-*

*tendere, saltationibus turpibus invigilant, cantica non solùm mala cantant, sed etiam religiosorum officiis perstrepunt. Hæc igitur de cætero fieri prohibemus.* Hæc olim fuêre.

Hodie ferè nullo die majora patrantur scelera, quàm die Dominico, ac si ad hoc ipsum destinatus esset.

*Quibus operibus prophanetur sabbathum?*

Cùm ergò prophanatio sabbati gravissimas mereatur pœnas, probè teneatur, quibusnam operibus prophanetur; videlicet laboribus non necessariis, qui diebus profestis debentur, strepitu forensi, neglectu publicorum conventuum in templo, cum quo contemtus verbi divini plerumq; conjunctus est, commessationibus, impudicis choreis, lusibus lucrosis, & quacunque denique improbitate & lascivia.

Quæ omnia ex feriis nostris faciunt sabbatha judaica, in quibus ex opere operato saltem cultus divinus exercetur, sine studio inserviendi Deo, sine ullâ etiam devotione, ex consuetudine saltem, & ne Christiano nomine indigni videamur.

[*Tria erant vitia Iudæorum circa sabbatum:* 1. *quod celebrabant illud in vetustate litera, non in novitate spiritus.*
2. *Ab opere servili abstinebant serviliter, hoc est, non ex amore justitiæ, sed ex metu pœnæ.*
3. *In sabbato gloriabantur, se, ut aliis ceremonialibus, ita & nuda ejus observatione justificari.*
*Adde* 4. *Putabant ab iis etiam operibus, quæ ad salutem hominum valent, debere cessari, ut refert Augustin. contr. Adim. cap.* 2.]

Ab his omnibus sedulò abstinendum est, & opera danda, ut sabbatum à nobis rectè sanctificetur, ejus enim sanctificatio affert Dei benedictionem, sicut scriptum est: *qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filiis & à filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit, &c. Esa.* 56, 4. *seqq.*

## CASUS V.

### *Si opera vocationis extra casum necessitatis in sabbato sunt prohibita, quæritur, an quis sine peccato in sabbato studiis incumbere, concionem habere, equitare, piscari, & similia opera planè præstare non possit?*

*Distinguitur inter opera liberalia & servilia.*

RESP. Distinguendum hic est inter opera *liberalia & servilia. Illa* sunt, quę fiunt liberalis doctrinę, ingenii

genii exercendi, & animi gratia, absque lucro aut specie ullius avaritiæ; ut sunt studia bonarum artium, quæ etiam in sabbatho institui possunt, modò cultui publico nihil derogetur, nam studium pietatis reliquis omnibus est præferendum. Sic si quis post peracta sacra animi gratia equitet, piscetur, aut simile quid faciat, æquè non prophanat sabbatum, ac qui animi causa aliquousque exspatiatur, sicut & Christus in sabbato cum discipulis *per sata* pergebat *Matt.* 12, 1.

*Servilia* autem opera sunt non saltem sordida opificum, sed & lucrosa mercatorum, advocatorum, judicū & similium. Nam qui etiam liberalibus artibus sordidè utitur, lucrandi causâ in sabbatho, is serviliter operatur, ab omni autem servili opere in sabbato penitus est abstinendum, juxta illud: *nullum opus servile facietis in eo, Lev.* 23. *v.* 7. Ubi nota observationem *Thomæ* 2. 2. *quæst.* 122. *resp. ad* 3. triplicem esse servitutem, unde opus servile fit triplex. *Una* servitus est, quâ homo servit peccato; *alia*, quâ homo servit homini; *alia*, quâ servit Deo.

*Triplex servitus, unde opus fit servile.*

*Opus peccati* est καθ' ἐξοχὴν opus servile: nam *qui facit peccatum, servus est peccati Ioh.* 8. *v.* 34. & hoc non tantùm sabbato, sed & omni tempore est prohibitum.

*Opera quibus homo servit homini*, dicuntur corporalia, quia homo alterius hominis servus est, *non secundum mentem, sed secundum corpus*, ut *Thomas* loquitur 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *&* *art.* 6. *ad* 1. *argum.* Hæc ita exerceri possunt sabbato, ne animus otio torpescat, aut nihil agendo malè agere discat. Et sic ad vitandum in sabbato opus peccati, permittitur interdum opus corporale.

[Hieron. *Semper aliquid age, ne te Diabolus inveniat ociosum. Ocia enim dant vitia. Homines nihil agendo, malè agere discunt.*

Ideò autor libri *de decem chordis*, qui reperitur inter opera *Augustini cap.* 3. scribit: *meliùs faceret Iudæus in agro suo aliquid utile, quàm si in agro seditiosus existeret, & meliùs fœmina eorum die sabbati lanam facerent, quàm, quæ totâ die in neomeniis suis publicè saltarent.*

*Opus, quo quis servit Deo* est spirituale, ut meditari sacra, docere populum, baptisare &c. hæc enim ipsa inserviunt fini sabbathi, nec sabbatum polluunt, sed sanctificant. Ita ignem in foco accendere, onera portare, pecora mactare, aliis in sabbatho non licuisset: sacerdotes autem *Levitici*, ea facere poterant, & sic corporaliter in sabbato laborare, sine violatione sabbathi, qua de re Christus loquitur, *Matth.* 12 *v.* 5. *sabbathis sacerdotes in templo sabbatum prophanant*, id est, corporaliter operantur in sabbato, & sine crimine sunt. Eodem modo docere sacra in sabbato, sive voce sive scripto non est contra observantiam sabbati.

Ideò *glossa ordin. super cap.* 28. dicit: *quòd fabri & hujusmodi artifices etiam-*

Digitized by Google

*otiantur in sabbatho: lector autem divinæ legis, vel doctor, ab opere suo non desinit, nec tamen eo contaminatur sabbatum, sicut sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt.*

## CASUS VI.

### *An prophanatio sabbati sit ludis & comœdiis spectandis, trocho, pilâ, palæstra, & similibus recreationum speciebus?*

RESP. Sabbatum propter recreationem institutum est: sed præcipua nostra recreatio spiritualis esse debet, orta ex auditu verbi, & sacrorum communione, in quo B. David singulare animi sui gaudium quærebat, *Psal.* 122. *v.* 1, 2.

Deinde sacris peractis corpori etiam sua permittitur recreatio, quâ multi æquè carere nõ possunt, quàm cibo ac potu; sed ea non sit carnalis aut scurrilis, qualis in obscœnis ludis, in lusu chartarum aut tesserarum, in ingluvie & compotationibus à nonnullis quæritur: nam si labores vocationis etiam in die festo sunt prohibiti, quanto magis hujusmodi recreationes, quæ aliàs, quocunque die fiant, purissimos angelos arcent, sed sit recreatio liberalis, quâ corpus reficitur in Domino, uti fit I. in moderatis conviviis. Nam in populo Dei etiam absque peccato lautiùs vivebatur diebus festis, quàm aliis, ex singulari gaudio, quod ex auditu & intellectu legis perceperant. Ita enim *Nehem.* 8. *v.* 10. legitur: *dixit Nehemias populo: ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparaverunt sibi, quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari, gaudium enim Domini est fortitudo vestra, & addit v.* 12. *abiit itaq; omnis populus, ut comederet & biberet*, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam, quia intellexerant verba, quæ docuerat eos.

2. Lusus pilæ, aut trochi, palæstrica exercitia, jaculationes & similia etiam ad liberalem recreationem referri possunt, præsertim, cùm ex parte suum habeant usum in republicâ: modò non fiant cum neglectu cultus sacri, qui ante omnia præcedere debet.

3. Quod spectacula comœdiarum attinet, quia comœdias agere, si sint honestæ, & moribus formandis aptæ, aliàs licitum est, nihil obstat, quin etiam die Dominico spectari possint, finitis sacris, præsertim Biblicæ, quæ sensibus animi fortiùs imprimuntur, quàm, quæ per aures demittuntur. *Semper enim homines plus oculis, quàm auribus credunt*, inquit *Seneca epist.* 6.

Cùm igitur in spectandis comœdiis utilitas cùm honestâ recreatione conjuncta sit, nec per ejusmodi spectaculum cultus sacer impediatur, satius est, tempus illud, quod die Dominico ab exercitiis sacris est resi-

Digitized by Google

residuum, honestæ illi recreationi, quàm inerti otio, aut illiberalibus ludis impendere.

Cùm autem omne studium in sabbato impenditur in actionem comœdiarum, etiam cum neglectu cultus divini, tunc fit prophanatio sabbati, de qua autor *lib. de decem chordis* inquit, *satius esse, Iudæos in sabbato operari, quam spectaculis interesse.*

## CASUS VII.

*De nundinis.*

### *Possuntnè salva pietate diebus festis institui nundinæ?*

RESp. Ethnici primis Calendis nundinas non permittebant, quia si hoc fieret, observatum fuit, omnem illum annum infaustis casibus luctuosum fuisse, referente *Macrobio lib. 1. Satur.* Quod ergò ethnici ex superstitione fecerunt, nobis religio suadet.

[*Nundinæ quasi novendinæ dictæ sunt, à nono die. Institutæ eo consilio perhibentur, ut rustici octo diebus in agris essent, & nono die repeterent urbem ad mercatum. Vide Cic. contra Lull. pro lege Agr. Colum. l. 11. c. 3.*]

In genere prohibitum est, die festo operas exercere impedientes ministerium verbi & ceremoniarum sacrarum, cùm ergo nundinatio res merè sit politica, quâ exercitia pietatis facilè impediuntur, præstaret nundinas publicas in alium differre diem. Ideò namque severissimè reprehendit *Nehemias* eos, qui nundinationibus suis sabbatum violabant *Nehem.* 13. *vers.* 16, 17. & Christus nundinatores flagello ejecit templo, addens ex Esaia: *domus mea domus precationum est Luc.* 19. *vers.* 45. 46. non obscurè innuens, Deum vehementer abominari nundinationes, ut in templo, ita & in sabbato institutas, quia utrobique præbetur occasio impediendi exercitia religionis, quam ob causam *Carolus Magnus* in suis constitutionibus prohibuit, ut nullus mercatus in die Dominico ullo in loco habeatur, & *Brentius in cap.* 56. *Esaiæ* non veretur scribere: *qui contemto auditu evangelij prophanat hos dies* (festos) *nundinationibus, & aliis suis negotiis, is præbet occasionem, quantum in se est abolendæ piæ doctrinæ, & peccat tam in Deum, quam in se, in familiam suam, & in proximos quoq; gravissimè.*

Prophanantur autem dies festi nundinationibus, non tantùm, quia opera prophana tum exercentur emendo & vendendo, sed & quia nundinæ plerumque conjunctas habent myriadas multorum scelerum, ut sunt mendacia, perjuria, fraudes, imposturæ,

adulteria, homicidia, jurgia, blasphemias, & execrationes nominis divini, quibus dies sacer immane quantum polluitur, inprimis autem frequentes sunt in nundinis comessationes, quæ occasionem præbent ebrietati, quæ inprimis diei festo est inimica: idque fit ex veteri ethnicorum consuetudine, qui nundinas appellabant ferias rusticas, ut est apud *Macrobium lib. 1. Saturnal.* quibus mercandi gratiâ rustici in urbem conveniebant, & epulas dabant, unde sunt nundinariæ epulæ apud *Cujacium*, teste *Hospiniano de festis gentilium cap. 5. sub fin.*

***Feria rustica verè rustica.***

[*Rustica gens, est optima flens, sed pessima gaudens*,
Ille cecinit, quod hic non incommodè applicari potest.]

Et experientia testatur, quòd nundinæ epulas & compotationes secum ferant. Quam ob causam in constitutione *Electorali eccles. artic. 17.* cautum est, ut nundinæ *vel in diem aliquem profestum differantur, vel certe die Dominico non nisi finitu omnino sacris permittantur, ne cultus divinus propter nundinationes impediatur, neque auditores ab auditu verbi avocentur.*

CASUS VIII.

*Quid verò de nuptiis statuendum est, num eas die Dominico aut festo instituere licet?*

***De nuptiis.***

RESP. Ita quidem opinantur aliqui, eò, quòd nuptiæ sunt res sacra, qualia negotia sacra diebus sacris competant: prætendunt consuetudinem loci, libertatem Christianam, prohibitionem Apostolicam, *ne quis vos judicet in parte diei festi Col. 2.* urgent conjugii sanctitatem, ob quam nuptiæ diem Dominicum prophanare non possint, & quæ sunt hujus generis alia.

***Putant aliqui, quòd sic.***

Sed commodior est sententia eorum, qui nuptias vel in alium diem differendas vel die Dominico finitis sacris vesperi demum celebrandas esse statuunt, ut præscribit *constitutio Electoralis eccles. artic. 17.* Nam qui nuptias parat, multis aliis negotiis occupatus est, quæ & ipsum & alios à cultu sacro avocant. Deus autem simpliciter vult remota impedimenta omnia cultus sui *Exod. 31, 14.* Nuptiæ occasionem præbent ebrietati & lasciviæ, quæ quidem vitia semper fugienda, imprimis autem pugnant cum sanctificatione sabbati.

***Contraria sententia probatur.***

[*Olim nuptias summâ cum honestate celebrarunt ait Chrysost. hom. 47. in Genes. nunquam ibi superflua*

*flua & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbalæ & tibiæ & choreæ, & satanica illa convitia & scommata omni obscœnitate plena, sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis mititas: & Nazianzenus adv. Iulian. ait: consistit hæc sanctificatio (sabbathi) non in corporū hilaritate, neque vestium varietate: & splendore, neq; comessationibus, quorum fructum lasciviam esse scimus, neque florum in viis dispersionibus, quæ gentium esse novimus, sed animæ potiùs puritate & mentis alacritate, piisq; meditationibus, si pro tympanis sacris hymnis, pro impiis cantionibus, saltationibus, psalmodiis utamur.*]

Quemadmodum ergò peccant contra secundum præceptum, qui nomen Dei blasphemant, contra septimum, qui furtum faciunt, contra quintum, qui occidunt: ita contra tertium graviter delinquunt, qui vel comessationibus vel carnalibus voluptatibus aliis indulgent, aut occasionem eam ad rem intempestivis suis nuptiis præbent.

Idcircò imperatores *Leo & Antonius II.* decretis suis *Cod. l. 3. tit. 12.* malo huic mederi voluerunt: *dies festos*, inquiunt, *majestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari.* Quibus de causis *Lutherus* etiam hac in urbe nuptias die dominicâ abrogavit, & *Brentius homil. 96. in Lucam à majoribus sancitum esse* scribit, *ut duobus diebus ante Dominicum nec nuptiæ, nec alia publica convivia celebrentur*, non quòd *hæc per se sint illicita*, nec quòd *ex meritis jejuniorum constet expiatio peccatorum, sed ut sobrietate duorum dierum homines redderentur aptiores ad sectandum unum illud necessarium, hoc est, ad audiendum verbum* Dei, *& ad percipiendam doctrinam religionis in die Dominico.*

Semper etiam fuere orthodoxi Theologi, qui pro zelo nuptiis in die Dominico institutis contradixerunt. Requirit hoc professio nostra, quæ nos monet, ut ab omni specie mali & ab omni occasione peccandi abstineamus, nec aliis offendiculum ponamus, quasi comessationes cum sanctificatione sabbati non pugnent. Væ enim per quem veniunt scandala.

Rationes, quibus utuntur, qui contrarium sentiunt, non sunt magni momenti. Negotia sacra competunt diebus sacris: sed distinguenda sunt opera ad regnum Christi & ad politiam hanc pertinentia: utraque sacra sunt, i. e. bona Deoq; placentia: sed illa verè sancta sunt & sanctificationi sabbati competentia, quæ pertinent ad sanctificationem nominis divini, & salutem animarum, ut est prædicatio & auditus verbi, usus sacramentorum, preces, piæ lectiones & meditationes &c. reliqua ad vitam hanc naturalem spectantia, licet in se bona, tamen non sunt in se facta, sed sanctificantur per verbum & ordinationem Dei.

Sic nuptiæ ad hunc duntaxat vitam pertinent, & sanctæ sunt ex constitutione Dei, qui conjugium instituit, ad sanctificationem autem sabbati non pertinent.

Consuetudo cujusque loci meritò observatur, si non pugnat cum verbo, neque scandalosa est. Aliàs verissimum est illud *Cypriani*; *non hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem*, & iterum: *consuetudo sine veritate, vetustas erroris est*, *epistol.* 74.

[*Veritate manifestata cedat consuetudo veritati*, ait Augustin. *lib. 2. de unic. baptis. Si voluerimus prudentes esse & habere curam salutis nostræ, à mala consuetudine desistamus, & in bonam nos reducamus, & sic posteris nostris non parvam dabimus occasionem eadem imitandi*, Chrysostom. *homil.* 56. *in Genes.*]

Libertas Christiana non est licentia faciendi quidlibet, sine discrimine, sed includit bonum ordinem in ecclesia, sine quo multa fierent, quæ Deo placere non possunt. Qui ergò libertate Christianâ hoc in genere rectè uti vult, non prophanare debet diem Dominicum extra casum necessitatis operibus illis, quæ ad alios dies pertinent. Hæc enim dies loco Judaici sabbati ad sanctificandum ab Apostolis destinata fuit.

Prohibitio Apostolica *Col.* 2, 16. concernit tantùm superstitiosos observatores sabbati Judaici, cum quibus ii, qui diem Dominicum sanctis operibus transigunt, nihil habent commune.

Conjugium à Deo institutum est, sed & sabbatum: ordinationes autem Dei sibi invicem opponi non debent. Quemadmodum ergò magistratus est ordinatio Dei, & tamen non licet die festo negotia tractare forensia; ita manet conjugium quidem ordinatio Dei, etiamsi nuptiæ diebus festis non celebrentur: quia Deus autor ordinis vult, ut in iis etiam, quæ à se ordinata sunt, ordo observetur.

## CASUS IX.

### *Quanam pœna transgressores sabbati sunt adficiendi?*

IN V. T. erat pœna capitalis trina repetitione decreta *Exod.* 31. *v.* 14. 15 *omnis qui fecerit opus in hac die, morietur*, cujus executio legitur *Num.* 15, 35. Hodie tantus rigor non observatur, sed transgressores sabbati à magistratu arbitrariè puniuntur. Rationem diversitatis quidam hanc dant: quia in sabbato Judæorum duo observanda erant, 1. typus seu signum gratiæ divinæ, sicut scriptum est *Exod.* 31. *v.* 13. 15. *signum est inter me & vos, in generationibus vestris, ut sciatis, quod sum Iehova, sanctificans vos.* 2. Ordo, qui in ecclesia servandus erat.

rat. Quia ergò transgressores sabbati non tantùm ordinem ecclesiæ, sed & signum illud gratiæ violabant, & contemtum habebant, Deus ista severitate in contemtores illos animadvertere voluit. Hodie sabbatum sanctificatur, non tam, ut signum gratiæ, quàm ut pars ordinis ecclesiastici, ideò violatores pœnam capitis non incurrunt.

Sed, quod pace illorum dixerim, etiamnum sanctificatio sabbati & repræsentationem & ordinem includit, repræsentationem quidem & commonefactionem quietis nostræ, quâ pace, justitiâ, & vitâ in Christo fruimur, propositam in eo, quòd Christus à morte resurgens novæ quasi hebdomadis initium fecit, in quâ sabbatum ex sabbato habituri sumus. Quam commonefactionem turbant, & quantum in se est, penitus evertunt, qui sabbatum temerè violant.

Proinde à magistratu graviter puniendi essent, præsertim, si non modò non cultu divino sanctificant, verùm etiam prophanis, impiis, blasphemis operibus aut sermonibus contaminant, quæ malitia carcere, aut aliis mediis, (quæ politico magistratui commendamus) coercenda esset. Cùm enim magistratus utriusq; tabulæ custos sit, illâ Dei severitate admonetur, tam primæ quàm secundæ tabulæ vindicias à se exigi: quâ in re cum plerumque mitior vel segnior reperiatur, inde fit, quòd flagitia illa crescant, pro nullis habeantur, & ira Dei super nos multiplicetur.

Fuit autem Deus erga Judæos ob transgressionem mandatorum suorum semper severior, quàm in N. T. Ita ut filios immorigeros *Deut. 21. vers.* 18. filias desponsatas. *Deut. 22. v. 23.* in alieno thoro deprehensas, blasphemos, & violatores sabbati *Lev.* 24, 12. 23. vitâ puniendos judicaret, quod hodie non fit. Nam, ut *Augustinus* censet, *erat tunc tempus severitatis, hodie caritatis, quia tunc sub lege erant, a quâ cogebantur, hodie sub gratiâ sumus, quæ nos ad faciendum ea, quæ recta sunt, blande invitat.* Ita enim scribit *Augustinus contra Adimantum cap. 22. sicut tempore caritatis bonitas; sic tempore timoris Dei severitas maximè commendatur. Et cùm adhuc non oporteret ante adventum Domini nudare populo legitimarum sacramenta figurarum, non invitabantur significata intelligere, sed jussa cogebantur implere. Nondum enim Deo inhærebant per spiritum, sed per carnem legi serviebant.* Hæc ille. *Deus in V. T. fuit severior ob transgressionē mandatorum suorum, quàm in N.*

Etsi autem capitalis illa pœna ampliùs non durat, admonemur tamen illâ severitate Dei, malitiosos sabbati violatores non tantùm pœnas à magistratu temporaliter impositas incurrere, sed & æternam mortem promeritos fuisse, ideò Dominus eis *ignem inextinguibilem* minatur, *Ezech.* 20. v. 47.

Notetur autem, quòd observatio sabbati sit clausula omnium præceptorum primæ tabulæ, ad cultum Dei pertinentium, qui ergò sabbatum *Observatio sabbati est clausula omniū præceptorum primæ tabulæ.*

tum violat, reum se facit abdicati totius cultus divini: quæ etiam causa non postrema est, cur hujusmodi violatores sabbati graviùs, quàm aliarum legum transgressores punire debeant.

Quòd si adhuc hodie observaretur, maior esset inter homines reverentia numinis, & calamitatum publicarum imminutio speranda. Nam unius pœna metus est multorum, pluresque suppliciis avocantur, à maleficio, quàm præmiis invitamur ad officium.

Magistratum autem constituit Deus & præmiorum & pœnarum diribitorem, qui si vel ipse iisdem implicatur vitiis, quæ in aliis punire debebat, vel aliàs in puniendo mitior: Deus ipse legum suarum executor fit, in magistro pariter ac discipulo, domino ac subdito, unde tot sunt exempla fatalium casuum, quibus Deus in violatores sabbati animadvertit, ut quòd in sabbatho frumenta horreis inferentes, fulmine tacti unà cum frumento horreoque exorto incendio perierunt, quòd sub concione diebus festis compotantes aut colludentes mutuis vulneribus se confecerunt, quòd negligentes conciones, itinera non necessaria in festo instituentes in aquis miserè perierunt: cuius rei exempla plurima historiæ, inprimis *promptuarium Sturmij* suppeditat.

## CAPUT XIV.

### *De Casibus conscientiæ circa jejunium.*

IEjunium per se quidem non est cultus divinus, quia regnum Dei *non est cibus & potus, sed justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, & qui in his servit Christo, placet Deo & probatus est, Rom.* 14. *vers.* 17. non tamen vel prohibitum, vel à cultu Dei prorsus alienum est: sed ad illum promovendum multùm prodest, eoque nomine præclara in scripturâ testimonia ac exempla habet.

Docet enim ea, quòd sit jejunandum 3. *Corinth.* 6, 5. quomodo jejunandum *Matth.* 6, 16. 17. quæ jeiunia placent Deo *Esa.* 58, 6. quo fine jeiunandum, ut nimirum ejiciatur dæmonium *Matth.* 17, 21. hoc est, ut, expulsis impuris cogitationibus, vacemus jejunio & orationi 1. *Corinth.* 7, 5. monstrat exempla sanctorum, qui jeiunarunt, ut *David Psal.* 35, 13. 69, 11. *Daniel Dan.* 9, 3. 10, 3. *Sara, Tob.* 3, 10. *universus populus Iudic.* 20, 26. 1. *Mach.* 3, 47. Ostendit etiam modum jeiuniorum, quòd videlicet ante vesperam nihil comederint, nec delicatè comederint *Dan.* 10, 3. rejicit deniq; hypocritica ieiunia *Esa.* 58, 5, *Zach.* 7, 5. *Matth.* 6, 16.

Et quia ieiunium ad corporales exercitationes pertinet, corporisque subigendi causâ suscipitur, ideò vocatur in scripturâ Anah seu affli-

ctio,

ctio, ut *Exod.* 16. *verſ.* 29. *Levit.* 26. *v.* 27. *de die expiationum dicitur, affligetis animas veſtras in eo:* quod de afflictione jejunii intelligendum eſt, alibi enim afflictio & jejunium conjunguntur *Pſalm.* 35. *verſ.* 13. *afflixi jejunio animam meam*, item: *afflictio & fames afflixit te, & eſurire permiſit*, inquit, *Moſes Deuteron.* 8. *verſ.* 3. Qui *jejunarunt, afflixiſſe ſe dicuntur, Eſa.* 8. *verſ.* 11. *Dan.* 10. *verſ.* 2.

*Pontificiorum jejunium lætitiæ.* Ridiculum ergò eſt, quòd Romanenſes unum ex iis jejuniis, quæ quatuor temporum vocantur, & incidit in ſeptimanam Pentecoſtæ, vocent *jejunium lætitiæ & exultationis*, non mœroris & afflictionis, ut *Azorius* refert *lib.* 7. *inſtit. cap.* 14. ꝗ 2. ex *Thoma in* 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 5. Nam de natura jejunii eſt, ſubigere, & affligere corpus, non recreare.

*Pontificia jejunia duo* Pontificii duo jejuniorum genera conſtituunt, unum eſt *naturæ*, alterum *eccleſiæ*, ut habetur apud *Thomam* 22. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 2. Jejunium naturæ vocant, quo tum à potu tum à cibo abſtinemus: eccleſiæ verò, quo non à potione, ſed à cibo abſtinemus, nec à cibo in univerſum, ſed ab eo, qui tanquam cibus capitur, non tanquam medicamentum.

*Pontificia jejuniorum definitio.* Definiunt autem jejunium, quòd ſit prandii, & poſt cœnam cujuslibet cibi ſubtractio usque ad diem ſequentem, & abſtinentia à carnibus, & ab iis, quæ à carnibus originem trahunt, ut lacte, caſeo, ovis &c.

Circa tale jejunium eccleſiæ tria exigunt 1. ut ſemel tantùm in die comedamus, 2. ut delectum ciborum habeamus, quoad qualitatem cibi. 3. ut certa hora jejunii ſervetur. Hinc varia movent dubia, ut, *an jejunium ſolvatur ſumta aliqua veſpertina refectiuncula, qua noctu ſeu appetente nocte, proximè ante ſomnum capta, naturam reficimus? an hæc refectiuncula etiam mane, cùm cæteri prandent, ſumi poſſit? an in illa refectiuncula liceat etiam pane veſci, an verò ſolis fructibus arborum? an refectiuncula definita cibi qualitate & quantitate conſtare debeat? an peccet, qui die jejunii bis edit? an tantùm carnes ſint prohibitæ, & non etiam ova, lac, butyrum? &c. an is, cui per privilegium conceſſum eſt veſci carnibus, etiam ovis, lacte, butyro veſci poſſit?* *Curioſæ quæſtiones Pontificiorum de jejunio.* & quæ ſunt his ſimilia multa, quæ omnia ex falſo oriuntur principio, quaſi eccleſia leges jejuniorum ferre poſſit obligantes conſcientiam.

*Tres ſunt jejuniorum ſpecies.* In noſtris eccleſiis uſitatè tres jejuniorum ſpecies conſtituuntur, unum eſt *morale*, alterum *politicum*, tertium *religioſum*. *1. Ethicum jejunium.* *Morale* eſt ſobrietas, & temperantia in cibo & potu. *2. politicū.* *Politicum* eſt, cùm certis de cauſis homines ab aliquo ciborum genere ad tempus abſtinere jubentur, ut à carnibus aut piſcibus, propter defectum eorum. *3. Theologicum.* *Religioſum eſt*, cùm interdum à cibis abſtinemus, ut ad exercitia aptiores ſimus.

Morale jejunium divinitùs præceptum & ſemper neceſſarium: politi-

politicum à magiſtratu ad tempus injungitur, religioſum voluntariè ſuſcipitur.

De religioſo jejunio jam agimus, de quo dubia quædam enodatione digna incidunt de quibus ordine videbimus.

## CASUS I.

### *Num penes eccleſiam eſt, jejunium indicere religioſum?*

*De indicendo jejunio.*

RESp. Eſt quidem jejunium religioſum voluntaria abſtinentia à cibo, quam multi etiam absque eccleſiæ inſtituto ſuſceperunt, ut ad pœnitentiam, preces & alia exercitia pietatis aptiores eſſent, cujus rei exempla habemus in *Davide* 2. *Sam.* 12. *v.* 16. *Daniele Dan.* 10, 3. *Juditha, Judith.* 8, 6. *Eſthere, Eſth.* 4, 16. *Annâ, Luc.* 2, 37. & ſimilibus: legimus tamen in ſcripturâ exempla, ubi jejunium imminentibus publicis calamitatibus ab eccleſia fuit indictum, vel per Prophetas. 1. *Sam.* 7, 6. *Joel.* 2, 12. ſacerdotes 1. *Eſth.* 8. *v.* 21. vel per magiſtratum 1. *Sam.* 14. *v.* 24. *Jonæ* 2. *v.* 5. *Eſth.* 4. *v.* 17. vel per Apoſtolos *Actor.* 14. *v.* 22. Nam plenus venter ad preces & pœnitentiam ineptus eſt, ſecuritatem gignit, devotionem turbat, cui per hoc corporale exercitium mederi voluerunt.

Sic in primitivâ eccleſiâ paulò ante feſtum Paſchatos publicum jejunium fuit indictum, quia illo tempore publicè pœnitentes recipiebant, adultos converſos baptiſabant, ad ſeriam meditationem hiſtoriæ paſſionis & reſurrectionis Chriſti ſe præparabant, ut conſtat ex *Euſebio lib.* 5. *hiſtor. eccleſ. cap.* 24.

Tertullianus quoque in lib. de jejunio ſcribit, epiſcopum ſollicitudinis alicujus eccleſiaſticæ cauſa, ſolitum univerſæ plebi jejunia indicere.

Ita non peccaretur, ſi etiamnum eccleſia imminente aliquo periculo aut durante publica aliqua calamitate, jejunium publicum inſtitueret, ut ad ſeria exercitia pœnitentiæ homines paratiores fiant.

Sed nulla fiat coactio, quoad tempus & cibos: neque enim eccleſia ullo Dei mandato ad ferendas hujusmodi leges adigitur, ſed ferente ſic tempore & occaſione eas liberè ſancit. Nam ut *Auguſtinus ſcribit epiſt.* 86. *ad Caſulanum: quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum, non invenio definitum. Eſt libertas verè Chriſtiana per omne tempus jejunandi, non obſervantiæ ſuperſtitione, ſed continentiæ virtute.* Cyrill. *in cap.* 16. *Lev.* Neque debent leges jejuniorum eſſe perpetuæ, ſed tam diu ſaltem durare, quamdiu cauſæ illæ, quæ occaſionem iis præbuerunt, durant. Neque ſunt ad certos cibos adſtringendæ, quia omnes creaturæ DEI bonæ ſunt, & nihil rejiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur.

Et

*Tria reprobantur in ecclesiasticis legibus Pontificiorum, quoad jejunia. Confer Matth. 6. v. 17.*

Et hæc tria sunt potissimùm quæ in legibus ecclesiasticis Romanensium de jejunio improbamus. 1. quòd à carnibus, ovis, lacte, caseo, butyro, abstinere jubent, reliquos etiam delicatissimos cibos ad superfluitatem usque permittunt: 2. quòd ad certum diem septimanæ jejunium adstringunt. 3. quòd jejunia habent perpetua, etiam cessante causa, ob quam primitùs indicta fuêre, durantia. Hoc enim DEUS in populo suo reprehendit, cùm primum liberè instituissent jejunium quarti & septimi mensis, in memoriam pristinæ calamitatis, quia mense quarto rex *Babyloniæ* ceperat oppugnare *Hierosolymam*, & mense septimo interfectus erat *Godolias* 2. *Reg.* 25. postea cùm soluta captivitate quærerent, an talia jejunia continuare deberent, respondet eis Dominus: *cùm jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo per hos 700. annos, nunquid jejunastis mihi? &c.* Non ergò DEO, sed sibi jejunarunt, quia neque DEUS illud jejunium instituerat, neque jejunio tam diuturno opus erat, *Zach.* 7. *v.* 5. & cùm Pharisæi stata sua jejunia haberent & discipulos Christi reprehenderent, quòd & ipsi ea non servarent, respondet eis Christus, *cùm ablatus fuerit sponsus, tunc lugebunt, & in luctu jejunabunt Matth.* 9. *vers.* 15. docens non esse necessaria jejunia perpetua, quia ex opere operato Deo placere non possunt: sed crucem, calamitates, & persequutiones præbituras jejuniorum certam & justâ causam. Potest ergo ecclesia jejunium certam ob causam indicere, modò libertas, quoad tempus & cibos relinquatur.

## CASUS II.

### *Quænam sunt illa jejunia, quæ ecclesia indicere potest?*

RESP. Jejunia ecclesiæ vocantur stata & solennia, precum & humilitatis causâ indicta. In his duo attendenda sunt 1. *abstinentia.* 2. *duratio* seu tempus abstinentiæ.

*Abstinentia est anima jejunij.*

*Abstinentia* est quasi anima jejunii, non enim jejunant, qui non abstinent.

*Abstinentia est multiplex: 1. à cibo & potu.*

Est autem abstinentia primùm à cibo potuque, vel *totaliter*, ita ut neque prandeamus neque cœnemus, quemadmodum *Esther & Sara* toto triduo ab omni cibo abstinuerunt, *Esth.* 4. *v.* 16. *Tob.* 3. *v.* 10. & Darius etiam incœnatus in domo sua pernoctavit, *Daniel* 6. *v.* 18. vel *partialiter*, ut omisso prandio cœnemus duntaxat, aut prandio quidem & cœna utamur, sed parcè, minus solito edentes, tantùm ad incolumitatem corporis tuendam.

[*Venter parvo contentus est, si das illi, quod debes, non quod habes.* Senec. *Epist.* 1. *l.* 1. *moral.*]

Sic *David* in publico luctu ob cædem *Abneri*, jurat, se ante Solis occasum non gustaturum panem, aut aliud quippiam 2. *Samuel.* 3. *v.* 55. &

 cibus

cibus lugentium (quibus fermè æquiparantur jeiunantes *Matth.* 7.) erat *panis arctus, & aqua brevis.* *Esa.* 30.

*2. à delicatulis Apitio rum lautitiis.*

Deinde est abstinentia à delicatioribus cibis, & cupediis palato gravioribus, quo pacto *Daniel* ieiunavit, qui panem desiderabilem non edit, *caro & vinum non introivit in os ejus,* Dan. 10. v. 3.

(*Quale est illud jejunium cum pridianis epulis distendimur & guttur nostrum meditatorium efficitur guttur lautitiarum?* Hieron. *l.2.contr. Iovin.*)

*3. à quibusvis voluptatibus & carnis illecebris.*

Tertiò est abstinentia ab omnibus voluptatibus, quæ corpus suaviter afficere possunt, quo pacto *David* cum jejunaret, totâ nocte solo incubuit, *nec lavit, nec unxit faciem, neque etiam vestem mutavit,* 2. *Samuel.* 12, 17. 20. & in solenni Judæorum jejunio sponsus & sponsa è thalamo suo prodire jubebantur *Ioel.* 2. v. 15. 16.

[*Iejunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & illicitis hujus mundi voluptatibus*, August. *sup. Iohan.*].

Tale ergò jejunium ecclesia indicere potest, in quo vel ab omni cibo toto die, vel à matutino saltem cibo, abstineatur, vel cibus ordinarius in prandio & cœnâ parcius assumatur.

*Calumnia Pontificiorum.*

Falsò ergò nobis objicitur à Pontificiis, quòd jejunium vocemus saltem temperantiam in victu, quæ etiam quotidie instituenda est. Nam si ita opus fuerit, non abnuimus, quin etiam urgente necessitate certo aliquo tempore jejunetur, modò non ex eo lex perpetuitatis fiat, quæ etiam extra necessitatem duret: hoc enim cum libertate ecclesiæ pugnat, de quo infra suo loco.

Duratio abstinentiæ non habet legem: nam ne quidem in V. T. certum & fixum tempus jejuniorum habebant. Usitatissimum erat jejunare toto die usque ad vesperam: exempla sunt *Iud.* 20, 26. 2. *Samuel.* 1, 12. 3, 35. in Actis Apostolicis *Cornelius* jejunabat usque ad horam diei nonam, quæ respondet nostræ tertiæ pomeridianæ *Actor.* 10, 30. interdum jejunia nimis extendebant vel in diem tertium, ut est in historia *Esth. cap.* 4. 16. & Tobiæ *cap.* 3, 10. in diem etiam septimum, ut *David* fecit, cùm ægrotaret filiolus 2. *Sam.* 12, 17. in tali aut diuturniore jejunio, abstinebant à cibo usque ad vesperam, ubi edebant quidem, sed nihil delicati.

Nam ultra diem tertium ab omni prorsus cibo abstinere, præternaturale est, ideò 1. *Reg.* 30. legitur, cum vir quidam *Ægyptius* non comedisset nec bibisset tribus diebus & tribus noctibus, fermè exanimatus fuit, ità ut refocillandus fuerit, ut spiritus ejus reverterentur.

*Regula de abstinentia. Prima.*

Cùm ergò, quoad durationem abstinentiæ, nihil certi præscribi possit, observentur hæ regulæ: 1. *natura jejunis non est infirmanda, debilitanda, aut perimenda, nec simile quid, quo vires naturæ enerventur, agendum.* Rejicit enim Apost. *Paulus Col.* 2, 23. ejusmodi abstinentiam à cibis, quâ non

non parcitur corpori, eò quòd rationem quidem sive speciem aliquam sapientiæ habeat, ad nihil tamen prosit, quia ad ea tantum spectet, quibus saturatur caro. Et *Hieronymus* in lib. *de servanda virgin.* ad Demetriaden scribit: *sic debes jejunare, ut non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuarum vel porteris vel traharis manibus: sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias.*

*Secunda.* 2. *Ita jejunandum, ut sentiat caro, sibi aliquid detractum de suis delitiis.* Nam jejunium est afflictio corporis, & qui jejunarunt *afflixisse se dicuntur*: *Esdr.* 8, 21. *Dan.* 10, 2.

*Tertia.* 3. *Cum ergò caro jam afflicta & subjugata est*, ne possit impedire preces aut meditationes pias, & ad ferendas afflictiones jam assuefacta, *tunc sufficit jejunium* quia finem suum jam est consequutum, videlicet humiliationem in afflictionibus & devotionem animi in precibus & exercitiis sacris.

*Quarta.* 4. Etsi *tempus* certum *abstinentiæ* non præfigitur, ut tamen ea *fiat à mane usque ad vesperam*, convenit: illud enim tempus observabant veteres, & tempus matutinum precibus & exercitiis piis semper accommodatius est præ cæteris.

(*Aurora jejuniis & precibus amica.*
*Plenus venter neque orat neque abstinet libenter.*)

His observatis cautionibus jejunium & superstitione caret, & verè religiosum est, suamq; singularem utilitatem habet.

## CASUS III.

### *An jejunium ab ecclesia indictum obligat in conscientia, ita ut transgressor reatum peccati mortalis contrahat?*

RESP. Pontificii, licet aliàs leges ecclesiæ divinis æquent, in hujus tamen quæstionis decisione discrepant. Referunt nonnulli ex *Concilio Gangrensi cap.* 69. quod anathemate ferit eum, qui jejunia ecclesiæ solvit, & ex Toletano IV. can. 7. *quicunque die passionis præter pauculos senes & languidos, ante peractas indulgentiæ preces jejunium solvit, à paschali gaudio depellatur, neque in eo sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis ejus per abstinentiam non honoravit.* Hic certè simpliciter damnantur transgressores jejunii ab ecclesiâ indicti. Citant etiam *canonem* 68. *Apostolorum*, quo anathema dicitur laicis, qui quadragenarium numerum non observaverint, nisi corporis imbecillitate fuerint impediti. *Pontificy circa hunc casum discrepant.*

*Cajetanus* negat ex jure Canonico colligi, legem ecclesiæ de jejuniis nos tenere & obstringere, ut lethalem culpam contrahamus, sed solùm ait, ex communi doctorum consensione, & populi Christiani consuetudine intelligi, lethale peccatum incurrere eum, qui hoc præceptum non observat.

Alii existimant, (inter quos est *Iohannes Fontanus*) solùm eos lethali peccato se obstringere, qui præceptum jejunii per contemtum, sive tacitum, sive expressum omittunt: contemtum autem tacitum vocant, cùm quis absque justâ causâ, quod deberet servare, jejunium solvit.

*Iohannes Azorius tom. 1. instit. moral. lib. 7. cap. 8.* scribit, communem esse opinionem Theologorum, & canonici juris interpretum, & summistarum, jejunii lege & præcepto ita nos teneri, ut si illud absque legitima causâ solvamus, lethali peccato obstringamur. Ita inter se dissentiunt *Romanenses*.

Sed ut decisio propositi casus legitimè instituatur, priùs explicandi sunt termini. *Obligare conscientiâ sum tur dupliciter.* Obligare conscientiam dupliciter sumitur, *propriè* vel *impropriè*. *Propriè* dicitur aliquid obligare conscientiam, cùm ad obediendum obstringit, sub culpâ morali & mortali, quæ cum metu offensionis Dei, aut violati numinis divini est conjuncta. *Impropriè*, cùm quid obligat ad obediendum, sub culpa tantum civili, quæ metum offensionis humanæ infert, & cum pudore aut infamia conjuncta est. Hic de obligatione propriè sic dicta agitur.

*Obligatio conscientiæ propriè sic dicta est; una generalis, altera specialis.* Ea autem geminata est, una *generalis*, altera *specialis*. *Generalis* obligatio conscientiæ fit indirectè & mediatè, cùm videlicet constitutio aliqua violata non ratione sui & in specie, sed tantùm mediante generali aliquo præcepto, cujus simul fit transgressio, conscientiam obstringit, ut qui parentum, aut principis alicujus mandatum utile & honestum transgreditur, conscientiam vulnerat, quia ordinationi Dei resistit, & quartum præceptum violat. *Specialis* obligatio conscientiæ fit directè & immediatè, cùm videlicet lex aliqua violata ratione sui obligat, quale est omne præceptum divinum, quod immediatè & directè Deum ejusque cultum attingit, ut lex de sanctificando sabbatho, de honorandis parentibus, &c. Dico igitur, jejunium ab ecclesiâ indictum specialiter & directè conscientiam non obligare, quia constitutio illa non est immediatè à Deo, sed ab hominibus, quorum potestas tantùm est exterior, non interior: conscientiis enim non dominatur: neque cultum aliquem divinum, sed exercitationem saltem corporalem concernit, neque transgressio ejus adjunctam habet comminationem æternarum pœnarum, quâ conscientiæ & directè & principaliter obstringuntur ad obediendum.

Obligat autem conscientiam generaliter & indirectè, quia ejus transgressione 1. resistitur bono ordini, qui in ecclesiâ semper observandus est, nec temere convellendus studio novitatis aut singularitatis; 2. scandalum præbetur infirmis, quod semper & ab omnibus vitandum est. Habemus enim talia præcepta in scripturâ, ut omnia *ordine ac decenter fiant in ecclesiâ* 1. Cor. 14, 40.

14, 40. *noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus mortuus est Rom.* 14. *versicul.* 15.

Etsi ergò quis etiam sine jejunio exercitiis pietatis ritè vacare posset: tamen ob causam jam dictam jejunium ab ecclesia indictum solvere non debet: quod si solvit, mortaliter peccat, non tam, quia à cibo non abstinuit, quàm quod ordinem ecclesiæ turbavit, infirmosq; offendit.

## CASUS IV.

### *An jejunium ecclesiæ omnes simpliciter, qui ad ecclesiam illam pertinent, obligat?*

RESp. In papatu nimis scrupulosè hac de re disseritur. *Primùm* certa constituunt genera eorum, qui à jejunio ecclesiæ exemti sunt.

*Pontificiorum hoc de casu judicia. Quatuor Pontificii constituunt genera eorum qui à jejunio exemti sunt. Primum genus.*

Primum est eorum, quos impotentia excludit, quales sunt pueri usque ad annum ætatis 21. & senes post annum 60. item infirmi & debiles, prægnantes, nutrices, pauperes. Hos excusatos dicunt tempore jejunii ab unâ quidem refectione in die, sed non à ciborum vetitorum abstinentia, infirmis tamen ad consilium medici permittunt etiam cibos vetitos: pueris ante annos discretionis non prohibent carnes & lacticinia, tempore jejunii: pauperes possunt propter penuriam ciborum etiam cibos vetitos: & si unicam refectionem sufficientem non habent, possunt assumere etiam alteram.

*Secundum.*

Secundum genus est eorum, quos necessitas excludit, per quam excusatos dicunt omnes obligatos ad labores, qui à jejunis fieri non possunt, ut agricolæ & mechanici, concionatores & legentes in scholis, confessiones toto die audientes, discipuli etiam obligati ad exercitium exhibendum, iter longum pedites facientes, quibus addit *Lorichius* conjugatos, ob reddendum debitum conjugale, nisi devotionis ergò ex mutuò consensu velint diebus jejunii continere.

*Tertium.*

Tertium genus eorum est, quos excludit exercitium majoris boni, ut, si quis peregrinationes spontaneas susciperet die jejunii, quas intelligit plus prodesse saluti animæ, quàm jejunium: si uxor videt maritum propter jejunium suum ad rixas irritari, majus enim esse bonum conjugum, concordiam, quàm jejunium.

*Quartum.*

Quartum genus est eorum, quos excludit superioris dispensatio, quam Papam dare posse ajunt absolutè, id est, etiam absque justâ causâ, episcopum autem & parochum non nisi justam ob causam.

*Deinde* recensent quosdam, qui non sunt excusati, licet se excusatos putent, ut sunt patresfamilias, hospites, caupones, qui suis apponunt cibum, diebus jejunii, per quos credunt aut dubitant violari

posse jejunium: patresfamilias, qui famulis die jejunii graves imponunt labores, qui commodè possent in alium diem differri: ut & eos, qui die jejunii parant convivia, quibus aliis solvendi jejunii occasionem præbent, quâ de re legatur *Toletus lib. 6. scrutin. sacerdotalis capit. 4. & Lorichius in Thesauro Theol. voce jejunium n. 7. & 8.*

*Pontificij refutantur*

Sed hæc omnia partim ex superstitioso discrimine ciborum, partim ex coactis ecclesiæ Romanæ legibus prodeunt, & non immeritò à nobis parum curantur. Cùm autem ecclesia vera leges jejunii suo modo obligantes conscientiam ferre possit, ut in præcedentibus ostendimus, sciendum est, omnes omninò, qui jejunare possunt, legibus illis obligari. Nemo enim temerè ordinem ecclesiæ turbare, nec scandalum infirmis dare debet, &c.

Excipiuntur tamen ii, qui vel *per naturam*, vel *per ætatem*, vel *per valetudinem* ad jejunia minus apti sunt. Natura excipit eos, qui stomachi sunt frigidioris, ut ad tempus aliquod longum sine periculo valetudinis à cibis abstinere nequeant. In his jejunium finem suum non assequeretur, impediret enim potiùs preces & meditationes sacras, quæ latrante stomacho minore cum alacritate fiunt, & aliàs jejunia non debent evertere naturam aut nocere valetudini.

Ætas excipit pueros & senes, qui cibis diu carere non possunt: his aliquid indulgendum est, ita tamen, ut moderationem in edendo adhibeant, & discrimen aliquod fit inter dies solennis jejunii, & alios.

Valetudo excipit gravidas mulieres, valetudinarios, ægrotos, quibus cibus nontantùm nutrimentum sed & instar medicamenti est. His omnibus, non peculiari aliquâ lege aut dispensatione cibus permittendus est in die jejunii, sed quia aliàs necessitas non habet legem, & jejunium non est cultus, nec pars cultus divini, sed libera ecclesiæ constitutio: modò & in qualitate & quantitate debita observetur moderatio, juxta cautiones in præcedentibus notatas.

## CASUS V.

*Reprehendimus in Pontificiis, quòd jejunium indicant cum discrimine ciborum, siquidem Paulus ciborum prohibitionem doctrinam dæmoniorum nominat, annon eandem incurrimus reprehensionem, dum & nos jejunantes à certis cibis, delicatioribus nimirum, abstinere jubemus?*

RESpond. Ad rectam huius casus decisionem, observandum est, *Prohibitio ciborum est*

est, prohibitionem ciborum esse *multiplex* multiplicem. *Prima* est *Levitica*, *2. Levitica.* quâ DEUS ipse discrimen inter animalia munda & immunda à se factum ante diluvium *Genes.* 7. *versic.* 8. repetiit *Levit.* 11. *vers.* 1. *seqq.* illa edere, ab his abstinere jussit, non quidem quasi animalia quædam in se & naturâ suâ immunda essent: sed ut populum suum etiam hoc externo discrimine à gentibus distingueret, eumque hac pædagogiâ ad verbum suum adstringeret, extra quod eis nequidem in cibis quidquam licebat, & ut obedientiam ejus probaret prohibitione eorum, quæ in se mala non sunt, quemadmodum Adami probavit obedientiam prohibitione arboris scientiæ boni & mali. Sed hæc ciborum prohibitio durabat saltem in repub. Hebræorum usque ad Christum, juxta illud: lex *& Prophetæ usque ad Iohannem Matth.* 11. *versic.* 13. Per Christum autem sublato ceremoniarum Leviticarum jugo, & finitâ pædagogiâ Mosaicâ, discrimen ciborum etiam sublatum est, teste Paulo. *Col.* 2. *v.* 16.

[*Quatuor dispositiones circa cibos 1. ante lapsum omnes herbæ, arboresq. frugiferæ Gen.* 1. *v.* 29. *2. post lapsum panis & olera Genes.* 3. *vers.* 18. *3. post diluvium carnes. 4. post adventum Christi, ubi mundis omnia sunt munda.*]

[*Quæris: Quare DEUS in V. T. quædam animalia pura, quædam impura proclamarit? Respondet quidem Philip. Melanchton, referente Manlio in L. C. quia plurimi fuerint in terrâ promissionis horti cultissimi, quare ne sues omnia sursum deorsum verterent & devastarent, interdixisse Deum sues Iudæis. Verùm præterquam, quod hæc responsio saltem in specie de suibus respondet, adeoq. quæstioni generali satisfacere non potest, judicium Tertulliani, quod salvâ Philippi autoritate dixerim, magis mihi placet, quod habet in epist. de cibis Iudaicis: Interdixit, ait, DEVS, quædam animalia quasi immunda, non quòd immunda reverâ, cùm Dei creaturæ, sed duas ob causas 1. ut in animalibus mores depingerentur humani, & actus & voluntates. sic suillam carnem, id est, carnosam vitam prohiberi: mustelam, id est, furta reprehendi: sic usum lacertæ, id est vitæ incertam varietatem; sic corvum, id est versutas voluptates: passerem, id est intemperantiam argui: quæ omnia in illis quidem non criminosa, quia in hoc nata, in homine culpata, quia contra naturam non ex institutione, sed ex errore quæsita sunt. 2. ad coërcendam intemperantiam populi remedia ista sunt quæsita. Verùm finis legis Christus jam venit, cuncta legis obscura reserans, ideò omnia jam suis benedictionibus sunt reddita, finitâ jam lege, nec ad solennitates ciborum est redeundum, quas & certa imperaverat causa, & li-*

*& libertas jam sustulit evangelica, quod tamen intelligendum cum lege frugalitatis & continentiæ. Similia habet Lactant. l. 4. inst. c. 17. ubi vide.*]

2 Ethnica. Secunda est Ethnica, nam apud quosdam Ethnicos erat esus carnium in vitio, adeò ut etiam eum carmine detestaretur *Orpheus*, & *Triptolemi* circumferuntur leges tres, *honorandos parentes*, *venerandos* Deos, *carnibus non vescendum*, & scribit *Dicæarchus in* libris antiquitatum, *Saturni tempore*, *carnibus rejectis, omnes frugibus ac pomis vesci solitos*, referente *Cælio Rhodigino l. 28. lect. antiq. cap. 2.* Indorum sapientes, quos Gymnosophistas appellabant, adeo abstinentiæ erant studiosi, ut pomis solum, oriza & farina alerentur, ut est apud *Plinium lib. 12. nat. hist. cap. 6.* In *Creta Iovis Prophetæ* non modo carnibus, sed ne coctis quidem vescebantur referente ex *Euripide Hieronymo lib. 2. in Iovinian.* Vide *Alexand. ab Alexandro lib. 4. genial. dier. cap. 17.*

3 Hæretica. Tertia prohibitio ciborum est hæretica. Nam *Saturninus Simonis* magi discipulus, *Tatianus*, & ab ipsis oriundi *Encratitæ*, animata omnia abominabantur. Quo in errore quoque fuit *Marcion*, qui docebat animatis non vesci, pronuncians *reos esse judicii, qui carnem edunt, velut qui animas edunt*, ut scribunt *Epiph. hær. 24.* Idem docuit *Manichæus* apud *Epiphan. hær. 66.* sed hæc partim superstitiosa, partim manifestè impia sunt, damnantur enim cibi, *quos Deus cum gratiarum actione sumere jussit*, 1. *Tim.* 4.

4. Physica. Quarta prohibitio est Physica, quando medicus præscribit ægrotis diætam, certorumque generum cibos, quia sanitati non conducunt, interdicit: cujus generis est, quod *Avicenna* scripsisse fertur antiquorum non paucos manè tantum carnibus vesci solitos, ac cœnæ modò panem adhibuisse, referente *Cælio Rhodigino lib. 28. L. A. c. 2.*

[*Medicum quæris, & jejunium fugis, quasi alius sit præstantior medicus jejunio, ait* Ambrosius *in hexaem:*]

5. Politica. Quinta est politica, cùm magistratus vel in obsidione urbium, vel durante caritate annonæ vel alia postulante causa, leges cibarias condit, aut imminente aliquo communi periculo leges jejunii indicit, quemadmodum olim, cum boves defecissent, lege lata carne bubula abstinendum fuit, teste *Athenæo l. 9.* & ne quis in annum carnis fumosæ plus talentis quindecim absumeret, ut scribit *Cælius lib. 9. L. A. cap. 17.* Sic de *Valente Imperatore* scribit *Hieronymus lib. 2. in Iovinian.* legem ipsum per orientem dedisse ne quis vitulorum carnibus vesceretur, utilitati ægrorum providens. Et in *Angliâ* certis anni temporibus prohibitum est edere carnes, ne fœtus nondum perfecti simul interimantur, & piscatorum etiam habeatur ratio, referente *Perkinso in Catholico reformato controv. 12. cap. 1.*

Sexta

*6. Domestica.* Sexta est domestica, cùm quis sibi suisque certas ciborum leges præscribit, & à cupediis & delicatioribus epulis studiosè abstinet, ut temperantius vivat, morborum semina minuat, & ad preces ac sacras meditationes aptior esse possit. Ita laudat *Tertullianus* ciborum delectum, qui valet ad conciliandam temperantiam, *lib. de cibis judaicis.*

[*Faciam aselle, ut non calcitres, dicebat* Hilarion eremita *ad carnem suam, non hordeo te pascam, sed paleis, fame te conficiam & siti.* Marul. *l.* 5. *v.* 7.]

Hæ tres prohibitionum species non sunt illicitæ, nam in his omnibus, quod vel sanitati, vel bono ordini, vel etiam privatæ conducit devotioni, non est alienum à divinâ dispositione, quæ neque medicorum canones tollit, neq; politias abolet, neque disciplinam domesticam improbat.

*7. Hypocritica seu Pharisaica.* Est autem septima ciborum prohibitio in residuo, quæ vocari potest hypocritica seu Pharisaica, quæ sub splendido legum ecclesiasticarum titulo obtruditur in Papatu, ubi cibi quidam, puta carnes, ova, casei, butyrum, vel certo hominum ordini semper, vel omnibus omninò certo quodam die interdicuntur, ita ut qui huic interdicto parent, iis singulare aliquod meritum, sanctitas & perfectio præ aliis tribuatur. De hac prohibitione ciborum *D. Paulus* duobus in locis ita agit, ac si *Pontificiorum* errorem ex professo refutandum sibi sumsisset. *Duo sunt loca quibus jejunia Pontificia potissimum possunt everti.*

*Primus.* Unus est ad *Col.* 2, 20. *seqq.* introducit quosdam ita loquentes: ne *tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis*: & has prohibitiones, ait, *speciem* habere *sapientiæ*, quia sunt cultus voluntarii, qui ad *macerationem corporis, & humilitatem animi faciant vers.* 23. *sed vos,* inquit, *cum Christo mortui estis ab hujusmodi elementis mundi, & cum ipso consurrexistis,* ut scilicet cultui divino in ipsius regno operam detis: cibi vero nihil ad cultum faciunt, quia ipso usu consumuntur *vers.* 22. & ut alibi loquitur: *esca nos non commendat* DEO: *sive enim quidvis edamus, sive à quibusdam abstineamus, nihil amplius in regno Dei habebimus* 1. *Cor.* 8, 8.

Alter locus est 1. *Tim.* 4. *v.* 3. ubi Spiritus sanctus disertè dicit fore postremis temporibus impostores, qui *præcepturi sint abstinere à certis cibis in hypocrisi seu simulatione externæ sanctitatis, cum tamen intus animus ipsorum sit impurus, & conscientia cauterio notata.* Quod fulmen Apostolicum libenter quidem à cervicibus suis declinarent *Romanenses*: dicunt enim *Apostolum de Manichæis & Marcionitis, Tatianis & Encratitis* loqui, qui cibos quosdam tanquam per se immundos damnabant, ut apparet ex commentario *Benedicti Iustiniani Iesuitæ in istum locum. fol.* 479. sed frustra laborat. *Pontificiorum responsio examinatur & confutatur.*

Nam textus ipse ostendit *Apostolum* agere quidem de priscis illis hæreticis, in quantum cum *Pontificiis* aliquid commune habent: inprimis autem *Antichristianam illam* ciborum-

borum prohibitionem in *Papatu* usitatam perstringere; (1) loquitur Apostolus *Paulus* de novissimis temporibus, quibus multi à fide sint defecturi, digito notans non ætatem paulò post secuturam, sed postrema mundi tempora, quæ alibi in scriptura voce ὑστέρων καιρῶν, (quâ Paulus hoc in loco utitur) notantur, ut *Matth.* 25. *vers.* 11: 26. v. 60. *Marc.* 16. *vers.* 14. Et omninò pertinent hæc dæmoniorum dogmata ad efficaces illos errores, quibus Deus tempore revelati *Antichristi* eos, qui dilectam veritatem recipere noluerunt, se puniturum prædixit 2. *Thessal.* 2. *vers.* 12.

(2.) Non agit *Apostolus* de iis, qui cibos damnant, ut *Manichæi* fecerunt; hujus enim rei nullum in textu vestigium apparet: sed de iis, qui cùm non damnent, certo tamen prætextu seu, ut Apostolus loquitur, per hypocrisin & speciem singularis perfectionis prohibent: id quod *Manichæi* & cæteri hæretici non fecerunt, sed simpliciter cibos ex animantibus tanquam impios, & Christianis indignos improbarunt. Papa verò cum suis videri non vult damnare cibos, sed propter singularem sanctimoniæ & perfectionis speciem prohibet. Ita enim *Thomas* scribit: *ad perfectionem tendentibus maximè vitandum est vinculum conjugale: idem de cibis prohibitis est judicium.*

(3.) *Paulus* de iis loquitur, qui cauteriatâ cum conscientiâ cibos prohibent: prisci verò hæretici opinione veritatis damnarunt, Romanenses probè sciunt, jejunia sua non esse divinitùs præcepta, ideò vocant legem ecclesiasticam, in quâ tamen facili de causâ, præsertim pecuniæ interventu, dispensant.

4. Si maximè *Paulus* de priscis illis hæreticis agat, non tamen exemti sunt, qui sequentibus temporibus cibos quocunque tempore & quocunque prætextu prohibuerunt. Non enim agit de certâ aliquâ sectâ, sed de omnibus cibos prohibentibus. Quemadmodum justitiam operum in pseudoapostolis damnavit, quæ hodie æque est damnabilis, & illicitos concubitus reprehendit in *Corinthiis*, quæ reprehensio adhuc valet: semper enim & operum justitia, & illicitus concubinatus verbo DEI est contrarius, quocunque in homine reperiatur.

Ex his ergò omnibus firmissima possunt exstrui argumenta contra hypocriticam prohibitionem ciborum in Papatu, in quo ferè etiam ipsorum jejunium consistit, 1. quia Paulus doctrinam dæmoniorum vocat prohibere cibos per hypocrisin, seu per speciem singularis sanctimoniæ & perfectionis, quos tamen Deus *creavit ad suscipiendum cum gratiarum actione fidelibus* 1. *Tim.* 4, 2. 3.

2. Quia speciem quidem habet alicujus sapientiæ, sed nullius est pretii, cum ad ea spectet, quibus caro farcitur *Col.* 1. v. 23.

3. Quia neque cultus est, neque pars aliqua cultus divini, sed omnis

ratio

ratio jejunii ad corporalia exercitia pertinet, de quibus Paulus scribit 1. Tim. 4, 8. *quod parùm prosint ad salutem.* *Nam esca nos non commendat Deo.* 1. Cor. 8, 8. & *bonum est gratiâ stabiliri cor, non escis, quæ non profuunt his, qui ambulant in iis,* Hebr. 13, 9. hoc est, qui discrimen illud superstitiosè observarunt post revelatum Evangelium.

4. Quia cibis prohibitis aliquam immunditiem affingunt, ideò carnes & lacticinia prohibent, quia terra à Deo maledicta legitur, & per consequens etiam animalia in terra viventia. Consecrationibus autem suis sanctificari cibos, scribunt, quibus orant, ut omnis exercitus diaboli, omnis potestas inimici, omnis incursio dæmonum eradicetur & explantetur ab hac creatura.

Parùm hoc distat à furoribus *Tatianorum* ac *Manichæorum*, qui statuebant, creaturas illis temporibus, quibus non consecrantur, à potestate diaboli infectas esse.

*Consecratio casei Pontificia.*

5. Quia cibis & cuicunque creaturæ à se consecratæ vim tribuunt conferendi gratiam & benedictionem cœlestem, sicut in consecratione casei dicunt: *dignare benedicere & sanctificare hanc creaturam casei, ut quicunque fidelium tuorum de eâ comederint, omni benedictione cœlesti & gratia tua sanctitate repleantur.* Et in genere, de quavis creatura in consecratione dicunt: *tu Domine, mitte Spiritum tuum Sanctum in hanc creaturam, ut qui ex eâ gustaverint, proficiat illis ad æternam salutem.* Quam efficaciam spiritualem tribuunt virtuti verborum, quibus consecratur, precibus ecclesiæ, & devotioni utentium, ut *Bellarminus lib. 3. de cultu sanctorum cap. 7.* scribit, quod, quàm parùm absit à magica verborum efficacia, sapientes judicent: hic videlicet est fructus illius Papistici discriminis ciborum, quo utuntur suis in jejuniis.

6. Denique discrimini illi ciborum tribuunt singularem perfectionem & opinionem meriti, ita ut longè sanctiores putent eos, qui carnibus abstinent, quàm qui hoc non faciunt, licet interim aliis lautitiis se ingurgitent. Sed *esca nos non commendat Deo.* 1. *Corinth.* 8. *versic.* 8. neque *regnum Dei consistit in cibo & potu Roman.* 14. & aliàs omnis cultus in genere opinione singularis meriti est illicitus, quam ob causam Deus etiam sacrificia à se instituta improbavit, dum sine fide in Messiam, ex opere operato, & opinione meriti offerebantur, *Esa.* 1, *vers.*11: 66, 3. & jejunium sine pœnitentia institutum expressè rejicit *Esa.* 58. *v.* 6. 7. Pharisæus inter cætera bona opera proponit Deo etiam hoc: *jejuno bis in sabbato*, & tamen non ivit justificatus in domum suam *Luc.* 18, 12. quin & Christus jejunium Pharisaicum, quod ad ostentationem, satisfactionem & meritum suscipiebatur, prorsus rejicit *Matth.* 6, 16. *cùm jejunatis*, inquiens, *nolite fieri sicut hypocritæ, qui obscurant facies suas, ut videantur hominibus jejunare:* & *Matth.* 9, 16. comparat Pharisæos hoc



Digitized by Google

modo jejunantes *veſtibus contritis*, quibus Evangelii novitas non conveniat.

His igitur de cauſis Papiſticum ciborum diſcrimen, prohibitio & jejunium meritò improbatur, relicto interim ſuo loco illo ciborum delectu, qui ad humiliandum & excitandum hominis animum conducit, & ex nulla lege obligante conſcientiam, ſed liberè uſurpatur.

## CASUS V.

## *Quibus de cauſis à Pontificio jejunio eſt abſtinendum?*

*An è noſtris eccleſiis jejunia ſublata?*

RESP. Accuſant nos *Romanenſes*, quòd noſtris in eccleſiis jejunia ſint ſublata, & quæ ad edomandam carnem facerent repagula fracta. Sed injuriam nobis faciunt. Nam jejunium, prout in Bibliis deſcribitur, & exemplis ſanctorum monſtratur, nondum eſt ſublatum noſtris in eccleſiis, quod conſiſtit in moderato uſu ciborum, in abſtinentia à lautitiis & delicatis cibis, aut etiam à cibis omninò ad tempus, prout ſibi quilibet neceſſarium eſſe viderit, ad frenandam carnem, ad humiliandum animum, & ad excitandum in ſeriis exercitiis pietatis atque pœnitentiæ.

Pontificium verò jejunium è noſtris eccleſiis ſublatum eſſe, tantum abeſt, ut negemus, ut potiùs DEO gratias agamus, nobis gratulemur, & pios omnes, ut à tali jejunio ſibi caveant, moneamus. Non enim eſt jejunium, ſed ut *Dominus Chemnitius* rectè ſtatuit, ludibrium merum veri jejunii in Bibliis deſcripti.

*Jejunium Pontificium eſt merum ludibrium & ſimiaca quadam imitatio jejunii in Bibliis deſcripti.*

Primùm, omne Papiſtarum jejunium conſiſtit, in abſtinentia à certis cibis, carnibus potiſſimum & lacticiniis, ſed quibus de cauſis diſcrimen illud ciborum *Papiſticum* non ſit attendendum, in præcedentis caſus deciſione diximus. Jam cogitetur ſaltem, quàm multiplex hic dolus concurrat: 1. cauſas hujus interdicti habent frivolas, *à carnibus eſt abſtinendum*, inquiunt; *non à piſcibus, quia terra propter peccatum Adæ fuit maledicta, non verò aquæ, quæ poſtea per baptiſmum Chriſti potius fuerunt ſanctificatæ: piſces Chriſtus poſt reſurrectionem edit, non carnes: animalium carnes provocant ad libidinem*, & quæ ſunt nugæ aliæ, quæ hominem pium meritò nihil movent.

*Pontificiorum rationes ridiculæ, cur à carnibus, ſed non à piſcibus jejunanti ſit abſtinendum?*

Deus enim non maledixit cibis terræ, quos in uſum hominum condidit, & quos *Paulus* bonos eſſe ait, quia *ſanctificantur per verbum & preces* 1. Tim. 4, 3. imò cur non etiam panis uſum prohibent, qui etiam ex terrâ naſcitur?

Si aquæ per baptiſmum *Chriſti*, in quo eas tetigit, ſunt ſanctificatæ, cur non etiam terra ſanctificata fuerit per quotidianum ejus attactum?

Si Chriſtus poſt reſurrectionem edit piſces, edit etiam ante paſſionem carnes, præſertim agnum paſchalem.

Piſces

Pisces benè conditi sunt longè delicatiores & libidinem magis irritant, quàm carnes fumo induratæ. Et tamen tàm frivolis ratiunculis simpliciores decipere conantur.

2. Carnes & lacticinia prohibent etiam in minima quantitate, piscibus verò & aliis lautitiis non ad satietatem saltem, sed & nauseam impleri tempore jejunii concedunt. Dicunt enim, *excessum manifestum in quantitate cibi minuere quidem meritum jejunii, non tamen solvere jejunium, quia ecclesia nihil certi de quantitate definierit, modò à carnibus abstineatur.*

3. A carnibus & lacticiniis jejunantes abstinere jubent, sed non à vino, in quo tamen luxuriem esse docet *Paulus Ephes.* 5, 18. neque à piscibus delicatissimè conditis, imò tempore jejunii vinum cum piscibus necessarium esse docent: tam egregiè scilicet jejunantes sibi prospexerunt: quod si etiam plus quàm par sit, & necessitas postulet, diebus jejunii vinum bibatur, *illud contra temperantiam quidem peccatum esse, non autem contra jejunium*, scribit *Azorius l.* 7. *instit. moral. cap.* 10. *q.* 7. quasi verò jejunium cum intemperantiâ stare possit!

[*An non confusio est & ignominia, Jesum crucifixum pauperem & esurientem farsis prædicare corporibus & jejuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaq; ora proferre?* Hieron. *in Mis. dist.* 35. *can. eccl.*

*Quale illud jejunium est, cum pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum meditatorium efficitur guttur lautitiarum?* Hier. *l.* 2. *contra Jovin.*]

4. Ipso tempore jejunii refectiunculam aliquam concedunt jejunantibus. Illam refectiunculam vocat quidem *Azorius tom.* 1. *inst. moral. lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 4. *vespertinam*, quâ noctu sive appetente vesperâ proximè ante somnum, natura reficitur, eamque licitam scribit non somni vel naturæ necessitate, sed partim ex recepta consuetudine, partim etiam, quia parum cibi capitur, quod ferè habeatur pro nullo. Sed & hîc latet dolus. Nam de pane & fructibus terræ generosis tantum concedunt, quantum ad refectionem naturæ sufficit, & tamen jejunare dicuntur. Permittunt manè jentaculum ob curam valetudinis, permittunt sæpiùs in die bibere vinum, tàm pro digestione ciborum, quàm pro corporis alteratione: & bibentibus posteà concedunt aliquid sumere de cibo, ne potus noceat, sed per modum medicinæ, ut est apud *Iodoc. Lorichium thesauro theol. novo. voce jejunium n.* 9.

5. Usque ad vesperam se jejunare dicunt; sed vesperam intelligunt, non horam vespertinam, sed quando vespertinum officium celebratur, quod circa horam secundam post meridiem fieri solet. Tunc cœnam instituunt, quâ peractâ, collatio vespertina sequitur, quâ quidem mensa solenniter non sternitur, mantili tamen circumposito, con-

confectionibus, electuariis, placentis, ficubus, boletis, nucibus, dactylis & aliis cupediis ad satietatem repletur, addito bono vino. Hoc nimirum est jejunare in discrimine ciborum, quale jejunium aliquis forte quotidianis prandiis & cœnis præferat: quam ob causam jejunium *Papisticum*, tanquam veri jejunii ludibrium haud immeritò improbamus.

Deinde adstringunt Pontificii jejunium suum ad certa tempora, cùm tamen *Augustinus* fateatur, præcepto Domini vel Apostolorum non esse definitum, quibus diebus jejunare oporteat, & quibus non oporteat.

Etsi autem non improbamus certos jejuniorum dies: nam in primitiva etiam ecclesia stata habebant tempora: illud tamen in vitio est, quòd 1. dies jejuniorum in Papatu multiplicantur, ut jejunium quadragesimale, quatuor temporum, videlicet in vere, mense *Martio*, in æstate mense *Junio*, in autumno mense *Septembri*, in hyeme mense *Decembri*, quartæ & sextæ feriæ, jejunia in vigiliis *Nativitatis Domini*, *assumtionis Mariæ*, *Apostolorum*, quæ vocant jejunia indicta seu instituta ab ecclesia: in vigilia *Johannis Baptistæ*, *Laurentii* & omnium sanctorum, quæ vocant jejunia consuetudinaria, jejunia in *adventu Domini*, *in rogationibus*, *in vigilia Pentecostes*, *&c.*

2. Quòd status illos jejuniorum dies sub opinione necessitatis obtrudunt, cùm tamen tempora jejuniorum in veteri ecclesia in diversis locis fuerint dissimilia, & liberæ observationis. Patetur hoc *Azorius* de jejunio quatuor temporum, *quòd non in omnibus provinciis eodem modo servatum fuerit*; postea autem *Leonem I. & Urban. II. constituisse, ut ubique locorum hoc modo celebrentur: primum in initio quadragesimæ, secundum in hebdomadâ pentecostes: tertium in septembri, quartum plenâ hebdomadâ ante Natalem Domini. Vide Azorium libro septimo instit. moral. cap. 17. quæst. 2.*

His ergo dierum observationibus necessariis laquei conscientiis nectuntur, ex κακοζηλίᾳ legis Mosaicæ, ubi de decimo die septimi mensis scriptum est: *omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de populis suis & delebo eam de populo suo Levit. 23,29.* Scimus autem talia quæ ad pædagogiam populi Judaici pertinebant, in N. T. per Christum abrogata esse, ideò *Paulus* docet, observationem dierum sub opinione necessitatis, pugnare cum Evangelio *Gal. 4,10.* multò minus prælatis ecclesiæ data est potestas onerandi conscientias novis statutis de observatione dierum certorum, & quidem plurium, quàm observari jubebantur olim in Veter. Testamento.

Sed & hæc sanctio Papistica non caret fraude, cùm enim statis diebus certos cibos prohibeant, dispensationem tamen facile impetrare possunt, qui pecuniam numerant. Extat

Extat enim in Taxâ sacræ pœnitentiariæ, ut vocant, etiam taxa pro licentiâ utendi lacticiniis temporibus prohibitis, pro unâ personâ, pro totâ familiâ, pro pluribus conjunctis, pro capitulo, collegio, congregatione, vel universitate, pro oppido & illius districtu, etiam pro Clericis, fratribus & monialibus cujuscunque ordinis, &c.

*Vide Taxam in causis recusati Concil. Trid. p.* 431.

Et quanquam olim leges jejuniorum in certis personis justisque de causis, mitigabantur, imo unusquisque deprehensâ tali causâ, quæ à jejunio excusaret, sine dispensatione per seipsum solvere possit jejunium: hodie tamen Romana curia non tam causas, quàm pecuniam ponderat, ubi qui ditiores sunt, potestatem vescendi quibuslibet cibis, & quocunque tempore facilè invenire possunt. Est ergo & hæc pars non postrema ludibriorum Pontificiorum circa jejunium.

Tertiò inprimis abhorrere quilibet debet à Papistico jejunio, quod ei affingant opinionem non tantùm singularis sanctimoniæ, sed & meriti ac satisfactionis. Ita enim non veteres duntaxat sed & recentiores docuerunt, inter quos est *Petrus à Soto*: qui jejunium *non solum ad carnem subjiciendam spiritui, sed & placandum etiam Deum, satisfaciendum ipsi pro peccatis, & Christi meritum nobis applicandum, necessarium esse* scribit. Et *Azorius tom.* 1. *instit. moral. lib.* 7. *cap.* 14. *q.* 3. de jejuniis quatuor temporum, docet, *quod sint instituta, ut ea offeramus* DEO *ad expianda peccata. Iodocus Lorichius in thesauro Theol. voce jejunium num.* 3. §. 3. ait, *jejunium, ut quodlibet opus bonum mereri gratiam & gloriam. Pererius disput.* 3. *in c.* 14. *Rom.* 11. 19. scribit expressè contra *Apostolum*, *regnum* DEI *eatenus consistere in cibo & potu, quatenus per abstinentiam quæ in Deum delinquimus, in nobis ipsis vindicamus.* Et negari non potest etiam *Bernhardum* ex superstitione istius seculi hoc in genere nimium tribuisse jejuniis: ita enim scribit serm. 66. in cantic. & *ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate.*

Sed cùm hæc doctrina simpliciter in meritum & satisfactionem Christi impingat, non movet nos ullius hominis autoritas, ut eam faciamus nostram. Neque etiam ullus sanctorum in scriptura ad expiationem peccatorum suorum jejunasse legitur: nec jejunia vel adsumta vel indicta, vel etiam divinitùs præcepta ullam habere possunt proportionem, vim aut valorem tollendi peccata, quæ non nisi pretioso sanguine filii Dei expiari possunt.

[D. Bernh. *alibi locorum elegantiùs de jejunio loquitur, serm.* 3. *de jejun. si sola gula peccavit, sola jejunet, si autem peccaverunt cætera membra, jejunent & ipsa, jejunet oculus à curiosis aspectibus, jejunet auris à fabulis & rumoribus, jejunet lingua à detrectatione &*

*ne & murmuratione, jejunet manus à malis operibus. Jejunet anima à vitiis & propria voluntate.*

Tunc *praeclara est (liceat mihi ad mentem Hieron. loqui) apud Deum abstinentia, cum animus jejunat à vitiis. Quid enim prodest corpus vacuare ab escis, & animam replere peccatis. Quid prodest pallidum esse jejuniis, si odio & invidia livescas? quid prodest vinum non bibere, & iracundiae veneno inebriari? quid prodest abstinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus proximi tui membra lacerare. Vide* August. *serm.* 67. *de temp.* ]

His omnino de causis Pontificiorum jejunium sectari non debemus, quia non tantùm fraudibus & imposturis multis scatet, sed & ratione principalis sui finis, qui in merito & satisfactione consistit, impietate & blasphemiâ non caret.

## CASUS VII.

*Quid si verò Lutheranorum aliquis inter Pontificios habitaret aut peregrinaretur, annon diebus prohibitis à carnibus & lacticiniis abstinere deberet, saltem ne offenderentur infirmi?*

RESP. Ita quidem videtur nonnullis, ob dictum Apostoli Pauli *Rom.* 14. *vers.* 14. 15. *si propter cibum tuum frater contristatur, jam non secundum caritatem ambulas: noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus mortuus est: & v.* 21. *bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalisatur, aut infirmatur, &* 1. *Corin.* 8. *vers.* 13. *si esca scandalisaverit fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum.* *Putant aliqui, quod sic, ex Rom. 14. v. 14.*

Urgent etiam dictum *Ambrosii*, quod citatur ab *Augustino epist.* 86. ad *Casulanum*: *quando hic* (Mediolani) *sum, non jejuno sabbatho, quando Romae sum, jejuno sabbato: & in quamcunque ecclesiam veneritis, inquit, ejus morem servate, si scandalum pati non vultis, aut facere.* Ex his colligi posse videtur, iis, qui in Papatu vivunt, juxta leges etiam Papales de jejunio vivendum esse, ne offendantur infirmi. *Objiciunt etiam dictũ Ambrosii.*

At verò longè tutius est in conscientiâ, à jejunio *Papistico* prorsus abstinere, 1. quia leges illae non sunt divinitùs indictae, sed humanitus inventae, non tantùm, ut caro subigatur spiritui, sed etiam ut per ista jejunia fiat expiatio peccatorum, quae causa finalis, quia in meritum & satisfactionem Christi injuriosa est, *Papistarum* jejunia inprimis vitiosa facit. *Contraria sententia probatur. 1. quia sunt inventa hominum. 2. quia finẽ habent illegitimum. 3. quia conscientia & libertati nostrae injiciunt laqueum. 4. quia sunt Pontificiae religionis symbolum.*

2. Lutheranus ejusmodi novit, esum carnium quovis die esse licitũ: *esca enim nos non commendat Deo, nec* abstinentia ab eâ. Qui autem ab usu rei

rei licitæ abstinet, sub opinione, non dicam meriti, sed necessitatis saltem, is conscientiam vulnerat.

3. Non careret illa abstinentia suspicione hypocriseos: simulare enim videtur religionem *Papisticam*, quia communio rituum est quasi symbolum communionis in religione. Fideles autem *etiam ab omni specie mali abstinere decet* 1. *Thessal.* 5. *vers.* 22.

*Quid ergò Lutherano tum faciendum? Resp.* Proinde, si cui inter *Pontificios* vivendum est, is vel diebus jejunii commercia ipsorum fugiat, vel potestate suâ utendi cibis quibuscunque, in suo convictu privato libere utatur: semper memor illius Apostolici: *mundis omnia sunt munda Tit.* 1. *vers.* 15. & Salvatoris: *quod ingreditur os, non contaminat hominem Matth.* 15. *vers.* 11. in gratiam autem *Pontificiorum* à certo cibo non abstineat. Si quid inde scandalum oritur, non est *datum*, sed *acceptum*, *scandalum* enim datum est, cùm quid fit contra mandatum divinum, aut divino consentaneum cujus generis *Papistica* ista jejunia non sunt.

Operam autem det, ut, si *Papistæ*, quibuscum conversatur, probioris notæ sunt, qui nec præfractè opiniones suas defendant, nec contradicentes tyrannicè persequantur, eos de vero rerum indifferentium usu rectiùs instituat, quâ ratione scandalum omnium optimè cavere potest.

Si verò in conviviis cum *Pontificio* die jeiunii accumbat, edat ipse, quidquid appositum fuerit, quia pisces etiam sunt cibi à Deo conditi & in se mundi, quemadmodum *Christianis* olim in *Ethnicorum* conviviis vesci licebat *idolothytis* 1. *Cor.* 10. *v.* 27. *Pontificium* autem hominem qui in conscientia sua persuasus est, carnibus illo die vesci peccatum esse, ad edendas carnes non cogat: etsi enim omnes in se mundi sunt, illi tamen fiunt immundi, qui eos immundos judicat, *Rom.* 14. *v.* 14.

Quod ergò locum *Apostoli Pauli* supra citatum attinet, is sententiæ huic non repugnat. *Resp. ad Rom.* 14. 14. Loquitur enim *de infirmis fratribus*, id est, de iis infirmis, qui nostræ sunt religionis, & in usu rerum indifferentium nondum rectè informati. Hi propter cibum nostrum non sunt contristandi: ideò si fortè ipsi, ob certum quendam finem licitum, puta, devotionis & pietatis causâ, à carnibus abstinerent, in ipsorum contemtum aut invidiam, ipsis præsentibus, non est carnibus vescendum, ne libertas ipsorum à nobis damnetur, id quod ipsos non potest non quàm gravissimè offendere.

[ *Paulus vult abstinere carnibus nulla lege vetitis: Papistæ abstinent à carnibus lege eclesiæ prohibitis.*
*Pauli abstinentia carebat opinione necessitatis & meriti: Pontificiorum secus se habet.*]

*Pontificij non sunt fratres nostri, sed hostes religionis nostræ* Tales autem infirmi non sunt *Pontificij*, non fratres sunt, sed hostes religionis orthodoxæ; non liberè nec

nec ob licitum aliquem finem, sed ex necessitate & opinione peculiaris meriti à cibis certis abstinent, quibus ne ad horam est cedendum, ne libertas nostra periclitetur, & nos periculosæ ipsorum opinioni, de meritis & satisfactione propria implicemur.

*Resp. ad dictum Ambrosii.* Consilium Ambrosii nihil nobis officit. Loquitur enim de iis ecclesiis, ubi honestis de causis, quas *Augustinus* ibi enumerat, certis diebus indicta erant jejunia; quia verò non omnibus in locis eadem erat jejuniorum ratio, alicubi enim jejunabatur in sabbatho, propter humilitatem mortis Domini, alicubi non jejunabatur, sed refectionis hilaritate exultabant, propter requiem morte Christi nobis partam, ut *Augustinus* ibi docet; ideò suadet *Ambrosius* sequendam esse cujusque loci consuetudinem.

*In rebus adiaphoris sequenda cujusq; i consuetudo.* Consilium hoc etiamnum utiliter sequimur, si fortè in aliqua particulari ecclesia ritus aliquis bono fine sit introductus, quem quidem pro libertate Christiana sectari possumus aut omittere. Si autem omissio ejus pareret infirmorum scandalum, propter hanc unicam causam fieret observatu necessaria. *Væ enim per quem veniunt scandala Matth.* 18. Ecquid verò hoc ad jejunia Papistica? quæ sub opinione necessitatis & meriti obtruduntur omnibus ecclesiis. Quæ sanctio, cùm jugum imponat fidelibus, & cum *libertate, quam habemus, in Christo Iesu*, ac cum interdicto Pauli speciali: *nemo vos judicet in cibo ac potu*, pugnet, cumque finem habeat impium, meritò non curatur ab iis, qui hac de re rectiùs sunt informati.

## CASUS VIII.

### *Quid de jejunio quadragesimali statuendum est, an non ad illud servandum obligamur in conscientia?*

*De jejunio quadragesimali.*

RESP. *Quadragesimale*, seu *quadragenarium jejunium* nominant, quod proximis diebus 40. antecedit Pascha, & communiter inchoatur à feria quarta cinerum, quæ vulgò appellatur quarta feria in capite jejunii: sed ante *Gregorium Magnum* semper inchoatum fuit Dominica die, quæ dicitur prima quadragesimæ, ut apertè docet *Ambrosius serm.* 34. qui est de quadragesima, *Cassianus collat.* 21. *cap.* 24, 27. 28. *Gregorius homil.* 16. *in Evangel.* quibus adstipulatur ex Jesuitis *Iohannes Azorius lib.* 7. *instit. moral. cap.* 12. *qui hanc, ait, communem esse scriptorum opinionem eò, quòd in c. quadragesima, de consecrat. dist.* 3. *apertè dicitur, quatuor dies ante Dominicam primam in quadrag. esse adiectos, ut omnes planè jejunium quadraginta dierum observent.*

*Quid nominetur jejunium quadragesimale?*

*Pontificiorum variæ opiniones de jejunio quadragesimali.*

De Papa *Telesphoro* legitur *in c. statuimus dist.* 4. quòd statuerit, ut *clerici jejunent plenas septimanas septem*: plenas

nas dicit: quia cæteri jejunium incipiebant à feria quarta septimæ hebdomadæ ante Pascha. Sed hoc statutum in *Synodo Aurelianensi quarta can.* 2. abrogatum fuit.

Finem hujus jejunii communiter referunt in feriam quartam hebdomadis magnæ, quæ vocatur feria quinta in cœna Domini: alii finierunt in sabbatho demum, quod Pascha proximè antecedit, idque autoritate *Concilij Laodiceni*, cujus *canon.* 50. citatur *in iure Gratian. c. non oportet, de consecr. dist.* 3. *non oportet in quadragesima quinta feria ultima hebdomadæ jeiunium dissolvere, & totam quadragesimam innonorare; sed per totos dies quadragesimæ jeiunare.* Idem decernitur *in cap. non liceat de consecr. dist.* 3.

Sed qui priorem tenent opinionem, existimant, integrum quidem quadragenarium absolvi feriâ quintâ septimanæ magnæ, duas autem ferias sequentes, sextam & septimam addi, ex totius anni communi jejunio: quia per totum annum ecclesia latina feria sexta, & sabbatho cujuslibet hebdomadæ servare jejunium fuerit solita: unde *Ambrosius l. d.* scripsit; *jeiunium quadragesimale usque ad Pascha habere dies quadraginta duos.*

In hoc jeiunio vel ab omni cibo abstinent usque ad cœnam, & hoc vocant jejunium *perfectum & plenum*; vel à carnibus, & iis, quæ originem ducunt à carnibus, licet sæpiùs quàm semel edant, & hoc vocant *jeiunium imperfectum & semiplenum*: illo utuntur sex diebus, quæ præcedunt Dominicam; hoc verò solâ die Dominicâ.

Hoc jejunium vocat *Bellarminus omnium maximum & celeberrimum lib.* 2. *de bon. operib. in partic. cap.* 14. sed de ejus autoritate non conveniunt.

Quidam putant esse juris divini quod suo exemplo *Christus* nobis commendarit, in qua opinione est *Stapletonus in promptuar. cathol. Dom. quadrag.* §. 1. *Bellarm. l. d.* nominat *Apostolicam traditionem*: quæ autem ab Apostolis sunt tradita, divinam habent autoritatem.

Adducunt etiam patrum quorundam sententias, ut quod *Ambrosius serm.* 25. *jeiunium hoc à Christo Domino indictum* scribit, & *serm.* 34. *hanc quadragesimam nobis Dominus suo jeiunio consecravit.* Sic *Maximus homil. de quadrag.* scribit: *quadragenarium jeiunium non tam ab hominibus institutum, quàm à Deo consecratum, & cœlesti maiestate præceptum August. in Psalm.* 100. *scribit: præcipitur nobis quadragenarium jeiunium & ex lege, & ex Prophetis, & ex ipso Evangelio, quod testimonium habet à lege & Prophetis.*

Sed *Azorius lib.* 7. *institut. moral. cap.* 12. *q.* 1. huic opinioni contradicit, & dicit, *eam esse quorundam juniorum, qui patres non rectè intellexerint: communem autem Theologorum Scholasticorum opinionem esse, quadragenarium jeiunium non jure divino, sed Apostolica traditione sive mandato & iure canonico, & generali ec-*

*clesiæ consuetudine coli & celebrari. Patres autem prædictos tantùm illud significasse* ait, *quòd ejusmodi jejunium in veteri & nova scriptura exempla habeat, in Christo, Mose & Elia, quæ tamen non ad imitationem proposita esse censet, cùm Christus non quicquid ipse fecit, nos quoque facere jusserit.*

Nos antiquitatem quadragesimalis jejunii libenter agnoscimus, sed lege necessitatis, & sub opinione meriti & satisfactionis ad illud astringi nolumus: neque etiam antiquitùs eo nomine indictum fuit: sed cùm ex *Eusebio constet lib. 5. histor. eccles. cap. 24. tempore Irenæi jejunium publicum paulò ante festum Paschatos institutum fuisse*, quia circa illud tempus publicè pœnitentes recipiebant, & adultos baptisabant, ad meditationem etiam passionis Dominicæ se præparabant, postea solenne jejunium ad mortificationem carnis & exercitia pœnitentiæ instituerunt circa Pascha, ut unà cum Christo ipsi quoque aliquid paterentur. *In quâ enim anni parte*, inquit, *Augustinus epist. 119. cap. 15. congruentiùs observatio quadragesimæ constitueretur, nisi confini atque contiguâ Dominicæ passioni?*

*Curantiqua seu primitiva ecclesia quadragesimam instituerit?* Elegerunt autem quadragesimam, hoc est, quadraginta dierum jejunium potissimum ad imitationem Christi, qui jejunavit etiam 40. dies: quibus addiderunt etiam exempla *Mosis & Eliæ*, quæ exempla etiamnum urgentur à *Romanensibus*, præsertim à *Stapletono & Bellarmino* locis priùs laudatis.

Sed multi ex Pontificiis hanc rationem esse frigidam animadvertunt, quia *Christi*, *Mosis & Eliæ* jejunia fuere miraculosa, *in miraculis autem Christus proponitur nobis non imitandus, sed admirandus*, quam rationem habent *Alexander de Ales & Azorius* loco dicto.

Habent & alias rationes huius numeri, sed ridiculas potiùs, quàm solidas, ut quòd decimæ anni sint solvendæ Domino, quam rationem afferunt ex *Gregorio homil. 16. & Cassiani collat. 21. cap. 27.* Sed cùm decima anni pars constet tantum 36. diebus, initium jejunii numerant à Dominica prima quadragesimæ: ab eo die usque ad pascha dicunt esse dies 42. detractis autem sex diebus Dominicis, quibus non jejunant, relinquuntur præcisè 36. dies.

Sed hic calculus non valebit apud eos, qui incipiunt quadragesimam die *Cinerum*, quarto nimirum ante Dominicam 1. quadragesimæ, & finiunt in feria quinta septimanæ magnæ. Et quomodo jejunium quadragesimale dici potest, cùm tantum sit 36. dierum? quod dubium occasionem præbuit distinctioni inter jejunium plenum & semiplenum, de quo vide *Azorium lib. 7. cap. 22. q. 3.*

Alii alias habent causas numeri quadragenarii, quia videlicet tenemur Deo satisfacere pro transgressione decalogi, secundum inordinationem quatuor affectionum contra singula præcepta: sed quaterdecies faciunt 40. quia virtus decalo-

decalogi per quatuor Evangelia impletur, nam decies quater faciunt 40. *August. epist.* 118 *l. 2. de consens. Evangelist. c.* 4. quia Deus quadraginta diebus & noctibus pluit aquam diluvii, quia quadraginta dies dati sunt *Ninivitis* ad pœnitentiam, quia quadraginta mansionibus filii *Israel ex Ægypto* venerunt in terram promissionis: & quæ sunt hujus generis alia.

Hæ rationes omnes tanti momenti non sunt, ut conscientiam ad observationem quadragenarii jejunii obligent.

Neque verò omnibus in ecclesiis antiquitùs hoc jejunium uniformiter receptum fuit, quod *Romanenses* negare non possunt. Alii enim quadragesimam auspicati sunt à septuagesima, alii à sexagesima, alii à quinquagesima, alii à quadragesima, alii à die Cinerum, alii jejunarunt tantùm uno die in quadragesima, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta, scribit *Irenæus lib.* 5. *cap.* 25. *Socrates lib.* 7. *histor. eccles. cap.* 38. & *Nicephorus lib.* 12. *cap.* 34. referunt, *Romanos* jejunare solitos tantùm tres hebdomadas ante Pascha. Quin & *Synodus in Trullo* congregata, *can.* 55. reprehendit ecclesiam *Romanam*, quòd præter ecclesiæ consuetudinem, quadragesimæ diebus in ejus sabbatis jejunent, quod male habet *Azorium lib.* 7. *instit. moral. c.* 12. *q.* 5. *f.* 570. Ideò scribit hunc canonem non recipi, cùm *Romanam* ecclesiam omnium ecclesiarum matrem reprehenderit.

Apparet ex his, quanta semper varietas fuerit in jejunio quadragesimali: & tamen hodie omnibus sub fulmine anathematis, juxta ritum ecclesiæ *Romanæ* obtruditur.

Quemadmodum autem veteres libertatem in tempore seu numero dierum retinuerunt, ita etiam non passi sunt sibi leges præscribi in certo genere ciborum.

De *Spiridione*, qui circa tempora *Concilii Niceni* vixit, scribit *Sozomen. lib.* 1. *c.* 11. & *Nicephor. lib.* 8. *cap.* 42. quòd, cùm tempore quadragesimali ad ipsum diverteret hospes à via lassus, quo tempore aliàs pane & polentâ contenti vivebant, sed illis cibis deficientibus, hospiti fesso carnes suillas, quas domi salitas habebat, apponi curavit, de quibus & ipse edit, & ut idem faceret, hospitem hortatus fuit, qui cùm illud facere recusaret, dicens, se Christianum esse, *hanc*, inquit, *ob causam eò minùs recusare debes, verbum Dei enim pronunciat, mundis omnia esse munda.*

*Irenæus* varietatem jejunii objecit *Victori Papæ* apud *Euseb. lib.* 5. *cap.* 26.

Alii unum sibi diem jejunandum esse putant, alii duos, alii plures, alii quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes, diem suum statuunt.

Et ista jejunandi varietas non nostro demum tempore, sed multò antea per illos cœpit, qui ante nos per accuratam diligentiam, ut verosimile est, rerum habenis potiti, simplicem & vulgatam consuetudinem posthabuerunt ac mutarunt: nihilo tamen minus pacem inter se reti-

nuerunt, & retinemus etiamnum, & dissonantia jejunii fidei concordiam commendat.

*Rationes, cur jejunium quadragesimale, quale hodie in Papatu observatur conscientias nostras obstringere non possit?*

Ex his omnibus rationes colligere possumus non contemnendas, quare jejunium *Quadragesimale*, qualiter hodie in *Papatu* observatur, conscientias nostras obstringere non possit: 1. quia consuetudo ita jejunandi non est ex Domini mandato, nec Apostolorum praescripto, sed tantum ex idiotismo, (ut Iræneus loquitur,) hoc est, ex privata sententia aut devotione introducta.

2. Quia quadragenarius numerus, quem *Romanenses* tamen tam præcisè exigunt, non habet solidum fundamentum, sed partim κανόζηλια Christi, partim aliis frivolis ratiunculis innititur.

3. Quia non semper uniformis fuit in ecclesia talis jejunii observatio: quia dissonantia illa non obfuit, sed profuit consonantiæ fidei.

4. Quia ipsi Pontificii nondum conveniunt, quando vel inchoandum vel finiendum, de re autem incerta non possunt fieri leges conscientiam obligantes.

5. Quia olim in ipsa quadragesima etiam pro re natâ, manducarunt carnes.

6. Quia quadragesimali jejunio adscribitur expiatio peccatorum.

7. Quia quadragesimali jejunio, prout in Ecclesia *Romana* usitatum est, in solenni concilio contradictum fuit.

Quæ rationes omnes conscientiam munire possunt, quod non erremus, dum quadragesimale jejunium *Romanensium* non curamus.

*Objectiones Pontificiorum solvuntur. Prima.*

Objiciunt nobis Pontificii 1. *Aerium* hæreticum, de quo *Epiphanius* scribit *hær.* 75. *quod certos jejunii dies rejecerit, dicens: si omninò volo jejunare, qualemcunque eligam diem a meipso & jejunabo propter libertatem.*

*Fallacia secundum nō causam ut causam.*

Sed hæc res *Aerium* non facere potuit hæreticum, siquidem & *Paulus* non vult, ut *quis judicet nos in cibo ac potu* Col. 2. nec ut *observemus dies* Galat. 4. Fecit hoc *Eustathius* & alii ex *schola Montani*, qui rigidam disciplinam de jejuniorum diebus præscripserunt, cum quibus sensit *Epiphanius*, itaque mirum non est, quòd contradicentem *Aerium* pro hæretico habuit. Contradixit autem *Aerius* ex solido fundamento, quia tempora jejuniorum non sint ab Apostolis statuta ac ordinata: id quod etiam *Augustinus* dixit in *epist.* 86. *ad Casulanum.*

Quòd autem Aerius se jejunaturum dixit ex libertate, quocunque die voluerit, in eo nihil peccavit, ubi enim neque præceptum neque statutum Christi aut Apostolorum, ibi in rebus alioquin licitis libertas Christiana locum invenit. Ideò *Tertullianus in lib. de jejuniis cap.* 2. *scribit, in N. T. indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus & causis uniuscujusque.*

Obji-

*1. Objectio.* Objiciunt 2. decreta conciliorum, ut *Toletani VIII. ubi ma. 2. cap. 9.* violatores quadragesimalis jejunii rei aguntur resurrectionis Dominicæ, & sacra communione in Pascha privantur, item *Bracarensis III. ubi can. 9.* mandatur sacerdotibus, ut jejunium quadragesimæ populis prædicent, & accuratè observari præcipiant. Addunt dictum *Augustini serm. 62. de temp.* aliis, inquit, *diebus jejunare remedium est, aut præmium est, in quadragesima non jejunare, peccatum est.*

*Bellar. l. 2. de oper. in part. cap. 7.*

*2. Fallacia à dicto secundum quid.*
*3. Testimonij.*

Sed hæc fortasse intelligenda sunt de iis, qui tempore quadragesimæ non modò non abstinent à certis cibis, sed & intemperantissimè vivunt, & cùm passio Domini meditanda est, ipsi à summo mane ad vesperam usque delicatissimis cibis & vino se ingurgitant: hi certè gravissimè peccant, & qui resurrectione Domini fruantur, indigni sunt. Sed ad certos jejuniorum dies se non pati adstringi, cùm aliàs temperanter satis vivas, peccatum non est, quia illa dierum observatio divinitus non est præcepta: ubi autem non est lex, ibi nulla prævaricatio.

Quòd, si tantum peccatum esse putatur, cur tam faciles sunt *Pontifices* & episcopi in dispensando, qui certè nulla etiam gravissima causa, multò minus pecunia permoveri debebant, ut dispensarent in peccatis faciendis; nam & Deus ipse *neque mandat peccare, nec dat spatium peccandi Sir. 15, 21.*

Nihil ergò ad nos quadragesimale jejunium *Papisticum.* Interim autem non negamus, operam esse dandam summo studio, ut tempus illud proximè antecedens *Pascha* sanctè transigatur, ab omnibus illecebris carnis, sive sint in victu, sive in aliis externis voluptatibus, diligenter abstinendum esse, quia tempus illud est tempus pœnitentiæ, quod mores castos, vitam temperantem & sanctam postulat.

Neque erraverit, qui isto tempore certis diebus à cibo & potu abstinet, ut ad exercitia pietatis & pœnitentiæ possit esse aptior. Sed certo dierum numero, à certis quibusdam cibis abstinere, sub opinione necessitatis atque meriti, hoc est, quod imprimis in quadragesimali jejunio improbamus.

## CASUS IX.

### *Num quis sibi ipsi imponere potest jejunium?*

RESP. Votum *Hieronymi* est, in *epist. 28. ad Lucinium,* quæ citatur in jure *canonico dist. 76. c. utinam: utinam omni tempore jejunare possimus, quod in actibus Apostolorum (cap. 13. 20, 27.) diebus Pentecostes & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus.*

Sed ... hoc de continuatione jejunio... intelligamus, superstitiosum foret, ac naturæ nostræ minùs conveniens.

Proinde

*Varia jejunia in Papatu.*

Proinde ratione temporum jejunia variè distinxerunt in *Papatu*. Habuerunt 1. Jejunia *adsumta*, cùm quis absque præcepto ecclesiæ liberè sibi certam ob causam jejunium indixit. 2. *Votiva*, cùm quis ex voto jejunat, sive sit votum ordinis alicuius monastici, sive peculiariter emissum. 3. *Iniuncta*, quæ sacerdos in confessione satisfactionis loco injungit. 4. *Instituta* seu indicta, quæ ab ecclesia solenniter indicuntur. 5. Jejunia *consilii*, quæ non sunt omnibus præcepta, sed illis tantùm consulta, qui per opera supererogationis ad statum perfectionis contendunt. 6. *Consuetudinaria*, quæ in aliqua regione ex veterum instituto sunt consueta. 7. *Extraordinaria*, quæ pro ratione incidentium causarum extraordinariè indicuntur.

*Omnia ista jejunia revocantur vel ad publica, vel ad privata.*

Omnes istæ jejuniorum species redigi possunt ad duas, aut enim sunt jejunia *publica*, ut sunt injuncta, indicta, consuetudinaria, extraordinaria & consilii, aut sunt *privata*, ut adsumta & votiva.

*Privata jejunia sunt & licita, & utilia.*

De his privatis jejuniis dicimus, quòd non tantùm sint licita, sed & magnam utilitatem habeant. Potest ergò aliquis adsumere, vel etiam vovere privatim jejunium certis incidentibus causis, & hoc solent pii facere 1. cùm ad auditum verbi & cultum divinum sequenti festo aut die Dominico instituendum, præcedente profesto sese præparant.

2. Cùm ad sacram cœnam sunt accessuri, uti aliqui præcedente die toto ab omni cibo, aliqui à prandio, aliqui à cœnâ saltem abstinent, aliqui prandent quidem cœnantq; , sed parciùs, quàm aliàs consuevêre.

3. Cùm in luctu sunt ob obitum recentem suorum.

4. In publicis calamitatibus, quas pro sua parte precibus ardentibus avertere student; fomentum autem precum est jejunium.

5. Cùm sentiunt suggestiones pravas carnis, quod genus dæmonii non nisi precibus & jejunio expellitur.

6. Cùm post commissum aliquod peccatum, in quo caro devicit Spiritum, homo in seipsum animadvertit subtractione cibi, quo edomatur lasciva caro & spiritui subjiciatur. Hoc enim est *mortificare membra, & crucifigere carnem Col. 3. Galat. 6.*

In tali jejunio exempla habent sanctorum, qui nemine jubente, sed sponte jejunarunt, prout casus incidentes postularunt; quale fuit jejunium *Davidis Psal.* 35, 13. 69, 11. 109, 24. *Esther. c.* 4, 16. *Iudith. c.* 8, 6. *Danielis c.* 10, 3. & aliorum.

*Requisita legitimi privati jejunij*

Ut autem privatum hoc jejunium legitimè instituatur, sequentes observandæ sunt cautelæ. 1. Non sit jejunium *superstitiosum*; hoc est, ad certum duntaxat ciborum genus adstrictum, quasi multùm intersit, si quis à carnibus abstineat, & quidem certis diebus, interim aliis cibis se infarciat. Suprà enim audivimus, in jejuniis, nec ciborum, nec dierum observatione conscientias ligandas

Digitized by Google

das esse. *Qui jejunare non potest*, ait Chrysostomus, *temperanter vivere potest, & in sobrietate etiam carnem mortificare, pœnitentiam, orationem & reliqua pietatis officia exercere.*

[Hier.*epist.ad Furiam; parcus cibus & venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur, multò enim meliùs est quotidie parum, quàm raro sumere, & ad Nepotiã. sint tibi pura, simplicia, casta, moderata jejunia, & non superstitiosa. Sic jejunare debemus, ut jejunandi & abstinendi necessitati nos non subdamus.* Prosp. *in tr. de vita contempl.*]

2. Non sit *nimium*, quo corpus ita debilitatur, ut ad preces & exercitia pietatis fiat ineptum, hoc enim est evertere finem legitimum jejuniorũ. Apostolus Paulus vult nos exhibere *corpora nostra hostiam viventem, rationabile obsequium Rom.* 12. *v.* 1. Si ergò obsequium corporis nostri debet esse rationabile, vitanda est certè omnis immoderatio in jejuniis, vigiliis, laboribus, & aliis exercitiis corporis, quod & *Thomas* observavit in *quodlibeto art.* 18 *q.* 9. *non possunt omnibus eadem abstinentiæ leges præscribi, constitutio enim naturæ non omnibus est eadem.* Generalis autem hæc est observatio ita jejunandum esse, ne finis jejuniorum devotio videlicet & humilitas in precibus impediatur. Honor ergò est habendus corpori, ne officiat animo. Ideò *Hieronymus* scribit, ut citatur in *jure canon.dist.*5.*de consecrat. ca.* 24. *non moderatè vivit: audiãt, qui ea quæ necessaria sunt, corporis subtrahunt, illud, quod per Prophetam Dominus loquitur: ego Dominus, odio habens rapinam holocaustorum: de rapinis verò holocaustorum offert, qui sive ciborum nimia egestate, vel somni penuria corpus immoderatè affligit.*

[*Ita* Bernhard. *ad soror: col.* 1549. *abstinentiam, inquit, plenariam omninò interdico tibi, ne facias, sed quotidie secundum mensuram comede. & de inter. dom. c.* 14. *à corpore fugere non possum, nec ipsum à me fugare, circumferre illud necesse est, quoniam alligatum est mihi, perimere non licet, sustentare cogor.*

Homo: *qui carnem suam supra modum affligit, civem suum occidit.*

Anton. *in vit. patr. corpus non est penitus enecandum, ne operatiò contra creatoris voluntatem dissolvatur.*

Hieron. *ad Rusticum: Jejunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachũ, & majorem refectionem poscentia erumpãt in cruditatem.*

Fulgent. *ad Prob. jejuniis sic adhibenda est temperies, ut corpus nostrum nec securitas excitet, nec inedia immoderata debilitet.*]

3. Non sit *satisfactorium* in quem finem *Pontificij* jejunia assumere jubent. Sed pugnat hoc cum satisfactione Christi, ut suprà docuimus, ideò leviùs peccat, qui intemperanter vivit, quàm qui hoc fine jejunat.

4. Non sit *scandalosum*, quod fit, cùm contemnuntur alii, qui non jejunant, quasi jejunantes melioris sint conditionis in oculis Dei, qui spiritualis fastus omnem gratiam jejuniorum perdit. Quæ res offendit alios, ut existiment, se peccasse graviter, quòd & ipsi jejunium non adsumserint, quâ ratione ex jejunio paulatim fit opus operatum & meritorium.

[*Ne irrideas fratrem tuum jejunantem, & eum qui jejunare non potest, ne confundas*, Ephrem. *de lucta spirit. c.3.*]

5. Non *sit ineptum*, seu inepto fine institutum, ut faciunt, qui pro avertendo dolore dentium abstinent ab esu carnium in summis festivitatibus, & qui contra similes morbos leviores, vel alios, jejunant in certis festis sanctorum, ut illi, qui in die *S. Barbaræ* solo pane & aquâ vivunt, ne moriantur sine participatione sacramentorum, parùm solliciti, ut aliàs benè vivant, ne malè moriantur: quas ineptias apud *Romanenses* non infrequentes esse innuit, *Jodocus Lorich. in thesauro Theol. voce jejunium num.20.*

His cautionibus ritè observatis jejunium privatum rectè & sine peccato suscipitur.

## CASUS X.

### *Quænam sunt generales virtutes, & requisita veri Deoque placentis jejunij?*

RESP. Etsi jam de privatis jejuniis aliquid hac de re attigimus: generalia tamen quædam adhuc supersunt, omnibus jejuniorum speciebus applicanda. Tria potissimum sunt, quæ omne jejunium in conspectu Dei ingratum faciunt: 1. *Impietas*. 2. *Hypocrisis*. 3. *Malitia*. *Cōfer Mat. 6. v.17 & seqq. Tria sunt, quæ jejunia Deo ingrata faciunt. Impietas hypocrisis & malitia.*

*Impietas* est, cùm ex jejunando fit meritum & expiatio peccatorum. Nihil enim quod nostrum est, expiationi per Christum factæ, vel adjungi vel opponi potest: cùm solus Christus sibi omnes partes salutis nostræ vendicet, ideò non Domino, sed sibi jejunasse dicuntur, qui hoc modo jejunarunt, ut Deo hoc suum opus objicerent: *quare jejunavimus, & tu non adspexisti, humiliavimus animas nostras, & nescisti? Esa. 58. v.3.* *Impietas jejuniorū.*

Opponendi ergò sunt huic impietati veri fines jejuniorum, de quibus supra egimus. *Finis enim, si laudabilis erit, inquit* Augustinus *libro de moribus Manichæor cap.13. etiam facta laude digna erunt.* *Remedium contra impietatē circa jejunia.*

*Hypocrisis* est, cùm jejunantes gloriam hominum quærunt, & alios non jejunantes contemnunt, sicuti *Hypocrisis jejuniorū.*

*Phari-*

*Pharisæi* faciebant, qui tristes jejunabant, & exterminabant facies suas, *ut viderentur ab hominibus Matth.6. vers.16.*

Verùm jejunium non ex tristitia carnis, sed gaudio spiritus proficiscitur, nec cum contemtu, sed ædificatione aliorum fit. *Dies jejunii*, ait *Basilius*, *tanquam veteres nutritios hilares ac alacres excipere debemus, nec ventris inediam lugere, sed menti gratulari spiritualibus delitiis repletæ.*

[*Jejuniorum sudoribus laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis animam penetrans dum emollit, extollit; dum ungit, pungit, virtutem in hypocrisin vertit, beneq; inchoata pervertit.* Cyprian. *de serm. jejun.*]

Ad hanc hypocrisin spectant præpostera illa jejunia eorum in *Papatu*, qui jejunia juxta leges ecclesiæ jactant, hoc est, à carnibus quidem abstinent, interim autem toto die se multitudine, diversitate & varietate aliorum ciborum ac saporum, variis odoribus fumantibus patinis, ita infarciunt, & ventrem usque ad instomachationem onerant, ut quod comederunt, retinere non possint, & quod turpiter ingesserunt, turpiùs ejiciant, ut de ipsis conqueritur *Conradus Brunus lib. 5. de ceremon. c.* 8.

*Remedium contra hypocrisin.* Verè igitur jejunant, qui, quod in jejunio præcipuum est, moderationem in cibo & potu adhibent, à cibis & deliciis etiam licitis sibi temperant, si eas humilitati & devotioni suæ obesse viderint, nec uno saltem vel altero die vacuum portant ventrem, quem postea ciborum copia obstruant, sed singulos dies absque ciborum luxuriâ transigunt.

[*μία τῶν νόσου αἰτιῶν ἐδεσμάτων ἡ πολυειδία* Clem. *l.* 2. *pæd. cap.* 1. *h. e. & multos morbos, fercula multa ferunt.*]

Malè jejunatur, cùm diebus jejunii voluptatis occasio quæritur, *quid absurdius*, inquit *Augustinus*, *quàm tempore, quo caro arctius erat castiganda, tantam suavitatem carni procurare, ut ipsa faucium concupiscentia Quadragesimam nollet præterire? quid inconvenientius, quàm diebus humilitatis, quando parum victus omnibus imitandum est, ita vivere, ut si toto tempore sic vivatur, vix possint victum patrimonia sustinere?*

Ut ergò in omni cultu Dei, ita in jejuniis etiam hypocrisis cavenda est: homines enim falli decipique possunt, Deus, qui intuetur cor, non fallitur.

*Malitia jejunii.* Porrò malitia est, cùm quis tempora jejunii observat, & tempus pœnitentiæ negligit.

[*Qui à cibis abstinent & mala agunt, dæmones imitantur, quibus esca semper abest, culpa adest*, Isidor. *in Amos.*]

Ut enim phlebotomia nihil prodest, nisi evacuato priùs corpore: ita nec jejunium nisi expurgatis

animi vitiis. *Verum jejunium est ab omnibus vitiis alienum esse*, scribit *Basilius homil.* 1. *de jejun. jejunium magnum & generale est*, inquit *Augustinus tract.* 17. *in Ioh. abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum jejunium, ut abnegantes impietatem & seculi desideria sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo*: & Leo *de serm.* 4. *de Quadrag. non in sola abstinentia nostra stat summa ieiunij, aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.*

[*Iejuna ab omni peccato, nullum cibum capias malitia, nullas sumas epulas voluptatis, nullo vino luxuria concalescas; jejuna à malis artibus, abstine à malis sermonibus, noli contingere panes furtivos perversa doctrina &c.* Orig. *hom.*10. *in Lev.*

Congruunt hæc cum verbis Domini, quibus reproba Judæorum jejunia improbat Esa. 58. v. 3. *ecce in die jejunij vestri invenitur volũtas vestra, & omnes debitores vestros repetitis, ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè: nolite jejunare sicut ad hanc diẽ, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejuniũ, quod elegi? per diem affligere animã suã; numquid contorquere quasi circulũ caput suum, & saccũ & cinerẽ sternere? numquid illud vocabis jejuniũ & diẽ acceptabilẽ Domino? nonne hoc est magis jejuniũ, quod ego elegi: dissolve colligamenta impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne opus dirumpe.*

Cum vero ergo jejunio conjuncta sit vitæ innocentia, odium peccati, amor virtutis, eleemosyna, (juxta illud: *Iejunium sine eleemosyna est sine oleo lucerna*, Cæsar. *admonit.* 2.) castitas, humilitas, patientia, ignoscentia, seu condonatio, quàm *Augustinus* speciem eleemosynæ vocavit: his virtutibus quasi gemmis quibusdam verum jejuniũ ornatur, in quo excolendo, omnia membra occupata sunto. Nam ut *D. Bernhard scribit serm.* 5. de quadrag. *si sola gula peccavit, sola quoq; jejunet: si verò peccaverunt & cætera membra, cur non jejunent & ipsa? jejunet oculus à curiosis adspectibus: jeiunet auris à fabulis & rumoribus: jeiunet lingua à detrectatione: jeiunet manus ab illicitis operibus: jeiunet anima à vitiis. Hoc est perfectum jeiunium, quò si externa illa abstinentia à cibis tendimus, tunc rectè Deo ieiunabimus, & nobis etiam magnam utilitatem afferemus.*

*Remedium contra malitiam jejunii.*

[*Recta vita magis cæteris omnibus juvat. Rectam autẽ vitã appello, non jeiunandi laborem, nec cilicij ac cineris lectulum, sed si pecuniã non aliter quàm oportet tractes, si caritate ardeas, si famescentes pane tuo nutrias, si superior irâ sis, si gloriam inanem non concupiscas, si invidia non detinearis.* Chrys. *hom.* 47. *in Matth. De utilitate quoq; jeiuniorum placet, amice lector, pauca ex primitivis primitivorũ patrum elegantiis addere. Ita Augustin. serm. de ieiun. carnẽ*

spiritui

*spiritui subjicit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinũ ardores extinguit, castitatis lumen accendit. Ita* Chrysost. *l.5 in Matt. jejunium est orationis adjutorium, & hom. 2. de pœnit jejunium corporis est animæ nutrimentum. Ita* Athanas. *de jejun. jejunium morbos sanat, destillationes exsiccat, dæmones fugat, malasq; cogitationes expellit, mentem nitidiorem reddit, cor purgatius, corpus sanctius. Ita* Cyprianus *de jejun. & tentat: Christ. jejunium, si discretione regatur, omnis carnis rebellionem edomat, tyrannidem gulæ spoliat, & exarmat. Jejunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos obstringit & ligat. Jejuniũ si humilitate ornetur, servos Dei, contemtores mundi efficit. Jejunium carnes azymas mundat, solidat, & putredines, quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat. Jejuniũ scripturarũ deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cœlesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum revelatur jejunio, tres pueri de Babylonio illæsi egrediũtur incendio. Moses in monte quadraginta diebus perseverat jejunus, & Dei familiaritatem & colloquiũ assecutus est Elias à cibis abstinet, & in eremo mirabiliter pascitur. Ita* Origenes *in c.7. Matt. permanentes in orationibus & jejuniis spiritus malignos abigemus.*

*Ergò, benè est, cui Deus obtulit, parcâ quod satis est manu,* Horat. *l.3. Od.* 16.

*Ergò, si ventri benè, si pedibus lateriq; tuo, nil divitiæ poterunt regales addere majus, lib.1. epist. 4.*

*Ergò: non vivas, ut edas, sed edas, ut vivere possis,* Juvenalis.

*Ergò,* σιτία, ποτὰ, ὕπνοι, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια, Hippocr. *apud Stob. in serm.*

*Ergò, sic adhibenda est temperies, ut corpus nostrum nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet,* Fulgent. *ad Prol.*

*Ergò, sobrio victu vitæ frugalitatem quisq; sectetur.* Plutarch. *in Cat. quemadmodum Germanorũ priscã frugalitas laudatur, quod eorũ cibus fuerit simplex, poma agrestia & lac concretum in delitiis,* Cornel. Tacit. *de morib. Germ.*

*Ergò jejunium corporis sit anima nutrimentum,* Chrysost. *homil. 2. de pœnit. mater sanitatis sit abstinẽtia,* Hier. *quiete & abstinentia multi morbi curabuntur,* Celsus. *Vinum datum est, ut delectemur, nõ ut dehonestemur: ut rideamus, non ut rideamur: ut valeamus, nõ ut ægrotemus: ut corporis valetudinem corrigamus, non ut animi virtutẽ prosternamus,* Chrysost. *homil. 71. ad pop. Antioch.*

Tantum de præcipuis difficultatibus, quæ circa cultum & religionem conscientias turbare possunt: atque sic librum secundum nostri tractatus finimus.



Digitized by Google

# LIBER TERTIUS.

## De actionibus hominis circa spiritus cœlestes.

## CONTINUATIO.

Suprà dixi, actiones hominis *vel circa Deum & religionem* vel circa *spiritus cœlestes,* vel circa *proximum occupatas esse*: in quibus omnibus tractationis nostræ finis est munire hominis animum, ne peccet.

De Deo & religione hactenus egimus, quantum pro instituti nostri ratione sufficit. Jam sequuntur *spiritus cœlestes* creati à Deo; quâ voce non tantùm angelos bonos & malos intelligimus: sed & influentias siderum: nam & has spiritus vocant Philosophi, quando disputant, an spiritus superiores nostris spiritibus influant. Etsi verò homo est visibilis: cum invisibilibus tamen illis spiritibus magna ei est communio: neque operatio spirituum circa ullam Dei creaturam magis est conspicua, quàm in hominis corpore vel animo. Actiones quoque hominis, ferè nuspiam ad errandum sunt procliviores, quàm cùm circa spiritus illos invisibiles sunt occupatæ. Ideò muniendus est hominis animus, ut cautus hoc in genere sit, ne conscientiam lædat.

*Quid per spiritus generali nomine hic intelligatur?*

Varia autem hîc in considerationem veniunt. Spiritus enim illi sunt vel *rationales*, vel *irrationales*. *Rationales* sunt vel *boni vel mali*. *Boni* sunt *sancti angeli*; *mali cacodæmones & diaboli*.

*Spirituum divisio.*

Agendum ergò hîc erit de cultu & honore bonorum angelorum, & de operibus malorum, quæ sunt vel *externa*, ubi de magia & veneficiis, de superstitiosis actionibus, de divinationibus, de obsessis, de spectris & similibus: vel sunt *interna*, ut suggestiones malæ & tentationes vel ad peccandum, vel ad desperandum, post patratum peccatum.

*Quid hoc libro agendum?*

*Irrationales* spiritus sunt influentiæ astrorum, ubi de Astrologia & ejus annexis, quatenus hominem pium deceant, nec ne, dicendum erit.

De quibus omnibus hoc in libro agam,

Digitized by Google

agam, quantum Dominus dederit, & quod ad institutum nostrum sufficere videbitur.

*Dominus Deus noster Spiritu suo sancto ducat nos in viam rectam, bonis angelis dirigat gressus nostros, malos autem à nobis quàm longissimè abesse jubeat, Amen.*

## CAPUT I.

## *De casibus conscientiæ circa conversationem cum bonis angelis.*

*Angelus est nomen officij, spiritus naturæ.*

QUos scriptura propter naturam vocat spiritus, hos propter officium appellat angelos, quia sunt nūcii & legati Dei, de quibus *Psal.* 104. *v.* 4. *qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem*, de quo loco *Augustinus* scribit: *quaeris nomen hujus naturæ? spiritus est: quaeris officium? angelus est. Vide illud in homine. Nomen naturæ, homo: officij miles: nomen naturæ, vir; officij, prætor.*

*Discrimen inter bonos, & malos angelos.*

Commune hoc nomen est omnium spirituum rationalium, quos omnes Deus condidit bonos, sanctos, justos, & beatos: sed lapsus fecit discrimen, ut qui in integritate sua perstiterunt, dicerentur boni; qui exciderunt, mali angeli.

*Bonorum angelorum nomina.*

Boni angeli appellantur *Angeli Dei Actor.* 5. *vers.* 19. *angeli sancti Act.* 10, 22. *angeli lucis*, 2. *Cor.* 11, 14. *angeli electi* 1. *Tim.* 5, 21. *angeli virtutis Dei* 2. *Thess.* 1, 8.

*Eorundem potentia magna, sed non maxima.*

Magna est bonorum angelorum potentia, gradibus tamen suis distincta, ita ut unus potentior sit altero, cujus respectu dicuntur *throni, dominationes, principatus, potestates Col.* 1. *vers.* 16. Possunt omnia in res corporeas, quæcunque illis à natura contingere possunt. Unus angelus *occidit omne primogenitum in Ægypto Exod.* 12, 29. unus angelus totum ferè exercitum *Sennacheribi* interfecit 2. *Reg.* 19. *v.* 35. angelus movet piscinam, ad curandos eos, qui in eam descenderant *Iohan.* 5. *v.* 4. angelus aperit januam carceris ferream, vectibus probè munitam & Apostolum *Petrum* educit *Actor.* 12. angelus flammas ignis arcet à corporibus trium adolescentum in fornace *Babylonica Dan.* 3. angelus obturat ora leonum *Dan.* 6. *vers.* 22.

[*Unus angelus potentior est, quam totus mundus* Luther, *serm.* 2. *de Pasch.*]

*Motus angelorum activus.*

Movent angeli corpora mobilia de loco in locum, sicuti angelus *Philippum Actor.* 8, 39. & *Habacucum Dan.* 14, 35. & *Ezechielem Ezech.* 8, 3. omnis enim creatura obedit angelicæ potestati in motu locali.

*Potestas eorum in sensus hominum externos & internos.*

Habent potestatem in sensus hominum *internos* & *externos*. Quod de internis sensibus dicitur, manifestum est ex eo, quòd apparuit angelus *Iosepho* in somno *Matth.* 3, 20. ubi

ubi sensus externi sunt ligati: in somno monent, & hortantur homines, ad quos Deo missi sunt, rerum interdiu visarum aut auditarum phãtasmata in eis excitant, & multa, quæ oblivione deleta esse putabantur, in memoriam revocant. Quoad externos sensus duo sunt illustria exempla in scriptura, quomodo primùm oculos perstrinxerint *Sodomitis*, ne ædes *Lothi* invenirent *Genes.* 19. *v.* 11. & *Syriaci* exercitus, ne *Elisæum*, qui in medio ipsorum erat, conspicerent 2. *Reg.* 6. *vers.* 18 deinde, quomodo aures etiam hostium fefellerint, sicut factum est 2. *Reg* 7. *v.* 6. in exercitu *Syrorum*, ubi Dominus sonitum quasi multorum equorum militumque armatorum, angelorum opera excitavit in castris *Syrorum*, ita ut sibi viderentur audire strepitum virorum, curruum, equorum, & numerosissimi exercitus: quo audito in fugam se conjecerunt, relicta urbe, quam antea diu obsederant.

*Bonorum angelorum vis major est, quàm malorum.*

Et quanquam malorum etiam angelorum vis magna sit, major tamen est bonorum, qui etiam in ipsos cacodæmones potestatem habent, ideò quoties pugna inter angelos bonos & malos describitur, semper bonos vicisse legitur, *ut Dan.* 12. *Apoc.* 12. & in historia *Tobiæ Raphael Asmodæum* dæmonem vinculis constrinxit *Tob.* 8. *v.* 3. Unde sequitur, angelos bonos, per quos custodimur, semper potentiores esse iis, quibus oppugnamur. Nam, ut *Gregorius* ait: *potestati angelorum subjectæ sunt virtutes adversæ. Omnis tamen illorum potentia subjecta est voluntati divinæ, ita, ut nec citiùs neque plus operari valeant, quàm Deus voluerit, cujus voluntatem in cœlo sancti angeli semper faciunt.* Ideò in *Psal.* 103. potentia angelorum cum voluntate Dei conjungitur: *benedicite Domino omnes angeli, potentes virtute, facientes voluntatem ejus, ad audiendam vocem promissionum ejus: benedicite Domino omnes virtutes ejus, qui facitis voluntatem ejus.*

*Officia sanctorum angelorum sunt triplicia.*

Hanc suam potentiam exserunt sancti angeli in officiis sibi divinitùs destinatis. Officia hæc sunt triplicia, unum *respectu Dei creatoris*: alterum *respectu totius universi*, tertium *respectu hominum*, imprimis piorum.

*1 Respectu Dei.*

*Respectu Dei* conditi sunt, ut ipsi ministrent, ejus jussa capessant, & nomen ejus sine fide laudent. De ministerio ipsorum legitur *Dan.* 7. *v.* 10. *millia millium assistebant ei.* De executione voluntatis divinæ legitur *Psal* 103. *v.* 20. *benedicite Domino omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes voluntatem ejus.* De laude, quam cantant Deo legitur *Esa.* 6, 3. *Apoc.* 4, 8. sunt etiam ministri *Christi*, cui adfuerunt in nativitate *Luc.* 2, 9. in initio sui ministerii *Matth.* 4, 11. in passione *Luc.* 22. *vers.* 43. in resurrectione, *Matt.* 28, 2. in adscensione *Act.* 1, 10. ipsi hymnum canunt *Apoc.* 5. 11. & eorum opera aliquãdo in novissimo die usurus est, in colligendis homi-

hominibus, & separandis malis de medio justorum *Matth.* 13, 49.

*2. Respectu totius universi.*

Respectu totius universi officium ipsorum est, non solùm ornare, sed & regere hunc mundum aspectabilem: quod quidem proprium Dei opus est, qui portat omnia verbo virtutis suæ *Heb.* 1, 3. placuit tamen hoc suæ sapientiæ exequi per sanctos angelos, per quos cœlorum orbes moveri statuerunt philosophi, & ex scripturâ notum est, alium huic, alium isti provinciæ destinatum esse. *Daniel* enim angeli *Persarum* & angeli *Græcorum* meminit, quorum quisq; suæ provinciæ curam tuebatur *Dan.* 10, 13. Hinc *Clemens Alexandrin. στρωμάτ. l. 6.* affirmat, *per singulas gentes civitatesq; distributas etiam angelorũ præfecturas*, in quâ sententiâ etiam est *Hieronymus in ca.* 10. *Dan. & in cap.* 25. *Esaiæ.* & *Theodoretus tomo* 1. *orat.* 10 *in Daniel.*

*Hebræorũ opinio, de officiis angelorum sanctorum.*

Hebræi ulteriùs etiam hæc officia angelorum respectu mundi extendunt. Nam, ut ex illorum libris refert *Zanchius part.* 1. *de operib. Dei lib.* 3. *c.* 1. existimant, cuilibet planetæ, cuilibet signo Zodiaci, cuilibet parti mũdi, cuilibet vento suos præsidere angelos, qui planetis præsident, vocant septem mundi gubernatores, quos nominibus suis nominant: Saturno præsidet Zaphiel, Jovi Zadkiel, Marti Camuel, Soli Raphael, Veneri Haniel, Mercurio Michael, Lunæ Gabriel. Hoc dicunt esse septem illos spiritus, qui semper adstant in conspectu DEI, & quibus est credita dispositio totius regni cœlestis & terreni. Qui 12. signis Zodiaci præsident ita numerantur: arieti præsidet Malchedael, tauro Asmodel, geminis Ambriel, cancro Muriel, leoni Verchiel, virgini Hamaliel, libræ Zuriel, scorpioni Barchiel, sagittario Adnachiel, capricornio Haniel, aquario Gambiel, piscibus Barchiel. Angeli quatuor ventis & mundi partibus præfecti, hi sunt: vento orientali præfectus est Michael, occidentali Raphael, Boreali Gabriel, Australi Nariel. Elementis quoque suos præficiunt angelos, igni Seraph, aëri Cherub, aquæ Tharsis, terræ Ariel.

[*Ad hæc dicunt, angelos 28. dominari in 28. lunæ mansionibus, quibus peculiaria assignant nomina.*]

Sed hæc omnia hominum sunt commenta, quæ tamen recitare placuit, ut hominum curiositas in rebus minùs necessariis, & in scripturâ non expressis appareat.

*3. Respectu hominum. An cuilibet homini certus angelus sit destinatus?*

Præcipuum angelorum officium est, quod respectu hominum ipsis est commissum; ubi quidem prætereundum non est, quod multi statuunt, cuilibet homini certum angelum vitæ suæ custodem & rectorem divinitùs datum esse, quò referunt illud de angelo Petri *Act.* 12, 15. sed etsi Deus pro immensâ suâ bonitate etiam reprobos interdum bonorum angelorum protectione gaudere sinit, de certo tamen angelo cuilibet homini destinato nihil habet scriptura, quæ doctrinam hanc

de angelorum custodiâ & ministerio ad fideles restringit, quando angeli vocantur *administratorij spiritus, emissi propter eos, qui hæredes erunt salutis Heb.* 1, 14.

[*Ægyptij tres cuilibet homini præfectos esse docuerunt angelos,* 1. *qui animum immortalem regat, sacer dæmon vocatur.*

2. *Qui à cœlorum dispositione infertur, vocatur genius.*
3. *Qui cuilibet in suâ vocatione adsit, quem vocant spiritum professionis.*]

Et hic nonnullorum patrum est sententia, quemlibet pium ordinariè suum habere angelum, qui ei à primâ nativitate ad finem usque vitæ rector atq; custos sit perpetuus: multos autem alios angelos extraordinariè ad defendēdum ipsum à Deo mitti. Et hunc referunt angelum *Petri*, de quo *Origenes* scribit *homil.* 1. *in Numeros: Apostolos singulos suos habuisse angelos, nam cum angelus Petri esse diceretur, qui pulsabat ostium, similiter & intelligitur alius esse angelus aliorū Apostolorum, sicut ille est Petri.* Idem *tract.* 5 *in Matth* existimat, *singulis pueris statim post acceptum baptismū certum assignari angelum. Chrysostomus etiam homil.* 60. *in Matth.* docet, *singulos sanctos suos habere angelos. Hieronymus in cap.* 66. *Esai.* scribit, *unumquemque suum habere angelum custodem:* idem docet *Bernhardus de consideratione lib.* 5.

De pluribus autem angelis in gratiam fidelium missis agitur. *Psal.* 34. *v.* 8. *angelus Domini castrametatur circa eos, qui timent Dominum,* & *Ps.* 91. *v.* 11. *angelis suis mandavit de te, ut custodiant te,* & *Luc.* 16. *vers.* 22. *multi angeli leguntur animam Lazari in sinum Abrahæ portasse,* &c.

Piorum ergò ministri sunt angeli sancti, quibus, quam primum per lavacrum regenerationis filii DEI facti sunt, Deus addidit sanctos Angelos, ut *pædagogos*: sicut eos *Bernhardus* nominat *serm.* 12. *in Psalm. qui habitat,* &c. *Angeli eleganter à Bernhardo vocantur pædagogi.*

Pædagogorum autem triplex est officium. 1. custodire pueros fidei suæ commissos, ne quid incommodi patiantur. Ita sancti angeli primùm ac nati sumus, sanctas excubias agunt pro nobis contra vim diaboli, quantum nobis expedire sciunt. Ideò *custodes nostri* appellantur, *Psal.* 91, 11. custodiunt corpora nostra, ne à diabolis discerpantur, ne cadant, ne ullum membrum detrimenti quidquam patiatur, custodiunt ingressum & egressum nostrum, *Judith. c.* 13, 20. comitantur nos in itineribus, quod accidit *Iacobo Gen.* 32, 3. *Eleasaro Abrahami* ministro, *Genes.* 24, 7. *Mosi Exod* 33, 2. *Elisæo* in medio hostium præsidiis angelicis munito, 2. *Reg* 6, 15. custodiunt fortunas, resculasque nostras, ne sine permissu Dei quidquam eis nocere possit, quod diabolus ipse fatetur in historiâ *Iobi*, quòd Deus vallaverit ipsum & domum ejus, universamque substantiam ejus, *Iob.* 1, 9. Hoc accidit fidelibus propter *Christum*, per quem facti sunt filii Dei, qui in mundum venit, *ut opera diaboli destrueret* *Pædagogorū triplex est officiū.* 1. *custodire pueros.*

*strueret* 1. *Johan*.3,8. & quo veniente *princeps mundi foràs ejectus fuit Iohan*.12,31.

*2. docere pueros*

Alterum officium pædagogorum est docere pueros. Etiam hoc suo modo præstant sancti angeli, quod olim fecêre luculentiùs cùm vel in somnis per internam inspirationem erudiêre homines, quid facere, quid omittere debeant, sicut angelus *Iosephum & magos orientales* erudiit, *Matth*.1,20.2,13. vel vigilantes instruxerunt, ut ex historiâ *Tobiæ* constat, *Tob*.6,4 stertentes excitarunt, ut pergerent in viâ mandatorum Dei, 1.*Reg*.19. *vers*.5. arguerunt populum ob scelera, *Iud*. 2. *v*.1.2,3. per angelum revelatur *beatæ virgini* mysterium incarnationis *Luc*.1. angeli primi sunt, qui prædicant nativitatem servatoris nostri *Luc*.2. angeli docent de verâ invocatione *Apocal*.19. & 22. angeli promovent ministerium evangelii: angelus enim *Petrum* educit è carcere, ut diutiùs suo præesse posset muneri *Act*. 12,7. & *Philippum* ducit Angelus ad *Eunuchum*, ut ei interpretetur *Esaiã Prophetam*, quem ille legebat *Actor*. 8.*v*.29. angelus *Cornelio* indicat, exauditas esse preces suas, & accersendum *Petrum Apostolum* qui ipsum melius informaret. *Act*.10. *v*.31.32, angelus in formâ viri *Macedonis* hortatur *Paulum*, ut succurrat *Macedonibus* prædicatione evangelii, *Actor*. 16.*v*.9. & etiamnum intersunt sancti angeli, ubi verbum DEI purè prædicatur, ideò *Paulus* vult mulieres *velatas* esse *propter angelos* 1. *Cor*. 11,10.

*3. ore & re pueros juvare, consilio & auxilio ipsis succurrere.*

Tertium officium pædagogorum est, salutaribus auxiliis & consiliis juvare, erigere, consolari eos, qui fidei suæ sunt commissi. Ita *Agarem* ejectam ex domo *Abrahami* consolatur angelus, eamq; ad dominam suam redire jubet, *Gen*.16,9. angelus *Eliam* prophetam solatur 1. *Reg*. 19,5. & cùm accessurus esset regem *Ochoziam*, bono animo esse jubet 2. *Reg*.1,3. *Paulum* & qui secũ erant in navi, solatur angelus Domini *Act*.27,24. reale etiam solatium præstant, cùm non tantùm eos, quorum custodes sunt, è præsenti periculo eripiunt, sed & hostes puniunt, ut *Lotho* apud *Sodomitas* accidit, *Gen* 19,10. & pio regi *Hiskiæ* ob exercitum regis *Assyrii* periclitanti, 2.*Reg*.19,35. in ultimo quoque agone mortis solantur pios, & animas eorum in sinum *Abrahæ* deportant *Luc*.16,22.

Cùm ergò tot & tanta sint bonorum angelorum erga nos beneficia, jucundum nobis est cum ipsis conversari, sed cauta debet esse conversatio, ne vel nimium ipsos honorando in Deum, angelorum conditorem; vel minùs ipsos curando in ipsos angelos peccemus.

Proponemus igitur casus quosdam, quorum enodatio nostram cum angelis conversationem moderari potest.

* * *



Digitized by Google

## CASUS I.

### *Primùm omnium sollicita est mens pia, quid faciendum, ut fideles illos pædagogos, sanctos angelos secum retineat?*

RESp. Magna est misericordia Dei, quòd non tantùm ipse protector noster est, sed & exercitus sanctorum angelorum in ministerium nostrum emisit, qui circumvallant nos, & in viis nostris custodiunt nos.

† *Domine, quid est homo, quòd reputas eum? mittis illi unigenitum tuum, immittis Spiritum S. tuũ; promittis vultum tuum; & ne quid vacet in cœlestibus ab opere sollicitudinis beatos illos Spiritus mittis in ministerium nostrum,* exclamabat *Bernh. in Ps. 91.*

Hoc singularis beneficii loco Deus promisit populo suo *Exod. 23, 20. ecce, ego mittam angelum meum, qui præcedat, & custodiat te in via, & introducat in locum, quem præparavi tibi.*

*Explicatio dicti Exod. 23. v. 20.* Quæ verba etiamsi propriè de Filio Dei, magno illo & increato angelo intelligenda sint, ipse tamen sine comitatu creatorum angelorum non est, neque sponsam suam animam fidelem sine isto comitatu relinquit: *angelicis fulta ministeriis, & superno stipata agmine sponsa incedens, similis est equitatui Domini,* ait *Bernh. serm. 41. in Canticum.* †

† *Habitante in Deo animâ angeli festinant honorare eam, utpote tẽplum Dei effectam Ephrem: de die judic. c. 4.*

Sine his ne quidem ad momentum contra insultus diabolorum consistere valeremus.

*Angeli peccatis fugãtur?* Sed quemadmodum Deus ipse peccatis contra conscientiam fugatur: ita simul angeli cum ipso fugiunt & recedunt à tali homine, quem arbitrio & potestati satanæ relinquunt, non secus, ac rupto aggere, aquarum violentia magno cum impetu irruit, & quæcunque habet obvia, sordibus replet. Ideò Deus in irâ suâ dicit, Esa. 5, 5. *auferam sepem eius, destruam maceriem eius, & de quibusdam legitur quos satanæ tradidit,* hoc est, præsidio & custodiâ sanctorum angelorum privavit, qui posteà ex uno peccato & miseriâ inciderunt in aliam.

[*Sicut fumus apes & fœtor columbas abigit, sic angelũ custodẽ graveolens peccatum* ἠπλώδαχ@ καὶ δυσώδης ἁμαρτία, Basil. *in Psal. 33. Ubi non est Dei gratia, ibi nec locum habet angelorum custodia,* Luth. *in c. 1. Hebr.*]

Non immeritò igitur sollicita est mens pia de mediis, quibus custodiã sanctorum Angelorum secum retinere possit. *Habetote familiares angelos fratres mei, frequentate eos sedulâ cogitatione & devotâ oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem,* ait *Bernh. serm. 12. in Psal. qui habitat.*

*Media angelos secum* Primùm omnium igitur Deo gratias devoto pectore agamus, quod

non

*retinendi. 1. gratiarũ actio.* non saltem ipse est, qui custodit nos, sed & candidatum hunc exercitum sanctorum angelorum in nostrum usum condidit, iisque in mandatis dedit, ut curam nostrûm habeant.

*2. submissa oratio.* Deinde oremus, ne propter peccata nostra præsidium hoc angelicum, tàm citò à nobis auferat, sed semper *mittat angelum suum bonum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachii sui, ut metuant, qui contra nos sunt: 2. Mac. 6. 15, 23. 24.* †

† *Da, pater, semper gaudere eos, de nobis, ut & tu semper lauderis per eos in nobis, ut confiteamur omnes simul nomini sancto tuo, O creator hominum & angelorum. Aug. soliloq. c. 27.*

*3. vita sanctificatio.* Postea vitam nostram ita instituamus, ut semper propitium Deum & angelos amicos nostros inveniamus: quod felicius à nobis fieri nequit, ac si Dei & sanctorum angelorum præsentiam & inspectionem omnium operum nostrorum, ante oculos nostros statuamus. Deus ipse est, qui *post parietem stat, & respicit per fenestram, prospiciens per cancellos, ut Cant. 2, 9.* dicitur. Quid est post parietem stare, & per cancellos videre, quàm ita videre, ut alter quem videt, non animadvertat? ita Deus noster omnia videt, quæ in occulto fiunt, *oculi enim ejus lucidiores sole sunt, & cùm facimus mala in oculis nostris, ipse index & testis est, Ier. 29, 23.* & tamen interdum quasi *tacens, & non videns est. Esa. 57, 11.* ideoque eò magis metuendus. Angeli quoque in circuitu nostro sunt, omnium nostrorum factorum spectatores & observatores, judices, vindices ac testes. Si ergo coram viro honesto turpe quid committere formidamus, multò magis verenda est sanctorum angelorum præsentia, ne quid turpe dictu vel factu in nobis animadvertatur, quo & ipsi à nobis pelluntur, & accusatores nostri fiunt apud Deum.

*Seneca Lucilium* suum hortatur, ut in conspectu suo semper habeat virum aliquem bonum & honestum, coram quo mali quid agere videatur, & hoc præsentissimam contra peccatum præservationem esse judicat: *aliquis vir bonus nobis eligendus est,* inquit, *ac semper ante oculos nostros habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* *Consilium Senecæ.*

*Hoc: mi Lucili, Epicurus præcepit, custodẽ nobis & pædagogum dedit, nec immeritò. Magna pars peccatorũ tollitur, si peccaturis testis adsistat. Aliquẽ habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctum faciat. O felicem illum, qui non actus tantùm, sed etiã cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atq; ordinet. Qui sic aliquẽ vereri potest, citò erit ipse verendus. Elige itaq; Catonẽ, si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virũ Lælium, elige eum, cuius tibi placuit & vita & oratio, & ipsius animũ ante te ferens & vultũ, illum semper tibi ostende vel custodem vel exemplũ. Opus est, inquam, rigoroso aliquo, ad quẽ mores*

## CASUS I.

### *Primùm omnium sollicita est mens pia, quid faciendum, ut fideles illos pædagogos, sanctos angelos secum retineat?*

RESp. Magna est misericordia Dei, quòd non tantùm ipse protector noster est, sed & exercitus sanctorum angelorum in ministerium nostrum emisit, qui circumvallant nos, & in viis nostris custodiunt nos.

† *Domine, quid est homo, quòd reputas eum? mittis illi unigenitum tuum, immittis Spiritum S. tuũ; promittis vultum tuum; & ne quid vacet in cœlestibus ab opere sollicitudinis beatos illos Spiritus mittis in ministerium nostrum*, exclamabat *Bernh. in Ps.* 91.

Hoc singularis beneficii loco Deus promisit populo suo *Exod.* 23, 20. *ecce, ego mittam angelum meum, qui præcedat, & custodiat te in via, & introducat in locum, quem præparavi tibi.*

*Explicatio dicti Exod. 23. v. 20.* Quæ verba etiamsi propriè de Filio Dei, magno illo & increato angelo intelligenda sint, ipse tamen sine comitatu creatorum angelorum non est, neque sponsam suam animam fidelem sine isto comitatu relinquit: *angelicis fulta ministeriis, & superno stipata agmine sponsa incedens, similis est equitatui Domini*, ait *Bernh. serm.* 41. *in Canticum.* †

† *Habitante in Deo animâ angeli festinant honorare eam, utpote tẽplum Dei effectam Ephrem: de die judic. c.* 4.

Sine his ne quidem ad momentum contra insultus diabolorum consistere valeremus.

*Angeli peccatis fugãtur?* Sed quemadmodum Deus ipse peccatis contra conscientiam fugatur: ita simul angeli cum ipso fugiunt & recedunt à tali homine, quem arbitrio & potestati satanæ relinquunt, non secus, ac rupto aggere, aquarum violentia magno cum impetu irruit, & quæcunque habet obvia, sordibus replet. Ideo Deus in irâ suâ dicit, Esa. 5, 5. *auferam sepem eius, destruam maceriem eius, & de quibusdam legitur quos satanæ tradidit*, hoc est, præsidio & custodiâ sanctorum angelorum privavit, qui postea ex uno peccato & miseriâ inciderunt in aliam.

[*Sicut fumus apes & fœtor columbas abigit, sic angelũ custodẽ graveolens peccatum* ἡ πολύδακρυς καὶ δυσώδης ἁμαρτία, Basil. *in Psal.* 33. *Ubi non est Dei gratia, ibi nec locum habet angelorum custodia*, Luth. *in c.* 1. *Hebr.*]

Non immeritò igitur sollicita est mens pia de mediis, quibus custodiã sanctorum Angelorum secum retinere possit. *Habetote familiares angelos fratres mei, frequentate eos sedulâ cogitatione & devotâ oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem*, ait *Bernh. serm.* 12. *in Psal. qui habitat.*

*Media angelos secum* Primùm omnium igitur Deo gratias devoto pectore agamus, quod non

*retinendi. 1. gratiarũ actio.* non saltem ipse est, qui custodit nos, sed & candidatum hunc exercitum sanctorum angelorum in nostrum usum condidit, iisque in mandatis dedit, ut curam nostrûm habeant.

*2. submissa oratio.* Deinde oremus, ne propter peccata nostra præsidium hoc angelicum, tàm citò à nobis auferat, sed semper *mittat angelum suum bonum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachii sui, ut metuant, qui contra nos sunt*: 2. *Mac.* 6.15,23.24. †

† *Da, pater, semper gaudere eos de nobis, ut & tu semper lauderis per eos in nobis, ut confiteamur omnes simul nomini sancto tuo, O creator hominum & angelorum. Aug. soliloq. c.*27.

*3. vita sanctificatio.* Postea vitam nostram ita instituamus, ut semper propitium Deum & angelos amicos nostros inveniamus: quod felicius à nobis fieri nequit, ac si Dei & sanctorum angelorum præsentiam & inspectionem omnium operum nostrorum, ante oculos nostros statuamus. Deus ipse est, qui *post parietem stat, & respicit per fenestram, prospicens per cancellos, ut Cant.* 2, 9. dicitur. Quid est post parietem stare, & per cancellos videre, quàm ita videre, ut alter quem videt, non animadvertat? ita Deus noster omnia videt, quæ in occulto fiunt, *oculi enim ejus lucidiores sole sunt, & cùm facimus mala in oculis nostris, ipse index & testis est, Ier.* 29,23. & tamen interdum quasi *tacens, & non videns est. Esa.* 57,11. ideoque eò magis metuendus. Angeli quoque in circuitu nostro sunt, omnium nostrorum factorum spectatores & observatores, judices, vindices ac testes. Si ergo coram viro honesto turpe quid committere formidamus, multò magis verenda est sanctorum angelorum præsentia, ne quid turpe dictu vel factu in nobis animadvertatur, quo & ipsi à nobis pelluntur, & accusatores nostri fiunt apud Deum.

*Seneca Lucilium* suum hortatur, ut in conspectu suo semper habeat virum aliquem bonum & honestum, coram quo mali quid agere videatur, & hoc præsentissimam contra peccatum præservationem esse judicat: *aliquis vir bonus nobis eligendus est*, inquit, *ac semper ante oculos nostros habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* *Consilium Senecæ.*

*Hoc: mi Lucili, Epicurus præcepit, custodẽ nobis & pædagogum dedit, nec immeritò. Magna pars peccatorũ tollitur, si peccaturis testis adsistat. Aliquẽ habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctum faciat. O felicem illum, qui non actus tantùm, sed etiã cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atq; ordinet. Qui sic aliquẽ vereri potest, citò erit ipse verendus. Elige itaq; Catonẽ, si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virũ Lælium, elige eum, cuius tibi placuit & vita & oratio, & ipsius animũ ante te ferens & vultũ, illum semper tibi ostende vel custodem vel exemplũ. Opus est, inquam, rigoroso aliquo, ad quẽ mores*

 *nostri*

*nostri se ipsi erigant: nisi ad regulam, prava non corriges.* Hæc sapientissimus ille morum magister.

Nos rectius eos, quos Deus ipse dedit nobis custodes atque pædagogos, faciamus etiam omnis vitæ nostræ testes atque judices, quorum conspectum si verebimur, mala multa intermittemus. Consilium hoc suggerit nobis *Bernhardus in sermone 13. super* Psalmum: qui habitat: *cautè ambula*, inquit, *ut videlicet, cui adsunt sancti angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In omni diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me nõ auderes: an præsentẽ esse dubitas, quem non vides?* imò Deus ipse hoc suggessit nobis. Nam cùm *Exod. 23. v. 20.* dixisset, *ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te*, statim subdit: *observa eum, & audi vocem ejus, nec cõtemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaveris*, & *Siracides* dicit *cap. 5. v. 5: ne dicas coram angelo, non est providentia, ne irascatur Deus.*

*Melius cõsilium Bernhardi.*

*Imò ipsius Dei.*

[*Simus devoti, simus grati tantis custodibus, amemus eos quantum possumus, quantum debemus,* Bernh. *serm. 22. in Ps. 91.*]

*Virtutes angelorum imitandæ sunt, ut fiamus ἰσάγγελοι, qualis est 1. obedientia.*

Quemadmodum autem vitanda sunt ea, quibus angeli à nobis arceri possunt: ita imitandæ sunt virtutes in angelis conspicuæ, quibus & nos fieri possumus ἰσάγγελοι, & ipsi amici nostri.

Prima virtus est *obsequium.* Quẽadmodum enim voluntatem DEI exactè norunt, ita nunquam ab ea recedunt, sed promptè ei obediunt in omnibus: ideò orare nos jubet Christus, ut fiat voluntas Domini in terris, sicut fit in cœlis. Nullum est tam servile officium, ad quod non parati sint ministratorii illi spiritus. Jubente Domino abeunt ad *tres adolescentes* in fornacem igneam, ad *Danielem* in lacum leonum, ad *Petrum* in carcerem, peregrinantur cum *Tobiâ*, comitantur *Agarem* & *Eliam* in desertum, in nullo aversantur Deum creatorem suum, sed quemadmodum ipse odit & punit peccata hominum, & à peccantibus recedit, ita & ipsi. Hujusmodi obsequium Deus à nobis etiam requirit, licet tam perfectum & undiquaque absolutum esse non possit sicut est angelicum, placet tamen ipsi etiam inchoatum, modò sit voluntarium, & promtum, inserviendi Deo in omnibus perfectè, si esset in viribus nostris.

[ἐσθλὸ[illegible]δ κἀκεῖνος ὃ εὖ εἰπόντι πείθεται, Hesiod. *in operib.*
*Verus obediens parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi & se totũ intus colligit, ut mandatum peragat operantis,* Bernh. *de præcep. dispens.*]

Tale studium & obsequium promovent angeli: qui autem voluntati Dei peccatis suis ex proposito resistunt, ab his discedunt, & spiritus malignus operatur in filiis inobedientiæ, *Ephes. 2. v. 2.*

Secunda virtus est *humilitas.* Etsi enim propter naturæ suæ spiritualitatem *2. humilitas.*

litatem & constantiam in bono nobis longè sunt præstantiores: tamen ad ministeria nostra se demittũt, neque vilissimus hominum est, qui non suum habeat angelum, modò pius sit, neminem enim conditionis suæ tenuitas, sed impietas saltem à custodia & patrocinio angelico excludit.

Et quamquam gradus sint angelicæ dignitatis, quidã enim sunt throni, quidam principatus, quidam dominationes, quidam potestates, quidam archangeli, quidã angeli, omnes tamen sunt *administratorij spiritus Hebr.* 1. *v.* 14. *emissi propter hæredes salutis.* Falsum enim est, quod *Thomas* docet 1. *p. q.* 112. *art.* 2. *superiores angelos nunquam ad nos mitti, sed inferiores tantùm, illos enim, videlicet Cherubinos, & Seraphinos ab intimis nunquam recedere.* Sed hoc est contra officium commune omnium angelorum quos *epist. ad Hebr. emissos esse dicit omnes, propter eos, qui hæredes salutis erunt.* Et *Cyrillus* dixit *ad cap.* 6. *Esa. idem quasi jugum est omnibus sanctis spiritibus, ut herili nutui serviant, non indignam cẽsentes servitutem, sed honori, laudiq; ducentes. Procul autem absunt à superbis, qui nemini libenter inserviunt, aliorum autem servitiis saltem utuntur.*

[*Boni angeli salutis nostræ ministeriales appellantur à* Cyprian. *in prol. serm: quia ad ministeriũ humanæ salutis deputati sunt, ut cũctis administrent & regant omnia jussu DEI*, *Isiod. de summo bono. O quantam, ait* Bernh. *serm.* 10. *in Psal.* 91. *debet tibi hoc verbum inferre reverentiam, (angelis suis mandavit de te) afferre devotionem, conferre fiduciam l. Pro præsentiâ reverentiam, pro benevolentiâ devotionem, pro custodiâ fiduciam. Cautè ergò ambula, ubi sunt angeli, ut custodiant te in viis tuis*, Bernh. *serm.* 10. *in Ps.* 91.]

Quò præstantioris sunt naturæ, eò magis se demittunt, quia se ad aliorum officia natos, & donis divinitùs donatos agnoscunt; quod in ipso Dei Filio & sanctis angelis est cõspicuum. Quò vilior autem & abjectior quis est in oculis Dei, eò magis intumescit, ut apparet in ranis, bufonibus & ipso diabolo, qui princeps superborum omnium appellatur, *Job.* 41. *v.* 25.

Qui ergò sanctorum angelorum familiaritate & ministerio frui vult, altum non sapiat, officia sua nemini neget, sed humilibus se accommodet, ita ipse magnus erit in oculis Dei & angelorum.

[*Qui sibi placet, Deo displicet*, Bern. *de convers. c.* 10. *col.* 417.
*Si deijcis te, DEVS elevat te: si extollis te, DEVS deijcit te*, August. *serm.* 53. *de verb. Dom.*
*Carus eris Christo, si tibi vilis eris.*
*Desine grande loqui, frangit DEVS omne superbum.*
*Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur*, Prudent. *in Psal.* 10.]

Tertia virtus est castitas, abhorrẽt 3. *castitas.*

sancti

sancti angeli ab omni spurcitie, amant casta colloquia, castos mores & gestus: Diabolus autem est spiritus immundus *Luc.11.v.24.* Qui ergò sanctorum angelorum amicitiâ gaudet, castitati studeat in omni vitâ suâ. Id quod illi, qui *vitas patrum* conscripsere, docere voluerunt, sive historiâ, sive apologo de sancto quodam viro, qui cum inter colloquentes monachos primùm vidisset angelos adstantes, iisque paulò abscedentibus, magnum porcorum gregem inter eos volutari conspexit. Quam rem vehementer admirans, & causam diligenter inquirens, deprehendit, eos initiò quidem de spiritualibus atque divinis rebus inter se colloquia miscere cœpisse, deinde verò linguæ lapsu ad vana colloquia sermonem convertisse. Quod sanctus ille audiens, revelatione patefactâ: vehementer eos ab ejusmodi colloquiis deterruit, & ad honesta ac salutaria hortatus est, quibus angeli libenter interesse solent.

*Elegans apologus.*

[Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ θεὸν ὄψονται, *Matth.5.v.8.* *Confer Psal.23.v.4.*

*Sex autem sunt, quæ incorruptam servant castitatem.*

1. *Sobrietas.*
2. *labor.*
3. *asperitas cultus.*
4. *inhibitio sensuum.*
5. *raritas sermonis cum honestate.*
6. *evitatio opportunitatis, & personæ, & loci, & temporis,* Cassiod. *sup. Matth.*]

*4. Concordia.*

Quarta virtus est concordia, quæ est inter sanctos angelos summa, licet gradibus & officiis inter se distincti sint. Sit ergò amor inter nos mutuus, deflagrent iræ & lites, *nihil fiat per contentionem, neq; per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes Phil.2.v.3. sit inter nos cor unum & anima una.* Talis enim est conjunctio sanctorum spirituum, qui litibus & rixis fugantur, ut apes fumo. Angeli pacis sunt, qui pacem promovent, pacificos amant, rixis autem & dissidiis hominum contristantur.

[*Quod in cantu est harmonia, in ecclesiâ est concordiâ. Non potest habere concordiam cum Christo, qui discors esse voluerit cum Christiano,* Aug. *de verb: Dom: & 2. de civ. Dei c.21.*
*vide Ioh.17.v.21.*
*2.Cor.13.v.11.*
*Matth.5.v.9.*

*5. devotio & assiduitas in precibus.*

Quinta virtus est devotio & assiduitas in precibus: nam & ipsi indesinenter adorant Deum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, & fontes aquarum. Precibus piorum intersunt, quas ad Deum deferunt, suasq; addunt *Tob.12.v.12. Zach.1.v.12. Credimus angelos sanctos adstare orantibus,* ait *Bernhardus, offerre Deo vota & preces hominum, si sine deceptione levari puras manus prospexerint.* Oremus ergò & nos cum ipsis, sint preces castæ deliciæ nostræ, & angelorum custodia erit solatium nostrum.

[*Orandum*

Digitized by Google

[*Orandum est manè, ut futura divinitus regantur; orandum est vesperi, ut præterita remittantur & tegantur.*]

Hæ sunt præcipuæ virtutes sanctorum angelorum, in quibus imitatores eorum fieri possumus. *Hæc placent eis*, inquit *Bernhardus serm. 12. in Psalm. 91. quæ in nobis inveniri delectant, ut est sobrietas, castitas, creber in cœlum gemitus, & super hæc omnia veritatem & pacem exigunt.*

[*Usurpemus officium, quorum fortimur consortium* Bernh. *serm. 7. in Cant.*]

## CASUS II.

### *Cùm antea sint sanctorum angelorum in nos beneficia, rectène à nobis honorantur per adorationem, aut invocationem?*

RESP. Multis videtur hoc sine peccato fieri, tùm propter naturæ angelicæ præeminentiam, tum propter ipsorum in nos beneficentiam. Quemadmodum n. hominem pium, ut preces suas apud Deum pro me interponat, rogo, ita & à pietate alienum non videtur, si angelum Domini, quem præsentem esse mihi scio, compellem, ut ex auxilio suo, & intercessione apud Deum me juvet, præsertim, cùm de angelis legatur, quod pro nobis orent *Zach. 1. v. 12.* & quòd preces nostras Deo offerant *Tob. 12. v. 12.* suasque preces cum nostris conjungant. *Apoc. 8. v. 3. 4.* Huc accedit, quod *Bernhard. scribit serm. 12. in Psal. qui habitat, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorē tuum, in opportunitatib' in tribulatione: inclama eum, dic, Domine, salva nos, perimus. Et serm. de tripl. custodia: à sanctis angelis auxilium quærendum est, & occultis suspiriis, & frequentia lacrymarum, ut illi supereminenti majestati preces nostras offerant, referantque gratiam, quia sunt administratorii spiritus, sunt missi propter nos, ut hæreditatem capiamus salutis.*

*Bellarminus* etiam argumentis quibusdam invocationem sanctorū angelorum propugnat *lib. 1. de sanct. beatitud. cap. 19.* de quibus postea.

Nos verò sacris edocti literis, ope & auxilio sanctorum angelorum rectè quidem utimur, sed eos vel adorare, vel invocare, ut nos precibus aut auxilio suo juvent, impium esse statuimus. Primum enim expressum habemus mandatum, quod solus Deus sit adorandus, ita namque *Christus* dicit *Matth. 4. Dominū Deum tuū adorabis, & illi soli servies*, quod præceptum longè clariùs est, quàm ut ullis glossis humani ingenii obscurari possit: & ratio manifesta est, quia cultus invocationis ita soli Deo proprius est, ut invocatio interdum pro omni cultu Dei ponatur, ut in illo dicto, quod *Paulus* ex *Propheta Joele* repetit: *quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit Rom. 10. v. 13. Joel. 2. v. 22.*

*Negativa tamen vera est, & probatur.*

*1. Ratio, ab expresso Dei mandato.*

2. Nullum extat exemplum in sacris, quòd sancti angeli ab ullo pio-rum

*2. A deficiente lauda.*

*bili in sacris exemplo.* rum fuerint adorati, cùm tamen multi cum sanctis angelis fuerint conversati, magnisque beneficiis affecti. *Paulus* angelum sibi adstantem habuit in castris *Act.* 23. *Petrus* in carcere *Act.* 12. nec tamen invocarunt eos.

*3. Ab ipsorũ angelorum testimonio dehortatorio.*

3. Expressam habemus prohibitionem, ne adoremus angelos, & quidem ab ipso angelo profectam. Nam cùm *Iohannes in Apocalypsi* per præposteram devotionem coram angelo procideret in genua, adoraturus ipsum, prohibuit angelus, & *Apostolum* ad Deum remisit: *vide, ne feceris, Deum adora, Apoc.* 19. *v.* 10: 22: *v* 9. additâ ratione, *quia conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Iesu.* Simile quid legitur *Iud.* 13, 15, 16. cùm *Manoe* pater *Simsonis* angelo sibi apparenti hœdũ de capris offerre vellet, renuit angelus, dicens: *si vis holocaustum facere, offer illud Deo.*

*4. Ab unico fidei objecto, Deo.*

4. Fides & invocatio arctissimè cohærent, juxta illud Apostoli *Rom.* 10. *v.* 14. *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* quod *Bellarm.* etiam agnoscit, ideò scribit *lib.* 1. *de sanct. beat. cap.* 20. *eum, qui sanctos invocat, ut sanctos & amicos Dei, suo modo in eos credere debere, & in eis sperare, ut patronis.* Sed in nullum angelorum credimus, in nullum spem & fiduciã nostram ponimus: hoc enim soli Deo debetur, *Psal.* 118. *v.* 6. *Rom.* 15. *v.* 13. quem *honorem Deus non vult dari alteri, Esa.* 48 *v.* 12.

*5. A Pseudoapostolorum proprio.*

5. Religio angelorum antiquus error est, quem *Paulus* reprehendit in pseudoapostolis, & à Christianis alienum esse voluit *Col.* 2. *v.* 18. *nemo vos seducat in humilitate & religione angelorum*, quod orthodoxi patres, de cultu & veneratione angelorum intelligunt, idcirco ab *August.* inter hæreticos referuntur, qui sanctos colunt angelos, eosque vocat *Angelicos, lib. de hæres. cap.* 39.

*6. A concilii Laodiceni decreto.*

6. *In concilio Laodiceno can.* 35. idololatria vocatur, *relictâ ecclesia abire ad angelos, & quicunque inventus fuerit occultè huic idololatriæ vacare, et anathema dicitur, quoniam derelinquens Dominum nostrum, Iesum Christum accessit ad idola.* Et hunc canonem *Theodoretus* de invocatione angelorum inprimis interpretatur: *mãsit diu hoc vitium*, inquit *in cap.* 2. *ad Col. in Phrygia & Pisidia, quocirca synodus quoq;, quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angeli.*

*7. A malorũ angelorum postulato.*

7. Sancti Patres statuerunt, malorum esse angelorum, quærere, adorari se & coli, bonos verò nolle sibi sacrificium offerri, nec divinum sibi honorem deferri, quâ de re vide *Lactantium lib.* 2. *institut. cap.* 17. *Augustinum de vera relig. c.* 55. *lib.* 10 *de C. D. c* 16. *lib.* 20. *cont. Faustum Manich. c.* 21. *& in enarrat. Ps.* 69.

*Chrysostomus* etiam reprehendit eos, qui angelos suspiciunt, colunt, invocant, *cum nostri sint conservi, & spiritu administratorij.*

Hæc omnia ex Scriptura, & testimonio ecclesiæ sunt certissima, quibus solidè convincuntur errare, quicunque angelos quocunque nomine aut prætextu precibus suis compellant.

Habet

*Objectiones Bellarmini solvuntur. 1. Objectio.* Habet tamen *Bellarminus* testimonia quædam Scripturæ, quibus hanc suam idololatriam palliare audet. 1. Producit locum ex *Genes.* 48. *v.* 16. ubi *Iacob* benedicens filiis *Ioseph*, ita loquitur: *angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis Hic apertè*(inquit) *S. Iacob angelum invocavit.*

*Resp.* Verùm non agitur ibi de angelo creato, sed de ipso Dei filio, quem in Scriptura etiam angelum appellari notum est.

Non enim angeli creati, sed ipsius Dei est benedicere hominibus: non creatus angelus, sed ipse DEUS eripuit *Iacobum* ab omnibus malis. Respicit autem ad historiam de angelo luctatore *Genes.* 32. qui seipsum ibi vocat Deum, dicens ad Patriarcham: *non cum hominibus, sed cum Deo colluctatus es, & prævaluisti, versic.* 28. unde & *Oseas*, cùm historiæ illius meminisset, angelum istum appellavit *Iehovam Ose.* 12. *v.* 4. *Deus ille eripuit Iacobum è manu fratris Esavi, Gen.* 31. *v.* 29: 32. *v.* 2. & angelum illum, à quo benedictionem precatur pueris, expressè vocat *Deum in cujus conspectu ambulaverunt patres, Abraham, Isaac & Iacob, Genes.* 48. *v.* 15. *Deum, qui pavit ipsum ab adolescentia sua usq; ad præsentem Diem Gen.* 48 *v.* 15 qu... sanè omnia creato angelo tribui nequeunt.

*Athanasius serm. 4. contra Arrianos: Nunquam quisquã precaretur accipere à DEO & ab angelis, aut ab ullis reb. creatis. Neq; quisquã hanc verborũ formã concepit, Det tibi Deus & Angelus &c. Iam si Iacob in benedicendis nepotibus Effraim & Manasse ad istum modũ locutus est: Deus qui aluit me à pueritia usq; in hunc diem, Angelus qui liberavit me ex omnibus malis, benedicat pueros istos: non tunc aliquem Angelorũ creatorũ, & qui natura Angeli erant, in unum copulavit cũ Creatore Deo, neque omisso nutritio suo Deo, ab angelo benedictionẽ suã nepotib. postulavit: sed quia disertè locutus est de Angelo, qui illũ ab omnib. malis liberaverat, satis præ se tulit, non ex creatitiis Angelis aliquẽ, sed filium fuisse Patris, quẽ Patri in suis precib. consociavit, per quẽ Deus liberat quos vult. Hũc n. magni consilii Patris Angelũ noverat, nec alium, nisi illum ipsum qui benedicit & liberat ex malis, suis verbis expressit.*

*Cyrillus l. 3. Thesauri c. 1. Nemo certè audire patietur dicentẽ aliquẽ, Utinã Deus Pater & Angel', verbi gratiâ, quispiam dirigat viam tuam, &c. Sed quamobrem Patriarcha Iacob nepotes filios Ioseph benedicens ait; DEUS, qui me alit ex infantia usq; ad hunc diem, & Angelus, qui liberat me ex omnibus malis, benedicat pueros istos? Ecce Deus nominatur & Angelus unà cum eo, & quidem in singulari numero benedicere dicitur. Si prophetico spiritu decoratum heretici fatentur, & sanctum Iacob fuisse virum nõn negant; cujus gratia ita ipsum errasse contendunt, ut Angelum Deo cõjunxerit, & unà cũ Deo posse benedicere putaverit? Nolint, quaso, ita S. virũ illum vituperare; sed verũ suorũ verborum sensum inquirant, si sanctũ fuisse illum arbitrantur. Sin v. minimè id putant, cur autoritate ipsius*

 adcon-

*ad confirmanda dogmata utuntur: Sed nos nugis hæreticorum contemtis, Patriarchæ verba breviter exponamus. Spiritu ergo ille sancto ad veritatem dogmatum ductus, primò Deum orat, ut pueros benedicat, & simul etiam Angelum, qui liberabat eũ ex omnib. malis; ut per Deum, Patrẽ ipsum significaret, per Angelum autem verbum Patris. Non enim ignorabat, quia nomen ejus, magni consilij angelus est.*

2. Objectio. 2. Affert locum *Iob.* 5. 1. *voca si quis est, qui tibi respondeat, & aliquem sanctorum convertere.* Et addit *Bellarminus: ubi nomine sanctorum intelligit angelos,* ut *August.* exponit.

Resp. Resp. Verba sunt *Eliphats Themanita*, qui *Iobo* vehementiâ cruciatuũ superato, & diem nativitatis suæ dejeranti, in memoriam revocat exempla sanctorum hominum, *Abrahami, Iacobi, Lothi* & similium, quorum nemo extra calamitatum tela fuit cõstitutus. Hebræa ergo vox *kara*, non significat invocare, sed nominare, recensere. Nihil ergò hic de angelis, nihil de invocatione angelorum habetur.

*Augustinus* in *annotat. in Iob.* etsi retinet ex vitiosâ versione vocabulum, *invoca*, nihil tamen habet de invocatione angelorum, sed hæc saltem ad illa verba annotat: *illis autẽ respondetur, qui mundo sunt corde:* quæ annotatio non sanctos homines aut angelos, sed solum Deum respicit, qui eos tantùm, qui mundo sunt corde, exaudit.

3. Objectio. 3 *Iob.* 33. *v.* 23. dicit Eliu, *si fuerit angelus loquens pro eo, unus de millibus, ut annunciet homini æquitatem, miserebitur ejus, & dicet: libera eum.* Hinc probare vult *Bellarminus*, illo tempore usitatũ fuisse invocare angelos.

Sed oritur error ex vitiosâ versione: in fontibus enim non habetur, quòd angelus apud Deum loquatur pro homine, multò minus, quod propterea sit invocandus, ut pro nobis loquatur vel interpellet, sed ita habent verba: *si fuerit super eum angelus eloquens seu interpretes unus ex mille, ad indicandũ homini rectitudinẽ ejus, & misertus fuerit ejus, & dixerit, redime eũ, &c.* sensus est: *si fuerit juxta illum Propheta quis, aut verbi minister,* (hos n. angelos in scriptura vocari notum est) *unus è multis, qui hominem ægrotũ graviter moneat, ut resipiscat, eoq; nomine ipsi voluntatẽ Dei interpretetur, atq; exponat, quid ab illo requirat Deus, doceat etiam, quid æquũ honestumq; sit, & iniquitatis etiam, atq; flagitij accuset, tunc miseribitur ejus Dominus, & à morbo suo liberabit ipsum.* De officio ergo ministrorum verbi, non de patrocinio sanctorum angelorum ibi agitur. Resp.

Quòd si maximè habetur in textu, angelum aliquem pro homine orare, quod tamen nuspiam apparet, non tamen sequeretur, eos, ut hoc faciant, à nobis invocandos esse. Non quidem negamus, Deum etiam per angelos interdum monere homines, & à peccatis dehortari, sed neque in textu illo hoc dicitur, neque invocatio sanctorum angelorum, quam ipsimet recusarunt, colligitur. Tam ficulneo igitur fundamento

damento innititur dogma Papisticum de invocatione angelorum.

Proinde nemo hunc honorem, qui soli Deo debetur, & quem S. angeli accipere renuerunt, angelis tribuat, contentus interim, quod angeli suâ sponte, etiam non rogati patrocinium nostri suscipiant, pro quo non angelos sollicitet, sed angelorum creatori gratias agat.

## CASUS III.

## *Num pium & utile est, sanctorum angelorum affectare visiones & colloquia?*

*Multi fuerunt hodieq; sunt, qui visione angelicas jactat. Inter veteres fuerunt Natalius.*

RESP. Semper reperti fuerunt, qui colloquiis & visionibus angelorum multum tribuerunt. De *Natalio* quodam in hæresin *Samosatenianam* prolapso, scribit *Eusebius lib. 5. hist. eccles. c. 28.* quod à sanctis angelis de errore in somnis fuerit admonitus, sed cùm negligentiùs susciperet visiones, à sanctis angelis per totam noctem flagellatus, & pœnis gravibus excruciatus fuerit.

*Hieronym.*

*Hieronymus* de se scribit, ad *Eustochiam* virginem, quomodo revocatus sit per angelos à nimia lectione, & studio prophanorum librorum, illa voce inter flagella resonante, *miserere mei Domine*, donec ad præsidentis Christi genua provoluti, qui adstabant sancti angeli precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ.

Judæos quoque olim colloquio angelorum multùm tribuisse, constat ex *Iohan. 12, 29.* ubi cùm vox de cœlo super Christo audiretur, dicebant nonnulli, *angelum ipsi locutum fuisse.*

*Inter recentiores VVeigelius, Nugelius Bodinus, Cornel. Agrippa. Rosæ cruciarii, & horũ asseclæ.*

Fanatici hodie jactant informationem angelicam, & peculiarem modum evocandi angelos præscribunt, ut ab illis doceantur. *VVeigelius* in prima parte *Postillæ*, festo circumcis. p. 85. scribit, olim usitatissimum fuisse, ut veteres sobrii cubitum se conferrent, & per angelum suum futura cognoscerent.

*Olim Deus sæpè usus est eiusmodi apparitionibus.*

Non autem negamus, olim, cum Deus adhuc multifariam & multis modis loqueretur cum populo suo, olim esse ipsum etiam ministerio angelorum, quorum apparitionibus *Patriarchas* de gratiâ & voluntate suâ certos reddidit, sicuti factum est *Abrahamo, Gen. 18, 17. Lotho, Gen. 19, 15. Gedeoni Iud. 6, 12. 14. Manoæ Iud. 13, 3. Iosepho Matth. 1, 20. Zachar. Luc. 1, 13. Beatæ virgini Luc. 1, 26.*

Cum his agebant *vel in somnis, vel in visione,* sine vero quidem corpore, non tamen sine aliqua specie & figura corporis, *Prophetis* in ecstasin raptis; vel denique in manifesta aliqua corporis adsumtione.

Cum in corporibus apparent, faciunt hoc *vel in corporibus ex nihilo creatis,* vel ex *præcedente aliqua materia solida factis,* ut contrectari potuerint, *Abraham* enim angelo *lavit pedes Gen. 18. Iacob.* cum angelo luctatus est *Gen. 32.* vel denique in alienis corporibus naturalibus, quæ ingressi

 sunt,

sunt apparuerunt, sicut angelus in asinâ reprehendebat *Bileamū Num.* 22.32. & in ipso *Zachariâ* locutus fuisse legitur *angelus Zach.* 1,9. quod *August.* intus in ipso hominis animo fieri interpretatur *in enchir. ad Laur.* c.59. Zanchius etiam *angelos in nostra illabi corpora, & sic in nobis loqui* putat *de operib. Dei l.*2.*c.*7. quanquam alii existiment, non commisceri angelos, ac ne quidem beatos cum animis nostris, sed, ut ait *Cyprian. in prologo super sermon.* in *legationibus suis ad nos se nobis visu & auditu manifestare, aliquâ ratione nos juvare, non commixtione substantiarum suarum cum nostris*: in quâ sententiâ est *Danæus in notis ad c.* 59. *enchir. Augustini.*

*Zanchius quoque huc referendus.*

Hodie fieri potest, ut angeli nobis appareant, in somnis etiam nos moneant, sed ut eos pro doctoribus nostris habeamus, & doctrinæ ac suggestionibus, quæ ab angelis sanctis profecta videntur, in omnibus fidem habeamus, tutum non est, multis de causis.

*Cur in doctrina fidei angelorum visionibus non sit indubitato standum? 1. ratio, ab apostatarū proprietate.*

1 Quia Apostolus *Paulus* signum ἀποστασίας nominat, neglecto verbi ministerio, spirituum institutionem quærere. Eos enim, *qui à fide deficiunt, in novissimis temporibus attendere dicit spiritibus* 1. *Tim.* 4,1. Ex quo loco merito illo nominamus *Apostatas*, qui fidem abnegarunt, quotquot hodie visiones & colloquia angelorum expectant.

2 Prona ad deceptionem hoc in genere via est. Nam cùm diabolus etiam se *transformare possit in angelum lucis*, 2. *Cor.* 11,14. nemo per omnia certus esse potest, an bonus vel malus angelus ipsi apparuit aut collocutus fuerit. In forma angeli boni apparuit *Anatolio* cuidam adolescenti, ut est apud *Severum Sulpitium in vita Martini c.* 25. is sub monastica humilitate aliquandiu latens, angelos apud se loqui dicere solebat, & ad credendum hoc signis quibusdam plerosque cohortabatur. Inter cætera signa erat vestis, quā se à Deo indutum ajebat, eamque à *Clara & Sabbatio*, aliisque fratribus adhibito lumine diligenter adspectam tactamque summâ mollitie, candore eximio, micante purpurâ, nec tamen, cujus esset velleris aut generis, poterant agnoscere: nihil tamen aliud quàm vestem videbant omnes. Rem ad *Martinum* referre volebant: renuebat adolescens, sibi id interdictum esse indicans: sed cùm invitum ire compellerent, inter trahentium manus vestis evanuit, & illusio Satanæ apparuit. Eodem in capite legitur, apparuisse diabolum *Martino* oranti in cella, tectum luce purpureâ, veste regiâ indutum, diademate & gemmis & auro redimitum, calceis auro illitis, sereno ore, lætâque fronte, dicentem: *agnosce me, Martine, quē cernis, Christus ego sum, descensurus ad terram, prius me manifestare volui tibi*: & hæc iteranti respondit *Martinus*: *non se Iesus Dominus purpuratum & renitentem venturum esse prædixit: ego Christum nisi in eo habitu formaque, quâ passus est, nisi stigmata crucis ferentem, venisse non* credam,

*2 ratio, à nostra ad errores proclivitate.*

*credam*, & sic dæmon relicto fœtore, evanuit. De alio monacho fertur in vita *Martini* & in vita *Clementis ad Sulpitium*, quod habuerit patrem non procul degentem, qui filium invisurus, securim comportabat, quâ in reditu ligna domum conferenda cæderet: quare Dæmon in specie angeli huic apparuit monacho, diabolum in patris formâ cum securi adventare, ut eum jugulet nuncians, affirmansque, se eâ causâ prævenire admonitum eremitam, ut is Satanæ conatus præverteret, priùs illum occidens, quàm ab eo interficeretur. Itaque ratus patrem accedentem salutantemque diabolum, confestim interemit, & vicissim monachum dæmon è vestigio strangulat. Plura hujus generis vide apud *Iohan. VVierum de præstigiis dæmonum lib.* 1. *cap.* 16. Ecquis jam in istis illusionibus dæmonum arbiter erit, an bonum vel malum angelum viderit?

*Petrus Thyræus lib.* 4. *de appar. cap.* 16. *num.* 17. signum aliquod dat, quo diabolica allocutio ab angelica discerni queat. *Angelica*, inquit, *in principio terret, deinde quietum animum relinquit: contra, Diabolica in principio solenniter se insinuat, in fine verò relinquit turbatum atque inquietum*, eandem notam habet *Pineda in cap.* 4. *Iob. vers.* 16. At signum hoc fallere potest. Nam in historia *Simsonis* angelus Domini apparens ejus matri, nequaquam terruit eam, sed animavit potiùs, ut occurreret ad maritum, annunciatum ipsi angeli præsentiam; maritus etiam primùm non exhorruit angelum compellare. *tu es, qui locutus es mulieri*, sed post discessum demum angeli, tremor & & horror ipsum invasit *Iud.* 13. & historia *Saulis* testatur 1. *Samuel.* 28, 20. diabolum ab initio eos, quos aggreditur, metu quasi exanimare, tandem autem aliquid gaudii addere, non ut verè reficiat, sed ne metu perculsos prorsus à se abigat.

Alii ex venustate formæ quâ se apparentes spiritus faciunt amabiles, colligunt sanctum se vidisse angelum: sed & diabolus in elegantissima forma apparuit *Martino*, simulans se esse Christum, ut supra audivimus.

Neque semper boni sunt angeli, qui bona consulunt, vel à nobis expetunt; Nam & mali possunt bona dare consilia, & bona expetere, sed malo fine; & ut *Bodinus* notavit *lib.* 3. *dæmonomaniæ cap.* 6. *Satan jejunia, preces & orationes imperat, etiamque hostia admittur, ut imperitos decipiat*.

Multò minus ex loco, ubi apparent, boni angeli dignosci possunt: Nam etiam diabolus aliquando astitit *inter filios Dei Iob* 1. in paradiso etiam malorum omnium initium fecit. & Christum super pinnaculum templi duxit.

Verissimum ergò est, quod ab initio dixi, pronam esse ad fallendum viam, in colloquio cum angelis, quod vel eo nomine expetere nō debemus.

3. Non desunt exempla eorum,

quo-

3 Ratio ab exemplorum deceptionis pluralitate

quorum curiositas hoc in genere & temeritas ludibrio fuit exposita. De quodam *Theodoret* & aliis *Montanistis*, refert *Eusebius lib. 5. hist. eccles. cap. 15.* quòd mirabiles jactarint visiones, ex quibus se percepisse dixerunt, mundum brevi collapsurum: eventus autem docuit, quàm turpiter fuerint decepti: idem patrum nostrorum memoria accidit *Muncero & aliis Anabaptistis. Mahomet* persuasit mundo: se in cœlum raptum, accepisse per *Gabrielem Archangelū* perniciosam illam *Alcorani* sui doctrinam. Multi hodie sunt fanatici, qui ex visionibus & colloquiis angelorum (quæ jactant) futura prædixerunt de regnorum mutationibus, de excidio Papæ, de sanctorum internecione, quos eventus jam dum redarguit, & sine dubio propediem, appropinquante jam illo, de quo tantoperè gloriantur, seculo Spiritus sancti, prorsus confundet. In *Papatu* multum fuit datum apparitionibus spirituum, à quibus statum suorum in purgatorio cognoscere voluerunt, sed quam misere fuerint decepti, experientia, quæ stultorum magistra dicitur, edocuit. Sed hoc ex justo Dei judicio factum est, punientis curiositatem hominum, quibus, dum dilectam veritatem recipere noluerunt, efficaces *ejusmodi errores immisit, ut credant mendacio, & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati 2. Thess. 2. versic. 12.*

4 Ratio à

4. Seriò nos monuit *Apostolus Paulus*, ut nobis caveamus ab astutia Satanæ, qui *se in angelum lucis transformare* soleat, *2. Cor. 11. versic. 14.* & *ne quis nos seducat in humilitate & religione angelorum Coloss. 2, 18.* quod veteres de iis intellexerunt, qui venerantur angelos, & eorum informatione utuntur, ut suprà ex *Theodoreto & concilio Laodiceno* audivimus. Vult etiam Apostolus nos adeò ab omni angelorum informatione abhorrere, ut ne quidem angelo aliud Evangelium è cœlo afferenti credamus, cùm non sit aliud, quàm quod prædicatum fuit ab *Apostolis Galat. 1, 8* innuens sufficere nobis credere ea, quæ DEUS *Apostolorum* operâ nobis credenda proposuit: curiositas ergo est, relictâ scripturâ angelorum exspectare revelationes.

Paulinæ admonitionis severitate.

5. Nullam habent angeli vocationem ad munus docendi, nullum habemus nos mandatum, ut eos audiamus: ut ergo ipsi muneri docendi se non intrudunt, ita nos absque mandato ipsorum institutionem expetere non debemus. Nulla enim certitudo in hac institutione esse potest, cùm mihi non constet, quod sit à Deo: & generalis est sententia *Apostoli Rom. 10, 15. quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante, quomodo prædicabunt, nisi mittantur*: ubi fides & missio doctorum arctissimo vinculo connectuntur. Certus ergo de iis, quæ doceor, esse non possum, nisi de vocatione aut missione docen-

5. A deficiente missionis autoritate.

docentis, sive hominis sive angeli mihi constet.

*6. Ab angelorũ extra hierarchiã ecclesiasticam singularitate.*

6. Nullum habẽt angeli locum in eorum numero, per quos Deus nos docere voluit. Nam *Paulus*, cùm hierarchiam ecclesiasticam describeret 1. *Cor.* 12. *v.* 28. *Eph.* 4. *v.* 11. nullam ullius angeli mentionem facit, sed hominum duntaxat, per quos Deo Ecclesiam suam ædificare placuit.

*7. A temporis novissimi contrarietate.*

7. Neque etiam jam tempus amplius est, quo Deus multifariam nobiscum agit, sed *postremis temporibus locutus est nobis per filium Heb.* 1, 1. is in cœlos adscendens officium docẽdi in ecclesia commisit ecclesiæ ministris *Eph* 4, 11. horum ergò ministerio utendum est, sunt enim legati Christi, per quos Deus nos exhortatur 2. *Cor.* 5. *v.* 20.

*Q. Cur Deus hodie per angelos nõ agat nobiscum, sicut fecit in V. T. & olim?*

Duæ autem sunt causæ, cur Deus hodie non ita per angelos nobiscum agat, ut olim factum est. Pii in V. T. pueri erant, ideò, ut cæteris ceremoniis, ita & apparitionibus angelorum in solatium & confirmationem indigebant: nunc incarnato Christo, & Spiritu S. largiter nobis donato, non mittit ampliùs angelos, sed vult, ut conversatio nostra in cœlis sit, non angelorum in terris. In initio quoq; N. T. adhuc usitatæ erant angelorum apparitiones, quia tunc opus erat confirmationibus cœlestibus, nunc autem satis confirmatum est verbum Dei, ut angelicâ confirmatione opus non sit.

*8. Ratio, à Dei per homines nos instituere volẽtis voluntate.*

8. Neque desunt rationes, cur Deus non per angelos, sed per homines mortales nos informare voluit. (1.) Suam enim erga nos bonitatem declaravit, quantoperè nimirùm diligat genus humanum, dum homines hoc dignatus est honore, ut per eos nobiscum de rebus præsertim divinis loquatur, nos moneat & hortetur, unde & ministrorum ecclesiæ verbum non hominum, sed Dei verbum appellatur 1. *Thess.* 2, 13.

*Q. Cur Deus per homines & non per angelos nos velit hodie informare?*

(2.) Obedientiam nostram probare voluit: quam dum præstamus ministris ecclesiæ, ipsi Deo officium exhibuimus debitum: dictum enim illis est *Luc.* 10, 16. *qui vos audit, me audit.*

(3.) Divinam suam potentiam ostendere voluit, quia per ministerium hominum in ecclesia regnum diaboli destruit.

(4.) Infirmitati nostræ consulit, quia ad colloquia cum angelis natura minus apti sumus in hac terra peregrinationis nostræ, ideò per ejusdem sortis & conditionis homines agere voluit, qui mitiùs nos tractare, & imbecillitati nostræ condolere possunt, cùm angeli, *si doctores ecclesiæ essent, peccata populi igneis fulminibus fuissent ulturi*, ut *Chrysostomus* loquitur.

Ex his omnibus promptum est colligere; quàm periculosum, & bonam partem in Deum ipsum injuriosum sit, angelorum expetere visiones & colloquia: quam proinde consuetudinem, quibuscunque etiam pingatur ratiunculis, fabulis &

historiolis, modis omnibus improbamus, & ut pii ab ea abstineant, seriò hortamur.

Si verò Deus ipse sive per suggestiones internas, sive per apparentes visiones sanctorum angelorum nos moneat, & à periculis præservet, (quod interdum fieri nō negamus,) gratis animis paternam illam Dei curam pro nobis agnoscamus, & ministerio verbi sui obsequentiores simus. Nam qui Deum timent, & verbum ejus amant, his beatos hosce monitores & custodes divinitùs esse additos, ex sacris literis certum est.

## CASUS IV.

*Vndenam certus esse possum, quòd non tantum suggestiones cordis, sed & externæ operationes sint à bono vel malo angelo, siquidem diabolus etiam hoc in genere transformare se possit in angelum lucis?*

RESP. Sine dubio multa & bona & mala suggeruntur ab angelis, quæ bona sunt & legi Dei cōformia, à bono sunt angelo, qui non saltem ipse volūtatem Dei facit, sed & ut ab aliis fiat, laborat: ideò impuris cogitationibus resistunt, ad preces animos accendunt, segniores in officio suo excitant, & donum, quod in ipsis est, exsuscitant, quod suprà probavimus. In eum finem etiam sacris intersunt, animos auditorum attentos & devotos faciunt.

Cùm ergò in animo tuo tales volvis cogitationes: *time Deū, dilige proximum, miserere pauperum, parce delinquenti, noli teipsum vindicare, vince teipsum, moderare iram, libēter ora, abstine à blasphemiis, conviciis, & maledictis, cōpesce libidines, averte oculos, ne videant vanitatem, contemne terrena, appete cœlestia, & quæ sunt his similia*: non dubita, quin sint suggestiones boni angeli, quibus te conservare vult in viâ rectâ.

*Bonæ cogitationes ut plurimum à bono sunt angelo.*

Quæ mala sunt, & legi Dei contraria, apertè quoq; scelerata, à malo sunt angelo, qui naturam hominis ad malum in sese pronam, suggestionibus pravis facit deteriorem. Nam cùm suâ naturâ sit pessimus, & homini ad omnis generis mala dux & autor, datâ sibi facultate divinitùs malas hominum mētes & perversas voluntates impellit, ut quod impii suâ sponte erant acturi, ipso instigante & impellente faciant impensius.

*Malæ cogitationes à malo sunt angelo.*

Suggerit etiam cogitationes pravas, & monstrat occasiones delinquendi in Deum, atque sic inclinatos prosternit, prostratos conculcat, & sic constrictos tenet, ut resurgere non valeant. Ita *spiritus mendax* esse dicitur, *in ore pseudoprophetarum* 1. *Reg.* 22. *v.* 21. *Saulem* exagitavit, & contra *Davidem* instigavit 1. *Sam.* 15, 14. mentes infidelium excœcat, *ne as-*

Digitized by Google

*ne affulgeat eis illuminatio Evangelij*, 2.*Cor*.4, 4. Et quod hoc in genere apud impios efficit, id apud pios tentat, & Domino retrahente manum suam interdum in effectum producit. Sentiunt enim pii etiam suggestiones *Satanæ*, qui est *stimulus ille carni suæ infixus, colaphiq; ille*, de quo *Paulus* conqueritur 2. *Cor*.12, 7. quos, gratiâ Dei in infirmitate ipsorum potenter operante vincunt: interdum autem vehementiâ eorum opprimuntur, ut ad tempus succumbant, quemadmodum de *Davide* scriptum est, quòd *Satan; ipsum incitaverit, ut numeraret Israel* 1. *Paral*. 21, 1.

Cùm ergò talia suggeruntur cordi tuo, quæ extra dubium legi Dei, ipsique honestati sunt adversa, ut: *fac, quæ animo tuo allubescunt, absconditus eris à Deo, in illa populi multitudine non agnosceris; ne respicias pauperem, non ignoscas delinquenti, ulciscere teipsum, genio indulge, ede, bibe, lude, &c.* ne dubites, quin hæc sint ab angelo malo, cui maturè piis suspiriis resistas, aures tuas spinis obsepias, ne audias linguam nequam.

Sic etiam externæ operationes bonorum & malorum angelorum facilè dignosci possunt, si juxta legem Dei examinentur. Quæ enim piæ sunt & utiles, quibus Dei gloria & proximi commodum promovetur, sine dubio ab instinctu sunt bonorum angelorum. Quæ verò suo genere sunt detestandæ, quibus vel Deus apertè blasphematur, vel concubitus illiciti, vel rerum sacrarum abusus expetuntur, eæ à bono spiritu esse non possunt.

*Mali angeli nonnũs quam hoc in genere imitantur bonos.*

Fieri autem potest, ut mali angeli hoc in genere imitentur bonos.

[*Transfigurant se interdum in angelos lucis, honesta sola præcipiunt, illicita prohibent, mundiciam cõsectantur, utilitatibus provident, ut quasi boni & propitij familiarius admittantur, audiantur benignius, amentur arctius, exaudiantur faciliùs. Habitum quoq; induunt venerabilium personarum, ut eis major & promptior reverentia impendatur*, Joh. Salisb.*l*.2.*Policr.c*.27.]

Nam servitoribus suis suggerere possunt, ut intersint cœtibus sacris, audiant verbum, utantur sacrâ Eucharistiâ, expetant preces & suffragia aliorum, sed duntaxat per hypocrisin, ne videantur tales, quales sunt, interdum etiam sacrâ Eucharistiâ in rem suam ad res detestandas abutuntur,

[*Fallit suadendo bonum propter majus malũ inde oriturum, suadendo malum, sub specie boni, dissuadẽdo bonum tanquã malum; dissuadendo malum, ut pejus inducat. Sicut n. Deus adeò bonus, ut nullum malũ permittat fieri, ex quo non norit majus bonum elicere: ita Diabolus adeò malus, ut nunquam suadeat bonum, nisi ut graviùs inde eliceat malum.*]



Digitized by Google

Ex fine igitur judicandum est, de ejusmodi suggestionibus, an sint à bono vel malo angelo. Sæpenumerò enim quoad speciem bonæ sunt, quæ ex fine malo pessimæ & detestandæ.

## CASUS V.

### *Num pij ex revelatione angelorum prædicere possunt futura?*

*Hodierni fanatici affirmant.*

RESP. Est & hoc non postremum ex fructibus colloquiorum angelorum, quæ jactantur à fanaticis hodiernis, quòd persuasi sunt, se hoc modo multa cognoscere secreta, multa etiam futura in mutationibus ecclesiæ & regnorum, quæ aliis postea prædicere possint.

*Negativa defenditur 1. Ratio.*

Sed inanis est hæc persuasio, ex curiositate humanorum ingeniorum profecta, quæ multis modis redargui potest. Primùm enim multa & varia recenset scriptura officia angelorum, quibus Deus tum ad alia multa, tum ad procurandam electorum suorum salutem utitur, partim illustrandæ gloriæ suæ, partim majoris nostræ consolationis, partim etiam arctioris amicitiæ inter nos & sanctos angelos conservandæ, & confirmandæ gratia: sed ut nobis revelent futura, nobisq; donum propheticum conferant, nusspiam ipsis mandatum, vel ab ipsis factum esse legitur. Citra mandatum autem Dei, & absque exemplis sanctorum nihil nobis ab angelis vel expetere vel expectare licet.

*2. Ratio. Futura cõtingentia, quæ à libera voluntate pendent, ne quidem ab angelis cognoscuntur, nisi à Deo revelentur.*

Deinde futura contingentia, quæ à libera voluntate pendent, ne quidem ab angelis cognoscuntur, nisi à Deo revelentur. Solus enim Deus est, coram quo & futura, & quæ jam existunt, præsentia sunt, quo idiomate à diis gentium distinguitur apud Esaiam: *dicite nobis futura, & cognoscemus, quod dij estis Esa. 41. v. 23* Solus Deus etiam omnia futura in suis causis novit: angelis hoc datum non est sine revelatione Dei: ideò nec horam *novissimi diei nosse* dicuntur *Marc. 13, 32.* & in libro quarto *Esdræ c. 4. v. 52. Esdræ* interroganti angelum, *an esset ipse victurus usq; ad illos dies, de quibus locutus fuerat angelus; & quidnam futurũ esset in illis diebus,* respondit ei angelus: *de signis, de quibus me interrogas, ex parte possum tibi dicere: de vita autem tua non sum missus dicere tibi, sed nescio.* Audis hîc, ex eo libro, cui aliàs plurimum tribuunt fanatici, angelos de vita aut morte hominis nihil prædicere posse: alia futura saltem ex parte nosse, quantum videlicet Deus ipsis revelaverit.

*Vide Thomam p. 1. q. 57. art. 3.*

Etsi enim in sapientia æterna, quam angeli ab initio viderunt semper & vident, tanquam in speculo omnia relucent: plura tamen in eo non vident, quàm Deus ipsos videre voluit. Nam & dies novissimus in illo speculo resplendet, & tamen *Christus* eum ab angelis ignorari affirmat; mysteria salutis in eo speculo resplendent, & tamen vocatio gen-

Digitized by Google

gentium *abscondita* fuisse legitur *à seculis in Deo: nunc autem ex vocatione gentium patefactam esse multiformem illam Dei sapientiam principibus & potestatibus in cælestibus per ecclesiam, Eph.* 3.*v.*10. decreta Dei de salute hominum resplendent in isto speculo, & tamen ea non norunt angeli, nisi ex revelatione, quo pacto norunt sancti homines per Spiritum S. Nam *quis hominum novit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso, & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei,* 1.*Cor.*2.*v.*11.

*Objectio solvitur.* Dicit quidem angelus ad *Danielem: veni, ut docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus Dan.*10.*v.*14. sed hoc aliter accipi nequit, quàm quòd angelus à Deo missus prophetæ revelarit, quæ ipse à Deo in mandatis habuit.

Quocirca cùm fanatici nostri multa ex jactato angelorum colloquio de futuro ecclesiæ & reipublicæ statu prædicere ausint, ostendere debent. 1. quòd, quæ prædicunt, certò à bono angelo acceperint. 2. quòd illi angelo à Deo revelata fuerint, tales autem revelationes extra scripturas petere non possunt, in scripturis autem non inveniunt, unde sequitur, omnem ipsorum persuasionem solido carere fundamento.

*3. Ratio.* Tertiò plena res est periculi divinas jactare revelationes, & angelicas futurorum prædictiones. Eo enim pacto animus hominis aliàs novitatis cupidus abducitur à verbo & flectitur ad hæreses: nam *opus dæmonum est*, ait *Augustinus lib.*3.*con. vincent. de anima & ejus orig. c.*3. *quòd se in hæreticos æquè ac in lucis angelos transfigurent, in superbiā labitur quasi, qui cum DEO locutus, & ab angelo edoctus fuerit, quo fastu insolescit, & alios, qui hujusmodi cum angelis colloquia non instituerunt, nec futura prædicere audent, contemnit, ordinariam & in scriptura monstratam sapientiæ viam spernit, conciones pœnitentiæ, quasi eæ in ordinario ministerio non satis frequētes sint, peculiari schemate affectat, spiritus immundi suggestiones pro revelationibus divinis arripit, & hac ratione tandem plenam ad desperationem viā sternit*: id quod exemplo *Marci* cujusdam, & sociorum *Irenæus lib.*1.*c.*9. & *Montani ac Maximillæ*, ut & cujusdam *Theodoti*, qui primus eorū prophetias defendit, *Apollinaris Hierapolita* olim docuit, referente *Nicephoro lib.*4.*hist. eccl. cap.*23. In quorum hæreticorum classes, si fanaticos nostros Prophetas referamus, nihil à veritate alienum faceremus.

Præterea donum illud propheticum jam pridem cessavit in ecclesia. *4. Ratio.* Etsi enim ecclesiæ N. T. promissi sunt Prophetæ, qui visiones habeant, sine discrimine sexus *Ioel* 2. *v.*28. *D. Petrus* tamen illius promissionis impletionem expresse refert ad illud tempus, quo *Apostoli* visibiliter acceperunt Spiritum sanctum *Actor.*2, *v.*16. & quanquam subsequentibus temporibus non defuerint, qui dono prophetico fuerunt ornati, ut ex *Actis c.*11.*v.*28.28.*v.*9. aliisque locis, ut & ex historia no-

strorum temporum constat: temeritatis tamen est, sibi facilè hoc arrogare donum, quo multi seipsos & alios turpiter deceperunt.

*5. Ratio.* Denique vanitas illarum prophetiarum vel inde liquet, quòd de certitudine earum partim ex genere rerum prædictarum, partim ex eventu saltem judicari possit.

Prius quod attinet, ea, quæ prædicuntur vel *ecclesiam*, vel *rempubl.* concernunt. Si *ecclesiam*, prædictiones non debent esse contra scripturas, tunc enim *ne quidem angelus de cœlo* audiendus est, *Galat.* 1. *vers.* 8. Si ergò prophetiæ ex scriptura examinandæ sunt: cur ergò non contenti sumus scripturis? Si *Rempub.* videndum, ne statum reipub. aut cujusque hominis ordinem turbent, qualis turbatio plerumque cum novis illis prophetiis conjuncta est, eoque nomine prophetæ cœlestes *à Luthero* rejecti fuerunt, qui insano furore rusticos contra magistratum armarunt, ut est in *Lutheri lib. cont. cœlest. Prophet.*

Posterius quod attinet, eventus omnium optimam prophetiarum probationem suppeditat, teste *Irenæo lib.* 4. *cap.* 43. De utroq; horum κριτηρίων probandi prophetias, loquitur Dominus *Deut.* 13. *vers.* 1. *seqq. Deuter.* 18, 22. Si ergò eventus demum vaticinia probat, satius est, ea committere aliis, & nos contentos esse verbo, in quo nulla est deceptio;

Quilibet ergò sibi caveat, ne studio novitatis aut curiositatis ex opinione colloquii angelici sibi & aliis laqueos nectat, & se tandem suis vaticiniis deridendum aliis propinet: quod hodie, proh dolor, etiam magnis viris accidisse, experientia, quæ stultorum magistra esse solet, comprobavit.

## CASUS VI.

### *Potestnè aliquis revelationi angelorum in interpretatione scripturæ sacræ tutò fidere?*

RESP. Perinde est, sive ex revelatione angelorum, sive ex somniis interpretationem scripturæ petas: nam qui somnia hujusmodi jactant, ab angelo bono se informatos putant.

Fecit hoc *Zvinglius, qui in subsid. Euchar. tom.* 2. *fol.* 249. *verum sensum verborũ institutionis cœnæ se in somno à monitore quodam, de quo dicere nequeat, ater an alb⁹ fuerit, didicisse* scribit. Fecit hoc *Johannes Foxus Anglus*, qui, referente *Georgio Abbate in demonstratione Antichristi cap.* 8. *p.* 178. de se scribit *lib.* 1. *martyrolog. quòd die quodam Dominico summo mane in somno didicerit, quomodo verba Apocalypsis, 42. menses 1260 dies, tempus, tempora & dimidium temporis, intelligenda sint, se enim in seipso cum majestate quadam tale responsum percepisse: quin inepte,* *Calvinianorum quidam affirmativa subscribunt.*

Digitized by Google

*ineptè, menses istos per sabbatha numerato, prout hebdomadæ Danielis per sabbatha computantur.*

Excusent & pallient hæc adversarii, utcunque velint, hoc certè genus interpretandi scripturas certitudinem nullam parit.

*Rejiciendũ autem est hoc interpretãdi genus ob seqq. rationes.*

(1.) Deus enim non constituit angelos scripturarũ interpretes, sed quo spiritu sunt editę, eo etiam intelliguntur. Donum autem hoc interpretandi scripturas *distribuit Spiritus Sanctus prout vult* 1. *Cor.* 12. distribuit autem non per angelorum, sed per hominum ministerium, qui ex ipsius scripturæ phrasi & contextu verum sensum hauriunt, non ex visionibus & somniis eum inferunt.

(2.) Noluit nos Deus attendere visionibus & somniis, sed ad *legem & testimonium* revocavit *Esa.* 8. *v.* 20. hoc est, ad scripturam, quæ ad intelligentiam sui sibi satis est sufficiens.

(3.) Scriptura non est privatæ interpretationis, 2. *Petr.* 3, 20. ergò privatæ hujusmodi speculationi, licet ab angelo profecta dicatur, nemo fidere debet, quia nulli innititur solido fundamento.

(4.) Angelo qui *aliud* Evangelium attulerit, *anathema* dicitur *Galat.* 1. *v.* 8. ergò etiam, cùm sensum scripturæ alienum affert, qualis erat illa interpretatio *Zvinglij*, est pro significat, quæ contra literam & contra naturam Novi Testamenti est, in quo significationes & figuræ exspirarunt.

(5.) Dubium est, an, qui in somno nobiscum agit angelus, ater an albus sit, sicut de monitore suo dubitavit *Zvinglius*: potest autem etiam angelus ater suggerere aliquem scripturæ sensum, ad decipiendum homines, quod primi parentes experti sunt, quos depravatione verborum Domini à litera abduxit, inobedientes fecit, & in præsentissimum exitium præcipitavit.

(6.) Vult Paulus, ut spiritus *Prophetarum*, *prophetis* subjecti sint 1. *Corinth.* 14. *v.* 32. Si autem angelicis interpretationibus fidendum esset; nemo, qui eas jactat, alteri cederet, (uti etiam fit) ut ut melioribus rationibus suffulto: quia se interpretationem suam ab angelo habere jactaret.

Quæ incommoda omnia, cùm ex persuasione illa interpretationis angelicæ fluant, nemo confidenter hac in parte agat, ab angelo sensum scripturæ non petat, & si vel maximè aliquid hujusmodi in somno sibi revelatum putet, illud ipsum tamen ad lydium lapidem scripturæ, & analogiæ fidei examinet, extra quam proclivis ad errorem lapsus est.

[*Quare istiusmodi somnia ne cures, nam fallunt somnia plures, præsertim istiusmodi fanaticorum.*]

CAPUT

## CAPUT II.

### *De casibus conscientiæ circa naturam, qualitates & operationes malorum angelorum.*

QUemadmodum conversatio cũ sanctis angelis jucunda est & cõsolatione plena; ita tristis admodum & ingrata est consideratio eorũ, quæ homini interdum in communicatione cum angelis malis eveniunt. Neque tamẽ ea penitus omitti possunt, cùm mali angeli etiam invitis nobis se obtrudant, multiq; astutiam & vires Satanæ experiri potiùs, quàm credere & formidare velint.

Ideò autem Deus multis in locis scripturæ de angelis malis & eorum operationibus agit, exempla etiam ferè quotidiana astutiæ & potentiæ diabolicæ monstrat, ut animadversa hujus nostri hostis calliditate, virulentia, & nocendi studio indefesso, nos quoq; ad resistendum alacriores simus, juxta monitum *Apostolicum: non est nobis colluctatio adversus carnẽ & sanguinem, sed adversus principat⁹, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum. Quapropter assumite armaturam Dei, ut possitis resistere tempore adverso Eph.6.* & iterum: *sobrij estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide 1. Pet. 5.*

Varia autem sunt malorum angelorum in scripturâ nomina, quibus vel ipsorum *forma*, in quâ apparuerunt, vel *ingenium* & opera quodammodo exprimuntur. A *forma* vocantur *hirci seu pilosi* שעירם *Levit.* 17, 7. *Esa.* 13. *vers.* 21. *mammosi* שדים *Deut.* 32, 17 quia in formâ bestiæ mammosæ, canis aut capræ apparuerunt, draco magnus, serpẽs antiquus *Apoc.* 12, 9. *à qualitatibus* spiritus *mali* 1. *Sam.* 18, 10. spiritus *mendacij* 1. *Reg.* 22, 22. spiritus immundi *Zach.* 13, 5. *Luc.* 11, 24. à potentia *fortis armatus Luc.* 11, 21. *principes & potestates aeris Eph.* 6, 12. *Deus hujus seculi* 2. *Cor.* 4, 4. ab iracundia leo *rugiens* 1. *Pet.* 5, 8. ab astutia vocantur *spirituales astutiæ Ephes.* 6, 12. spiritus *perversitatum Esa.* 19, 14. à studio nocendi *Satan* seu adversarius *Matth.* 4, 10. *Zach.* 3, 1. à malitia, *diabolus*, quia calumniator noster est & *accusator fratrum nostrûm Apoc.* 12, 9. *inimicus Matth.* 13, 27. *malus ibid.* ab *operibus* vocatur *tentator. Matth.* 4, 7. *homicida Ioh.* 8, 44. spiritus *Pythonis Act.* 16, 16. quia omnium præstigiarum & incantationum autor est. *Nomina malorum angelorũ.*

[*Diabolus est serpens propter calliditatem, leo propter animositatẽ, Draco propter crudelitatem. Diabolum criminatorem vocamus, quia crimina, in quæ ipse illicit, ad Deum defert Lactãt. l. 2. inst. c.* 8]

Quæ nomina omnia monent nos, in quanto simus periculo. Nemo enim dubitare debet, quin totus

tus mundus plenus sit malis angelis, inter quos vivendum & præliãdum nobis est, quamdiu vivimus. Ubi sanè multa occurrũt, de quibus informandus est hominis animus, ne in casses satanæ incidamus incauti.

De his deinceps ordine acturi sumus, *initium* facientes ab ipsis diabolis, *deinde* accessuri ad pedissequas ejus, magos & veneficas, præstigiatores & divinatores: *denique ad* spectra, quibus illudit hominibus, & *tandem* ad obsessos, in quibus potentiam & malitiam suam nimis apertè exerit.

## CASUS I.

*An sint Diaboli?*

*Cùm multi verbis aut factis testentur, se non credere esse diabolos, vel saltem non tam atros esse, ut pinguntur, primùm omnium, quàm periculosè illi errent, & quomodo huic errori scriptura & experientia refragetur, ostendendum est.*

RESP. Non tantùm antiquus *Sadducaeorum* error fuit, non esse angelum nec spiritum *Actor.* 23, 8. sed & hodie reperiuntur multi, qui concupiscentias carnis, aut pravas cogitationes saltem diabolos appellari putant, esse autem tam potentes spiritus, malorum omnium, quæ sunt in mundo, ipsarum etiam cogitationum malignarum autores, infensissimos humani generis hostes, corporum ac animarum carnifices, credere nolunt, donec ipsorum malitiam experiãtur ipsi. Interim in diem vivunt, diabolum mortuum esse dicunt, ad omnia scelera parati, & cùm ita sentiunt ac faciunt, in ipsis unguibus diaboli hærent.

Ne ergò hi in impietate suâ pereant, & alii in similem malitiam implicentur, docendum est 1. quòd sint Diaboli. 2. quòd non procul à nobis sint. 3. quòd eorum multi sint. 4 quòd astutissimi & potentissimi sint.

*Diabolos esse probatur 1. à lapsu angelorũ.*

Primùm igitur esse diabolos, comprobat scriptura multis in locis, ut 1. *à lapsu angelorum*, ut *Iohan.* 8. *v.* 44. *diabolus in veritate non stetit* 1. *Pet.* 2. *v.* 4. *Deus angelis peccantibus non pepercit. Epist. Iud. vers.* 6. *angelos, qui nõ servaverunt suum principatum*, sed *dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Lapsus enim distinxit angelos, & ex quibusdam fecit diabolos. Impius autem error est *Manichaeorum & Priscillianistarum*, quasi diaboli tales à Deo fuerint creati, quales jam sunt, mali scilicet & immundi. Nam *Apostolus Iudas*, diabolum *suam dereliquisse originem* scribit, *vers.* 6. & nihil mali vel immundi esse potest à Deo, qui, quæ condidit, omnia *valde bona esse* vidit, *Gen.* 1, 31.



Digitized by Google

funt apparuerunt, ficut angelus in afina reprehendebat *Bileamu Num.* 22,32. & in ipso *Zacharia* locutus fuisse legitur *angelus Zach.* 1,9. quod *August.* intus in ipso hominis animo fieri interpretatur *in enchir. ad Laur. c.* 59. Zanchius etiam *angelos in nostra illabi corpora, & sic in nobis loqui* putat *de operib Dei l.* 2. *c.* 7. quanquam alii existiment, non commisceri angelos, ac ne quidem beatos cum animis nostris, sed, ut ait *Cyprian. in prologo super serman.* in *legationibus suis ad nos se nobis visu & auditu manifestare, aliquâ ratione nos juvare, non commixtione substantiarum suarum cum nostris:* in quâ sententiâ est *Daneus in notis ad c.* 59. *enchir. Augustini.*

*Zanchius quoque huc referendus.*

Hodie fieri potest, ut angeli nobis appareant, in somnis etiam nos moneant, sed ut eos pro doctoribus nostris habeamus, & doctrinæ ac suggestionibus, quæ ab angelis sanctis profecta videntur, in omnibus fidem habeamus, tutum non est, multis de causis.

*Cur in doctrina fides angelorum visionibus non sit indubitato standum? 1. ratio; ab apostatarũ proprietate.*

1 Quia Apostolus *Paulus* signum ἀποστασίας nominat, neglecto verbi ministerio, spirituum institutionem quærere. Eos enim, *qui à fide deficiunt, in novissimis temporibus attendere dicit spiritibus* 1. *Tim.* 4,1. Ex quo loco merito suo nominamus *Apostatas*, qui fidem abnegarunt, quotquot hodie visiones & colloquia angelorum expectant.

2 Prona ad deceptionem hoc in genere via est. Nam cùm diabolus etiam se *transformare possit in angelum lucis,* 2. *Cor.* 11,14. nemo per omnia certus esse potest, an bonus vel malus angelus ipsi apparuit aut collocutus fuerit. In forma angeli boni apparuit *Anatolio* cuidam adolescenti, ut est apud *Severum Sulpitium in vita Martini c.* 25. is sub monastica humilitate aliquandiu latens, angelos apud se loqui dicere solebat, & ad credendum hoc signis quibusdam plerosque cohortabatur. Inter cætera signa erat vestis, quã se à Deo indutum ajebat, eamque à *Clara & Sabbatio*, aliisque fratribus adhibito lumine diligenter adspectam tactamque summâ mollitie, candore eximio, micante purpurâ, nec tamen, cujus esset velleris aut generis, poterant agnoscere: nihil tamen aliud quàm vestem videbant omnes. Rem ad *Martinum* referre volebant: renuebat adolescens, sibi id interdictum esse indicans: sed cùm invitum ire compellerent, inter trahentium manus vestis evanuit, & illusio Satanæ apparuit. Eodem in capite legitur, apparuisse diabolum *Martino* oranti in cella, tectum luce purpureâ, veste regiâ indutum, diademate & gemmis & auro redimitum, calceis auro illitis, sereno ore, lætâque fronte, dicentem: *agnosce me, Martine, quẽ cernis, Christus ego sum, descensurus ad terram, prius me manifestare volui tibi:* & hæc iteranti respondit *Martinus*; non *se Iesus Dominus purpuratum & renitentem venturum esse prædixit: ego Christum nisi in eo habitu formaq́; quâ passus est, nisi stigmata crucis ferentem, venisse non credam,*

*2 ratio. à nostra ad errores proclivitate.*

Digitized by Google

*credam*, & ſic dæmon relicto fœtore, evanuit. De alio monacho fertur in vita *Martini* & in vita *Clementis ad Sulpitium*, quòd habuerit patrem non procul degentem, qui filium viſurus, ſecurim comportabat, quâ in reditu ligna domum conferenda cæderet: quare Dæmon in ſpecie angeli huic apparuit monacho, diabolum in patris formâ cum ſecuri adventare, ut eum jugulet nuncians, affirmanſque, ſe eâ causâ prævenire admonitum eremitam, ut is Satanæ conatus præverteret, priùs illum occidens, quàm ab eo interficeretur. Itaque ratus patrem accedentem ſalutantemque diabolum, confeſtim interemit, & viciſſim monachum dæmon è veſtigio ſtrangulat. Plura hujus generis vide apud *Iohan. VVierum de præſtigiis dæmonum lib.* 1. *cap.* 16. Ecquis jam in iſtis illuſionibus dæmonum arbiter erit, an bonum vel malum angelum viderit?

*Petrus Thyræus lib.* 4. *de appar. cap.* 16. *num.* 17. ſignum aliquod dat, quo diabolica allocutio ab angelica diſcerni queat. *Angelica*, inquit, *in principio terret, deinde quietum animum relinquit: contra, Diabolica in principio ſolenniter ſe inſinuat, in fine vero relinquit turbatum atque inquietum*, eandem notam habet *Pineda in cap.* 4. *Iob. verſ.* 16. At ſignum hoc fallere poteſt. Nam in hiſtoria *Simſonis* angelus Domini apparens ejus matri, nequaquam terruit eam, ſed animavit potiùs, ut occurreret ad maritum, annunciatum ipſi angeli præſentiam; maritus etiam primùm non exhorruit angelum compellare. *tu es, qui locutus es mulieri*, ſed poſt diſceſſum demum angeli, tremor & & horror ipſum invaſit *Iud.* 13. & hiſtoria *Saulis* teſtatur 1. *Samuel.* 28, 20. diabolum ab initio eos, quos aggreditur, metu quaſi exanimare, tandem autem aliquid gaudii addere, non ut verè reficiat, ſed ne metu perculſos prorſus à ſe abigat.

Alii ex venuſtate formæ quâ ſe apparentes ſpiritus faciunt amabiles, colligunt ſanctum ſe vidiſſe angelum: ſed & diabolus in elegantiſſima forma apparuit *Martino*, ſimulans ſe eſſe Chriſtum, ut ſupra audivimus.

Neque ſemper boni ſunt angeli, qui bona conſulunt, vel à nobis expetunt; Nam & mali poſſunt bona dare conſilia, & bona expetere, ſed malo fine: & ut *Bodinus* notavit *lib.* 3. *dæmonomania cap.* 6. *Satan jejunia, preces & orationes imperat, etiamque hoſtia abutitur, ut imperitos decipiat.*

Multò minus ex loco ubi apparent, boni angeli dignoſci poſſunt: Nam etiam diabolus aliquando aſtitit *inter filios Dei Iob* 1. in paradiſo etiam malorum omnium initium fecit. & Chriſtum ſuper pinnaculum templi duxit.

Veriſſimum ergò eſt, quod ab initio dixi, pronam eſſe ad fallendum viam, in colloquio cum angelis, quod vel eo nomine expetere nō debemus.

3. Non deſunt exempla eorum, quo-

3 *Ratio ab exemplorum deceptionis pluralitate* quorum curiositas hoc in genere & temeritas ludibrio fuit exposita. De quodam *Theodoret.* & aliis *Montanistis*, refert *Eusebius lib. 5. hist. eccles. cap. 15.* quòd mirabiles jactarint visiones, ex quibus se percepisse dixerunt, mundum brevi collapsurum: eventus autem docuit, quàm turpiter fuerint decepti: idem patrum nostrorum memoria accidit *Muncero & aliis Anabaptistis. Mahomet* persuasit mundo: se in cœlum raptum, accepisse per *Gabrielem Archangelū* perniciosam illam *Alcorani* sui doctrinam. Multi hodie sunt fanatici, qui ex visionibus & colloquiis angelorum (quæ jactant) futura prædixerunt de regnorum mutationibus, de excidio Papæ, de sanctorum internecione, quos eventus jam dum redarguit, & sine dubio propediem, appropinquante jam illo, de quo tantoperè gloriantur, seculo Spiritus sancti, prorsus confundet. In *Papatu* multum fuit datum apparitionibus spirituum, à quibus statum suorum in purgatorio cognoscere voluerunt, sed quam misere fuerint decepti, experientia, quæ stultorum magistra dicitur, edocuit. Sed hoc ex justo Dei judicio factum est, punientis curiositatem hominum, quibus, dum dilectam veritatem recipere noluerunt, efficaces ejusmodi errores immisit, *ut credant mendacio, & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati 2. Thess. 2. versic. 12.*

4 *Ratio à* 4. Seriò nos monuit *Apostolus Paulus*, ut nobis caveamus ab astutia Satanæ, qui *se in angelum lucis transformare* soleat, *2. Cor. 11. vers. 14.* *Paulina admonitionis severitate.* & *ne quis nos seducat in humilitate & religione angelorum Coloss. 2, 18.* quod veteres de iis intellexerunt, qui venerantur angelos, & eorum informatione utuntur, ut suprà ex *Theodoreto* & *concilio Laodiceno* audivimus. Vult etiam Apostolus nos adeò ab omni angelorum informatione abhorrere, ut ne quidem angelo aliud Evangelium è cælo afferenti credamus, cùm non sit aliud, quàm quod prædicatum fuit ab *Apostolis Galat. 1, 8.* innuens sufficere nobis credere ea, quæ DEUS *Apostolorum* operâ nobis credenda proposuit: curiositas ergo est, relictâ scripturâ angelorum exspectare revelationes.

5. Nullam habent angeli vocationem ad munus docendi, nullum habemus nos mandatum, ut eos audiamus: ut ergo ipsi muneri docendi se non intrudunt, ita nos absque mandato ipsorum institutionem expetere non debemus. Nulla enim certitudo in hac institutione esse potest, cùm mihi non constet, quod sit à Deo: & generalis est sententia *Apostoli Rom. 10, 15. quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante, quomodo prædicabunt, nisi mittantur*: ubi fides & missio doctorum arctissimo vinculo connectuntur. Certus ergo de iis, quæ doceor, esse non possum, nisi de vocatione aut missione *5. A deficiente missionis autoritate.*

docen-

docentis, sive hominis sive angeli mihi constet,

*6. Ab angelorũ extra hierarchiã ecclesiasticam singularitate.* 6. Nullum habẽt angeli locum in eorum numero, per quos Deus nos docere voluit. Nam *Paulus*, cùm hierarchiam ecclesiasticam describeret 1. *Cor.* 12. *v.* 28. *Eph.* 4. *v.* 11. nullam ullius angeli mentionem facit, sed hominum duntaxat, per quos Deo Ecclesiam suam ædificare placuit.

*7. A temporũ novissimi contrarietate.* 7. Neque etiam jam tempus amplius est, quo Deus multifariam nobiscum agit, sed *postremis temporibus locutus est nobis per filium Heb.* 1, 1. is in cœlos adscendens officium docẽdi in ecclesia commisit ecclesiæ ministris *Eph* 4, 11. horum ergò ministerio utendum est, sunt enim legati Christi, per quos Deus nos exhortatur 2. *Cor.* 5. *v.* 20.

*Q. Cur Deus hodie per angelos nõ agat nobiscum, sicut fecit in V. T. & olim?* Duæ autem sunt causæ, cur Deus hodie non ita per angelos nobiscum agat, ut olim factum est. Pii in V. T. pueri erant, ideò, ut cæteris ceremoniis, ita & apparitionibus angelorum in solatium & confirmationem indigebant: nunc incarnato Christo, & Spiritu S. largiter nobis donato, non mittit ampliùs angelos, sed vult, ut conversatio nostra in cœlis sit, non angelorum in terris. In initio quoq; N. T. adhuc usitatæ erant angelorum apparitiones, quia tunc opus erat confirmationibus cœlestibus, nunc autem satis confirmatum est verbum Dei, ut angelicâ confirmatione opus non sit.

*8. Ratio, à Dei per homines nos instituere volẽtis voluntate.* 8. Neque desunt rationes, cur Deus non per angelos, sed per homines mortales nos informare voluit. (1.) Suam enim erga nos bonitatem declaravit, quantoperè nimirùm diligat genus humanum, dum homines hoc dignatus est honore, ut per eos nobiscum de rebus præsertim divinis loquatur, nos moneat & hortetur, unde & ministrorum ecclesiæ verbum non hominum, sed Dei verbum appellatur 1. *Thess.* 2, 13.

*Q. Cur Deus per homines & non per angelos nos velit hodie informare?*

(2.) Obedientiam nostram probare voluit: quam dum præstamus ministris ecclesiæ, ipsi Deo officium exhibuimus debitum: dictum enim illis est *Luc.* 10, 16. *qui vos audit, me audit.*

(3.) Divinam suam potentiam ostendere voluit, quia per ministerium hominum in ecclesia regnum diaboli destruit

(4.) Infirmitati nostræ consulit, quia ad colloquia cum angelis natura minus apti sumus in hac terra peregrinationis nostræ, ideò per ejusdem sortis & conditionis homines agere voluit, qui mitiùs nos tractare, & imbecillitati nostræ condolere possunt, cùm angeli, *si doctores ecclesiæ essent, peccata populi igneis fulminibus fuissent ulturi*, ut *Chrysostomus* loquitur.

Ex his omnibus promptum est colligere; quàm periculosum, & bonam partem in Deum ipsum injuriosum sit, angelorum expetere visiones & colloquia: quam proinde consuetudinem, quibuscunque etiam pingatur ratiunculis, fabulis &



Digitized by Google

historiolis, modis omnibus improbamus, & ut pii ab ea abstineant, seriò hortamur.

Si verò Deus ipse sive per suggestiones internas, sive per apparentes visiones sanctorum angelorum nos moneat, & à periculis præservet, (quod interdum fieri nõ negamus,) gratis animis paternam illam Dei curam pro nobis agnoscamus, & ministerio verbi sui obsequentiores simus. Nam qui Deum timent, & verbum ejus amant, his beatos hosce monitores & custodes divinitùs esse additos, ex sacris literis certum est.

## CASUS IV.

*Vndenam certus esse possum, quòd non tantum suggestiones cordis, sed & externæ operationes sint à bono vel malo angelo, siquidem diabolus etiam hoc in genere transformare se possit in angelum lucis?*

RESP. Sine dubio multa & bona & mala suggeruntur ab angelis, quæ bona sunt & legi Dei cõformia, à bono sunt angelo, qui non saltem ipse volũtatem Dei facit, sed & ut ab aliis fiat, laborat: ideò impuris cogitationibus resistunt, ad preces animos accendunt, segniores in officio suo excitant, & donum, quod in ipsis est, exsuscitant, quod suprà probavimus. In eum finem etiam sacris intersunt, animos auditorum attentos & devotos faciunt.

*Bona cogitationes ut plurimum à bono sunt angelo.*

Cùm ergò in animo tuo tales volvis cogitationes: *time Deũ, dilige proximum, miserere pauperum, parce delinquenti, noli teipsum vindicare, vince teipsum, moderare iram, libẽter ora, abstine à blasphemiis, convitiis, & maledictis, cõpesce libidines, averte oculos, ne videant vanitatem, contemne terrena, appete cælestia, & quæ sunt his similia*: non dubita, quin sint suggestiones boni angeli, quibus te conservare vult in viâ rectâ.

*Mala cogitationes à malo sunt angelo.*

Quæ mala sunt, & legi Dei contraria, apertè quoq; scelerata, à malo sunt angelo, qui naturam hominis ad malum in sese pronam, suggestionibus pravis facit deteriorem. Nam cùm suâ naturâ sit pessimus, & homini ad omnis generis mala dux & autor, datâ sibi facultate divinitùs malas hominum mẽtes & perversas voluntates impellit, ut quod impii suâ sponte erant acturi, ipso instigante & impellente faciant impensius.

Suggerit etiam cogitationes pravas, & monstrat occasiones delinquendi in Deum, atque sic inclinatos prosternit, prostratos conculcat, & sic constrictos tenet, ut resurgere non valeant. Ita *spiritus mendax* esse dicitur, *in ore pseudoprophetarum* 1. *Reg.* 22. *v.* 22. *Saulem* exagitavit, & contra *Davidem* instigavit 1. *Sam.* 15, 14. mentes infidelium excæcat, *ne as-*

*ne affulgeat eis illuminatio Evangelij*, 2.*Cor*.4, 4. Et quod hoc in genere apud impios efficit, id apud pios tentat, & Domino retrahente manum suam interdum in effectum producit. Sentiunt enim pii etiam suggestiones *Satanæ*, qui est *stimulus ille carni suæ infixus, colaphusq́; ille*, de quo *Paulus* conqueritur 2. *Cor*.12, 7. quos, gratiâ Dei in infirmitate ipsorum potenter operante vincunt: interdum autem vehementiâ eorum opprimuntur, ut ad tempus succumbant, quemadmodum de *Davide* scriptum est, quòd *Satan ipsum incitaverit, ut numeraret Israel* 1. *Paral*. 21, 1.

Cùm ergò talia suggeruntur cordi tuo, quæ extra dubium legi Dei, ipsique honestati sunt adversa, ut: *fac, quæ animo tuo allubescunt, absconditus eris à Deo, in illa populi multitudine non agnosceris*; *ne respicias pauperem, non ignoscas delinquenti, ulciscere teipsum, genio indulge, ede, bibe, lude, &c.* ne dubites, quin hæc sint ab angelo malo, cui maturè piis suspiriis resistas, aures tuas spinis obsepias, ne audias linguam nequam.

Sic etiam externæ operationes bonorum & malorum angelorum facilè dignosci possunt, si juxta legem Dei examinentur. Quæ enim piæ sunt & utiles, quibus Dei gloria & proximi commodum promovetur, sine dubio ab instinctu sunt bonorum angelorum. Quæ verò suo genere sunt detestandæ, quibus vel Deus apertè blasphematur, vel concubitus illiciti, vel rerum sacrarum abusus expetuntur, eæ à bono spiritu esse non possunt.

Fieri autem potest, ut mali angeli hoc in genere imitentur bonos.

*Mali angeli nonnũquam hoc in genere imitantur bonos.*

[*Transfigurant se interdum in angelos lucis, honesta sola præcipiunt, illicita prohibent, mundiciam cõsectantur, utilitatibus provident, ut quasi boni & propitij familiariùs admittantur, audiantur benigniùs, amentur arctiùs, exaudiantur faciliùs. Habitum quoq́; induunt venerabilium personarum, ut eis major & promptior reverentia impendatur*, Joh. Salisb. *l*.2. *Policr*. *c*.27.]

Nam servitoribus suis suggerere possunt, ut intersint cœtibus sacris, audiant verbum, utantur sacrâ Eucharistiâ, expetant preces & suffragia aliorum, sed duntaxat per hypocrisin, ne videantur tales, quales sunt, interdum etiam sacrâ Eucharistiâ in rem suam ad res detestandas abutuntur,

[*Fallit suadendo bonum propter majus malũ inde oriturum, suadendo malum, sub specie boni, dissuadẽdo bonum tanquã malum; dissuadendo malum, ut pejus inducat. Sicut n. Deus adeò bonus, ut nullum malũ permittat fieri, ex quo non norit majus bonum elicere: ita Diabolus adeò malus, ut nunquam suadeat bonum, nisi ut graviùs inde eliceat malum.*]

Ex fine igitur judicandum est, de ejusmodi suggestionibus, an sint à bono vel malo angelo. Sæpenumerò enim quoad speciem bonæ sunt, quæ ex fine malo pessimæ & detestandæ.

## CASUS V.

### *Num pij ex revelatione angelorum prædicere possunt futura?*

*Hodierni fanatici affirmant.*

RESP. Est & hoc non postremum ex fructibus colloquiorum angelorum, quæ jactantur à fanaticis hodiernis, quòd persuasi sunt, se hoc modo multa cognoscere secreta, multa etiam futura in mutationibus ecclesiæ & regnorum, quæ aliis postea prædicere possint.

*Negativa defenditur 1. Ratio.*

Sed inanis est hæc persuasio, ex curiositate humanorum ingeniorum profecta, quæ multis modis redargui potest. Primùm enim multa & varia recenset scriptura officia angelorum, quibus Deus tum ad alia multa, tum ad procurandam electorum suorum salutem utitur, partim illustrandæ gloriæ suæ, partim majoris nostræ consolationis, partim etiam arctioris amicitiæ inter nos & sanctos angelos conservandæ, & confirmandæ gratia: sed ut nobis revelent futura, nobisq; donum propheticum conferant, nuspiam ipsis mandatum, vel ab ipsis factum esse legitur. Citra mandatum autem Dei, & absque exemplis sanctorum nihil nobis ab angelis vel expetere vel expectare licet.

*2. Ratio. Futura cõtingentia, quæ à libera voluntate pendent, ne quidem ab angelis cognoscuntur, nisi à Deo revelentur.*

Deinde futura contingentia, quæ à libera voluntate pendent, ne quidem ab angelis cognoscuntur, nisi à Deo revelentur. Solus enim Deus est, coram quo & futura, & quæ jam existunt, præsentia sunt, quo idiomate à diis gentium distinguitur apud Esaiam: *dicite nobis futura, & cognoscemus, quod dij estis Esa. 41. v. 23* Solus Deus etiam omnia futura in suis causis novit: angelis hoc datum non est sine revelatione Dei: ideò nec horam *novissimi diei nosse* dicuntur *Marc. 13, 32.* & in libro quarto *Esdræ c. 4. v. 52. Esdræ* interroganti angelum, *an esset ipse victurus usq; ad illos dies, de quibus locutus fuerat angelus; & quidnam futurũ esset in illis diebus,* respondit ei angelus: *de signis, de quibus me interrogas, ex parte possum tibi dicere: de vita autem tua non sum missus dicere tibi, sed nescio.* Audis hîc, ex eo libro, cui aliàs plurimum tribuunt fanatici, angelos de vita aut morte hominis nihil prædicere posse: alia futura saltem ex parte nosse, quantum videlicet Deus ipsis revelaverit.

*Vide Thomam p. 1. q. 57. art. 3.*

Etsi enim in sapientia æterna, quam angeli ab initio viderunt semper & vident, tanquam in speculo omnia relucent: plura tamen in eo non vident, quàm Deus ipsos videre voluit. Nam & dies novissimus in illo speculo resplendet, & tamen *Christus* eum ab angelis ignorari affirmat; mysteria salutis in eo speculo resplendent, & tamen vocatio gen-

gentium *abscondita* fuisse legitur *à seculis in Deo: nunc autem ex vocatione gentium patefactam esse multiformem illam Dei sapientiam principibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam, Eph.3.v.10.* decreta Dei de salute hominum resplendent in isto speculo, & tamen ea non norunt angeli, nisi ex revelatione, quo pacto norunt sancti homines per Spiritum S. Nam *quis hominum novit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso, & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei, 1.Cor.2.v.11.*

*Objectio solvitur.* Dicit quidem angelus ad *Danielem: veni, ut docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus Dan.10.v.14.* sed hoc aliter accipi nequit, quàm quòd angelus à Deo missus prophetæ revelarit, quæ ipse à Deo in mandatis habuit.

Quocirca cùm fanatici nostri multa ex jactato angelorum colloquio de futuro ecclesiæ & reipublicæ statu prædicere ausint, ostendere debent. 1. quòd, quæ prædicunt, certò à bono angelo acceperint. 2. quòd illi angelo à Deo revelata fuerint, tales autem revelationes extra scripturas petere non possunt, in scripturis autem non inveniunt, unde sequitur, omnem ipsorum persuasionem solido carere fundamento.

*3. Ratio.* Tertiò plena res est periculi divinas jactare revelationes, & angelicas futurorum prædictiones. Eo enim pacto animus hominis aliàs novitatis cupidus abducitur à verbo & flectitur ad hæreses: nam *opus dæmonum est.* ait *Augustinus lib.3.con. vincent. de anima & ejus orig.c.3.* quòd *se in hæreticos æquè ac in lucis angelos transfigurent, in superbiã labitur quasi, qui cum DEO locutus, & ab angelo edoctus fuerit, quo fastu insolescit, & alios, qui hujusmodi cum angelis colloquia non instituerunt, nec futura prædicere audent, contemnit, ordinariam & in scriptura monstratam sapientiæ viam spernit, conciones pœnitentiæ, quasi ex in ordinario ministerio non satis frequẽtes sint, peculiari schemate affectat, spiritus immundi suggestiones pro revelationibus divinis arripit, & hac ratione tandem plenam ad desperationem viã sternit*: id quod exemplo *Marci* cujusdam, & sociorum *Irenæus lib.1.c.9.* & *Montani ac Maximillæ*, ut & cujusdam *Theodoti*, qui primus eorũ prophetias defendit, *Apollinaris Hierapolita* olim docuit, referente *Nicephoro lib.4.hist.eccl.cap.23.* In quorum hæreticorum classes, si fanaticos nostros Prophetas referamus, nihil à veritate alienum faceremus.

Præterea donum illud propheticum jam pridem cessavit in ecclesia. *4. Ratio.* Etsi enim ecclesiæ N. T. promissi sunt Prophetæ, qui visiones habeant, sine discrimine sexus *Ioel 2. v.28. D. Petrus* tamen illius promissionis impletionem expressè refert ad illud tempus, quo *Apostoli* visibiliter acceperunt Spiritum sanctum *Actor.2,v.16.* & quanquam subsequentibus temporibus non defuerint, qui dono prophetico fuerunt ornati, ut ex *Actis c.11.v.28.28.v.9.* aliisque locis, ut & ex historia no-

ſtrorum temporum conſtat: temeritatis tamen eſt, ſibi facilè hoc arrogare donum, quo multi ſeipſos & alios turpiter deceperunt.

5. *Ratio.* Denique vanitas illarum prophetiarum vel inde liquet, quòd de certitudine earum partim ex genere rerum prædictarum, partim ex eventu ſaltem judicari poſſit.

Prius quod attinet, ea, quæ prædicuntur vel *eccleſiam*, vel *rempubl.* concernunt. Si *eccleſiam*, prædictiones non debent eſſe contra ſcripturas, tunc enim *ne quidem angelus de cœlo* audiendus eſt, *Galat.* 1. *verſ.* 8. Si ergò prophetiæ ex ſcriptura examinandæ ſunt: cur ergò non contenti ſumus ſcripturis? Si *Rempub.* videndum, ne ſtatum reipub. aut cujuſque hominis ordinem turbent, qualis turbatio plerumque cum novis illis prophetiis conjuncta eſt, eoque nomine prophetæ cœleſtes *à Luthero* rejecti fuerunt, qui inſano furore ruſticos contra magiſtratum armarunt, ut eſt in *Lutheri lib. cont. cœleſt. Prophet.*

Poſterius quod attinet, eventus omnium optimam prophetiarum probationem ſuppeditat, teſte *Irenæo lib.* 4. *cap.* 43. De utroq; horum κριτηρίων probandi prophetias, loquitur Dominus *Deut.* 13. *verſ.* 1. *ſeqq. Deut.* 18, 22. Si ergò eventus demum vaticinia probat, ſatius eſt, ea committere aliis, & nos contentos eſſe verbo, in quo nulla eſt deceptio:

Quilibet ergò ſibi caveat, ne ſtudio novitatis aut curioſitatis ex opinione colloquii angelici ſibi & aliis laqueos nectat, & ſe tandem ſuis vaticiniis deridendum aliis propinet: quod hodie, proh dolor, etiam magnis viris accidiſſe, experientia, quæ ſtultorum magiſtra eſſe ſolet, comprobavit.

## CASUS VI.

### *Poteſtnè aliquis revelationi angelorum in interpretatione ſcripturæ ſacræ tutò fidere?*

RESP. Perinde eſt, ſive ex revelatione angelorum, ſive ex ſomniis interpretationem ſcripturæ petas: nam qui ſomnia hujuſmodi jactant, ab angelo bono ſe informatos putant.

Fecit hoc *Zwinglius, qui in ſubſid. Euchar. tom.* 2. *fol.* 249. *verum ſenſum verborũ inſtitutionis cœnæ ſe in ſomno à monitore quodam, de quo dicere nequeat, ater an albus fuerit, didiciſſe* ſcribit. Fecit hoc *Johannes Foxus Anglus*, qui, referente *Georgio Abbate in demonſtratione Antichriſti cap.* 8. *p.* 178. de ſe ſcribit *lib.* 1. *martyrolog. quòd die quodam Dominico ſummo manc in ſomno didicerit, quomodo verba Apocalypſis, 42. menſes 1260 dies, tempus, tẽpora & dimidium temporis, intelligenda ſint, ſe enim in ſeipſo cum majeſtate quadam tale reſponſum percepiſſe: quin* *Calvinianorum quidam affirmativa ſubſcribunt.*

inepte,

*inepte, menses istos per sabbatha numerato, prout hebdomadæ Danielis per sabbatha computantur.*

Excusent & pallient hæc adversarii, utcunque velint, hoc certè genus interpretandi scripturas certitudinem nullam parit.

*Rejiciendū autem est hoc interpretādi gen⁹ ob seqq. rationes.*

(1.) Deus enim non constituit angelos scripturarū interpretes, sed quo spiritu sunt editę, eo etiam intelliguntur. Donum autem hoc interpretandi scripturas *distribuit Spiritus Sanctus prout vult* 1. *Cor.* 12. distribuit autem non per angelorum, sed per hominum ministerium, qui ex ipsius scripturæ phrasi & contextu verum sensum hauriunt, non ex visionibus & somniis eum inferunt.

(2.) Noluit nos Deus attendere visionibus & somniis, sed ad *legem & testimonium* revocavit *Esa.* 8. *v.* 20. hoc est, ad scripturam, quæ ad intelligentiam sui sibi satis est sufficiens.

(3.) Scriptura non est privatæ interpretationis, 2. *Petr.* 3. 20. ergò privatæ hujusmodi speculationi, licet ab angelo profecta dicatur, nemo fidere debet, quia nulli innititur solido fundamento.

(4.) Angelo qui *aliud* Evangelium attulerit, *anathema* dicitur *Galat.* 1. *v.* 8. ergò etiam, cùm sensum scripturæ alienum affert, qualis erat illa interpretatio *Zvinglij*, est pro significat, quæ contra literam & contra naturam Novi Testamenti est, in quo significationes & figuræ exspirarunt.

(5.) Dubium est, an, qui in somno nobiscum agit angelus, ater an albus sit, sicut de monitore suo dubitavit *Zvinglius*: potest autem etiam angelus ater suggerere aliquem scripturæ sensum, ad decipiendum homines, quod primi parentes experti sunt, quos depravatione verborum Domini à litera abduxit, inobedientes fecit, & in præsentissimum exitium præcipitavit.

(6.) Vult Paulus, ut spiritus *Prophetarum*, *prophetis* subjecti sint 1. *Corinth.* 14. *v.* 32. Si autem angelicis interpretationibus fidendum esset; nemo, qui eas jactat, alteri cederet, (uti etiam fit) ut ut melioribus rationibus suffulto: quia se interpretationem suam ab angelo habere jactaret.

Quæ incommoda omnia, cùm ex persuasione illa interpretationis angelicæ fluant, nemo confidenter hac in parte agat, ab angelo sensum scripturæ non petat, & si vel maximè aliquid hujusmodi in somno sibi revelatum putet, illud ipsum tamen ad lydium lapidem scripturæ, & analogiæ fidei examinet, extra quam proclivis ad errorem lapsus est.

[*Quare istiusmodi somnia ne cures, nam fallunt somnia plures, præsertim istiusmodi fanaticorum.*]

CAPUT

tus mundus plenus sit malis angelis, inter quos vivendum & prœliādum nobis est, quamdiu vivimus. Ubi sanè multa occurrũt, de quibus informandus est hominis animus, ne in casses satanæ incidamus incauti.

De his deinceps ordine acturi sumus, *initium* facientes ab ipsis diabolis, *deinde* accessuri ad pedissequas ejus, magos & veneficas, præstigiatores & divinatores: *denique ad* spectra, quibus illudit hominibus, & *tandem* ad obsessos, in quibus potentiam & malitiam suam nimis apertè exerit.

## CASUS I.

*An sint Diaboli?*

*Cùm multi verbis aut factis testentur, se non credere esse diabolos, vel saltem non tam atros esse, ut pinguntur, primùm omnium, quàm periculosè illi errent, & quomodo huic errori scriptura & experientia refragetur, ostendendum est.*

Resp. Non tantùm antiquus *Sadducaeorum* error fuit, non esse angelum nec spiritum *Actor.* 23, 8. sed & hodie reperiuntur multi, qui concupiscentias carnis, aut pravas cogitationes saltem diabolos appellari putant, esse autem tam potentes spiritus, malorum omnium, quæ sunt in mundo, ipsarum etiam cogitationum malignarum autores, infensissimos humani generis hostes, corporum ac animarum carnifices, credere nolunt, donec ipsorum malitiam experiātur ipsi. Interim in diem vivunt, diabolum mortuum esse dicunt, ad omnia scelera parati, & cùm ita sentiunt ac faciunt, in ipsis unguibus diaboli hærent.

Ne ergò hi in impietate suâ pereant, & alii in similem malitiam implicentur, docendum est 1. quòd sint Diaboli. 2. quòd non procul à nobis sint. 3. quòd eorum multi sint. 4 quòd astutissimi & potentissimi sint.

*Diabolos esse probatur 1. à lapsu angelorũ.*

Primùm igitur esse diabolos, comprobat scriptura multis in locis, ut 1. *à lapsu angelorum*, ut *Iohan.* 8. v. 44. *diabolus in veritate non stetit* 1. *Pet.* 2. v. 4. *Deus angelis peccantibus non pepercit. Epist. Iud. vers.* 6. *angelos, qui nō servaverunt suum principatum*, sed *dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Lapsus enim distinxit angelos, & ex quibusdam fecit diabolos. Impius autem error est *Manichaeorum & Priscillianistarum*, quasi diaboli tales à Deo fuerint creati, quales jam sunt, mali scilicet & immundi. Nam *Apostolus Iudas*, diabolum *suam dereliquisse originem* scribit, *vers.* 6. & nihil mali vel immundi esse potest à Deo, qui, quæ condidit, omnia *valde bona esse* vidit, *Gen.* 1, 31.

2. Ab apparitionibus angelorum malorum.

(2.) Ex *apparitionibus diabolorum*. Protoplastis apparuit in formâ serpentis *Genes. 3. vers. 1.* quòd D. *Paulus* de diabolo interpretatur 2. *Cor.* 11, 2. *Sauli* apparuit in forma Prophetæ *Samuelis* 1. *Sam.* 28, 14 apparet corā Domino 1 *Reg.* 22, 21. in medio filiorum Dei: hoc est, sanctorum angelorum *Iob.* 1. *v.* 6. apparet in obsessis, quorum plena est historia Evangelica, apparet in forma *hirci pilosi Levit.* 18, 7. in pugna cum *Michaele* in forma draconis rufi *Apoc.* 12. qui plenus est eorum sanguine, quos passim occidit, aut occidi curat, in tentatione *Christi* quoque apparuisse, & visibili formâ Dominum aggressus legitur *Matt.* 4.

3. Ab operibus malis.

(3.) Ab operibus malignis, quæ neque Deo, neq; angelis bonis, neq; homini adscribi queunt, ut quòd seducti sunt primi parentes, quòd *Cain* homicida factus, quòd *Prophetæ* mendacia locuti sunt, quòd *Saul* agitatus fuit contra *Davidem*, quod *Iob* in summas incidit miserias, *quòd* septem viri *Saræ*, prima nocte conjugii sunt interfecti, quòd *Christus* in deserto fuit tentatus, quòd gentes multa enormia patrarunt scelera, & similia multa expresse tribuuntur in scriptura diabolis.

4. à pugna bonorū & malorum angelorū.

(4.) A pugna bonorum angelorum cum malis *Dan.* 10, 13. *Apoc.* 12, 15.

5. à successione eorundem.

(5.) A successione bonorum & malorum angelorum: nam de *Saule* legitur, quòd *spiritus Domini recesserit à Saule, & exagitarit eum spiritus nequam* 1. *Sam.* 16, 14. & in tentatione *Christi*, cum relinqueret eum diabolus, *accesserunt angeli, & ministrabant ei*, *Matth.* 4, 11.

6. à pœnis infernalibus.

(6.) A pœnis infernalibus, quæ *parata sunt diabolis Matth.* 25. 1. *Pet.* 2, 4.

7. Ab experientia.

Ad hæc scripturæ testimonia accedit experientia. Nam quòd mundus tam multis & horrendis repletus est sceleribus, quòd tot patrātur homicidia, adulteria, perjuria, quòd tot in mundo sunt hæreses, tot tragici casus, tot persecutiones ecclesiæ, sine dubio fit instigāte diabolo, quem efficacem esse dicit *Apost.* in filiis inobedientiæ *Eph.* 2.

8. A natura comprobatione.

Quin & ipsa natura docet esse diabolos. Nam non tantùm pueri, sed & adultiores in tenebris & locis solitariis meticulosi sunt, formidāt spectra, & incursus dæmonum, quod indicium est nimis manifestum, esse cacodæmonas, qui hominibus ubiq; locorum insidiantur.

Diabolum non procul à nobis esse probatur.

1. Deinde, etsi diabolus vocatur *princeps aeris Eph.* 6, 12. *& infernus ei paratus* legitur *Matth.* 25, 41. nemo tamen existimet, cum procul esse à nobis. Regnum enim suum habet in mundo inter homines, &, ut *Lutherus* loquitur, *propior nobis est, quàm vel tunica vel interula nostra, imò ipsa etiam cutis*: diabolis en mundo que circumscripti sumus, quod scriptura passim testatur. In paradiso diabolus adjunxit se protoplastis, & astutiâ sua *Evam* seduxit 2 *Cor.* 11, 3. primis fratribus se immiscuit, & ex uno homicidam fecit, *Gen.* 4, 8 in medio prophetarum fuit, & quorum-

eundam ora mendaciis opplevit, 1. *Reg.*21,22. à discipulis quoq; *Christi* non abfuit, quos instar tritici tentare conatus fuit *Luc.* 22. *v.* 31. *Christo* etiam non pepercit in deserto *Matt,* 4. concionibus sacris interesse diabolos Christus testatur in parabola de quadruplici semine *Luc.*8, 12. *Satan* ipse fatetur, se circuмire & perambulare terram *Iob.*1,7. & *D.Petrus* scribit, circumire ipsum nos instar *leonis rugientis, & querere quem devoret* 1.*Pet.*5,8.

[ *Circumit ille nos singulos, & tanquam hostis clausos obsidionis muros explorat & tentat, an aliqua sit pars membrorum minus stabilis & minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur.*

*Offert OCVLIS formas illices & faciles voluptates, ut visu destruat castitatem.*

*AVRES per canoram musicam tẽtat, ut sonus dulciori auditu solvat & molliat Christiani rigorem.*

*LINGVAM ad convitium provocat, MANVS injuriis lacessentibus ad petulantiã cædis instigat. Vt fraudatorẽ faciat, lucra opponit injusta, ut animã pecuniâ capiat, ingerit perniciosa compendia, honores terrenos promit, ut cœlestes adimat, ostendit falsa ut vera subripiat, in pace subdolus, in persecutione violentus. Cyprian. serm.* 1. *de zelo & livore.* ]

Ex quibus historiis & sententiis apparet, diabolum summo studio in omnem occasionem intentum esse, ut nobis & fortunis nostris noceat: quo in genere nec pientissimis hominibus parcit, quod historia inprimis *Iobi & Davidis* testatur, quem bis in gravissima peccata præcipitavit, Domino subtrahente manum suam 2. *Sam.* 24. & 1. *Paral.*21. Si enim etiam cum sanctis angelis congrediuntur diaboli, quorum laboribus apud homines resistunt, ut ex *Dan.* 10. liquet: multò magis resistent conatibus piorum hominum.

[ *Inprimis infestant eos, quibus beatitudinem, quam ipsi amiserunt, promissam cognoscunt* Tertull. *c.* 27. *in apolog. adv. gentes.* ]

Ideò Christus docet *Matth.*12, & *Luc.*11. spiritum immundum ab homine ejectum redire ad domũ suam, è quâ ejectus erat, & *cùm illam invenit scopis mundatam, adsumtis aliis septem spiritibus deterioribus, eam denuò occupare.*

*Quò magis appropinquat finis mundi, eò major est furor diabolorum.*

Quin & hoc testatur scriptura, quòd quò magis appropinquat finis mundi, eò major fit furor diabolorum. Auditur enim vox de cœlo *Apocal.* 12,12. *væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.* Quam ob causam *Paulus* 2. *Tim.*3,1. scribit, *novissimis diebus instare tempora periculosa, & fore homines seipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, parentibus immorigeros, ingratos, scelestos &c.*

Hhh 2 Hæc

Hæc enim omnia vitia sunt à diabolo, qui ad ea instigat, occasionem ea patrandi monstrat, & mancipia sua juvat. *Adimpletæ sunt iniquitates,* inquit, *Cyprianus in serm. de simplic. prælator. & appropinquante seculi fine, hominum pariter & temporum probationes venerunt, magis magisq; adversario nostro sæviente, error fallit, extollit stupor, livor incendit, stupiditas excæcat, depravat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat.*

[*Quid pravius, quid malignius quid de adversario nostro nequius? in cælo posuit bellũ, in paradiso fraudem, odiũ inter primos fratres,* August. *serm. com.* 4.

*In comestione posuit gulam,*
*In generatione luxuriam,*
*In exercitatione ignaviam,*
*In conversatione invidiam,*
*In gubernatione avaritiam,*
*In correctione iracundiam,*
*In dominatione superbiam,*
*In corde posuit cogitationes malas.*
*In ore locutiones falsas,*
*In membris operationes iniquas,*
*In vigilando movet ad prava opera,*
*In dormiendo ad somnia turpia,*
*Lætos movet ad dissolutionem,*
*Tristes ad desperationem, & ut breviùs loquar, omnia mundi mala sunt ipsius pravitate commissa.*

August. *d. l similia vide apud* Greg. *l.* 29. *moral.* Leonem *serm.* 8. *de nativitat.*]

Quemadmodum autem multitudo sanctorum angelorum pios circumvallat: ita existimandum est, diabolum integros suos educere exercitus, adversus unum hominem, quem angelicis castris munitum unus forsitan angelus supplantare non posset. Ideò diabolus ex homine *ejectus septem alios spiritus deteriores se, adsumere* legitur, *cùm ad hominẽ revertitur Luc.* 11, 26. & *Luc.* 8. *integra legio dæmonum* hominem unum occupavit. Multitudo enim angelorum lapsorum, etsi quoad numerum nobis ignota, in sese tamen satis magna & propemodum absque numero est, infelix & amplissima turba, ad nocendum hominibus semper parata, & omnibus viribus intenta. Ideò *Paulus* integrum diabolorum exercitum ponit *in aere, adversusque nobis pugnam esse* scribit *Eph.* 6. *Diabolos multos esse probatur.*

In hac malorum angelorum multitudine etiam ordo quidam reperitur: habet enim ipsorum potentia gradus, unusque fortior est altero, quemadmodum *Christus* docet *Luc.* 11, 26. principem diabolorum esse *Beelzebub*, & immundum spiritum adjungere sibi septem spiritus deteriores se. Habet enim diabolus regnum, in quo multi sunt sibi invicem subordinati spiritus, operationibus quidem distincti, omnes tamen valdè occupati. *In multitudine malorum angelorum reperitur ordo.*

Sunt, qui diabolos distinguunt juxta elementa & loca, in quibus operantur. Hinc sunt *Satyri & Sylviani*, spiritus aquatici, aerei, mon-

Digitized by Google

montani, dæmones merediani, nocturni &c.

Quidam novem constituunt ordines diabolorum. *Vide Theat. diabolorum part. 1. pag. 37.* In primo sunt *pseudothei*, qui religionem corrumpunt, quorum principem vocant *Beelzebub*, in secundo ordine sunt spiritus *mendaces*, quorum unus tempore *Achabi* Prophetas decepit 1. *Reg.* 22. cujus princeps esse dicitur *Python*, unde & spiritus *Pythonici* dicuntur *Actor.* 16. in tertio ordine sunt *vasa iniquitatis*, à quibus sunt omnia scelera & flagitia, quæ uspiam patrantur in mundo, quorum princeps appellatur *Belial*; in quarto ordine sunt spiritus *ultores*, qui dissidia inter homines excitant, & ad privatam vindictam instigant, quorum princeps est *Asmodæus*, *Tob.* 3. in quinto sunt dæmones *præstigiatores*, veneficarum patroni, qui incantationibus & veneficiis hominibus nocent, quorum princeps appellatur *Satan*, in sexto sunt *aerea potestates*, seu dæmones aeris, qui permittente Deo, aerem turbant & tempestates cient, quorum principem vocant *Metirim*; in septimo sunt *furiæ*, quæ hominum animos excruciant post commissa delicta, variasq; in mundo confusiones faciunt, quorum princeps dicitur *Abaddon Apoc.* 9. in octavo sunt *criminatores*, qui famæ & honoribus bonorum insidiantur: quorum princeps est *Diabolus*. in nono demique sunt *tentatores*, spiritus *nequam*, qui versutiâ suâ seducunt, quos manifestâ violentiâ opprimere non possunt, quorum principem vocant *Mammon*.

Etsi autem dubium non est, quin opera diabolorum sint distincta, incertum tamen est, an totidem hierarchias inter se habeant.

De eo autem nemo dubitare debet, quòd, quemadmodum Deus singulis hominum statibus suos destinavit angelos: ita & diaboli in singulis statibus sint occupati. Hinc reperiuntur *dæmones sacri*, qui religionem turbant, cultum Dei & sacra omnia impediunt, *mentesq; infidelium excæcant, ne fulgeat eis illuminatio Evangelij* 2. *Cor.* 4. 4. sunt dæmones *aulici*, qui consilia bona impediunt, qualis erat angelus *Persiæ*, qui consiliis sanis resistebat diebus 21. *Dan.* 10. & qui in perniciem populi, principes ipsos in peccata præcipitant, sicut de *Davide* scriptum est, quòd à Satana commotus numerarit populum 1. *Paral.* 21. *v.* 1. sunt dæmones *domestici*, qui jurgia inter conjuges excitant, & rei familiari damnum inferunt, qualis erat ille, qui *Iobo* multorum damnorum autor erat.

Kirchenteuffel.

Hoffteuffel

Hausteuffel.

4. Ex his colligi potest versutia & potentia diabolorum, quam in omni vitæ genere, & statibus hominum singulis exercent. Proprium enim Satanæ est nocere, etiam cùm prodesse simulat.

*Quod astutissimi & potentissimi sint probatur.*

[*Diaboli sunt spiritus nocendi cupidissimi, à justitia penitus alieni, superbiâ tumidi, invidentiâ lividi, fallaciâ callidi.* August, 8. *de civ. Dei c.* 22.



Digitized by Google

*Inimicus ille, quem nec videre possunt, multò minùs cavere, nunc apertè & violenter, nunc occultè & fraudulenter, semper autem malitiosè & crudeliter me impugnat* Bernh. *serm. 3. de sept. pan. col.* 183.]

Nocet hominum corporibus, 1. cùm ex permissu Dei morbos immittit, ut ex historia *Iobi* constat, & in Evangelicâ historiâ legitur de quadam muliere, quæ spiritum infirmitatis habuit *Luc.* 18. *v.* 11. & ii, quos Christus sanavit, à diabolo oppressi dicuntur *Act.* 10, 38. & quēadmodum diabolus à Deo petiit facultatem percutiendi corpus *Iobi*: ita non est dubium, quin etiamnum petat sibi concedi potestatem, in alicujus hominis corpus, unde sunt interdum subitanei morbi, qui ex improviso hominem obruunt, & lethaliter deprimunt, sæpeque numero medicorum omnium opem superant.

2. Nocet corporibus, cùm ea de loco in locum transfert, sæpè etiam longinquum, servitii sui causâ, quod veneficis interdum accidit, quæ à diabolo vectæ interdum in longinquas venêre regiones. Si enim angeli boni corpora piorum in longinquas regiones subitò vehunt, prout Deus vult, ad expedienda officia Deo grata, ut exemplum *Philippi Apostoli* testatur in actis *cap.* 8. *vers.* 39. nulla est ratio, cur angelis malis eam potentiam denegemus, in corpora suorum mancipiorum, si Deus eis permiserit.

3. Nocet corporibus, cùm ea prorsus occupat, membrisque eorum pro lubitu abutitur, ut fit in obsessis, quos impellit, ut variis modis vel sibi ipsis vel aliis noceant, quemadmodum in Evangelicâ historiâ legimus de filiâ *Chananaæ*, quàm malè vexavit dæmon *Matth.* 15. *v.* 22. de adolescente, quem modò in aquam, modò in ignem conjecit *Matth.* 17. *vers.* 14. de porcis, in quos integra diabolorum legio invasit, eosque in mare præcipitavit *Matth.* 8. *vers.* 32. Et experientia testatur, quòd obsessi se ipsos in ignem conjiciant, aquis submergant, laqueo se suspendant, corpus suum dilanient, & multis modis aliis sibi vim inferant, quâ in re tantum sunt instrumenta *Satanæ*, talia, Deo permittente, in ipsis operantibus.

4. Nocet corporibus alterando sensus externos, ut videantur sibi videre species in aere aut alibi insolitas, audire sonos musicos, ululatus, boatus aut simile quid, quod tamen nihil est, excitat insolitos tinnitus aurium, & susurros cerebri, qualibus *B. Lutherus* laboravit & diaboli vexationes nominavit, humores in oculis circumfudit, ut quis telas aranearum, filamenta telarum ante se, circulos etiam circa oculos videre videat, quas tamen revera non videt: sed illusio Satanæ est. Nam, ut *Augustinus* loquitur *lib.* 53. *quæstion. serpit quasi hoc malū dæmonis per omnes*

*omnes aditus sensuales, dat sese figuris, accommodat coloribus, adhæret sonis, odoribus se subjicit, infundit saporibus.* De potentiâ ergo diabolorum in corpora hominum non est, cur dubitemus.

*Diaboli potentia magna est imprimis, quando potestatem à Deo accepit.*

Inprimis autem magna est potentia *Satanæ* in animos hominum piorum & malorum, si potestatem à Deo acceperit. Nam & pii sentiunt interdum suggestiones pravas ad libidinem, ebrietatem, avaritiam, iram & similia peccata, ut exempla *Davidis*, *Noachi*, *Lothi* & aliorum testantur: quò pertinet illud, quod *Paulus* scribit, se habere *Angelum colaphisantem*, quod Patres de tentationibus *Pauli* interpretantur. 2. *Cor.* 12. *vers.* 7. Sentiunt impedimenta in precibus, in auditu verbi, in dandis eleemosynis, in officiis vocationis, & aliis pietatis exercitiis, quemadmodum *Paulus* expresse scribit, se à *Satana impeditum* fuisse, quo minus *Thessalonicenses inviserit.* 1. *Thess.* 2. 18.

Cum ergò quis impeditur in bono, & ad procrastinandum opera inprimis pia nimis proclivis est, non dubitet, quin hoc fit à malo angelo. *Nescit* enim *tarda molimina Spiritus S. gratia*, ait *Ambrosius*, & fideles *spiritu ferventes, studio non pigri, omnia agere* jubentur *Rom.* 12. *v.* 11.

Turbat etiam diabolus phantasiam & memoriam hominum, ut multa mirabilia sibi imaginentur, ut apparet inprimis in melancholicis, qui sibi multa sæpenumero ridicula persuadent, quæ tamen nuspiam apparent, unde vulgò dicitur *caput melancholicum esse diaboli balneum*, qui hujusmodi deceptionibus miserorum hominum mirè delectatur.

Talis fuit *Præstantius* quidam, de quo *August. lib.* 18. *c. D. cap.* 18. qui jacens in lecto nullo modo excitari potuit, post aliquot autem dies evigilans, somnia narrabat, quæ passus esset, videlicet se caballum factum, annonam inter alia jumenta bajulasse militibus.

Talis & ille fuit, de quo *Zanchius lib.* 4. *de operibus Dei cap.* 11. qui imaginatus fuerat, se habere nasum ita crassum & longum, ut non posset ex Musæo egredi, atq; ita non egrediebatur, sed ibi tamdiu mansit, donec tandem mirabili artificio medicorum fuit illâ persuasione melancholicâ liberatus.

Tales præstigiæ dæmonibus ex permissione Dei difficiles esse non potuerunt.

Voluntatem insuper hominis impellit Satan, ut faciat homo lubentiùs, ad quod naturâ propendet. Impulsus iste fit, proposito objecto, & turbatis affectibus. Ita *Satan* immisit in cor *Iudæ*, *ut proderet Dominum Johan.* 13. *vers.* 2. movens nimirùm in ipso affectum avaritiæ, ad quam ipsum propendere ex multis actibus *Iudæ* noverat, & ostendens occasionem illicitos suos affectus producendi in effectum. Eodem modo cor *Ananiæ* implevisse dicitur Satan, ut *mentiretur Spiritui Sancto. Act.* 5.

*Act.* 5,3. *Davidem* inflammabat venereo adfectu ad patrandum adulterium, eundem superbiâ incitabat ad numerandum populum.

Sæpè etiam instigat ad negandum Deum, ad contemtum verbi, ad persecutionem ecclesiæ, proposito aliquo bono, quod ex illis sceleribus redundare persuadet. Et quanquam talia pii etiam experiuntur, citò tamen resistunt diabolo, & fugit ab illis: impii verò sunt mancipia ejus, quos *tanquam captivos ducit laqueis suis, ad suam voluntatem* 1. *Tim.* 2, 26. unde & efficax esse dicitur in *filiis incredulitatis Eph.* 2, 2.

Constat ex his omnibus, impium esse, negare, diabolos esse, quorum operatio nimis nota est: nostrum potiùs est singulis momentis versutiam & potētiam impuri illius spiritus cavere. *Circumit enim nos instar leonis rugientis, quærens, quem devoret, cui fortiter, & in fide resistendum est,* monente *Petro* 1. *Petr.* 5. Fugiamus dicteria *Epicureorum*, qui diabolum mortuum esse scribunt: quòd enim vivat, & quidem non procul à nobis, horrenda ejus opera testantur. *Lutherus* eleganter depinxit diabolum, in formâ alicujus viri, juxta præcepta decalogi, in quibus membra corporis *Satanici* monstrat. Quemadmodum *autem Deus in decalogo thesis est*, inquit, *ita Satan est antithesis: quod enim Deus præcipit, hoc Satan prohibet, & vice versâ. Caput Diaboli est prima tabula, in primo præcepto diffidentia, blasphemia, prophanatio nominis divini, contemtus verbi. In quarto præcepto est pectus Satanæ, repletum inobedientia, seditione & rebellione. In quinto, est cor Satanæ plenum irâ, odys, invidiâ, imprecationib. & homicidys. In sexto est venter Satanæ, refertus ingluvie, ebrietate, lascivia, libidine. In septimo sunt manus Satanæ, plenæ rapinis, furtis, immisericordia, & crudelitate: In octavo est Satanæ lingua, cùm mendaciis & calumniis famam proximi lædit. In nono & decimo sunt pedes Satanæ, quibus festinat ad nocendum aliis: cōcupiscentia enim prava stimulat ad malum.* Ita *B. Lutherus* mysticū Satanæ corpus depinxit: quod semper in conspectu nostro habeamus, ne securi simus, sed astutiam potentiamque maligni spiritus vitemus. Qui enim diabolum procul à se rejicit, nihilq; curat, is neq; sanctos angelos magni æstimat, quorum custodia tantò major est, quò evidentior est malorum angelorum malitia.

*Diabolus juxta Decalogi præcepta eleganter depictus.*

Ideò Divus *Paulus* hortatur, ut semper ad pugnam cum diabolo parati simus. *Confortamini in Domino,* inquit, *& in potentia virtutis ejus. Induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, nequitias in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare Ephes.6, vers.13.*

CASUS

## CASUS II.

### *Quid & quantum tribuendum est prædictionibus diabolorum?*

*De prædictionibus diaboli.*

RESP. Diabolum non rarò prædixisse futura, quorum veritatem eventus comprobavit, non saltem prophanæ testantur historiæ, de oraculo *Delphico*, *Delio*, *Clario*, sed & in historia *Saulis* luculentum est exemplum *1. Sam.* 28. 17.

Et Deus ipse fatetur etiam *Pseudoprophetas* futura prædicere, quæ eveniant, licet eos, cum seductores sint, audire nolit Deut. 13, 2. nostris quoque temporibus accidit, ut diabolus vel per obsessos, vel per alios, ea prædixerit, quibus eventus exactè respondit.

*Futura possunt diversimodè sciri & prædici.*

Cùm ergò dicitur, *solum Deum nosse futura*, sano sensu intelligendum est. Observatione enim dignũ, quòd futura diversimodè sciri & prædici queant. Sciuntur enim 1. *in se & natura sua*, quatenus futura sunt, & prædicantur proprio spiritu absque revelatione: talis scientia ac prædictio soli Deo competit, qui omnia quæ sunt, fuerunt & futura sunt in uno quasi puncto habet sibi præsentissima, quia ipse extra omne tempus est. Et hoc sensu ne quidem angeli boni sciunt, quæ ventura sunt 4. *Esd.* 4. *v.* 52. Hac futurorum scientia Deus se ab omnibus idolis gentium sequestrat *Esa.* 41. *v.* 23. *dicite nobis futura, & cognoscemus, quod dij estis.*

*1. In se & natura sua citra revelationem: sic solus Deus scit futura.*

2. Sciuntur futura in se quidem & quatenus certò futura sunt, sed *ex revelatione* & afflatu spiritus divini: quo pacto *Prophetæ* prædixerunt futura *impulsu Spiritus sancti* 2. *Pet.* 1. *v.* 21.

*2. In se, sed cum revelatione, sic Prophetæ præsciverũt futura.*

3. Sciuntur futura & prædicuntur *ex suis causis*, qualis notitia & prædictio futurorum etiam creaturis est concessa, quo pacto medici, physici, astrologi, agricolæ & hujus generis alii multa prædicere possunt in rebus naturalibus.

*3. In suis causis: sic medici, astrologi, physici, agricolæ præsciunt futura.*

Sed & hæc notitia futurorum nõ est uniusmodi. Aut enim causæ sunt *necessariæ*, quæ necessarium producunt effectum, qui ex suis causis certò prædici potest, quo pacto *astronomus* prædicit eclipsin, *medicus* febrim: aut causæ sunt *probabiles & contingentes, quæ tamen fiunt ut plurimum*, licet interdum impediantur, quo pacto ex projecto in terram semine prædici potest messis, & ex multorum annorum observatione oritur experientia, ex quâ non pauca prædicunt agricolæ in re familiari: *aut* ita sunt *contingentes, ut se æqualiter habeant ad utrumlibet*, ita ut æquè fieri possint ac non fieri: & hinc oriuntur etiam prædictiones minùs certæ.

*Causæ illæ vel sunt necessariæ, vel contingentes.*

Quæ ergò homines ex suis causis prædicere possunt, vel necessariò vel probabiliter futura, ea diabolus



Digitized by Google

per suos ministros longè certiùs prædicere potest, quia effectuum istorum causas, & earum impedimẽta magis habet cognita, ob naturæ suæ subtilitatem, & agilitatem, ob sensus acrimoniam, & longam experientiam.

Quæ omnia faciunt, ut, quemadmodum *Augustinus* loquitur *de divinat. dæmon. cap. 5. aliquando, quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire nõ possunt, ante prædicant. Omnis enim spiritus ales est,* inquit *Tertullianus in Apolog. advers. gentes cap. 22.* hoc est angeli & dæmones, *igitur in momento ubiq; sunt, totus orbis illis locus unus est, quid ubique geratur, tam facile sciunt, quam enunciant.*

*Tres causæ diabolicarũ prædictionũ, 1. substantiæ agilitas. 2. sensus acrimonia. 3. longa experientia.*

Et has tres rationes diabolicarum prædictionum substantiæ nimirum agilitatem, sensus acrimoniam, & longam experientiam conjungit *Augustinus lib. de devinat. dæmonum. c. dæmonum ea est natura,* inquit, *ut aerei corporis sensu terrenorum corporum sensus facile præcedant, celeritate etiam propter aerei corporis superiorem nobilitatem non solum cursus quorumlibet hominum vel ferarũ, verum etiam volatus aviũ incorporaliter vincant. Quibus duabus rebus, quantũ ad aerium corpus attinet præditi, hoc est, acrimoniâ sensûs, & celeritate motus, multa ante cognita prænũciant vel nunciant, quæ homines præ sensus tarditate mirantur. Accessit etiam dæmonibus per tam lõgum tempus, quo eorum vita protenditur, longè major experientia, quàm potest hominibus propter l[illegible]vitatem vitæ provenire. Per has efficacias, quas aerei corporis natura sortita est, non solùm multa futura prædicunt dæmones, verùm etiam multa miracula faciunt.* Eadem repetit *in lib. de spiritu & anima c. 28.*

[*Hinc est, quòd experientiam non omnes juvenes habeant, monente* Aristotel. *l. 1. Eth. cap. 3. & l. 5. Eudem cap. 8. cùm requiratur ad eam longum tempus ibid. & 6.* Nicom *c. 8. Unde & Nestor, apud* Ovidium canit:

—— *mihi multa vetustas*
*scire dedit, l. 15. Metamorph.*

*& Telemachus apud* Homer.

—— —— ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα
νῦν δ' ὅτι δὴ μέγας εἰμὶ καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων
πυνθάνομαι, καὶ δή μοι ἀέξεται ἔνδοθι θυμός.

Sed & alia sunt prædictionum diabolicarum causæ, interdum enim, quæ Prophetis per sanctum Dei spiritum revelata sunt, ipsi sciunt, (sacrarum enim literarum non omninò ignari sunt) eaque arripiunt, & præsertim tempore impletionis instante, tanquam de suo prædicunt, ne quid ignorare videantur.

*Alia causa prædictionũ diabolicarũ. Diabolus multa prædixit ex scripturarum revelatione.*

De *Alexandro Magno* divino afflatu prædixerat *Daniel cap. 8. translaturum ipsum imperium à Babylonis ad Græcos:* ideò *Delphicum oraculum* consulenti ipsi respondit: *invictus eris Alexander.*

Prædixerat *Esaias cap. 23 fore, ut Tyrus*

*Tyrus destrueretur à Cetkeis, per quos Macedones intelliguntur*, ut ex *Josepho lib.1. Antiquitat. Judaic. cap.6.* constat, & apud *Homerum* κητεῖοι dicuntur *Macedones*. Novit hoc *Satan*, cùm ergò fuso fugatoque *Dario* copias adversus *Tyrum* movisset *Alexander Macedo*, per civem quendam prædixit, *Apollinem* deserturum civitatem, quasi ab idolo isto hæc prædictio esset, quam tamen Deus Prophetæ suo, (à quo Satan mutuatus est,) inspiraverat.

Simulacrorum gentilium eversionem prædixit Dominus per Prophetam *Sophoniam cap. 2. 11. horribilis Dominus adversus eos & attenuabit omnes Deos eorum, & adorabunt eum viri in loco suo, omnes insulæ gentiũ*, Scivit hoc Satan, idcircò appropinquante jam impletionis tempore, *Serapis* dæmon alicui cultorum suorum prodidit, ut suam divinitatem vel fugiens commendaret: vide *Augustinum de divinat. dæmon. c.6.*

*Diabolus naturalia ex suis causis citius cognoscere potest & prædicere, quã alij.*

Interdum dæmones, ea, quæ ex naturalibus causis probabiliter colligere possunt, citiùs, quàm alii cognoscunt, (singulari enim sagacitate pollent, & celerrimè, ac uno quasi momento per multa locorum spatia penetrare, & quæ ibi fiunt, animadvertere possunt,) eaque actutum, dum jam sunt in fieri, vel jam sunt cœpta, tanquam futura prædicunt, eaque ratione ministris suis autoritatem divinitatis alicujus conciliant.

Interdum, quæ ipse facturus erat, tanquam futura à Deo prædicit. Permittit enim DEUS aliquando diabolo, ut aërem turbet, procellas, imbres, tonitrua, aliasque tempestates cieat, iisque frugibus & animantibus noceat: item, ut homines ad iram concitet, dissidia & bella moveat, quæ antequam in effectum ducat, per ministros suos prædicit: *dæmones enim dispositiones quoq; suas aliquando prænunciant*, ait, *August. lib.9. de Civ. Dei c.22.*

Interdum DEUS ipse diabolo quædam revelat futura, etiam de rebus magni momenti, cùm enim animadverterit, impios libentiùs audire diabolum, quàm Deum ipsum, ex justo judicio permittit Satanæ, ut ipsis prædicat ea, quæ nimis certò futura sunt, vel in ipsorum perniciem, ut prorsus excæcentur, vel in testimonium contra ipsos, quòd veritatem habere potuerint, quam tamen audire noluerint. Quò pertinent vaticinia *Sibyllarum de Christo*, quæ divino spiritu Ethnicis illis mulieribus dictata sunt, non secus, atque spiritus per *Bileamum & Caipham* vaticinatus est: voluit enim Deus Ethnicos, qui *Christo* credere noluerunt, per suos etiam homines reddere inexcusabiles.

*Virgilius:*

*Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla,*
*Horrendas canit ambages, antroque remugit,*
*Obscuris vera involvens.*

His ferè modis diabolus futura nosse, & prædicere potest.

*Vaticinia Diabolica non debemus curare aut avidè affectare.*

Etsi ergò non omnia ejus vaticinia in dubium vocare possumus: nihil tamen ea curare, eis minimè attendere, multò minus affectare ea debemus. *Prædicunt & dæmones*, ait *Damascenus lib. 2. de orthodox. fide c. 4. quandoque ea, quæ longa futura sunt prospicientes, quandoque verò conjiciẽtes, unde & pleraque mentiuntur: quibus non præstanda fides, etsi sæpenumerò vera profiteantur.*

Primùm enim DEUS expresse prohibuit, ne veritatem quæramus à mortuis, sed lege & testimonio contenti simus, *Esa.* 8.

Deinde perniciem hominum quærit, quos hoc pacto à verbo abducit, suisque vaticiniis ita dementat, ut eis nihil habeant antiquius.

Tertiò, si præsagiis suis ad religionem falsam aut alia apertè mala impellit, clarum habemus mandatum, ne ipsum audiamus, etiamsi evenerit, quod dixit, hoc enim permittit DEUS, *ut tentet nos, Deut.* 13. *v.* 2. 3.

Quartò, non legimus in Scripturis sacris, quod fideles aliquid tribuerint ejusmodi prædictionibus diabolicis; hi enim infallibili Dei verbo contenti sunt: Ethnici autem libenter consuluerunt oracula & pythones suos, *Achab* falsos prophetas 1. *Reg.* 22 *Saul Pythonissam* 1. *Sam.* 28. Et hi homines miserè decepti fuerunt.

Quintò, diabolus etiam cùm prædicit vera, multa tamen immiscet falsa, interdum etiam per imposturam ea, quæ ignorat ipse, aut quibus nihil subest veri, cultoribus suis obtrudit, quemadmodum *Sauli* prædicit, ipsum & filios suos secum futuros 1. *Sam.* 28. inter filios autem *Saulis* erat & *Ionathan* vir pius, in quem diabolus nullum jus habebat.

Et his imposturis utitur Satan, vel cùm impedimenta aliqua incidere videt, quibus, quòd res prædicta non successit, imputari posset, vel cùm à curiosis avidè consulitur, ad quos decipiendos semper promtus est. Et quia ipsemet de eventu dubius est, ideò verbis utitur vel ambiguis, vel obscuris, ut in quamcunque partem cadat, ipse nullo modo falsum prædixisse videatur.

[*Hinc illud* Ciceronis: *O sancte Apollo, &c. l. 2. de div. tuis oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis ut ego opinor, partim casu veris, ut fit omni oratione sæpissimè, partim flexiloquis & obscuris, ut interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis & quæ ad Dialecticum referenda sint*]

*Ita Delphicum oraculum* Crœso respondit:

*Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.*

Quod *Crœsus* ita intellexit, ac si ipse perversurus sit & attriturus aliorum regna, contrarium autem expertus est. Idem dæmon *Pyrrho* dixit:

Ajo

*Ajo, te Æacida Romanos vincere posse.*

Quod oraculum *vel Pyrrho vel Romanis* victoriam pollicetur: *Pyrrhus* pro se interpretatus miserè deceptus fuit.

Hoc est, quod *Lactantius* scribit *lib. 2. de Origine erroris cap. 15. sciunt dæmones quidem futura multa, sed non omnia, quippe quibus penitùs consilium DEI scire non licet, & ideò solent respõsa in ambiguos exitus temperare.* Et *B. Lutheri* verba hac de re *super cap. 41. Esaiæ* sunt memorabilia: *Satan, inquit, quia peritissimus est naturæ, & experientiâ longâ doctissimus, potest aliquando prædicere effectus, cùm causas eorum naturales instrui videt: sed eas pleramque ambiguè prædixit. Notum est Pyrrhi oraculum.*

*Ajo, te Æacida Romanos vincere posse.*

*Item Crœsi illud, quòd esset invasurus magnũ imperium, si contra Cyrum pugnaret. Hæc & alia verè Satanica sunt, ut in fraudem inducant homines, & aliquam opinionem divinitatis colligant. Præterea autem quia cogitationes, & consilia magnorum principum verè novit, potest facilè bella aut pacẽ prædicere, sed tamen illa quoque perplexè & ambiguè prædicit. Particulares autem prædictiones nunquam nisi obscurissimè indicat, ut à nemine, nisi cum facta sint, intelligantur. Sic in Lichtenbergero sunt, quæ priusquam fierent, nemo potuit intelligere. Econtra, quidquid Deus loquitur, id apertum, & verum, non flexiloquum, sed certò ita fit, ut prædicitur. Sic prædixit regnum suũ mansurum, hoc manet invito Satanâ, mundo, & portis inferni.* Hæc Lutherus.

[*Addi possunt exẽpla nonnulla Diabolicæ Sophisticæ, quæ ut plurimum ambiguitate & amphibolia uti solitus est.*

*I. Refert Suidas, quòd Daphidas Sophista consuluerit oraculum Delphicum, an equum suum invenire posset? (habebat verò nullum, ideò irridendi saltem causa ironicè hoc quærebat,) respondit oraculum: inventurum se equum, sed sibi exitiosum & lethiferum. Paulò post Attalus rex eũ cepit, quem sæpè convitiis prosciderat, eumq; jussit de saxo, cui nomen erat equi, præcipitare, teste etiam Val. Max. l. 1. c. 8.*

*II. Eodẽ oraculo Philippus rex Macedonum fuit admonitus, ut à quadriga violentia se custodiret: ideò imperavit toto regno currus disjungi, sed Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit.*

*III. Dæmon respondit Alberto Placẽtiæ domino: Domine sis securus, inimici tui intrabunt terrã tuã, injicientur domus tua, quod hunc debuit habere sensum, domi ne sis securus, &c. injicient ur, id est, ignem.*

*IV. Diabolus Hieronymo Morono ducis Mediolanensis legato respõdit: Ibis redibis non eris captivus, quod ita debuit intelligi: Ibis, redibis non, eris captivus.*

*V. Philippus Macedo Pythiam de eventu belli consulebat qua respondit:*

*ecce coronatum est qui taurum mactet ad aras.*

*hic dictum Philippus ad Persarum regem retulit, quem se victima instar mactaturum sperabat, nescius seipsum esse hanc victimam mactandam.*

*VI. Diabolus fefellit Manfredum, cũ dimicaturus esset contra Carolum Andegavensem de regno Neapolitano, respondens: non, non, Gallus superabit Apulum, qua duplici negatione incautum principem fallebat, quam affirmationi interdum æquipollere Manfredus non animadvertebat.*

*Huc somnium Alex. M. Tyrũ obsidentis de Satyro, σὰ Τύρ@, id est, tua erit Tyrus. Huc ambiguitas in primo Satanæ oraculo per serpentem: Similes eritis diis; quanquam accuratiores Hebræi observant, diabolos nunquam vocari Elohim. Ut ut sit, tamen habentur & coluntur à multis pro Elohim. Et his potius facti sunt protoplasti similes, inimici nimirum veri DEI.*]

Discamus igitur astutiam Satanæ animadvertere, & cautè vivere, etiam cùm vera prædicit, turpe enim est, Christianum veritatem quærere à patre mendacii, cujus illusioni tradit Deus eos justo judicio, qui dilectam veritatem, quam DEUS ipse in verbo per suos ministros ostendit, recipere noluerunt.

## CASUS III.

### *Num diaboli etiam in cogitationes hominum jus habeant?*

RESpon. De impiis, cùm sint in potestate Satanæ, clarè testatur Scriptura, quod diabolus ipsis immittat cogitationes pravas, quas & cognoscit, quia non aliunde, quàm ab ipso sunt, & ut in effectum prodeant, curat. Ita enim *Satan in cor Judæ dedisse* legitur, ut proderet Dominum *Joh.* 13. & *Deus hujus seculi excæcat sensus infidelium, ut non videat lumen Evangelij de claritate Christi, 2. Cor.* 4. *Quoad impios nullum hac de re est dubium.*

De piis autem suprà diximus, malos angelos in ipsos jus habere nullum, hi enim ex potestate eorum emancipati sunt per Christum: permittente tamen Deo, magnam in eis potestatem exercent, ut præ cæteris historia *Jobi* testatur. Ita nec cogitationibus piorum parcunt, sed eis dupliciter nocent, 1. *tentando* eos, 2. *cognoscendo.* *Quoad pios, nonnisi permittente Deo cogitationes turbant dupliciter: 1. tentando. 2. cognoscẽdo.*

Nam primùm diabolus suggestionibus pravis molestus est piis, monstrat objectum, & occasionem peccandi, addit persuasiones, novit, an delectetur animus hominis illâ suggestione, & cum delectari ipsum videt, omnem movet lapidem, ut plenus voluntatis assensus acce-

accedat, & effectus succedat, quem cum præsentissimo hominis periculo, (quod quærit) conjunctum esse novit.

Sic *Evæ* objiciebat pomum arboris prohibitæ, verbum Dei in dubium vocabat: *nũquid præcepit Deus*, inquiens, *ne ex quavis arbore comederetis?* *Evâ* opponente autoritatem divini præcepti, verbo Dei prorsus contradixit: *nequaquam moriemini, sed diis similes eritis*: mox pulchritudinem & suavitatem pomi commendabat, oculos *Evæ* in illud dirigebat, & sic miseram ad tactum esumque pomi alliciebat.

*Davidi* monstrabat fœminam pulcram, removit ex oculis omnem pudorem, legis divinæ reverentiam, iræque divinæ metum, ostendit ei locum solitarium, suggessit consilium, quomodo ea absque infamia potiri posset, cumque Davidem inflammatum animadvertisset, ut, quod animo conceperat, opere impleret, hortabatur.

*An diaboli internas hominum cogitationes sciant.*

Sed dubium hîc occurrit, *an internas hominis cogitationes sciat: & quomodo ipsi de assensu hominis constare possit*, cùm solum Dei sit *scrutari corda & renes Psal.7. v.10. solus ipse intuetur Cor.1. Sam.16.v.7. cor hominis est inscrutabile Ier.17.v.9. & nemo scit, quid sit in homine, nisi spiritus hominis, 1. Cor.2.v.11.* unde *Augustinus scribit de eccles. dogmat. cap.81. internas animæ cogitationes diabolum non videre, certissimus.*

*Respondetur per distinctionem.*

Sciendum autem est, cogitationes hominis *vel per se, & in se ipsis* cognosci, quatenus adhuc in animo latent, & nullis externis indiciis foràs prodierunt: & hoc modo solus DEUS eas novit, qui in hanc societatem eminentissimæ suæ & abditissimæ scientiæ nullum angelum admittit: vel cognoscuntur *ex signis quibusdam externis*, ex dispositionibus, verbis aut studiis, quemadmodum ex rubore faciei pudor in animo, ex oculorum fervore iracundia, ex pallore amor, ex pulsu quoque occultus animi affectus dijudicari potest. Hac ratione diabolus etiam ex dispositionibus, verbis aut studiis hominis colligere quodammodo potest animi adfectum, quid & quantum homo suggestionibus suis retribuerit, & ad quæ propensus sit: & tunc malam voluntatem hominis ad id, ad quod inclinat, impensius propellere, & ad effectum malum incitare potest.

In hanc sententiam multa scribit *Augustinus in lib. de divinat. dæmonum, & epist.115. ad Nebridium*, consentit *Cassianus collat.7. cap.15. nullis dubium est*, ait, *quin possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligentes*, id est, *aut ex nostris dispositionibus, aut verbis, aut studiis, in quæ propensius conspexerint nos inclinari: cæterùm illas, quæ nondũ de internis animæ prodierunt, adire omninò non possunt.* Et *Beda lib. 2. in Marcum cap.7. diabolus*, inquit, *adjutor & incentor malarum cogitationum nostrarum potest esse, autor non potest.*

[*Dæmo-*

[*Dæmones non possunt cogitationes intelligere, nisi aliquibus signis indicentur*, Anshelmus *in c.6. Matth.*

*Internas animæ cogitationes diabolum non videre certi sumus, sed motibus eas corporis ab illo & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus*, August. *de eccles. dogm. cap.* 8. *secreta cordis solus ille novit, ad quem dicitur: tu solus nosti corda filiorum hominum*, Raban. *l.* 4. *de serm. propr.*]

Sin autem semper in insidiis positus, levem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammarit, non debemus opinari, eum cordis quoque occulta rimari: sed ex corporis habitu & gestibus æstimare, quid versemur intrinsecus, verbi gratiâ: si pulcram mulierem nos viderit crebò adspicere, intelliget, cor amoris jaculo vulneratum, &c.

Magnum pondus habet hæc doctrina ad veram pietatem. Nam si diabolus accuratus est cogitationum nostrarum observator, nostrum sanè est, omnes animi motus ita componere, ne malis cogitationibus indulgeamus, omnes occasiones peccandi etiam vitare, subitos motus iracundiæ, libidinum, avaritiæ, & similes cito compescere: nam qui libenter audiunt suggestiones pravas, iisque delectantur, facilè in plenum consensum, & effectum denique ipsius operis mali inducuntur: ut exempla *Evæ & Davidis* nimis clarè testantur.

Semper ergò resistendum est Diabolo, precibus, verbo, laboribus & exercitiis seriis pietatis: principiis obstandum, si nulla aliâ in re, in tentationibus inprimis *Satanæ*, qui quem semel illaqueavit, non tam facilè dimittit.

## CASUS IV.

### *Num diaboli miracula edere possunt, & quantum illis tribuendum, ne in Deum, qui ordinem naturæ & invertere, & conservare potest, peccemus?*

RESP. Verissima est authentica regii *Psaltæ Psal.* 72. 18. *Dominus Deus Israel facit mirabilia solus:* unde nonnulli in eam inclinant sententiam, nec diabolo, nec ulli creaturæ miracula vera & promiscuè sic dicta tribuenda esse.

Negari tamen non potest, quin Scriptura tam sacra quàm prophana, miraculorum & prodigiorum diabolicorum sæpè mentionem faciat, quæ vel ipse, vel per ministros suos edidit. Talia sunt prodigia magorum *Ægyptiacorum Exod.* 7. & 8. quos *Paulus* ait restitisse *Mosi* 2. *Tim.* 3, 8. Dominus ipse *Pseudoprophetas* prodigia & portenta edere testatur

***Diabolicorum prodigiorum, & sacra & prophana mentionem facit historia.***

ſtatur *Deut.* 13. *v.* 2. de pſeudoprophetis dicit *Chriſtus*, *quòd multa & magna ſint edituri ſigna ac prodigia ante noviſſimum diem, ut, ſi fieri poſſet, etiã electi ſeducerentur*, *Matt.* 24. *verſ.* 24. & de filio perditionis ſcriptũ eſt, adventum ejus fore *ſecundum operationẽ Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus*, 2. *Theſ.* 2. *v.* 9. *Simon* quoque *Magus* portentis ſuis dementavit multos in *Samariâ* ut dicerent ipſum *virtutem magnam Dei* *Actor.* 8. *v.* 10. & quàm prodigioſa opera *Simon* hic ediderit, recenſet *Egeſippus lib.* 1. *cap.* 2. & *Nicephorus lib.* 2. *cap.* 22. & 27. Nam, ut ſtatuæ moverentur, efficiebat, & in ædibus vaſa atque inſtrumenta domeſtica ad nutum ejus ſe ſponte hinc inde trãsferebant, & ipſe flammis circumdatus non urebatur: ferebatur quoque volans in aere, è lapidibus, fuco hominibus objecto, panes faciebat, draconis formam induebat, & in varias animantium ſpecies mutabatur: duplici facie indutus cõſpiciebatur, & in aurum ſeſe totum transformabat, fores vectibus & clauſtris probe communitas & occluſas dicto aperiebat: vincula ferrea diſrumpebat: in conviviis omnifaria formularum ſimulacra exhibebat, &c.

*Hæreticorũ miracula.* De hæreticis etiam, inprimis *Donatiſtis*, ſcribit *Auguſtin.* multis in locis, quòd miracula edant, permittente Deo: *vid. lib. quæſtionum* 83. *quæſt.* 79. *lib.* 10. *de civ. DEI cap.* 16. *tract.* 13. *in Johann: de unitate eccleſ. cap.* 16. ut & *Theophylactum in cap.* 9. *Lucæ.* Similia habẽt hiſtoriæ prophanæ. *Plinius lib.* 28. *nat. hiſt. ca.* 2. refert de *Tucciâ* virgine *Veſtali*, quòd virginitatem ſuam demonſtratura, aquam cribro hauſerit, & quòd *Claudia Quintia* navim prægrandẽ ceſto ſuo ad littus *Tibridos* protraxerit, *Livius decad.* 1. *lib.* 1. *de Actio Nævio Augure* refert, quòd cotem cultro ſecuerit. *Philoſtratus de Apollonio Thyanæo* refert in vita ejus, quòd *Achillis* umbram evocavit, peſtẽ prædixit & fugavit, puellam reſuſcitavit. De *Veſpaſiano Imperatore* ſcribit *Tacitus lib.* 20. *annal.* quòd *Alexandriæ* cæcum curaverit: ſimilia de ſacerdotibus gentilium refert *Valerius Maximus lib.* 1. *cap.* 8. Hæc omnia opera eſſe Satanæ nemo piorum dubitat. *De miraculis ethnicorum vide Valer. Max. lib.* 1. *c.* 6. *Æliã. l.* 12. *Iul. Obſeq. & Conr. Lycoſthen.*

Deinde Scriptura mira Satanæ opera iiſdem appellat nominibus, quæ dare ſolet aliàs miraculis divinis. Appellantur hæc *ſigna & prodigia Mar.* 16, 17. *Act.* 6, 8. idem nomen tribuitur operibus pſeudoprophetarum *Matth.* 24, 24. & ipſius *Antichriſti.* 2. *Theſſ* 2, 9.

*Miraculũ propriè dictum, ſi in omnibus ſuis cauſis conſideretur, ſoli Deo competit.* Sciendum igitur eſt, miraculum propriè dictum, ſi in omnibus ſuis cauſis conſideretur, ſoli DEO competere. Miraculum enim non ſolum præter ordinem naturæ, verùm etiam propriâ DEI virtute fit, cujus cauſa latet omnes, & ad fines optimos, inprimis autem DEI gloriam, confirmationem verbi ſui, & proximi ſalutem dirigitur.

[*Miraculum verum eſt* 1. *externũ & viſibile factum*: *excluduntur*

 *trans-*

*transfigurationes,* 2. *verum factum: excluduntur præstigia diab.* 3. *Simpliciter mirabile h.e. apud omnes, cujus causæ omnes latent.* 4. *Ad optimos fines editum.*]

Si tamen DEUS Satanæ permiserit, mira edit opera, quorum vel causæ in natura nullæ sunt, vel non omnibus conspicuæ, vel apparentes saltem, vel denique fictæ: unde magnum oritur discrimen inter miracula DEI, & mira Satanæ opera, de quo postea.

Tria igitur hac de materiâ exponenda restant: 1. miraculorum diabolicorum genera. 2. miraculorum DEI, & mirorum operum Satanæ discrimina. 3. cur DEUS Satanæ mirabilia multa facere permittat?

*Quatuor sunt genera mirorū Satanæ operum. Primum genus.*

Primum membrum quod attinet, quatuor sunt genera mirorum Satanæ operum. 1. quædam sunt vera, & omnino talia, qualiter forinsecus apparent: quæ Deus ipsi certis de causis permittit facere. Nam cum Christus de pseudoprophetarum prodigiis dicit, *iis etiam electos seduci posse Matth* 24.24. id certè de phantasticis quibusdam delusionibus intelligi non potest; & DEUS de pseudoprophetis affirmat, quod *vera prodigia edant Deuteronom,* 13.*v.* 1. & talia multa sunt hodie in *Papatu* quæ, quod revera facta sint, negari nequit, ut, quod ad statuas sanctorum sanati sunt languidi, curati leprosi, restituti claudi, cæcis visus, surdis auditus fuit redditus. Cujus generis sunt illa quoque gentilium opera mira, de quibus suprà, ut aquæ in cribro gestatio, navis per cestum protractio, cotis sectio, & similia, in quibus diabolus suam edidit potentiam, ut majorem sibi apud cultores suos conciliaret autoritatem.

Hujusmodi miracula verè fiunt à ministris Satanæ, *interdum DEO operante*, quemadmodum *Christus* ipse fatetur, multos in novissimo die gloriaturos, *se in nomine suo dæmonia ejecisse*, quos tamen ipse pro suis non agnoscet *Matth.* 7. *v.* 22. quibus in rebus effectus non tàm organis diaboli, quàm ipsi DEO, cujus nomine abutuntur, adscribendus est, qui vel Sacram doctrinam per miracula ista, etiam ab impiis facta, confirmat, vel justo suo judicio homines reprobos, qui veritatem audire noluerunt, in errores præcipitat, ut credant mendaciis: *interdum* fiunt *Deo permittente*, ut Diabolus in organis suis sit efficax, & tamen intercedit invocatio deorum gentilium à Satanæ ministris, quos ipse ita fascinat, ut se veros veri DEI cultores esse, & à vero Deo juvari putent. Sic potest Satan subitò, & quasi uno in momento corpora de uno loco transportare in alium, ut quasi de novo producta videantur, ubi res quidem verè adest, sed insensibiliter aliunde in conspectum nostrum producta. Quò referuntur à nonnullis magi *Ægyptiaci*, qui incantationibus suis veros produ-

xêre ſerpentes, veras ranas, ſed aliunde transportatas *Exod.* 8.

Etſi autem talia miracula ſunt vera, ab Apoſtolo *Paulo* tamen appellantur prodigia, *mendacia*, 2. *Theſſ.* 2. *v.* 9. partim, quia autor eorum diabolus fallax eſt, partimq́ quia ad fallendum & decipiendum ſunt comparata.

*Secundum genus.* 2. Quædam mira Satanæ opera cauſas habent in naturâ, ſed occultas, & non cuivis obvias. Magna enim eſt vis & efficacia in lapidibus, herbis, ſeminibus, & aliis rebus naturalibus, licet occulta, per quam multa fieri poſſunt & ſolent, quæ pro miraculis habentur ab imperitis, cùm tamen naturaliter fiant, licet non ſecundum conſuetum naturæ ordinem. Ita curantur interdum morbi ſubitò à veneficis, adhibitis quibuſdam herbis, quæ naturale habent in ſe antidotum contra iſtum morbum, quod tamen neque veneficæ, neque ægroti intelligunt, ideò pro miraculosâ curâ habent: diabolus autem eſt exercitatus phyſicus, qui occultas illas rerum qualitates probè novit, & materiæ alicui appoſitè applicat, unde effectus prodit, qui nobis videtur mirabilis, qui tamen in ſeſe non eſt, ſed in naturâ cauſas habet. In talibus ergò non diabolus eſt cauſa efficiens rei productæ, ſed miniſter ſaltem naturæ.

Huc refert *Auguſtinus* ſerpentes & ranas magorum *Ægyptiacorum*, quos veros ſerpentes & ranas fuiſſe exiſtimat, ſed ex occultis ſerpentum ranarumque ſeminibus productas. Ita enim *ſcribit lib.* 3. *de Trinit. cap.* 7. *omnium rerum, quæ corporaliter viſibiliterq́ naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi hujus elementis latent. Non tamen bonos vel malos angelos fas eſt putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſus ſemina iſtarum rerum nobis occulta noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargunt, atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones. Aliud eſt enim ex intimo & ſummo cauſarum ordine condere atque adminiſtrare creaturam, quod qui facit, ſolus creator Deus eſt: aliud autē pro diſtributis ab illo viribus & facultatibus aliquam forinſecus operationē admovere, ut tunc vel nunc, ſic vel ſic exeat, quod creatur. Etiam hoc eſt videre, quam multi homines noverunt, ex quibus herbis vel carnibus, aut quarumcunque rerum quibuslibet ſuccis, aut humoribus, vel ita poſitis, vel ita obrutis, vel ita contritis, vel ita commixtis, quæ animalia naſci ſoleant, quorum ſe quis tam demens audeat dicere creatorem? Quid ergò mirum, ſi quemadmodum poteſt noſcere quilibet nequiſſimus homo, unde illi vel illi vermes muſcæque naſcuntur: ita mali angeli pro ſubtilitate ſui ſenſus in occultioribus elementorum ſeminibus norunt, unde ranæ ſerpenteſque naſcuntur, & hæc per certas & notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibenda faciunt creari, non creant, &c.* Hæc Auguſtinus.

Ad hoc genus mirorum operum

Satanæ pertinet, quod *Ælianus* scribit *lib. 12. variar. histor.* *Aspastam* ad indicium cujusdam mulieris, quæ in formâ columbæ ei apparuit, rosas de coronâ *Veneris* accepisse, iisque maculas faciei curasse: hoc enim rosæ naturaliter faciunt, sed ut idololatria ad statuam *Veneris* exerceri solita confirmaretur, de hac ipsâ statuâ rosas petere jussit.

Hujus generis est, quod in fano quodam *Veneris* lampas, quæ nunquam extingueretur, luxisse semper legitur, quanquam neque oleo, neque aliâ pingui materiâ aleretur: aliâ enim ratione naturali hoc fieri potuit, lapide videlicet Asvesto, de quo *Plinius* scribit *lib. 37. nat. hist. cap.* 10; qui semel accensus nunquam extinguatur, nec tamen consumatur.

Eodem modo diabolus morbos immittere potest, excitatis morborum seminibus, iis ex causis, ex quibus morbos naturaliter fieri posse novit, id quod alteri adeò notum non est, ideò pro re mirâ habetur.

*Tertium genus.* 3. Quædam Satanæ opera pro miraculis reputantur, sed meræ sunt præstigiæ & illusiones diabolicæ, quemadmodum Prophetam *Samuelem* è mortuis reduxisse videbatur, sed spectrum saltem fuit, non verus *Samuel*, ut alibi ostendimus, 1. *Sam.* 28.

Sic in historiâ *Macarii* legitur, de virgine quadam, quæ parentibus in vaccam conversa videbatur, sed precibus *Macarii* effectum est, ut parentibus oculi aperirentur, & veram hominis formam in filiâ suâ viderent, seque à dæmone illusos animadverterent. Ejusmodi illusiones diabolicæ leguntur in vitâ *B. Martini* apud *Severum Sulpitium cap. 25.* & apud *Clementem Romanum lib. 10. recognit.* & *Simonis Magi* miracula illusiones meras fuisse, probat *Egesippus lib. 3. de excidio Hierosolymitano c. 2.*

*Torquebatur Magus Apostoli gratiâ. Collegit sese, atque omnem excitans carminum suorum potentiã, congregat populum, offensumque se dicit à Galilæis, relicturum se urbem, quam tueri soleret. Diem statuit, pollicetur volatũ, quo supernis sedibus inveheretur: cui quando vellet, cœlum pateret. Conscendit statuto die montẽ Capitolinum, ac se de rupe dejicens, volare cœpit. Mirari protinus & venerari plerique dicentes: Dei esse potentiam, non hominis, qui cum corpore volitaret, nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans, ait: Iesu Domine, ostende ei, vanas artes suas esse, ne hac specie populus ille, qui crediturus est, decipiatur. Decidat Domine, sic tamen, ut nihil se potuisse vivens recognoscat. Et statim in voce Petri, implicatis remigiis alarum, quas sumserat, corruit, nec exanimatus est, sed fracto debilitatoque crure Aritiam concessit, atque ibi mortuus est. Quo comperto, deceptũ se Nero, & destitutum videns, dolens tanti casum amici, sublatumque sibi virum utilem & necessarium Reipublicæ; indignatus, quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret, &c.*

4. Quædam videntur mirabiliter fieri, *Quartum genus.*

ter fieri, cùm tamen mirabile nihil habeant: ſed meræ ſunt impoſturæ, mirâ impoſtorum celeritate productæ, ut vulgus pro miraculo habeat, quod reverâ nihil erat.

Hujuſmodi impoſturis plenus olim fuit *Papatus*, ubi fingebantur ſtatuæ loqui, ingemiſcere, flere, ſanguineum ſudorem emittere, in quibus omnibus indefeſſa erat monachorum opera: meliùs enim mendacia ſua pingere non poterant, quam per alia mendacia, quæ hominum credulitate alebantur.

Hujus generis eſt, quòd parochus quidam, annotante *Eraſmo*, cancros vivos cum accenſis lucernulis ſepulcris in cœmeterio appoſuit, populoque vicino è ſomnis excitato perſuaſit, eſſe animas defunctorũ; quòd *Bonifacius VIII.* anteceſſorem ſuum *Cœleſtinum* de ſede Papali deturbaturus, per canalem demiſit ad ipſum vocem, quaſi cœlitùs factam, ut deſereret *Cœleſtinus* Papatum, & *Bonifacio* eum cederet, niſi regno cœlorum excludi vellet: quòd cùm ſimplex homo crederet, *Papatum* ſponte deſeruit; quòd monachi pullati noctu circumcurſitarunt, dicentes: ſe eſſe animas defunctorum, quæ miſerè torqueantur in purgatorio, è quo, niſi factis eleemoſynis, liberari nequeant, referente *Stumpfio lib.* 13. *cap.* 34. & 35. ob quod facinus *Bernæ* quatuor monachi igne combuſti ſunt; quòd denique *Aureliæ Franciſcani Monachi* adoleſcentulum ſimpliciorem ſuper teſtudinem templi collocarunt, ut ſtrepitus excitaret, fingens ſe animam eſſe defunctæ conjugis prætoris, ut *Sleidanus* annotavit *lib.* 9.

Similibus impoſturis diabolus olim *Babylonios* decepit in ſacrario *Beli*, ut eſt in appendice *Danielis cap.* 14.

His quatuor miraculorum diabolicorum generibus addere poſſumus quintum, quod complectitur miracula ficta, quæ *Papatui* inprimis ſunt familiaria, ubi ſuperſtitioſa hominum credulitas ingenioſos fecit monachos, ad excogitanda ea, quorum fraudes cordatiores facilè deprehenderunt. Ita enim conqueritur *Eraſmus in epiſt. ad Albertum Archiepiſcopum Moguntinum*, quæ præfixa eſt methodo *Theologiæ de vitis ſanctorum pag.* 9: *nunc Siculis gerris vaniora, nunc cujuslibet deliri ſenis, aut etiam aniculæ ſomnia huc irrepſerũt, & indies magis magisq; irrepunt.* *Additur quintum genus.*

Hujus generis eſt, quòd *Leander Albertus* ſcribit de *Mariâ* Lauretanâ, quæ in navi lapidea ex *Auſtriâ in Italiam* ad *Papam* navigavit; de *Chriſtinæ* virginis veſtigiis in lacu *Volſenæ*, quæ in lacum iſtum projecta repente pedibus ſuis calcarit aquas, & ſic manus inſequentium hoſtium evaſerit, unde veſtigia ejus in illo lacu etiamnum conſpiciantur, quòd de *Archangelo Gabriele* fabulantur, excidiſſe ei aliquot pennas ex alis, cum B. virginem *Mariam* ſalutaret.

Simile quid de pennis archangeli *Michaelis* nugantur: quòd *Maria* mater Domini *Fulbertum Carnoten-*

ſem lacte ſuo recrearit: quod eadem *B. Virgo* prægnanti *Abbatiſſæ* duos angelos miſerit, qui infantem ab illa ſuſceperint. Et hujus generis nugis plenæ ſunt *legendæ ſanctorum*, ad decipiendum credulum & ſuperſtitioſum vulgus apprimè compoſitæ.

Ex his omnibus facilè dijudicare licet, quid de miraculis Pontificiorum, quæ crebrò jactant, ſentiendum ſit.

Aut enim verè contigerunt, ſed operâ diaboli: nam multi *Pontifices*, multi epiſcopi, ſacrificuli, & monachi fuêre magi & incantatores, viva Satanæ mancipia, per quæ, permittente DEO, mirabilia multa edere potuit: id quod inde manifeſtum eſt, quia vel confirmarunt doctrinam falſam, id quod *Abbas Trithemius* pro infallibili ſigno miraculorum diabolicorum habuit: *ubi veritas non colitur*, (inquit) *ſi qua fiunt miracula, non DEVS, ſed Diabolus operatur*. DEUS enim, cùm ſit veritas, religiones falſas non inſtituit, & ideò miraculis ſuis nunquam illuſtravit, *lib. 8. quæſt ad Maximil. quæſt. 3.* vel per media illicita, ut per recitationem verſiculi *Virgiliani*, aut ſimiles nugas, modo & fine illicito facta fuêre; vel denique adeò ridicula fuerunt, ut quilibet videat, ea ad decipiendum compoſita fuiſſe, qualia ferè ſunt omnia, quæ tribuuntur *Franciſco, Antonio, Dominico Loricato*, & aliis.

Quò pertinent etiam illa, quòd ægroti in *Papatu* vel cerâ vel pecuniâ certâ ſe ad idolum aliquod devovent. & ſanitatem ibi impetrant, ubi fieri poteſt, ut diabolus, permiſſu DEI, morbum illum immiſerit, & uſum membrorum inſidendo impediverit, idque eo fine, ut videretur ſanare, cùm deſineret nocere, *cùm enim affligere ceſſant dæmones, curaſſe videntur, ut Bellarminus de miraculis Veſpaſiani loquitur lib. 4 de eccleſ. cap. 14.*

Aut fuêre ficta, & ad perſuadendum populum excogitata, quod docent *legendæ ſanctorum*, de quibus *Melchior Canus ſcribit lib. 17. loc. com. cap. 6. quòd Laertius multò ſeveriùs vitas Philoſophorum ſcripſerit, quàm Chriſtiani vitas ſanctorum, & quòd Suetonius res Cæſarum longè incorruptiùs & integriùs expoſuerit, quàm expoſuerunt, Catholici res martyrum, virginum & confeſſorum.* Fatetur idem, in *aureâ legendâ ſanctorum*, miraculorum monſtra ſæpiùs, quàm vera miracula legi, viroſque graviſſimos in divorum præſertim prodigiis ſparſos rumores & excepiſſe, & ſcriptis etiam ad poſteros retuliſſe, quâ in re aut nimium ſibi, aut certè fidelium vulgo indulſerunt, quòd vulgus ſentiebant non tantùm facilè ea miracula credere, ſed impensè etiam flagitare.

Aut denique fuêre ſimulata, quæ contingere videbantur; ſed per illuſionem, verè autem non contingebant, quorum exempla ſupra habuimus.

Omnia hæc ad diabolum autorem referimus, cujus proprium eſt mentiri & fallere, & per illuſiones

ac men-

ac mendacia miſeras hominum animas in exitium præcipitare.

*Quomodo diabolica prodigia à veris Dei miraculis diſcerni poſſint?*

Hactenus ergò de miris Satanæ operibus audivimus: ſequitur jam, quomodo ea à veris Dei miraculis diſcerni poſſint. Diſcrimina præcipua petuntur ex ordine cauſarum.

*1. Ratione cauſæ efficientis.*

(1.) Differunt ratione *cauſæ efficientis*. Divina miracula eduntur à Deo, de quo in *Pſalmo* legitur, quòd *faciat mirabilia ſolus*. Is ea facit, vel *immediate*, ut cum uxorem *Lothi* ſubitò in ſtatuam ſolis convertit *Gen.* 19. Solem ſtare, & retrogredi facit *Joſ.* 10. *verſ.* 12. 2. *Reg.* 20. *verſ.* 11. vel *mediantibus* angelis *Exod.* 12. *verſ.* 12. 2. *Samuel.* 24. *verſ.* 16. *Dan.* 6. *verſ.* 22. vel mediãtibus hominibus ſanctis, *Prophetis Exod.* 4. *v.* 6. 8. 9. 2. *Reg.* 1. 5. *&c.* *Apoſtolis, Actor.* 4. 10. 20. *&c.* diabolica fiunt à diabolo & ejus angelis, magis & incantatoribus *Exod.* 7. & 8. falſiſque Prophetis *Deut.* 13. *v.* 1. 2. *Matth.* 24. *v.* 24. 2. *Theſſal.* 2. *v.* 9.

*2. Ratione cauſæ materialis.*

(2.) Secundo diſcrimen petitur à *cauſa materiali*: divina miracula fiunt iis in rebus, quæ à natura & cauſis naturalib⁹ vel nullo modo fieri poſſunt, ut ſuſcitare mortuos, fœcundare matres, verbo curare morbos, vel non tam citò, nec tam facilè, uti fiunt à DEO, ut medicamẽtis quidem curare morbos, ſed uno in momento. Diabolus, quod à naturâ nullo modo fieri poteſt, non præſtat: in reliquis, quæ à naturâ fieri poſſunt, aliquid miri interdũ permittente Deo, producit, ut, quòd parvo temporis ſpacio ægrotum ſanat, ſed adhibitis inviſibilibus & efficaciſſimis medicamentis.

*Duodecim opera, quæ diabolus præſtare nõ poteſt, nec permittuntur ei à Deo ut præſtet.*

Recitantur autem uſitatè duodecim opera, quæ diabolus præſtare non poteſt, nec permittuntur ei à Deo, ut præſtet. 1. *novas producere creaturas*: nam quid de ranis magorũ Ægyptiacorum ſentiendum ſit, paulo antè diximus. 2. *creaturas multiplicare*. Etſi enim miniſtris ſuis procurat frumentum, lac, vinum, pecuniã, & ſimilia, non tamen multiplicando res præſentes, ſed afferendo aliunde ſuffuratas. Ditat enim ex furto, aliorum facultatibus aliò trãslatis. 3. *creaturas mutare aut transformare in aliam ſpeciem*: hoc enim ſolùm ej⁹ eſt, qui creaturas condidit: Is aquam in vinum, baculum Moyſis in ſerpentẽ vertere potuit. 4. *mortuos reſuſcitare*: DEUS enim ſolus eſt qui mortificat, ut autor vitæ & mortis. 5. *morbos ſine medicamentis tollere*, niſi fortè eos, quos ipſe, DEO permittente, immiſit, quos curare dicitur, cùm nocere deſinit. 6. *uterum matrum claudere, vel recludere*, hoc enim ſolius Dei eſt elogium, quòd faciat ſteriles habitare in domo *Pſal.* 113. *verſ.* 9. 7. *curſum Solis inhibere*, quod DEUS in hiſtoria *Joſuæ* fecit *Joſ.* 10. nam quòd nonnulli apud *Poetas* legũtur lunam deducere cœlo, id phantaſticæ illuſioni ſimilius eſt, quàm apertæ veritati. 8. *mare vel alias aquas dividere*, ſicut Dominus in mari rubro fecit. 9. *futura noſſe*, quo idiomate DEUS ſeipſum à diis gentium, hoc eſt, à dæmoniis

niis sequestravit, *Esa.41. v.23.* 10. *cogitationes hominum scire*, de quo suprâ casu 3.11. *elementorum qualitates tollere vel suspendere*, ut Deus fecit in fornace *Babylonicâ*. 12. *omnia mira edere*, quæ Scriptura Deo tribuit, ut, quod *Noa* in diluvio, *Ionas* in ventre ceti fuêre vivi conservati, quòd *Henoch & Elias* vivi in cœlum sublati, quòd *Babyloniorum* lingua fuit confusa, quòd Deus homo factus, quòd corpora sanctorum post resurrectionem glorificantur. Hæc enim omnia ne bonis quidem angelis competunt, sed solum omnipotentis sunt naturæ.

*3. ratione causæ formalis.* (3.) Tertium discrimen suppeditat *causa formalis.* Divina miracula semper sunt reverâ, id quod apparēt. Ut enim impossibile est mentiri Deum: ita etiam non illudit Deus sensibus hominum, neq; imposturis circumvenit, quos de rebus arduis docere cupit: nam *sine mendacio cōsummatur verbum legis, Syr.34 v.8.* Diabolica verò mendacia sæpenumero sunt fallacia, phantastica, præstigiatoria, quæ sensus hominum pręstringunt, in rei veritate non sunt, quod præ se ferunt, id quod suprà exemplis ostendimus.

*4. ratione causæ finalis.* (4.) *Causâ finali* inprimis discrepant miracula diabolica à divinis. Hæc finem habent semper bonum, nam vel Dei bonitas & immensa potentia, vel verborum divinorum veritas, vel doctrinæ cœlestis salubritas iis demonstratur, vel doctoribus divinitùs vocatis autoritas conciliatur. Illa verò finem habent semper malum. Abducunt enim homines à gloriâ Dei & salute propria, stabiliunt falsam doctrinam & fictam religionem, ejusdemque professoribus autoritatem conciliant. His igitur discriminibus observatis, mira diaboli opera omnipotentiæ divinæ nihil præjudicare possunt.

*Cur Deus permittat Diabolo mira edere opera?* Restat membrum tertium in hoc casu, ut nimirum causas indicemus, *cur Deus diabolo mira edere opera permittat, cùm ea vel unico verbo impedire possit?*

Hîc autem repetendum est, quod suprà notavimus, quædam diaboli opera vera esse quæ etiam per organa Satanæ fiūt in nomine Christi, quod de exorcistis Judæorum dicitur *Luc.* 11. & hæc Deus fieri permittit, ne nomen ejus frustrà invocetur, sed etiam per impios, licet ipsis invitis, glorificetur. Quædam Diaboli opera mira sunt falsa & simulata, & talia permittit Deus (1.) in pœnam reproborum, quos efficacibus illis erroribus justo judicio ita dementat, ut qui credere noluerunt veritati, credant mendaciis 2. *Thess.2.v.*10.

[*Satanæ volūtas semper injusta est, sed nūquam potestas injusta, quia à semetipso habet voluntatem, à Deo verò potestatem; quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non nisi justè permittit,* Gregor. *l. 2. moral. ca. 6.*]

(2.) In probationem fidei, patientiæ & constantiæ piorum, quemadmo-

admodum de miraculis pſeudodoctorum ſcribitur *Deut. 13. v. 3. tentat vos Dominus Deus veſter, ut palàm fiat, utrum diligatis eum ex toto corde, & in tota anima veſtra.*

[*Vt infideles à fidelibus, & pij diſcernantur ab impiis, permiſſum eſt maligno uti his artibus, quibus ſingulorum erga verum parentem probetur affectus*, Clem. 2. *recogn.* Theodoret. *l. 2. in Deuteron. & l. 3 de Dijs & angelis.*]

(3.) In commonitionem bonorum, ne, ſi fortè donis externis excellant præ aliis, quæ tamen ad ſalutem nihil faciunt, in ſuperbiam incidant, cùm talia in reprobis etiam animadvertant: *(Nolite gaudere quod Spiritus vobis ſubjiciantur, Luc.* 10.) *æmulentur* ergò *dona meliora* 1. *Cor.* 12. *verſ.* 31. æmulentur *ſpiritualia* 1. *Cor.* 14. *v.* 1.

(4.) In cautionem eorum qui talia ſpectant, ne eos qui miracula edunt, adorent, cùm talia etiam à diaboli miniſtris patrari poſſe audiant. Ad hanc enim ſuperſtitionem homines propenſos eſſe conſtat ex hiſtoria *Pauli*, ubi *Lycaones Paulum & Barnabam*, ob miraculum, quod in homine claudo ediderant, adorare volebant *Actor.* 24.

(5.) In cautionem eorum, qui religiones probant, ne ex miraculis ſolùm de religione judicium faciant, nec eam abjiciant, ut falſam, quæ miraculis deſtituitur, ſiquidem & dæmones & reprobi homines miracula edant & prodigia.

*Levitatis* eſt, ob mirum atque prodigium religionem mutare: *impietatis* etiam, ad dignoſcendum verum à falſo, miraculum petere: id quod Chriſtus ipſe generationis pravæ & adulteræ eſſe, teſtatur, *Matth.* 2, 39. Apoſtolus *Paulus* verò in *Judæis* reprehendit 1. *Corinth.* 1. *verſ.* 22.

## CASUS V.

### *Quid ergò faciendum, ne miraculis diabolicis ſeducamur?*

RESP. Finis miraculorum diabolicorum eſt ſeductio & exitium animarum. Ne ergò ſeducamur, ante omnia certi ſimus, quod diabolus etiam mira edere poſſit opera, ac proinde ab operibus externis utut prodigioſa ſatis ſint, non pendeamus.

[*Finis miraculorum diabolicorum eſt ſeductio.*
*Mentitur enim diabolus, ut fallat, blanditur, ut noceat, bona promittit, ut malum tribuat, vitam pollicetur, ut interimat, ſpondet pacem, ne ad pacem perveniri queat, ſalutem offert, ne quis ad ſalutem veniat*, Cypr. *epiſt.* 8. *lib.* 1.]

Deinde, non *quis* mirum aliquod opus dat, aut *quid* faciat, ſed *quo fine* illud fiat, attendamus. Si enim fiat in

confirmationem falsæ doctrinæ, clarum habemus mandatum, ne credamus miraculo, quia *Deus tentat nos, an toto corde ei adhæreamus. Deut.* 13, 3. Doctrinam enim non ex miraculis æstimandam esse suprà didicimus, cùm etiam pseudoprophetæ, adeoq; dæmones ipsi miracula edant.

Cùm ergò *Pontificiorum* miracula nihil aliud sint, quàm fulcra falsæ doctrinæ, nemo eis moveri debet: doctrina priùs probetur ex verbo, quâ probatâ, miracula suo relinquantur loco. Si fecerit Deus per sanctos quosdam homines aliquid prodigiosi, laudandus est ipse in sanctis suis, & bonitas ac omnipotentia ejus deprædicanda: si verò nihil hujus fecerit, de doctrinæ veritate propterea non est dubitandum.

Sic dum jubent *Romanenses* ægrotos se devovere alicui sancto, à quo sanitatem fuisse restitutam fingunt, ne credas eis: nam ex sanctis, de quibus Scriptura dicit, quòd *ignorent nos, Esa.* 64. *vers.* 16. medicos & salvatores faciunt, imò Deos quosdam, in quibus confidere, ad quos confugere & opem petere debeamus. Quod cùm idololatricum sit, miracul.s etiam illis, quæ ad statuas sanctorum facta dicuntur, nihil est tribuendum, ut ut magnam præ se speciem ferant.

Ex finibus enim suis facta ipsa sunt pensitanda. Vide hâc de re eleganter disserentem *B. Lutherum in postilla domestic. pag.* 419. *edit. Ienens.* & *in li. germanic. contra Episcop. Bennon. tom.* 2. *Ienens. german. fol.* 434. & passim alibi, ubi de miraculis *Pontificiorum* agit.

## CASUS VI.

### *Rectenè morbi corporis referuntur ad autorem diabolum?*

RESP. Firmissimè tenendum est, ut mala pœnæ omnia, ita & morbos immitti à Deo, puniẽte hominum peccata. *Esa.* 45, 7. *Amos* 3. *v.* 6. *Thren.* 3. Qui enim *delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidit in manus medici Syr.* 38. *vers.* 15. & stulti propter *injustitias suas* puniuntur, *omnem escam abominatur anima eorũ, & appropinquãt usq; ad portas mortis Psal.* 107. *vers.* 18. Deus ipse transgressoribus legis suæ minatur *febrim, ardorem, frigus & æstum, scabiem, pruriginem, Deuter.* 28. *v.* 21. 22. *Lev.* 26. *v.* 25. utitur tamẽ hoc in genere executore diabolo: nam ut *Augustinus* loquitur: *penes Deum mille habẽtur modis, hominibus castigandis, & maximi ultionum thesauri, modò per seipsum, modò per angelos suos, modò per diabolos, homines, bestias: tota deniq; natura ad ulciscendam injuriam Deo factam est comparata.*

Ideò *David* testatur, immisisse Deum in *Israelitas indignationem iræ suæ, & tribulationem per angelos malos, nec pepercisse à morte Ps.* 78. *v.* 49. & in historia Evangelica legitur de muliere quadam, quæ non poterat



Digitized by Google

erecto vultu incedere, quòd *Satan ipsam alligaverit octodecim annis Luc.* 13.*v.*11. De *Herode* quoque legitur, quòd angelus Domini ipsum percusserit, *eò, quod non dedisset honorem Deo, & à vermibus consumtus exspiravit Act.* 12.*v.*23. In genere etiam de iis, quos *Christus* sanavit, dicit *Petrus*, quòd à diabolo fuerint oppressi *Act.* 10,38. Magna igitur est potentia Satanæ in corpora hominum, sed restricta ad Dei voluntatem: plura enim non potest, quàm Deus permittat: ideò corpus *Iobi* affligere non potest, nec in porcos invadere, nisi impetrat à Deo potestate. *Matt.* 8,31. & generale est, quod Christus ait: *omnes capillos capitis nostri numeratos esse, & ne passerem quidem cadere super terram sine patre nostro Matt.* 10,30. Ideò cùm ultra permissum aliquid tentat, increpatur à Domino *Zach.* 3,2. Cùm ergò ad nocendum corporibus naturâ suâ semper sit paratus, impetratâ potestate à Deo, ad efficiendum fit promptior.

*Variis modis Diabolus morbos immittit.*

Morbos igitur immittit interdum per media naturalia: instigat enim ad temperantiam & ingluviem, ex quâ morbos excitari, etiam *Syracides* testatur *c.*37.*v.*33. perturbat subitò humores corporis, inficit aerem, venenum corporibus hominum inspirat, mirâ celeritate, ut per veneficia facta videantur, quæ tamen naturales habent causas, sed ex operatione Satanæ.

[*Vitam turbant, somnos inquietant, membra distorquent, occultè terrent, valetudinem frangunt, morbis lacessunt*, (*Spiritus maligni*) Cypr. *de vanitat. idol. ang. & arusp.*]

Interdum prodigiosè, præterque naturam originem nervorum perturbat in cerebro, mirasq; convulsionum species facit, quibus etiam peritissimos medicos ludificat, qui talia ad naturales causas referentes, frustrà medicinam adhibent; ulcere corpora fœdat, pudenda ulcere sanioso inficit. Ut evirationis persuasionem inducat; insecta auribus immitti:, quæ postea vel prodeant, vel evolent, quâ de re vide *Iohann. Wierum lib.* 1. *de præstigiis dæmon. cap.*12. Interdum etiam horribili spectro homines terret, ut ex terrore in morbos incidant periculosos, cujus rei exempla habet *Alexander ab Alexandro lib.* 2. *genial. dier. cap.*9.

*Difficile est dignoscere an morbus sit peculiariter à diabolo immissus.*

Difficile autem est dignoscere, an morbus sit peculiariter à Diabolo immissus: ideò non facilè in eas cogitationes incidamus; recordemur potiùs, *non esse malum in civitate, quod non fecit Dominus*! sciamus, diabolum *ne capillum quidem* incurvare posse, *nisi Dominus permiserit*. Non facilè autem permittit Satanæ hanc potestatem in pios, quorum est amantissimus: si quando verò permittit, non facit, ut opprimat, sed tantùm, ut exerceat: *fidelis enim Deus, qui non patitur vos tentari supra vires, sed præstabit etiam cum tentatione evasionem, ut sufferre possitis* 1. Corinth. 10.

[*Absque omnipotentis Dei concessione nullam habet potestatem contra hominem malignus Spiritus, qui etiam in porcos transire non potuit, nisi permissus*, Gregor. *in Dial.*

*Quod autem clementer in nobis permittit Deus, non potest esse malum.*

*Diabolus non tentat nisi fuerit missus aut permissus: mittitur tanquam malus à potestate dominante: permittitur, quando aliquid petit, & hoc fit, ut probentur justi & puniantur injusti*, Aug. *tract. 7. in Iohann. Vult plerumq; nocere, sed non potest, quia potestas illius est sub potestate. Nam si tantum nocere posset, quantum vellet, aliquis justorum non remaneret* Aug. *in Psal. ideò dixit ad Christum Matth. 4. non, mitto, sed mitte te deorsum, quia hortari potest, cogere non potest*, Chysost. *hom. 5. op. imp.*]

Ægrotantes igitur primùm omnium agnoscant, se ob peccata sua incidisse in manus medici, agnoscant se percussos à Deo, cujus manus vulnerat & sanat, ab eo auxilium petant, & media legitima non contemnant; si qua verò conjectura sit, permissum in ipsos esse aliquid diabolo, precibus id avertant seriâ pœnitentiâ: ab organis verò satanæ remedia non petant.

Etsi enim satan per herbas, quarum qualitates optimè novit, & alia media morbis mederi possit, ab eo tamen medicina petenda non est, cùm sit species servitii, quo diabolo offerimus: sed committamus rem Deo, cujus permissu Satan nobis nocuit, & precibus instemus, ut tandem è vinculis Satanæ nos liberet, patienter interim expectantes tempus oportunum, quod licet nobis ignotum sit, Deus potestati suæ reservavit.

## CASUS VII.

### *Quid faciendum, cùm diaboli in assumtâ visibili forma nobiscum conversantur?*

RESP. Quòd diaboli propriis corporibus destituti ex aere, vel densiore materia corpora adsumant, ex *Platonicorum* scholâ, quibus etiam *Augustinus in lib. de divinat. dæmon.* assentitur, notum est.

Eam materiam diversimodè disponit, unde & in variis animantium hominumque figuris, Prothei instar apparet: modò in felis, mustelæ, murium, capræ, hirci, canis & similium formâ videtur.

Nam ut *Nicolaus Remigius scribit lib. 1. dæmonolatr. cap. 7.* nullæ sunt animalium species, quas dæmones per occasionem non usurpent, dum dolos admoliuntur, thechnasque instruunt: Nullam tamen adhibent libentiùs, quàm hominis, quòd ea ad congressum & col- *Diaboli nullam libentius assumunt speciem, quàm hominis*

Digitized by Google

& colloquium convenientissima sit.

*Sed semper habent aspectabilem aliquam corporis notam.*

Sed ut ab aliis facilè discernantur, ita disposuit misericordissimus Deus, ut plerumque aspectabilem corporis notam habeant. Interdum unico incedunt pede, & appellantur *Empusa*, græci vocabant terriculamenta *Hecataa*, quia ab *Hecate* in meridie, cùm inferis parentaretur, immissa credebantur. Interdum manus habent strigosas, & villis atque hamis deformes, corpus pilosum, pedes corneos bifidosque, & appellantur *Satyri*. Interdum nimis vasta habent corpora, interdum nimis tenuia & brevia.

In hujusmodi assumtâ formâ non tantum ministris suis, sagis & veneficis apparent, choreas cum eis ducunt, liberos gignunt, quos *ephialtas* vocant, & similia opera expediunt: sed etiam cum aliis, privatis in ædibus conversantur, unde & lares domestici appellantur, qui duorum sunt generum.

*Lares domestici duorum sunt generum.*

*Quidam mites.*

Quidam enim mites sunt, & sedati, quos κοβάλους vocant, germani Kobolt/ q. d. ludificatores, quia hominum imitantur mores, rident, lætantur, hominibus abblandiuntur, in culinis, stabulis, cellis admodum laboriosi videntur, nocte concubiâ ministrorum munera peragere, scalas descendere, ostia aperire, ignem struere, aquam haurire, cibumque parare audiuntur, multaque se agere simulant, cùm tamen nihil agant. Germani nomen eis dederunt à bonitate gütchen seu *Guthali*, quia benignè faciunt, & hominibus amici & officiosi esse videntur.

Recitat *B. Lutherus*, historiam de nobili quodam, cui diabolus loco stabularii fuit à servitiis, & de quâdam ancillâ, quæ diabolum in culinâ juxta focum sibi assidentem semper habuit, quem *Heinzulum* vocabat, is locum illum, in quo sedebat, mundum semper servabat: item de diabolo famulante monachis.

Simile quid narrat *Ioh. Wierus lib. 1. de præstig. dæmonum c. 22.* de domestico quodam dæmone in ædibus parentum, qui, cùm in tabulato ingens lupuli asservaretur copia, si quando adventuri essent emtores, præcedente nocte saccos per gradus dejicere audiebatur, quod parentes pro omine fausto acceptarint, emptores procul non esse judicantes. Credibile enim est, nosse satanam, quæ emtores de rebus suis colloquantur, ludibria ergò talia ostendit, antequam illi adveniant, ut prædicere videatur, quæ modò cœpta sunt. Hæc sunt genera dæmoniorum domesticorum, qui, quòd in angelum lucis se transformant, mites & benigni appellantur.

*Quidam tetrici.*

Quidam lares domestici sunt tetrici & formidabiles, qui detrimentum afferunt vel hominibus, vel rebus in domo; supellectilem domesticam confringunt, famulos & ancillas, interdum & impios heros verberibus incessunt, aut alioquin periculum aliquod machinantur, qualis erat ille dæmon, qui *Wartenburgi* propè *Isenacum B. Luthero*, an. 1521. in

 path-

pathmo suo multum negotii facessivit: inter cætera etiam saccum nucibus avellanis repletum è cistâ eripuit, nucesq; ie conterere cœpit, & paulo post magnum excitavit tumultum, quasi vasa multa per scalas præcipitarentur.

Inprimis autem frequentes sunt dæmones in locis metallicis: putat enim Satan, se omnes divitias mundi in sua habere potestate, easque dare posse, cui vult.

Hi etiam duorum sunt generum. Quidam benigni & sedati, apparentes in staturâ parvâ, plerumque ut seneciones, in forma & habitu metallicorum, unde & viri montani, Bergmännlin appellantur: apparent in specu, ubi metalla jam effodiuntur, vel ut effodiantur, spes est. Nemini nocere dicuntur, nisi vel cachinno, vel maledictis excipiantur: aliàs se valdè negotiosos simulant, hinc inde discurrunt, more metallicorum laborant, & tamen nihil efficiunt. Quidam autem sunt noxii, aspectu terribiles, & metallicis infesti, quos vel halitu vel tactu corporis inficiunt, vel de scala præcipitant, vel aggere terreno obruunt, ita, ut propter ipsorum sævitiem multæ fodinæ, licet satis opulentæ, fuerint relictæ. Cùm hisce noxiis diabolis nemo libenter conversatur, sed horrent & fugiunt eos, omnes, qui sanæ mentis sunt.

[*In Turcia in quadam specu diabolus apparuit in forma capræ aurata cornua habentis. Annabergi quidam dæmon operarios 12. interfecit in specu corona rosacea dicta. Sneebergæ talis dæmon in specu Georgiano operarium è solo sublatum in superiori loco maxima illius concavitatis collocavit referente* Georg. Agricol. *l. de animant. subterr.* & Wiero. *l.* 1. *de præst. dæm. p.* 113.]

Barbari tamen in *India* Diabolicis spectris misere excruciati, imaginem Diaboli adspectu horrendam in solio collocatam certis ceremoniis & sacrificiis colunt, ne noceat.

Quòd autem inter Christianos reperiuntur, qui dæmonum illorum, quos benignos & familiares vocant, conspectu & conversatione gaudent, eos blandè alloquuntur, ad cibos invitant, labores domesticos & similes eis commendant, id verò laudare minimè possumus, *quid enim commercij habet Christus cum Belial.* 2. *Corinth.* 6. diabolus juratus generis humani hostis est, à quo semper nobis metuendum, qui, cùm se simulat optimum, pessimus est, quod *Lutherus* probat exemplo istius *Heinzuli*, quem ancilla (de qua supra) juxta focum in culinâ sibi assidentem habuit, quem cùm rogaret, ut se aspectabili formâ conspiciendum præberet, diù quidem ille renuit, tandem autem ancilla in cellâ infantem occisum in aquis natare videt, ubi Satan, ut autorem cædis, sese sistebat: ista enim ancilla quondam infantem interfecerat, cujus memo-

memoriam ei jam diabolus refricavit.

Nemo igitur diabolum ad se invitet, nemo ejus ministerio utatur, nemo conspectu ejus gaudeat: naturalis enim est, & esse debet inimicitia inter hominem, CHRISTI sanguine à potestate Satanæ redemtum, & inter serpentem illum antiquum.

Falluntur enim, qui existimant, hominem per CHRISTUM accepisse potestatem in diabolum vocãdi ipsum, mandandi, & operâ ejus utendi pro lubitu. Devictus quidem est diabolus per Christum, nostro bono, sed nondum pedibus Christi subjectus, ideò peragrat terram, hominibus etiam cohabitat, non ut prosit, sed ut noceat, quacunq; ratione sibi permiserit Deus.

Semper igitur orandum est, ne nos tradat DEUS in potestatem diaboli, ne sit domus nostra habitatio dæmonum, ne veniat Satan unquam in conspectum nostrum. Si verò talibus in locis, ubi diabolus hospitium invenit, habitandum nobis sit, ante omnia veræ pietati studeamus, & quibus delectatur Satan, ea non faciamus: *in eos enim potestatem habet dæmon, qui Deum à se & mente sua excludunt, ait* angelus *Tob. 6, 27.*

Deinde verò diabolo non colludamus, nec abblandiamur ullo modo, sed precibus & exercitiis verbi divini resistamus: hic enim est gladius Spiritus, quem diabolus ferre non potest.

[*Dæmones & infringere possumus & interficere. Infringere, quando præcepta Dei observando affectus in nobis effervescentes vincimus. Interficere, quando affectibus carendo omnem calumniandi occasionem illis præscindimus. Maximus in l. de charit. una & sola custodia hominum ab astu dæmonum est pietas Hermes Trism. Piũ hominem, nec dæmon malus, nec fatum tenet.* Lactant *l. 2. c. 16. de orig. c. 22.*

*Omnes sensuum aditus ipsi occludas, sic, ut neque per oculorum illecebras, neq; per aurium prurriginem, neq; per linguæ garrulitatem rursus admittatur,* Olymp. *c. 10. in eccl hist.*

*Quantò in hac ima potestatem dæmonum majorem videmus, tantò tenacius mediatori est inhærendum, per quem de imis ad summa conscendimus,* August. *de civ. Dei l. 18. c. 18.*

*In ejus nomine vincitur, qui hominẽ assumsit, egitq; sine peccato. Si imparatum Christi militem invenerit, si rudem, si non sollicitum, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Si verò quis dominica præcepta custodiens & fortiter Christo adhærens contra eum steterit, vincatur necesse est, quia Christus, quem confitetur, invictus est,* Cypr. *ad Fortunat. de exhort. martyr.*]

Denique semper maneat homo in viis suis, hoc est, officia vocationis

nis in loco sibi destinato, diligenter faciat. Si diaboli spectrum laboribus suis se immiscere videt, nihil curet, sed in vero timore Dei, qui fortior est diabolo, & magno animo diabolum condemnat, dicens, *ego autoritate divina in hac domo sum paterfamilias, servus, ancilla, in hac fodina, in hoc stabulo, in hac culina, opera vocationis meæ facere jussus sum: vocationi huic divinæ firmiter innitor: quid verò tibi hic negotij est Satan? Quis te huc vocavit? ut fur & latro intrasti: apage Satan, quære, si potes, domicilium tuum in cœlo, cur ibi non mansisti?* &c. *Nam cùm superbus sit spiritus, faciliùs abigi non potest, quàm per contemtum & exprobrationem lapsus sui: contemtus frangit diabolum, observatio inflat*, ait *Lutherus*.

Sed hic contemtus non ex temeritate fiat, sed in verâ fide & timore Dei, quo animum hominis, qui Satanam contemnere vult, repletum esse oportet. Non enim omnes ad contemnendum diabolum satis apti sunt.

## CASUS VIII.

### *Quænam sunt præcipua diaboli studia & opera, ex quibus ejus præsentiam agnoscere possum, cum visibili formâ non apparet?*

RESP. Diabolus appellatur *Satan*, *ἀντικείμενος* & *adversarius*. Adversatur ergò omnibus, quæ bonæ sunt naturæ, Deo inprimis, angelis sanctis, & hominibus piis. Et propter hos inprimis adversatur Deo & angelis, quos lædere aliàs non potest: idcirco hominum inprimis adversarius vocatur 1. *Pet. 5. vers. 8.*

Deum extremè odit, & ne ab ullo homine vel ametur vel colatur, exoptat. Ideò falsas de Deo opiniones homini instillat, puritatem verbi divini, ex quo de vero Dei cultu erudimur, quoquo modo impedit, & hominum mentes mendaciis adimplet. ***Satanæ odium erga Deum.***

Et quia non ignorat, hominem naturaliter scire, quòd sit Deus, & quòd à nobis coli velit, vel seipsum Deum facit, vel alio pacto cultum veri Dei depravat, sibi divinitatem quandam arrogat, &, ut cultores inveniat, miracula edit, morbos curat, futura prædicit, sed ita, ut veritatem mendaciis involvat, ut & suprà audivimus. Nam impudens est dæmon, qui rogatus, etiam quæ non novit, constanter affirmat, & quæ novit, si semel verè, decies illa falsò refert.

Huc pertinent omnes idololatriæ species, quibus autore diabolo, homines abducuntur à Deo: ideò *gentium Dij* vocantur *dæmonia Psal. 96. v. 5.* & mensæ in templis idololatricis, *mensæ dæmoniorum* 1. *Corinth. cap.* 10. *vers.* 21. & quæcunque Diis alienis offerebantur, ***Diabolus est autor idololatriæ.***

*dæmo-*

Digitized by Google

*dæmonibus immolata* dicebantur, *Ps.* 106,33.

*Diabolus est autor spectrorum & apparitionum in cœmeteriis.*

Ad hoc studium Satanæ referuntur etiam apparitiones spectrorum in cœmeteriis, circa monumenta defunctorum, sermones etiam & gestus statuarum, quibus omnibus homines ad religionem novam, illicitosque cultus inducit.

*Diabolus odium gerit erga Christum.*

Deinde adversatur Diabolus CHRISTO mediatori, quem venisse novit ad destruendum opera Satanæ 1. *Joh.* 3,8. Ita enim diaboli fatentur: *quid nobis & tibi, Iesu, fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos Matth.* 8. *v.* 29 Ideò quibuscunque potest modis, Christo se opponit, ex se ipso Christum facit, *Theudam, Mosen Cretensem* olim apud *Iudæos, in Papatu Franciscum Bernardonis filium*, quem *Iesum typicum* appellarunt, pro Christo haberi voluit, ex Papa vicarium Christi, ex Sanctis omnibus mediatores nostros facit, doctrinam Christi contemnit, miracula Christi suæ virtuti adscribit, persecutiones contra Evangelium Christi excitat, credentes in CHRISTUM peccatis suis angit, tentatis Christum ex oculis removet, & in crudelem transmutat tyrannum, quæ omnia in ignominiam ipsius Christi & perniciem hominum vergunt.

*Diabolus adversatur angelis.*

Tertiò adversatur sanctis angelis, quos propter eos, qui hæredes erunt salutis, emissos esse, nobis ab iis circumvallari, in omnibus viis nostris custodiri, & manibus eorum portari novit. Cum his ergò semper pugnat, opera ipsorum impedit, hominibus impuris cogitationibus, quibus spiritus illos castissimos pellicit, quotidie molestus est, nosque à societate sanctorum angelorum divellere sedulo laborat.

*Diabolus adversatur hominibus.*

Denique & in primis adversatur hominibus, quibus omni ex parte nocet: peccatis contra Deum instigat, omnem bonum ordinem convellit, omnia loca sceleribus implet, tragicis casibus, infortuniis, periculis & discriminibus animos reddit anxios, ut contra Deum ex impatientia murmurent: liberos contra parentes, maritos adversus uxorem, fratrem in fratrem, & intimos quosque in se invicem odiis, suspicionibus, jurgiis & rixis armat, ut mutuis vulneribus casi cum tædio vitam suam transigant. Et ut uno dicam verbo, omnia, quæcunque sunt in mundo tristia & noxia, quibus Dei favorem, conscientiæ bonitatem, vitæque tranquillitatem amittimus, ea omnia diabolum autorem habent, de quo vox de cœlo sonat: *væ incolis terræ & maris, quia descendit diabolus ad vos, irâ magnâ plenus, & sciens, quod modicum tempus habeat. Apoc.* 12,12.

De his operibus Satanæ, quibus hominum insidiatur, elegantem nobis ostendit picturam *Cyprianus serm.* 2. qui est *de zelo & livore circumit ille nos singulos*, inquit, *& tanquam hostes clausos obsidens muros explorat & tentat, an sit aliqua pars membrorum minus stabilis & minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formans illices & fa-*

 ciles

*ciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut sonus dulcior auditum solvat & molliat Christiani rigorem. Linguam ad convicium provocat, manus injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat: ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta: ut animam pecuniâ capiat, ingerit perniciosa compendia, honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat: ostendit falsa, ut vera surripiat, & cùm latenter non potest fallere, exertè & apertè minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debitas laudes Dei inquietus & semper infestus, in pace subdolus, in persecutione violentus.*

Quemadmodum ergò ex fumò ignem etiam latentem adhuc: ita ex his & similibus studiis diabolum nobis præsentem colligere possumus, licet visibili formâ non appareat: imò quoties filios *Belial*, homines corruptæ mentis, obstinatos in malitia, venundatos sub peccatum, qui nec Deum, nec homines curant, videmus, toties inter diabolos incarnatos vivere nos arbitremur.

## Casus IX.

### *Quid ergò faciendum homini pio, ne ex his diaboli studiis aliquid detrimenti capiat?*

Resp. Hic & consolatione & admonitione opus est; illâ, ne de victoria desperemus; hâc, ne in pugna deficiamus.

Consolationum fontes hi sunt: *Propositio consideratio & admonitio.* *Consolatio duplex.* 1. Diabolus nullum in pios jus habet, ideò nec pro arbitrio suo nocere eis potest, sed duntaxat, quantum permittit Deus. Permissio autem Dei certos ipsi præfigit limites, quos transgredi non potest: *fidelis autem Deus est, qui neminem tentat ultra vires* 1. *Cor.* 10, 13. ideò metuendum non est, quod traditurus sit suos prorsus in potestatem satanæ.

[*Quicquid acciderit justo, voluntati Dei deputet, non potestati inimici, sævire ille potest, ferire si Deus noluerit, non potest*, Aug *in Psal.* 36. *vide Job.* 1. *v* 10. *Diaboli malis sunt tãquam ignis fœno, bonis tanquam ignis auro, idem in Psal.* 103.]

2. Certa piis parata est victoria, qui jam tum vicerunt in Christo promacho suo, cujus victoria nostra est. Non enim tentantur ad perniciem, sed ad probationem. Nam, ut *Theophylact.* loquitur *in c.* 5. *Marc. quia certamen est vita nostra, noluit Deus extra hanc vitam dæmones esse, ut certantes nobiscum nos probatiores monstrarent.* (*Christus contrivit caput infernalis serpentis: frustra igitur mordet calcaneum; id est, membra Christi Gen.* 3. *v.* 15.)

Hinc discrimen agnoscitur inter studia dæmonis in piis & impiis. Pios tentare saltem dicitur, num

per-

pertrahere ipsos possit ad sua desideria: nam voluntates ipsorum cogere non potest: ideò & corporibus & fortunis ipsorum nocet, ut *benedicant* seu blasphement Deum *Iob.* 2. *v.* 5. in impiis autem efficaciter operari dicitur, eosque in laqueis suis captivos ducere, sensus ipsorum excæcare, & ad resistendum veritati impellere, quorum respectu etiam *Deus hujus seculi* appellatur, 2. *Cor.* 4. *v.* 4.

*Admonitio multiplex.* Qui hæc secum expendit, patienter ferre potest insultus Satanæ, quia cum hoste jam tum devicto congreditur, idque ad nutum Dei & cum certâ spe victoriæ.

Admonitiones, ut ad pugnam cum diabolo non segnescamus, in scriptura non sunt infrequentes.

Generalis est exhortatio Apostoli *Iacobi: resistite diabolo, & fugiet à vobis, cap.* 4. *v.* 7. *resistite fortes in fide, ait Petrus* 1. *Pet.* 5. *v.* 9. *D. Paulus* totam armaturam militis Christiani in pugnâ contra Satanam descripsit *Ephes.* 6.

[*Fortem diabolum facit nostra negligentia, non illius potentia* Chrysost. *in c.* 12. *Matth.*]

*Quibus modis & mediis nos ad pugnam cum Satana præparare possimus.* Ad hanc pugnam præparamus nos 1. Sobrietate & jejunio. Nam intemperantia mater est multorum flagitiorum, & quæ diabolus impetrare non potest à sobriis, ea felicissimè efficit per ebrios. Idcircò Christus etiam cùm jejunasset, vicit tentatorem: *Hieronymus suadet*, ardentes diaboli sagittas jejuniorum & vigiliarum frigore restinguendas esse.

[*Cor nostrum jejuniis exaretur, ut cœlestibus aptum sit seminibus Ambrosius serm.* 36. *Non sanat oculum, quod calcaneo adhibetur. Iejunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis*, Hieron. *in Marc.*]

2. Precibus. *Oratio enim*, inquit *Augustinus, oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmoni flagellum: nihil magis adversatur Satan, quàm preces, quibus & spicula ejus præcaventur, & quæ jam animo nostro inhærent, franguntur.* Ideò Christus etiam discipulos suos orare jubet, *ne incidant in tentationem, Matth.* 26, 4.

[*Bonum scutum est oratio, quo omnia ignita spicula adversarij repelluntur.* Ambros.
*Preces invicta sunt arma & secura præsidia, quib. unus miles myriades diabolorum repellere potest*, Chrysost. *hom.* 1. *de orat. tom.* 6.
*Sonitu tubarum sacerdotalium corruerunt muri Hierichuntis: sic sonitu orationis omnes adversarij prosternuntur.*]

3. Verbo, quod est gladius Spiritus Sancti quo ignita Satanæ tela elidere valemus. Verbo abegit tentationem Christus, verbum suppeditat omnia, quæ ad pugnam hanc



Digitized by Google

ſunt neceſſaria: ex verbo agnoſcimus diabolum & ſtudia ejus, per verbum etiam vincimus, & ſine verbo ſi eſſet, pereundum nobis in tentationibus eſſet. Ita *Lutherus* à diabolo multum vexatus verbo eum vicit, hoc eſt, dictis ſcripturæ, quæ de *Meſſia* conterente opera Satanæ loquuntur, quemadmodum illum dæmonem, qui in habitu monaſtico ipſum convenit, & ad diſputandum provocavit, quem ex unguibus manuum agnovit, & dicto illo, *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis*, abegit.

[*Ad verbum Dei etiam diabolicæ poteſtates trepidant Matth.8.v.29. unum verbum Dei præſtantius & firmius eſt quàm totus mundus, quia cœlum & terra tranſibunt, non autem verbum Dei, Luc.21.v.33.*

*Sputum hominis jejuni ſerpentibus eſt cauſa mortis,* Plin. *lib.7.c.2. Sic per evangelium, quod eſt ſaliva & ſputum Christi, diabolus fugatur.*

*Verbum Dei eſt cæleſte pharmacũ, quod curativum eſt & antidotum animæ, cujus beneficio interimere poſſumus venenoſas beſtias immundorum ſpirituum* Macar. *hom.26.*

*Quòd naufrago tabula, quid militi gladius, quod argẽtario malleus, quod architecto regula, hoc fidelibus eſt ſacra ſcriptura.*]

4. Animoſâ patientiâ, ne diabolo colludamus, nec ei blandiamur, ſed ipſius conatus rideamus & contemnamus, patienter interim vexationes ejus ferentes. (*Magnum malum eſt ferre non poſſe malum, atq; fides vidua eſt, quam non patientia firmat* Prudent. *in Pſychon.*) Nam ut *Lutherus* ſcribit *ſuper c.5.Ioh. Diabolus ſuperbus admodum ſpiritus eſt, ideò nihil minùs ferre poteſt, quam contemtum, quem cum declinare non poteſt, diſcedit. Aliàs non ceſſat, donec nos cõſternatos, timidosq; faciat; urget & inſtat tam graviter, ut quis præ mœrore moreretur, ſed cùm videt, nobis conſtitutum eſſe, perferre omnia, quibuſcunque moleſtus nobis eſſe poteſt, nosque interim bono adhuc eſſe animo, inſultusq; diaboli non curare, ipſe primum omniũ laſſatur. Longè enim major eſt ſuperbia ejus, quàm ut contemtum noſtrum perferre poſſit.*

5. Ante omnia reſiſtendum eſt, diabolo perpetuis exercitiis pietatis. Nam *qui Deum contemnunt, in eos diabolus poteſtatem habet Tob.6. Job* erat vir ſimplex & rectus, ideò *circumvallàrat Deus domum ejus*, & quamvis diabolus aliquid poteſtatis in eum impetraret, à vera tamen pietate ipſum dimovere, neque plus nocere potuit, quàm Deus permiſit. Deum ergò time, mandata ejus cuſtodi, peccata contra conſcientiam fuge, & ab impetu diaboli facilè immunis eris, ſicut ſcriptum eſt *Pſal.91.v.1. qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.*

[*In*

Digitized by Google

[*In via Domini non proficere est deficere*, Greg.

*Una & sola custodia hominum à demonum astu est pietas*, Hermes Trismeg.

*Felix anima, quam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, patientia reducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, dominio introducit, charitas unit.* Aug. *de spir. & an.*]

6. Ad hæc omnia accedant denique assidui labores in officiis vocationis; nam quos otiosos invenit Satan, facilè supplantat, *multa enim mala docuit otiositas Syr. 32. v. 28.* id quod *Davidis* exemplum testatur. Qui autem res suas agit, tutus erit: quia Deus *mandavit angelis suis de te, ut custodiant te in viis tuis Psalm 91. vers. 11.*

[*Caro continuis laboribus domatur & plus atteritur, sed per otia torpentia humana natura magis magisq; fatuatur*, Caſſ. *l. 10.*

*Nihil boni facere, hoc ipsum est malum facere*, Chrysoſt. *serm. 16. Ephes.*

*Semper aliquid agito, ut te Diabolus inveniat occupatum*, Hieron. *tom. 1. epist. 4.*

*Homo ociosus saxum: homo malè occupatus brutum:*
*homo benè occupatus verè homo est.*
*Ocia dant vitia.*
*Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter,*
*In promtu causa est, desidiosus erat.*]

His armis semper instructi simus contra diabolum, sive nos sensibiliter aggrediatur, sive per internas tentationes animum turbet; ut enim rectè militantes coronantur; ita more modoque debito Satanæ resistentes victoriam reportant. Hanc enim victoriam Christus nobis acquisivit, eam etiam promisit: *confidite, ego vici mundum, Ioh. 16.* Ideò electos è manibus suis eripi sibi non patitur *Ioh. 10.* & Apostolus *Paulus* scribit, *Deum tentare neminē ultra vires, sed ex tentatione facere eventum. 1. Cor. 10.* spem quoque facit *Deum brevi contriturum Satanam sub pedibus nostris, Rom. 16.*

Hinc animos sumere, & ad pugnam hanc animosi esse possumus, ideò *Petrus resistere nos vult diabolo fortes in fide 1. Pet. 5.* quia promissionibus istis credere oportet eos, qui diabolum vincere volunt.

## CAPUT III.

### *De casibus conscientiæ circa actiones cum obsessis.*

QUòd potentiam suam Satan in corpore & anima hominum sæpenumero exerat, ex præcedentibus constat: sed vix nullibi majori cum evidentia eam exercet, quam in corporibus obsessorum, & in animabus melancholicorum: de quibus deinceps dicendum est, facto initio ab iis, quæ



Digitized by Google

circa obsessos in considerationem veniunt.

*Quinam hic vocentur obsessi.*

Vocantur autem obsessi, miseri illi homines, in quos diabolus *αὐτοπροσώπως* ingreditur, corpora ipsorum occupat, affligit & excruciat, eorumque membris horribiliter abutitur, quorum exempla benè multa suppeditat historia Evangelica: *Matth.* 4. *v.* 24. *&* 8. *v.* 28. *&* 9. *v.* 32. *&* 12. *v.* 22. *&* 17. *v.* 14. 15. *Marc.* 1. *v.* 26. *&* 5. *v.* 2. *&* 9. *v.* 18. *Luc.* 4. *v.* 33. *&* 8. *v.* 36. *&* 27. *Ioh.* 10. *v.* 21. *&c.*]

Dæmoniaci vocantur ab eo, à quo obsidentur, dæmone: energumeni, ab operatione, quia ex revelatione sui spiritus interdum futura & absentia dicunt. Nam qui numine aliquo afflati aliqua prænunciant, *ἐνεργούμενοι* dicuntur à *Nazianzeno* & interpretes *can.* 18. *concil. Ancyrani ἐνεργουμένους* vocant, qui Spiritu periclitantur, unde & *ἐνεργούμενοι* vocantur, excommunicati, sic dicti, quod tunc temporis traditi Satanæ à spiritibus agitentur.

*Diabolum posse invadere hominū corpora probatur.*

Præsupponendum autem hic est, posse diabolum hominum invadere corpora, non tantùm quoad virtutem & operationem, sicut sol actionis suæ vi corpora penetrat, sed ipsa substantia, id quod ex eo constat, quòd diabolus in forma serpentis decepit *Evam Gen.* 3. in *porcorū* quoque *gregem* ingressus, *præcipitavit eum in mare, Matth.* 8. quòd *Christus* è multorum corporibus dæmonem ejecit. Et hæc erat communis opinio *Iudæorum*, ideò Christum habere dæmonium, blasphemabant *Iohan.* 8. neque Christus unquam negavit, in obsessis sibi oblatis diabolum esse, sed certum genus *dæmoniorum precibus & jejunio ejiciendum docuit Matth.* 17. *v.* 21. blasphemias quoque *Iudæorum* refutavit, non negando, dæmones in corpora hominum ingredi posse, sed duntaxat, sed dæmonium non habere.

Docent hæc ipsa etiam opera Satanæ, qui obsessos miris modis excruciat, & intus impellit, ut aliqui aquis se submergant, aliqui in ignem conjiciant, aliqui veneno se tollant, in quibus actionibus non saltem ab extra aggrediuntur hominem, sed intus agunt in corpora, quæ occupant, eaque movent & impellunt, quo volunt, & quantum ipsis à Deo permittitur.

Qui ergò cum hujusmodi obsessis conversantur, his varia occurrere possunt, de quibus animus informandus & confirmandus est, ne quid dubitante conscientia fiat; de quibus jam paucis agemus.

## CASUS I.

### *Undenam cognosci potest, aliquem à diabolo verè obsessum esse?*

RESP. Cognitio hujus rei non tam ad Theologos quàm Medicos spectat.

Sunt enim aliqui morbi, qui cum

cum moribus obsessorum aliquid commune habent, ut fit in ecstasi & morbo comitiali, in lethargicis, lunaticis, phreneticis & similibus: ideo exorcistæ sæpenumero decepti sunt, frustra laborantes in expellendo dæmone, ubi nullus erat; siquidem morbus ille faciliùs à medicis curari, quàm diabolus ab ægroto ejici potuisset.

Proinde etiamsi miras in ægrotis convulsiones, & motus corporis stupendos videamus: non tamen facilè inclinemus in judicium de obsessione. Nam multa hoc in genere fieri possunt in ægrotis naturaliter, multa etiam à diabolo foris assistente, & ex permissu Dei, miseros mirè torquente, quorum tamen corpora ingredi Deus ei nondum concessit.

*Medici in suo de obsessis judicio sæpè falluntur.*

Quomodò autem medici interdum in judicio de obsessis fallantur, quos tanquam naturali morbo laborantes, curant, sed à Diabolo ludificantur, vide apud *VVierum, lib. 4. de præstig. dæm. cap. 17. Confer etiam Fernelium l. 2. de abditis rerum causis cap. 16. f. 238.*

Interdum etiam simulata est obsessio, lucri alicujus causâ à malis hominibus admissa, cujus exempla vide apud *VVierum lib. 4. cap. 26, 27, 28.*

*Diabolus in nonnullos ingreditur, quos non obsidet corporaliter.*

In nonnullos etiam ingressus est, quos tamen corporaliter non obsedit, quemadmodum de *Iuda* legitur, quod *diabolus in ipsum fuerit ingressus, Ioh. 13, 26.*

*Diabolus*

Quorundam corpora occupat, sed ipsis haud invitis, quos etiam non excruciat, sed opera sua per illos efficit, cum magna ipsorum delectatione, uti fit in magis, qui quamdiu Satanæ inserviunt, non affliguntur, sed quàm primùm malignis operibus valedixerunt, spiritus cum quo commercium habuerunt, divexare ipsos non desinit, donec misericordia Dei ab ipso liberentur, quorum exempla recitat *Bodinus lib. 3. de dæm. cap. 6.* Huc pertinet *Pythonissa Actor. 16. v. 16.* quæ spiritum in se habere dicitur, quem scriptura ἐγγαστρίμυθον appellat, qui per eam futuros rerum eventus prædicebat, de cœtero eam nihil affligens. Tales in scriptura dicuntur *ἐγγαστρίμυθοι Lev. 19. v. 31. 20 v. 6. Deut. 18. v. 11. 1. Sam. 28. v. 3. 7, 8. Esa. 8. v. 19. Pythia* quoque olim in Græcia à diabolo occupabantur, qui per eas responsa dabat, licet ipsæ à Deo se possideri putarent: sed & hæ nihil injuriarum à dæmone patiebantur.

Ad obsessum igitur requiritur, ut & diabolus in ipsius corpore sit, & ut potestatem in ipsum habeat, ipsum affligendi, torquendi, & quacunque ratione alia molestias creandi.

*Diabolus interdum adventum suum certis signis ostendit & prænunciat.*

Etsi autem non adeò facilè est verè obsessum agnoscere: certa tamen ejus rei signa dari possunt. Primùm compertum fuit, diabolum ipsum certis signis interdum ostendere suum in corpus hominis ingressum, quod quidem non de necessitate est, ideò nec semper

fit,

sit, nec certa & definita signa dari possunt: facit tamen hoc quando, quotiesque vult: quâ in re, ut in multis aliis, Dei fit simia: nam & is adventum suum interdum certis prodromis annuntiat, ut inter cætera historia *Eliæ* testatur 1. *Reg.* 19. *vers.*11.

*Signa illa sunt ferè quatuor generum.*

Sunt autem signa, quibus diabolus tristissimum suum adventum obsidendis *prænunciat*, ferè quatuor generum: 1. *horribiles aspectus dæmonis*, quo spiritus obsidendorum turbat. Nam paulò antequam in corpus ipsorum ingrediatur, apparet eis vel in forma cadaveris hominis defuncti, vel nigri canis, & hirci, interdum etiam obsessi se spiritum in specie canis aut nigri Æthiopis vidisse asserunt.

2. *Insusitatus sonus*: interdum enim vento horribili, strepitu & tumulto inusitato, qui vix alibi, quàm eo in loco, ubi sunt obsidendi, auditur, adventum suum prodit.

3. *Molestia*, quam affert obsidendo, quem colaphis cædit, in terram dejicit, hostiliter propulsat, & affligit, futurorumq; cruciatuum quasi prodromum præmittit.

4. *Somnia tristia*, quibus obsidendi videntur sibi à dæmoniis agitari, vexari, pulsari, quæ post ingressum dæmonis ipsis nimis verè contingunt.

*Signa demonstrativa, quæ ingressum dæmonis in hominem sequuntur & arguunt.*

Deinde sunt quædam signa, quæ ingressum dæmonis in hominem sequuntur. 1. Obsessi, licet idiotæ & inexpertes, interdum peregrinis loquuntur linguis, quas nunquam didicerant; idque certissimum signum obsessionis esse, inde constat, quod liberati nec linguas illas amplius norunt, nec quid locuti sint, recordantur. Diabolus autem callet omnes linguas, quis ore obsessorum aliquandiu, ipsis etiam ignorantibus abutitur. Ita *Philippus Melanthon in epistolis* scribit, *se vidisse obsessam nescientem legere, aut scribere, quæ tamen Græcè & Latinè loquebatur, & sævum illud bellum Saxonicum anni* 1546. *prædicebat his verbis*: ἔςαι ἀνάγκη ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ, *erit necessitas in terra, & tumultus in populo isto*, *Hieronymus in vita Hilarionis* de quodam *Constantini Imperatoris* cādidato refert, *quòd eū à teneris unguiculis dæmon obsederit, & Hilarioni Græca & Syra lingua*, (quas nunquam didicerat) *causas obsidionis dixerit*. Et quomodo ex linguæ Græcæ usu cognitus fuerit dæmoniacus, quem antea medici, ut naturaliter decumbentem curabant; annotavit *VVierus lib.* 4. *de præstig. dæmon. cap.*17.

*1. Loqui peregrinis & sibi ignotis linguis.*

[*Verba* Wieri *sunt hæc*: *Tradit adhac Fernelius, juvenem alium equestris familiæ paucis antè annis corporis concussione & quasi cōvulsione ex temporū intervallis laborasse, qua nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitū unicum, aliàs crus alterum, aliàs utrumque, aliàs corporis truncum tantâ celeritate exagitaret, ut vix à ministris quatuor decumbens cohiberetur.*

Digitized by Google

*beretur. Caput autem inconcussum jacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri, vel in convulsionis ferocia. Decies ut minimum quotidie corripiebatur, in intervallis sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia judicari poterat, si mentis sensuumque læsio accessisset. Peritissimi quique adhibiti medici convulsionem epilepsiæ finitimam à maligno venenatoque vapore spinæ dorsi impacto censuerunt, è quo vapor in eos nervos emanaret, qui à spinâ in artus quoquò versum, non autem in cerebrum disseminantur. Hac credita causa ut summoveretur, clysteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis & validæ, cucurbitulæ infiguntur nervorum initiis, fotus, unctiones, emplastra primùm, quæ discuterent, dein quæ roborarent, venenatamque malignitatem obtererent. His parùm proficientibus sudores proliciuntur balneis, æstuariis, & guajacinæ hebeni decocto, quæ nihilo magis profuerunt, quoniam omnes longè aberamus à cognitione veri. Nam mense tertio primùm deprehensus dæmon quidam totius mali autor, voce insuetaque verbis ac sententiis, tùm latinis tùm Græcis, (quanquam ignarus Græcæ linguæ laborans esset,) se prodens. Is multa medicorum secreta detegebat, ridens, quòd eos magno periculo circumvenisset, quodq; irritis pharmacis corpus hoc ferè jugulassent. Quoties laborantem pater invisebat, is procul à conspectu inclamabat: appellentem huc arcete, & ab ingressione propulsate; aut torquem è cervice detrahite, ex hoc enim, ut Gallorum torquatis equitibus in more est, divi Michaelis imago propendebat. Interrogatus hic quis esset, aut quomodo & qua potestate hæc moliretur? dixit, multa intus esse domicilia, in quibus se recondat, & in quiete ad alios commigrare, se hoc in corpus injectum à quodam, cujus nomen non efferret, à pedibus ingressum in Regia, & à pedibus egressurum, cum præstitutus dies adventarit. Nota, hunc dæmonem se Michaelis imaginem usque adeo vereri simulasse, ut astantes falleret evidentiùs: quasi verò hic ullius exhorrescat simulachrum, qui ne quidem ipsum Christum, expressam DEI imaginem timuit, quem adgredi, assumere, atque tentare ausus fuit, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. Paulum vas electionis colaphis cædere 2. Corinth. 2. Iobum justum affligere, Iob. 1. & 2. Evam in innocentiâ constitutam vafro astu fallere Gen. 3. Videsis Fernel. l. 2. de abdito rerum causis c. 16. Wierum l. 4. pag. 455. c. 17.]*

2. Occultorum, quæ in remotissimis locis fiunt, & ab hominum sensibus abdita sunt notitia, & prædictio, signum est obsessorum, modò illa *2. Nosse & prædicere abditissima*



Digitized by Google

dò, illa prædictio aut revelatio occultorum ad Dei contumeliam & proximi injuriam cedit: aliàs Prophetas etiam prædixisse futura scimus.

*3. Apparere in forma aranei aut musca.* 3. Spiritus malignus in obsessis interdum apparet in formâ aranei aut muscæ, insidentium ori ipsorum, interdum & aliis partibus corporis: sed hac formâ non semper conspiciuntur, nec fermè citius, ac cum expellendi sunt, ubi ex mandato Dei sub tam sordidorum animalculorum specie præsentiam suam testari coguntur, ut annotarunt ii, qui de exorcismis dæmonum scripsêre: vide *Thyraum part. 1. de dæmoniacis cap. 3. num. 39.*

*4. Ex stultitia sæpè ridere.* 4. Veræ obsessionis signum etiam est stultitia, quam immoderatus & intempestivus risus comitatur, quæ stultitia quidem etiam ex morbo esse potest, sed cum nulla morbi indicia apparent, signum est, hominem à maligno spiritu possideri: Hujusmodi hominem *Apollonius Tyanæus* magorum princeps apud *Philostratum* à maligno spiritu, obsideri demonstravit, eumque liberavit, referente *Bodino de dæmon. lib. 3. cap. 6.*

*5. Mira & stupenda opera peragere.* 5. Ex miris & stupendis quibusdam operibus obsessorum colligi potest, hominem à diabolo possideri, ut quòd interdum cantillant, ut aviculæ, vocesque aliorum animalium exactè imitantur, quod loca inaccessa & periculosa præcipitia dormientes conscendunt, & inoffenso pede per se redeant, quòd futura prænunciant, & absentia indicant, quæ ex revelatione diaboli, mirâ celeritate perlustrantis mundum, scire possunt.

Huc pertinet, quod *Philip. Melanchthon* scribit, de puellâ quadam obsessa in *Marchiâ*, cui rapienti pilos à vestibus vertebantur illi pili in nūmos *Marchicos*, quos devorabat puella, longo fragore dentium: & figuræ illæ nummorum interdum ex manibus ejus subitò fuerunt extortæ, erant veri nummi, qui adhuc à nonnullis servantur. Interdum etiam miras materias excernunt, ut ferramenta, vitrea fragmenta, capillos, acus, pannos & similia, id quod de 30. pueris *Amsterodami* Ann. 1556. obsessis refert *Bodinus l. d.* & *Wierus scribit lib. 1. de præstig. dæmon. c. 12.* se vidisse insecta alata ex auribus cujusdam obsessæ virginis prodire.

6. Ex stupendo robore corporis: Nam obsessi quidam vires habent plus quàm humanas, ad portanda onera, quæ naturaliter nullus hominum portare potest. *6. Stupendum corporis robur habere.*

7. Cum homines abhorrent à nomine Jesu, à precibus, & exercitiis divinis, ad quæ jussi etiam nare riguntur, & magno cum clamore id detrectant, indicium est ipsos à malo spiritu possideri, qui talia ferre non potest. *7. A nomine Iesu & precibus abhorrere.*

8. Ex miris diaboli operibus, quibus affligit obsessos, cōjici potest, hominem ab ipso corporaliter possideri, talia potissimum hæc sunt (1.) *misera corporis divexatio*: quod stupēdis tormentis excruciat, unde miserorum horrendi clamores & boatus audiuntur: membra distorquet, *8. A diabolo variè torqueri.*

quet, caput in gyrum vertit, corpus ipsum instar globi circum rotat, cujus torturæ exempla monstrat historia Evangelica in filiâ Chananææ, quæ a dæmonio malè divexata legitur; Matth. 15, 12. & in quodam adolescente, quem spiritus modò in aquam, modò in ignem conjiciebat Matth. 17, 15.

(2.) Subita sensuum privatio, unde legimus in Evangelio de dæmonio surdo & muto. Luc. 11. v. 14. hoc est de obsesso, cui diabolus linguam ligavit, ne loqueretur, & aures obturavit, ne audiret.

(3.) Misera hominis deformatio, nam formam hominum naturalem in peregrinam adspectuque horrendam transmutat, quò pertinet exemplum mulieris, quæ percussa a dæmone totos decem & octo annos incurvata incessit. Luc. 13 v. 11.

(4.) Rationis corruptio, quia ad rabiem interdum adigit obsessos, crudelibusque bestiis similes reddit, ut catenis includi, & vinculis constringi necesse sit, ne aliis noceant: quò pertinent duo illi dæmoniaci in Evangelicâ historiâ, qui in sepulchris latebant, & foràs prodeuntes viatores graviter affligebant, ita ut loca illa planè fierent infesta. Matth. 8. vers. 28.

(5.) Morbi melancholici inflictio. Nam humori melancholico libenter se insinuat diabolus, unde Hieronymus caput melancholicum diaboli balneum convenientissimè dixit. Etsi enim non omnes melancholici sint dæmoniaci, contra tamen ferè fit, inquit Wierus l. 4. de præst. dæmon. cap. 15. ut omnes dæmoniaci ob acerbos cruciatus, affectusq; reddantur melancholici.

(6.) Mortis acceleratio, quam vel sibi ipsis inferunt, vel aliis; quò pertinet exemplum illius, de quo Evangelista Marcus scribit cap. 9, 18. quomodo diabolus ipsum terræ alliserit, in aquam & ignem conjecerit, quàm fœdè spumarit, & dentium stridorem emiserit: quomodo etiam obsessi alii cum vitæ periculo infesti fuerint, exempla testantur.

Hæc sunt præcipua signa verè obsessorum: sed cùm nonnulla etiam in epilepticis, lethargicis, phreneticis & similibus reperiri possint, ideò præstat, cùm de obsessis faciendum est judicium, ne ex singulis, sed aliquot conjunctis judicetur: nam omnia & singula ut semper concurrant, necesse non est.

## CASUS II.

### Num credendum est, malignum spiritum ab aliquo in alterius corpus injici posse?

RESP. Sunt qui negant, eò quod par in parem multò, minùs inferior in superiorem nullam habeat potestatem, dæmonum autem naturam, ob spiritualitatem suam longè superiorem dicunt hominis, qui corporeus est. *Negantiũ ratio proponitur.*

*Solvitur.* Sed ratio hæc videtur imbecillior: non enim hic judicium petendum est à substantia diaboli, sed ab ea, in quam peccatis suis conjectus est conditione, quæ facit, ut foras ejectus per Christum, piorum sæpe obedire cogatur voluntati, quo pacto de *Apostolis* scriptum est, quod *& dæmones subjecti ipsis fuerint Luc.* 10. *vers.* 17.

*Diabolus potest immitti corporibus piorum & impiorum.* Interdum etiam sponte se submittit ministrorum suorum voluntati, ut ipsos in devotione suâ conservet, & aliis vehementiùs noceat. A vero igitur non aberrat, qui crediderit diabolum ad imperium piorum & impiorum non saltem corporibus aliorum nocere, sed & corporibus immitti.

Pios quod attinet, Evangelica testatur historia, dæmones ab obsessis ejectos rogasse Christum, ut ipsis concederet invadere gregem porcorum, quo concesso, statim *porcos in mare præcipitarunt Matth.* 8.

Huc referunt nonnulli, quòd *Paulus* incestuosum *Corinthium tradidisse* legitur *Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus fieret* 1. *Corinth.* 5, 5. Etsi enim ista traditio de excommunicatione intelligenda est, solebant tamen excommunicati in diaboli venire potestatem, qui corpora ipsorum miserè divexabat, quam ob causam *Theodoretus* super locum istum *Apostoli* scribit: *ex hoc loco docemur, quòd eos, qui segregantur, & ab ecclesiastico corpore separantur, invadit diabolus, eos gratiâ destitutos inveniens.*

Est autem hæc potestas piorum in diabolos restricta ad voluntatem Dei. Non enim absolutum jus in diabolos habent, ideò nec præcipere eis possunt pro lubitu, nec impetrare, quæ præcipiunt, nisi DEI permissio accesserit. Ideò probare non possumus, quod *Petrus Thyraus lib.* 1. *de dæmoniacis cap.* 16. statuit, habere quosdam in Ecclesiâ potestatem immittendi diabolos rebellibus & contumacibus, ut coerceantur, & in officio contineantur: eamque potestatem in specie exorcistis tribuit c. 50. Nam scriptura medium, tam periculosum coercendi rebelles non monstrat, neque piorum est, ulli homini precari corporalem obsidionem diaboli; neque Apostolus *Paulus* eâ potestate erga *Corinthium, aut Hymenæum, & Philetum* usus est: quos quidem tradidisse Satanæ legitur, sed per excommunicationem, non autem per immissionem maligni spiritus in ipsorum corpora. *Quomodo Paulus* 1. *Cor.* 1. v. 5. *Corinthiũ tradiderit Satanæ?*

Si exorcistæ hoc faciunt, potestate suâ, (si quam habent) abutuntur, iniquum enim est, diabolum ex uno homine ejicere, & in alium immittere: quod si hoc ad petitionem Satanæ fiat, etiam impium & abominandum est, ad nutum diaboli nocere alteri.

*Diaboli immittuntur* 1. *interdum per artes magicas.* Impios quod attinet, his concedit aliquando Deus, ut diabolum immittant aliis, vel per veneficia, aut artes magicas, vel per imprecationes. Quod per artes magicas hoc faciunt, exemplum refert *Hieronymus in epist. ad Hilarionem*, de quadam

dam virgine, in quam arte vatum, *Æsculapy* dæmon fuerit immissus, quam miris modis dementavit. De *Simone Mago* refert *Anastasius Nicænus quæst.23.* quòd dæmonibus subjecerit eos, qui ipsum præstigiatorem dicerent. Scribit *Bodinus lib. 3. dæmon. cap. 6. Romæ* fuisse puellas & mulieres dæmoniacas 80. cumque intertogaretur Satan ab exorcistâ quodam monacho *Benedictino*, cur miseras illas puellas occupasset? respondit, se fuisse à *Iudæis* missum indignè ferentibus, quòd istæ, quarum pars maxima ad *Iudæorum* gentem pertinebat, fuerint baptisatæ.

Neque desunt exempla, quòd sagæ & maleficæ in quæstionibus fassæ sint, se dæmones quibusdam aliquando immisisse; quod de monialibus sagis monasterii *Kendorpiensis* refert *Bodinus l. d. & Fernelius in lib. de abditis rerum causis* memorat de quodam dæmone ex obsesso loquente, se in hoc corpus injectum à quodam, cujus nomen non efferret, referente *Wiero lib. 4. de præstig. dæm. c. 17.*

Negat quidem *Wierus* hoc reverâ fieri, ideoque opinionem istam peculiari *cap. 18.* refutat: sed nihil aliud docet, quàm neque dæmonem ipsum corpora hominum aut bestiarum ingredi pro suâ libidine, neque vetulam aliquam hoc efficere posse. Sed quòd pro sua libidine & arbitrio id non possit, facilè damus, si verò Dei permissio accesserit, non video, quid obstet, quin corporibus hominum immitti possit æquè ac in corpus *Iobi* illud excruciandi ab extra, potestatem divinitùs accepit: ubi quidem nihil damus preculis aut aliis ceremoniis vetularum: diabolus autem spontè submittit se ministris suis, ut eas in superstitione suâ confirmet, devotasque sibi conservet.

Deinde per imprecationes immitti possunt aliis diaboli, cujus rei exempla recenset *Cæsarius lib. 5. cap. 26.* unum de patre imprecante filiæ quinquenni, edenti lac, ut unâ cum lacte diabolum voraret; alterum de patre alio, imprecante filio; tertium de marito imprecante uxori, ad quas imprecationes diabolus statim corpora eorum, in quos imprecatio directa erat, invasit. In vitâ *Zenonis martyris* apud *Surium* legitur, quòd mater febricitanti filio poculum aliquod præbuerit, cumque filius bibere non desisteret, iracunda cum poculo dæmonium imprecatur, moxque ille ab obsidente dæmone misere torqueri cœpit. Recitat *Wierus lib. 4. de præstig. dæmon. cap. 18.* exemplum militis, qui uxori uterum gerenti sinistrè precatus, dixit: *tu infernalem gestas dæmonem, quem gladio confodiam.* Non longè post filiolum genuit dimidia parte corporis inferioris benè formatâ, verùm superior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, ut *Satyrus*, auribus longis, velut canis venatorius, in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata redde- *2. Interdũ per imprecationes.*

 ban-

bantur sanguinea. Hæc recitat *Wierus*, & tamen negat ipse, dæmonem per imprecationem immitti posse, nullo alio suffultus argumento, quàm, *quòd diabolus* DEI *nutum, non malitiosi hominis imprecationem observet: quæ si tantillum haberet momenti, vix homo in rerum natura superesset, qui non dæmonum myriadibus infarciretur, vel ab iis auferretur, aut peste tolleretur, vel lue Gallicâ, aut Iobis ulceribus conspurcatus lugeret; ita domos, compita, vicos & urbes, his diris & imprecationibus personare ubilibet audias.*

Rectè ista omnia: verùm non negamus, diabolum non hominum imprecationem, sed Dei nutum attendere, cùm nocere vult: interim tamen, uti Deus per media nobiscum ipse agit, ita & diabolum per imprecationes suorum organorum in nos agere permittit.

Quòd autem imprecationes non feriunt omnes, divinæ misericordiæ tribuendum est, qui malas hominum voluntates repagulis suis compescit: interdùm etiam imprecatio non est ex mala intentione, sed ex subito affectu iracundiæ, aut ex mala adsuetudine vel ex levitate, quam statim comitatur pœnitentia, quæ effectum remoratur. Propterea autem ipsis imprecationibus non est omnis deroganda efficacia, quæ nimis manifestis in exemplis se prodit, præsertim, cùm parentes imprecantur liberis, ubi etiam immerita imprecatio non semper caret effectu, non tantùm, propter peculiarem ingenitamque parentum cum filiis sympathiam, ut *Wierus* opinatur, sed quia quarti præcepti observantia primam promissionem habet, transgressio verò primam maledictionem. Unde *Siracides cap. 3, 11. benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta.*

[*Hinc* Plato *lib. 7. de leg. dixit: nihil parentes imprecatione filio est periculosius.*

*Meminit* D. Augustinus *matris, quæ septem liberis cùm dira imprecata esset, illi toto trementes corpore per diversas mundi regiones circumvagati tandem in templo ad S. Stephanum à pœnâ istâ liberati sunt. Quos divus Augustinus seipsum vidisse, testatur.*

*In omnium quoque ore est, quod in celebri quodam Misniæ oppido accidit, ut biliosus pater filio tardiori imprecaretur: faxit* DEVS, *ut nunquam pedem inde dimoveas. Quod eodem momento ratum est factum, ita ut filius nulla vi, ab eo loco, ubi stetit, potuerit avelli per integrum triennium, quo elapso per preces quotidianas pœna ei ita mitigata est, ut corpus reclinare posset: dicto enim triennio quavis nocte tergo ejus opponebant pulpitum, cui innitens melius quiesceret. Cùm verò elapso triennio suum corpus inclinare posset, sedendo* qua-

*quadriennium insumsit, ore macilentô, pauci cibi & sermonis. Interrogatus, quomodo res suæ haberent se, plerumq; respondit, se à Domino castigari, & penes Deum misericordem esse, quem res suæ habituræ essent exitum, se tamen de animæ salute per Christum sibi partâ nihil dubitare. Elapso demum septennio, in verâ confessione, & fide in CHRISTVM mortuus est 11. Sept. anno 1582. referente* Hont. *in exempl. 4. præcepti f. 381.*]

Caveant ergò parentes, ne faciles sint ad imprecandum liberis: caveant etiam liberi, ne faciles ad irritandum: non nimis frequens sit in ore nostro nomen diaboli, ne execremur nos ipsos nec devoveamus nos Satanæ, qui etiam non lacessitus molestus nobis est, & omnem nocendi ocasionem quærit.

## CASUS III.

### *Num imputanda sunt obsessis flagitia, quæ ab ipsis committuntur.*

RESpond. Certum est, non rarò ab obsessis multa fieri, quæ nullo modo excusari possunt, ut, quòd blasphemant DEUM, maledicunt hominibus, execrantur DEI ministros, vulnerant alios, interdum etiam prorsus interficiunt. Hæc autem omnia non obsessis simpliciter, nec diabolo obsidenti tribui possunt.

Obsessi enim sunt duorum generum, quidam pessimi homines, qui vel arte simulant obsidionem, quæstus sui causâ, vel in pœnam præcedentis improbitatis à diabolo possidentur. Hi certè, cùm etiam sani ad peccata semper fuerint proni, si talia patrent à dæmone obsessi, certè non sunt excludendi à culpâ. Sunt enim mancipia Satanæ, quæ captiva ducit pro suâ voluntate, ideò ne quidem liberati à dæmone, talia patrare cessant. *Obsessi duorum sunt generum.*

Interdum autem boni & Deum timentes obsidentur à diabolo, permittente Deo. Horum membris quidem abutitur diabolus, linguâ ad blasphemandum, & conviciandum, manu ad occidendum & vulnerandum, sed ipsis penitus vel invitis, vel ignorantibus, quod inde colligitur, quia cum paulisper ab ipsis recedit *Satan*, (per intervalla enim eos torquet) nihil horum recordantur, taliaque à se facta seriò dolent, veniam precantur, & ne similia ipsis unquam contingant, seriò exoptant.

Quemadmodum ergò non ipsis tribuitur obsessis usus peregrinarum linguarum, revelatio occultorum, concussio tremorque corporis, sed diabolus hæc in ipsis operatur: ita & peccata hujusmodi non tam miseris illis hominibus, quam ipsi dæmo-

Digitized by Google

dæmoni sunt adscribenda: ideò nec damna, si qua fecerunt, compensare coguntur, nec suppliciis afficiuntur, quia diabolus per illos agit non secus ac in phreneticis, ideò æque ac hi custodiuntur, & si quod damnum ab illis infertur, non tam ipsorum est reddere rationem, quam eorum, quorum custodiæ commissi fuerant.

## CASUS IV.

### *An dæmones privare possunt obsessos fide & salute?*

RESP. Obsessio dæmonum est pœna corporis, in quod Deus Diabolo interdum magnam permittit potestatem: in animis autem hominum sibi soli absolutum reservat imperium. Imò in hunc finem aliqui traduntur potestati Satanæ, *in interitum carnis, ut salvi sint in die Domini nostri Iesu Christi*, 1. Corinth. 5. vers. 5.

Cùm ergò fides & salus æterna sint bona animæ, non habet diabolus tantam potestatem, ut miseros istis bonis privare possit. Ideò non excludimus obsessos, eò, quòd obsessi sunt, à regno cœlorum, vel vita æterna, quàm Christus sanguine suo ipsis adæque ac aliis acquisivit, quam & ipsi non semper malitiosè repellunt, quod interdum, cum ab insidiis & violentia diaboli aliquantò liberiores sunt, ipsi fatentur, cùm de Christo, de fide, de pœnitentia, de vita æterna pie loquuntur, & salutis se sitientissimos esse testantur.

Sunt tamen, qui obsessos à salute quidem non excludunt, fide tamen privant, quod de *Daniele Tossano* scribit *Petrus Thyræus lib. 2. de dæmoniac. cap.* 28. Sed hi malè divellunt fidem & salutem, cùm impossibile sit aliquem salvari, qui fide careat: imò *fide custodimur ad salutem* 1. *Petr.* 1. *absque fide autem nemo placet* DEO. *Heb.* 11. *v.* 6.

Etsi ergò actus & exercitia fidei se non semper in ipsis exerunt, cùm tamen ad se redeunt miseri, ex sermonibus & actibus ipsorum cognoscitur, lumen fidei in ipsis non omninò fuisse extinctum. Hic autem iterum distinguendi sunt obsessi. Quidam *propriâ suâ culpâ*, & ob enormia sua delicta diabolo traduntur excruciandi: quidam autem pii sunt, & Deum timentes, & tamen Deus istam Satanæ carnificinam in ipsos permittit.

*Obsessi duarum iterũ sunt generum. 1. quidam propria sua culpa. 2. quidam ex permissione divina præter suam culpam.*

Priores quod attinet, quemadmodum antea, cùm adhuc liberi essent ab hac plaga, fidem & conscientiam amiserunt peccatis suis; ita etiam sub plagis Satanæ absque fide vivunt, Deum blasphemant, hominibus noxii sunt, & ad interitum suum properant: id quod inde colligi potest, quòd relicti ad tempus à diabolo, in pessimis illis factis suis gloriantur, tantùm abest, ut seriò de iis doleant.

Interdum autem fit, ut gravissima illa

Digitized by Google

ma illa Satanæ torturâ emendentur, impietati pristinæ, ob quam laqueis Satanæ irretiti fuerunt, valedicant, seriamque pœnitentiam agant: hos, si postea diabolus excruciare pergat, tempore illius paroxysmi fidem & spem salutis habere non dubitamus.

Sed cùm vix tantum spatii à vexatione liberum habeant impii à diabolo obsessi, ut ad se redeant, & de admissis peccatis pœnitentiam agant: in præsentissimo certè salutis periculo versantur.

De piis alii ratio est, qui crucem hanc patienter ferunt, fidem & bonam conscientiam etiam tempore obsidionis retinent, & quamquam blasphemiæ, contumeliæ, injuriæ, & alia peccata ab ipsis audiantur: non tamen ab ipsis ea sunt, sed à diabolo, qui membris ipsorum, invitis ipsis abutitur: retinent ergò integram conscientiam, & sic etiam fidem, quæ duntaxat peccatis contra conscientiam amittitur.

## CASUS V.

### *Num obsessis sacramentum cœnæ Dominicæ denegandum est?*

RESP. In primitivâ ecclesiâ ipsis non negabatur. Ita enim ex *Cassiano* scribit *Thomas p. 3. q. 8. art. 9.* eis, qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquam invenimus interdictam. Sed & hic cautione opus est; non sunt admittendi obsessi 1. qui à primâ quasi infantia sine cessatione à diabolo vexantur, ita, ut præter externam formam vix aliquid hominis habeant.

*Quinam obsessi ad Cœnam nõ sint admittendi?*

2. Qui quidem non diu molestias has diabolicas experti sunt, in ipso tamen furore illo diabolico admittendi non sunt. Nam qui de sacra Domini mensâ edere volunt, seipsos priùs probare, ardens desiderium hujus sacrosancti cibi afferre, mortem Domini annunciare, eamque sibi applicare debent: quod, quomodo à miseris illis ipso tempore obsidionis fieri possit, non liquet.

Sed qui à maligno spirtu ad tempus requiem habent, sibique quasi restituti sunt, hi sacram Domini mensam expetere, cibum Domini ab aliis vulgaribus discernere, semetipsos probare, & dignè hac Domini mensa frui possunt: quocirca & isto tempore rectè admittuntur: quia sicut melancholia, mania, epilepsia & similes acutissimi morbi homines illo tempore dum à paroxysmis istorum morborum liberi sunt, ab usu Cœnæ Dominicæ non excludunt: ita nec extrema hæc diaboli plaga in obsessis: siquidem ab hac sacra mensa nihil præter impœnitentiam excludit, quæ autem in omnibus obsessis non reperitur.

*Quinam obsessi Cœnam accipere possint?*

## CASUS VI.

### Cùm quis propria sua culpa huic plagæ diabolicæ se subjicere possit; quæritur: *quænam præcipua sint peccata, ob quæ Deus hominem tradat diabolo corporaliter obsidendum?*

RESP. Quemadmodum peccata suos habent gradus ita quoque pœnarum est inæqualitas, præsertim temporalium. Inter quas cùm obsidio diaboli corporalis sit gravissima, delicta etiam non oportet esse parva, quæ talem plagam merentur.

Etsi verò scriptura hoc in genere nihil certi definit: ex exemplis tamen obsessorum quodammodò judicium facere possumus. Quòd si juxta ordinem præceptorum decalogi progredi velimus, vix ullum est præceptum, cujus transgressio non diabolicâ hac obsidione fuerit punita.

*Nullum ferè est Decalogi præceptum, cujus transgressio non fuerit diabolica hac obsidione punita.*

De iis, qui agnitam veritatem impugnarunt, scribit *Cyprianus sermon. de lapsis c. 7.* multos eorum dæmonibus fuisse obsessos.

Blasphemia etiam diabolo ostium aperit: nam ex quorum ore frequenter loquitur dæmon, illorum etiam corpora facilè invadere potest: quò referri potest exemplum *Hymenæi & Alexandri*, quos *Paulus tradidisse Satanæ* legitur, *ut desinant blasphemare.* 1. *Tim.* 1, 20.

Propter abusum sacræ Eucharistiæ scribit *Cyprianus* loco dicto, *viros & mulieres à diabolo obsessos* fuisse.

Per diras & imprecationes parentum, liberi in potestatem dæmonum cadere possunt: cujus generis exempla *Cæsarius annotavit lib.* 5. *cap.* 26. & de cive quodam *Wittebergensi* legitur, quòd filiam à diabolo obsessam habuerit, eò, quòd imprecatus ei fuerat: *utinam Diabolus te invaderet*, ut est in *promtuar. exempl. præcept.* 4. *fol.* 84.

Ita injustitia, livor & invidentia facit etiam ex hominis corpore habitationem dæmonum, quemadmodum *Saulis* exemplum testatur: in quem Satanas intravit, cùm *Davidem* innocentem ex merâ invidiâ persequeretur 1. *Samuel.* 16. Homicidia hujus pœnæ etiam possunt esse causa. Ita *Gailana* Franconiæ Ducissa obsessa fuit, quòd *S. Kilianum* interfici curaret, ut scribit *Sigebertus in vitâ Kiliani.*

Propter illicitos amores, incestum & libidines impurus ille Spiritus etiam corpora hominum occupat, quò referri potest exemplum incestuosi *Corinthiaci* 1. *Cor.* 5. quem quidem corporaliter obsessum fuisse non dicimus, à diabolo tamen vexatum in interitum carnis, Apostolus *Paulus* testatur. De virgine quadam refert *Prosper Aquitanicus lib.* 6. *de promiss. & prædiction.* quòd cùm in balneo imaginem Veneris lascivius

vius

vius intueretur, eidemque se conformaret, à diabolo continuò fuerit obsessa, & ita vexata, ut spiritus malignus gutturis meatus occuparet, facultatemque sumendi cibum & potum ad septuaginta dies adimeret.

*Gundericus Wandalorum* Rex à dæmone correptus est, quando templum, ut illud spoliaret ingressus est, correptus & latro quidam ob furtum, quod commiserat, referente *Gregorio lib. 4. dialogo.*

*In vitâ Bernhardi* legitur de quodam, qui, quod in oratione esset distractior, à diabolo obsessus fuit. De *Abbate* quodam *Mose*, refert *Cassianus lib. 7. collat. cap. 27.* quòd propter impatientiam, & durius aliquod verbum à diabolo possessus fuerit.

Deniq; huic periculo expositi sunt omnes improbi homines, qui neque Deum timent, neque homines curant, quos ita laqueis suis captivos ducit diabolus ad suam voluntatem, donec tandem ex permissu Dei corpora ipsorum prorsus occupet. Ita *Alexander ab Alexandro lib. 4 genial. dierũ c. 19.* de juvene quodam scribit, quem horribili adspectu infestis manibus diabolus invadere quærebat, quia constabat, pravis illum moribus & incivilibus cum contemtu Dei diu vixisse.

Fugiamus igitur peccata, quibus diabolus cor nostrum tentat, ut corporis potestatem accipiat. Vivamus in timore Dei, & sequamur ductum verbi sui, ne tradat nos tortori infernali. Ut enim plerumque liberi parentibus immorigeri, morem gerere coguntur carnifici: ita, qui Dei verbum admittere nolunt, ad sui emendationem, non rarò diabolis ex justo Dei judicio excruciandi permittuntur.

[*Peccata*, Origine *teste*, *sunt vita Diaboli. Vide Luc. 22. vers. 31. Tob. 6.*

*Quamdiu peccatum in homine regnat, tamdiu captivus & victus à Diabolo possidetur & vexatur.* August. *Conf. 2. Corinth. 4. v. 4. Ephes. 2. vers. 2. 2. Tim. 2. vers. 26.*

*Diabolus in his regnat, quos inquinat: in his dominatur, quos polluit.* Cyprian. *de jejun.*

*Qui Satanam habent suggestorem, habebunt etiam tortorem,* idem *ibid.* ]

## CASUS VII.

### *Cur autem Deus permittit, ut & pii interdum in potestatem diaboli veniunt, ita, ut ab eo corporaliter possideantur?*

RESP. Scribit quidem *Augustinus lib. 4. de civit. Dei cap. 22. potestas Diaboli inimica vincit aut subjugat neminem, nisi societate peccati.*

Sed hoc scribit de eo, quod plerumque fieri solet. Aliàs non desunt exempla, quòd & illi, qui quàm sanctissimè vixerunt, quin & innocentes pueri ac infantes à diabolo fuerint correpti. In his occulta sunt Dei

judicia, sed non injusta, cujus providentia gubernat omnia, quæ fiunt in mundo: idcircò dubium non est, cum diabolo in piorum corporum potestatem concedit, fieri id justis de causis.

Ad providentiam Dei simpliciter remittebat *Chrysostomus in lib. de provid. DEI. Theodorum* quendam, pium hominem, quem tamen dæmonium possidebat. Non aliter *Hyeronymus* scribit, in vitâ *Hilarionis*: *quæ causa est*, inquit, *ut sæpè bimuli trimulive, & ubera materna lactentes à dæmonio corripiantur? invisibilia hæc inscrutabili altissimi DEI judicio sunt relinquenda.*

De quibusdam tamen causis ex sacris literis conjecturam facere possumus. 1. fit hoc *ad manifestationem gloriæ Dei*, sicut de eo, qui cœcus erat natus *Iohan. 9. v. 3.* legitur: *neque hic peccavit, nec parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Manifestat autem Deus in obsidione piorum inprimis potentiam suam, in terrorem impiorum, quos potestati dæmonis facili negotio subjicere potest: *si enim fit hoc in viridi ligno, in arido quid fiet? & si justus vix salvatur, impius & peccator ubi parebunt?* 1. *Pet.* 4, 18.

*Resp. 1. ad manifestationem gloriæ Dei.*

(2.) Tam atroci plagâ punit sæpè aliena peccata, ut parentum in liberis, magistratus in subditis, mariti in uxore, & contra: unde fit, quòd interdum diabolus ex imprecatione alterius corpus aliquod invadat, cujus rei exempla habemus suprà: *casu 2. hujus capitis.*

*2. Ad alienorum peccatorum punitionem*

Justus enim Deus, fortisque zelotes, qui minatus est *se puniturum peccata parentum etiam in liberis, usque ad tertiam & quartam generationem Exod.* 24.

(3.) Ad spiritualem pugnam cum diabolis suos hoc, quantumvis acerbo medio, præparare vult Deus: qui enim plagas corporis à dæmone inflictas superare novit, is insultibus satanæ, quibus animæ molestus est, fortius resistere potest.

*3. Ad Spiritualis pugnæ præparationem.*

[*Gravamen hoc corporale est medicamen spirituale.*]

4. Correptio ista diabolica interdum est præservatio contra peccatum. Etsi enim dæmon per obsessos flagitia quædam committit, si tamen pii fuerint, ipsis invitis, sæpè etiam ignorantibus fit, ut supra audivimus. Interim autem corporalibus plagis vexati ab internis animæ tentationibus magis sunt liberi.

*4. Ad præservationē contra peccatum.*

Hinc legimus apud *Severum Sulpitium* in vitâ *Martini dial.* 1. *Eremitam* quendam à Deo petisse & impetrasse, ut per menses aliquot ejus corpus ab inhabitante dæmonio affligeretur, propter periculum peccati, quod timebat, superbiæ. Durum certè remedium contra superbiam, & non facilè cuivis imitandum, constat tamen ex eo eremitam hunc judicasse, Deum immittere alicui diabolum, ne homo in peccatum incidat, Deumque offendat.

5. Temporali illa plagâ dæmonum, monere vult, de infernalibus cruciatibus, qui longè graviores & acutio-

*5. Ad plagarum infernalium adumbrationem.*

Digitized by Google

acutiores erunt, quorum præludium aliquod cum videamus in obſeſſis, eò diligentius caveamus peccatum, quo dæmonum flagella in inferno impii merentur.

*6. ad diabolici odii erga homines ocularem demonſtrationem.* 6. Oſtendit Deus fatale odium diaboli erga miſeros mortales, cum in eorum etiam corpora, qui innocentes ſunt, tantoperè ſæviat: toti ergo ſimus alieni à malignis illis ſpiritibus, omnemque ipſorum ſocietatem averſemur.

*7. ad patientiæ probationem.* 7. Denique generale eſt, & cum omnibus piorum plagis commune, quòd Deus etiam hac ratione patientiam piorum probare vult, & commendare aliis. Nam qui in hoc agone tam periculoſo nihil facit contra Deum & conſcientiam, ſed magnâ cum patientiâ ac manſuetudine animi voluntatem Domini agnoſcit, & liberationem magno animo exſpectat, is ad ferenda quælibet adverſa ſatis aptus eſt, & cum *Apoſtolo* dicere poteſt: *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio in nobis 2. Corinth. 1, 5.*

## CASUS IIX.

### *Num diabolus magicis artibus pelli poteſt ab obſeſſis?*

RESP. Doctrina Chriſti eſt, diabolum unum non pellere alterum, aliàs *regnum ejus non diu duraturum Luc. 11, 18.* Veriſſimum hoc eſt de ea ejectione diaboli, quæ fit cum deſtructione regni diabolici. Sed exempla teſtantur, cedere interdum Satanam ab obſeſſis ad characteres, ritus & verba magorum, ſi hac ratione ſuperſtitionem, & idololatriam in animis hominum fovere & confirmare poteſt. *Diabolus interdum exit ab obſeſſis ad charact. res & verba.*

De ſortilegis Germanorum ſcribit *Sprangerus*, quòd poſt ductos aliquot circulos & characteres in fronte dæmoniaci interrogarint dæmonem, dari mandatum ei, ut exeat, & ſtatim illum exire.

Refert *Bodinus lib 3. de dæmon. cap. 6.* ſi quis dæmoniacus ſuſpicetur per ſagam aliquam malignam ſpiritum ſibi importatum, judices in *Germaniâ*, ipſamque *Imperij cameram* coram homine affecto hæc verba à ſagâ pronunciari jubere: *benedico tibi in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti in tuis bonis, ſanguine & armento*; & momento homines affectos valetudini reſtitui.

Quod, ſi ita ſit, (de quo fides ſit penes autorem) nihil certè aliud inde colligere poſſumus, quàm diabolum cum magis optimè convenire.

Huc pertinet, quòd *Ioſephus* ſcribit *lib. 8. antiq. cap. 2.* ſe præſente *Veſpaſiano imperatore* & ejus filiis *Tito & Domitiano* vidiſſe quendam de gente Hebraicâ *Eleazarum*, naribus cujusdam à dæmone obſeſſi, annulum, cujus ſignaculo radix à *Salomone* reperta, erat ſubdita, applicuiſſe, & dæmonem è naribus odorantis extraxiſſe, qui cùm in terram repentè concidiſſet, *Eleazarum* conjurationis *Salomonis* cantico dæmonium

 pro-

Digitized by Google

proscripsisse. Sed hic *Iosephus Iudæus*, *Vespasianus Ethnicus*, & *Eleazarus Hebræus*, Diaboli præstigiis illusi fuerunt, qui se radicis *Salomoni* adscriptæ potentiâ attrahi simulabat.

*Diaboli ab obsessis non sunt magicis artibus pellendi.*

Hujusmodi mediis pellendi diabolum, certè nemo piorum uti debet. Nam diabolus cogi se simulat, cùm sponte exeat, majusque damnum inferat: nam cum antea corpus duntaxat hominis vexaret, jam etiam animos multorum dementat, quos in superstitione & idololatriâ adhibitâ confirmat.

Sic radix illa apud *Iosephum* ad pellendum Satanam inepta est, adhiberi tamen eam passus est dæmon, ne homines ad Deum, unicum illum liberatorem & expugnatorem Satanæ confugerent. Ut autem præstigiæ illæ majorem haberent autoritatem, *Salomonis* nomen prætenditur, quasi ab illo hæc ars esset, per radices expellendi dæmonem, de quo tamen historia ejus nihil habet.

Nemo igitur decipi se patiatur; *Spiritus sunt dæmones*, (inquit Wierus lib. 5. de præstig. dæmon. cap. 20.) *qui ut nullis alliciuntur plantis vel terrena substantiâ, ita nec fugantur, etiamsi plerumque apud suos cultores se aliquarum rerum potentiâ invitari, allici, trahi, cogi vel etiam abigi, ut impiâ credulitate eos sibi magis obstringant, fraudulenter simulent.*

## CASUS IX.

### *Num ad pellendum ex obsessis diabolum opera exorcistarum Papalium bona cum conscientia uti possumus?*

*Nonnulli quadruplicē faciunt potestatem ejiciendi dæmones.*

RESP. Sunt, qui quadruplicem potestatem ejiciendi dæmones faciunt: una est *Christi*, altera Dei, tertia *Salomonis*, quarta *diaboli*, quarum descriptiones vide apud *Petrum Thyræum* part. 3. *de dæmoniac. capite* 34.

Potestatem, quam Christus habuit, communicatam fuisse ajunt cum Apostolis, & per hos relictam in ecclesiâ: ubi peculiarem ordinem muneris ecclesiastici constituunt, videlicet *Exorcistarum*, qui peculiaribus ritibus ad hoc munus ab episcopo ordinabantur, tradente ei episcopo librum in manus, in quo exorcismi scripti sunt, & dicente: *accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptisatum, sive catechumenum*, ut patet ex *Concilio Carthaginen IV. cap.* 7.

In Papatu hanc potestatem ad se rapuerunt monachi, qui quibus mediis in hac suâ arte utantur, præscribunt autores *mallei maleficarum* 2. *secundæ partis qu.* 2. *c.* 6.

*Quod exorcismis*

Etsi autem exorcistæ *Papales* magnam interdum sanctimoniæ speciem

*Papalibus non sit utendum.*

ciem habent: nemo tamen fidelium ipsorum operâ uti debet.

(1.) Quia speciem habet collusionis cum ipsis in religione *Papisticâ*, quæ ab omnibus piis aliena esse debet, quia *non est societas luci ad tenebras, nec conventio Christi ad Belial. 2. Corinth. 6, 15.* qui & *omnem mali speciem cavere* jubemur. *1. Thessal. 5.*

(2.) Quia sæpenumero omnium sceleratissimi nebulones utuntur his artibus. Docent enim *Romanenses*, nihil referre, an exorcistæ puram habeant conscientiam, an verò in peccatis sint constituti, quoniam exorcismi ecclesiastici valent ex operato, ut habet *Thyraus part 3. de dæmoniac. cap. 39. & Lorichius in thesauro theol. voce dæmones num. 52.* quomodo verò impuritas conscientiæ stare possit cum invocatione nominis divini, quâ adoriendum esse dæmonem statuunt, non video: certè *veri adoratores adorant Deum in Spiritu & veritate. Ioh. 4.* & Apostolus *Paulus* in orando puras manus nos attollere jubet. *1. Tim. 2. v. 8.*

(3.) Mediis utuntur impiis, quæ, qui eorum operâ utuntur, eo ipso approbant, & sic de ipsarum impietate participant. Nam super obsessum sanctos invocant, missam etiam interdum faciunt, & in multiloquio precularum suarum singularem vim exorcisandi ponunt: quæ omnia impia & contra scripturam esse, nemo piorum dubitat. Nam invocationem sanctorum prohibet angelus *Apocal. 19.* multiloquium Christus *Matth. 6.* missam verò ipsa institutio sacramenti cœnæ, quin & natura sacramenti improbat ut alibi docetur.

(4.) Mediis utuntur superstitiosis, adhibent reliquias sanctorum, aquâ lustrali adspergunt obsessum, hostiam consecratam, candelam consecratam, & alias res benedictas, (ut vocant) hoc est, exorcisatas ori & manibus obsessi admovent: cui rei singularum vim pellendi diabolum inesse persuasi sunt: quæ omnia superstitiosa, & magnâ ex parte impia esse, apud omnes rectè sentientes in confesso est? Quid enim curet Satan nugas illas? qui ne quidem majestatem Christi formidavit, quem divina benedictione, & testimonio cœlitus accepto, tanquam præsentissimo amuleto munitum nihilominus tentationibus suis aggressus est in deserto.

(5.) Abutuntur etiam sacris scripturis. Nam in *malleo veneficarum* præscribitur, ut exorcista, si legere novit scripturam, (ergò non omnes exorcistæ *Papales* legere possunt, & tamen ecclesiasticæ sunt personæ,) legat Evangelia quatuor prima Evangelistarum, item Evangelium, *missus est angelus*, & passionem domini, quæ omnia magnam habent virtutem ad expulsionem operum diaboli. Item Evangelium *S. Iohannis in principio erat verbum*, scribatur, & ad collum suspendatur. Hoc verò est verbis & literis pictis, licet non intellectis, magnam tribuere efficaciam, quod in se absurdum

dum est, & contra finem scripturarum sacrarum, quæ diligenter lectæ, recteque intellectæ, *utiles sunt*, non ad exorcisandum, sed *ad consolandum, exhortandum, commonefaciendum*: qui præter hos fines scripturæ alios comminiscitur, is verbis divinis impie abutitur, cui impietati nemo piorum consentire debet.

His de causis exorcismos *Papales*, quos vel ad liberandos dæmoniacos, vel ad sanandos ægrotos adhibent, non tantum fugere, sed & execrari debemus.

Etsi enim multa recitantur exempla eorum, in quibus tales exorcismi suam habuêre efficaciam, factum tamen hoc non est propter talium mediorum efficaciam: sed diabolus spontè cessit, ut superstitionem & impietatem exorcistarum confirmaret, quâ de re elegantem *Ioannis Salisberiensis* sententiam citat *Wierus lib. 5. de præstig. dæmon. cap. 23. Hæc est*, (inquit ille *lib. 2. policrat. cap. 27.*) *fraudulentia malignorum spirituum, ut quod ultrò faciunt & dictant hominibus faciendum operosè dissimulent, ut hoc facere videantur inviti. Simulant se coactos, & quasi exorcismorum virtute extractos fingunt: & quo minùs caveantur, exorcismos quasi in nomine Domini, aut in fide Trinitatis, aut incarnationis & passionis virtute conceptos componunt, eosdemque hominibus tradunt: exercentibus eos obtemperant, donec eos secum crimine sacrilegij & pœnæ damnationis involvant. Transfigurant enim se interdum in angelos lucis, honesta sola præcipiunt, illicita prohibent, munditiam consectantur, utilitatibus provident, ut quasi boni & propitii familiariùs admittantur, audiantur benigniùs, amentur arctiùs, faciliùs exaudiantur, habitum quoque induunt venerabilium personarum, ut eis maior & promtior reverentia impendatur.*

## CASUS X.

### *Quid de illis exorcistis sentiendum est, qui Papatui valedixerunt, & tamen peculiare aliquod donum ejiciendi dæmones habere creduntur?*

RESP. Tales exorcistæ reperiuntur alicubi locorum, non tantùm inter eos, qui de rudi vulgo sunt, verùm etiam inter ecclesiæ pastores, qui se *exorcistas* nominari gaudent. Putant enim se habere singulare Dei donum, non cuilibet cõcessum, imperandi diabolo, ut fugiat ab obsessis. Ex quâ re peculiarem artem faciunt: ubi non quidem aquam lustralem, benedictas candelas, imaginem crucis, more *Papisticorum* exorcistarum adhibent; interim tamen ipsi aliis quibusdam ritibus utuntur, obsessos in templum deportant, in templo cum eis pernoctant, preculas & cantiunculas quasdam deblaterant, textus biblicos super obsessum legunt, characteres crucis faciunt, magnaq; voce diabolo, ut ab obsesso exeat, præcipiunt.

Horum

*Resp. arte eorum utendum non est.*

Horum ars, etsi coram rudi plebeculâ magnum habet applausum: piis tamen nihil cum eis commercii esse debet; multò minus ipsorum arte ad expellendum Satanam utendum est.

Primùm enim ars ipsorum nullum habet fundamentum. Nusquam enim in scripturâ traditur publica professio exorcisandi dæmones, quæ divinitùs sit instituta, neque ad hoc munus ordinantur, cùm sacris initiantur: quidquid autem sine vocatione divinâ fit, inprimis contra tam astutum & validum hostem, ei firmiter inniti non possumus.

*Exceptio solvitur.*

Nam quod objiciunt CHRISTUM & Apostolos, qui dæmonia ejecerunt, promissionem etiam Christi urgent: *in nomine meo dæmonia ejicient Marc.* 16. *v.* 17. id nihil ad istos exorcistas: quia non omnia CHRISTI & Apostolorum facta sunt ad imitationem proposita, neque illi ceremoniis superstitiosis usi sunt, nec mercede conducti diabolos expulerunt: neque promissio apud *Marcum*, quæ solis Apostolis facta est, ad alios extendi debet, aliàs sequeretur, ejusmodi exorcistas etiam novis linguis loqui, & impositis manibus ægrotos curare posse; nam & illa ibi sunt promissa.

Non negamus esse hoc peculiare Dei donum, quod non secus ac miracula & donum linguarum aliquandiu in primitivâ ecclesia duravit, donec plenitudo gentium ad fidem CHRISTI introduceretur: sed hoc Dei donum nec perpetuò ecclesiæ promissum est, neque professionem singularum facit, sed ad extraordinaria illa pertinet, ideò nemo sibi illud temerè arrogare debet: quemadmodum nec donum miraculorum & linguarum, donec certam ad id vocationem habeat à Deo.

Fuerunt adhuc tempore Apostolorum aliqui filii *Sceræ*, qui Apostolos hoc in genere imitari volebant, adjurantes diabolos per Jesum, quem *Paulus* prædicabat, ut discederent ab obsessis, sed malè audiunt, nec benè cessit ipsis opus: vocantur circumforanei *Iudæi*, diabolus ipsorum exorcismos contempsit, *Iesum novi*, inquiens, *& Paulum scio: vos autem qui estis? protinus in ipsos insiliit, & adeò contra eos invaluit, ut nudi & vulnerati aufugerent, Actor.* 19. *vers.* 13. *seqq.* Hic est effectus eorum, qui absque vocatione Christum & Apostolos imitari audent.

Tales Exorcistæ abutuntur scripturis, quæ non ideò datæ nobis sunt, ut diabolum eis adjuremus, sed ad nostram doctrinam, *ut per patientiam & consolationem scripturarum spem haberemus, Rom.* 16. ut naturam & voluntatem Dei agnoscamus, ut vitam nostram rectè instituamus, & ad æternam gloriam præparemur.

Quòd si verborum sanctitas exorcistas excusaverit, similiter excusati erunt, qui alii sanctissimis & saluberrimis creaturis per magiam & incantationem in rem suam abutuntur. *Alia exceptio solvitur.*

3. Præterea superstitiosos ritus adhi-

adhibent, interdum etiam tales, quæ speciem mali habent: multis verbis diabolum increpant, & magnis clamoribus eum exire jubent, jam per unguem, jam per oculum, jam per orbiculum vitreum fenestræ. Non fecerunt hoc Apostoli, sed in *Christi nomine egredi jusserunt dæmones paucis verbis, totius naturæ Dominum, & imperium omnis abstrusæ virtutis in cælo & in terra, & spiritum omnipotentiæ ore suo gerentes*, inquit *Eusebius Cæsariensis in panegyrico.*

4. Denique, si non omnes, plerique tamen artem istam exorcisticam quæstus causa faciunt: quem aliàs procul à ministris ecclesiæ abesse vult D. *Petrus*, 1. *Petr.* 5. *vers.* 2. Apostoli & discipuli eorum hoc non fecerunt: *dæmonia de vobis sine mercede, sine præmio depellimus*, inquit *Tertullianus.*

His de causis artes exorcistarum nihil curare debemus.

*Alia exceptio solvitur.* Neque refert, quòd interdum diabolum ejicere videntur. Nam vel non verè fuerunt obsessi, à quibus egredi videtur, sed morbo aliquo naturali oppressi, vel diabolus sponte cedit, ut exorcistas ipsos & multos alios, qui illis fidem habent, in superstitione sua confirmet, unde fit, quòd fortè unius corpus deserit dæmon, ut multorum animas interim fortiùs occupet.

*Facilè enim est diabolo*, inquit *Lutherus in cap.* 7. *Matth. quòd sc etiam per hominem pessimum expelli sinit, & tamen ab homine non discedit, sed in ipso fortiùs homines per superstitiones obsidet. Nec [illegible] facit, quòd non semper discedit ab obsessis: non enim hoc ideò fit, quasi non libenter credulos in superstitione & impietate sua confirmet, sed quia Deus ei exire non concedit, sed ut majora damna & animarum pericula præcaveat, hospitium ei in corpore hominis aliquamdiu adhuc permittit.*

His omnibus probè consideratis, nemo facilè vel donum exorcisandi diabolum in obsessis sibi arrogabit, neque iis, qui hoc faciunt, fidem habebit.

## CASUS XI.

### *Quid ergò faciendum cum obsessis, num miseri in potestate Satanæ relinquendi, an certâ quadam ratione diabolus ab eis expelli potest?*

RESP. Obsessorum duo sunt genera. Quidam vel quæstus sui, vel alterius cujusdam commodi causa obsessionem simulant: hi spontanei sunt obsessi, quos invadit dæmon & exercet pro ipsius energumeni voluntate, arbitrio, & libidine. Quidam inviti à diabolo occupantur, & excruciantur, quod multis etiam piis accidit, qui præter plagas corporis, & turpem abusum membrorum nihil inde lucri sperare possunt. *Duo genera obsessorum.*

Ex voluntariè obsessis diabolum plagis ejiciendum esse censent aliqui, quibus aliàs dæmon eos, quos verè obsi- *An ex voluntariè obsessis diabolus plagis ejiciendus?*

Digitized by Google

obsidet, exercet; quâ de re legitur in *can.* 60. *de his, qui se dæmone correptos esse simulant.* Verba habent: *eos, qui se dæmone correptos esse simulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum simulatè præ se ferunt, visum est omnimodò puniri, & ejusmodi afflictionibus & laboribus eos subjici oportere, quibus hi, qui à dæmone verè correpti sunt, ut à dæmonis operatione liberentur, verè subjiciuntur.*

Refert *Wierus* exempla hujusmodi obsessorum, qui vel baculo vel virgis egregiè fuerunt excepti, & statim à dæmone relicti ad seipsos redierunt, *lib.* 5. *de præstig. dæmon. cap.* 35.

*Quid cum iis agendũ, qui præter suam voluntatem à diabolo possidētur?*

De iis qui præter voluntatem suam à maligno spiritu possidentur, præcipua quæstio est, quid cum ipsis agendum, ut à malo liberentur? Tutissima hoc in genere via est:

*1. Consulātur periti medici.*

1. Ut periti consulantur medici, qui an morbus naturalis sit, an vera obsessio, ex arte sua judicent: nam, ut suprà ostendimus, sunt nonnulli morbi, qui cum moribus obsessorum multum commune habent.

*2. Cõsulantur ecclesiæ ministri.*

2. Cognitâ obsessione verâ, miser committatur curæ spiritualis ecclesiæ ministri, qui sanam doceat doctrinam, vitæ sit inculpatæ, mysteriumque fidei teneat in purâ conscientiâ, qui nihil turpis lucri gratiâ faciat, sed omnia ex animo.

*3. Inquiratur in vitā anteactam obsessi.*

3. Is diligenter inquirat, qualem hactenus vitam gesserit obsessus, si fuerit impius, per legem adducat ipsum ad agnitionem peccatorum, & quàm funesta sit ea merces, quâ diabolus mancipia sua conducit, doceat, & ad seriam Pœnitentiam, propositumque emendandi vitam hortetur. Si verò pius fuerit, & inculpatæ vitæ, soletur ipsum, quòd & suos interdum Deus diabolicæ potestati permittat certis de causis, quod historia *Iobi* & *Pauli* testatur. Crucem enim non omnibus eandem nec æqualem imponit, omnis autem patienter ferenda est, cùm non ad interitum, sed ad probationem immittatur, & tandem diligentibus Dominum cedat in bonum.

*4. Adhibeatur vis commodi medicamenti.*

4. Præmissa hac sive admonitione sive consolatione, naturalis quoque medici opera adhibeatur, qui succos malignos commodis medicamentis expurget. Compertum enim est, obsessos plerumque gemino gravari morbo, unus est *corporis*, qui ex succo melancholico aut alio vitioso oritur; alter *animi*, ut est amentia, mœror, tædium vitæ, desperatio, quibus diabolus multum negotii facessit.

Et testatur *Wierus*, obsessos expulso humore vitioso, cessare mirabilia facere, *lib.* 5. *de præstig. dæmon. cap.* 30.

*5. Continuetur ministerium verbi.*

5. Hac medici curâ peractâ, minister ecclesiæ suam in obsesso curam continuet: ubi non est necesse, ut eum in templum in conspectu populi ponat, ut mos est nonnullis, non enim est opus multis vel ambagibus vel ceremoniis; ubi reperitur obsessus, ibi confessio fidei

Christianæ ab ipso exigatur, de operibus diaboli à Christo destructis erudiatur, ad hunc destructorem Satanæ Jesum Christum fideliter remittatur, ad fidem in Christum, ad preces, ad patientiam exhortatio instituatur, quibus adminiculis tandem efficitur, ut dæmonum insultus contemnantur, aut certè majori cum tolerantiâ ferantur: cujus rei exempla habemus in *Antonio* apud *Athanasium in vita Antonii*, *Hilarionis* apud *Hieronymum*, *Lutheri*, qui quidem non obsesſi, aliàs tamen graviter à dæmone vexati, magno animi robore malignum istum devicerunt.

*6. Fiant preces catus publici.* 6. Preces ad Deum fundantur ardentes, non tantùm ab ecclesiæ ministris, verùm etiam ab ecclesia tota, ut Deus misericordiarum pater miserrimi hominis propter Christum misereatur, vinculaque diaboli solvat. *Orate pro vobis invicem, ut sani sitis, multum enim valet oratio justi efficax*, inquit *Iacobus* Apostolus *cap.* 5.

Quòd si non statim sequitur liberatio, repetantur preces: instandum enim est in orando, nec cessandum, donec exauditio sequatur, ut Christus monet *Luc.* 18. Quia verò beneficium hoc est temporale, ideò semper in precibus includenda est voluntas Dei, in cujus manus resignemus in solidum liberationem obsessi. *Semper enim exaudit Deus, si non ad voluntatem, tamen ad utilitatem nostram. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia, quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos* 1. *Iohan.* 5, 14.

Multum olim tribuebatur precibus publicis in liberatione obsessorum. Temporum *Chrysostomi* obsessi non ex necessitate, sed ad placitum episcopi adducebantur in publicum, ut populo, universaque civitate præsente, communes pro his fierent supplicationes, ut omnes jugi concordiâ Dominum communem orarent pro his, & ut misereretur, magno clamore contenderent, quemadmodum ipse *Chrysostomus* refert *homil.* 3. *de incomprehensibili natura Dei.* Plura exempla vide apud *Wierum lib.* 5. *de præstig. dæm. cap.* 31. & *Bodin. lib.* 3. *de dæmon. cap.* 6.

*Augustinus* quoque & *Sozomenus* scribunt, nihil aliud olim dæmonibus pellendis usitatum fuisse, quàm preces coram Deo, nullum familiare colloquium, nullas facetias, nullas interrogationes Satanæ fuisse propositas, prout quibusdam exorcistis usitatum est: vide *August. l.* 10. *de civ. Dei, cap.* 22. & *Sozomenum lib.* 6. *cap.* 28.

(7.) Cum precibus jungantur jejunia: hæc enim duo Christus ipse conjunxit, cùm ait, *hoc genus dæmonii non ejicitur, nisi prece & jejunio, Matt.* 17, 21. neque preces acceptæ possunt esse Deo, nisi temperantiâ condiantur. *7. Conjungatur abstinentia jejunii.*

(8.) Accedant deniq; eleemosynæ ab amicis obsessi factæ. Nam *bona est eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, qua purgat* *8. Accedat eleemosyna ab amicis obsessi.*

*gat peccata, & facit invenire misericordiam &c. Tob. 12.* Et si aliàs res magnas suscepturi vel à Deo impetraturi, eleemosynis alios demeremur, ut instituto nostro faveant, & precibus nostris suas conjungant: cur non idem faciamus in re tàm gravi, cùm à potestate dæmonis liberandus est miser.

Hæc sunt opera Deo grata, diabolo adversa, quæ olim in liberandis obsessis feliciter adhibuerunt sancti Dei homines, non est opus certo quodam ordine hominum, quos exorcistas vocant, non adjuratione, compellatione, aut rogatione dæmonis. Ita scribit *Origenes super cap. 17. Matth. tract. 4. si aliquando oportuerit nos circa curationem tale quid patientium* (dæmoniacorum) *permanere, non adjuremus, neque interrogemus, neque loquamur, quasi audiente spiritu immundo, sed permanentes in orationibus & jejuniis impetremus patientis salutem à Deo, & abigamus jejuniis & orationibus nostris spiritus malignos.*

*Quomodo Lutherus cum obsessis egerit?*

Non alium modum expellendi diabolos ex obsessis, scivit *Lutherus*: quem enim processum instituerit, cùm ad ipsum dæmoniaca afferretur puella, *annotavit Froschelius in concione de angelis*, & repetitur *in Theatro diabol. part. 1. p. 59.* summa hæc est, puellam ad se adductam rogat, an symbolum Apostolicum teneat: ipsa affirmante, recitare jussit. Cùm ergò pervenisset ad ista verba: *& in Iesum Christum, Filium ejus unicum*, obmutuit, & spiritus eam vexare cœpit. Cui *Lutherus: novi te Satan, vis, ut magna cum pompa ejiciaris, id quod ego non faciam.* Jussit ergò postero die puellam ad concionem suam, & postea in sacrarium templi adduci. Paruit illa, & concioni lubens interfuit, sed in sacrarium adducenda manibus pedibusque reluctata fuit, ita, ut à studiosis quibusdam in sacrarium inferretur, & ad pedes *Lutheri* deponeretur. In sacrario præter *Lutherum*, diaconos & studiosos aliquot nemo erat.

Tunc *Lutherus* primùm exhortationem instituit, 1. diabolum non esse jam miraculosè expellendum pro more primitivæ ecclesiæ, ubi propter novitatem doctrinæ miraculis opus erat. 2. Nec expellendum esse adjurationibus, ut fit ab exorcistis *Papisticis*: sed orationibus & contemtu. 3. In precibus non esse præscribendum Christo modum aut tempus, quando ejicere debeat dæmonem, sed patienter ejus horam expectandam, & interim precibus instandum esse. Deinde finitâ hac exhortatione manum imposuit capiti puellæ, & recitavit *Symbolum Apostolicum*, & orationem Dominicam, addiditque ex *Iohanne cap. 14. Amen, amen, dico vobis, qui crediderit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora his faciet &c.* Postea ardentissimis precibus invocavit Deum, ut puellam hanc à maligno spiritu, si ab eo possideretur, liberaret. Finitis precibus pede tetigit puellam, dicens: *superbe diabole, velles quidem, ut multa cum pompa tecum agerem, sed non*

*non facio, ut ut etiam ringaris*, & *sic à puella discessit.* Cujus parentes postea ad ipsum scripserunt, se ab illo tempore violentiam dæmonis in filia non ampliùs expertos esse.

Habes hìc modum ejiciendi malignum spiritum, ex obsessis, à *Luthero* ipso usurpatum, qui longè certior est, quàm ille, quem vulgares exorcistæ adhibere solent: *nam precibus & verbo cedunt omnia:* quòd si effectus non semper sequatur, cogites, quòd ne quidem exorcistarum adjurationes semper sunt efficaces: neque Deus precibus piorum in aliis quoque rebus temporalibus, quas semper dirigit ad nutum suum, pro ipsorum voluntate annuit. Ideò *Origenes* malignos spiritus *Amorrhæis* comparat *homil.* 24. *in Iosuam*, quòd quemadmodum hi inter filios Israel permansissent: ita sæpè in obsessis hominibus permaneant spiritus. *Adhibeantur*, inquit, *multæ orationes, multæ exorcismorum invocationes: ad hæc omnia surdus in obsesso corpore dæmon permanet: tolerabilius ferens exorcistarum pœnas, & adhibita sibi ex Dei nominis invocatione tormenta, quam discedere ab homine, quem impudenter & nequiter obsidet.*

*Cur preces pro obsessis & jejunia non statim exaudiantur?*

Multas hujus rei causas quærit *Petrus Thyræus part* 3. *de dæmoniac. cap.* 47. sed duæ sunt præcipuæ: *una* est, quòd ejectio dæmonis fit opus Dei liberum, pertinens ad temporalia ejus beneficia, quæ pro voluntate sua distribuit: cui etiam successum omnem committamus, instantes interim precibus summa cum diligentia, & earum exauditionem sperantes firmâ cum fiduciâ, quæ etiam suo tempore certò sequetur, si non ad voluntatem, tamen ad utilitatem nostram. *Altera* causa est infidelitas obsessorum, qui non certâ cum fiduciâ accedunt, à Deo petentes liberationem: ideò Christus parenti cujusdam dæmoniaci dicebat, *si posset credere liberationem filij sui, facilem fore.* Hinc *Cyprianus* scripsit: *adjurati dæmones vel exibunt statim, vel evanescent gradatim, prout fides patientis adjuvat.*

## CAPUT IV.

## De casibus conscientiæ circa actiones hominum cum melancholicis.

### PROOEMIUM.

*Melancholici sæpè magnam cognationẽ habent cũ obsessis.*

Quanquam obsessi à melancholicis multùm differunt; illorum enim corpora, horum animos malignus spiritus affligit: cum obsessis tamen magnam sæpenumero cognationem habent melancholici.

*Dæmoniaci à diabolo liberati plerumq; in melancholiam incidunt.*

Nam, ut & suprà diximus, humor melancholicus est diabolo convenientissimus, & dæmoniaci à maligno spiritu liberati, plerumque in melancholiam incidunt.

Recto igitur ordine ab obsessis disce-

Digitized by Google

discedimus ad melancholicos, in quibus æquè magnum, interdum etiam majus est periculum, quàm in obsessis. Nam, ut *Chrysostomus* scribit *lib. 3. de provident. ad Stagirium monachum; omni diabolicâ actione potentior ad nocendum est mœroris magnitudo, quia dæmon, quoscunque superat, per mœrorem superat.*

*Melancholici nō sunt unius generis.*

Sunt autem melancholici diversi generis: *quidam* externis sensibus ex humore melancholico corruptis, laborant, unde & cogitatus, voces, visa, & facta ipsorum sæpenumero sunt mirabilia: *nonnulli* se bruta animalia esse credunt, quorum voces imitantur: *nonnulli* vasa fictilia, ideò cuivis obviam venienti cedunt, ne attactu frangantur: *alij* meticulosi semper sunt, metuentes, ne vel ædes, quas inhabitant, vel & ipsum cœlum ruat: nonnulli in hac classe, magnum in melancholia sua gaudium percipiunt, qualis erat *Atheniensis* ille apud *Athenæum lib. 12.* qui persuasum habebat, omnes naves in Piræum appellentes, esse suas, easque recensebat, dimittebat ac deducebat; tanto autem appellentes gaudio excipiebat, ac si omnium rerum advectarum esset dominus; at si quid periisset, non quærebat amplius: si pervenissent incolumes, gaudebat, multa interim cum voluptate vitam agens, ideò, cùm medicorum operâ à morbo convalesceret, se nunquam vixisse jucundiùs dixit.

Sunt autem alii, qui quoad externos sensus quidem non admodum laborant: sed cor inquietum & mœrore plenum habent, semper pavidi, aliorum omnium sortem meliori in loco esse existimant, se verò afflictissimos omnium putant, hinc aliis invident, se ipsos execrantur, labores vel prorsus negligunt, vel ad eos cum murmure accedunt, impatientes semper & vitæ suæ pertæsi, quam & non rarò sibi ipsis abrumpunt, aut abrumpi optant.

*De quibus melancholicis hic agatur.*

De his potissimum hîc agimus, quorum animos potiùs, quàm corpora Satan adfligit. Tales Salvator *Luc. 21. vers. 26.* vocat ἀποψύχοντας, qui præ mœrore animo deficiunt: quorum magnum fore numerum ante novissimum suum adventum, ibidem prædicit.

Hujusmodi melancholici multum sæpenumero negotii facessunt ecclesiæ ministris, & aliis, quin & sibi ipsis, dum vitam sibi acerbam faciunt, ejusque exitum accelerant, quem cum jucunditate diutiùs prorogare potuissent.

Operæ pretium igitur est, consulere conscientiis, ne nos ipsi in mœroris melancholici barathro absorbeamur, & ut alios inde, quoad ejus fieri potest, extrahamus.

## CASUS I.

## *Quid faciendum, ne à spiritu melancholico possideamur?*

RESp. Melancholia in multis naturales suas causas habet, quas

quas medicamentis quidem corrigere, sed prorsus ejicere non licet.

Sunt tamen alii, qui naturâ ad hunc morbum non apti, sibi spontè eum attrahunt, quod ne à piis fiat, ideò hortatur Siracides cap. 30. v. 22. *tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo.*

Fieri quidem potest, ut quis justas mœroris sui causas se habere putet, ut fit in diuturnis morbis, in paupertate, & calamitatibus aliis, sed qui his in etiam nimiùm indulget, seipsum tristitiâ afficit, & à diabolo vexatur speculationibus variis, quibus, quomodo remedendum sit, postea seorsim docebitur.

Hic in genere tenendum, contra melancholiam neminem melius se præservare posse, quàm vera pietate cum firmâ in Deum fiduciâ conjunctâ, juxta illud Psalm. 2. *Servite Deo in timore, & exultate ei cum timore.*

*Melancholia versatur inter duo vitia ceu præcipitia.*

Pugnat ergò melancholia cum primo præcepto, removet ex oculis Dei potentiam, & paternum in nos animum, tollit fiduciam & timorem, hominem inter duo quasi præcipitia suspensum magno cum animæ periculo relinquit.

*1. Est præsumptio.*

Ex una enim parte est *præsumptio*, & spiritualis fastus, cùm quia res suas pro suo lubitu disponit, & de futuris speculatur, quomodo sibi suis consulere, quid acceptare, quibus mediis & in quantum res suas augere velit: quòd si ex animi sui sententiâ succedit, tunc intumescit, suæque sapientiæ, consiliis & viribus omnia adscribit.

Hæc est cæca illa præsumptio, quæ persuadet homini, se conatus, studia, consilia, actiones, & opera omnia suis in manibus habere, nec aliter fieri posse, quàm sicuti in animo suo cogitavit: quod si fit, tunc semetipsum quasi Deum quendam suspicit, operaque manuum suarum adorat.

Hæc est illa superba melancholia, quæ homines extollit, & in sui ipsius admirationem rapit, ita, ut sæpè stolida & ridicula quædam affectent, quæ ipsis maximè seria & ardua videntur: interim Dei negatur providentia, auxilium ejus non curatur, preces negliguntur, suisque speculationibus homo in alto circumfertur, quasi nullius Dei amplius indigeat, cùm consilia à seipso excogitata tam præclarè successisse videat.

*Qui ergò non vult esse melancholicus, non sit præsumtuosus*, hoc est, non sit persuasus, conatus suos non posse fieri irritos, cogitet hominem multa proponere, quæ Deus aliter disponit. *Hominis enim est, animum præparare, & domini gubernare linguam. Cor hominis disponit animam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus Proverb. 16. v. 1, 9.* sæpe etiam optimè cogitata pessimè cadunt, & ut in versibus dicitur:

*Nullius est felix conatus, & utilis unquam,*
*Si non consilium detque juvetque Deus.*

Precibus ergò sollicitandus est Deus, ut ipse consilia sana suggerat,

rat, felicesque largiatur successus: quos si consecuti sumus, non insolescamus, sed verâ animi humilitate nos ei submittentes, pro auxilio gratias agamus, & inposterum etiam ei confidere discamus.

2 *Diffidentia: quæ in dubium vocat.* *Dei providentiam,* *justitiam,*

Quòd si res nostræ secus cedunt ac speraveramus, facit ex altera parte melancholicos *diffidentia*, quæ in dubium vocat Dei *providentiam*, an res nostras curet, injustitiæ eum accusat, eò quòd malis meliùs prospicit, quàm bonis, vel in fatalem rerum omnium necessitatem propendet, quasi Deus infelicitatem suam ab omni æternitate præordinarit, & immutabiliter definierit, unde factum, quòd homo, quidquid etiam agat, felices tamen rerum suarum successus habere non possit, ad calamitates & res adversas se natum esse, nec ullam expectare posse earum mitigationem, putet.

Hinc continuæ sunt querelæ, nulla patientia, nulla spes melioris conditionis, murmur adversus Deum, odium & invidia erga proximum. Hæc est etiam pernitiosa melancholia, quæ cum providentia Dei simul in dubium vocat

*Sapientiam* ejus *sapientiam*, quasi non omnibus satis prospicere posfit, ejus *scientiam*, quasi fatum nostrum ipsi sit ignotum, ejus *misericordiam*, quasi calamitosorum hominum misereri nolit, ejus *potentiam*, quasi opem ferre nequeat, ejus denique *veritatem*, quasi quæ promisit, non præstet.

*Scientiam,* *Misericordiam,* *Potentiam,* *Veritatem.*

Qui ergò non vult esse melancholicus, non sit incredulus, non desperet de Dei auxilio & misericordiâ: omnia sua in manus Dei resignet, in omnibus angustiis & ipsa denique morte spem in Deum habeat inconcussam.

*Iacta in Domino curam tuam, ipse te enutriet. Psal. 55, 23. omnem solicitudinem vestram projicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis 1. Pet. 5, 7. beati omnes qui confidunt in eo Psal. 2. spes anchora vitæ & salutis est: qui timetis Dominum, sperate in eum, & in oblationem vobis veniet misericordia ejus Sirac. 2. vers. 8.*

Hæc generalia sunt, sed ad præcavendam melancholiam necessaria, vitare præsumtionem & desperationem, animumque semper rectum servare in rebus prosperis & adversis, ne felicitate intumescat, nec adversitate deprimatur.

In medio consistit vera pietas, quæ hominis animum in æquilibrio conservat, ut Deo cum timore serviat, & cum tremore exultet. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudinem dierum. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defectionis suæ benedicetur Sir. 1. vers.* 12, 13.

## CASUS II.

### *Quid si melancholia hominis animum jam occuparit, quomodo male huic succurrendum, ne invalescat?*

RESpond. Quod de corporum morbis dicitur, in hoc animi adfectu inprimis locum habere debet:

*Principiis obsta, serò medicina paratur,*
*Cùm mala per longas invaluere moras.*

Melancholia *cancer* est, qui serpendo tacitè crescit: imò *serpens* est, qui quò diutiùs in sinu fovetur, eò profundius vulnerat: ideò in primo statim conspectu necandus.

*Remediorũ 1. Classis. Causa, cur tristitiam mundi fugere debeamus.*

Tela autem quibus bestia hæc impetenda est, sunt quinque ferè generum. In prima acie est consideratio causarum, cur tristitiam, ex quâ omnis est melancholia, fugere debeamus: *sublata enim causa, tollitur effectus.* Loquimur autem non de tristitia salutari, quæ in pœnitentiam agentibus ex agnitione peccatorum oritur, aut ex condolentia cum aliorum calamitatibus, aut ex amissione boni alicujus spiritualis, aut ex afflicto ecclesiæ statu, & similibus: quæ tristitia ab Apostolo *Paulo* vocatur *tristitia secundum Deum* 2. Cor. 7, 10. sed de tristitia seculari, quam *D. Paulus tristitiam mundi* nominat, quia oritur ex metu pœnæ, aut amissione rerum temporalium, aut ex defectu rerum carnalium, aut ex impatientia &c.

Hujusmodi tristitia fugienda est, 1. quia non habet Deum, sed Satanam autorem, qui cogitationes tristes inspirat. Ipse enim est spiritus melancholicus & tristis, projectus à facie Dei, nec spem restitutionis habens, ideò nos quoque secum in æternam præcipitare tristitiam studet. Nos autem non ad tristitiam conditi sumus, sed ut æternùm cum Deo gaudeamus: & quanquam ob peccatum nobis causa tristandi datur, quia tamen Deus in Christo nobis spem restitutionis in integrum fecit, non est, cur totos nos tristitiæ mancipemus, *Deus est, qui lætificat cor nostrum Psal.* 4. ideò melancholicam illam tristitiam, pro suggestione diaboli habeamus, in cujus gratiam nos contristare non debemus.

2. Quia tristitia illa nullum habet usum, emendare non potest ea, quæ nobis sunt adversa, interim adfligit corpus & animam hominis, quâ de re *Siracides cap.* 30. *v.* 25. *multos occidit tristitia, & non est utilitas in illa.*

3. Quia adversatur naturæ Dei, qui est Deus gaudii & omnis consolationis 2. Cor. 3, 3. qui adimplet nos *lætitia cum vultu suo Psal.* 16, 11. & dat spiritum lætitiæ in corda nostra, *qui*

*clamat.*

*clamat in nobis magna cum fiducia, Abba pater Rom.* 8. *v.* 15.

4. Impedit preces. Etſi enim precibus triſtitia pelli poteſt, juxta illud Apoſtoli *Iacobi cap.* 5. *verſ.* 13. *ſi quis triſtatur, oret:* qui tamen triſtitiæ nimiùm deditiſunt, ita, ut conſolationem aliquam vix admittant, in his extinguitur ſpiritus precum; in precibus enim puræ manus ad Deum tollendæ ſunt, abſque diffidentiâ, 1. *Tim.* 2. *v.* 8. ipſi verò, quia fiduciam in Deum amiſerunt, ideò triſtitiæ modum non inveniunt: cum fiduciâ autem gaudium cordis eſt conjunctum, quod eſt fructus ſpiritus, qui in doloribus voluptates, in morte vitam, in paupertie divitias, in perſequutionibus meros oſtendit triumphos.

*Secunda claſſis remediorum cõtra melancholiam.* In ſecunda claſſe ſunt incommoda, & pericula præſentiſſima, quæ ex melancholia tandem fluunt, dum ei nimiùm indulgetur.

*Melancholia affert 1. Damna animæ.* Pericula illa ſunt partim animæ, partim corporis. Quoad animam, ſpiritus melancholicus expellit Spiritum Sanctum, dum fiduciam in Deum amittit, preces negligit, gratiam & bonitatem Dei in dubium vocat, imò deſperando planè negat: ſuggerit cogitationes pravas, inſtigat ad odium & invidiam, tandemque ad vitæ ſuæ abbreviationem: facit ineptos ad officia vocationis, ſegnes ad omnia, vecordes in periculis, tandemque deſperabundos in æternum præcipitat exitium.

*2. Damna corporis.* Quoad corpus, cor facit inquietum, quod cùm in *ſpe & ſilentio omne robur ſuum* habeat *Eſai.* 30. *verſ.* 15. dum in voluntate Dei in quacunque fortuna ſuaviter adquieſcit, per ſpiritum melancholicum perturbatur, ſupervacuis curis, impiâque ſolicitudine inquietatur, & noctu dieque hinc inde agitatur. Sunt enim impii *quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum Eſa.* 57. *verſ.* 20.

Præterea varios attrahit morbos melancholia: nam dum intus animus variis excruciatur curis, foris ſimul patitur corpus animæ indivulſo nexu conjunctum, corporis oſſa exiccantur, cerebrum turbatur, cor anguſtatur, deficit appetitus cibi & ſomni. Nam, ut Salomon ſcribit, Proverb. 17. verſ. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus autem ſiccus contriſtat oſſa:* & *Siracides cap.* 38. *verſ.* 20. *triſtitia cordis flectit cervicem.* De hujuſmodi triſtitia conqueritur *David, Pſal.* 39. *verſ.* 11. 12. *à fortitudine manus tuæ ego defeci, in increpationibus propter iniquitatem corripuiſti hominem & tabeſcere feciſti, ſicut araneam animam ejus &c.* tot incommodis ſe involvit homo melancholicus.

Cùm ergò nemo ſibi ipſi libenter noceat, maturè reſiſtendum eſt melancholiæ, antequam vires adquirat.

*Tertia claſſis remediorum cõtra melancholiam.* In tertia claſſe ſunt exempla eorum, quos melancholia, cui non ſtatim reſtiterunt, interfecit. In hiſtoria ſacra talis eſt *Nabal*, qui

præ avaritia exsatiari non poterat, nemini proderat, de cumulandis autem bonis suis quotidiè cogitabat: de eo legitur, quòd *cor in ipso fuerit mortuum, quasi lapis* 1. *Samuel.* 25. *vers.* 37. *Achitophel*, cùm consilium suum successu carere vidisset in melancholicam incidit tristitiam, & seipsum *laqueo suspendit* 2. *Sam.* 17. *vers.* 23. Quomodo & pii interdum à spiritu melancholico in proprium exitium armentur, testatur exemplum *Iobi*, qui *cap.* 7. *vers.* 15. in verba desperationis plena erumpit: *elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea, desperavi, nequaquam ultra jam vivam*; & *Davidis Psalm.* 77. *vers.* 4. *renuit consolari anima mea* &c.

*Igitur felix, quem faciunt aliena pericula cautum*: exempla illa in doctrinam nostram scripta sunt, ne mœrori melancholico nimis indulgeamus.

*Quarta classis remediorum contra melancholiã.*

In quarta classe sunt loca scripturæ, quæ nobis vanitatem melancholicorum egregiè depingunt, & quàm inanem omnibus suis curis operam impendant, docent. Salvator melancholicos, qui vanis curis seipsos affligunt, confert pusioni, qui de augmento suæ staturæ est solicitus, cui tamen curis suis, ne quidem *ulnam unam addere potest Matth.* 6. *Salomon* totum suum librum, quem *Ecclesiasten* vocat, eum in finem scripsit, ut ostenderet, quàm inaniter se macerent homines multis curis, in variis statibus & vitæ conditionibus, cùm tamen ubique sit vanitas vanitatum, ipsique tandem experiantur, se curis quidem satis defatigatos, sed rebus suis propterea nihil meliùs prospexisse, vide totum illum librum, præsertim *cap.* 3. & 8.

*Quinta classis remediorum contra melancholiã.*

In quinta classe sunt externa quædam adminicula, quibus melancholicæ cogitationes expelluntur, qualia sunt (1.) *honestæ conversationes* cum piis, nam loca solitaria augent spiritum melancholicum, colloquia autem honesta minuunt, unde in *Græco* senario apud *Plutarchum* dicitur: ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι; & *Salomon* in *Proverbiis* dicit, *linguam sapientum esse sanitatem, mœrorem in corde viri humiliare, sermonem autem bonum lætificare, Proverb.* 12, 18. 25.

(2.) *Moderatus vini usus: vinum enim lætificat cor hominis Psalm.* 104. *exultatio animæ & corporis vinum moderatè potatum: sanitas est animæ & corpori sobrius potus*, inquit *Siracides c.* 31. 36. & iterum *vers.* 32. *aqua vita hominibus vinum in sobrietate, si bibas illud moderatè, eris sobrius.* Hinc *Salomon* vult, *siceram dari mœrentibus*, & *vinum his, qui amaro sunt corde, ut bibant & obliviscantur calamitatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius Proverb.* 31, 6.

(3.) Accedat Musica suavis & liberalis, quæ spiritus exhilarat, & tristitiam pellit, quemadmodum David citharâ suâ spiritum melancholicum ex animo *Saulis* expulit, 1. *Sam.* 16. *v.* 23.

Usurpentur autem hæc externa in vero timore Dei, parcè & honestè, ne fiat exinde gaudium aliquod

quod ſeculare, quod operatur mortem.

Idcircò fundamenti loco ponatur exercitium pietatis, diligens verbi meditatio & aſſidua precatio, quæ duo ſolidam pariunt recreationem, juxta illud *Pſalm.* 119, 168. *pax multa diligentibus legem tuam*: accedat ſeria pœnitentia, quæ conſiſtit in agnitione peccatorum, quibus Deum fecimus iratum, & in vera fide in Chriſtum, cum propoſito emendandi vitam: in tali enim corde oritur pax & gaudium Spiritus Sancti, ideò *Ieremias* ſcribit: *ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris Ier.* 6, 16.

Hæc ſunt præcipua tela, quibus melancholicum ſpiritum in primo ſtatim limine extinguere, animumque nobis pacatum reddere poſſumus.

## CASUS III.

## *Quomodo reſiſtendum eſt in ſpecie melancholicis cogitationibus, in defectu rerum temporalium, honoris, opum, ſanitatis & ſimilium?*

RESp. Non eſt dubium, quin multi hoc tentationum genere ſemetipſos macerent, cùm alios vident inclareſcere, ipſi verò in infimis ſubſelliis hærent, promotoribus & patronis deſtituti, alii opibus abundant, ipſi pauperie premuntur; alii optima fruuntur valetudine, ipſi cum morbis ſemper luctantur.

Et quò diutiùs hæc calamitas durat, eò fortiores habent impreſſiones, quaſi ipſi ſint omnium miſerrimi, quorum Deus prorſus ſit oblitus: hinc cogitant de mediis emergendi ſæpè numero illicitis, quæ ſpiritus melancholicus ipſis ſuggerit, ad minimum contra Deum murmurant, cur non ipſis æque ac aliis proſpexerit: aliis meliorem fortunam invident, ſibi mortem exoptant, & hac ratione vitam ſatis acerbam faciunt.

Ad ſuperandos hos cruciatus, tutiſſimum eſt 1. res ſuas omnes, quomodocunq; fluant, in Dei reſignare manus, *in quibus ſunt tempora noſtra Pſal.* 31, 16. qui utramque fortunam dirigit, & dona ſua pro libera voluntate diſtribuit. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt Eccleſ.* 11. 14. *ipſe eſt, qui hunc humiliat & illum exaltat Pſal.* 75, 9. *qui pauperem cohabitare facit diviti, & utrumq; operatus eſt, Prov.* 22, 2. **Remedia contra ejusmodi tentationes.**

(2.) Perſuaſi ſimus, quòd voluntatem, conſilium & gubernationem Dei nemo poſſit mutare: *facit enim omnia, quæ vult in cœlo & in terra, & voluntati ejus nemo reſiſtet. Conſidera opera Domini, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. Eccleſ.* 7, 14.

(3.) Meminerimus *timentibus Dominum omnia cedere in bonum*, *Rom.* 8. cum magis honoribus multisque



Digitized by Google

opibus non parvæ sunt conjunctæ molestiæ, & occasiones peccandi non paucæ, & tandem strictum sequetur examen in die judicii, ubi ab iis, quibus multum est commissum, requiretur multum: qui autem pauca acceperunt, rationem faciliùs reddere possunt.

(4.) Cogitemus, hujus seculi bona non esse optima; caduca enim sunt multis peccatis obnoxia, bonis & malis communia; meliora autem parata sunt in cœlis, quibus defectus temporalium & caducorum largissimè compensantur in iis, qui Deum timent: *jubemur autem æmulari præstantiora bona* 1. *Corinth.* 12. *vers.* 31. jubemur *thesaurisare thesauros in cælo, quos nec ærugo nec tinea demolitur Matth.* 6, 20.

(5.) Deniq; recordemur, quòd *Paulus* pietatem & αὐτάρκειαν tanquam classicas duas verorum Christianorum virtutes conjungit 1. *Timoth.* 6, 6. & utramque conjunctam magnum Christianorum quæstum nominat.

Quæ omnia, qui rectè secum expendit, facilè adquiescit in quacunque fortunâ.

*Si affluxerint opes & honores, non apponet cor,* ut *David* monet *Psal.* 62. *vers.* 11. si valetudine utitur commodâ, agnoscet Dei beneficium, & majori cum alacritate & assiduitate suum faciet officium: sin verò bonis his omnibus caret, nihil deteriùs habet, nihil enim præter voluntatem Dei sibi evenire novit, se in manibus Domini esse scit, ut lutum in manu figuli, voluntati & arbitrio ejus totum se committit, si ex paupertate contemtû, ex morbo dolorem patitur, cum patientia possidet animam suam, sciens *dexteram Domini mutare posse omnia Psal.* 77. causas calamitatum, quæ alibi exponuntur, considerat, meliora restare meminit, & se veræ pietatis studiosum esse non posse agnoscit, nisi etiam sorte suâ qualicunque contentus vivat.

Hæc pietas auget ejus fiduciam in Deum, fiducia semper intuetur Deum ut Patrem, in cujus sinu sedent etiam pauperrimi & afflictissimi, qui Deum timent. *Ipse* enim *est, qui cum contrito & humili spiritu habitat, ut vivificet spiritum humilium, & cor contritum Esa.* 57, 15. Fiducia spem parit, spes non confundit.

Hæ cognitiones animum pariunt tranquillum, in quâ tranquillitate optima pars vitæ nostræ, & gustus futuræ felicitatis consistit.

Quod si hac in parte sapientum ethnicorum monita valent, *Seneca* sanè, optimus ille morum magister, non parùm ad rem facit, qui contra tristitiam melancholicam animum hominis munit consideratione communis sortis rerum ferè omnium in mundo, & immutabilis Dei voluntatis, cui querelis & curis nostris frustra obluctamur. Ita enim scribit *epist.* 107. *nullus erit querimoniæ locus, cum sint omnibus paria: nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit;*

Digitized by Google

*potuit; æquum autem jus eſt, non quo omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt: imperetur æquitas animo, & ſine querela mortalitatis tributa pendamus. Hyems frigora adducit, algendum eſt: æſtas calores refert, æſtuandum eſt, intemperies cœli valetudinem tentat, ægrotandum eſt: & fera nobis loco occurret, & homo pernicioſior feris omnibus: alium aqua, alium ignis eripiet; hanc rerum conditionem mutare non poſſumus: id poſſumus, magnum ſumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ conſentiamus: natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo ſerena ſuccedunt, turbantur maria, cùm quieverunt, flant invicem venti, noctem dies ſequitur, pars cœli conſurgit, pars mergitur: contrariis rerum æternitas conſtat. Ad hanc legem animus noſter aptandus eſt, hanc ſequatur, huic pareat, & quæcunque ſiunt, debuiſſe fieri putet, nec velit objurgare naturam. Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur.* Hæc ille: quod ſanè conſilium, cum iis, quæ ex verbi divini myrothecio antea attulimus, conjunctum, magnum utique momentum habet ad compeſcendos motus animi inquieti, & ad reſtaurandam cordis tranquillitatem, in quâ omnis vitæ noſtræ beatitudo conſiſtit.

## CASUS IV.

## *Quomodo pellenda eſt triſtitia, quæ oritur ex perſequutionibus & exilio propter confeßionem fidei?*

RESp. Non omnibus datum eſt, hanc confeſſorum ſortem forti perferre animo. Cara eſt patria, cara domus, honores & opes, triſte eſt exilium & calamitatum multarum ferax.

Πολλ' ἐφλέκεται φυγὴ κακὰ ξὺν αὐτῇ, inquit *Euripides*, multa attrahit exilium mala ſecum, paupertatem imprimis, & contemtum. *Vita nequam hoſpitandi de domo in domum, & uni hoſpitabitur, non fiducialiter ages, nec aperies os. Sir.* 29, 30.

Quæ res multos ita enervavit, ut omne vitæ ſuæ reſiduum cum gemitu & triſtitia tranſegerint.

Ad pellendam hanc triſtitiam obſervandi ſunt hi conſolationum fontes. Primùm agnoſcenda eſt Dei voluntas, à quo nobis datum eſt, pro Chriſto, *non ſolùm, ut credamus, ſed ut patiamur pro eo Philip.* 1, 29. Ideò *Chriſtus* diſcipulis ſuis prædixit: *Eritis odio omnibus, propter nomen meum, qui autem perſeveraverit usque ad finem, hic ſalvus erit: cumque vos perſecuti fuerint in civitate una, fugite in aliam Matth.* 10. *verſ.* 23. Huic ergo voluntati Dei non reſiſtamus ex impatien-

*Conſolationum momenta, circa hunc caſum.*

*Prima conſolatio à Dei voluntate.*

patientiâ, sed gaudeamus potiùs cum Apostolis, quod nos aliquid pro nomine suo pati dignos judicavit.

*Secunda consolatio, ab exemplis sanctorum.*

Deinde consideremus exempla sanctorum, qui propter veritatem divinam, exilia & mortem etiam ipsam passi sunt. *Apostolis* certè hoc prædixit Dominus *Matt.* 10, 17. *tradent vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides, & ad reges ducent vos propter me.* Similem sortem experti sunt *Prophetæ*, & alii confessores in populo Dei. *Elias* propter furores *Baaliticos* exulavit 1. *Reg.* 19, 4. *Amasias* rex Israel *Amosum* Prophetam ejecit: *fuge*, inquiens: *in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi: & in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes, quia domus regis est Amos* 7, 12. Tempore *Machabæorum* exilia imprimis fuêre frequentia. Præfecti regis *Antiochi* fecerunt, ut *Israelitæ* in abditis se absconderent 1. *Machabæor.* 8. & *Iason* multos è patriâ expulit 2. *Machabæor.* 5. *Claudius Imperator* Christianos *Româ* discedere jussit *Actor.* 13, 1. 2. nos autem non sumus meliores patribus nostris. Patienter ergò feramus, quod illi evitare non potuerunt. Communis hæc est sors sanctorum, ferre plagas & odia mundi: *si me persecuti fuerint*, inquit *Christus*, *etiam vos persequentur Iohan.* 15, 20. Christus ipse exulavit, unâ cum parentibus;

*Exul erat Christus, comites nos exulis hujus*
*Esse decet, cujus nos quoq; membra sumus.*

*Abel* renuit esse, quem Caini malitia non exercet: *Sicut in tritura paleæ grana premuntur: sic flores inter spinas prodeunt, & rosa, quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit*, inquit *Gregor. lib.* 20. *moral.*

*Tertia consolatio, à modo passionis.*

Tertiò magnum est solatium, quod exules non patiuntur, ut fures ac malefici, sed ut confessores veritatis. Pulchrum autem est pro veritate pati; honores & opes, fortunas omnes & vitam denique ipsam amittere, parùm est, modò retineamus id, quod pretiosius est omnibus thesauris, verbum nimirùm purum, & liberam conscientiam, quæ jugo humanarum traditionum non est implicata. Valeat vita, pereat pecunia, dummodo non Antichristi mancipia, sed famuli Christi simus. Pulcrum est pro patriâ mori, quæ in cœlis est, à quâ nos exulare cogunt, qui ne exulemus in terris, veritatem prodere jubent.

*Quarta consolatio, à constantiæ laude.*

Quartò nihil est præstantius constantiâ in veritate agnitâ, cui soli salus adscribitur æterna *Matth.* 10, 24. piorum ergò est in fide & virtute perdurare, & per exilium ac martyrium ad palmam & coronam contendere: *si manseritis in sermone meo*, inquit *Christus*, *verè discipuli mei eritis Iohann.* 8. *vers.* 31. Ergò qui terreni commodi causâ deficientes, veritatem abnegant, non sunt digni discipulorum Christi nomine, ideò & ipsi abnegabuntur à Christo coram patre cœlesti *Matth.* 10. v. 32.

Quintò

Digitized by Google

*Quinta consolatio, à Dei providentia & cura.*

Quintò licet exulent à patria, non tamen exulant à Deo, Domini est terra, à quâ in universum excludi nō possunt. Forti autem omne solum patria est, & ubi Christo imperturbatâ conscientiâ servire possumus, ibi nostra est patria. *Valde angustus est animus, qui sic ad unum terræ angulum se applicat, ut quidquid extra sit, exilium putet*, inquit *Franc. Petrarcha dial. 67.* Nuspiā destituit DEUS gratiâ & benedictione suâ cōstantes verbi sui confessores, filio suo cum *Iosepho* ac *Mariâ* exulanti hospitium paravit in *Ægypto*. *Eliæ* exulanti per corvos cibum subministravit: *Athanasium* exulantē sexēnium integrum in puteo servavit: ***lacrymas nostras ponit in conspectu suo, & fugam nostram numerat. Psal. 56. v. 10.*** & tandem cœlum excipit, quem non capit terra.

*Sexta consolatio, à remuneratione.*

Sextò larga restat remuneratio: quidquid amittitur propter Christū, nō amittitur, sed in melius mutatur. ***Omnis enim, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit Matth. 19. vers. 29.*** Nihil ergò amittitur per exilium confessorum, sed gradus ad ampliores dignitates, opes, ac honores paratur. ***Clauduntur oculi in persecutionibus terræ***, ait ***Cyprian. in exhortat. ad martyr. sed patet cœlum: minatur Antichristus, sed Dominus CHRISTUS tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur, vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur.***

Quæ omnia probè considerata, non tristitiam pariunt, sed gaudium propter Christum exilium aut persecutiones alias patientibus, juxta illud Apostoli: *Petr.: communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes 1. Pet. 4. v. 16.*

## CASUS V.

### *Quomodo occurrendum tristitiæ ex dilatione auxilii divini ortæ?*

RESp. Sciunt pii, ærumnas suas esse à Deo, qui solus dare potest ἔκβασιν, ut portare possimus: quod sanè magnum est solatium.

Sed hoc evertere penitus conatur Satan, cùm auxilium divinum differtur, ubi persuadere vult afflictis, Deum denegasse prorsus auxilium, nec curare res nostras, neque nos auxilio ejus dignos esse.

Hinc sunt illæ querelæ *Davidis*: ***usquequò Domine obliviscèris me in fine, usquequò avertis faciem tuam à me? Psalm. 13. v. 1. & Psal. 119, 82. consumuntur oculi mei desiderio sermonis tui, dicendo, quando consolaberis me?***

*Tres consolationes hic notādæ. 1. à certo limitum positione.*

Sed ne frustra nos hic inanibus curis maceremus, tria huic tentationi opponenda sunt: (1.) quòd DEUS rebus omnibus certum præfixit



Digitized by Google

fixit terminum, *omnia enim tempus habent, est tempus flendi, & est tempus ridendi Eccles. 3, 4.* sic dubitare non debemus, quin uniuscujusque miseriis certos posuerit limites, certamq; præfixerit horam, ultra quam se extendere non possunt, & quâ adveniente auxilium ultrà non differtur. Ita enim captivitati *Babylonicæ* præfixit 70. annos *Jer. 25, 11.* quibus expletis, eadem nocte *Belsazer* rex interficiebatur *Dan. 5, 30.* quæ res liberationi ex captivitate primam occasionem dedit. Servituti *Ægyptiacæ* præfixit 430. annos *Gen. 15, 13.* quibus expletis liberatorem ipsis misit *Mosen Exod. 3.* Expectandum igitur justum tempus est, & dum differtur, piè cogitandum, horam Christi nondum venisse: veniet autem suo tempore, & suavitate auxilii moram temporis compensabit. Quo pacto Deus ipse solatur populum suum *Habac. 2, 3: si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

*2. à justarũ causarum multitudine.* (2.) Quòd Deus dilationis suæ certas justasque habet causas, & quidem omnes in salutem nostram directas. Primùm enim vult, nos miserias nostras agnoscere, & gravitatem earum expendere, ut, cum ab ipso solo auxilium nostrum pendere animadvertimus, gloria ejus fiat manifestior, quemadmodum in nuptiis *Cananæis*, cùm mater auxilium ejus expeteret, horam suam nondum venisse dixit, quia defectus vini nondum omnibus nuptialibus innotuit. *Joh. 2.*

Deinde vult nos morâ auxilii ardentiores in precibus reddere. Oratio enim justi gratum est Deo sacrificium, quod ut frequentius ei offeratur, multiplicat ærumnas, auxiliumque differt: idcircò *orare* nos jubet, & *non deficere Luc. 18, 1.*

Tertiò vult in nobis crucifigere mundum, & desiderium vitæ æternæ excitare, quod per continuatam crucem facilius impetrare potest, quàm si subitò votis nostris satisfaceret.

Præterea vult etiam patientiam fidemq; nostram aliis reddere manifestam, quemadmodum de diuturnâ *Tobiæ* afflictione dicitur: *hanc tentationem ideò permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Iob. Tob. 2, 12.*

Denique dilatione auxilii Deus majores avertit calamitates, in quas ex securitate carnis facilè incidere possent, qui auxilium Dei semper & ad nutum suum experiuntur. Proinde patienter ferenda est dilatio auxilii divini. Deus enim non patitur sibi vel tempus vel modum præscribi, quod illustri exemplo in historia *Iudithæ* comprobatur *Iudith. 8, 10 seqq. patientiâ hic opus est, ut facientes voluntatem Domini, reportemus promissionem Heb. 10, 36.*

(3.) Succurrant exempla sanctorum, quos Deus non levi & momentaneâ aliquâ cruce afflixit, sed diuturnis molestiis exercuit. Annon *Abraham* usque ad 70. ætatis annum caruit liberis, & tamen firmiter *3. ab exemplis sanctorum.*

ter innitebatur promissioni DEI, *multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli Genes.* 12. *Iacob* Patriarcha à primâ pueritiâ ad senectam usque varias perpessus est calamitates. *Israelitæ* 400. annos in *Ægypto*, & 70. in *Babylone*, tanquam in fornace ferreâ excocti sunt, & tamen tandem secuta est liberatio. Miser ille ad piscinam *Bethesda* totos 38. annos ægrotavit *Ioh.* 5. mulier quædam totos 12. annos fuit hæmorrhoïsa *Marc.* 9. alia totos 18. annos à spiritu infirmitatis pressa *Luc.* 13. omnibus tamen Christus tandem sanitatem restituit.

Et quotidiana exstant exempla, quomodo DEUS sanctos suos mirabiliter ducat, diuque pressos tandem iterum erigat: multos in senectute evehit ad honores & opes, alios post annos benè multos ex hostium manibus eripit, & gloriâ ac honore coronat.

In hæc exempla tanquam in speculum intueamur, nec *nos meliores existimemus patribus nostris, scientes, eandem passionem ei, qua in mundo est, fraternitati nostræ evenire* 1. *Pet.* 5. *vers.* 9.

## CASUS VI.

### *Quid si verò usque ad extremum vitæ halitum nulla spes liberationis apparet?*

R Esp. Propterea ad mortem usque tristitiæ indulgendum non esset: nihilo enim melior fieret hac ratione conditio nostra. Sed & hic ferendum est, quod mutari non potest.

Animum autem tristem hisce meditationibus erigere possumus, (1) quod ordinaria via sit ad vitam æternam crux & afflictio: *per multas enim tribulationes ingredi nos oportet in regnum cœlorum Actor.* 14. Ita disposuit Deus, qui quos præscivit, etiam prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui *Rom.* 8. *vers.* 29. Ex cruce igitur colligimus, nos rectæ viæ, quæ ad vitam ducit, insistere, modò aliàs conformes simus iis, *qui per fidem & patientiam hæreditabunt salutem Heb.* 6. *Consolatio 1. quia afflictio est via ad salutem.*

(2.) Cogitemus, quàm brevis sit vita nostra: ergò & brevis omnis afflictio: *nam 70. & ad summum 80. annorum est*, inquit Moses *Psal.* 90. *v.* 10. Si ergò continuis semper afflictionibus molestaretur, vix 80. annorum esset molestia, quod tempus in rationibus Dei vix instar momenti est, unde & omnis piorum afflictio levis & momentanea appellatur 2. *Cor.* 4, 17. *2. Quia brevis est vita humana.*

(3.) Solemur nos qualicunque recreatione, quâ DEUS concatenatas etiam ærumnas quasi intercalare solet. Nemo enim tribulationibus hujus seculi tam profundè immersus est, qui non aliquod aliquando senserit refrigerium, sed quemadmodum viatores continuis itineribus defatigantur qui- *3. Quia Deus miscet tristia lætis. Post nubila Phœbus.*

Rrr 2 dem,

dem, attamen vel suavi aurâ, vel jucundo aliquo adspectu, aut colloquio, vel alio quodammodo in itinere recreantur: ita diu tormentis hujus seculi excruciati, aliquam interdum etiam respirationem sentiunt. *Non enim perpetuò dabit Deus afflictionem justo Ps. 55. v. 23.*

*4. quia spē habemus vitæ æternæ.* (4.) Spes vitæ æternæ omnem tollit amaritudinem in adversis. Ea enim spes certa est, aliàs si in hac tantùm vitâ speramus in Christum, miserabiliores sumus omnibus hominibus 1. *Corinth.* 15, 19. Vita verò futura dulcedine suâ omnem hujus vitæ acerbitatem vincit: æternitas illius vitæ diuturnitatem temporalium molestiarum relevat. Nam id, *quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur,* 2. *Corinth.* 4. *v.* 17. *neque pares sunt afflictiones hujus seculi gloriæ retegendæ Rom.* 8. *v.* 15. Tunc implebitur plenè, quòd Salvator dixit *Matth.* 5. *v.* 4. *beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem recipient : & Luc. 6. v. 21: beati, qui nunc fletis, quia ridebitis, &c.* Ex spe hujus beatitudinis jubet Apostolus *Petrus* exultare eos, *qui nunc modicum contristantur,* 1. *Petr.* 1. *v.* 6.

*5 quia Deū habemus etiam in mediis afflictionibus propitium.* (5.) Deniqúe meminerimus, nos in continuis etiam passionibus hujus seculi retinere propitium DEUM, qui, quos diligit, castigat, & nunquam ardentiùs amat, quàm cum ipsos penitus deseruisse videtur, modò ipsi se exhibeant semper ut filios, fidem & bonam conscientiam servantes. *Certi enim sumus, quòd neque mors, neque vita, neq; angelus, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitas, neque profundum, neque ullà creatura separare nos possit à caritate Dei, quæ est in Christo Domino nostro, Rom.* 8. *v.* 18.

Quæ cum ita sint, dum adhuc spiritus in nobis est, liberationem nostram speremus: nihil enim est, quod contristare possit eos, qui certam subsecuturi gaudii spem habent in cœlis, qui patrem clementissimum in terris, in cujus sinu sunt etiam, cùm in mundo habentur pro abjectissimis. *Sunt quasi morientes, sed tamen vivunt; castigantur, at non mortificantur, sunt quasi tristes, semper autem gaudent, sunt sicut egentes, multos autem locupletantes, sunt tanquam nihil habentes, & tamen omnia possidentes* 2. *Cor.* 6. *v.* 9. Vita ipsorum est abscondita cum Christo in Deo, *cùm autem CHRISTUS apparuerit vita nostra, tunc & ipsi apparebunt cum ipso in gloriâ Col.* 3. *v.* 4.

## CASUS VII.

### *Quomodo resistendum est melancholicis cogitationibus, quæ ex consideratione mortalitatis nostræ obveniunt?*

Resp.

RESp. Multi ſunt, qui ne quidem audire poſſunt mortem, adeò timent & exhorreſcunt ad nomen ejus, cùm præſertim prodromos ejus animadvertunt, ut triſtitiam ex animo ſuo pellere non poſſint.

*Tria hic inculcanda.* His, ut rectè conſulatur, tria ipſis ſtudioſè inculcanda ſunt. 1. *mortem ne nimiùm timeant*, 2. *ad mortem ut rectè ſe præparent*. 3. *cum ipsâ morte debito more modoque confligere diſcant.*

*1. ne nimiū mortem timeant.* Primum quod attinet, naturale quidem eſt timere mortem, quam & *Philoſophus* horribiliſſimum malum nominavit: ſed Chriſtianum eſt, timorem illum ita moderari, ut ſi Dominus voluerit, mortem ipſam læto animo excipere valeamus.

Hâc ratione metus ille mortis fit ſalutaris, qualis eſt in filiis DEI, qui etiam in morte patrem habent propitium in cœlis, & metu mortis utuntur ad frenandas concupiſcentias carnis, & vitandam ſecuritatem.

Ut autem hunc timorem mortis rectè moderemur, facit partim *Neceſſitas mortis.* mortis *neceſſitas*, partim ejuſdem *utilitas*. *Neceſſitas* mortis pendet à decreto Dei, qui, ut hominem in officio contineret, ante lapſum adhuc dixit: *quacunque die ederis de arbore ſcientiæ boni & mali, morte morieris, Geneſ.* 2. *v.* 17. poſt lapſum igitur ſecuta eſt comminationis hujus executio: mortuus enim eſt *Adam*, & omnes ab ipſo progeniti, ita ut mors appelletur *via univerſæ carnis*, 1. *Reg.* 2. *verſ.* 2. *& ſtatutum eſt homini mori ſemel, Heb.* 9 *v.* 27. quod ſtatutum *Siracides teſtamentum hujus mundi* nominat, *Sir.* 14. *v.* 12. Statutum hoc eſt immutabile: quid ergò timeas id, quod nullo modo à te avertere potes? forti potiùs animo excipias, quod mutari nequit: unde *Siracides* hortatur *cap.* 41. *v.* 5. *noli metuere judicium mortis: memento, quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperventura ſunt tibi: hoc judicium à domino, omni carni: & quid detrectas obſequi beneplacito altiſſimi, ſive decem, ſive centum, ſive mille annis vixeris?*

Utilitas mortis potiſſimùm triplex eſt: (1.) in morte ceſſat peccatum, quod pios, antequam perpetretur, tentat, perpetratum angit, quamdiu in hâc mortalitate vivunt. *Mortis utilitas.* *Qui autem mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato, Rom.* 9. *v.* 13.

(2.) In morte ceſſat omnis miſeria, quâ vita noſtra undiquaque eſt circumdata. Nam *ſi annis multis vixerit homo, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguent præterita*, ait *Salomon Eccleſ.* 11. *verſ.* 7. mors autem omnium malorum finis eſt, quem non tam timent, quàm exoptant, qui calamitoſæ hujus vitæ ſunt pertæſi: unde *Siracides cap.* 41. *v.* 4. *ô mors, bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minuitur viribus, defectâ ætate, & cui de omnibus cura eſt &c.*

(3.) Mors eſt janua vitæ, & initium perfecti gaudii, quod *Chriſtus* ſuis promiſit *Iohann.* 16. nihil perdi-



Digitized by Google

mus in morte, dum vitam lucramur: ideò *Paulus* mortem vocavit *lucrum Phil.* 1. & Christus sanctè attestatur, credentes non *venire in judicium, sed per mortem transire ad vitam, Iohan.* 5. Quæ omnia desiderium mortis in piis excitant, timorem nimium pellunt.

*II ad mortem quomodo quis rectè se præparare debeat?*

Deinde, ne mors faciat melancholicos, necessaria est quotidiana ad mortem præparatio. Ea enim pias & jucundas instillat cogitationes, quæ tristitiæ locum non relinquunt.

Præparatio illa necessaria est, duabus de causis: 1. quia *Christus* ipse vigilare nos jubet, *cùm ignoremus, qua hora venturus sit, Math.* 24. *vers.* 44. 2. quia adventū Christi ultimū, nostramq; mortem excipiet judicium, in quo *reddenda erit nobis ratio, omnium dictorum factorumque nostrorum, Heb.* 9, 27. 2. *Cor.* 5. *v.* 10.

*Præparatio ad mortem debet esse quotidiana.*

Præparatio autem illa, non debet esse momentanea, nec ad horam usque mortis differatur, sed quotidiana sit.

Quemadmodum enim ad bellum nos præparamus tempore pacis: ita recta fit præparatio ad prælium cum hoc ultimo hoste, dum adhuc nobis procul ab horâ mortis esse videmur: idque duabus de causis, 1. quia mors quidem certa est, hora verò mortis incerta, & quidem quatuor modis incerta, 1. *ratione temporis*, quia nemo scit, quando sibi moriendum sit: mors multos subitò & ex inopinato abripit. *Nescit homo finem suum*, inquit, *Salomon Eccles.* 9. *v.* 12. *sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit.* 2. incerta est mors *ratione ætatis*: ecquis enim scit numerum dierum suorum? *nemo sibi crastinum, ne dum senectutem decrepitam* polliceri potest. *Tres sunt nuncii mortis*, inquit *Hugo de claustro animæ lib.* 2. *casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas gravia, senectus certa denunciat. Casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem. Ex hac incertitudine mortis timor, ex gravitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio; sed humilitas & afflictio sequi debet.* 3. incerta est hora mortis *ratione loci*: nemo enim novit, ubi sit moriturus, in lectulonè an in agro; in itinere, an domi: ubique enim mors nos insequitur, & ad imperium Dei, etiam in amœnissimis hortulis homines supplantat, *Abelem* in agro *Gen.* 4. *v.* 8. *Samuelem* in prælio 1. *Samuel.* 31. *v.* 6. *Asaelem* in campo 2. *Samuel.* 2. *vers.* 23. *Abnerem* in conplexu *Ioabi* 2. *Sam.* 3. *vers.* 27. *Absolonem* in quercu 2. *Sam.* 18. *v.* 14. *Eutychum* in templo *Act.* 20. *v.* 9 è medio sustulit. Quod autem uni accidit, omnibus accidere potest: ergò vigilate. 4. incertum etiam est *genus mortis*: ecquis enim exactè scit, an naturali morte, an verò violentâ hinc sit discessurus? Ita igitur vivendum, ac si subitò nobis moriendum esset.

*Hora mortis quatuor modis incerta.*

Vita

Digitized by Google

Vita nostra est militia: miles in acie paratus ad mortem pugnat: & nos parati ad mortem vivamus.

2. Ideò etiam quotidiana debet esse nostra ad mortem præparatio, quia resipiscentia, (sine quâ mors beata esse nequit) non est in nostrâ manu: non potest homo pœnitentiā agere, quādo ipse vult, sed cū DEUS ei gratiam largitur: *non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis, Rom. 9, 16.* Frustra ergò est, differre pœnitentiam in horam mortis, cū nescias, an mors tibi tēpus pœnitentiæ relictura sit. Solet enim Deus plerumque cōtemtores gratiæ suæ ita punire, ut, qui dum valuere, resipiscere noluerunt, postea dum ægrotant, non possint. Tunc enim occupātur curis terrenis, angūtur doloribus morbi, impediuntur compellationibus amicorū, ut pœnitentiæ omnis obliviscantur. Aut si pœnitētiam agunt, coacta ea est, quam metus mortis & pœnarum magis extorquet, quàm odium peccati operatur. Summa: *licet pœnitentia vera nunquam sera sit, pœnitentia tamen sera, rarò vera est:* Ideò maturè de eâ est cogitandum, cùm adhuc peccare possumus, ne peccatum nos magis, quàm nos peccatum dereliquisse videamur.

*Recta præparatio ad mortem fit 1. crebra mortis meditatione.*

Fit autem recta præparatio ad mortem, 1. *crebrâ meditatione mortis*, dùm adhuc valemus. Moriendum nobis esse scimus omnes, sed rarò mortem meditamur, ideò sancti hanc gratiam precantur à Deo. Ita *David* orat; *notū fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum quis sit, ut sciā, quid desit mihi, Psal. 39. vers. 5. & Moses: numerare dies nostros doce nos, ut inducamus animam sapientem Ps. 90. v. 12.* In hunc finem sancti sepulcra & monumenta sibi, suisque maturè parari curarunt, quia mortales se esse recordati sunt: & gentiles sapientiores se quotidiè mortalitatis suæ admoneri curarunt.

Talem meditationem mortis instituit *Seneca*, cum epist. 24. scribit: *quotidiè morimur, quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiā, usque ad hesternum, quidquid transit temporis, perit; hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus.*

Magnum habet hæc res usum in communi vitâ, tollit securitatem: *nihil enim æquè tibi proficiet ad temperātiam omnium rerum quàm frequens cogitatio brevis ævi & hujus incerti*, inquit *Seneca epist. 25.* parit veram animi humilitatem, quemadmodum *Abraham* recordatus, quòd *pulvis & cinis* sit, se coram Deo prorsus abjicit, ut etiam colloquio ejus se indignum judicet, *Genes. 18. versic. 27.* maturat nostram pœnitentiam: nam qui sibi non multum ad mortem restare novit, citiùs ad veram pœnitentiam festinat: facis hominis animum paucis contentum, quid enim prodest facultatum copia ei, qui se quotidiè cogitat moriturum? Magnum

gnum ergò beneficium est crebra mortis cogitatio, in quâ quisq; beatam mortem exoptans diligenter se exercere debet, quò pertinent versiculi *Iacobi Billij in antilogiâ sacrâ.*

*An cupis adversus scelerũ fœdissima quaque*
*vulnera, perfacilem dem tibi promtus opem?*
*Cùm te turpe aliquid tentat, fac illicò mentis*
*Se se mors oculis offerat atra tuæ.*
*Quisquis enim horrendum Christi cum morte tribunal*
*cogitat, hic omnis criminis hostis erit.*
*Flante velut valido nubes Aquilone fugantur:*
*Sic meditata scelus mors procul omne fugat.*

*2. quotidiana vitæ nostræ examinatione.*

2. Fit præparatio ad mortem *quotidiano vitæ nostræ examine*, quod facit, ut errata corrigamus, benè facta continuemus, à malis verò posteà abstineamus, ut si mors repentè nos adobruat, puros à sceleribus inveniat, & in conscientia quietos.

*Pythagoras* discipulis suis suasit, ut quotidiè diligenter examinent, cujuslibet acta diei. Tale examen discipulos Christi magis decet, ut fidem & conscientiam bonam semper retineant, quâ, qui mortem superare volunt, opus habent: ideò *Christus* nos vigilare jubet, *cùm ignoremus, quâ horâ venturus sit Dominus, Matt. 24. & Paulus* jubet *bonam militare militiam, fidem retinere & bonam conscientiam*, 1. *Tim.* 1, 18.

*3. Cõtinua miseria nostræ recordatione.*

3. Fit præparatio *continua recordatione quotidianæ nostræ miseriæ, jugum enim grave est super omnes filios Adam, à die exitus de utero matris, usque in diem sepulturæ Sir.* 40, 1. unde rectè dicitur, *diu vivere nihil aliud est, quam diu torqueri.*

Qui hæc seriò considerat, non timebit mortem, sed exoptabit, tanquam felicẽ clausulam miseriarum omnium. In quam sententiam *Bernhardus* scribit: *in omnibus operibus tuis memorare mortis tuæ horrorẽ, judicij tremendi discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis tui cordis elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriã, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, & cogita vitæ humanæ pericula. Cogita fragilitatem propriam, & in hujusmodi cogitatione si perseveraveris, dico tibi, parũ senties, quicquid foris videtur molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuperis.*

*4. Assidua moriendi inchoatione.*

4. *Quotidiè moriendo*, ad exemplum *Pauli* dicentis 1. *Cor.* 15. *vers.* 31. *quotidiè morior per gloriationem quã habeo in Christo Iesu Domino nostro:* quod fit 1. cum leviora mala, ut morbos, pauperiem, calamitates, amissionem opum & honorum contemnimus: qui enim hoc facit, is sibi indies moriendum esse recordatur. 2. cùm in omnibus vitæ nostræ actionibus mortem, tanquam perpetuam nostram pedissequam, ante oculos nobis ponimus. Verè n. cum *Davide* nobis

nobis omnibus dicendum est, *uno tantùm gradu, ego morsque dividimur* 1. *Sam.* 20, 3. usque adeò tam multis undiquaque periculis circumvallati sumus, & ut ecclesia canit, *mediâ vitâ in morte sumus.*

*5. rerum terrenarum oblivione.*

5. Fit præparatio ad mortem, *oblivione rerum terrenarum*, & desiderio cœlestium. Quemadmodum enim Christus post resurrectionem à morte, cùm per 40. dies se vivum ostendisset, mundum reliquit, & in cœlum ascendit: ita pii cùm à peccatis resurrexerunt, & fidem suam vivam per bona opera aliis ostenderunt, sursum se attollere, & desideriis piis ad cœlestia ascendere debent. Hæc est spiritualis nostra ascensio, quæ commendatur *Col.* 3, 1. *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est, in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Fecit hoc ipse *Apostolus*, qui, *quæ retrò sunt, se oblivisci scribit, & ad priora se extendere Phil.* 3, 12. Hujusmodi ascensio cum desiderio beatæ mortis semper est conjuncta: per mortem enim terrena relinquimus, & ad cœlestia pervenimus.

*6. vitæ æternæ degustatione.*

6. Præparamur ad mortem *perceptione veri gaudii*, & gustu æternæ beatitudinis: talem enim in hac vita nobis contingere testatur autor epistolæ ad *Hebræos c.* 6, 5. & quibus contingit, hi certè libenter moriuntur, ut ad plenam gaudiorum illorum possessionem perveniant.

Gustamus autem virtutes venturi seculi, cùm bona per Christum nobis parta expendimus: per ipsum n. filii Dei, & hæredes vitæ æternæ facti sumus *Rom.* 8, 17 quod beneficiũ jam tum in hoc seculo incipit: *nunc filii Dei sumus*, inquit *Ioh.* 1. *c.* 3, 2. & jam hæc ditatem nostram possedimus in Christo, qui nos præcessit in domum patris, *ibi nobis paraturus locum Ioh.* 14, 2. *ut ubi ipse est, ibi & nos simus*, quomodo promisit *Ioh.* 12, 26. quod beneficium nobis etiam precibus à patre cœlesti impetravit, *Iohan.* 17, 24 *Volo, pater, ut, ubi ego sum, etiam hi sint, quos dedisti mihi, ut videant gloriam, quam dedisti mihi.* Unde *Paulus* scribit, *Deum nos conresuscitasse & consedere fecisse in cœlestibus in Christo Eph.* 2, 6.

Qui talia serio expendit, huic cœlum jam est apertum, accumbit mensæ Domini, & lætitiâ cœlestis beatitudinis perfunditur, præ quâ mortem contemnit, omnesque ejus cruciatus cum miseriis omnibus pro nihilo habet. Scit enim, *quod passiones hujus seculi non sint condigna ad futuram gloriam Rom.* 8, 18. Et hæc de præparatione ad mortem.

*III Quomodo cũ morte nobis confligendum sit?*

Denique, ne mortis terror animos faciat melancholicos, maturè discendum est, quomodo cum hoc hoste confligere debeamus. Arma autem hujus militiæ non sunt carnalia, sed spiritualia, quibus vel spicula mortis excipimus, & à nobis propulsamus, vel nostra ei infligimus.

*Arma quibus spicula mortis excipere possumus.*

Primi generis arma sunt solatia adversus cruciatus mortis & morborum, adversus separationem dulcissimorum amicorum, corporis & animæ, parentum & liberorum, conjugum & similium, qui in vita nobis

*1 Dei providentia.*

cari erant. His cogitationibus opponamus instar scuti, 1. providentiam Dei, quæ omnia disponit in mundo, quæ terminum vitæ nostræ posuit, sine quo nihil, quod nos cruciat, accidere nobis potest, *omnes enim capilli nostri numerati sunt, Matth.* 10. quo pacto *David* omnia sua adversa patienter tulit: *obmutesco*, inquit, *non aperio os meum, quia tu fecisti, Psal.* 39,10.

*2. Dei auxilium.*

(2.) Auxilium Dei, qui *lacrymas nostras videt, numerat, & in utrem colligit*, ut *David* loquitur *Psalm.* 16,18. qui colores mitigat, contritiones sanat, ut tàm acerbæ nobis non sint, ac aliis apparent: quod martyrum exempla testantur, qui acerbissimos cruciatus forti sustinuerunt animo, & ovantes ad tormenta iverunt, quia consolator Spiritus sanctus mitigavit cruciatus ipsorum, suæque virtutis aurâ ex alto corda patientium recreavit.

*3 Spes restitutionis omnium.*

(3.) Spem restitutionis omnium: corpora restituentur animabus suis, liberi parentibus, in die illo, *quo mortui audient vocem filij Dei, & qui audient eam, vivent. Iohan.* 5,25 *præmisimus* enim nostros, non *amisimus*, quos eo ordine, quo summus Imperator voluerit, suo tempore sequemur. Quemadmodum ergò *Ioseph* ad fratres suos in *Ægypto*, ita moribundi ad amicos suos dicere possunt: *ne dolore vos crucietis, nam misit me Deus ante vos, Gen* 45,5. Et quemadmodum Christus viduæ *Naimiticæ* filium defunctum restituit, & propterea flere prohibuit, *Luc.* 7. ita restitutio eorum, quæ in morte amittimus, dolorem mitigare potest.

*4. mortis nostræ conditio.*

(4.) Mortis nostræ conditionem. *Stimulus* equidem *mortis peccatũ est*, 1. *Cor.* 15,56. *& mors stipendium peccati* appellatur *Rom.* 6,23. quæ res facit mortem in se formidabilem: sed cogitemus, quomodo mors piorum per mortem Christi qualificata sit, & in amabilem somnum transformata, adeò, ut Deus animos piè morientiũ paternis ulnis acceptet, corpora autem in dormitoriis suis, usque ad diem restitutionis omnium recondat, & meliori seculo conservet. *Pretiosa enim est in conspectu Dei mors sanctorum ejus Ps.* 116,15.

Hoc ferè clypeo spicula mortis excipiuntur, cùm nos doloribus & cruciatibus morborum, amissione carissimorum, stipendio peccati judicio extremo, quod mortem certò insequitur, & aliis his similib⁹ terret.

*Arma, quibus mortem jugulare possumus. 1 efficacia mortis.*

Nostra verò lancea, quâ mortem jugulamus & conficimus, ut nocere nobis nihil possit, est (1.) efficacia mortis & passionis Christi, qua mortem destruxit, vitam autem & immortalitatem reduxit: *per ipsum enim absorpta est mors in victoriam, ubi est mors, victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? stimulus quidem mortis peccatum est, virtus verò peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriã per Dominum nostrum Iesum Christum*, 1. *Cor.* 15,55,56.

*2. fides.*

(2) Fides, quæ mortem Christi apprehendit, & omne ejus meritum homini applicat: *fides est victoria, quæ vincit mundum* 1. *Ioh.* 5,4. eadem etiã vincere

Digitized by Google

vincere poteſt mortem: hinc *beati dicuntur, qui in Domino moriuntur Apoc.*14.13 *quia nihil ampliùs dãnationis eſt in eis Rom.*8,1. juſtificati jam ſunt à peccatis, & ſic fractus eſt ſtimulus mortis in eis: quid ergò ipſis mors noceat?

*3. Verbum promiſſionis.* (3.) Verbum promiſſionis, quòd *qui verbum Chriſti ſervaverint, non morientur in æternum Joh.* 8,51. Hic eſt gladius ille ſpiritus, quo non tantùm ignita ſpicula diaboli, ſed & angores mortis extinguuntur.

*4. Vita æterna.* (4.) Vita æterna, ad quam per mortem beatam ducimur. Incipit ea hâc in vitâ apud eos, qui tranquilla fruuntur conſcientiâ, quam *Salomon juge vocat convivium Prov.* 15,15. continuatur in morte beatâ, ubi peccata omnia ſepeliuntur, unà cum miſeris omnibus: anima quieſcit in manu Dei, & ſolatium juge percipit in ſinu *Abrahæ*; corpus verò requieſcit à laboribus, & ad perfruitionem æternorum gaudiorum in dormitorio ſuo præparatur: tandem enim perficietur poſt conſummationem ſeculi, quando anima & corpus iterum conjuncta æternâ felicitate perfruentur. Ut ergò rectè opponitur æternum temporali: ita in hac lucta mortis, æterna vita temporali morti opponitur, ita, ut & pii in morte jam triumphare poſſint, dicentes cum *Davide*: *benedictus ſit Deus quotidiè, apud quem ſunt exitus mortis Pſal.*86.*v.*71. & iterum: *non moriar ſed vivam, & opera Domini enarrabo Pſal.*118.*v.*17.

*5. Sacrificium corporis noſtri.* (5.) Sacrificium corporis noſtri quod Deo per mortem offerimus: ideò *Paulus* inſtante jam mortis termino, ſe *delibari* ſcribit 2. *Tim.*4.*v* 6. ſacrificium autem noſtrum debet eſſe voluntarium: ideò cùm hora mortis venerit, non inviti & gementes, ſed cum promtitudine Spiritus ſequamur Dominum noſtrum, reſignantes in manus ejus voluntatẽ noſtram, & dicentes cum Chriſto: *non mea ſed tua voluntas fiat, Luc.*22.*verſ.* 24. Nam *ſive vivimus, ſive morimur, non noſtri, ſed Domini ſumus Roman.* 14.*v.*8. hac promtitudine ad mortem vincimus mortem, dolores ejus minus ſentimus, & cum gaudio hinc diſcedimus.

Et hæc ſunt tria illa capita, quæ ad artem benè moriendi pertinent, & quæ à morte infliguntur, melancholiam facilè pellunt, nimirum, mortem nimiùm non timere, ad mortem rectè ſe præparare, & cum ipſa morte, debito more modóque confligere.

## CASUS IIX.

### *Fieri poteſt, ut quis ſuggeſtiones pravas maligni ſpiritus ad mollitiem, & alia peccata ſentiat: quibus, licet non conſentiat, triſtatur tamen ſe pollutum eſſe, quomodo verò huic triſtitiæ occurrendum?*

R. Veriſſimum eſt, quod D. Paulus ſcribit *Gal.*5,17. *caro concupiſcit* adver- *Caro & Spiritus ſibi*

*contrariantur.*

*adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, hæc enim invicem adversantur.* Et experiuntur etiam pii, suggestiones Satanæ ad peccata, quibus tantum abest, ut delectentur, ut potius summoperè doleant, quòd iis supersedere, Deoque suo ex toto corde servire non possint, exclamantes cum Apostolo *Paulo*: *infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom.7.24.* Quantus hic sit angor animi, non intelligunt; nec credunt, qui captivi ducuntur in laqueis diaboli.

*Pontificiorũ opinio de concupiscẽtia, quòd nõ sit peccatum.*

Pontificii quoque pollutiones corporis, & alios inordinatos motus cordis parum curant. Docent enim *concupiscentiam carnis fuisse primo homini naturalem, tanquam defectum & morbum naturæ, ex conditione materiæ consequentem*, quæ sunt verba *Bellarmini lib de grat primi hominis cap.7.* Unde sequitur, cùm alienæ conjugis amore vel illicitis libidinibus ardent, aut stultâ opum honorum cupiditate flagrant; quòd hosce motus non putant damnabiles, sed homini naturales, ex conditione materiæ ortas: ideò securi sunt, eoque nomine parùm contristantur, sed qui Deum timent, & peccati originalis malitiam profundiùs expendunt, etiam eo nomine, morsus conscientiæ nimis serò & frequenter experiuntur.

*1. remedium ex nostræ corruptionis profundissimæ & intimæ agnitione.*

Ut huic malo occurratur, ne tristitia animum absorbeat, 1. agnoscenda est profunda naturæ corruptio, & indefessum tentationis infernalis studium, qui pios maximè circumit, leonis instar videns, quem devorare possit. Malum hoc deploremus, & periculum, in quo versamur, ante oculos semper ponamus; & cogitationes cordis nostri frenemus, quantum possumus, ne impurus ille spiritus, quacunque impietate eas polluat: quam ad rem imprimis opus est precibus assiduis; ne Deus nos ducat in tentationem, meditatione verbi, continuis laboribus vocationis nostræ, ne Satan hospitium cordis nostri vacuum inveniat.

*2. ex sanctorum omnium perpessione.*

2. Quòd si nihilominus nos præoccupet tentator, cogitemus nos non esse solos, qui talia patimur: sed & sancti hæc spicula Satanæ sentiunt, quod *Pauli* querela supra adducta testatur: unde & *pro remissione peccatorum quotidie orant omnes sancti Psal.32.v 6.*

*3. ex divinâ ad bonum tentatione.*

3. Recordemur Deum nos aliquandiu tentasse, promittendo Satanæ potestatem aliquam in nos, ut probaret cor nostrum, an sit rectum coram ipso, & ut in perpetuis exercitiis pietatis nos contineat, quià non tentati nihil sciunt, nec diabolum seriò fugiunt, neque preces satis ardentes fundunt, neque Deo totò corde serviunt. Sic de *Ezechia* piò rege, cùm legatis regis *Babylonii* thesauros suos ostendisset, scriptum est: *dereliquit eum Deus, ut tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus, 2. Paral.32.v.31.*

*4. à Dei successu & confortatione.*

(4.) Solatio nobis sit, quod à Deo non omninò deserimur, sed auxilium ejus ad resistendum Diabolo

bolo adhuc ſubinde experimur. *Non enim nobis lucta eſt duntaxat cum carne & ſanguine, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpirituales nequitias Eph. 6. v. 12.* quas ut ſuperemus, non ſufficiunt humanæ vires, ſed armaturâ Dei opus eſt, quam non denegat Deus ſanctis ſuis, quâ malignum illum fugant, & cor ſuum ab impuris cogitationibus liberant.

*5. à noſtra cum Deo per Chriſtum reconciliatione & ipſius juſtitiæ imputatione.*

(5.) Suggeſtiones iſtæ pravæ per ſe quidem morte dignæ ſunt, licet aſſenſus non accedat: *abominatio enim Domini ſunt cogitationes malæ Prov. 15. v. 26.* peccata tamen ſunt venialia, quia ſunt Sanctorum peccata, qui per Chriſtum cum DEO reconciliati ſunt, & Spiritus ſancti auxilio ſuggeſtionibus iſtis reſiſtunt, easque tandem extinguunt. Non ergò imputantur eis in judicio Dei, ſed tecta ſunt innocentiâ Chriſti, quia lucta illa cum carne, non fit ſine dolore, ob admiſſas illas ſuggeſtiones; qui dolor cum fide in Chriſtum conjunctus eſt, & ſic nihil condemnationis in tali pio homine eſſe poteſt.

Quæ omnia ſi expendantur, conſcientiam hominis, eo nomine tentati, tranquillam reddere poſſunt.

Quò gravius autem aliquis angitur; eò diligentiùs cogitationes ſuas compeſcat, animumque, ne in illis luxuriet, conſtringat, primiſque ſtatim motibus firmiter reſiſtat: *Magno ſtudio ſuperflua cogitationes amputandæ ſunt,* ſcribit *Gregorius lib. 3. moral. ſed tamen amputari funditùs nequaquam poſſunt, ſemper enim caro ſuperfluè generat, quæ ſemper ſpiritus ferro ſollicitudinis reſcindat.* Et iterum *lib. 12. electorum mentes, ſi quas in ſe carnales cogitationes inveniunt, pœnitentiæ ardore conſumunt: nec cogitationes ſuas dilatari carnali voluptate permittunt, quia eo ſemetipſos judicantes ſubtiliùs feriunt, quo diſtrictum judicem præſtolantur vicinum.*

Semper ergò ſit ante oculos noſtros exhortatio *D. Hieronymi in ep.* ad *Demetriadem* de *virginitate ſervandâ: quia iniiſti pactum* (inquit) *cum adverſario tuo dicens ei: renuncio tibi diabole, & omnibus pompis tuis, ſerva fœdus, quod pepigiſti, & eſto conſentiens, pactumq; cuſtodiens cum adverſario tuo, dum in via hujus ſeculi es, ne fortè tradat te judici, & te de ſuo aliquid uſurpaſſe convincat, tradarisq; miniſtro, qui ipſe eſt, & inimicus & vindex, Matth. 5. v. 15.*

## CASUS IX.

### *Quid verò faciendum, ſi quis non ſaltem ob cogitationes malas, ſed & ob grave aliquod, fortaſſe etiam ſæpiùs repetitum facinus animi angatur?*

RESP. Generale remedium, contra hanc tentationem eſt, *vera pœni-*

*pœnitentia*, quâ commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda ulterius committere nolumus, ut *Lombardus pœnitentiam* describit *lib. 4. sent. dist. 14 si enim impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, Ezech. 18. vers. 21, 22.*

Quanquam autem certissimum signum veræ pœnitentiæ est, non ampliùs peccare, si quis tamen redierit ad vomitum, non præclusa ei propterea est janua ad gratiam, *sed si millies peccasti, millies per pœnitentiam ingredere*, ut *Chrysostomus* olim dixit.

*Novatiani lapsis post baptismum omnem salutis spem denegarunt.*

Malè consuluerunt his olim *Novatiani* qui lapsis post baptismum nullam salutis spem residuam esse statuerunt, licet lacrymis, gemitu, & dolore cordis ecclesiæ fores pulsent: quibus se masculè opposuerunt *Ignatius*, *Cyprianus*, *Chrysostomus*, & alii.

*Luciferiani clericis & episcopis post gradum assumtum lapsis spem salutis præciderunt.*

Malè etiam consuluerunt *Luciferiani*, qui clericis saltem & episcopis post gradum assumtum lapsis, omnem salutis spem præcidebant, quibus se *Basilius* opposuit, scribens ad monachum, qui exciderat: *tempus adhuc est pœnitentiæ, tempus divinæ bonitatis: tempus curationis, tempus correctionis. Lapsus es? exsurge: peccasti? quiesce, &c.*

*Photiniani frigidâ suffundunt Novatianis.*

Malè consulunt hoc in genere conscientiis doctores *Photiniani*, qui existimant, si quis in peccata mortalia voluntaria, & contra conscientiam facta, prolabatur, & non statim simul ac ea commisit, de iisdem verè doleat & pœniteat, illum postea nullam ampliùs consequi posse remissionem peccatorum, si maximè cum lacrymis eam quærat ac desideret, eumque, qui sæpiùs in eadem peccata relabitur, non posse veniam consequi: ita enim scribit *Iohannes Sommerus in tractatibus anni 1583. p. 47. quanquam interdum veniam Deus offert sic peccantibus, tamē non semper facit, sed contemtum bonitatis suæ horribiliter ulciscitur, adeò, ut cum lacrymis quæsita pœnitentia nusquam reperiatur, Heb. 12. v. 47.* & iterum pag. 75. b. *remissionem peccatorum & annuntiationem gratiæ quotidianam esse, nusquam memini me legere, ideoq; postulo sententiæ hujus testimonium ex sacris literis, quòd Deus, etiamsi cras ad mortem velit peccare aliquis, tamen remissurus sit: nam pauca ejus exempla non constituunt regulam, quòd Deus semper id velit facere.* Hæc ille. Vide etiam *Smalcium in refut. thes. D. Franzij pag. 358.* ubi negat, peccata, quæ petulanter & datâ operâ, vel ex deliberatâ malitiâ committuntur, ullam habere remissionem.

*Horum omnium doctrina ad desperationē latam viam sternit.*

Doctrina hæc non tollit peccantium tristitiam, sed auget, & certissimam ad desperationem viam sternit. Etsi enim nec peccare jubemus quenquam, nec impœnitentibus vitam promittimus æternam; sed potiùs eos, qui voluntariè peccant, quatenus tales, à Deo non

Digitized by Google

non esse docemus, ideò à talibus peccatis dehortamur; concupiscentiis resistere jubemus, & cavere, si maximè peccato aliquo præoccupati fuerimus, ne ad eundem lapidem, post actam pœnitentiam denuò impingamus: falsum tamen est, quod voluntariè peccantes & sæpiùs redeuntes, non habeant amplius hostiam pro peccato, nec ad gratiam redire possint: quæ hæresis, quemadmodum desperationis plena est, ita sacris literis è diametro repugnat.

*Probatur lapsis etiam mortaliter in hac vita semper reditum ad regnum cœlorum patere, eosq́; misericordiam posse consequi.*

*1. quia Deus omnium peccatorum veniam promittit.*

Nam cùm CHRISTUS nos remissionem peccatorum petere jubet, non solùm de peccatis infirmitatis securos facit, sed absque discrimine omnium omnino peccatorum veniam promittit, idcircò eorum inprimis peccatorum mentionem facit, quæ sunt ἁμαρτίαι καὶ ὀφειλήματα *Luc.* 11. *v.* 4. debita spontè nostrâ contracta: quòd si Christus levium saltem delictorum remissionem promisisset: sequeretur eos, qui contra conscientiam peccant, idque iteratis vicibus, orationem dominicam orare non posse, etiamsi de delicto admisso seriò doleant: id quod nemo dixerit, qui sanæ mentis est.

*2. quia Deus vult omnes salvos fieri & ad pœnitentiam reverti.*

Huc pertinet vox illa Domini, *quâ se mortem morientis etiam nolle attestatur*, morientis nimirum in peccatis suis, *sed ut convertatur impius & vivat, Ezech.* 18. *v.* 33; 33. *v.* 11. cum quo consentit illud Apostoli *Petri: non vult DEUS ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, 2. *Petr.* 3. *v.* 9.

*3 quia plurima in sacru habemus hujus rei exempla.*

Quam suam enixam voluntatem Deus exemplis comprobavit in utroque testamento: *Manassem* idololatram & parricidam, *Davidem* adulterum & homicidam, *Petrum, latronem in cruce, mulierem prostituta vita,* & inveteratam meretricem, (quam aliqui *Mariam Magdalenam* fuisse putant) *Paulum* quoque ecclesiæ Christi acerrimum persecutorem, in gratiam recepit.

*4. quia clavium usus in ecclesia est universalis.*

Postulat hoc universalis clavium usus in ecclesia, de quo promissio extat *Matth.* 18. *v.* 18. *Ioh.* 20. *v.* 23. *quorumcunque remiseritis peccata in terris, soluta erunt in cœlis.* Nulla hic est peccatorum vel peccantium distinctio: sed solida hinc fluit pro quibusvis peccantibus, (sed verè pœnitentibus) consolatio.

Duo autem habent *Photiniani*, quæ hîc excipiunt, quibus conscientias infirmorum onerant absque causâ. *Primum* est, quod exempla quorundam peccatorum, quorum scriptura meminit, quòd veniam consecuti fuerint, non faciant regulam. *Alterum*, quòd non pro peccatis habitualibus, h.e., voluntariè & crebrò commissis, sed tantùm pro infirmitatibus & ignorantiis Christus hostiam obtulerit, sicut scriptum est *Heb.* 9. *v.* 7.

*Objectio Photinianorum.*

Sed hæc tanti momenti non sunt, ut homini verè pœnitenti, scrupulum facere possint.

Nam quod primum attinet meritò applicamus hic illud Apostoli: *quæcunque scripta sunt, in nostram doctrinam*

dem, attamen vel ſuavi aurâ, vel jucundo aliquo adſpectu, aut colloquio, vel alio quodammodo in itinere recreantur: ita diu tormentis hujus ſeculi excruciati, aliquam interdum etiam reſpirationem ſentiunt. *Non enim perpetuò dabit Deus afflictionem juſto Pſ. 55. v. 23.*

*4. quia ſpē habemus vita æterna.*

(4.) Spes vitæ æternæ omnem tollit amaritudinem in adverſis. Ea enim ſpes certa eſt, aliàs ſi in hac tantùm vitâ ſperamus in Chriſtum, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus 1. *Corinth.* 15, 19. Vita verò futura dulcedine ſuâ omnem hujus vitæ acerbitatem vincit: æternitas illius vitæ diuturnitatem temporalium moleſtiarum relevat. Nam id, *quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur,* 2. *Corinth.* 4. *v.* 17. *neque pares ſunt afflictiones hujus ſeculi gloriæ retegendæ Rom.* 8. *v.* 15. Tunc implebitur plenè, quòd Salvator dixit *Matth.* 5. *v.* 4. *beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem recipient*: & *Luc.* 6. *v.* 21: *beati, qui nunc fletis, quia ridebitis, &c.* Ex ſpe hujus beatitudinis jubet Apoſtolus *Petrus* exultare eos, *qui nunc modicum contriſtantur,* 1. *Petr.* 1. *v.* 6.

*5 quia Deū habemus etiam in mediis afflictionibus propitium.*

(5.) Denique meminerimus, nos in continuis etiam paſſionibus hujus ſeculi retinere propitium DEUM, qui, quos diligit, caſtigat, & nunquam ardentiùs amat, quàm cum ipſos penitus deſeruiſſe videtur, modò ipſi ſe exhibeant ſemper ut filios, fidem & bonam conſcientiam ſervantes. *Certi enim ſumus, quòd neque mors, neque vita, neq; angelus, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neque futura, neque ſublimitas, neque profundum, neque ullâ creatura ſeparare nos poſſit à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Domino noſtro, Rom.* 8. *v.* 18.

Quæ cum ita ſint, dum adhuc ſpiritus in nobis eſt, liberationem noſtram ſperemus: nihil enim eſt, quod contriſtare poſſit eos, qui certam ſubſecuturi gaudii ſpem habent in cœlis, qui patrem clementiſſimum in terris, in cujus ſinu ſunt etiam, cùm in mundo habentur pro abjectiſſimis. *Sunt quaſi morientes, ſed tamen vivunt; caſtigantur, at non mortificantur, ſunt quaſi triſtes, ſemper autem gaudent, ſunt ſicut egentes, multos autem locupletantes, ſunt tanquam nihil habentes, & tamen omnia poſſidentes* 2. *Cor.* 6. *v.* 9. Vita ipſorum eſt abſcondita cum Chriſto in Deo, *cùm autem CHRISTUS apparuerit vita noſtra, tunc & ipſi apparebunt cum ipſo in gloriâ Col.* 3. *v.* 4.

## CASUS VII.

### *Quomodo reſiſtendum eſt melancholicis cogitationibus, quæ ex conſideratione mortalitatis noſtræ obveniunt?*

Reſp.

Reſp. Multi ſunt, qui ne quidem audire poſſunt mortem, adeò timent & exhorreſcunt ad nomen ejus, cùm præſertim prodromos ejus animadvertunt, ut triſtitiam ex animo ſuo pellere non poſſint.

*Tria hic inculcanda.* His, ut rectè conſulatur, tria ipſis ſtudioſè inculcanda ſunt. 1. *mortem ne nimiùm timeant*, 2. *ad mortem ut rectè ſe præparent*. 3. *cum ipſâ morte debito more modoque confligere diſcant.*

*1. ne nimiũ mortem timeant.* Primum quod attinet, naturale quidem eſt timere mortem, quam & *Philoſophus* horribiliſſimum malum nominavit: ſed Chriſtianum eſt, timorem illum ita moderari, ut ſi Dominus voluerit, mortem ipſam læto animo excipere valeamus.

Hâc ratione metus ille mortis fit ſalutaris, qualis eſt in filiis DEI, qui etiam in morte patrem habent propitium in cœlis, & metu mortis utuntur ad frenandas concupiſcentias carnis, & vitandam ſecuritatem.

Ut autem hunc timorem mortis rectè moderemur, facit partim mortis *neceſſitas*, partim ejuſdem *utilitas*. *Neceſſitas mortis.* *Neceſſitas* mortis pendet à decreto Dei, qui, ut hominem in officio contineret, ante lapſum adhuc dixit: *quacunque die ederis de arbore ſcientiæ boni & mali, morte morieris, Geneſ.* 2. *v.*17. poſt lapſum igitur ſecuta eſt comminationis hujus executio: mortuus enim eſt *Adam*, & omnes ab ipſo progeniti, ita ut mors appelletur *via univerſæ carnis*, 1. *Reg.* 2. *verſ.* 2. & *ſtatutum eſt homini mori ſemel, Heb.* 9 *v.* 27. quod ſtatutum *Siracides teſtamentum hujus mundi* nominat, *Sir.* 14. *v.* 12. Statutum hoc eſt immutabile: quid ergò timeas id, quod nullo modo à te avertere potes? forti potiùs animo excipias, quod mutari nequit: unde *Siracides* hortatur *cap.* 41. *v.* 5. *noli metuere judicium mortis: memento, quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperventura ſunt tibi: hoc judicium à domino, omni carni: & quid detrectas obſequi beneplacito altiſſimi, ſive decem, ſive centum, ſive mille annis vixeris?*

*Mortis utilitas.* Utilitas mortis potiſſimùm triplex eſt: (1.) in morte ceſſat peccatum, quod pios, antequam perpetretur, tentat, perpetratum angit, quamdiu in hâc mortalitate vivunt. *Qui autem mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato, Rom.* 9. *v.* 13.

(2.) In morte ceſſat omnis miſeria, quâ vita noſtra undiquaque eſt circumdata. Nam *ſi annis multis vixerit homo, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguent præterita*, ait *Salomon Eccleſ.* 11. *verſ.* 7. mors autem omnium malorum finis eſt, quem non tam timent, quàm exoptant, qui calamitoſæ hujus vitæ ſunt pertæſi: unde *Siracides cap.* 41. *v.* 4. *ô mors, bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minuitur viribus, defectâ ætate, & cui de omnibus cura eſt &c.*

(3.) Mors eſt janua vitæ, & initium perfecti gaudii, quod *Chriſtus* ſuis promiſit *Iohann.* 16. nihil perdi-

mus in morte, dum vitam lucramur: ideò *Paulus* mortem vocavit *lucrum* *Phil.* 1. & Christus sanctè attestatur, credentes non *venire in judicium, sed per mortem transire ad vitam, Iohan.* 5. Quæ omnia desiderium mortis in piis excitant, timorem nimium pellunt.

*II ad mortem quomodo quis rectè se preparare debeat?*

Deinde, ne mors faciat melancholicos, necessaria est quotidiana ad mortem præparatio. Ea enim pias & jucundas instillat cogitationes, quæ tristitiæ locum non relinquunt.

Præparatio illa necessaria est, duabus de causis: 1. quia *Christus* ipse vigilare nos jubet, *cùm ignoremus, quâ hora venturus sit, Math.* 24. *vers.* 44. 2. quia adventū Christi ultimū, nostramq; mortem excipiet judicium, in quo *reddenda erit nobis ratio, omnium dictorum factorumque nostrorum, Heb.* 9, 27. 2. *Cor.* 5. *v.* 10.

*Præparatio ad mortem debet esse quotidiana.*

Præparatio autem illa, non debet esse momentanea, nec ad horam usque mortis differatur, sed quotidiana sit.

Quemadmodum enim ad bellum nos præparamus tempore pacis: ita recta fit præparatio ad prælium cum hoc ultimo hoste, dum adhuc nobis procul ab horâ mortis esse videmur: idque duabus de causis, 1. quia mors quidem certa est, hora verò mortis incerta, & quidem quatuor modis incerta, 1. *ratione temporis*, quia nemo scit, quando sibi moriendum sit: mors multos subitò & ex inopinato abripit. *Nescit homo finem suum*, inquit, *Salomon Eccles.* 9. *v.* 12. *sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit.* 2. incerta est mors *ratione ætatis*: ecquis enim scit numerum dierum suorum? *nemo sibi crastinum, ne dum senectutem decrepitam* polliceri potest. *Tres sunt nuncii mortis*, inquit *Hugo de claustro animæ lib.* 2. *casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas gravia, senectus certa denunciat. Casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem. Ex hac incertitudine mortis timor, ex gravitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio; sed humilitas & afflictio sequi debet.* 3. incerta est hora mortis *ratione loci*: nemo enim novit, ubi sit moriturus, in lectulonè an in agro; in itinere, an domi: ubique enim mors nos insequitur, & ad imperium Dei, etiam in amœnissimis hortulis homines supplantat, *Abelem* in agro *Gen.* 4. *v.* 8. *Samuelem* in prælio 1. *Samuel.* 31. *v.* 6. *Asaelem* in campo 2. *Samuel.* 2. *vers.* 23. *Abnerem* in conplexu *Ioabi* 2. *Sam.* 3. *vers.* 27. *Absolonem* in quercu 2. *Sam.* 18. *v.* 14. *Eutychum* in templo *Act.* 20. *v.* 9 è medio sustulit. Quod autem uni accidit, omnibus accidere potest: ergò vigilate. 4. incertum etiam est *genus mortis*: ecquis enim exactè scit, an naturali morte, an verò violentâ hinc sit discessurus? Ita igitur vivendum, ac si subitò nobis moriendum esset.

*Hora mortis quatuor modis incerta.*

Vita

Vita noſtra eſt militia: miles in acie paratus ad mortem pugnat: & nos parati ad mortem vivamus.

2. Ideò etiam quotidiana debet eſſe noſtra ad mortem præparatio, quia reſipiſcentia, (ſine quâ mors beata eſſe nequit) non eſt in noſtrâ manu: non poteſt homo pœnitentiã agere, quãdo ipſe vult, ſed cũ DEUS ei gratiam largitur: *non eſt volentis nec currentis, ſed Dei miſerentis, Rom. 9, 16.* Fruſtra ergò eſt, differre pœnitentiam in horam mortis, cũ neſcias, an mors tibi tẽpus pœnitentiæ relictura ſit. Solet enim Deus plerumque cõtemtores gratiæ ſuæ ita punire, ut, qui dum valuere, reſipiſcere noluerunt, poſtea dum ægrotant, non poſſint. Tunc enim occupãtur curis terrenis, angũtur doloribus morbi, impediuntur compellationibus amicorũ, ut pœnitentiæ omnis obliviſcantur. Aut ſi pœnitẽtiam agunt, coacta ea eſt, quam metus mortis & pœnarum magis extorquet, quàm odium peccati operatur. Summa: *licet pœnitentia vera nunquam ſera ſit, pœnitentia tamen ſera, raro vera eſt:* Ideò maturè de eâ eſt cogitandum, cùm adhuc peccare poſſumus, ne peccatum nos magis, quàm nos peccatum dereliquiſſe videamur.

***Recta præparatio ad mortem fit 1. crebra mortis meditatione.*** Fit autem recta præparatio ad mortem, 1. *crebrâ meditatione mortis*, dùm adhuc valemus. Moriendum nobis eſſe ſcimus omnes, ſed raro mortem meditamur, ideò ſancti hanc gratiam precantur à Deo. Ita *David* orat; *notũ fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum quis ſit, ut ſciã, quid deſit mihi, Pſal. 39. verſ. 5.* & *Moſes: numerare dies noſtros doce nos, ut inducamꝰ animam ſapientem Pſ. 90. v. 12.* In hunc finem ſancti ſepulcra & monumenta ſibi, ſuisque maturè parari curarunt, quia mortales ſe eſſe recordati ſunt: & gentiles ſapientiores ſe quotidiè mortalitatis ſuæ admoneri curarunt.

Talem meditationem mortis inſtituit *Seneca*, cum epiſt. 24. ſcribit: *quotidiè morimur, quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deindè adoleſcentiã, uſque ad heſternum, quidquid tranſit temporis, perit; hunc ipſum quem agimus diem, cum morte dividimus.*

Magnum habet hæc res uſum in communi vitâ, tollit ſecuritatem: *nihil enim æquè tibi proficiet ad temperãtiam omnium rerum quàm frequens cogitatio brevis ævi & hujus incerti*, inquit *Seneca epiſt. 25.* parit veram animi humilitatem, quemadmodum *Abraham* recordatus, quòd *pulvis & cinis* ſit, ſe coram Deo prorſus abjicit, ut etiam colloquio ejus ſe indignum judicet, *Geneſ. 18. verſic. 27.* maturat noſtram pœnitentiam: nam qui ſibi non multum ad mortem reſtare novit, citiùs ad veram pœnitentiam feſtinat: facit hominis animum paucis contentum, quid enim prodeſt facultatum copia ei, qui ſe quotidiè cogitat moriturum? Magnum

Digitized by Google

gnum ergò beneficium est crebra mortis cogitatio, in quâ quisq; beatam mortem exoptans diligenter se exercere debet, quò pertinent versiculi *Iacobi Billij in antilogia sacrâ.*

*An cupis adversus sceleris fœdissima quæque*
*vulnera, perfacilem dem tibi promtus opem?*
*Cùm te turpe aliquid tentat, fac illicò mentis*
*Se se mors oculis offerat atra tuæ.*
*Quisquis enim horrendum Christi cum morte tribunal*
*cogitat, hic omnis criminis hostis erit.*
*Flante velut valido nubes Aquilone fugantur:*
*Sic meditata scelus mors procul omne fugat.*

*2. quotidiana vitæ nostræ examinatione.* 2. Fit præparatio ad mortem *quotidiano vitæ nostræ examine*, quod facit, ut errata corrigamus, benè facta continuemus, à malis verò posteà abstineamus, ut si mors repentè nos adobruat, puros à sceleribus inveniat, & in conscientia quietos.

*Pythagoras* discipulis suis suasit, ut quotidiè diligenter examinent, cujuslibet acta diei. Tale examen discipulos Christi magis decet, ut fidem & conscientiam bonam semper retineant, quâ, qui mortem superare volunt, opus habent: ideò *Christus* nos vigilare jubet, *cum ignoremus, quâ horâ venturus sit Dominus, Matt.* 24. & *Paulus* jubet *bonam militare militiam, fidem retinere & bonam conscientiam*, 1. *Tim.* 1. 18.

3. Fit præparatio *continua recordatione quotidianæ nostræ miseriæ, jugum enim grave est super omnes filios Adam, à die exitus de utero matris, usque in diem sepulturæ Sir.* 40, 1. unde rectè dicitur, *diu vivere nihil aliud est, quam diu torqueri.* *3. Cōtinua miseriæ nostræ recordatione.*

Qui hæc seriò considerat, non timebit mortem, sed exoptabit, tanquam felicē clausulam miseriarum omnium. In quam sententiam *Bernhardus* scribit: *in omnibus operibus tuis memorare mortis tuæ horrorē, judicij tremendi discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis tui cordis elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriā, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, & cogita vitæ humanæ pericula. Cogita fragilitatem propriam, & in hujusmodi cogitatione si perseveraveris, dico tibi, parū senties, quicquid foris videtur molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuperis.*

4. *Quotidiè moriendo*, ad exemplum *Pauli* dicentis 1. *Cor.* 15. *vers.* 31. *quotidiè morior per gloriationem quā habeo in Christo Iesu Domino nostro:* quod fit 1. cum leviora mala, ut morbos, pauperiem, calamitates, amissionem opum & honorum contemnimus: qui enim hoc facit, is sibi indies moriendum esse recordatur. 2. cùm in omnibus vitæ nostræ actionibus mortem, tanquam perpetuam nostram pedissequam, ante oculos nobis ponimus. Verè n. cum *Davide* *4. Assidua moriendi inchoatione.*

nobis

nobis omnibus dicendum est, *uno tantùm gradu, ego morsque dividimur* 1. *Sam*.20,3. usque adeò tam multis undiquaque periculis circumvallati sumus, & ut ecclesia canit, *mediâ vitâ in morte sumus*.

*5. rerum terrenarum oblivione.* 5. Fit præparatio ad mortem, *oblivione rerum terrenarum*, & desiderio cœlestium. Quemadmodum enim Christus post resurrectionem à morte, cùm per 40. dies se vivum ostendisset, mundum reliquit, & in cœlum ascendit: ita pii cùm à peccatis resurrexerunt, & fidem suam vivam per bona opera aliis ostenderunt, sursum se attollere, & desideriis piis ad cœlestia ascendere debent. Hæc est spiritualis nostra ascensio, quæ commendatur *Col*. 3, 1. *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est, in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Fecit hoc ipse *Apostolus*, qui, *quæ retrò sunt, se oblivisci scribit, & ad priora se extendere* Phil. 3, 12. Hujusmodi ascensio cum desiderio beatæ mortis semper est conjuncta: per mortem enim terrena relinquimus, & ad cœlestia pervenimus.

*6. vitæ æternæ degustatione.* 6. Præparamur ad mortem *perceptione veri gaudij*, & gustu æternæ beatitudinis: talem enim in hac vita nobis contingere testatur autor epistolæ ad *Hebræos c*.6,5. & quibus contingit, hi certè libenter moriuntur, ut ad plenam gaudiorum illorum possessionem perveniant.

Gustamus autem virtutes venturi seculi, cùm bona per Christum nobis parta expendimus: per ipsum n. filii Dei, & hæredes vitæ æternæ facti sumus *Rom*. 8, 17 quod beneficiū jam tum in hoc seculo incipit: *nunc filij Dei sumus*, inquit *Ioh*. 1.c.3,2. & jam hæreditatem nostram possedimus in Christo, qui nos præcessit in domum patris, *ibi nobis paraturus locum Ioh*.14,2. *ut ubi ipse est, ibi & nos simus*, quomodo promisit *Ioh*. 12,26. quod beneficium nobis etiam precibus à patre cœlesti impetravit, *Iohan*. 17,24 *Volo, pater, ut, ubi ego sum, etiam hi sint, quos dedisti mihi, ut videant gloriam, quam dedisti mihi*. Unde *Paulus* scribit, *Deum nos conresuscitasse & consedere fecisse in cœlestibus in Christo Eph*.2,6.

Qui talia seriò expendit, huic cœlum jam est apertum, accumbit mensæ Domini, & lætitiâ cœlestis beatitudinis perfunditur, præ quâ mortem contemnit, omnesque ejus cruciatus cum miseriis omnibus pro nihilo habet. Scit enim, *quòd passiones hujus seculi non sint condignæ ad futuram gloriam Rom*.8,18. Et hæc de præparatione ad mortem.

*III Quomodo cū morte nobis confligendum sit?* Denique, ne mortis terror animos faciat melancholicos, maturè discendum est, quomodo cum hoc hoste confligere debeamus. Arma autem hujus militiæ non sunt carnalia, sed spiritualia, quibus vel spicula mortis excipimus, & à nobis propulsamus, vel nostra ei infligimus. *Arma quibus spicula mortis excipere possumus.* Primi generis arma sunt solatia adversus cruciatus mortis & morborum, adversus separationem dulcissimorum amicorum, corporis & animæ, parentum & liberorum, conjugum & similium, qui in vita nobis

*1. Dei providentia.*

cari erant. His cogitationibus opponamus instar scuti, 1. providentiam Dei, quæ omnia disponit in mundo, quæ terminum vitæ nostræ posuit, sine quo nihil, quod nos cruciat, accidere nobis potest, *omnes enim capilli nostri numerati sunt, Matth.* 10. quo pacto *David* omnia sua adversa patienter tulit: *obmutesco,* inquit, *non aperio os meum, quia tu fecisti, Psal.* 39,10.

*2. Dei auxilium.*

(2.) Auxilium Dei, qui *lacrymas nostras videt, numerat, & in utrem colligit*, ut *David* loquitur *Psalm.* 16,18. qui colores mitigat, contritiones sanat, ut tàm acerbæ nobis non sint, ac aliis apparent: quod martyrum exempla testantur, qui acerbissimos cruciatus forti sustinuerunt animo, & ovantes ad tormenta iverunt, quia consolator spiritus sanctus mitigavit cruciatus ipsorum, suæque virtutis aurá ex alto corda patientium recreavit.

*3. Spes restitutionis omnium.*

(3.) Spem restitutionis omnium: corpora restituentur animabus suis, liberi parentibus, in die illo, *quo mortui audient vocem filij Dei, & qui audient eam, vivent. Iohan.* 5,25 *præmisimus* enim nostros, non *amisimus*, quos eo ordine, quo summus Imperator voluerit, suo tempore sequemur. Quemadmodum ergò *Ioseph* ad fratres suos in *Ægypto*, ita moribundi ad amicos suos dicere possint: *ne dolore vos crucietis, nam misit me Deus ante vos, Gen* 45,5. Et quemadmodum Christus viduæ *Naimtica* filium defunctum restituit, & propterea flere prohibuit, *Luc.* 7. ita restitutio eorum, quæ in morte amittimus, dolorem mitigare potest.

*4. mortis nostra conditio.*

(4.) Mortis nostræ conditionem. *Stimulus* equidem *mortis peccatũ est.* 1. *Cor.* 15,56. *& mors stipendium peccati* appellatur *Rom.* 6,23. quæ res facit mortem in se formidabilem: sed cogitemus, quomodo mors piorum per mortem Christi qualificata sit, & in amabilem somnum transformata, adeò, ut Deus animos piè morientiũ paternis ulnis acceptet, corpora autem in dormitoriis suis, usque ad diem restitutionis omnium recondat, & meliori seculo conservet. *Pretiosa enim est in conspectu Dei mors sanctorum ejus Ps.* 116,15.

Hoc ferè clypeo spicula mortis excipiuntur, cùm nos doloribus & cruciatibus morborum, amissione carissimorum, stipendio peccati judicio extremo, quod mortem certò insequitur, & aliis his similib⁹ terret.

*Arma, quibus mortem jugulare possumus. 1 efficacia mortis.*

Nostra verò lancea, quâ mortem jugulamus & conficimus, ut nocere nobis nihil possit, est (1.) efficacia mortis & passionis Christi, qua mortem destruxit, vitam autem & immortalitatem reduxit: *per ipsum enim absorpta est mors in victoriam, ubi est mors, victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? stimulus quidem mortis peccatum est, virtus verò peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriã per Dominum nostrum Iesum Christum,* 1. *Cor.* 15, 55,56.

*2. fides.*

(2) Fides, quæ mortem Christi apprehendit, & omne ejus meritum homini applicat; *fides est victoria, quæ vincit mundum* 1. *Ioh.* 5,4. eadem etiã

vincere

Digitized by Google

vincere potest mortem: hinc *beati dicuntur, qui in Domino moriuntur Apoc.* 14.13 *quia nihil amplius dãnationis est in eis Rom.*8,1. justificati jam sunt à peccatis, & sic fractus est stimulus mortis in eis: quid ergò ipsis mors noceat?

3 *Verbum promissionis.* (3.) Verbum promissionis, quòd *qui verbum Christi servaverint, non morientur in æternum Joh.* 8,51. Hic est gladius ille spiritus, quo non tantùm ignita spicula diaboli, sed & angores mortis extinguuntur.

4. *Vita æterna.* (4.) Vita æterna, ad quam per mortem beatam ducimur. Incipit ea hâc in vitâ apud eos, qui tranquilla fruuntur conscientiâ, quam *Salomon juge vocat convivium Prov.* 15,15. continuatur in morte beatâ, ubi peccata omnia sepeliuntur, unà cum miseris omnibus: anima quiescit in manu Dei, & solatium juge percipit in sinu *Abrahæ*; corpus verò requiescit à laboribus, & ad perfruitionem æternorum gaudiorum in dormitorio suo præparatur: tandem enim perficietur post consummationem seculi, quando anima & corpus iterum conjuncta æternâ felicitate perfruentur. Ut ergò rectè opponitur æternum temporali: ita in hac luctâ mortis, æterna vita temporali morti opponitur, ita, ut & pii in morte jam triumphare possint, dicentes cum *Davide*: *benedictus sit Deus quotidiè, apud quem sunt exitus mortis Psal.*86.*v.*71. & iterum: *non moriar sed vivam, & opera Domini enarrabo Psal.*118.*v.*17.

5. *Sacrificiũ corporis nostri.* (5.) Sacrificium corporis nostri quod Deo per mortem offerimus; ideò *Paulus* instante jam mortis termino, se *delibari* scribit 2. *Tim.*4.*v.*6. sacrificium autem nostrum debet esse voluntarium: ideò cùm hora mortis venerit, non inviti & gementes, sed cum promtitudine Spiritus sequamur Dominum nostrum, resignantes in manus ejus voluntatẽ nostram, & dicentes cum Christo: *non mea sed tua voluntas fiat, Luc.*22.*vers.* 24. Nam *sive vivimus, sive morimur, non nostri, sed Domini sumus Roman.* 14.*v.*8. hac promtitudine ad mortem vincimus mortem, dolores ejus minus sentimus, & cum gaudio hinc discedimus.

Et hæc sunt tria illa capita, quæ ad artem benè moriendi pertinent, & quæ à morte infligitur, melancholiam facilè pellunt, nimirum, mortem nimiùm non timere, ad mortem rectè se præparare, & cum ipsa morte, debito more modoque confligere.

## CASUS IIX.

*Fieri potest, ut quis suggestiones pravas maligni spiritus ad mollitiem, & alia peccata sentiat: quibus, licet non consentiat, tristatur tamen se pollutum esse, quomodo verò huic tristitiæ occurrendum?*

R. Verissimum est, quod D. Paulus scribit *Gal.*5,17. *caro concupiscit* *Caro & Spiritus sibi* adver-

*contrariantur.* *adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, hac enim invicem adversantur.* Et experiuntur etiam pii, suggestiones Satanæ ad peccata, quibus tantum abest, ut delectentur, ut potius summoperè doleant, quòd iis supersedere, Deoque suo ex toto corde servire non possint, exclamantes cum Apostolo *Paulo*: *infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom.7.24.* Quantus hic sit angor animi, non intelligunt; nec credunt, qui captivi ducuntur in laqueis diaboli.

*Pontificiorũ opinio de concupiscẽtia, quod nõ sit peccatum.* Pontificii quoque pollutiones corporis, & alios inordinatos motus cordis parùm curant. Docent enim *concupiscentiam carnis fuisse primo homini naturalem, tanquam defectum & morbum natura, ex conditione materia consequentem*, quæ sunt verba *Bellarmini lib de grat primi hominis cap.7.* Unde sequitur, cùm alienæ conjugis amore vel illicitis libidinibus ardent, aut stultâ opum honorum cupiditate flagrant, quòd hosce motus non putant damnabiles, sed homini naturales, ex conditione materiæ ortas: ideò securi sunt, eoque nomine parùm contristantur, sed qui Deum timent, & peccati originalis malitiam profundiùs expendunt, etiam eo nomine, morsus conscientiæ nimis serò & frequenter experiuntur.

*1. remedium ex nostræ corruptionis profundissimæ & intimæ agnitione.* Ut huic malo occurratur, ne tristitia animum absorbeat, 1. agnoscenda est profunda naturæ corruptio, & indefessum tentationis infernalis studium, qui pios maximè circumit, leonis instar videns, quem devorare possit. Malum hoc deploremus, & periculum, in quo versamur, ante oculos semper ponamus; & cogitationes cordis nostri frenemus; quantum possumus, ne impurus ille spiritus, quacunque impietate eas polluat: quam ad rem imprimis opus est precibus assiduis; ne Deus nos ducat in tentationem, meditatione verbi, continuis laboribus vocationis nostræ, ne Satan hospitium cordis nostri vacuum inveniat.

2. Quòd si nihilominus nos præoccupet tentator; cogitemus nos non esse solos, qui talia patimur: sed & sancti hæc spicula Satanæ sentiunt, quod *Pauli* querela supra adducta testatur: unde & *pro remissione peccatorum quotidie orant omnes sancti Psal.32.v 6.* *2. ex sanctorum omnium perpessione.*

3. Recordemur Deum nos aliquandiu tentasse, promittendo Satanæ potestatem aliquam in nos, ut probaret cor nostrum, an sit rectum coram ipso, & ut in perpetuis exercitiis pietatis nos contineat, quia non tentati nihil sciunt, nec diabolum seriò fugiunt, neque preces satis ardentes fundunt, neque Deo totò corde serviunt. Sic de *Ezechia* piò rege, cùm legatis regis *Babylonii* thesauros suos ostendisset, scriptum est: *dereliquit eum Deus, ut tentaretur, & nota fierent omnia, qua erant in corde ejus, 2. Paral.32.v.31.* *3. ex divinâ ad bonum tentatione.*

(4.) Solatio nobis sit, quod à Deo non omninò deserimur, sed auxilium ejus ad resistendum Diabolo *4. à Dei subcursu & confortatione.*

bolo adhuc subinde experimur. *Non enim nobis lucta est duntaxat cum carne & sanguine, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spirituales nequitias Eph. 6. v. 12.* quas ut superemus, non sufficiunt humanæ vires, sed armaturâ Dei opus est, quam non denegat Deus sanctis suis, quâ malignum illum fugant, & cor suum ab impuris cogitationibus liberant.

*5. à nostra cum Deo per Christum reconciliatione & ipsius justitiæ imputatione.*

(5.) Suggestiones istæ pravæ per se quidem morte dignæ sunt, licet assensus non accedat: *abominatio enim Domini sunt cogitationes malæ Prov. 15. v. 26.* peccata tamen sunt venialia, quia sunt Sanctorum peccata, qui per Christum cum DEO reconciliati sunt; & Spiritus sancti auxilio suggestionibus istis resistunt, easque tandem extinguunt. Non ergò imputantur eis in judicio Dei, sed tecta sunt innocentiâ Christi, quia lucta illa cum carne; non fit sine dolore, ob admissas illas suggestiones; qui dolor cum fide in Christum conjunctus est, & sic nihil condemnationis in tali pio homine esse potest.

Quæ omnia si expendantur, conscientiam hominis, eo nomine tentati, tranquillam reddere possunt.

Quò gravius autem aliquis angitur; eò diligentiùs cogitationes suas compescat, animumque, ne in illis luxuriet, constringat, primisque statim motibus firmiter resistat. *Magno studio superflua cogitationes amputandæ sunt,* scribit *Gregorius lib. 3. moral. sed tamen amputari funditùs nequaquam possunt, semper enim caro superfluè generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis rescindat.* Et iterum *lib. 12. electorum mentes, si quas in se carnales cogitationes inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt: nunc cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt, quia eo semetipsos judicantes subtilius feriunt, quò districtum judicem præstolantur vicinum.*

Semper ergò sit ante oculos nostros exhortatio *D. Hieronymi in ep. ad Demetriadem* de *virginitate servandâ: quia inisti pactum* (inquit) *cum adversario tuo dicens ei: renuncio tibi diabole, & omnibus pompis tuis, serva fœdus, quod pepigisti, & esto consentiens, pactumq; custodiens cum adversario tuo, dum in via hujus seculi es, ne forte tradat te judici, & te de suo aliquid usurpasse convincat, tradarisq; ministro, qui ipse est, & inimicus & vindex, Matth. 5. v. 15.*

## CASUS IX.

### *Quid verò faciendum, si quis non saltem ob cogitationes malas, sed & ob grave aliquod, fortasse etiam sæpiùs repetitum facinus animi angatur?*

RESp. Generale remedium, contra hanc tentationem est, *veræ*

non esse docemus, ideò à talibus peccatis dehortamur, concupiscentiis resistere jubemus, & cavere, si maximè peccato aliquo præoccupati fuerimus, ne ad eundem lapidem, post actam pœnitentiam denuò impingamus: falsum tamen est, quod voluntariè peccantes & sæpiùs redeuntes, non habeant amplius hostiam pro peccato, nec ad gratiam redire possint: quæ hæresis, quemadmodum desperationis plena est, ita sacris literis è diametro repugnat.

*Probatur lapsis etiam mortaliter in hac vita semper reditum ad regnum cœlorum patere, eosq; misericordiam posse consequi. 1. quia Deus omnium peccatorum veniam promittit.*

Nam cùm CHRISTUS nos remissionem peccatorum petere jubet, non solùm de peccatis infirmitatis securos facit, sed absque discrimine omnium omnino peccatorum veniam promittit, idcircò eorum inprimis peccatorum mentionem facit, quæ sunt ἁμαρτίαι καὶ ὀφειλήματα Luc.11.v.4. debita spontè nostrâ contracta: quòd si Christus levium saltem delictorum remissionem promisisset: sequeretur eos, qui contra conscientiam peccant, idque iteratis vicibus, orationem dominicam orare non posse, etiamsi de delicto admisso seriò doleant: id quod nemo dixerit, qui sanæ mentis est.

*2. quia Deus vult omnes salvos fieri & ad pœnitentiam reverti.*

Huc pertinet vox illa Domini, *quâ se mortem morientis etiam nolle attestatur*, morientis nimirum in peccatis suis, *sed ut convertatur impius & vivat, Ezech.* 18.*v.*33:33.*v.*11. cum quo consentit illud Apostoli *Petri*: *non vult DEUS ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2.Petr.* 3.*v.*9. Quam suam enixam voluntatem Deus exemplis comprobavit in utroque testamento: *Manassem* idololatram & parricidam, *Davidem* adulterum & homicidam, *Petrum, latronem in cruce, mulierem prostituta vita,* & inveteratam meretricem, (quam aliqui *Mariam Magdalenam* fuisse putant) *Paulum* quoque ecclesiæ Christi acerrimum persecutorem, in gratiam recepit.

*3 quia plurima in sacris habemus hujus rei exempla.*

*4. quia clavium usus in ecclesia est universalis.*

Postulat hoc universalis clavium usus in ecclesia, de quo promissio extat *Matth.*18.*v.*18. *Ioh.*20.*v.*23. *quorumcunque remiseritis peccata in terris, soluta erunt in cœlis.* Nulla hic est peccatorum vel peccantium distinctio: sed solida hinc fluit pro quibusvis peccantibus, (sed verè pœnitentibus) consolatio.

Duo autem habent *Photiniani*, quæ hîc excipiunt, quibus conscientias infirmorum onerant absque causâ. *Primum* est, quod exempla quorundam peccatorum, quorum scriptura meminit, quòd veniam consecuti fuerint, non faciant regulam. *Alterum*, quòd non pro peccatis habitualibus, h.e., voluntariè & crebrò commissis, sed tantùm pro infirmitatibus & ignorantiis Christus hostiam obtulerit, sicut scriptum est *Heb.*9.*v.*7.

*Objectio Photinianorum.*

Sed hæc tanti momenti non sunt, ut homini verè pœnitenti, scrupulum facere possint.

Nam quod primum attinet meritò applicamus hic illud Apostoli: *quæcunque scripta sunt, in nostram doctrinam*

Digitized by Google

quâ ratione argumentandi utitur *autor epistolæ ad Hebræos cap.9,13,14. si sanguis hircorum & taurorũ*, inquit, *& cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quãtò magis sãguis Christi, qui per spiritum æternum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?*

*Deus gravissimis delictis promittit veniã, si accesserit seria pœnitentia.*

Huc pertinet quòd Deus gravissimis delictis veniam promittit nominatim, si seria accesserit pœnitentia. Nam *Ezech.18.& 33* juramento testatur, se nolle mortem morientis illius, qui est latro, qui effundit sanguinem, qui comedit in montibus, uxorem proximi sui polluit, egenum & pauperem contristat, per vim opprimit, rapit rapinas, pignus non reddit, ad idola levat oculos suos, abominationem facit, usuras accipit &c *Si talis impius egerit pœnitentiam*, ait Dominus *Ezech.18,10. ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.*

Et ne quis dubitet, quin hæc promissio ad eos etiam pertineat, qui seriò pœnitent, & post pœnitentiam denuò peccant, probè notanda sunt verba Domini *Ezech.33,12. tu fili hominis, dic ad filios populi tui: impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die cõversus fuerit ab impietate sua*, & *Iohannes* Apostolus Christum vocat *propitiationem pro totius mundi peccatis.1.Ioh.2,2.*

Nullum ergò peccatum, quocunque tempore, & quotiescunque factum fuerit, exclusum est. Nam ut *Fulgentius in epist.de pœnitent.* piè loquitur: *sicut medico nostro Christo nulla est incurabilis plaga, ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cœlestis potest deficere medicina.*

Hæc omnia non dicuntur ad confirmationem impiorum in peccatis suis: scimus enim, unumquodq; peccatum æterna morte dignũ esse, neq; differenda est pœnitentia, ne vel in peccatis induremur, vel mortis hora præveniamur; sed in solatium dicuntur eorum, qui gravissimis peccatis, crebroq; repetitis se pollutos sciunt, ne de remissione peccatorum, si eam seriis gemitibus ad Deum quærant, desperent. Nam, ut *Augustinus homil.27.de temp.* loquitur: *ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus, ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.*

Quòd autem *Heb.12,17. de Esavo dicitur, quòd non invenerit pœnitentiæ locum, quanquã cum lacrymis inquisivisset eam*, id nequaquam spem veniæ præcidit graviter & frequentius peccantibus, sed de primogenitura *Esavi* agit, quam cùm semel vendidisset ille, postea recuperare non potuit, etiamsi multis lacrymis jacturam illam deplorasset, *Gen.27,34.*

Ex dictis patet, omnem delinquentium spem esse seriam pœnitẽtiam, quæ *peccata abolet, etiam in ultimo vitæ spiritu, si admissorum pœniteat*, dicente *Augustino de eccles.dogmat.cap.* 48.

## CASUS X.

*Quid si verò aliquis aliquo casu præventus, peccatorum suorum omnium recordari non posset, multò minùs verum de iis dolorem conciperet, num ei omnis gratiæ spes ademta est?*

RESP. Initium veræ pœnitentiæ est peccatorum agnitio & deploratio. Nam, *qui absconderit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit, misericordiam consequetur*, *Prov.* 28, 13. & quātum incommodi ex peccatorum negatione aut palliatione sequatur, *David* prolixè docuit exemplo proprio *Psal.* 37.

*Potest duobus modis contingere, ut quis de peccatis omnibus & singulis non doleat.* Duobus autem modis contingere potest, ut quis de peccatis suis omnibus ac singulis non doleat, nec tamen spem veniæ omnem amittit. *1. Ob memoriæ infirmitatē.* Primum *ob infirmitatem memoriæ.* Nam qui vitam suam etiam quàm exactissimè perscrutantur & examinant, non tamen omnium accuratè meminisse possunt, quæ à primâ pueritiâ perpetrarunt. His generalis peccatorum suorum confessio sufficit, cum speciali enumeratione eorum, quorum meminisse possunt, tantùm absit hypocrisis, quâ reticentur ea, quorum tamen optimè recordamur. Deus enim ingenuum requirit confessorem, cùm aliàs omnia in aperto sint coram ipso. Ita *B. David* grandiora sua delicta Deo suo confiteri non fuit veritus, sed cùm omnium in specie delictorum meminisse non posset, generalem edidit confessionem *Psal.* 19, 14. *Delicta quis intelligit*, inquiens, *ab occultis munda me, Domine.*

*2. Ob temporis angustiam.* Deinde *ob angustiam temporis* recordari quis non potest omnium suorum delictorum, multò minùs seriò de omnibus dolere, idque fit subito aliquo casu & periculo vitæ. Tunc enim peccator generali resipiscentiâ de omnibus suis delictis, quæ & qualia ea esse possunt, veniam impetrare potest: qui enim de uno aliquo peccato seriò pœnitet, & tempore exclusus reliqua excutere, in memoriam revocare, & propterea sigillatim dolere non potest, præsumitur, de omnibus serium dolorem concepisse. Nam fides in Christum accedens, tollit omnia peccata, & de remissione eorum pœnitentem securum reddit. Ita latro in cruce in extremâ mortis hora gratiam consecutus est, licet tempore exclusus omnium suorum peccatorum nec meminisset, nec confessionem edidisset, *Luc.* 23.

CASUS

## CASUS XI.

*Quid verò statuendum, si quis serium dolorem, (uti quidem vellet) ob peccata sua concipere non posset: num ei de remissione desperandum?*

RESP. Sæpenumero experiuntur etiam pii, quòd justum, ob commissum aliquod peccatum, dolorem concipere non possint, sed subinde sentiunt delectationem aliquam peccati: at hoc ipsum non exiguum peccatum esse sciunt, & ægerrimè ferunt, quòd cupiditatibus suis perfectè resistere non possunt.

Hic ipse dolor, quòd de patrato peccato dolere nequeunt, si absque fuco est, Deo displicere non potest, indicium enim est, peccatum homini displicere: Quemadmodum enim *Paulus* conqueritur de infirmitate carnis suæ, quod videlicet *bonum, quod velit, non operetur, malum autem, quod non velit, faciat Roman.* 7. ita & pii conqueruntur, se non ita, uti fas erat, de peccatis suis dolere posse, quam infirmitatem carnis suæ deplorant, & hoc apud Deum loco seriæ contritionis est: quæ non ex quantitate doloris, sed ex odio peccati æstimatur.

Proinde etsi quilibet operam dare debet, ne ulla delectatio peccati, præsertim, ejus, cujus jam remissionem consequutus est, penes se resideat, siquidem juxta *Augustini* verbum: *non est gravius scelus, quàm de peccato jam remisso recordando gaudere*: attamen, qui hoc ipsum seriò dolet, quòd peccatorum delectationem non omninò deponere potest, Deumque orat, ut sibi hoc quoque peccatum ignoscat, & pruritum carnis suæ extinguat, is certè non habet, cur de remissione peccatorum desperet. Delectatio enim illa quia displicet, non ad perfectum habitum peccati mortalis referenda est, sed subitaneus quidam motus est, qui propter adjunctum dolorem peccatum facit veniale.

## CASUS XII.

*Quomodo succurrendum est iis, qui de salute sua dubitare incipiunt, eò, quòd de perseverantia sua in fide certi esse non possunt; quo nomine consternato prorsus sunt animo?*

RESP. Authentica Christi est: *qui perseveraverit in finem, salvus erit Matth.*10,22. cum quo consentit Apostolus *Hebr.*3.*vers.*14 *participes Christi effecti sumus, si initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.* *Ad salutē requiritur perseverātia.*

*Perseverãtia multa objici possunt impedimenta.*

Varia autem sunt, quæ perseverantiam illam intercipere possunt, inprimis illecebræ mundi, persequutiones, calamitates continuatæ,& similia, quæ multos benè currentes, à recta semita deturbant.

Cùmque etiam illi, qui aliquando Deo placuerunt, nihilominus à Satana supplantati, in æternum præcipitantur exitium, ut exempla *Saulis* & *Iudæ* testantur, multi propterea nimiùm anguntur, semperq; timent, ne & ipsi tandem naufragium fidei patiantur.

*Quilibet curam habere debet accuratam de sua salute.*

His non malè consulitur hac ratione: primùm commendandum est ipsorum studium, quòd non ex Epicurea securitate salutem suam prorsus negligunt, sed ejus curam sollicitè habent, caventes, ne palmam ejus intervertant: vult enim Apostolus, *ut cum timore ac tremore salutem operemur Phil.2.* & *beatus* ille, *qui semper est pavidus, Prov.18. v.14.* nam,ut *Bernhardus* loquitur, *qui pavet,cavet*: unde & beatus *Iob*, semper cavebat, ne fortè ullo opere Deum suum offenderet. *Verebar omnia opera mea*, inquit, *quia sciebam, quòd non parceret delinquenti Iob. 9,28.*

*Certitudo salutis nostræ roboranda 1. à facta omnibus credentibus saluti promissione.*

Deinde certitudo salutis nostræ firmis persuadenda est argumentis, qualia sunt (1.) promissio salutis facta credentibus omnibus: nam, *qui credit in filium, habet vitam æternam Ioh.3,36.* & *qui crediderit, salvus erit: Marc.16,16. qui crediderit ei,qui misit me, habet vitam æternã. & in judicium non venit Ioh.5,24. promissiones* autem *Dei in Christo, est & amen sunt 2.Cor.1.v.20. rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in fide Psal. 33.v.4.*

Si dubites, an tu fidem habeas, perscrutare cor tuum, an verbum ames, & libenter audias, ex auditu enim verbi fides est, quam Deus nemini, qui verbum suum amat, denegat: *qui enim ex Deo est, verbum Dei audit Ioh.8,47.*

Nec refert, quòd in tentationibus motum fidei non semper sentis: non enim à sensu nostro pendet fides, sed à verbo promissionis, quod amas. Defectus sensus signum est infirmitatis: infirma autem fides etiam fides est, cui seriis precibus & assiduis pietatis exercitiis succurrendum est.

*2. à Spiritus Sancti in nostris cordibus testificatione.*

(2.) Ad promissiones Dei accedit testimonium Spiritus Sancti, de quo Paulus *Rom.8.v.15,16. accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater, qui testimonium dat spiritui nostro, quòd simus filij Dei.* Illa testificatio Spiritus fit, cùm generales gratiæ promissiones nobis in specie applicat, vitamque æternam nobis in verbo promissam, in cordibus nostris obsignat,

*Duo signa hujus testimonij. 1 Amor.*

Si dubitas, an tu etiam habeas illud testimonium spiritus, cùm multi sint, qui se habere præsumant, qui tamen eo verè carent, disce vera illa signa veri & non præsumtuosi testimonii, quorum duo sunt: primum amor verbi divini, ejusdem lectio, prædicatio, meditatio, preces & sacramentorum usus, per quæ media Spiritus S. est efficax, fidem accendit,

2. Clamor. dit, & cor nostrum tranquillat: alterum signum est, quòd hujusmodi homo pius ex impulsu Spiritus Sancti clamat ad Deum seriis animi gemitibus, cùm preces apud alios tantùm sint perfunctoriæ, aut etiam omninò nullæ. Hujusmodi preces piorum à Spiritu precum excitatæ fiunt in fide in filium Dei, propter quem audemus Deum nostrum appellare patrem, & quæ ex voto nostro sunt, ab eo expectare. Qui ergò adhuc orare possunt, illi de fide sua dubitare non debent: ubi autem fides est, ibi Spiritus Sanctus est, & spes salutis æternæ.

3 *à nostra conscientia renovatione & sanctificatione.*

(3.) Cum hoc testimonio Spiritus Sancti conjunctum est testimonium propriæ conscientiæ, quæ per Spiritum est renovata & sanctificata. Sanctificatio autem cordis est nota eorum, qui hæredes erunt salutis æternæ: ita enim *Paulus* describit vitæ æternæ candidatos, *quòd abluti sint, sanctificati, & justificati in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* 1. *Cor.* 6, 11. De hac sanctificatione nostra constat nobis ex motibus ejus, qui quidem certiores sunt tempore securitatis, non tamen omnino absconduntur tempore tentationis, sed exerunt se, cùm videlicet corruptionem naturæ nostræ sentimus, eo nomine seriò nobis displicemus, peccatum detestamur, quotidianos lapsus deploramus, veniam semper precamur, peccandi occasionem vitamus, serio desiderio inserviendi Deo corde perfecto tenemur, eumque in finem

*Signa conscientiæ sanctificatæ.*

gratiam & auxilium Dei expetimus. Hæc sunt signa conscientiæ sanctificatæ, quæ salutem æternam in nobis certò signant. Quemadmodum enim *sanctificatione nemo videbit Dominum Heb.* 12. *v.* 14. ita vicissim, *beati prædicantur, qui mundi sunt corde Matth.* 5, 8.

4. *Ab immutabili divinaque ad vitam æternam vocatione.*

(4.) Confirmat certitudinem salutis nostræ vocatio ad vitam æternam, quæ ex parte Dei est immutabilis: *dona enim Dei sunt ἀμεταμέλητα Rom.* 11, 29. &c. *fidelis Deus est, seipsum abnegare non potest.* 2. *Tim.* 2, 13. Si maximè nos excidimus vocationis gratiâ, reditus tamen patet ad eam per veram pœnitentiam, quâ durante, non est cur de salute nostra dubitemus, licet peccatis nos pollutos non ignoremus. *Vocavit enim nos Deus vocatione sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia* 2. *Tim.* 1. *v.* 9.

5. *Ab universali Dei voluntatis super omnes extensione.*

(5.) Hoc facit universalis misericors Dei voluntas, à quâ nemo hominum exclusus est. Vult enim *Deus omnes homines salvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire* 1. *Tim.* 2, 4. vicissim vult, *ut nemo pereat, sed omnes salutẽ consequantur* 2. *Pet.* 3, 9. quam suam voluntatem juramento insuper confirmat: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat Ezech.* 18, 14. 33, 11.

6. *Ab universali verbi prædicatione.*

(6.) Accedit insuper universalis verbi prædicatio, quâ gratuitam hanc suam voluntatem nobis aperit, & sacramentorum usus gratiam

illam in nobis confirmat. Nihil hic deest ampliùs, quam mediorum usurpatio, quibus benignissimam illam Dei gratiam & salutare Christi meritum facimus nostrum, quod fit auditu verbi, ex quo fides nascitur, & salutaris usus Sacramentorum, quo fides in nobis conservatur.

*7. A signorum salutis enumeratione.* (7.) His adminiculis omnibus adde demum signa salutis, ex quibus infallibiliter de salute tua judicare potes. Signa illa sunt.

(1.) Desiderium gratiæ divinæ, quod excitatur per jucunditatem vitæ æternæ, per cruciatus inferni, per vilitatem rerum mundanarum, per fragilitatem vitæ nostræ. Qui enim ista omnia secum expendit, is gratiam Dei & salutem æternam desiderat, & inter beatos locum invenit: *Beati enim, qui esuriunt & sitiunt justitiam Matth.* 5, 6.

(2.) Donum renascentiæ, quod agnoscitur ex lucta carnis & spiritus, quæ discernit hominem reprobum à piis. In illo enim jam subjugatus est spiritus à carne: in his verò spiritus resistit carni, ne in nervum erumpat, & quamdiu hæc lucta durat, certa spes salutis est.

(3.) Testimonium propriæ conscientiæ, quod agnoscitur ex sensu virtutis divinæ, cùm verbum Dei ardet in nobis, & gustum vitæ æternæ in nobis facit: ideò probare nos ipsos debemus, an simus in fide, & Christus in nobis sit, quod qui non faciunt, pro reprobis habentur 2. *Cor.* 13, 5.

(4.) Accedit denique studium novæ obedientiæ, quod agnoscitur ex odio peccati, ex vera dilectione Dei, & proximi, ex patientia in cruce, ex spe melioris sortis.

Signa hæc non fallunt, sed salutem in animis nostris certissimè confirmant.

Sed cùm multa sint, quæ nos à recto tramite avertere, & salutem nostram benè inchoatam intercipere, nosque in præcipitia errorum, scelerum & sempiterni exitii præcipitare possint, restat ultimo loco, ut animus noster certis rationibus de perseverantia in bono firmetur.

Etsi autem nemo prorsus infallibiliter de perseverantia sua certus esse possit: talia tamen sunt media impetrandæ perseverantiæ, quæ non facilè fallunt, si ritè usurpentur.

(1.) Constans Dei promissio, qui non tantùm vult incipere, sed & *perficere bonum, quod cœpit in nobis Phil.* 1, 6. cui promissioni Dei qui fidem habet, non confundetur in mediis periculis: *nihil enim nos separabit à caritate Dei Rom.* 8. *omnipotens cœpit, omnipotens promisit, se impleturum esse, quod promisit*, ait *Augustinus in enum. Psal.* 110.

(2.) Dei fidelitas, qui, quod promisit, etiam tentatis non denegabit. *Fidelis enim Deus est, qui non sinet vos tentari supra vires* 1. *Cor.* 10.

(3.) Dei omnipotentia, qui suos novit è tentatione eripere, & in bono custodire. *Scio cui credidi*, inquit Apostolus 2. *Tim.* 1, 12. *& certus sum,*

*quod*

*quòd is possit depositum conservare, usque in diem illum.*

(4.) Dei bona voluntas, *ipse enim est, qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona sua voluntate Philip. 2. vers. 13.*

(5.) Seria nominis divini invocatio, ne nos patiatur labi è manibus suis, in quas signavit: preces autem piorum magnum habent pondus.

(6.) Continuus mediorum usus, quibus impedimenta salutis avertere possumus. Nam qui frequenter & attentè audit verbum, seriis exercitiis pietatis crebrò occupatus est, SS. cœnâ devotè utitur, baptismi sui, & fœderis, quod Deus in illo secum iniit, sanctè recordatur, is omnem impetum Satanæ superare potest, & quamdiu in his omnibus perseverat, tamdiu etiam perseverat in bono.

(7.) Accedit denique serium propositum non peccandi, sed piè vivendi, &, si maximè ex infirmitate aliquid fit, statim resipiscendi. Qui enim non peccat, aut à peccato statim desinit, is in bono firmiter persistit: qui autem delectatur peccatis, & occasionem peccandi libenter quærit, is frustrà perseverantiæ donum sibi promittit: præsumtione quidem laborare potest, certam autem in Deum fiduciam non habet, quæ in iis est, *qui à proprio corde non condemnantur 1. Iohan. 3. v. 21.*

## CASUS XIII.

*Quid faciendum, si tristitia ita occupasset animum nostrum, ut non tantùm mori desideremus, sed & ad inferendas nobis ipsis manus à proprio corde instigemur?*

Resp. Una ex præcipuis Christianorum virtutibus est patientia, *quam operatur tribulatio Roman. 5, 3.* Hanc autem virtutem duo impediunt, inordinatum vitæ tædium, & *αὐτοχειρία.*

Tædium vitæ quod attinet, illud etiam sanctis interdum obrepit, qui in cruce nimiùm pressi sæpenumero ex impatientia optarunt sibi mortem, ut testatur exemplum *Eliæ 1. Reg. 19, 4. Iobi cap. 3, 3. 7, 15. Ierem. cap. 20, 14. seqq.* *Tædiū vitæ sanctis etiam interdum obrepit.*

Etsi verò *mortis desiderium non semper est improbandum; paucis tamen datum est, rectè sibi optare mortem,* dicente *Augustino epist. 116.*

Et certè mortis desiderium, quod impatientia operatur, laudari non potest, quia duo sunt quasi fulcra Christianismi nostri; *fides & patientia Phil. 1, 29. Heb. 6, 12,* fides patientiam alit, patientia fidem probat. *Fides & patientia duo fulcra Christianismi.*

Quid ergò fidem quidem se habere dicit, ærumnarum autem est impatiens,

patiens, is Christianismum nō habet perfectum, imò fidem mortuam. Detrectat enim jugum Domini, quod fidelibus omnibus imposuit *Matth.* 10,38. 11,29. 16,24.

Ideò autor *epistolæ ad Hebræos* impatientes sub cruce ex numero filiorum Dei rejicit, & spuriis accenset: *si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, spurij estis, & non filij Heb.* 12,8.

Sciunt pii, quòd vita nostra *labor & dolor sit Psal.* 9,10. quæ licet dura sit conditio, impatientiâ tamen minimè tolerabilior redditur, sed multò magis asperior: sciunt se vocatos esse etiam ad ferendā crucē: vocationem ergò suam non deserant: sed *in quâ quisq; vocatus est vocatione, in ea maneat* 1. *Cor.* 7,20. sciunt adversa hujus seculi esse mediū, per quod pervenimus ad gloriā, ad quā omnia hujus vitæ tormenta non sunt conferenda.

Rectissimè ergò dixit *Augustinus in manual. ca.* 15. *O anima mea, si quotidiè oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possimus, & sanctis ejus associari, nonne dignum esset, pati omne, quod triste est, ut tanti boni tantæq; gloriæ participes haberemur.*

Si ergò ex impatientia non est optanda mors, multò minùs inferenda.

*Causæ propter quas homines sibi ipsis mortē inferūt.* Multæ sunt causæ, propter quas homines sibi ipsis mortem consciscere possunt. Quidam faciunt hoc ex ambitione, ut magnitudinem animi sui declarent, qui contemnere potest mortem, quemadmodum *Cato* sibi ipsi lethale vulnus inflixit, de quo *Valerius Maximus* præposterè judicat *plus gloriæ quam sanguinis ex vulneribus ejus effluxisse.*

Alii ex præpostera devotione, quo pacto *Baalitæ* in gratiam idoli sui lanceolis se ad sanguinem usque vulnerarunt 2. *Reg.* 18. & in *vitis patrum* de *eremita* quodam legitur, qui præ devotione se in puteum præcipitavit, & *Augustinus tract.* 51. *in Iohan.* reprehendit eos, qui, *ut videantur animam suam in hoc mundo odisse, semetipsos interimant.*

Alii ex timore nimio subiti periculi, quemadmodum *Saul*, cùm in manus *Philistinorum* incidere nollet, factus est αὐτόχειρ 1. *Sam.* 31. *v.* 4. & mulieres quædam, ne ab hostibus violarentur, vitam potiùs, quam pudicitiam prostituere voluerunt, qualia exempla leguntur apud *Euseb. lib.* 8. *cap.* 12. *Niceph. lib.* 7. *c.* 12. *Ambros. lib.* 3. *de virginitate.*

Alii ex intempestivo obsequio, sicuti barbari ad jussum domini sui semetipsos jugulant, aut aquis suffocant.

Alii ex impotentia mentis, ut phrenetici, qui quid faciant, ignorant: quo pertinent, qui nimia iracundiâ, ebrietate, libidinibus & similibus inordinatis affectibus sibi vitam abrumpunt. Nam, *ira furor brevis est*, & *fornicatio, vinum ac ebrietas auferunt cor Ose.* 4. *vers.* 11.

Sed

Digitized by Google

Sed de his omnibus hoc in loco non agimus: sed de illa ἀυτοχειρίᾳ quæ ex melancholia oritur. Et hæc melancholica ἀυτοχειρία, (uti ita loquar) quadruplicem habet originem; *una* est *ex tædio vitæ*, cùm quis *premit alto corde dolorem*, ringitur & angitur curis, & tamen ipse nescius est, quid curet, aut quid ipsum angat. Nihil enim habet, quod desideret vel quoad sanitatem corporis, vel quoad felicitatem suorum carissimorum, vel quoad bona fortunæ, vel quoad successum in officio, & tamen tristis est, vitæque suæ pertæsus.

Altera est *ex vulnere conscientiæ* ob admissum aliquod peccatum: nam ut *poeta* canit:

*Culpam sequitur fataliter angor,*

Ut multi non nisi morte scelus sanandum esse putent, quod *Caini, Achitophelis, Saulis & Iudæ* exempla testantur.

Tertia est, *ex metu reprobationis*, & exclusionis è libro vitæ, quemadmodum de ludi moderatore quodã refertur, quòd anno 1562. seipsum ex desperatione interemerit, relicto chirographo, se ab æterno reprobatum à Deo, & ex numero salvandorum exclusum esse.

Quarta denique est *ex impatientia*, quæ iterum suos gradus habet: de quibus postea. Singulis ut idoneis remediis succurratur, operæ pretium est.

*Maximum peccatum* Principiò igitur in genere tenendum est, quàm grande sit peccatum, se ipsum interficere, quacunq; id de causa fiat. *est seipsum interficere.* 1. *Est contra legem naturæ*, quæ unumquemque sibi jubet esse proximum: *caritas incipit à se ipsâ, & nemo unquam carnem suam odio habuit Ephes.* 5, 29. naturale est timere mortem, & amare vitam propriam, ideò *David* orat: *ne auferas me in dimidio dierum meorum Psal.* 102. ἀυτόχειρες autem odio habent vitam suam, & vinculum amoris naturalis, quantum in ipsis est, rumpunt.

2. Est *contra quintum præceptum*; quod ἀυτόχειρες multò magis violant, quàm homicidæ alii. Nam, ut *Augustinus serm.* 123. loquitur: *quantò propinquiorem quisq; peremerit, tãto judicatur inhumanior.* Qui ergò semetipsum occidit, pessimus est homicida, quia nemo est homini seipso propinquior.

3. *Contra fiduciam nostram*, quam debemus Deo in utraq; fortuna nostra. ἀυτόχειρες enim res secundas tãtùm expetunt: in adversis, ne quidem Deum patrem suum agnoscunt.

4. *Est contra fidem nostram*, quâ credimꝰ judicium extremum & subsecuturas pœnas damnatorum. Multi enim ἀυτόχειρες existimant, se abbreviaturos cruciatus suos, & hoc ipso eos augent: nam cum fine hujus vitæ non impetrãt finem tormentorum, quæ parata sunt impiis in igne inextinguibili inferni. Stolidum autem est properare per ἀυτοχειρίαν ad id, quod pœnitentia & patientia maturè poterat averti.

5. Est *contra gratitudinem*, quam

Deo datori vitæ nostræ debemus. Non agnoscunt sortes suas esse in manibus Domini, multò minus se vitam habere à Deo, penes quem solum est potestas eam auferendi, aliàs patienter expectarent tempus exeundi ex hoc ergastulo, quando Deo visum fuerit, juxta exemplum *Simeonis*, qui non ipse filum vitæ suæ rumpebat, sed *dimissionem* à Domino suo petebat *Luc.* 2.

6. Est *contra honorem*, quem debemus *Evangelio* Christi. Hæc enim est natura doctrinæ Evangelicæ, ut tristes exhilaret, dolores mitiget, fiduciam in Christum, per quem habemus gratiam ex gratia, in nobis augeat: & tamen *αὐτόχειρες* ex desperatione concidunt, quasi nulla vis & efficacia erigendi ipsos in Evangelio esset proposita, cùm tamen sit *potentia Dei ad salutem omni credenti Rom.* 1.

7. Est *contra dilectionem proximi*, quem juvare & exhilarare debemus, quantum possumus, præsertim parentes, liberos & cognatos nostros, ne propter nos malè audiant: Hoc enim benè est prospicere suis: quod qui non facit, eum Apostolus *Ethnicis deteriorem* esse putat 1. *Tim.* 5. *vers.* 8. *αὐτόχειρες* autem contristant proximum, totique familiæ suæ maculam aspergunt, liberis necessaria vitæ detrahunt, suâque intempestivâ morte ad paupertatem redigunt: proximum misero hoc vitæ suæ exitu offendunt, Spiritum in ipsis contristant, & ne propter scelus hoc ira Dei super vicinos omnes exardescat, solicitos reddunt: Sæpè enim

*Unius malefacta viri populus luit omnis.*

Hæc sunt generalia, quibus infernali tentatori masculè resistere deberent omnes, qui quacunq; de causa ad *αὐτοχειρίαν* tentantur.

Jam ad specialia descendimus: & quod primùm eos concernit, qui ex tædio vitæ sibiipsis manum ut inferant, solicitantur, solidis armis sint instructi ad exstinguenda ignita hæc tentationum spicula.

*Quomodo ij consulēdū, qui ex tædio vitæ sibi manum inferre cogitant?*

Arma autem hæc sunt: (1.) cogitent, quòd ipsi non sint domini vitæ suæ, *mancipio* enim *nulli datur, omnibus usu.* Nemo vitam habet à seipso, nemo etiam jus habet tollendi eam: solus Christus dicere potest: *habeo potestatem ponendi animam meam & resumēdi Ioh.* 10, 18. *nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, sive morimur Domini sumus Rom.* 14, 7. Expectemus ergò patienter summi Imperatoris jussum, & ab illo in pace nos dimitti petamus. *Sicut in hanc vitam non spontè venimus: ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti*, ait *Lactant. li.* 3. *instit cap.* 18.

(2.) Cogitent, quàm caro precio sint redemti à potestate Satanæ, nimirum *non auro vel argento, sed pretioso sanguine immaculati agni Iesu Christi* 1. *Petr.* 1. *vers.* 19. Turpe autem est, & impium, se denuò per

despe-

desperationem & vitæ abbreviationem potestati Satanæ submittere. *Magno pretio emti estis*, inquit Apost. 1.*Cor*.7,20. *glorificate ergo & portate Dominum in corpore vestro.* Si diabolus suggestionibus malignis molestus est, & caro infirmatur, resiste precibus, confide virtuti altissimi, quæ in *infirmitate perficitur* 2.*Cor*.12. *vers*. 9.

(3.) Cogitent, Deum non procul esse à nobis, qui lætitia vultus sui nobis gustum futuri seculi etiam hac in vita præbet. *Propè enim est invocantibus eum, invocantibus in veritate Psal*.145,18. Interdum quidem faciem suam tegit, ut incipiamus, cum *Gedeone*: si *Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia*? *Iud*.6,13. sed non prorsus nos à facie sua projicit. *Non te deseram*, inquit Dominus, *neque derelinquam: ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui Esa* 54.7,8.

(4.) Adhibeant tentati serium studium verbi divini, quod libenter audiant, & sedulò meditentur. Ibi enim reperiunt, quo tædium vitæ in ipsis mitigari, si non prorsus tolli potest. Fecit hoc David *Psal*. 63.7.8. *memor fui tui super stratum meum*, (inquit) *in matutinis meditabor te, quia fuisti adjutor meus, & in velamento alarum tuarum exaltabo.*

(5.) Vitentur etiam sollicitudines, quærantur pia colloquia, quibus reficitur animus mœstus. Nam *væ soli, si ceciderit, quis eum eriget? Eccles*. 4,10.

(6.) Preces inprimis sint frequentes & ardentes: *tristatur aliquis? oret*, inquit, Apostolus *Iacob*. 5,13. *si fuerint dæmones robustis montibus fortitudine pares, tanquam ab igne cera, comburentur ab oratione*, inquit *Macrobius, homil*. 43.

Deinde, qui ob angores malæ conscientiæ seipsos è medio tollere volunt, cogitent ante omnia illud *Augustini*: *ne desperando peccatum augeamus, datus est pœnitentiæ portus*: cur ergò desperando iram Dei in nos concitemus, quam pœnitendo evitare valemus? Deus irascitur & miseretur. Ira ejus semper ante oculos nostros ardeat antequam peccemus, quæ est instar ignis consumentis, & absorbet peccatores, nisi meritum Christi intervenerit. Post perpetratum autem peccatum ab irato Deo nos convertamus ad misericordem & propitium, qui pœnitentibus gratiam offert, *Ezech*.18,32. 2.*Cor*.5,20. peccata ipsorum tollit, *& in profundum maris abjicit*. *Mich*.7.*v*.19.

Respiciamus Jesum Christum, qui est propitiatio non pro nostris tantùm, sed *pro totius mundi peccatis*, 1.*Ioh*.2.*v*.2. qui *chirographum, quod contra nos erat, è medio sustulit, affixum cruci Col*.2.*v*.14. qui *sedet ad dexteram Patris interpellans pro nobis Romanor*.8.*v*.34. *copiosa apud ipsum est redemptio Psal*.130,7 *agnus Dei est, qui tollit mundi peccata Ioh*.1.*v*.29. & *sanguis*



Digitized by Google

*guis ejus mundat nos ab omnibus peccatis* 1. *Ioh.* 1. *v.* 8.

Apprehendamus etiam ſolatium Spiritus ſancti, quo ſuccurrit nobis in ſcriptura, cùm ob peccata noſtra angimur. Pater æternus eſt inſtar medici, qui ægrotis mentibus medicinam præſcribit, mittens filium ſuum in mundum, ut peccatores ſalvos faceret 1. *Tim.* 1, 16. Filius eſt inſtar pharmacopœi, qui medicamentum in morte & paſſione ſua præparat. Spiritus ſanctus eſt inſtar ejus, qui curam habet ægroti. Is enim medicamentum in verbo applicat, & ſalutarem ejus uſum monſtrat ac confert. Adeò ſolicita eſt tota Trinitas de ſalute peccatorum: cur ergò in peccatis deſperemus? deſperent diaboli, quibus nulla parta eſt redemptio à peccatis. Mortem optent damnati in inferno, ex quo nulla eſt liberatio. Nos qui in tempore gratiæ adhuc vivimus, fruamur gratiâ, quæ longè major eſt, quàm noſtra miſeria. Si ergò ſæviat in nos ille rugiens, & in barathrum deſperationis nos abripere ſecum tentet, opponamus ei leonem illum de tribu Judâ ſanguine madidum, quo chirographũ peccati delevit, & ignem infernalem pœnitentibus extinxit. Abbreviatio vitæ non facit abbreviationem dolorum in conſcientia, ſed nobis ita morientibus, vermis ille conſcientiæ demum vivere incipit, & nunquam moritur, in iis autem, qui ſeriò pœnitent, per mortem Chriſti mortificatur.

Porrò, cùm ad ἀνπχειρίαν inſtigamur ex metu reprobationis æternæ: primùm omnium ſciamus, DEUM neminem omninò ex abſoluto quodam decreto, citra reſpectum incredulitatis aut improbitatis reprobaſſe, aut ad æternam damnationem rejeciſſe, cùm enim ſit *juſtus DEUS, juſtè omnia diſponit, nec eum, qui non debet puniri, condemnat Sap.* 12. *v.* 15.

Falſum ergò eſt, quod *Calvinus* ſcribit *lib.* 3. *inſtit. c.* 23. §. 3. *peccata quidem eſſe cauſam damnationis, ſed ſolam DEI εὐδοχίαν, reprobationis:* quam opinionẽ ſequitur *Beza part.* 2. *reſp. ad act. colloq. Momp. p.* 187.

Sed quam in tempore cauſam habet Deus reprobis damnationem infligendi, nempe peccatum admiſſum, eandem ab æterno eos ad damnationem ordinandi habuit, ut rectè ſcripſit *Paræus in cap.* 9. *Rom. dub.* 8. hac in parte diſcedens à *Calvino.* Perpetua enim eſt ſententia Chriſti: *qui incredulus eſt, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum Iohann.* 3. *v.* 36 quæ locum habet, tam in damnatione, quàm in reprobatione, quâ decretum factum eſt: eadem enim cauſa eſt decreti & executionis ejus.

Cùm ergò de reprobatione hominum cogitamus, non agamus quidquam cum Deo *abſoluto*, nec quid ille juxta merum ſuum beneplacitum, citra conditionis noſtræ reſpectum nobiſcum egerit, aut contra nos ſtatuerit, inquiramus: ſed conſideremus Deum in

verbo

verbo *revelatum*, in quo vitam adjudicat credentibus, damnationem autem incredulis.

Unusquisque autem probet semetipsum, an sit in fide, & an JESUS CHRISTUS in se sit? Si parum de hoc sentiat, roget DEUM, ut donum hoc in se exsuscitet, & mediis illis, quibus DEUS exsuscitari solet, sedulò utatur. Si peccatorum suorum recordatur, propterea se non statim inter reprobos numeret, sed peccatum agnoscat, deploret, & remissionem propter CHRISTUM petat, semper memor dilectionis Patris æterni, quæ se etiam ad peccatores extendit, erga quos eam triplici verbo declaravit: unum est verbum *essentiale*, dilectus ejus & coessentialis filius, quem donavit mundo, *ut omnis, qui credit in eũ, non pereat, sed habeat vitam æternam Iohan. 3. vers 16. si autem Deus filium suum nobis dedit, cur non donaret cum ipso omnia? Romanor.* 8. alterum est verbum *vocale*, doctrina videlicet Evangelii, in quo clementissimam suam voluntatem nobis revelavit; quòd *non velit mortem, morientis in peccatis suis Ezech.* 18. *quòd non velit, ut ullus pereat 2. Petri 3. quòd omnes salvari velit 1. Timoth.* 2. quòd CHRISTUS peccata nostra pœnasque nobis debitas in se derivarit, nobis autem gratiam & vitam æternam promeritus sit: tertium est verbum *visibile*, sacramenta videlicet, quibus nobis gratia Dei meritumque CHRISTI applicatur, obsignatur & confirmatur.

*Deus triplici verbo suam dilectionem erga nos declaravit.*

Ideò enim sacrâ cœnâ utimur, ut de peccatis nostris in Domino securi, gratiæque DEI certissimi fiamus. Qui ergò in filium credit, & in promissionibus gratiæ se quoque involvit, sacrosanctâ cœnâ crebrò & devotè utitur, propositumque piè vivendi habet, quod omnes Christiani facere tenentur, licet aliqua infirmitas fidei & tentatio carnis accedat, satis tamen causæ non habet, cur se inter reprobos referat, eoque nomine animam suam ad mortem usque affligat.

Restat impatientia, quæ non rarò facit αὐτόχειρας. Varia autem sunt impatientiæ genera. Quosdam crux & calamitas facit impatientes, qui neque famem, neq; pauperiem, neque morbos, neq; amissionem suorum, neq; ullas vitæ hujus molestias ferre possunt, sed mori malunt, quo pacto *Calanus Indorum Sophus* impatientissimus morborum, & medicamentorum, rogo se imponi, & cremari jussit, ut est apud *Quintum Curtium lib.* 10. & de *Augusto Imperatore* refert *Manlius lib.* 1. quòd ex impatientia caput alliserit muro, capillosque evulserit,

*Cùm fera ductorem rapuit Germania Varum.*

Neque desunt exempla, qui cùm increpationes justas ab iis, quos lædere non potuerunt, ferre non possent, sibiipsis vitam abruperunt: alii tempore famis ab omnibus destituti, propriis manibus, quàm fame perire maluerunt.

Qui hoc modo tentantur, his opponenda sunt omnia, quibus iis, qui sub cruce gemunt, succurrimus. Ethnicorum est ista impatientia, quæ mortem spontaneam antefert cruci divinitus impositæ: ideo *D. Paulus* Christianos non *vult tristari, uti cæteros, qui spem non habent* 1. *Thessal.* 4. *v.* 13. Hæc est conditio Christianorum, ut *per tribulationes multas ingrediantur in regnum DEI Actor.* 14. *v.* 21. nec tamen quidquam separabit eos à caritate Dei, *neque tribulatio, neq; angustia, neq; fames, neq; nuditas, neq; periculum, neq; persecutio, neque gladius Rom.* 8, 35.

Habemus insuper præcursorem CHRISTUM in hoc stadio crucis, cui conformes nos fieri oportet, ut per passionem cum ipso ingrediamur in gloriam.

Neque turpe est, nos aliquid secundum voluntatem Dei pati, à quo nobis datum est, non tantùm *ut credamus, sed & ut patiamur Phil.* 1. 29. *ideo* sancti *gloriantur in tribulationibus, Rom.* 5, 3.

Neque damnosum nobis est, quia larga promissa est compensatio, in cœlis, ad quam hujus vitæ calamitates non sunt æstimandæ.

*Stultitiam* ergò *operatur impatiens* judice *Salomone Proverb.* 14, 17. Nam ut effugiat momentaneas hujus vitæ ærumnas, αὐτοχειρίᾳ suâ in æternum se præcipitat exitium.

*Medela pro iis, quos præposterus zelus facit impatientes.*

Alios præposterus zelus impatiẽtes facit, quando nimirùm vident, se nec precibus nec monitis iniquitatem hominum corrigere posse, quo pacto *Martinus Imperatoris Constantini in Anglia* præfectus, cùm *Imperator* multorum sanguinem absque justa caussâ funderet, quod ipse precibus nullis impedire poterat, sibi ipsi mortem conscivit.

Sed hujusmodi zelotæ cogitare debent, nos nondum vivere inter angelos, sed in immundo mundo, ubi magna est confusio in omni vitæ genere, ob hominum peccata, quam nemo sua industria omninò corriget. Semper enim crescunt zizania cum tritico. *Flores inter spinas prodeunt, & rosa, quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit*, ait *Gregorius lib.* 20. *moral.*

Cogitent etiam *Davidem* de iniquitate hominum conquestum esse; *exitus aquarum*, inquit, *deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam Psal.* 119. *vers.* 136. *zelus domus tuæ comedit me, exclamat Ps.* 69, 10. neque tamen propterea vel mortem sibi imprecatus est, vel manus intulit.

Etsi ergò hominum malitia piorum animos excruciat, non tamen ideò manus removenda est ab aratro: sed faciat quilibet, quod suum est, eventum & successum committat Deo. Nobis plantantibus & rigantibus, dabit ipse incrementum. Vide exemplum patientiæ in *Ierem. c.* 17. *a v.* 15. *usq; ad* 19.

*Medela pro iis, quos ambitio facit impatientes.*

Alios ambitio facit impatientes, cùm majora viribus affectant, & cùm rem maximam, præsumptuosè nimis cæptam, perficere non possunt, vitam abrumpunt, ne se ignominiæ

miniæ exponant, cujus exemplum est *Simri*, qui per rebellionem nominis sui famam quærens, regem suum interfecit, cum universa ejus familia, & ipse sibi regnum rapuit: cùm autem alium regem sibi oppositum, urbemq; regiam expugnatam videret, ipse accensa pyra, in domo regia miserè periit 1. *Reg.* 16. *v.* 11. *seqq.* sic multi, qui nomen Christi & confessorum ejus extinguere voluerunt, ipsi manu sua misere perierunt, quod historia ecclesiastica de *Diocletiano, Maximino*, & aliis testatur.

His aliter consuli non potest, quā ut suo se metiantur pede, ea quę muneris sui non sunt, non affectent, contra stimulum non calcitrent, suamq; potentiam, omnipotentiæ Dei non opponant, ita liberi erunt à curis multis, quibus se præsumtuosi homines implicare solent.

Quòd si maximè tale quid ausi fuerunt, propterea sibiipsis vitam non abrumpant, sed temeritatem suam agnoscant, veniamque petant à Deo, quam seriò pœnitentibus non denegabit.

*Cõsultatio pro iis quos invidia facit impatientes.*

Alios invidia impatientes facit, nam rebus aliorum opimis marcescunt, alios sibi prælatos esse indignantur, & mori malunt, quàm deterioris esse conditionis. Sic *Achitophel* ægrè ferens consilium *Husai*, suo antepositum fuisse, sibiipsi jugulum fregit 2. *Sam.* 17, 23.

*Consilium pro iis, qui ex avaritia sunt impatientes.*

Nec desunt, qui ferre non potuerunt, ut rerum pretia minuerentur: ideò sibiipsis manus intulerunt, quia occasionem lucrandi sibi ereptam doluerunt.

Quid aliud his opponas, quàm animum sua sorte contentum, & beneficiorum divinorum memorem? alienum autem est à nomine & professione Christianorum, aliorum fortunis invidere, Dei bonitatem non agnoscere, eoq; nomine sibi ipsi vim & injuriam inferre.

Tot modis igitur malignus spiritus nos ad αὐτοχειρίαν sollicitare potest, quem Dei adjuvante gratia pellent, qui remediis hactenus monstratis utuntur.

## CASUS XIV.

*Quid si quis melancholia præventus sibiipsi manus intulisset, num de salute ejus penitùs desperandum esset?*

*Aff. de iis qui moriũtur in finali impœnitentia & incredulitate.*

RESP. Gravissima est sententia Filii Dei, *qui non crediderit, damnabitur, Marc.* 16. *v.* 16. & *jam judicatus est, quia non credit in nomine filij Dei Iohan.* 3, 18. quæ sententia eos, qui ex desperatione sibi manus inferunt, simpliciter damnat, quia credere & diffidere seu desperare sunt opposita *Rom.* 4, 20. Hinc *Siracides* scribit: *va dissolutis corde, qui non credunt Deo, ideò non protegentur ab eo Sir.* 2, 14.

Patres quoque nullam de salute ipsorum

Digitized by Google

psorum spem habent: *qui seipsos interficiunt*, scribit *Origenes lib. 2. in Iob. nunquam requiem habebũt, nec invenient refrigerium, sed animæ eorum mox ut de corpore exierint, in tenebras deducẽtur*. Et *Augustinus lib. 1. de civ. Dei cap. 26. reos suæ mortis melior vita post mortem non suscipit.*

Eamque ob causam legibus civilibus cautum est, ut, qui ex desperatione sibi ipsis manum intulerant, honestâ sepulturâ priventur: æquum enim est, ut qui scelerate vixerunt, & in peccatis suis perierunt, etiam in sepultura corporum à fidelibus Christi membris separentur.

Non quidem desunt, qui factum hoc τῶν ἀυτοχείρων, si non prorsus excusant, emollire tamen tentant.

Prætendunt enim exemplum *Simsonis Iud 16. vers. 30.* quem nemo damnat, licet sibi ipsi mortem consciverit.

Sed factum Simsonis est heroicum, quod nemo sine peculiari vocatione Dei imitari debet. Erat Simson judex & Salvator populi, & ad hoc divinitus excitatus, ut liberaret populum suum è manu *Philistinorum Iud. 13, 5.* Cùm ergò jam in manibus hostium esset, cœcus & captivus, maluit ipse unà cum hostibus mori, quàm vocationem suam deserere: quod factum, tantum abest, ut reprehendat scriptura, ut potiùs commendet, eò, quòd plures interfecerit moriens, quàm antea vivus occiderat, *Iud. 16. v. 30.* ideò in catalogo fidelium reperitur, *qui per fidem devicerunt regna, & operati sunt justitiam Heb. 11. v. 32.* & *Augustinus factum Simsonis* ad Spiritum sanctum refert, *quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat lib. 1. de civ. Dei c. 21.*

Præterea existimatur Simson etiam hoc in genere typus fuisse Christi, qui animam suam posuit pro ovibus. Quod autem ea, quæ à sanctis typicè facta sunt, ad imitationem proposita non sint, omnes sciunt.

Alii putant vitam antè benè actam corrigere violentam mortem.

Sed his opponimus πολυθρύλλητον illud:

*Finis non pugna coronat.*

Scriptura docet, Deum non recordaturum ampliùs *omnis justitiæ prioris, si justus à justitia sua se avertit, & abominationem fecerit Ezech. 18, 24.* Periculosum ergò est iis promittere salutem, qui de salute sua ipsimet desperarunt, & vel ex avaritia, invidia, vel etiam ex impatiẽtia cruciatuũ, vel ex alio aliquo malo proposito desperabundi sibi manus intulerunt. *Timidis enim & incredulis pars erit in stagno, ardente igne & sulphure, Apoc. 21. 8.*

Alia verò est ratio eorum, qui nimiâ prœventi tristitiâ sibi lethale vulnus intulerunt, sed antequam exspirant, ad se redeunt, seriaque pœnitentiæ signa ostendunt: de horum salute non est desperandum, nam & ultima suspiria pœnitentium respicit Deus, quemadmodum latro in cruce paulò ante mortem conversus est, & *Philippis* præfectus carceris evaginato gladio se jam

jam

jam interfecturus pœnitentiam adhuc egit *Actor.* 16, 27. dives est Deus in misericordia, nec abbreviata manus ejus, ut salvare nequeat, nec aggravata auris ejus, ut gemitus eorum, qui in portis mortis ad ipsum clamant, exaudire nolit.

Ita si quis non ex desperatione aut malo proposito, sed ex phrenesi aut melancholiâ laborans, sibi ipsi mortem consciverit, nostrum non est, præcipitare judicium, præsertim si antè piè vixerit.

Magna enim est vis tentationum, quæ pientissimum animum *Iobi & Ieremiæ* adeò aggravarunt, ut uterq; diei nativitatis suæ maledixerit, *Iob*, 3, 3. *Ier.* 20. *v.* 14.

Interrupta in talibus est ratio & sensus humanus, ut verè nesciant, quid faciunt. Si ergo priusquam paroxysmus phreneticus & melancholicus in ipsis invalescit, peccata sua agnoscant, fidei in Christum confessionem edant, animam suam Deo commendent, &, ne quid durius in ipsos Deus permittat, orent, & tamen postmodum quasi mente capti in proprium corpus fiant injurii, non temerè damnandi sunt: alienum enim opus fecerêre præter voluntatem suam, ex imbecillitate cerebri, quemadmodum pii sæpenumero experiuntur & conqueruntur, quod carne prævalente non, quæ velint, faciunt, ut exemplum *Pauli* testatur *Rom.* 7, 19.

Quam ob causam aliqui in ea sunt opinione, quod tales à diabolo, qui in phreneticis & melancholicis occupatissimus est, interficiantur: quâ de re legitur *Decret.* 15 *quæ.* 2. *c. insanientes*: *illud certè affirmare à veritate alienum non est, quòd diabolus manu & mente illorum in rem suam abutatur.*

Quemadmodum ergò in politicis judiciis damna à phreniticis illata, non imputantur ipsis, ideo propterea non puniuntur, quia citra voluntatem & propositum id fecerunt: ita nec culpa hæc αὐτοχειρίας imputari potest miseris, qui ex impotentia mentis sibi ipsis violentas manus intulerunt, quod si sanæ mentis fuissent, sine dubio intermisissent.

Quemadmodum etiam Deus ipse in judicio suo peccata infirmitatis nemini piorum imputat, sed remittit ea ac tegit: ita credimus omnino, ipsum pro immensa sua misericordia peccatum αὐτοχειρίας, quod ex infirmitate, ipsis autoribus quasi insciis, committitur, non imputare, sed ex gratia remittere propter Christum, in quem miseri illi crediderunt, quæ ipsorum fides per accidentem istam infirmitatem æq; non perit, ac eorum, qui naturali quidem morte obeunt, sed horis aliquot ante obitum ratione & sensibus omnibus per violentiam morbi privantur.

Ad hanc classem τῶν αὐτοχείρων, de quorum salute benè speratur, referunt nonnulli etiam virgines & mulieres illas, quæ, ne pudoris sui jacturam facerent, sibi ipsis mortem consciverunt, quod *Ambrosius* com-

*An ad hanc classem referendæ virgines αὐτόχειρες quæ ob pudicitiã*

*retinendam se occiderūt.* mendat in *Pelagiâ lib. 3. de virgin. &* *Nicephorus* in aliis *lib.7.c.12.*

Sed quanquam laude dignum eſt, quòd caſtæ illæ animæ pudoris ſui tam obſervantes fuêre: hoc tamen medio saluti ſuæ conſulere non potuerunt: *quia, qui totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit: non mœchaberis, dixit etiam: non occides; quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es transgreſſor legis Iac. 2. verſic. 10.11.*

Deinde Apoſtoli *Pauli* regula eſt: *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona Roman 3.* Hinc *Auguſtinus ſcripſit lib.1. de civit. Dei c.17. nec propter bona aſſequenda, nec propter mala vitanda licet ſe interficere.*

Præterea non eſt diffidendum providentiæ divinæ, quâ Deus etiam ex mediis periculis evaſionem facere poteſt. *Lothum* certè ex manibus impuriſſimorum *Sodomitarum* mirabiliter eripuit *Geneſ.19.* *Suſanna* quoque caſtitatem & innocentiam miris modis protexit. Similia teſtatur *hiſtoria eccleſiaſtica de Potamiena virgine Alexandrina, de Agnete, Theodora*, & aliis, de quibus vide *Euſebium lib.6.c.5. Ambro, ſerm.19.*

Tandem ſciendum, quòd ſi maximè corpus polluatur, caſtitas tamen non auferatur, ſi voluntatis aſſenſus non acceſſerit. *Voluntas enim aſſentientis caſtitatem violat, non impetus violantis, nec de ipſo corpore perit caſtitas, quia eo ſanctè utendi perſeverat voluntas, & quantum in ipſo eſt, etiam facultas, ut Auguſtin. loquitur lib.1. de C.D.c.16.* Quòd ſi maximè peccatum commiſſum eſſet, melius tamen eſt, vitam habere ſuperſtitem, ut pœnitere poſſis, quàm eam pdere, ubi id quod peccatur, tolli nō poteſt. *Nonne ſatius eſt*, inquit *Auguſtinus, flagitium committere, quod pœnitendo ſanetur, quàm tale facinus, ubi locus pœnitentiæ non relinquitur?*

Ultimo loco non habent juſtam facti ſui cauſam, aut enim caſtitatem ſuam cuſtodire volunt: eam verò invito concubitu non amittunt; aut voluptatem aliquo ex facto capiunt, & ſic in peccatis ſuis pereunt. Hinc ſunt verſiculi non inelegantes de *Lucretia*, quæ caſtitatem vitâ ſuâ redimere voluit:

*Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,*
*Immeritò ex merita præmia morte capis:*
*Sin potius caſto vis eſt illata pudori:*
*Quis furor, alterius crimine velle mori?*
*Fruſtra igitur laudem captas, Lucretia, namq;*
*Vel ſcelerata cadis, vel furioſa ruis.*

His de cauſis diſſuadetur *αὐτοχειρία* caſtitatis retinendæ gratiâ attenta, quæ ſi perfecta fuerit, non videmus, quæ ſpes ſalutis eſſe poſſit, cùm factum hoc pugnet cum quinto præcepto, ob mortis illationem, & cum primo ob providentiæ divinæ negationem.

CAPUT

Digitized by Google

## CAPUT V.

### *De casibus conscientiæ in actionibus cum magis & veneficis.*

*Magi vocabulum est μέσον.*

MAgorum nomen est ex numero eorum, quæ μέσα sive media appellantur, quia in bonam & malam partem usurpantur, ut vox *Sophi*, *Tyranni*, & similes.

*est origine Persicum.*

Est etiam magia vox *Persica*, significans rerum divinarum & humanarum scientiam; magus idem est ac sapiens, sophus ac sacerdos *Persarum*. Unde in scriptura *Persarum Sophi* vocantur magi ex oriente *Matth.2,1.*

Postea in malam partem accepta fuit hæc vox, quia plerique religionis & arcanæ scientiæ obtentu, artes maleficas exercebant, uti *Plinius* conqueritur *initio libri trigesimi historiæ naturalis.*

*Duplex magia. 1. legitima.*

Hinc *Philo libro de legibus*, annotante *Casaubono exercit. 1. in annales ecclesiast. Baronij, num.* 19 duplicem facit magiam, quam distinctionem etiam *Hieronymus ad Paulinum*, & ex patribus multi alii cognoscunt: *legitimam unam*, circa cognitionem naturæ versantem, regibus maximis, præsertim *Persarum*, coli solitam: de qua scribit *Cœl. Rhod. lib 9. lect. variar.* quòd & magi interdum dicantur *Prophetæ*, cùm futura præsagiunt, ac religioni annexam medicinam consectantur: alteram

*2. spuria & illegitima.*

παράκομμα ταύτης, adulterationem prioris, *Gallorum* matris Deum & similium æruscatorum commune instrumentum ad fallendum.

*De quibus magis hic agatur.*

De magis secundi generis hic agimus, ideo cum veneficis eos conjungimus, liceat ab his differant, eò, quod hæ veneno tollant homines, illi non semper, sed fallunt saltem & illudunt, aut si tollunt, non veneno hoc faciunt, sed pharmacis, hoc est herbis, ligaturis, incantationibus, aliisque sortilegiis: quod discrimen *Plato* annotavit *lib.11. de legib.* Tales Magi diversa habent nomina in linguis diversis.

*Hebræi quomodo vocent magos?*

Apud Hebræos vocantur מכשפים *Exod.7,10.22,18.* quæ vox est à radice כשף præstigias oculis offundere. LXX. interpretes Græci vocant φαρμακοὺς, quæ vox aliàs quidem notat veneficos, qui veneno nocent: sed quia Magi hominibus plerumq; nocent, pulveribus, ossibus & venenatis animalibus: idcircò & ipsi appellantur φαρμακοὶ φαρμακεῖς & φαρμακευταὶ, fœminæ verò φαρμακεύτριαι: quæ vox etiam Ethnicis scriptoribus familiaris est.

*Quomodo Ethnici vocent magos?*

Nam apud *Arist. lib.6 c.18. de hist. animal.* magi οἱ περὶ τὰς φαρμακείας vocantur. *Hippocrates in libro de morbo sacro* magos vocat μάγους, γόητας, φαρμακοὺς ἀγύρτας, qui se gloriantur *lunam deducere cœlo, solem obscurare*, tempestates ciere, deos subjicere.

*Quomodo Græci? Vox lamia unde derivetur?*

Græci vocant & magos lamias, unde sunt apud *Hesychium* λαμιώδεις γυναῖκες *Elias Levites mecaspha* Hebræorum exponit per *lamiã*,

 quam

quam nonnulli Latinam vocem esse putant, & à verbo lanio derivant, quòd laniat & scindat, ut *Penotus* annotavit. Rectiùs autem habetur pro Græca. Est enim lamia παρὰ τὸ λέλαμμαι, aut à voce λαιμὸς, id est, ingluvies, notat dæmonem muliebri formâ elegãtissimâ apparentem, quâ viatores ad se pellicit, & quàm primùm accesserunt, avidissimè devorat: ad sagas autem hæc vox translata est, quia humanum sanguinem avidissimè hauriunt.

Postea hæc vox latinitate donata est, undè *Apulejus* sagas vocat lamias, & *Horatius* in arte poeticâ:

*Neu pransa lamia vivum puerum*
*extrahat alvo.*

Et cùm apud *Esaiam cap.* 34. 14. *Babylonii* ob sortilegia reprehenderentur, & apud ipsos saltaturos satyros & dæmonas, ibique commoraturos לילית prædiceretur; Latinus interpres Hebræam vocem reddidit lamiam, LXX, ἐμπουσαν.

*An vox magi origine sit græca?* Sunt, qui etiam vocabulum magi Græcum esse putant, ut *auctor Etymologici & Eustathius*, qui derivant illud à verbo μάττειν, quod est pinsere ac subigere, fortè, quia magicis artibus dediti etiam coquendo sunt interdum occupati. Sed hanc vocem esse *Persicam*, suprà notavimus.

*Latinis cur magi dicantur sortilegi?* Latinis magi dicuntur sortilegi, quia per sortes, quas ex charta, vel membrana vel cortice legebant, artem suam exercebant: quod quidem certam speciem magorum facit, sed vulgò magi in genere ita vocantur latinis: ideò vetus Bibliorum interprès, tempore *Iezabelis* reginæ sortibus inquinatam fuisse terram scribit, quòd in *Hebræo* est: *mecasphim, magiis repleta fuit* 1. *Reg.* 18.

*Cur vocentur præstigiatores? Cur divinatores, incantatores, saga, striges, alrumnæ, Hexen &c.* Aliàs vocantur *præstigiatores*, quia præstigiis hominum sensus decipiunt: *divinatores*, quia futura & absentia prædicere & indicare audent: *incantatores* à cantando, quia carminibus invocant dæmones: *saga*, à satagendo, aut à sagiendo, ut nonnullis placet: rectiùs ab Hebræo Sagan, quod sacerdotem seu vatem denotat: *striges*, à strige ave nocturna & infaustâ:

*—— —— ——— nominis hujus*
*Causa, quòd horrendâ stridere nocte*
*solent,*

ut *Ovidius* scribit *lib.* 6. *Fast.*

[*Hanc avem quidam esse putant, quam Esaias c.* 34. *v.* 14. *Lilit vocat, à Lil nox, quia nocte volat: & dicitur puerperis maximè infesta esse.*]

Veteres *Gothi* magum *Alrumnã* dicebant, referente *VViero lib.* 3. *de præstig. dæmon. cap.* 1. vel *Hellerum*, hoc est, secretò cum inferis & dæmonibus colloquentem, unde & herba mandragora Hellerumna dicta est, quam & Germani Alraun appellant.

Germani magos vocant Hexen/ Zäuberer/ vnd Vnholden.

Eo autem nomine veniunt omnes, *qui scientes & volentes creaturis Dei aliter utũtur, quàm à Deo ordinatæ sunt, sive noceãt aliis sive prosint: unde mirabilia multa ex virtute diaboli, Deo permittente, vel faciunt & prædicunt,*

*sunt, vel facere & prædicere videntur, quæ quia secundum ordinem naturæ fieri nequeunt, ideò vulgò pro miraculis habentur.*

*Quid hoc loco intelligatur per magos.*

Ab hoc nomine & crimine excipiuntur, qui creaturis hoc modo utuntur non scientes & volentes, sed per errorem, & ab aliis decepti, ut si ægrotus diabolicam medicinam, quam medicus, (quem virum bonum esse judicabat,) porrexit, acciperet, non esset magus, quia justam causam ignorantiæ haberet: si verò medicus ipso præsente diabolum invocaret, aut superstitiosis verbis aut rebus uteretur, ægrotus non esset excusatus.

Habet autem diabolus varios modos ludificandi homines, sive ut prosit, sive ut obsit: hinc distinctæ fiunt Magiæ species.

*In Scripturis novem sunt Magiæ species inveniendæ.*

Deus ipse *Deuter.* 18. *v.* 10. in novem classes dispescuit. In primâ sunt *lustratores*, qui liberos suos ducunt per ignem: in secundâ *arioli seu divinatores*, qui quacunque etiam scripturæ inspectione, aut jactatâ revelatione, alios de rebus futuris aut absentibus docere & informare præsumunt: nam verbum Hebræum est à radice קסם, quod in genere docere significat *Mich.* 3. *v.* 11. interdum bonam divinationem notat, *Proverb.* 6. *vers.* 10. sed in malam partem plerumque accipitur pro illicitis divinationibus *Deut.* 18. *v.* 10. *Num.* 23 *v.* 23. *Ezech.* 13. *v.* 6. In tertiâ classe sunt *augures*, מעונן qui dubitantibus responsa dant, à radice ענה respondere. In quartâ sunt *calculatores*, qui dies numerant, alterum alteri præferunt, aut qui sortibus & numeris incumbunt. Hebræa enim vox מנחש à numerando nomen habet. In quintâ sunt *præstigiatores* מכשף, qui oculos hominum fascinant. In sextâ sunt *sortiarij*, seu qui se consociant, ut fit saltationibus & conventibus magorum. In septimâ sunt *pythonici*, qui spiritus invocant & occulta ab iis sciscitantur, ut olim fiebat in oraculis. In octavâ sunt *scioli*, qui diabolum consulunt, & ex ejus responso sapientiam suam produnt. In nonâ denique classe sunt *necromantici*, qui mortuis consulunt. Hæc sunt genera Magiæ, quæ scriptura monstrat.

Alii distinguunt in magiam propriè dictam, quæ aliàs est incantatio; in divinationem: & in superstitionem.

Usitatissimum est duas constituere species Magiæ. Una vocatur φαρμακεία: altera γοητεία. Illa complectitur hominum studium, verba & opera per incantationem, superstitionem & abusum creaturarum DEI. Hæc addit diaboli præstigias & operationes mirandas. φαρμακεία duplex est: una, quando venena præparantur, iisdemque hominibus & pecoribus nocetur, quo medio sæpenumero violenta pestis causata fuit: altera, cùm non venenis, sed verbis, characteribus, & herbis, aliisque superstitiosis rebus, quæ per se efficaciam istam, quæ sequitur, non habent, aliis nocetur, accedente γοητεία seu opera-

 tione

tione Satanæ, γοητεία etiam gemina est, una, cum quæ fieri videntur meræ sunt præstigiæ, & fascinationes oculorum, ut quod magi lunam videntur cœlo d. trahere, sylvas transferre, plaustrum fœni devorare, homines in bruta transmutare. Altera, cùm reverâ aliquid fit, licet modus sit præstigiatorius, ut cum subitæ cientur tempestates, morbi violenter infliguntur, amores illiciti inter homines accenduntur, res alienæ mira celeritate auferuntur, in quibus diabolus occultam suam operationem habet.

Ad γοητείαν refertur etiam Necromantia, cum vel mortui consuluntur, vel excitari à morte videntur: habere enim nomen dicitur à luctibus, hoc est, ἀπὸ τῶν γόων, qui ad sepulcra edi consuevissent, notante *Rhodig*.

*Frequentius fœminæ operam navant veneficiis, quam viri.*

In his artibus frequentius operam novant diabolo fœminæ, quàm viri, quemadmodum Saga magos invexit in *Samariam*, *Medea* in *Thessaliam*: Unde Dominus in lege dicit, non præstigiatorem, sed *præstigiatricem ne sinas vivere*, *Exod.* 22. *v.* 18. & Hebræorum proverbium est *quò plus mulierum, eò plus sagarum est*: quod & *Plinius* observavit, *qui fœminarum scientiam in veneficio*, (hoc est, in artibus magicis) *prævalere* scribit *lib.* 25. *nat. hist. cap.* 11. & *Quintilianus in declamatione*, *se latrocinium in viro faciliùs, in fœmina veneficium credere*, ait, quod aliqui ex infirmitate sexus, ob quam diabolus fœmellis magis insidiatur, esse putant;

*Quid sit causa hujus rei?*

alii brutæ cupiditati mulierum adscribunt, quæ eò fœminam adigit, ut perfruatur suis cupiditatibus, aut sese vindicet: alii ad providentiam Dei referunt, qui, sicuti facultatem Satanæ concedit plerumque in creaturas indigniores, ut serpentes, muscas & sim. les: ita & pestilentissimam artem magicam à sequiore sexu exerceri permittit, & in eo ab iis potissimùm, qui vitam more pecudum transigunt.

Sed eâ de re legantur autores, qui materiam hanc è professo tractarunt, ut *Bodinus*, *VVierus*, *Remigius*, *Godelmannus* & alii.

Nostri instituti est, consulere conscientiis, in iis casibus, qui circa magiam aut magos veneficasque incidunt: quam ad rem isthæc procœmii loco sufficiant.

## CASUS I.

### *Licetnè Christianis bonâ cum conscientia vel operam dare Magiæ, vel magicis artibus uti?*

*Magia naturalis licita est, quo pertinent sympathia & antipathia.*

RESP. Non loquimur hîc de magia naturali, quæ per causas naturales, sed non omnibus obvias, vel per occultas qualitates, nemini, nisi ex effectu cognitas, mira producit opera. Est enim inter res naturales sympathia, ut inter magnetem & ferrum, quod ille ad se trahit; est & antipathia, ut inter quosdam homines & feles: sic medicamen-

dicamenta quædam tantùm ad extra applicata, morbum tollunt: venenum à scorpionis ictu immissum à scorpione applicato extrahitur: à vipera injectum à carne viperina.

Talia multa sunt in natura, quæ ad magiam illicitam referenda non sunt, propterea iis bonâ cum conscientia uti licet.

*Quid hoc loco per magiam intelligatur.*

Sed agimus hîc de magia tali, quâ creaturæ Dei virtute diaboli aliter usurpantur, quàm à DEO sunt ordinatæ, sive ad inferendum, sive ad propulsandum aliquod malum.

Talem magiam hodiè multi deprædicant, & absque peccato usurpari posse putant. Inter quos est *Cornelius Agrippa*, & *Theophrastus Paracelsus*: *Agrippa* libros de *occultâ Philosophiâ* scripsit, quorum quartus est de ceremoniis magicis, quem clavem omnium magicarum operationum nominat, quanquam *VVierus* librum istum *Agrippæ*, (quem præceptorem & hospitem suum vocat) esse negat *lib.2. de præstig. dæmon. cap.* 5. ubi etiam summam istius libri ponit. *Paracelsus* non tantùm magos famosissimos, ne quidem Ægyptiis illis tempore *Pharaonis* exceptis, commendat, sed & artem ipsorum à DEO esse scribit, & ægrè fert, quod scriptura duriori verbo Zauberer eos appellat *lib.*15. *de morb. invisib. p.* 183. Idem multos morbos naturalibus remediis incurabiles magia curari posse statuit, eamque curandi rationem sibi non ignotam esse non diffitetur, vel à diabolo medicamenta & beneficia accipere, volupe putat. Modum curandi per magiam eos, qui arte magicâ læsi fuerint, ostendit *lib. de occul. Philos. p.* 289. ibidem campanã *Virgilii*, & cujusdam *Hispani* diabolos advocandi & repellendi, speculumque magicum, in quo omnia videri possunt, & similia probat *Lib.* 1. *Philosophiæ sagacis cap.* 4. sex species magiæ suæ facit, inter quas *una* docet facere imagines & sculptura, quibus mirandis characteribus & figuris, cœli vires imprimantur, quæ omnia præstent, quæ aliàs ex rebus naturalibus composita instrumenta faciunt. *Altera* imagines conficere docet, similes his, quibus eæ destinantur, quibus quidquid infligitur, ii patiantur, quorum sunt imagines. *Tertiam* vocat Cabalam, quâ rationem ac modum tradit, quo characteribus, sigillis, figuris, verbis admirandis impossibilia aliis perficiantur: magiâ enim Cabalisticâ præstari posse docet, ut quis posset audire vocem ultra mare, alienis habitans in occidente loqui cum aliquo habitante in oriente, &c.

*Paracelsus sex species magiæ facit.*

Huic arti magicæ plurimùm hodiè tribuunt *Paracelsi* discipuli, qui eam magnoperè laudant, splendidoque titulo lucis naturæ insigniunt, cujus esse dicunt, (ut *Andreas Libavius contra Crollium pag.* 55 summam istius magiæ recenset) præci-

pere spiritibus immundis, ut adsint ad ministeria; tempestates ciere; sata transferre; caput demere hominibus, iterumque imponere; unico momento cœnas Magicas exhibere; affigere cornua; bibere ex cribro; sistere pridem defunctos; tribus jaculis ex arcu, aut globulis ex bombardis emissis, omne, quidquid velis etiam non visum conficere; in speculis videre omnia præterita & præsentia & futura; ficta, dicta, scripta, cogitata: sanare per maximas distantias, colloqui cum eo, qui est in Persiâ, cùm tu sis in Hispaniâ; in luna legere scripta ejus, qui mille miliaribus abest, & quæ sunt hujus generis multa alia, quæ loco citato apud *Libavium* legi possunt.

Has artes hodie multi, ut pias, bonas & hominibus utiles, deprædicant, *Paracelsus* etiam argumentis aliquot defendere, & à magiæ illicitæ crimine liberare audet, quarum refutationem vide apud *Dn. D. Danielem Sennertum de Chymicorum cum Galenicis & Aristot. consensu cap.* 13.*p.*371.

Ista omnia magiæ illicitæ accensemus, & certò persuasi sumus, neminem bonâ cum conscientiâ ea vel exercere, vel usurpare posse, sive in commodum sive in incommodum aliorum fiat, adeoque omnem, qui Christiani nomen reipsâ tueri, qui Deum propitium, qui fidem & conscientiam illibatam retinere voluerit, ab his artibus prorsus abstinere debere.

*Rationes,* Cujus nostræ sententiæ fundamenta habemus infallibilia. (1.) DEUS in lege prohibuit: *maleficos non sines vivere Exod.* 22. *vers.* 18. *non declinetis ad magos, nec ab ariolis sciscitemini aliquid, ut polluamini per eos Levit.* 19. *v.* 31. *& cap.* 20. *v.* 6. *anima quæ declinaverit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei.* Similia vide *Num.* 23. *v.* 20. *Deuter.* 18. *v.* 13. *Vide Psal.* 109. *v.* 7.

*quod nemo magicas artes vel exercere vel usurpare salvâ conscientiâ possit.*

*1. ratio, à divina prohibitione.*

(2.) Origo magicarum artium est à spiritibus malis, *qui* dicente apud *Clementem Petro lib.* 4. *recognit. eos docuerunt artibus quibusdam obedire naturalibus.* Primus inter homines fuisse fertur *Cham Noe* filius, qui eam artem filio suo *Mesraim* docuit, quem gentes *Zoroastrem* appellarunt: quem *Plinius lib.* 30. *nat. hist. cap.* 1. *Berosus* & plerique alii gentilium ut & *Augustinus lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 14. primum magum appellarunt; propter hanc ergò infamem originem Christiani cum his artibus nihil habere commercii debe-rent.

*2. à magicarum artium autore.*

(3.) Veneficia inter opera carnis referuntur, quæ hominem à regno Dei excludunt *Gal.* 5. *v.* 20. quo in loco est in Græco φαρμακεία, quæ vox & naturale venenum, & sortilegium, seu artem magicam notat, ut suprà ostendimus.

*3. à magiæ deformitate.*

(4.) Pii omnibus Diaboli operibus valedixerunt in baptismo, & aliàs *nulla est conventio Christo cum Belial* 2. *Corinth.* 6. *v.* 15. Jam vero certum est, quod opera magiæ illicitæ

*4. à Christianorum baptismo ejusque fœdere.*

citæ ſint à diabolo : quia neque ex vi naturæ , neq; ex ſpeciali DEI auxilio fiunt : ſemperq; accedit vel tacita vel expreſſa diaboli invocatio , ad cujus confirmationem vel obligationẽ adhibentur ſymbola quædam externa, ut verba , characteres, imagines,aut res naturales,in quibus nulla prorſus vis eſt producendi illos effectus, quos magi producere ſolent.

Scribit *Paracelſus lib.* 1. *philoſ. ſagacis cap.* 6. *naturam vires ſuas in verba impoſuiſſe , ſicut in herbas & radices : imagines & characteres dixit eſſe pixides,in quibus magus ſiderum vires aſſervet.*

Sed pii imagines illas & characteres pro teſſeris & ſigillis diaboli habent : *Paracelſus* autẽ etiam à diabolo remedia cõtra morbos deſperatos accipere, integrum putat:id verò ſalvâ pietate fieri non poteſt : omnia enim opera diaboli ſuſpecta ſunt , qui cũ maximè prodeſſe videtur, inprimis nocet. Et ſi maximè prodeſſet ſemper , contra fiduciam tamen in Deum eſt, ab hoſte auxilium petere. Juſtiſſima ergo cauſa eſt , cur artes magicas neq; ſectari neque uſurpare debeamus,quia diabolicæ ſunt, quarum inventor eſt diabolus , & efficacitatem ſuam à diabolo habent.

*5. ab Ethnicorum damnatione & rejectione.*

(5.) Magia etiam ab Ethnicis damnata fuit: *Plato lib.* 11. *de legibus* capitalem pœnam in ſacerdotes ( ita vocabantur magi, teſte *Ioſepho lib.* 2. *antiquit: Iudaic.* ) & aruſpices decernit , qui ſacrificiis, ligaturis, incantationibus , aliisve ſortilegiis hominẽ enecaverint , quam legem inſcripſit *λόγον ἠδὲ νόμον περὶ φαρμακείας.* Etſi enim refertur inter legitima gentilium *Lev.* 20. *v.* 23. ſapientiores tamen animadverterunt tandem abominationem harum artium : ideò in legibus XII. tabularum prohibetur , & inter artes infames refertur : & apud *Virgil. l,* 3. *Georgic. ſagæ malæ vocantur novercæ.*

*6. à legum civilium ſevera punitione.*

(6.) Leges etiam civiles artes magicas damnant , ut diabolicas. Nam *l. ex Senatuſcõſulto de ſicariis legis Corneliæ* pœnâ tenetur, qui mala ſacrificia fecerit,habuerit , puta deteſtabilia Magorum ſacrificia , non autem paganorum , ut *Accurſius in gloſſâ* tradidit , cùm autor ipſe legis paganus eſſet,ex *l. ult. de maleficis C. morte digni judicantur* , qui magicas exercent artes,quam legem *Philo Judæus* cum lege Dei *Exod.* 22, 18. conjungit : *lex Dei* , inquit, *à Magis & veneficis abhorret , qui modis artibusque damnandis mille mala perpetrant , & eos , quo die fuerint intercepti , morte multari jubet : quemadmodum ſancit l. ultima de maleficis C. ut qui magum retexerit , illicò ad publicum pertrahat.*

*7. à multiplici damno magiæ.*

(7.) Accedit denique multiplex damnum , quod per magiam proximo infertur. Magia hominis animum ita faſcinare poteſt , ut religione verâ abnegatâ , falſæ ſe aſſociet , citra ullam cauſam probabilem, quemadmodum de *Simone Mago* legitur *Actor.* 8. *v.* 9. quòd ſeduxerit gentem *Samariæ* , dicens , *ſe eſſe*

*aliquem magnum, cui auscultabant omnes, à minimo usque ad maximum, dicentes: hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.* In græco est ἐξιςῶν τὸ ἔθν⊗, *de mente dejiciens*, seu *dementans gentes*. Sic *Elymas* magnus plenus fuisse dicitur omni fallaciâ, qui imposturis utebatur in negotio salutis, *avertere quærens proconsulem à fide Actor.* 13. *v.*8. seqq. De *Galatis* scribit *D. Paulus*, quòd *fascinati fuerint, ne obedirent veritati Gal.* 3.1.

Magia animos hominum etiam aliis in rebus ita ligat, ut vel manere certo in loco, vel amare etiam invitum, vel abhorrere ab aliquo cogantur absque causâ, quo pacto philtra amatoria multos reddiderunt insanos & furiosos, sæpenumero conjuges vatiniano odio se prosequuntur invicem absque causâ; judices etiam interdum ita dementantur, ut non possint non favere parti, licet injustam causam habenti.

Magia morbos corpori immittit lethales, aliísq; modis corpori nocet, de quo vide *Chrysostomum in oratione de pulchritudine & uxore.*

Magia multa committit furta, latrocinia, pecuniam, vestes & similia miris artibus abalienat, quâ de re videatur *Augustinus lib.*8 *de civ. Dei c.*19.

Magia fœcunditatem conjugum intercipit, sterilitatem inducit. *Bodinus* scribit *lib.*2. *demonio. cap.*6. extitisse olim in *Africâ* familiam, *quæ solo adspectu vel laudatione homines enecabat, quod Solinus, Memphodorus, Plinius, Gellius & Isidorus* etiam confitentur.

Magia præstringit hominum oculos, ut multa mira videantur fieri, quę tamen non fiunt: quâ ratione sensibus hominum illudit, & ex vero falsum facit, quod ipsum rigore legum divinarum, quæ ne quidem præstigiatorem sinunt vivere, pœnâ dignum est.

Tam multa incommoda secum fert magia: quam proinde exercere, & usurpare impium est, & à nomine Christiano prorsus alienum.

Objiciunt magicarum artium cultores (1.) *utilitatem*, quam nonnulli exinde habēt. *Hoc enim modo*, inquiunt, *diabolum fugare, morbos pellere, incantationes avertere, & à periculis multis immunes esse possumus.* *Solvitur prima objectio ab utilitate.*

Sed in genere sciendum est, *non esse facienda mala, ut eveniant bona Rom* 3,8. *Auxilium nostrum est à Domino, qui fecit cœlum & terram Psal.* 121 *vers.*2 media auxilii non sint illicita; diabolus cedit interdum cultoribus suis, ut magis ipsis noceat. Pellendis morbis medicina parata est à Deo, qui vult nos honorare medicū, non adorare diabolum. In quam sententiam *Chrysostomus* scripsit, *martyres esse, qui ad sanandos morbos sagarum medicinâ uti, persuadere sibi non permittunt.*

(2.) *Voluptatem*, quam ex magicarum artium exercitio se habere putant, quales sunt præstigiatores, qui multa incredibilia facere videntur, plaustrum fœno plenum deglutire, cotem secare, aquam ex cribro bibere, *2 objectio de voluptate solvitur.*

Digitized by Google

bibere, bellaria mirâ arte confecta apponere, personas jam pridem mortuas repræsentare, & similia, quibus & se & alios oblectant: quorum aliqua mirâ celeritate peraguntur, aliqua verò non sine operâ diaboli fiunt.

Sed hæc non est liberalis & laude digna voluptas, quæ vel diaboli ministerio paratur, vel parari videtur. Omnibus enim operibus Satanæ abrenunciavit homo pius, sive utilitatem aliquam, sive oblectationem tantùm afferant: ideò, qui talia opera exercet, vel iis oblectatur, adversarius Christi, & minister Satanæ est: *qui enim non est mecum*, inquit Christus, *adversum me est*, *Luc.* 11. v. 23.

3. *Objectio sumpta ab exemplo Christi, solvitur.* (3.) Omnium pessimi sunt, qui rerum magicarum exercitiis se imitatores Christi esse putant. Sunt enim non Judæi tantùm, qui Christum beneficio magiæ miracula sua edidisse blasphemant, quá de re legatur *D. Luther. us in Schemhamphoras tom.* 8. *Ien fol* 109 *seqq german.* Sed & *Augustinus* scribit de gentilibus quibusdam, qui jactarunt se vidisse & legisse libros aliquot Christi ad *Petrum & Paulum*, in quibus scripta esset summa totius artis magicæ, ex cujus peritiâ Christus, dum vixerit, tot tantaque miracula ediderit; quam blasphemiam *Augustinus libr.* 1. *de consensu Evangelistarum cap.* 9. 11. 10 refutat: quia nimirum illi, qui libros istos se legisse affirmant, talia miracula non faciunt, qualia in libris istis contineri aiunt, & quia ad *Paulum* tanquam familiarem Christi, libri isti non potuerunt scribi, quia *Paulus* post Christi demum adscensionem in cœlos ei familiaris factus est: & quia miracula Christi jam pridem à Prophetis fuerunt prædicta, & inter signa Messiæ numerata.

Nihil ergò est, quo artes magicæ vel ad speciem duntaxat palliari, aut excusari queant: à quibus proinde, qui Deum timent, haud immeritò toto pectore abhorrent.

## CASUS II.

### *Estnè magicum & illicitum, contra injuriam globorum & ictuum hostilium, corpus suum facere immune?*

Resp. De similibus idem est judicium, & quod generi competit, ad omnes quoque ejus species pertinet. Cùm ergò magicæ artes simpliciter omnes adversentur Deo, & veræ pietati, de iis sanè aliter judicare non possumus, quàm quòd ii, qui se certis artibus à ferro & globis bombardarum immunes faciunt, contra Deum & pietatem faciant, utut hæc ars hodie apud eos, qui castra sequuntur, sit maximè familiaris.

Deus ita condidit corpus hominis, ut vehementiori ictu fiat dissolutio continui, quam sequitur dolor: glo-

bos itaque igneos excipere manicis, ictus excipere nudo & illæso corpore, est contra ordinem à Deo in natura constitutum. Rebus autem à Deo conditis aliter uti, quàm ut à Deo conditæ sunt, magicum est: & corpus ab instrumento lethali graviter tactum, à vulnere tamen servare tutum, diabolicus servandi modus est, quo Satan permittente Deo, homines in cultu & devotione sua conservat.

Nam quòd ejusmodi conservatio à Deo sit, dici non potest, qui sine miraculo naturæ ordinem non mutat: neq; est ab hominibus, quibus tam insuetos effectus producere, possibile non est: neque etiam à mediis illis, quæ in istâ arte adhibentur: ea enim tantam vim evertendi id, quod naturale est, non habent: ergò à diabolo, cum quo artium harum admiratores vel tacitè vel explicitè colludunt.

Etsi enim non omnes, qui arte istâ utuntur, animum habent gratificandi diabolo, multi etiam diabolum cum istâ arte aliquid commercii habere non putant: primus tamen inventor artis sine conspiratione cum Satanâ præternaturalia ista nec excogitare, nec in effectum deducere potuit: reliqui postea, quibus ista ars arridet, etiam inviti in istam cum diabolo conspirationem ejusque cultum consentiunt: ideo nec piorum ullus in populo Dei, ubi bella difficillima contra varios hostes gesta sunt, arte istâ usus legitur: neque credibile est, eam ipsos vel ignorasse, vel tam diu occultam esse potuisse, si à Deo esset, cum Deus aliàs rebus necessariis populo suo satis prospexerit.

Si etiam media consideres, quib. effectus iste producitur, ea sunt aut verba, aut characteres, aut simile quippiam, cui Deus tantas vires tam miranda, & quæ contra constitutionem corporis naturalis sunt, efficiendi, non indidit.

Quemadmodum ergò magicum est, magnos exercitus voce aut fistulâ in fugam vertere, bombardas adjurare, ne explodantur, armaturas, clypeos globosque Martios facere, quibus saltem visis hostiles fundantur exercitus: ita à magiâ alienum esse non potest, à globorum ictuumque injuriâ corpus suum immune reddere.

Qui ergò Deum timent, has artes relinquat iis, qui humanis aut diabolicis nituntur præsidiis. *Qui habitat in tentorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, dicetq; Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum Ps. 98, 1.*

Quod justum est, justè persequamur, armis & mediis nos protegendi licitis utamur, cætera commendemus Deo, in cujus manibus sunt sortes nostræ, & sine ejus voluntate ne capillus quidem cadet de capite nostro. Nam ut *Paulinus* poeta Christianus loquitur:

*Sicubi Christus adest, vel murus araneus esto:*
*Sicubi Christus abest, vel murus aranea fiet.*

CASUS

## CASUS III.

### *Suntnè magis annumerandi, qui per verba certa morbos curant, aut alia mira efficere videntur?*

RESP. Inter omnes ceremonias Magorum & sagarum, nihil usitatius est verbis: unde & magi incantatores vocantur, quia carminibus utuntur, quibus etiam se cœlo deducere lunam posse putant, quemadmodum *Canidia* apud *Horat.* gloriatur,

*polo deripere lunam vocibus possum meis.*

& *Virgilius* in arte magica *herbas, & non innoxia verba* conjungit: quantamque vim incantationibus tribuerint veteres, ex illo poetæ versiculo constat:

*Frigidus in campis cantando rumpitur anguis:*

quam vim incantationum divino oraculo nonnulli confirmare nituntur. Nam *in Psal.* 58, 4. legitur: *furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.*

Et generalis est opinio multorũ, inter quos est *Plato in Cratylo*, naturaliter nomina imposita esse rebus, quia naturalem habeant vim operandi in naturâ; sed non omnia, verùm ea, quibus loquuntur Dij.

Hinc in *Papatu* reperiuntur multi, qui putant verba Hebræa, (quâ linguâ Deus fuit usus in sermone cum Patriarchis) *Alleluja, Hosianna, Sabaoth, Ephata* in ecclesiasticis hymnis & in Evangelio retineri, quia vis eis naturalis insit, aliàs & ipsa in latinam linguam facilè transferri potuissent. *Pontificiorum superstitiosa opinio.*

Hanc quoque rationem esse putant, quòd exorcistæ conceptis quibusdam verbis utuntur, & inprimis in nomine Jesu, dæmonia ejiciant, quia his ipsis literis & sono vocis Jesu vis & efficacia illa pellendi dæmones insit.

Et propter hanc, quam verbis tribuunt efficaciam, fieri putant, quod salutatio angelica & preces nunc ter, nunc quinquies, nunc quinquasies, nunc pluries repetantur, quia in ipsâ verborum sanctorũ recitatione vim quanquam animæ salutarem inesse existimant.

Medici etiam antiquissimi verbis quibusdam vim quandam naturalem pellendi morbos tribuunt, *Plinius lib.* 28. *nat. hist. cap.* 2. ex *Homero* refert, *Vlyssem* profluvium sanguinis vulneratæ fœminæ inhibuisse carmine. Ex *Theophrasto* refert Ischiadicos sanari carminibus: ex *Catone*, eluxatis membris auxiliari carmen: ex *Varrone*, carmina prodesse podagricis, *Trallianus lib.* 9. *cap.* 4. & *Aetius lib.* 8. *cap.* 50. scribunt: ossa gutturi infixa per incantationes exspui. *Plinius* ex *Attali* sententiâ narrat, prolatâ hac voce, Duo, visum cohiberi scorpium, ne vibrare ictus *Medicorũ quorundã error.*

ejus possit. *Theophrastus Paracelsus lib.*1. *Phil.sagac.cap.*6. scribit: naturam vires suas in verba imponere, sicut in herbas, & radices. *Augerius Ferrerius lib*. 2. *method. cap*. 11. multum tribuit curationi morborum per verba, eò, quòd veterum medicorum experientiâ approbata sit. Efficaciam autẽ istam non tribuit verbis, sed consensui animorum tam in medico, quam in patiente: magnam enim esse vim animi confidentis, & cum medico conspirantis. Si autem æger diffidat, aut planè ridiculum existimet remedium, aut circumstantes habeat, qui fidem elevent, & remedium coram illo contemnant, præcantanti nullam vim esse, quia persuasioni suæ repugnantem habeat alterius animum.

*Verba quibus non nulli utuntur.*

Verba autem quibus hoc in genere utuntur, non sunt unius generis. 1. Quædam sunt *significantia*, quædam *nihil significantia*, & planè peregrina, ut quod apud *Quintum Serenum* legitur, inscriptam certo quodam modo vocem hanc *Abracadabra*, & chartâ lino inclusam, atque collo suspensam, sanare hemitritæum.

2. Quædam verba sunt *bona*, quædam *mala*: Mala sunt preculæ quædam, quibus evocantur dæmones in auxilium, ut apud *Horatium de Canidiâ* legitur, apud *Ovidium de Medeâ. Quædam* bona, ut nomen Jehova: Jesu; patris, filii & Spiritus Sancti, nomen B. virginis, duodecim Apostolorum, trium Regum, & aliorum sanctorum: quinq; vulnera, & passio Christi, heptalogus Christi in cruce, titulus crucis Christi, Ave Maria, Pater noster, &c. 3. Hæc & similia verba interdum pronunciant super ægrotum, interdum chartæ aut pergamenæ inscripta collo appendunt, præsertim Evangelium Johannis; interdum pani & butyro inscribuntur, & sic ægrotis deglutienda præbentur, præsertim à rabido cane vulneratis.

4. Verba hæc interdum clara voce pronunciant, interdum, (& quidem frequentiùs) tacitè demurmurant: quo digitum intendit Propheta *Esaias cap*. 29, 3. ubi de extremâ afflictione *Hierusalem* per similitudinem loquitur: *humiliaberis, & de terrâ loqueris, & de humo audietur eloquium tuum, & erit quasi Pythonis de terrâ vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.*

Hæ sunt artes eorum, quæ per verba vel morbos curant, vel alia mira efficere audent, quorum vanitas jam detegenda est, ut appareat, ipsos non liberales, sed curiosas exercere artes, ac proinde magis haud immeritò annumerari.

*Rationes, quòd improbanda sit curatio morborum per verba, aut aliorũ mirorum per eadem effectio.*

Principio igitur sciendum, quòd verba quidem sunt notæ rerum, sed non uti res naturales suam habent efficaciam naturalem, ita & verba: ea enim cum rebus nihil commune habent, sed sonus tantùm sunt, ab aere diverberato factus, vel literæ chartis inscriptæ: quod autem has vel illas res significant ab homi-

num

num duntaxat eſt voluntate. Unde & ſermo homini non eſt naturalis, licet loqui naturale ſit, ſed hoc vel iſto idiomate loqui naturale non eſt, ſed ex conſuetudine, aliàs, ſicut omnibus hominibus una eademq; eſt natura, ita & omnibus unus idemque ſermo eſſet, nec tanta in mundo inveniretur linguarũ varietas. Quemadmodum ergò DEUS hominis animum naturâ fecit inertem, ut quamlibet artem diſcere poſſet: (quam ob cauſam *Ariſtoteles* eum *tabulæ raſæ* comparavit, *cui nihil eſſet inſcriptum, omnia autem inſcribi poſſint*:) ita fecit etiam omni ſermone carentem, ut omnes poſſet diſcere.

Si ergò verba ex ſe & ſuâ naturâ nihil ſignificant, ergò multò minùs in ſe & ſua naturâ aliquid efficiunt, & ſic nullam quoque vim medicandi habent. Omne principium, quo alterantur corpora, qualitas eſt: quantitatum autem nulla eſt efficacia. Verba autem ad quantitatem pertinent.

*An vis imaginationis hic aliquid efficiat? Neg.*

Neque hîc tanta vis eſt imaginationis, ut prolatis aliquot verbis, à medico, & diligenter auſcultante ægroto, nova aliqua qualitas in corpus ægroti demittatur: aliàs nulla dari poſſet ratio, cur non quibusvis verbis, ſed certis tantùm & definitis, prolatis, & attentè perceptis, effectus iſte ſequatur.

Imaginatio certè eſt res immanens, quæ ad extra in corpus peregrinum, ægroti videlicet, operari nequit.

Deinde, quod in ſpecie attinet verba ignota, nihilq; ſignificantia, ſi quid valent, ex pacto cum dæmone valent. Ipſe enim verborum illorum nobis ignotorum autor & inventor eſt, apud quem omnia ejuſmodi nomina nobis nihil ſignificãtia, aliquid ſignificant. Efficaciam ergò habent, ſi Deus permiſerit, non ex naturali ratione, ſed ex vi majore, ſeu ex pacto & conventione diaboli cum eo, qui primus diſciplinam illam ab eo accepit, quem, ut omnes eos, qui diſciplinam illam poſtea mirantur & tractant, ita illuſionibus ſuis faſcinat dæmon, ut per verba ea fieri exiſtiment, quæ ipſo autore perficiuntur.

Quòd ſi verba ſacræ ſcripturæ adhibentur, etiam illis in ſe nulla eſt efficacia mirabilia producendi, ſed abuſus potiùs eorum, qui, ut ſub ſpecie pietatis faciliùs decipiant, ea adhibent eum in finem, in quem divinitùs neq; dicta neq; ſcripta ſunt: nam de uſu ſacrarum literarum ſufficienter docet *Paulus 2. Tim. 3, 16.* ubi tamen nullam mentionem facit illius efficaciæ, quam in curandis morbis habere finguntur.

Cùm ergò mira quædam opera per verba vel pronunciata vel collo appenſa, facta fuiſſe leguntur vel audiuntur, ea vel fabuloſa ſunt, & præſtigiæ ſatanicæ, ut *quod cantando rumpi anguis*, idemque ad verba incantatoris aures obturare dicitur, id quod *Plinius* etiam per deriſum narrat, dicens: *non pauci etiam*

*iam,* (credunt,) *serpentes ipsos incantari, & hûc unum illis esse intellectum, contrahiq́, Marsorum cantu,* (Nam quæ in *Psal.* 58. leguntur de incantatione serpentum, ex opinione vulgi dicuntur, siquidem Deus ipse incantatorũ artes execratur *Deut.* 18. *vers.* 10. *Esa.* 47. *vers.* 12.) *vel ex pacto & conventione cum diabolo fiunt, qui pro superbiâ suâ, cultoribus suis & verba, & characteres, & ritus certos præscribit, quibus adhibitis, cultoribus suis persuadet, per media illa productum fuisse effectum, qui vel ex causis naturalibus, vel ipso operante diabolo prodiit.*

Proinde non dubitamus eos, qui per nuda verba vel etiam per characteres morbos curare, aut alia mirabilia efficere audent, eos vel inscios cum diabolo colludere, & catalogo magorum & incantatorum, quos Dominus in lege suâ execratur, accensendos esse.

*Objectio solvitur.* Objiciunt autem, (ut videantur pii esse,) etiam Christum & Apostolos per verba morbos curasse, in nomine Jesu diabolum ejectum fuisse, Deumq; verbo prædicato virtutem suam alligasse, unde Evangelium *virtus Dei* appellatur *Rom.* 1. *lex occidere, spiritus* autem seu Evangelium *vivificare* dicitur, 2. *Cor.* 3.

Verùm enim verò DEUS non indidit verbis seu sono literarum vim aliquam & efficaciam naturalem, ita ut effectus à literis & syllabis, eorũdemque pronunciatione dependeat, sed verbum prædicatum, & in miraculis pronunciatum, organon illud est, per quod Deus in nobis est efficax: id. oq; etiam effectum suum nõ in omnibus exerit, (quod aliàs fieri necesse esset, si vis & efficacia illa literis adhæreret,) sed in iis saltem, qui fidem habent.

Nomen Jesu in quo ejiciebantur dæmonia, & in quo baptisamur, non respicit literas illas & syllabas, quas legimus & audimus, sed autoritatem Salvatoris, qui in mundum venit, ut opera diaboli destrueret, & nos à peccatis emundatos in fœdus Dei reciperet.

Deinde longè alia ratio est eorum, quæ Deus operatur per verbum, & quæ operantur homines, aut operari nituntur, DEUS verbo condidit omnia, nullus hominum verbo, licet ipsius Dei, rem ullam ne minimam quidem producere potest. DEUS cùm salutem nostram promovit, aut etiam morbos curavit per verbum, non ad certa verba, syllabasque definitas se alligavit, sed verbis voluntatem suam exprimẽtibus, etiam qualibuscunque utitur: magi verò verbis certis & definitis utuntur ad producenda sua opera, quæ neque à Deo sunt, neque cum Dei voluntate congruunt. Deus per verbum agit cum creaturis rationalibus, & in genere verbis alloqui solemus non res inanimatas, sed eos, qui audire possunt, & qualitercunque sensum verborum percipere. Magi verò verbis suis etiam alloquuntur res inanimatas, adjurant ignem,

ne

ne urat, ferrum, ne vulneret, provocare verbis audent fulmina & tempestates: quæ certè omnia cum usu verborum Domini nihil commune habent, idcircò is frustra in auxilium vocatur.

Cum ergò verba naturaliter illam vim producendi aut transmutandi res in se non habeant, sequitur quòd effectus iste, si quando contingat, à majore quadam vi oriatur, hoc est, vel à *Deo* vel à *diabolo*.

A *Deo* oritur, cùm ea, quæ secundum voluntatem ejus fiunt, ab ipso exorantur, quo pacto Prophetæ & Apostoli cum invocatione nominis divini mira ediderunt opera, Deo in illis & per illos operante.

Magi verò suis verbis, incantationibus, adjurationibus non invocant Deum, etiamsi precationibus ex scriptura desumtis utantur, quia non orant juxta voluntatem DEI, eas enim res producere laborant, quæ Deo minimè probantur, ritus etiam & gestus, characteres & signa adhibent, quibus DEUS offenditur, blasphematur, & irridetur.

Idcircò diabolum potiùs invocant, cui etiam effectus, quos producunt, adscribendi sunt, quam ipsam ob causam quilibet piorum ab hujusmodi artibus abhorrere debet.

## CASUS IV.

### *Num consecrationes & benedictiones,* (quas vocant) *salis, olei, ciborum & rerum aliarum in Papatu usitatæ, pro magicis incantationibus sunt habendæ?*

RESP. Usitatum est in *Papatu* consecrare olea, aquas, altaria, cereos, panes, caseum, carnes, vestes & arma: idque fit per certas preculas & concepta verba: & de his rebus consecratis dicunt, quòd non tantùm salubriores sint aliis non consecratis, sed etiam effectus habeant spirituales, ad delenda venialia peccata, & ad fugandum dæmones & morbos valere. Quâ de re vide *Bellarmin. lib.3. de cultu sanctor. cap.7.*

Sed non abs re hos ritus *Papisticos* incantationibus magicis accensemus, 1. quia verbis ad hanc rem adhibitis peculiarem quandam vim & efficaciam producendi præternaturales effectus tribuunt: quemadmodum *Franciscus Valesius de sacra Philosophia cap.3.* scribit: *ecclesia jubet exorcistas uti conceptis verbis, quasi illis virtus quædam fugandi dæmones præcipuè insit: quò etiã spectare quis dicat illud Evãgelij: in nomine meo dæmonia ejiciẽt. Non enim jam in jejunio solùm,* *Probatur, istiusmodi cõsecrationes & benedictiones ad magiã referendas.*

*& oratione dicit, sed in nomine meo, quasi ipsius nominis Iesu prolatio efficaciam habeat ingentem.*

2. Rebus à se benedictis peculiarem tribuunt effectum in vita communi, etiam spiritualibus non exceptis, id quod *Bellarminus* loco prius citato fatetur, ubi scribit, *rectè nos uti aquâ, oleo, aliisq; rebus benedictione consecratis, ad effectus supernaturales efficiendos, quam vim habeant res illæ benedictæ ex precibus ecclesiæ, & devotione utentium.* Sic in consecratione casei dicitur: *dignare benedicere & sanctificare hanc creaturam casei, ut quicunq; fidelium tuorum de eo comederint, omni benedictione cœlesti, & gratia tua sanctitate repleantur.*

In genere etiam de quavis creatura dicunt: *tu Domine, mitte spiritum tuum sanctum in hanc creaturam, ut qui ex ea gustaverint, proficiat illis ad vitam æternam.*

3. Creaturas, quas per concepta verba sanctificare dicuntur, per se & naturâ suâ immundas esse putant, & sub potestate dæmonis, à quâ ipsum per ejusmodi adjurationes cōceptis verbis pellere præsumunt, quod formulæ consecrationum docent, quibus exorcisatur creatura, *ut omnis virtus adversarÿ ab hac creatura aquæ eradicetur & effugetur.*

Quæ sanè verba nihil ab incantatione magicâ differunt, in quibus itidem diabolus vel advocari vel à creaturis fugari fingitur.

Quantumvis ergò illa benedictio creaturarum *papistica* pro maximè religiosa habeatur, ob dictas tamē causas referimus eam ad incantationes illas, in quibus nomen Dei in vanum sumitur, & quæ à Deo in lege prohibentur *Deuter.* 18, 10.

## CASUS V.

### *An sine suspicione Magiæ efficere quis potest, ut in media hominum turba aliorum conspectum effugiat?*

RESP. Magicarum operationum pars hæc nō est postrema, quam tamen multi pro ludo atque joco habent. Recitat *Plinius ex Democrito lib.* 28. *nat. hist. cap.* 8. sinistrum pedem *Chamaleontis* in furno igni calefacto torreri, cum herbâ, quæ appellatur eo nomine *Chamaleon*, & utrumque macerari unguento, colligique in modum pastilli, atque in vas mitti ligneum, & eum, qui id vas ferat, etiamsi is in medio palàm versetur, à nullo videri posse. Reprehendit hoc *Gellius lib.* 10. *noctium Attic. c.* 12. & deridiculæ vanitatis esse scribit.

Quod quidem verum esse puto, si operationem & cocturam ipsam attendas, cui istum tribuere effectum vanum est & ridiculum. Interim tamen negari nequit, improbos hac arte se certis mediis, licet ad istam rem satis ineptis, ex con-

conſpectu aliorum abducendi ſæpè uti.

*Negativa defenditur* Sed qui Deum timet, & à diaboli operibus abhorret, meritò etiam ab hac arte abhorrere debet. Deus enim ita condidit hominis corpus, ut quamdiu in hac mortalitate eſt, in aere puro & perſpicuo ab oculis ſanis & juſto intervallo à corpore diſtantibus naturaliter non poſſit non conſpici.

Corporum glorificatorum alia eſt ratio, quæ oculis mortalium non clarificatis videri non poſſunt. Ideò cùm corpora hominum nondum clarificata, & qualia in hoc ſeculo ſunt craſſa & terrena, ab iis etiam, qui præſentes ipſis ſunt, non conſpiciuntur, fit hoc vel diſpenſatione Dei, qui oculos adſpicientium tenet, quibus corpus adſpectabile fieri dicitur ἄφαντον, ſicut in hiſtoria *Eliſæi* factum, qui à *Syris*, in quorum medio erat, conſpiciebatur, quia Deus percutiebat eos cœcitate 2. *Reg.* 6, 18. & in hiſtoria Emauntica, ubi Chriſtus duobus diſcipulis fiebat ἄφαντος *Luc.* 24, 31. vel fit operâ Diaboli, qui præſtigiis ſuis illudit aliorum oculis, per eos, qui hanc artem faciendi ſe inviſibilem profitentur.

Cùm enim ſenſus oculorum ita moveatur, ut aer, qui intermedius eſt, vel luce vel tenebris afficitur, dæmon, cui poteſtas aeris attributa eſt *Eph.* 2. facilè variare poteſt aerem, ipſumq; aeris διάφανον, ita obtenebrare, ut omnem omninò adſpectum etiam attentiſſimis auferat: quemadmodum per circulatores multa incredibilia & naturæ impoſſibilia oculis hominum ſubjicit *hæc enim efficiunt dæmones*, inquit *Lactantius lib.* 2. *inſtit. cap.* 15. *ut quæ non ſunt, ſic tamen, quaſi ſint, conſpicienda hominibus exhibeant.* Ita nil vetat dicere, quod etiam ea, quæ ſunt, è conſpectu hominum auferant.

Cùm ergò diaboli opera quocunq; modo, & in quemcunq; finem uti, prorſus alienum ſit à pietate, nemo his artibus delectari debet, etiamſi joci duntaxat causâ fiat.

Deus in lege præſtigiatores, hoc eſt, qui oculos hominum perſtringunt, morti addixit, *præſtigiatorem* (inquiens) *ne ſinas vivere Exod.* 22, 18. cùm ergò hæ artes etiam præſtigiatoriæ ſint, juxta ſententiam Domini, morti digni ſunt, qui eas exercent.

Nam res, quæ adhibentur extrinſecùs, eam virtutem habere non poſſunt, quis enim credat, cocturam illam *Chamaleontis*, de quâ *Plinius*, hominis corpus è conſpectu aliorum præſentium naturaliter auferre poſſe?

Diaboli hæc conſuetudo eſt, & eorum qui ſectantur ipſum, ut in præſtigiis & incantationibus ſuis externum quid, quod viſum feriret, ad deludendos homines adhiberent, licet probè ſciat dæmon, quod ad effectum iſtum producendum non ſit aptum.

Præterea arte iſtâ multis detrimenta præſentiſſima inferri, latrocinia, & adulteria impunè patrari poſ-



Digitized by Google

possunt, ex quibus omnibus non tam vanitas, quàm impietas istius artis agnoscitur.

## CASUS VI.

### *Num injuria sit magis & sagis, si credatur, ipsas expressa conventione cum diabolo, renunciasse Deo, & religioni?*

RESP. Quòd diabolus magos sagasque blandis verbis, pollicitatione opum & divitiarum, libidinum & voluptatum illicitarum illecebris in ministerium suum pertrahat, nemo negat.

*Quorundã opinio proponitur.* Sed quòd expressum cum ipso fœdus meant, & abnegato Deo & salvatore suo, ministerio diaboli contra Deum se directè mancipent, hoc non omnes credunt, sed conventionem ex dolo factam, quæ veniam mereatur, nominant. Diabolum autem cum homine reverâ paciſci posse negant, quia nihil in hominem juris habet, nec sermone utitur, quo quid promittere & vicissim exposcere possit: res præterea, quæ in stipulatum ducuntur, tantæ sint difficultatis, impietatis, ac turpitudinis, ut nemo sanæ mentis ea expetere cupiat, nec, si maximè cupiat, efficere queat.

*Refutatur.* Sed hæc non sunt tanti momenti, ut rem compertam experientiâ, (cui refragari stolidum esset,) in dubium vocare possint. Etsi enim Satan nihil in nos juris habet, multùm tamen sibi juris sumit, &, si Deus permiserit, in filiis inobedientiæ, quos laqueis suis captivos tenet, impetrat.

*Respon. ad objectiones.* Quòd autem sermone utatur, licet sibi non naturaliter indito, historia *Adami Genes. 3. Iob. cap. 1.* & ipsius Christi *Matth. 4.* locuples testis est.

Quòd res spondet difficiles, impias, & turpes, pactum cum ipso impedire non potest. Nam quæ difficilia sunt homini, ipse pro ea, quâ pollet potestate, maximâ, in effectum ducere laborat, & si maximè non fiat, quod promisit, ab officio & naturâ suâ alienum non putat, hominum animos eludere mendaciis: quo pacto impudens spiritus cum ipso Christo paciſci non fuit veritus, sed omnia mundi regna, (quæ tamen in manu suâ non habebat) ei daturum, si coram ipso procidens adoraverit *Luc. 4.*

Impia verò & turpia cultores eius à pacto æquè non revocant, ac latrones & meretrices à prædâ & libidine suâ non revocantur per facinoris atrocitatem, famæque suæ reverentiam ac verecundiam.

Non ergò possumus ab illorum stare partibus, qui pactum hoc sagarum cum dæmone prorsus negant, cum rationibus tam infirmis nitantur, quæ experientiam, (quam inter principia rerum naturalium ponunt) tollere nequeunt. Omnis hæc res in facto consistit: fides ergò haben-

habenda est ipsis sagis, quæ pactum hujusmodi cum diabolo iniisse confessæ sunt. Videantur hujus rei exempla apud *Danæum in l. de sortiariis Bodinum lib. 2. dæmon. cap. 4 & Nicol. Remigium lib. 1. dæmon. c. 5.* quibus in locis tria hac de re docentur. 1. quòd diabolus eos, quos sibi obstringit, antequam postulata sua impetrent, instrumentum obligationis conficere, & nomine suo subscribere jubet, si scribere possunt, reliquos sola verborum stipulatione obligat. 2. non raro etiam subscriptionem sanguine factam postulat: & hæc obligatio interdum fit ad certos annos, interdum ad totum vitæ tempus. 3. si metuerit diabolus, ne magi cultum suum deserant, notas certas imprimit, interdum ad totum vitæ tempus, interdũ satis conspicuas, plerumque in dextero humero aut femore aut etiam in summa fronte, in occipite, in pectore: interdum minus conspicuas in locis absconditis, aut inter labia, sub axillis, sub palpebris &c. Qui locus diabolico stigmate notatus ita exanguis esse dicitur, ac sensu labefactus, ut ne admissa quidem acus altissimè dolorem faciat, aut sanguinis minimum efficiat: quod ita compertum habent capitalium rerum vindices, ut inde quæstionis ac tormentorum sæpè initium faciant.

Sicut enim olim in populo Dei servi & ancillæ, qui libertatem recusabant, auriculâ perforatâ ad postes domus affigebantur, in signum, quòd se heris suis perpetuum mancipassent: ita diabolus mancipia sua notare voluit, ne obliviscerentur pacti secum ad omnes vitæ suæ annos initi. Interdum etiam magi ad confirmationem hujus suæ conventionis cum diabolo, iterum se baptisari sinunt in nomine diaboli, unde plerunq; sunt binomines, referente *Bodino loco* dicto.

Quomodo verò arctiùs se obstringere possent dæmoni? quod scelus longè est gravissimum, & quemadmodum tot exemplis & propriis sagarum confessionibus confirmatum, negari non potest: ita nullo pacto excusari debet.

Agnoscenda potiùs malitia Satanæ, qui tot modis homines à salvatore suo abstractos sibi mancipare studet, cui propterea magnoperè resistendum est, & orandum, ne nos Deus deserat, nec diabolo tantillum juris in nos permittat.

## CASUS VII.

*Rectenè imputatur magis & sagis, quòd per diabolum corporibus suis se ad sua conventicula efferri sinant, ibique commessationibus & choreis, aliisq; illicitis operibus ipsi serviant?*

RESP. Multum de hac quæstione disceptatum fuit inter erudi-

tos, statuentibus nonnullis, magos revera corporibus suis, scopis aut furcis, interdum etiam hircis insidentes per multa miliaria exportari ad conventicula suorum sodalium; aliis verò negantibus, qui illusioni sensuum per unguenta quædam soporatorum adscribunt, quidquid sibi alibi locorum contigisse dicant magi: in quâ opinione est *Wierus lib.3.de præstig. dæmon. cap.* 11. cui se opponit *Bodinus lib. 2. dæmonom. cap.* 4 & in peculiari *tractatu contra opinionem Wieri de magis.*

Cùm autem hæc quæstio diaboli potentiam & dolum aperiat, & quanto periculo se exponant, qui vel fœdere cum ipso, vel operibus ejus delectantur, paucis, quid hoc in genere verisimilius, & in scholis Theologorum tritius sit docebo.

*Diabolus sæpenumero sensibus hominum illudit.*

Primùm igitur negandum non est, quin diabolus hominum sensibus sæpenumero illudat, & phantasmata eorum ita regat, ut in locis à se desideratis esse videantur, corpore interim domi relicto, quod umbrâ suâ cooperit diabolus, ut nulli sit conspicuum, donec opus, ad quod se egressum putat magus, fuerit perfectum, ubi umbrâ sublatâ propriis motibus corpus permittit. Nam, ut *Augustinus* loquitur, *homines malarum rerũ cupidi, occulto quodam judicio divino traduntur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatũ suarũ, illudentibus atq; decipientibus eos prævaricatoribus angelis, quibus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum, divinâ providentiæ lege subjecta est.*

*Diabolus interdum animas duntaxat cultorum suorum ad loca quadã exportat.*

Verùm, ut hoc per illusionem semper fieri dicamus, nulla nos cogit ratio. Secundo igitur loco dicimus, diabolum interdum cultorum suorum animas duntaxat exportare ad loca, ubi magi sua habent conventicula, corporibus interim sine sensu & motu & ratione relictis: unde ad se reversi mira narrant, quæ alibi viderint, & egerint, quæ postea vera fuisse compertum fuit. Et hunc diaboli raptum vocant ecstaticum, seu somnum melancholicum, quo vires animæ ita sepultæ sunt, ut mortuus homo videatur, quo pacto scribit *Cardanus*, se, cum luberet, per ecstasin extra corpus rapi, adeò ut corpus maneret ἀναισθητόν. Et *Bodinus* loco dicto affert exempla sagarum, quas hoc modo Satan ad loca longinqua exportavit, unde non nisi ingenti cum dolore redierunt, & interdum annulos, cultellos, literas reportarunt. Et hoc fieri ait iis, qui metuunt se retegi, ideò corpore domi relicto à conventibus adeundis se excusare possunt.

Ne quis verò hoc cum *Iohanne Baptista Portâ in lib. de magia* naturali narcoticis & soporiferis potionibus adscribat, sciendum, quòd non omnes magi ejusmodi potionibus utantur; & qui his utuntur, sæpè nunquam evigilant, interdum triduum quatriduumque semper dormiunt, & nullius rei interim gestæ recordantur: magi verò

verò per ecstasin extra corpus rapti sæpè post horas quatuor aut quinque redeunt, & quæ in conventiculis suis alibi locorum gesta sunt, recitare possunt, personas quoq;, quibuscum versati, etiam antea non visas.

Adde, quòd magi per ecstasin abrepti nullos in corpore cruciatus sentiunt, virgis cæsi, ignibus subjecti iis partibus, quæ maximè valent sensu, nihil omninò perceperunt, neque evigilarunt, donec anima in corpus fuit reversa, quod certè in soporatis non fit, qui etiam leviore aliquo tormento adhibito, præ dolore expergiscuntur.

Hujusmodi ecstasin *Augustinus* quoque negare non potuit. Is enim *lib.*18.*C.D.*18. de patre *Prastanty* cujusdam scribit, *quòd reverso ad se spiritu se in equum commutatum affirmarit, qui commeatum in castra cum alijs jumentis importarit, corpore interim domi relicto.* Constat igitur ex dictis, diabolum per ecstasin animas suorum ministrorum exportare in loca dissita, corpore domi quasi mortuo jacente.

*Diabolus interdum corpora suorum mancipiorum aliò transfert.*

Tertiò negari non debet, diabolū interdum corpora suorum mancipiorum alio trāsferre. Quod enim hoc facere possit, inde certum est, quòd angeli boni ad mādatum Dei hoc fecêre sanctis. *Philippus* Apostolus à Spiritu Domini raptus & translatus fuit in *Azotum Actor.*8.*vers* 39. *Abacuc* Propheta etiam à Spiritu translatus fuit in *Babyloniam* ad *Danielem*, ut est in *Apocryphis Danielis*. Si hoc potuerint angeli boni, rectè colligimus etiam non impossibile esse angelis malis, qui ejusdem sunt cum illis naturæ & potentiæ: quodq; illi ex jussu Dei faciunt, hi ex ejusdem permissu facere possunt.

Quin & in ipso Christo Salvatore diabolus pro sua impudentia suam probare ausus est potentiam. Eum enim ita permittētem in pinnaculum templi corpore suo transtulit, non pedetentim ducens, sed subitò abripiens, in pinnam enim templi eum statuisse legitur, *Matth.* 4. Unde *Thomas* colligit, quòd data possibilitate in uno, per consequens datur in omnibus aliis, quæ sunt ejusdem ponderis & magnitudinis. Et *Augustini* sententia est, angelicæ naturæ ac spiritibus non esse contrarium, ut corpora, quò Deus permittit, deferant, *lib.*3.*de Trinit.*

Quòd autem id, quod hoc in genere potest Satan, etiam fecerit, testātur exempla tam vetera quàm recentiora. Inter vetera memorabile est, quòd apud *Philostratum* legitur; *Apollonium Tyanaum* à *Nili* fontibus in *Æthiopia* fuisse brevi spacio *Romam* exportatum, *Româ Corinthum, Smyrnâq; Ephesum.*

Recentiora exempla numero plura sunt, partim, quòd falsæ sunt sagæ, se in conventiculis suarum complicum fuisse, quod non per illusionem factum fuisse, mirabiles probarunt effectus; partim quòd abiturientes somnū per incantatio-

tationem conciliarunt maritis, è quo non facilè potuerint illi excitari: vel personas quasdam dormiētibus adumbrarunt, atque adjunxerunt, quas si cōtingeret interea expergisci, suas uxores esse putarent, ut annotavit & exemplis probavit *Remigi⁹ l.1. de dæmonol. cap.*12. partim etiam, quòd qui hujusmodi exportationem credere noluerunt, reipsa suo in corpore experti sunt: assumto enim unguento, ad hanc rem præparato, & pronunciatis vocibus quibusdam, ipsi quoque in loco illo, ubi magi sua habuerunt conventicula, subitò fuerunt, ubi, invocato Dei auxilio, & dissipato diabolorum cœtu, nudos se animadverterunt, & non sine periculo ac difficultate per longum itineris spacium ad suos redierunt: cujusmodi exempla ex probatis autoribus adduxit *Bodinus libr. 2. de dæmon. cap.* 4.

*Quibus de causis diabolus mancipia sua ad conventicula adducat?*

Quartò notandum est, quibus de causis diabolus ista sua mancipia ad conventicula illa, quæ sabbatha vocant, transfert. (1.) fit hoc ad redintegrandum fœdus cum ipso. Ut enim diabolus in aliis est simia Dei: ita & hoc in genere Deum imitatur. Quemadmodum ergò Deus fœdus nobiscum in baptismo initum redintegrat, quoties sacramento cœnæ utimur: ita & Satan in illis magorum sabbathis facit, ut, qui semel ei fidem dederunt, conspectâ tantâ hominum sibi servientium multitudine, eò constantiùs in ministerio suo persistant. In istis enim conventibus Satan in hirci formâ apparet, aut in specie hominis tetrici & horrendi quidem, sed magnificè induti, coram quo procidentes denuò Deum abjurant, hircique podicem exosculantur, & ad perpetranda mala innumera obligantur. In cujus rei fidem & signum gratiæ diabolicæ, opiparo convivio excepti à dæmone, diem illum magna cum hilaritate transigunt.

(2.) Ideò fit illa transportatio, ut denuò à diabolo potestatem nocendi accipiant. Nam Satan ante eorum discessum horribili voce intonat: *ulciscimini vos, aut mortem oppetetis.* Idque ter fit in anno, iterum ad imitationem sacrorum divinorum, ad quæ mares ter quotannis accedere tenebantur, vi legis *Deut.* 16. *v.* 16.

(3.) Ideo conveniunt magi, ut malefactorum suorum rationes reddant diabolo, quod ni fecerint, cæduntur. Hic refert enectum à se infantem: iste equum, ille arborem, qui nihil horum fecit, frequentes ictus ad plantam pedum accipit, & ab aliis omnibus deridetur.

(4.) In istis conventibus etiam scelerati parentes liberos suos dæmoni offerunt, & ut in infelicem istam societatem eos recipiat, orant: quemadmodum *Bodinus l. d.* de maga quadam refert, quam filia accusaverat, quod ipsam in conventus duxisset mater, & diabolo instituendam tradidisset.

(5.) Istis etiam conventibus suis testi-

testificantur, quâ cum alacritate diabolo inserviant.

Quemadmodum enim *David* cum cantu & saltu arcæ Domini præibat, cum eam in domum Domini reduceret, & Hebræi munera sua saltantes ad altare tulisse leguntur: ita magi saltationes instituunt istis in conventibus, ut testentur, se studiosè & alacriter cultum diabolo præstare.

Hæc de raptu magorum ad sua, quæ vocant sabbatha seu conventicula, annotare placuit, ut hoc hominum genus eò vehementiùs detestemur, qui ad nutum diaboli potiùs, quàm Dei creatoris & salvatoris sui vivere malunt: quod credere præstat, quam experiri, aut rem satis comprobatam in dubium vocare.

## CASUS VIII.

### *Possuntne magi arte sua homines convertere in bestias?*

RESP. Etiam hæc quæstio non caret difficultate, in cujus explicatione cavendum est, ne in pietatem, quam debemus Deo & proximo impingatur.

*Diversæ sententiæ de hac quæstione enumerantur.* Semper autem eruditi in diversas hac de re iverunt sententias, tam apud Ethnicos, quàm Christianos.

*Ethnicorũ quorũdam opinio.* Inter Ethnicos non pauci crediderunt, magos certis adhibitis verbis & herbis, homines in bestias mutare posse; nunquam tamen bestiam aliquam in hominem conversam fuisse ajunt, ita enim *Virgilius* scribit de *Mæri*:

*— Has herbas atq; hæc ponto lecta venena*
*Ipse dedit Mæris, nascuntur plurima ponto:*
*His ego sæpe lupum fieri, & se condere sylvis*
*Mærin.*

Ejusdem sententiæ est *Pomponius Mela, Solinus, Strabo, Varro*; exempla recitant *Herodotus, Homerus, Virgilius, Ovidius.*

De *Ammonio Philosopho* legitur, asinum ordinariè lectioni suæ interfuisse, quem putant fuisse hominem in asinum transformatum, relictâ in ipso animâ rationali. Sed *Plinius* ridet hominum credulitatem. Nam cum ex *Euenthe* græco scriptore & ex *Varrone* narrasset, quæ ipsi scripserãt de *Arcadibus*, qui stagnum quoddam ejus regionis tranãtes in lupos transfigurabantur, ipse pro fabulâ habet. Ita enim scribit *lib. 22. nat. hist. cap. 8. homines in lupos verti, rursumq; restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot seculis comperimus.* Et iterum: *mirum est, quò procedat Græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.*

*Recentiorũ quorundã discrepãtes sententiæ.* Ex recentioribus de hac quæstione inter se digladiantur, imprimis *Bodinus* & *VVierus*, quorum ille

*lib. 2. de dæmon. c. 6* affirmat, homines arte magicâ in bestias præsertim in lupos, feles, asinos transformari posse: hic vero hujusmodi metamorphosin negat, *lib. 3 de præstig. dæmon. cap.* 10. & quicquid hujus est, phantasticum esse docet.

*Bodinus* suos habet asseclas, & in his *Olaum Magnum, Paracelsum, & alios*; *VVierus* etiam suos, & ferè plerosque tam Theologos, quàm medicos.

*Bodinus* quamcumq; mutationem hominum, etiam eam, quæ sociis *Vlyssis & Circe* contigit, veram esse asserit, eamq; mutata saltem figura externa, & anima sensitiva, manente anima rationali, factam esse docet, idque veteres & novos autores, quotcunq; de lycanthropia scripserunt, uno ore confirmare omnes, confidenter scribit. Hoc pacto ait *Nebucadnezarem* etiam verè mutatum esse in bovem, & fœnum comedisse toto septennio. Et quod *Ovid. de Lycaone Rege Arcadiæ* scribit in lupum verso, non incredibile esse ait;

*Territus ipse fugit, nactusq; silentia ruris*
*exululat, frustraq; loqui conatur* —

Exempla etiam recentiora affert, quomodo in Livonia homines in lupos convertantur: quotannis enim sub finem decembris nebulonem esse, qui magos omnes citet, ut loco indicto compareant: si defuerint, eos à diabolo ictibus virgæ ferreæ cogi, adeò, ut vibices existant: præire ducem, myriadas sequi tranantes fluvium: eo trajecto mutari in lupos, in homines & pecora involare, & innumerabilia damna importare; post dies duodecim eodem fluvio remeare, & humanam formam recipere.

Ex *Iobo Fincelio* affert *Paduæ* lycanthropum fuisse deprehensum, cui lupini pedes resecti sunt, & momento manibus pedibusq; truncatus homo extitit.

De *Ægidio* quoq; *Garnerio Lugdunensi* annotat, quomodo is in lupum mutatus, puellam 10. aut 12. annorum ceperit, interfecerit, & femorum brachiorumq; carnem devoraverit.

Plura hujus generis habentur apud alios autores, quorum aliqua etiam *VVierus* loco dicto recitat. Et *Augustinus lib. 18. C. D. cap. 18. scribit, se audisse, in parte quadam Italiæ esse quasdam stabularias mulieres, imbutas his malis artibus, quæ in caseo dare solebant, quibus vellent, seu possent viatoribus, unde in jumenta illicò verterentur, & necessaria quæque portarent, postquam perfuncta opera iterum ad se redirent, nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamq; servari.*

Sed *Augustinus* ipse dubitat an vera sint *hæc, vel falsa sunt*, inquit, *vel tam inusitata, ut meritò nõ credantur.* Certum est, quod diabolus nec creare possit novam creaturam, neque unam in alteram verè mutare: hoc enim solius est divinæ potentiæ. *Non*

*est*

*est putandum*, inquit, *Augustinus lib. 3. de Trin. istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc rerum visibilium materiam, sed soli Deo.*

*Objectio solvitur.* Nam quod de baculis *Magorum Ægyptiacorum* in serpentes mutatis objicitur, variè quidem explicatur: omnium autem tutissimum est, cum eodem *Augustino* credere, non verè fuisse factam unius creaturæ transformationem in aliam, sed veras ranas & serpentes à magis fuisse productas, sed ex occultis ranarum & serpentum seminibus, *lib. 3. de Trinit cap. 7.*

*Transformationum sunt varia genera.* Ut igitur de lycanthropis certi quid habeamus, sciendum est, transformationes rerum non esse unius generis. Quædam sunt planè *fabulosæ*, & à poetis confictæ, in quibus non tam ad id, quod factum esse scribitur, quàm ad moralia, quæ inde ducuntur, animadvertendum est. Cujus generis est transformatio sociorum *Vlyssis*, quos *Circe*, cujus insanos amores appetebant, in porcos convertisse dicitur. *Augustinus* id vel negat factum vel simulatè & specietenus conversionem istam factam esse scribit: ad eandem classem refero lycanthropiam hominum in *Arcadia*. *Chrysost.* in sociis Ulyssis non mutatum fuisse corpus, innuit, sed rationem solùm abjectam fuisse, brutamque factam. *Ait enim, maleficam Circen sic brutis voluptatibus comites Vlyssis inescasse quasi fuissent porci.* Quædam sunt *veræ*, sed non nisi omnipotentis Dei virtute factæ, vel ad declarandam justitiam suam, in vindicandis sceleribus, vel ad ostendendam omnipotentiam & beneficentiam in homines, qualis est conversio uxoris *Lothi* in statuam salis, baculi *Mosis* in serpentem, aquæ in vinum in nuptiis *Chananæis*. Quædam sunt *Physica*, ut mutatio erucarum in papiliones, mutatio virentium foliorum in erucas, de quâ *Arist.* agit *lib. 5. histor. animal. cap. 19.* Denique sunt transformationes *magicæ*, in quibus nequaquam una creatura vertitur in aliam: hæc enim potentia neque diabolo propria est, neq; à Deo ei permissa: sed soli suæ divinæ virtuti reservata, æquè, ac vis producendi creaturas ex nihilo, qua etiam à dæmonis gentium distinguitur *Ier.* 10.

*Quomodo magica transformatio fiat?* Magica autem transformatio fit 1. *Per suppositionem rerum*, ut videatur una in alteram mutata. Sic de sociis *Diomedis* scribitur *lib. 4. metamorph. Ovidij*, quòd in volucres fuerint mutati à *Venere*, eò, quòd *Venus & Mars* sauciati fuerint ad *Trojam à Diomede*. *Servius in 2. Georg.* scribit, has aves Græcis navibus lætas occurrere, memores generis sui, barbaris autem infestas, quòd ab *Illyriis Diomedes* sit interemptus. Ibidem scribit, has aves à Græcis appellari ἐρωδιὸς, *Gaza* autẽ, ἐρῳδιὸν ardeam vertit, *Suidas* Ciconiam esse putat, aut ei similem. De istâ transformatione sociorum *Diomedis* ita scribit *Augustinꝰ l. d. Diomedeas volucres, quandoquidẽ genus earũ per successionem pro-*

*paginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis credo fuisse suppositas, sicut cerva pro Iphigenia regis Agamemnonis filia. Neque enim dæmonibus judicio Dei permissis hujusmodi præstigia difficiles esse potuerunt: sed quia illa virgo postea viva reperta est, suppositam pro illa cervam esse, facile cognitum est. Socij verò* Diomedis, *quia nusquam subitò comparuerunt, & postea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ultoribus angelis malis, in eas aves, quæ pro illis occultè ex aliis locis, ubi est hoc genus avium, ad ea loca productæ sunt, ac repentè suppositæ, creduntur esse conversi. Quòd autem Diomedis in templum aquam rostris afferunt & aspergunt, & quòd blandiuntur Græcigenis, alienigenas persequuntur, mirandum non est fieri dæmonum instinctu, quorum interest, persuadere, Deum factum esse Diomedem, ad decipiendos homines, ut falsos Deos cum veri Dei injuria multos colant &c.*

2. Fit magica transformatio corporum per simulationem & deceptionem sensuum.

Fatetur *Bodinus* loco supra citato, magnum illusione sensuum facere, ut homo alius, quàm sit, esse videatur, sicut in *Simonis* magi historiâ factum est, ut *Faustinianum* amicorum nullus agnosceret: Idem *Neroni* Imperatori dixit, ut sibi cervicem juberet abscindi, se enim tertio die resurrecturum esse, quòd cum *Nero* (ut videbatur) fecisset, eum tertio die rediisse. *Nero* miratus, statuam ei posuit, cum hac inscriptione: *Simoni magno Deo*, & ex eo tempore magiæ totus deditus fuit. Sed *Simon Neronis* oculos, & totius, qui aderat, cœtus ita fascinavit, ut arietem *Simonis* loco decollarent.

Sic *Apulejus* narrat, de tribus hominibus, quos à se putabat occisos, cùm tres hircinas pelles à *Pamphila* Saga fascinatus, confodisset.

Nihil obstat, quin idem dicamus de lycanthropis, aut illis, qui se in bestias mutatas dicunt, ubi nihil mutavit Satan per magos, sed aliorum oculos præstrinxit ut hominem in lupum, aut asinum mutatum putent, ipsum etiam hominem, qui talia patitur, ita fascinat, phantasiâ turbatâ, ut se in sylvis circumcursitare & bestiam esse, homines & pecora devorare putet, qui fortè domi alto immersus somno, diabolico studio jacet.

Hujus certè sententiæ est *August. lib.* 18. quē multi Theologi sequuntur. *Nec sanè dæmones naturas creant,* (inquit,) *si aliquid tale faciunt, de quibus factis ista vertitur quæstio, sed specietenus, quæ à vero Deo sunt creata, commutant, ut videantur esse, quod non sunt. Non itaque solùm animum, sed nec corpus quidē ulla ratione crediderim dæmonum arte vel potestate, in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti: sed phantasticū hominis, quod etiā cogitando vel somniando per rerū innumerabilia genera variatur, & cùm corpus non sit,*

*sit corporum tamen similes mirâ celeritate formas capit, sopitis aut oppressis corporeis hominum sensibus, ad aliorũ sensuum, nescio, quo ineffabili modo figuras corporeas posse perduci, ita, ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multò graviùs ac vehementiùs, quàm somno suis sensibus obserata.* Hæc *Augustinus.*

Quòd autem lycanthropos in *Livonia*, & aliis locis septentrionalibus, quorum *Olaus Magnus* meminit, attinet, à vero aliena non est opinio *Wieri lib. 3. de præstig. dæmon. cap.* 10. quòd vel veri lupi sint, in ejusmodi tragœdiam excitati à diabolo, qui interim horum vagis erroribus & actionibus, delirorum λυκανθρώπων phantasiæ organa imbuit, vitiatque, ut ii se excursionum erronearum & actionum autores corruptâ imaginatione arbitrentur fateanturque, vel dæmones censendi ejuscemodi lupi, qui eam assumsere formam, ut malè credulum hoc hominum genus magis irretirent suis vaframentis, insontesque gravarent: interea, iis, qui lupos se factos putant, domi alto somno sepultis.

Ita fieri potest, ut illi homines, qui in luporum aut felium figurâ apparuerunt, in membris suis læsi fuerint, in pœnam suæ temeritatis, quòd ad illudendos alios figuram suam humanam transmutare voluerunt, quemadmodum iis accidit, qui se per præstigias invisibiles faciunt, & nihilominus in veri sui corporis membris læduntur: non autem ex eo evinci potest, corpora sua in aliam naturam aut figuram verè fuisse transformata.

*An Nebucadnezar verè fuerit in bovem transformatus?*

Quod *Nebucadnezarem* attinet, mutatio ejus non à diabolo, sed à DEO fuit: ideò exemplum hoc præterire hîc possemus: paucis tamen dicimus, ipsum nequaquam in bovem verè fuisse transmutatum: neque enim hoc in textu expressè dicitur, neq; ex eo elici potest.

Præterea capillos & ungues habuit, cutemque non hirsutam, sed levem, ut in textu clarè dicitur *v. 30. cap. 4. Dan.* Fuit enim idem *Nebucadnezar*, & ante expulsionem è regno, & postea, cùm restitueretur.

Neque etiam simulata fuit mutatio, sed vera, quia nudus seu absque vestitu ingrediebatur more pecudum, herbis vescebatur, cum bestiis in solitudine morabatur.

Qualis autem fuerit mutatio, non est una omnium sententia. *Cedrenus, Epiphanius & Dorotheus* existimant, nullam secundum interiorem sensuum hominis mutationem fuisse factam, sed tantùm, secundùm externam corporis figuram, quæ ita conformata fuerit, ut anteriore parte corporis speciem bovis gereret, posteriore autem leonis: sed hæc absque fundamento dicuntur.

Alii existimant, Deum circa corpus *Nebucadnesaris* posuisse fi-

guram quandam bestiæ. Sed hac ratione ex mutatione istâ tantùm fieret simulatio: & ex opinione aliorum duntaxat mutatus fuisset.

Alii dicunt Regem illum suâ tantùm opinione, & secundum suam imaginationem fuisse mutatum, quæ adeò perversa & depravata fuit, ut putaret, se factum esse brutum. Et hæc sententia bonâ ex parte ad veritatem quàm proximè accedit. Communis enim est opinio Theologorum, *Nebucadnesarem* maniâ perculsum, sensum & rationem humanam ad tempus perdidisse, & ex corruptâ imaginatione, instar bestiæ circumcursitasse, cultum corporis neglexisse, ideò nudus ingrediebatur, rori cœli & imbribus, aliisque cœli injuriis quoq; more bestiarum obnoxius: capilli supra modum excrescebant, ut totum corpus contegerent, ungues non præscindebantur, sed ad similitudinem avium crescebant: hominum conspectum fugiebat, in sylvis habitabat, non humano sed bestiali victu, gramine & fœno vescebatur, nec humano modo erectus, sed in morem bruti pronus incedebat: idque omne tamdiu fiebat, donec ei Deus rationem restituit, sicut in textu dicitur, *& sensus redditus est mihi*, in quæ verba annotavit *Hieronymus*: *quando dicit sensum sibi redditum, ostendit, non formam se amisisse, sed mentem.*

Nihil ergò patrocinatur exemplum hoc opinioni eorum, qui homines verè in bestias mutari posse putant per artem magicam. Illusio potiùs Satanæ, hinc agnoscitur, qui miserias hominum in mentes ita fascinat, ut, quod non sunt, sibi & aliis esse videantur.

Cum his sæpe concurrit morbus, quem lycanthropian vocant, itaque describunt, quod sit melancholica affectio, & qui sic afficiuntur, dicuntur lycanthropi, quoniam lupos imitari videantur. Exsiliunt quippe noctu, adque diem usque inter sepulchra diversantur. Eorum præpallet facies, oculis arescentibus, præcipuè verò linguâ. Sunt præterea sitibundi, tibiis ex impactione crebrâ citra medelam ulcerosis: aliàs etiam *Lycaones* appellantur, prout describit hunc morbum *Cœlius Rhodiginus lib. 27. rer. antiqu. cap. 12.*

Et credibile omninò est, Diabolum, ut spiritum melancholicum se immiscere huic morbo, & ludificare miseros, sive magorum opera accedat, sive non. Ideò & hîc precibus opus est, ne permittat nos Deus diabolicæ potentiæ, sed mentem sanam in corpore sano semper conservet, regat nos verbo, animumque docilem & obsequentem donet, ne diaboli ludibrium, & aliorum offendiculum fiamus.

CASUS

Digitized by Google

## CASUS IX.

### *Possuntnè sagæ per artem suam fulmina, grandinem, & tempestates alias ciere, morbis & calamitatibus aliis nocere?*

RESP. Generalis est aphorismus Propheticus *Amos 3.v.6. non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit.*

Cùm ergò & tempestates malis pœnæ annumerentur, quibus peccata hominum puniuntur, ante omnia ad Deum respiciendum est, qui elementa omnia in sua potestate habet, eáq; regit pro sua voluntate.

*Quoties scriptura tempestatum mentionem facit, Deum earum autorè facit.* Quam ob causam Scriptura, quoties de tempestatibus agit, Deum autorem earum facit. *Dat ipse viam procellis sonātibus Iob.28.v.26. ad vocem suam dat multitudinem aquarum de cœlo Ier.10.v.13. dat vehementissimum imbri cursum, & viam sonantis tonitrui, mittit fulgura, & eunt, & reverētia ei dicunt: adsumus Iob.38,25. thesauros nivis & grādinis reservavit ad tempus hostes persequendi, ad diem cōflictus & belli Iob.38,22.* Sic tempore *Iosua* grandinis lapides objecisse legitur hostibus populi *Israelitici*, quibus plures perdidit, quàm gladius filiorū *Israel* absorpsit *Ios.10.v.11.* sic *Agg.2.v.18* ait: *percussi vos carbunculo, & rubigine, & grandine omne opus manuum vestrarum.* Cùmq; *Moses* in *Ægypto* plagam grandinis immitteret, legitur à Deo mandatum ei fuisse, ut extensa manu super universam *Ægyptum* in homines & jumenta grandinem provocaret, *Exod.9.23.*

Hoc opus ita Deus suæ reservavit potestati, ut ne diabolus quidem hoc in genere quidquam possit pro lubitu suo, nedum homines, si physicum agendi modū consideres, qui ex lege naturæ dependet, quia nec diabolo, nec mulieri alicui, aut alteri ministro Satanę, inest facultas constituendi de elemētis; nec verbis quę pronunciat, nec herbis, quas coquit, ea est vis producendi tantos effectus, quibus & frugibus & animantibus subitò nocetur. Nam productio grandinis, fulminis & similium tempestatum est species quædam creationis, quæ soli Deo debetur.

Idcircò ad *Iobum* dicit Dominus: *quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? de cujus utero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit? Iob.38.vers.28.* Anteà autem v. 23. dixerat, se *præparasse thesauros nivis & grandinis.*

Etsi ergò diaboli studium ad nocendum hominibus penitùs propendet: ipse etiam per se callidus & astutus satis sit, nec potentiâ caret, quam etiam in commotione elementorum interdum exerit, unde princeps aeris appellatur *Ephes 2.v.2.* non quasi aerem condiderit, aut in aere habitet, sed quia aerem movet & turbat, & in eo meteora sæpè in-

pè inusitato tempore producit: nihil tamen potest pro suo lubitu, aliàs jamdudum omnes periissemus, sed potentiam limitatam habet voluntate nutuq; Dei, absq; quo ne pediculum producere, nec porcis nocere potest, ut ex historia *Pharaonis* constat *Exod.* 8. *v.* 18. ex Evangelio *Matthæi cap.* 8. *v.* 31. inprimis autem historia *Iobi* luculentum hujus rei exemplum præbet, *cap.* 1. & 2.

Utitur autem Deus interdum spiritu maligno, tanquam carnifice suo, in puniendis hominum delictis. Ideò cùm in historia *Iobi* ignis de cœlo mitteretur, & vehementissimus ventus irrueret in domum ejus, dicit Dominus, se *dedisse Satanæ omnia in manum suam, Iob.* 1. *v.* 12. & cùm Deus fruges *Ægyptiorum* ærugine, & vineas grandine percuteret, factum hoc esse *per angelos malos* dicitur *Psal.* 78, 49.

Potestatem ergò à Deo nactus Satan promtissimus est ad exequendum, ita tamen, ut tempestates nullas, non præexistente materia aliquâ producat, sed vapores in aere mirâ celeritate misceat, & ex causis naturalibus, modo præternaturali, & inusitato tempore, fulmina, grandines & similia, quibus frugibus noceri potest, ut peritissimus physicus, producit.

In hoc operum suorum consortium libenter adsciscit mancipia sua, sagas & lamias, quas herbas coquere, characteres certos scribere, aquã scrobi à se effossæ infundere, verbis & gestibus certis uti jubet, cùm effectum ex causis naturalibus, licet præternaturali modo productum jam imminere videt, ut miseræ artibus suis se id effecisse putent.

Neque enim ad solum Diabolum effectum illum referimus, sed, cùm permissionem habet à Deo nocendi hominibus, ministris suis utitur, ut synergis, non tantùm in ciendis tempestatibus, sed & in procuranda sterilitate, morbo, & aliis rebus noxiis: quod inter cætera inde constat, quia sublatis sagis, repentè cessant effectus isti noxii, quod *Bodinus* aliquot docet exemplis, in *appendice libror. de dæmonomania* contra *VVierum*: quod non fieret, si à solo diabolo essent.

Faciles sunt hanc ad rem homines improbi, Satanæ organa, cùm hac ratione occasionem accipiant ulciscendi se de inimicis suis, quo nihil habent jucundius, quibus etiam hoc seriò injunctum est à diabolo, quem colunt: qui in conventibus suis ipsis acclamat: *ulciscimini vos, aut moriemini.*

Ita *lex imperatoria* credit esse, qui magicis artibus elementa turbant, vitam insontium labefactant, & manibus accitis audent ventilare, ut quisq; suos conficiat inimicos: quibus & eam ob causam pœnam capitalem decernit, & in *ll.* 12. *tabul.* cautum est, *qui fruges excantassit, pœnas dato*: & iterum, *ne alienam segetem pellexeris incantando*: crediderunt ergò esse, qui hoc facerent.

*Augustinus* etiam in *Psal.* 77. existimat, elementa permissu Dei à magis

gis

gis concuti posse. Quod enim ipsæ solæ non possunt, id adjutæ à Diabolo, Deoque permittente, efficiunt.

Notandum autem est, quòd diabolus ministris suis sæpenumero talia subministrat media, quæ ad producendum effectum planè non sunt idonea. Refert *Bodinus lib. 2. de dæmonom. cap. 8.* apud *Vascones & Tholosanos* morem fuisse trahendi crucifixum & imagines in profluentem, ad impetrandam pluviam:

[*Tractum illum crucifixi pueri Tholosani vocarunt tare massam q. trahe massam.*]

sic sagæ plerumque pecudes pulveribus limini subjectis enecant: quam vim isti pulveres habere non possunt, aliàs primùm omnium sagæ, qui eos portant, necarentur: sed diaboli hoc opus est, qui mille modis nocere potest, cùm Deus ei permiserit. Sic bufonum pulvere, vel nudo pede vel manu tacto, se abortum aut mortem intulisse dixerunt sagæ, quod istis mediis fieri non potuit: diabolus autem eis hoc persuadet, ut hominem fœdissimis etiam animantibus servire cogat. Bufones illos baptisant, nomina eis indunt, & consecratam hostiam eis tradi curant. Ita Satan cultores suos etiam bestiis nocentissimis subjicit, cum horrendo sacrarum rerum abusu, ut tandem omnem religionem reverentiamque numinis animis eorum evellat.

Neque tamen media illa, quæ adhibentur à sagis, per se nocent, sed sagarum precibus motus Satan, ipse hoc facit, DEO permittente, persuadens postea sagis, mediorum istorum tantam fuisse efficaciam, tantùm, ut in superstitione & devotione ista qua ipsi devinctæ sunt, conserventur.

## CAPUT X.

### *Num sagæ lac ex uberibus hominum pecorumque furari possunt?*

RESP. Hac de re facilè fieri potest judicium ex præcedentibus. Deus est, qui custodit homines & jumenta, uberibusque ipsorum benedicit. Sed cùm diabolo nocendi potestatem permittit, is non tantùm lac, sed & aurum & argentum, fruges ex agro, & alia bona proximi eripere & furari potest.

Et hic iterum ministrorum suorum operam adhibet, non, quasi ea indigeat, aut ipsi efficere quidquam horum possint, sed ut in devotione sua eos retineat. Etsi enim nulla sagarum auxilio diaboli unquam ditata fuerit: promittit tamen eis bona proximi, aut ad minimum persuadet vetulis vindictæ cupidioribus, se subtractione rerum alienarum, probè vindicasse ab iis, quorum res illæ fuerunt, idcircò jubet Satan varia adhibere media, ex cultris, clavis, ex forcipe, colo & similibus instrumentis jubet emulgere lac, unde etiam effluere videtur, sed ludibrium est diaboli,

boli, aliunde adducentis lac, quod proximo furto subtraxit, mira celeritate: interim vetula in opinione sua relicta, quasi ipsa emulsisset.

Interdum etiam non tantùm in vaccis, sed & in mulieribus Satan lactis receptacula & canales impedire potest, non secus ac in conjugibus, permittente Domino, congressum impedit naturalem, ubi instrumenta, quæ à suis administris adhibentur, nullam habent facultatem producendi hujusmodi effectum, Diabolus autem verè hoc faciens, ministris suis illudit, ut sua id arte factum existiment.

Sic *Bodinus* in *appendice lib. de dæmon.* contra *Wierum p.* 742. sagæ cujusdam *Bibranæ* dictæ meminit, quæ fœminæ cuidam minata fuit, eam nunquam lactaturam, quod & factum est, subito enim lac fœminæ exaruit, & quamvis multos liberos pareret, ubera tamen semper exaruerunt: cremata vero saga lac continuò abundavit. Ita diabolus revera nocet hominibus, & tamen sensibus suorum ministrorum præstigias offundit.

Idcircò frustra est, quod sagæ magnas à diabolo divitias exspectent. Perdit potiùs, quod aliis furatur, quàm ut furtis ministris suis inserviat.

## CASUS XI.

*Quomodò ergò diabolo per sagas quocunque modo nocenti resistendum est, ne conscientia lædatur? ubi inprimis de eo, an magicis artibus contra magos uti fas sit?*

RESP. Multis modis in perniciem nostram intentus est Satan, &, si Deus ei permiserit, multum etiam nocet. Tempestatibus insolitis necat fruges, morbos immittit, sterilitatem conjugibus inducit, infantes fascinat, ædes infestat, ne quis tutò eas inhabitare possit, lacte jumenta, opibus homines spoliat, &c. in quibus omnibus ipsi, organisque ejus resistere licet, modò licitis id fiat mediis.

Multi autem hac in parte faciunt, quod fas non est, iisque mediis utuntur, quibus male quidem à corpore & fortunis suis pellunt, periculum autem conscientiis ac animæ accersunt. Sunt enim, qui similia similibus curare, hoc est, mala sortilegiis seu artibus magicis inflicta similibus artibus tollere volunt: quo in genere multum valet superstitio *Papistica*, quæ consecratis creaturis vim quandam mirificam contra potestatem Satanæ tribuit, contra grandines & tempestates ultra crucis signum lapillos tres ex grandine in ignem sub invocatione sanctissimæ Trinitatis conjiciunt; orationem Dominicam cum salutatione angelica bis terve recitant, Evangelium *Iohannis*: *In principio erat verbum*,

*verbum*, adjungunt, atque signum crucis undiquaque contra tempestatem antè & retrò & ex omni parte terræ inferunt, morbos sagarum preculis, herbis ac verbis, ligaturis ac characteribus curare satagunt, fœcunditatem conjugum per sortilegia ademtam, nonnulli superstitiosè reparare volunt, per nuptias prioribus ceremoniis repetitas, nonnulli ridiculè per ceream membri virilis effigiem in ara missatica suspensam, nonnulli etiam impiè per characteres certos in charta virginea scriptos, super quos septies legitur *Psal.* 104 *eripe me de inimicis meis*, eamque chartam ad coxam viri ligant; ad impediendum fascinum squillam superliminari januæ appendunt, in ædibus infestis perquirunt in liminibus januarum, cereas imagines, semina, ossave, quæ fortè apposuerunt sagæ, iisque remotis, ædes non ampliùs infestari putant; lacte vaccis per sortilegium erepto, vaccas in mille diabolorum nomine egredi, atque suum repetere lac jubent, alii aliis remediis utuntur, quæ hic recensere nihil attinet.

*Quid de magica cribri revolutione sentiendum?* Neq; desunt, qui per cribri revolutionem, & alia magica media magos alios retegunt, quod aliqui sine peccato fieri posse putant, cùm alia ratione malitiosi isti homines deprehendi nequeant. Similia antidota, si non planè magica, ridicula tamen & superstitiosa, vide apud *Plinium lib.* 28. *nat. hist. cap.* 19. *lib.* 37. *c.* 9. *lib.* 25. *c.* 10.

*summa*, semper reperti sunt, qui diabolorum opera, contra diaboli & organorum ejus maleficia, usi sunt: quod mirum non est, cùm Satanæ volupe sit, vel hoc modo, sub specie magiæ alicuius in sua pertrahere servitia, quos cupiditate nocendi aliis sibi mancipare non potuit.

Hoc autem mirum est, reperiri inter Christianos, qui hoc medium fugandi diabolum approbant & commendant. Inter quos est *Scotus*, qui *lib.* 4. *distinct.* 34. scribit: *superstitiones esse, si quis statuat, non esse maleficium superstitione depellendum.* Imperatores quoque Christiani legibus suis magos quidem & veneficos puniunt, sed qui incantationibus & veneficiis utuntur contra imbres, ventos, & grandines, eos non modò non puniunt, sed & præmiis ornant, ut est *L. eorum C. de maleficiis.*

*Rationes negativæ, cur magicis artibus cõtra magos utendum non sit?* Verum enim verò Christianis omnes diabolorum artes meritò suspectæ esse debent, certoque constitutum, quidquid est magicum: id Deo esse adversum, & à vera pietate alienum, etiamsi magnum aliquid commodum inde proveniat.

1. Certum enim est axioma Apostolicum: *non esse facienda mala, ut eveniat bonum Rom.* 3. quod quantò verius est, tantò majorem meretur executionem, quòd *Nicolaus V. Papa* episcopo cuidam concessit, uti sagæ operâ ad recuperandam valetudinem, hac clausula dispensationi addita, ut ex duobus malis fugiatur majus, sicut ex *Iacobo Sprangero* refert *Bodinus libro* 3. *de dæmonom. c.* 5.

 2. Cer-

Digitized by Google

(2.) Certum est, quòd diabolo inserviant, qui artibus diabolicis ad pellenda mala quæcunque utuntur, abjecta enim fiducia in Deum, confidunt se auxilium impetraturos à diabolo. Quam ob causam etiam nefas esse rectè judicatur, in liminibus januarum perquirere semina, ossa, imagines cereas, & similes nugas, quas magos apposuisse putatur, hominibus & pecudibus enecandis. Qui enim remotis istis malum cessaturum putant, eo ipso rebus illis vires nocendi, (quas tamen non habent) tribuunt, præteritoque Deo, à quo solo mors & morbi immittuntur, à diabolo & ejus organis opem petunt. Idcircò *Hilarion*, cùm Satan in puellâ obsessâ loqueretur, seque non exiturum diceret, nisi lamina ærea, quam mater puellæ subdiderat januæ, auferretur, noluit hoc facere, sed precibus puellam liberavit, ut est apud *Hieronymum in vitâ Hilarionis*.

(3.) Certum & hoc est, & verbo Dei comprobatum, non esse potestatem in terrâ, quæ viribus Satanæ obsistere possit: hoc enim Deus *Iob*. 41, 24. de eo, sub nomine *Leviathan de diabolo* testatur: quid ergò malignus iste pulveres, characteres, verba aut precula miseræ vetulæ curet? Hinc experientia probavit, quod diabolus his artibus impetitus cedat quidem, sed non semper, verùm tunc demum, quando fugâ suâ majus aliquod malum procurare potest. Nunquam enim benè facit hominibus, sed etiam, cùm benefacere videtur, alio in loco magis nocet. Tollit sortilegium ab equo, & immittit servo: tollit à sene, & injicit in adolescentem, tollit à muliere & conjicit in virum, tollit morbum à regis ministro, & immittit regis filio, valetudini restituit corpus, & interim animam perdit, quæ omnia exemplis probavit *Bodinus lib. 3. de dæmon. cap. 2.*

(4.) Compertum & hoc est, quòd magi & sagæ morbum, aut malum à se immissum arte suâ tollere possint, sed non omnem, neque semper: oportet autem aliquid adesse, in quod morbum aut malum transferant, alioquin malum in ipsos recidit, morbum autem ex naturalibus causis ortum, curare non possunt. Etiamsi ergo licitum esset sagarum operâ in curandis morbis uti, (quod tamen nemo piorum dixerit,) nemo tamen hoc facere posset, nisi certò sciat, morbum à sortilegio esse.

(5.) Morbi à sagis immissi naturalibus rebus non curantur, teste *Philone in lib. de special. legibus*. Ideo plerunque in hac cura adhibetur venenatum felis cerebrum, caput corvi & simile quid, à quo natura abhorret: verba enim adhibentur, vel quib. abusus fit sacrosancti nominis sanctæ Trinitatis, vel etiam in nomine diaboli malum propellitur: quidquid autem vel per abusum nominis divini, vel per usum nominis diabolici fit, impium & blasphemum est.

(6.) Constat ex sacris literis, Deum

Deum abominari eos, qui magos quacunque in re consulunt: *anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, exscindam eam de medio populi mei, inquit Dominus Levit. 20. vers. 6.* Ideò periit *Ochozias* rex Israel, quòd spreto Deo vero in infirmitate suâ consuluit *Beelzebub Deum Accaron 2. Reg. 1. vers. 6.* & in *Manassen* populumque suum graviter excanduit, quòd magos sustinuit *2. Reg. 17. & 21. Saul* verò, ut pœnas consultoribus magorum in lege dictatas, populo suo averteret, magos & ariolos omnes abstulit de terrâ, atque interfecit eos, qui *pythones* habebant in ventre *1. Samuel. 28.*

(7.) Etiam Ethnici ab hoc modo curandi morbos & avertendi alia mala abhorrent. *Romani Imperatores* à fide Christi adhuc alieni, Christianis multis palmam hoc in genere præripuerunt: dum ex odio artium magicarum, capitali supplicio affecerunt, qui furem solum magicis artibus retexerant, nec fidem artibus istis adhiberi voluerunt, ut est in *L. item apud Labeonem §. si quis astrologus, de injuriis ff.* Et *Hippocrates lib. de morbo sacro* scribit, *multos esse repertos, qui se pollicebantur comitialem morbum curaturos potestate dæmonum, quos ipse nebulones vocat*, & addit *sed Deus, qui sceleratissimum quemque purgat, nostra est liberatio.*

(8.) Hinc sancti patres detestantur eos: qui sagas adeunt, & præstigiis earum valetudinis causâ utuntur. *Citiùs*, inquit *Chrysostomus homil. 8. in epist. ad Coloss. mors homini Christiano subeunda, quàm vita ligaturis redimenda. Augustinus lib. 10. de civit. Dei cap. 10. omnia remedia amuletaque adversus diabolum prohibet, præter orationem & pœnitentiam; & medicamenta qualibet in verbis, characteribus, ligaturis aliisque rebus vanis posita, Satanæ retia* nominat. Et *in lib. de doctr. Christ. scribit: ad hoc genus pertinent ligaturæ exsecrabilium remediorum, sive votis, sive quibusvis aliis rebus suspendendis & ligandis, quibus, quando adhibetur fides, illicita est idololatria.* Similia habet *Basilius in Psalm. 45.* quorum sententiam secutus *Thomas Aquinas in lib. 2. sent. dist. 7.* ad idololatriam & apostasiam pertinere tradit, si quis diabolorum & magorum utatur ope ad impedienda depellendave maleficia.

Credidit quidem *Constantinus Imperator*, magicis artibus adhiberi posse suffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres aut venti, grandinisque lapidatione ipsæ quaterentur. Sed postea, ut *Theodorus Bals.* notavit, puniti sunt, qui ejusmodi magica faciunt; tametsi boni alicujus consequendi gratiâ, ac propter ubertatem fructuum id præstent.

Tot ergò rationibus adducti impium & abominandum in oculis Dei esse judicamus, vel tempestates, vel morbos, vel mala quævis alia maleficiorum auxilio pellere, cum Christianus quilibet ex sacro codice doctus esse debeat, sanitatem

& morbos, bona & mala esse à Deo, cujus eadem manus & vulnerare & sanare potest, à quo solo omne nostrum auxilium, quod, qui ab eo patienter non exspectat, fidem abnegavit.

*Alia remedia, quibus contra malitiam satanæ & organorum ejus uti possumus.*

Sunt autem alia quædam quibus nobis contra malitiam Satanæ, & organorum ejus optimè consulerere possumus, de quibus pauca addam. Primùm omnium non facilè credamus, vel tempestatem, vel morbos vel alias calamitates nostras esse à magis. Sciunt enim pii, in manibus Dei esse sortes nostras, qui temperat res hominum omnes, ut scriptura testetur, *etiam mortem & morbos à Deo esse Sir.* 11. Quòd si maximè magos aliquid fecisse compertum sit, scimus tamen, ipsos absque Dei permissu nihil posse. Ideò non curemus diabolum aut sagam, nihili faciamus ejus opem: sed toti pendeamus à Deo seria pœnitentiâ orantes, ut ipse conterat Satanam sub pedibus nostris. Nulla enim efficacior est armatura contra diabolum, quàm preces ex contrito corde profectæ.

(2.) Frequens sit in ore nostro nomen Jesu, quò seriò & verâ animi cum fiduciâ pronunciato, multa magorum opera fuerunt impedita, adeo, ut ad hoc nomen etiam diaboli ex obsessis fuerint ejecti, *Marc.* 16, 17.

(3.) Assidua instituatur lectio & meditatio verbi divini, quod ferre non potest Satan, qui ad laudes Dei & mentionem operum divinorum exhorrescit: unde & verbum DEI gladius Spiritus appellatur, quo impetus Satanæ excipitur & diverberatur. (4.) Quo magis nobis infestus videtur Satan per organa sua, eò magis ab omni vitæ impuritate abstineamus, inprimis à blasphemiâ; qua nomen Dei proscinditur, & religio Christianorum pedibus proculcatur. Nam in impuris, & blasphemis hominibus operatur Satan, & propter hæc vitia in potestatem ejus traduntur.

(5.) Si domus nostræ, & quæ in eis sunt jumenta hominesq; ab incursu dæmoniorum tuta esse debent, faciamus ex eis domum precationũ, & officinas pietatis, adsuefaciamus nos & familiam nostram ad preces & studium pietatis, non patiamur frequentem mentionem diaboli: non enim desunt exempla, quòd diabolus eos, à quibus vocatus fuerat, vivos abstulerit, quæ vide apud *Bodinum lib. 3. de dæmonom. cap. 1. p.* 412. & tritum est Germanorum adagium; *non pingendus est diabolus in pariete, quia sponte suâ venit.*

(6.) Fidem in Deum invictam habeamus, cui ut firmissimæ arci confidamus. Ipse enim fortior est diabolis & magis omnibus, quibus limites ponit, quos omni suâ arte & astutia transilire non possunt. Uude experientia testatur, quod magi nocere omnibus nequeant, sed iis solum, in quos eis Deus potestatem permittit, vel ob peccata castigandos, vel explorandos, ut, postquam eos stabiles in fide & patientia invenit, benedictionibus suis eos postea augeat, quod *Iobi* exemplum docet.

(7.) Non

(7.) Non nimium metuatur Satan aut ejus organa, nec quidquam in gratiam eorum fiat. Suprà enim audivimus, diabolum superbissimum esse spiritum, qui faciliùs fugari non possit, quàm contemtu, qui ex vera fide in Deum proficiscatur. In ipsum Deum fit injurius, qui diabolum & ministros ejus metuit: ideò Dominus in lege cavet, ne à diis gentium, (quæ sunt dæmonia) metuamus, qui neque bono neque malo afficere possunt. Ita *Gregorius* spiritum magnum ab ædibus infestis per contemtum diaboli inhibuit.

His ferè modis, diabolicis sagarum operibus omnium felicissimè resistitur, & mala ex permissu divino immissa, incolumi conscientia vel tolerantur vel superantur.

## CASUS XII.

### *Rectè ne libri magici, & alij, in quibus sagarum artes docentur, Vulcano traduntur?*

*Libri mali noxij.* RESP. *Nihil est perniciosius malo libro,* inquit *Erasmus.* Sunt enim libri magistri muti, qui si mali sunt, sed eleganter & methodicè conscripti, venenum occulto quodam halitu instillant. Quemadmodum enim venena saccaro condita suavius sorbentur, & diberius egerantur; ita liber malus elegantia styli, novitate rerum, & bono ordine constans fortiùs penetrat hominum animos natura novitatis cupidos. Id quod inprimis de libris magicis & sortilegia docentibus verum est.

Idcircò bonis omnibus semper placuit, ut quasi serpentes venenati in primo conspectu contererentur; è manibus hominum, & è memoria prorsus, quoad ejus fieri potest, quocunque modo auferrentur.

Fit hoc exemplo primitivæ ecclesiæ, ubi *Ephesi*, prædicante Apostolo *Paulo*, multi, qui curiosas artes fuerant secuti, contulerunt libros, & combusserunt eos, *coram omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium, Actor. 19. v. 18.*

Romani quoq; incantatorum libros ex Senatusconsulto concremari voluerunt. Ita enim scribit *Livius lib. 39. quoties hoc patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut vaticinos libros conquirerent, atque comburerent? Augustus Cæsar* supra duo millia vatidicorum librorum græcè & latinè conscripta concremavit, teste *Suetonio in Augusto cap. 31. Honorius & Theodosius Imperat.* libros mathematicos, hoc est, magicos sub Episcoporum oculis flammis consumi statuerunt. *Athanasius* refert in *lib. de incarn. verbi*; conversos ad religionem Christianam impiæ vanitatis libros incendiis tradidisse. *Nicephorus* autor est *lib. 10. Lollianum* quendam juvenem multatum exilio, & bona ejus publicata, quòd librum magicum descripsisset.

Tanta

Tantâ olim cum severitate animadversum fuit in rerum curiosarum admiratores: quorum exemplum imitati & nos, à lectione talium librorum abstineamus, & ut è manibus, inprimis juventutis, eripiantur, operam demus.

## CASUS XIII.

### *Num magistratus politicus sagas & magos, prout illi jam ex operibus suis descripti agnitique sunt, capitali supplicio rectè tollere potest?*

*Dissentiũt autores in hoc casu.*

RESp. Acris hac de re contentio est inter *Bodinum*, cui succenturiatur *Nicolaus Remigius*, & inter *Wierum*, qui & suos habet adseclas. Ille sagas capitali supplico adficiendas adfirmat: hic negat; uterque suas habet rationes.

Etsi verò nostrum non est *tantas componere lites*: ne tamen aliquid fiat hoc in genere dubitante conscientiâ, quid hoc in genere omnium tutissimè fieri queat, paucis indicabo.

Præsuppono autem ea, de quibus jam in precedentibus egimus, tanquam præcognita, nimirum sagas cum diabolo iniisse fœdus, voluntatem nocendi & ulciscendi se mediis illicitis habere, operâ diaboli ex permissione Dei multa in perniciem aliorum facere, aut saltem facere conari.

*Affirmativa aliquot rationibus probatur.*

Quibus præmissis, cum *Bodino* & aliis statuo, nihil à pietate alienum, sed opus potius justitiæ facere judices, qui pessimos istos homines è medio tolli curant.

*1. ratio, è divina lege.*

Rationes hæ sunt: 1. Deus in lege suâ jam pridem sententiam tulit in hujusmodi genus hominum, puta maleficos, pythones, sagas, & incantatores. *præstigiatricem ne sinas vivere*, inquit *Exod.* 22. v. 18. *vir sive mulier, in quibus est spiritus pythonicus, vel divinationis, morte moriatur, lapidibus obruant eos, sanguis eorum sit super illos Levit.* 20. v. 27. Lex in Exodo generalis est, ubi habetur vox *Mecasphim*, quæ non tantùm veneficas notat, ut *Wierus* vult, qui veneficiis nocent aliis; sed omnes, qui præstigias aliis offundunt, quemadmodum græci magos & sagas appellant φαρμακοὺς & φαρμακεύτριας, quâ voce LXX. interpretes utuntur, ut suprà in procemio hujus capitis annotavimus. Omnes ergò magos & sagas lex divina jubet interficere, sive præstigias offundant, sive divinationibus utantur, sive quoquo alio modo proximo noceant aut nocere velint. Et ista lex in populo Dei semper in viridi fuit observantiâ, quod testatur exemplum *pythonissæ in Endor*, quæ formidabat regem *Saulem*, qui memor legis divinæ magiam sub pœnâ capitis in universo suo regno prohibuit 1. *Samuel.* 28.

*2. ex lege naturali.*

(2.) Cum hac lege divina congruit lex naturæ, quam secuti sapientiores Ethnicorum, omnes qui magicis

magicis artibus dant operam, pœnæ capitali subjecerunt. Ita enim *Plato lib. 11. de legib.* mortis pœnam in sacerdotes & aruspices decernit, *qui sacrificiis, ligaturis, incantationibus, aliisve sortilegiis hominem enecaverint.* Et tales esse magos indicat, cum addit, *magos mirabilibus modis operari, qui incredibiles planè viderentur, nisi observavissent alij, cùm cereas suas imagines in compitis ad parentum sepulcra, sub ianuis ponerent.*

*3. ex pacto cū Diabolo.* (3.) Magi & sagæ pactum habent cum diabolo, in quo abjurant fœdus, quod cum DEO inierunt in baptismo: quod palmare scelus est, longè atrocius homicidio, adulterio, furto: & tamen, his qui contaminati sunt, nemo indignos morte judicat. Quod autem tale fœdus sit inter diabolum & ista mancipia sua, suprà probavimus *Cas.* 5. & exemplis docent *Bodinus lib. 2. de dæmonom. cap.* 4. *& Remigius lib. 1. de dæmonolat. cap.* 5.

*4. ab idololatria & abnegatione veri Dei.* (4.) Magi & sagæ sunt idololatræ. Abnegato enim vero Deo colunt diabolum certis ritibus, gestibus, verbis, & factis, adorant eum, invocant, confidunt, & sacrificant ipsi, in nomine diaboli interdum res suas efficiunt, se suosque liberos ei devovent ab utero, quod ipsum abominandum & capitale scelus est, quod nemo piorum negare potest.

*5. ab homicidiis magorum & sagarum.* (5.) Sagæ sunt homicidæ, dum non tantùm morbos periculosos, sed & ipsam mortem aliis immittunt suis incantationibus, proprios infantes diabolo sacrificant, eosque hac ratione, quâ corpus, quâ animam perdunt: aliorum infantes in utero matris occidunt, ut *Bodinus* probavit *lib. 2. dæmonom. cap.* 8. homicidia autem & infanticidia esse mortis supplicio digna, certum est, & plus est occidere veneno, quàm gladio, ut habetur in *l.* 1. *de maleficiis*, ubi notarunt interpretes, intelligendum esse venenum arte magicâ datum.

(6.) Sagæ sunt adulteræ, & tantò tetriores adulteræ, quantò tetrior est is, cui succumbunt. Coire autem ipsas cum diabolo, apud Theologos extra controversiam est, & ex propria sagarum confessione constat, cujus exempla extant apud *Bodinum lib. 2. dæm. cap.* 7. & apud *Remigium lib. 1. de dæmonolat. cap.* 6. *6. à sagarū adulteriis.*

Adulteris autem pœnam deberi capitalem, notum est, quid ergò sceleratis istis fiat, quæ ne quidem à dæmonum fœdissimo concubitu abhorrent?

(7.) Sagæ sunt fures, dum lac vaccarum, pecunias proximi, fruges ex agris auferunt, aut in agris, excitatâ tempestate, perdunt, aut si non semper actu faciunt, conatum tamen id faciendi habent; fures autem, qui vix paucos solidos abstulerunt invitis, vitâ privari constat, quantò magis istæ pœnam hanc merentur, quæ totas sæpè regiones spoliant? *7. à sagarū furtis.*

(8.) Sagæ non sine summâ omnium civium molestiâ feruntur in Repub. Etiam cùm non nocent; *8. à seditionis periculo.*

quin & artibus suis aliis prodesse videntur, ipsa tamen media, quibus prodesse volunt, solicitos reddunt hominum animos. Jam verò etiam honestissimæ res interdum è Repub. ejectæ fuerunt, tantùm, quia movendis turbis ansam præbere potuerunt, quemadmodum ostracismum apud *Athenienses* in usu fuisse scribit *Plutarchus in vitâ Periclis & Aristidis*, ubi qui propter summam virtutem invidiam plebis contraxerant, urbe exire cogebantur. Multò magis infames illæ vetulæ, quæ sceleribus suis se exosas fecerunt apud omnes, è conspectu hominum removendæ sunt, ne turbis & seditioni præbeant occasionem.

*9. à sagarũ commodo* (9.) Ipsis quoque sagis conducit, ut quàm maturrimè è medio tollantur. Nam diabolus tam pertinaciter eas laqueis suis involutas habet, ut citiùs non dimittat quàm moriantur. Quo in genere fidem non immeritò habemus *Nicolao Remigio Ducis Lotharingiæ* consiliario, qui judiciis capitalibus nongentorum plùs minus hominum, qui sortilegii crimen in *Lotharingiâ* capite luerunt, interfuit. Is verò lib. 3. de dæmonolat. cap. 12. sic scribit: *certè adhuc, quod sciam, auditus est ex tot millibus, quos sortilegÿ laqueis irretitos habuit Satan, nemo, qui se aliter iis expediverit, explicaveritque, quàm culpæ vel coactâ, vel liberâ apud judicem professione, ac deinde ejus morte luitione: adeò ille sui juris tenax est dominus.*

*10. à legibus civilibus.* (10.) His causis sine dubio moti sapientissimi legislatores, multis in locis pœnam capitalem in hoc genus hominum statuerunt. Nota est *lex multi C. de maleficis & mathematicis*, quæ ita habet: *multi magicis artibus usi, elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos: hos (quoniam naturâ peregrini sunt) feralis pestis absumat.* Similis lex extat *lib. 9. codicis l. nullus aruspex.* Similia passim citantur ex *jure Canonico, in Decretis 26. q. 5. c. si quis, qu. ult. c. admoneant, &c.*

Et hæc fuit olim praxis *senatus Romani*, qui mares & fœminas magicis artibus deditas è medio sustulerunt, quemadmodum *Tacitus lib. 2. annal.* refert de *Publ. Martio & Pituanio*, quorum illum consules extra portam *Exquilinam* necari, hunc de saxo dejici, quòd essent sortilegii convicti, jusserunt. Et de *Hilario* auriga quodam refert *Ammianus Marcellinus lib. 26. rer. gest.* quod jubente *Apomano* urbis prætore, capitis pœnam luit, eò, quòd filium nefariis artibus erudiendum mago cuidam tradidisset. De mulieribus sagis *Publiciâ & Liciniâ*, scribit *Valerius Maximus*, quòd cum septuaginta *Romanis* gulæ ipsis fractæ fuerint, *lib. 6. c. 3.*

Sunt hæc omninò tanti ponderis, ut conscientiam ejus, qui de sagis judicare debet, statuminare fortiter possint, quòd ferendo sententiam in vitam earum non peccet.

Quæ

*Objectio prima solvitur.*

Quæ hic objiciuntur, non usq; adeò magni sunt momenti. Interdum sexum deplorant, quòd fœminæ sint & aniculæ, ad melancholiam pronæ, quæ misericordia potiùs, quàm tanta severitate sint dignæ.

Sed non sunt omnes fœminæ, qui artem exercent magicam, multi etiam reperiuntur viri in hoc numero, licet sequioris sexus ferè semper major sit numerus.

Neque fœminæ omnes sunt vetulæ; sed interdum etiam ſtatæ ætatis, quin & puellæ vix 12. aut 15. annorum, in quibus malitia superat ætatem.

Quòd si provectioris sunt ætatis, propterea non sunt meliores, sed ex diuturniore exercitio suæ artis, inveterata est in ipsis malitia, adeoque severiorem pœnam merentur, quò diutiùs peccarunt.

Et in genere lex divina non facit discrimen inter mares & fœminas; juniores aut adultas, sed indefinitè dicit: *sive vir, sive mulier, in quibus est pythonicus vel divinationis spiritus, morte moriatur Lev. 20, 27.*

*Objectio secunda solvitur.*

Multa ajunt sortilegis affingi, quæ nullo modo ab illis fieri possint, partim quia soli DEO competant, ut ciere tempestates, partim quia contra leges naturæ sint, ut quòd dicuntur corpore suo ferri in aera, in loca dissita, exiguo temporis intervallo, partim quia artium illarum sunt inexpertes, indoctæ, simplices, & ad res tantas ineptæ, quas efficere dicuntur. Et si maximè ipsæ fateantur, se patrasse talia, per melancholiam tamen phantasiam ipsarum esse corruptam, ut se fecisse putent, quæ nunquam fecerunt.

Verùm enim verò, non negamus, multa, quæ faciunt sagæ, competere Deo, & nullis artibus magicis effici posse, nisi Deus permiserit: permittente tamen Deo, negari non potest, diabolum vel ex causis naturalibus, vel etiam præter naturam subitò aliquid producere: qua in re sagarum utitur opera, quæ licet suis laboribus in vanum se macerent, nihilque prorsus arte sua efficere possent, duplici tamen nomine pœna dignæ sunt severissima, partim, quòd diabolo inserviunt, & in gratiam ejus suis gestibus, & verbis utuntur, partim, quòd voluntatem nocendi habent, licet ipsæ nocere non possint, ubi voluntas pro facto habetur, & rectè punitur: nam perinde est coram Deo, sive hominem actu occideris, sive insidias vitæ struxeris, cum destinato proposito occidendi, si consilium in actum producere posses.

Quemadmodum enim in *Abrahamo* perfectus conatus occidendi filium apud Deum pro facto habebatur, ideò dicebat, *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio, ideò benedicam &c. Genes. 20,16.* ita in hujusmodi mulierculis perfectus est conatus nocendi aliis, qui, licet effectus non sequatur, vel si sequitur, non ab ipsis fit, pœnam tamen

facinoris quasi perpetrati jure incurrit.

Legibus etiam civilibus eadem severitate voluntas sceleris, quâ effectus punitur. Qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare, pœna nihilominus tenetur, quæ est legis *Corneliæ* de Sicariis *l. 1. ad leg. Pomp. de parricid. qui attentavit, non etiam rapuit sacram virginem, hoc facinus luere danatur l. fugitivus de verb. signif. qui nuptias cum aliquâ contrahere voluerit, invitis iis, quorum interest, gravissimè multatur licet eas non peregerit L. unica, si qua potest.*

Sic multa fieri à magis, quæ superant vires & leges naturæ, concedimus: sed sagarum actiones non sunt naturales, sed cùm Deus permiserit, diabolus etiam super naturam illos agere, de loco in locum subitò transferre, & alia mirabilia tentare potest, quemadmodum Christum in deserto corpore suo è terra in pinnaculum templi, è pinnaculo in montem transtulit, id quod nullâ ratione naturali fieri poterat. Non ergo omnia sunt ficta aut simulata, quæ cum ordine naturæ non congruunt.

*3. Objectio solvitur.* Ajunt præterea, miseras mulierculas non propriâ voluntate motas, sed diaboli persuasionibus, machinis, dolis, interdum etiam vi adactas illic ta patrare, neminem autem puniendum, qui non malum aliquod consilio & voluntate commiserit.

Hoc verò prorsus ineptum est: Ita enim omnia facinora excusari possunt: quorum nullum fit, nisi ex persuasione, interdum etiam ex impulsu diaboli. Cur autem non resistitur tentatori? cur tam libenter ei auscultatur? hic nimirum primus ad peccandum gradus est, admittere suggestiones ad peccandum, & sub spe & specie alicujus boni in peccatum ruere. Ideò D. *Petrus* monet: *circumire Satanam instar leonis rugientis, quærentem, quem devoret: cui resistere jubet in fide 1. Pet. 5, 9.*

Neq; verò omnia sunt soli imputanda diabolo, sed & caro nostra accusanda, cujus libidini multi nimium indulgent, eoque nomine meritò puniuntur.

Leviores ergò sunt rationes mitiorum illorum, quàm ut causas severioris sententiæ, quam lex divina & humana cum rationibus aliis validissimis stabilit, evertere possit.

Crudelis est misericordia in eos, qui aliorum scientes & volentes auxerunt miseriam.

Si ergò causa magorum legitimè fuit cognita, sontesque testibus idoneis propriaq; confessione convicti, rectè atque ordine supplicio, quod leges dictant, afficiuntur: modò opera detur, ut anima è faucibus diaboli liberetur. Satius enim est corpus perire, ut anima servetur, quàm servare corpus cum æterno animæ detrimento.

CAPUT

## CAPUT VI.

## *De Casibus conscientiæ circa Divinationem.*

*Quid sit divinatio.*

DIvinatio, græcis μαντικὴ, est præsensio quædam & scientia rerum futurarum aut absentium.

Sciuntur autem res futuræ & absentes, *vel in se*, vel *in suis causis*.

Quæ in se sciuntur, prædicuntur, vel proprio spiritu, atque sic solus Deus scit & prædicit futura, eoque nomine distinguitur ab angelis bonis 4. *Esd.* 4, 52. & à diis gentium *Esa.* 41, 23. vel prædicuntur ex revelatione Dei, unde sunt vaticinia prophetarum, qui non ex voluntate hominum, sed *Spiritu S. inspirati locuti sunt*. 2. *Pet.* 1. *v.* 21.

Quæ ex causis suis sciuntur futura, *aut necessariam infallibilemque pariunt scientiam*, & hæc causas habent necessarias, quo pacto Mathematicus eclipsin futuram ex causis suis infallibiliter prædicit: *aut probabilem*, quæ causas habent contingentes, quæ tamen ut plurimùm fiunt, vel se æqualiter habent, ita ut adæque fieri possint, ac non possint.

Hujusmodi prædictiones hominum, quæ vel ex revelatione Dei, vel ex causis naturalibus fiunt, propriè loquendo non sunt divinationes, quia tales nihil divinant; hoc est, nihil divinum faciunt, sed magis, quod divinum est, suscipiunt. Tunc autem dicuntur divinare, quando sibi in debito modo usurpant prænunciationem futurorum eventuum. Unde *Hieronymus in cap.* 3. *Mich.* dicit, quod *divinatio semper in malam partem accipiatur.*

*Divinationis objectũ.*

Versatur autem divinatio circa ea, quæ soli Deo sunt propria, ut sunt arcana gratiæ & fidei mysteria, futura fortuita, res absentes, internæ hominis cogitationes, & effectus, & similia, quæ soli Deo nota sunt, & ab homine circa revelationem divinam, iniquiri non debent.

*Per quid fiat divinatio?*

Fit divinatio per inspectionem aut notationem rei alicujus, quæ nihil commune habet cum re, quæ prædicitur aut inquiritur, unde ad artes refertur fallaces & vanas, ex deceptione dæmonum introductas, teste *Augustino lib.* 21. *de civit.* Dei *cap.* 16. *Omnis enim divinatio ex operatione dæmonum provenit, vel quia expressè dæmones invocantur, ad futura manifestanda, vel quia dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus hominum, ut mentes hominum implicent vanitate*, dicente *Thoma* 2, 2. *quæstion.* 95. *art.* 2.

*Species divinationũ.*

Ita verò fieri plerunque solet, ut quò quid perniciosius est, eò plures in species se dispergat: Sic divinationum quoque, hoc est, prædictionum illicitarum variæ sunt species, quas hic breviter recensebo.

*Prima* species est ex observatione astrorum, unde *Astrologia*, quæ non ex toto, sed tantùm quoad abusum suum huc pertinet, quatenus



Digitized by Google

videlicet futura contingentia, quæ tantùm ab arbitrio hominis pendent, & soli Deo nota sunt, ex astrorum constellatione petuntur, quâ de re postea.

2. *Altera*, quæ ex observatione elementorum prædictiones instituit, unde est *Stereomantia*, ex quâ juxta numerum elementorum quatuor aliæ divinationum species oriuntur: *geomantia*, cùm futura prædicuntur ex signis & characteribus in re aliquâ terrestri, ligno, lapide, ferro polito, & simili, extantibus: *hydromantiâ*, quæ notatis iis, quæ in aquâ fiunt, futura prædicit, quo pertinet etiam *Oenomantia*, cùm observatis iis, quæ in vino, aut vasibus vinariis fiunt, futura prædicuntur: cùm ex observatis mutationbius aëris prædictiones fiunt, dicitur *aeromantia*; cùm ex observatis rebus in igne apparentibus, aut ab igne accensis, *pyromantia*.

3. *Tertia* species est ex observatione eorum, quæ in corpore humano contingunt, unde quatuor aliæ resultant: *chiromantia*, quæ ex inspectione linearum in manibus; *pedomantia*, quæ ex inspectione pedum; *metoscopia*, quæ ex lineamentis faciei; *onychomantia*, quæ ex inspectione unguium pueri impolluti, de hominis futura conditione & fortuna vaticinatur: quemadmodum *Bodinus lib. 3. de dæmonom. cap. 3.* refert fuisse, *Tholosæ* studiosum *Lusitanum*, qui res occultas in ungue pueruli videndas exhibebat.

4. *Quarta* species habet observationes ex avibus & aliis animantibus: hinc triplices petuntur divinationes (1.) *augurium*, cùm quis avium observat garritus, volatus, cantus, & inde futuros rerum eventus prædicit, ut si cornix à læva canat, corvus à dextera, si aves convolent, si pica tibi fiat obviam, putant, sinistri quid portendi: aquila insidens alicujus capiti, significabat eum regnaturum; galli gallinacei in oppido indesinenter canentes, significabant, ejus oppidi exercitum victurum esse hostem, eò, quòd avis illa victa fileret, contrà, si vincat. Vulgus quoque nostrum putat, si cornix tecto ædium nostrarum diu crocitet, hospites adventuros. (2.) *Auspicium*, cum quis ex volucrum pastu, cursu, & motu futura prænunciat, ut cùm pulli avium respuunt cibum, cum columbæ deserunt domum, cùm grues ad nostra loca veniunt, aut per ea transeunt, &c. (3.) *Aruspicium*, cum ex volucrum aut aliorum animantium extis, intestinis, fibris, & visceribus futura prædicuntur.

5. Quintò utensilium quorundam domesticorum inspectio & consideratio multiplices parit divinationes, quas in jure Canonico recenset *Iohannes Azorius tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 14.* Hinc est *lecanomantia*, cùm ex pelvi & aquâ immissa dæmon consulitur, *castromantia*, per quam non vocibus, sed figuris dæmones respondent: *catoptromantia*, quæ divinat ex speculis ni-

lis nitidissimis; *crystallomantia*, vaticinium ex terso & polito crystallo, *dactylomantia*, cùm divinatur per annulum ad certos siderum situs fabricatum; *coscinomantia*, divinatio per cribrum; *axinomantia*, vaticinium per secures; *botanomantia*, divinatio per herbas, *sciomantia*, vaticinium per umbras; *astragalomantia*, divinatio ex jactu astragalorum: *cottabomantia*, vaticinium per æneam phialam: *spatulamantia*, cùm fit divinatio per os hirci recens occisi, &c.

6. In sexta classe est *oniromantia*, cum fit divinatio per somnia, quâ nihil est frequentius.

7. Septimo etiam omina peculiarem classem divinationum constituunt, ut cùm quis primùm summo mane domo suâ egressus, primum hominem qui occurrit, observat, & si pauper aut religiosus est, eum diem minùs felicem fore præsagit: idem omen est, si pedem offenderit, aut casu pedem sinistrum primùm domo suâ extulerit.

Ex sternutationibus quoque varia petuntur omina, plerunque autem infausta: ideò apud veteres, dicente *Plinio lib. 28. natural. hist. c. 2.* religionis & pietatis fuit, in sternutamentis bonum omen & salutem precari.

8. Divinatio quoque fit per nomina, unde est *onomatomantia*, cùm ex nomine bonam significationem habente colligitur felicitas, & morum bonitas, ex pravo nomine morum perversitas, ubi tamen sæpenumero locum invenit antiphrasis.

Multum his tribuebant *Romani*: ideò cum censor populum, Imperator exercitum lustraret, eligebant eum, qui hostias immolaret, quem bonum nomen habere sciebant: cùm consules milites deligebant, observabant, ut primus miles eligeretur, qui bonum nomen habebat.

Huc pertinent anagrammata, cùm ex permutatione literarum in nomine proprio, fiunt aliæ voces ex quibus de hominis statu & conditione judicatur, quâ in re summa est vanitas.

9. Monstra, portenta & prodigia etiam suppeditant divinandi materiam: quia enim præter solitum naturæ usum fiunt, ideò putantur aliquid singulare portendere, ut cùm *Servio Tullo* dormienti caput arsisse videbatur, conjiciebant inde aliqui, ipsum fulmine periturum, alii verò ipsum ad regiam dignitatem perventurum, apud *Valer. Maximum lib. 1. cap. 6.* *Crasi* filius, cùm infans esset, locutus est, quòd significasse ajunt regnum patris, & domum funditus ruituram. *Zoroastres* eodem die, quo natus est, risisse fertur apud *Plin. lib. 7. cap. 16.* de quo risu *Augustinus* scribit *lib. 21. de civ. Dei cap. 14. nihil boni ei monstrosus iste risus portendit. Nam magicarum artium perhibetur inventor fuisse, quæ quidem illi nec ad præsentis vitæ vanam* felicitatem contra suos inimi-

inimicos prodesse potuerunt: à *Nino* quippe *Assyriorum* rege, cùm ipse esset *Bactrianorum rex*, *bello superatus est*.

10. Mortuorum umbræ & cadavera etiam peculiarem faciunt divinationem, quæ *necromantia* dicitur, cùm quis vel ex inspectis lineis, figuris, & signis in mortuorum cadaveribus, fortuita futura aut latentia indicare nititur, vel cùm ex certo cadaverum contactu de occultis & futuris judicat: vel cum quis præscripta verborum forma, certis characteribus, circulis & figuris aliis, mortuorum spiritus se evocare, eosque de futuris consulere existimat.

11. Fiunt etiam prædictiones futurorum per sortes, unde est species illa divinationum, quæ specialiter sumto vocabulo, *sortilegium* appellatur, quia per sortem aliquid eligitur, quemadmodum *Haman* per sortem sciscitatus est diem idoneum ad delendos *Judæos Esdr.* 3. *vers.* 7. per sortem latentia furta aut alia occulta deteguntur, ut si chartula in urnam conjecta aut in cribro posita unà cum aliis multis, ea, quæ *Petri* nomen inscriptum habet, educatur, & inde conjectes, *Petrum* habere rem clam furto ablatam, divinatio per sortem dicitur.

12. Superstitiosa etiam est divinatio, cùm ex fortuitis quibusdam eventibus, vel læta vel tristia eventura conjicitur, cùm dies quidam fausti, quidam infausti habentur, cùm egredienti alicui manè è domo felis aut canis occurrit, & inde dies iste inauspicatus putatur: cum ex offensione pedis aut capitis, ex sternutatione, ex ruptura corrigiæ, ex veste à muribus polluta, & similibus, infausti quippiam colligitur. Hæc omnia superstitiosa sunt, & ad hanc speciem divinationis spectant.

13. Restat denique diabolica divinatio, quæ fit vel per expressam vel per occultam invocationem dæmonis. *Expressa* est, cùm quis pacto cum dæmone inito petit, futura revelet. *Occulta* est, cùm quis ministerio & opera hominis utitur, qui cum dæmone societatem habet, & per eum futura & latentia inquirit. Huc pertinent, qui furore correpti dæmonis instinctu futura prænunciant, quod Ethnicorum vates facere solebant.

Tot ergò modis divinationes possunt fieri: cumque circa eas dubia quædam occurrant, nos jam ad enodanda ea accedimus, ut conscientiæ etiam hoc in genere consulatur.

CASUS

Digitized by Google

## CASUS I.

### *An omnis simpliciter divinatio, seu futurorum eventuum prædictio est improbanda, adeò, ut sine peccato eam nemo vel profiteri, vel usurpare possit?*

*Variæ opiniones recensentur,* RESP. De hac quæstione olim multùm inter Philosophos disputatum fuit, & inter Christianos quoque non omnes idem sentiunt.

*Stoicorum,* *Stoici* nullas rejiciebant divinationes, quocunque modo fierent, dicentes, Deum natura in homines benignum ac beneficum esse, ideoque rebus humanis prospicere, ac futura ipsis prædicere. Eamque ob causam auguria, auspicia, sortes, oracula, & quocunque modo futura prædicebantur, sacrosancta erant: *Pythagoræ,* in qua opinione etiam *Pythagoras* fuit, qui auguriis utebatur, & symboli loco usurpabat hoc: *divinationem honora.*

*Epicureorū* *Epicurei* divinationes omnes ridebant, & quæcunque de futuris prædicebantur, pro nugis habebant, & imposturis, quas hominum crudelitas invenisset.

*Peripateticorum,* *Peripatetici* mediam videbantur ingredi viam. Nam, ut apud *Ciceronem lib. 2. de divinatione* legitur, duo constituebant divinationum genera, unum vocabant *artificiosum,* quod artis particeps esset, & complecteretur ea, quæ conjecturis explicantur, aut eventibus animadversa & notata sunt, qualia sunt auguria, auspicia, observationes portentorum & prodigiorum, vaticinia ex astris & elementis, ex sortibus, ex partibus corporis humani.

Et hoc genus divinationum *Platonis.* *Plato in Phædro* vocat οἰωνιστικὸν, quasi οἰονοιστικὸν, quia complectitur omnia, non ex fatidico & furioso impetu nata, sed arte ex qualibuscunque causis obviis sumta monita ac præsagia.

Alterum vocabant *naturale,* quod *Platoni* est μαντικὸν seu μανία, quod nulla arte constat, qualia sunt insomnia, oracula, vaticinia furentium & eorum, qui morti sunt proximi: quorum prædictiones non constabant arte quadam, nec ex præcedentibus signis per conjecturam colligebantur: sed eorum sunt, quæ ex concitatione animi, liberoque motu præsentiuntur.

Divinationes ex arte prorsus rejiciebant, eas autem, quæ arte carebant, non contemnendas esse judicabant, sed naturalem in anima facultatem esse docebant, futura præsagiendi: quæ incitetur à calore in quibusdam morboso, unde sunt præsagia maniacorum & phreneticorum, in aliis verò naturali, cùm videlicet atrabilis, eaque calida naturaliter juxta cerebrum, tanquam mentis sedem abundat, unde dicunt *Sybillarum* & vatum esse oracula, quæ est sententia *Aristotelis in libro de*

*mundo ad Alexandrum, & in problem. sect.* 30.

Verùm sunt hæc ex cæcitate Ethnicorum, qui veræ religionis ignari divinationes omnes confundunt diabolicas cum naturalibus miscent, & quàm astutus sit spiritus dæmon, ac ad fallendum homines promtus, non animadvertunt.

*Christianorum nonnullorum.* Mirum autem est reperiri etiam inter Christianos, qui divinationes etiam non ex præcedentibus caussis aut conjecturis oriundas, naturales esse statuunt: idque partim rationibus, partim experientia & similibus confirmare audent. Dicunt enim animam hominis in sese rerum omnium, etiam futurarum & occultarum simulacra & imagines habere, ideò eam sibi relictam, & ab externis impedimentis liberam, ut in somnio & ecstasi, res futuras & occultas cognoscat, quod corporis mole impedita aliàs facere non potest. *Gregorij Magni.* Hinc *Gregorius Magnus lib. 4. dial. 26.* scribit: *ipsa aliquando animarum vis, subtilitate quadam sua aliquid prævidet.* Apparet hoc in dormientibus, qui magis divinant, quàm vigilantes: insani etiam, moriones, morti viciniores plus divinant, quàm alii, & ipsorum prædictionibus aut præsagiis plerunque respondet eventus: sunt etiam nonnulli homines tam sagaces, ut de morbi exitu aut aliarum rerum eventu, si non omnino id quod fit, verisimile tamen aliquid prænunciare possint. Animalia etiam nonnulla futura prædicunt, cur ergò Deus facultatem denegasset homini? pisces solent nautis tempestates monstrare, aves agricolis, armenta bubulcis: ex porcorum grunnitu, cùm è pastu domum redeunt, cum feles se lingunt & ornant, cornices concurrunt, pluviæ vehementiores colliguntur, mures confertim in domum proximam concurrentes, prioris domus, è qua egressi sunt ruinam præsagiunt, & quæ sunt his similia.

Cratippus naturalem animæ divinationem duobus argumentis colligebat: quicunque vel semel præsenserit divinaveritque futura, etiamsi erraverit ea in re pluries, habet in se facultatem divinandi: quemadmodum, qui vel semel vidit cœlum, etsi postea nunquam ampliùs viderit, aut in videndo sæpiùs aberrarit, naturalem videndi facultatem habet: quod enim facultatem illam non habet, nunquam videt. Negari verò nequit plurimos somniasse aliquando, aut etiam vigilantes prædixisse futura, quæ evenerunt: ergò habent illam naturalem facultatem divinandi. 2. quemadmodum naturaliter tributa est animæ vis quædam sentiendi præsentia, quæ dicitur sensus: & alia sentiendi præterita, quæ dicitur memoria: ita oportet tributam ei esse aliam vim futurorum, quæ dicitur divinatio.

Ex sacris etiam afferunt aliqua, ut quòd *Elisæus* musica excitatus prophetare cœpit 2. *Reg.* 3, 15. quòd *Saul* prophetare cœpit, cùm spiritus domini

domini in ipsum insiliret 1. *Sam.* 10. v. 10. unde colligunt latere naturalem aliquam vim in animâ prædicendi futura, quæ per musicam excitari posset, nihil enim proficeret musica, nisi jam antè facultas illa, sed quasi soporata latens, animæ naturaliter inesset.

His argumentis persuadere quidam volunt, habere hominem vim naturalem prædicendi futura, ac proinde falsum esse, quod supra ex *Themæ* diximus: *divinationem* omnem ex operatione dæmonum esse.

*Ad quas opiniones omnes respondetur.*

Ad hæc omnia, sic respondemus 1. non placet nobis sententia *Epicureorum*, qui omnem prorsus divinationem negabant. Nam præsensiones quasdam futurorum inesse hominibus, credimus equidem, vel ex certa scientia, seu ex causis naturalibus, vel ex conjecturis cum vera prudentia conjunctis.

2. Non adstipulamur *Philosophis*, qui naturalem facultatem animæ ex divinatione faciunt: nam si qua est, non est futurorum quorundam, ita ut aliqua præsciantur, alia non item: sed futurorum omnium, quemadmodum memoria est omnium præteritorum. Manifestum autem est, quòd in anima non sint rerum futurarum omnium species & notitia; hoc enim est infinitæ virtutis. Ideò solus Deus futurorum omnium conscius esse dicitur, qui hanc facultatem adeò habet propriam, ut ea cum essentia sua convertatur, adeoque cum creatura nulla communicetur.

Imò falsum est animam humanam rerum simulacra in se habere: nam quidquid scit, ex revelatione vel Dei vel sensuum cognoscit, quanquam id expeditiùs fiat dum rebus externis non impeditur, ut in somno, aut raptu.

Et sic intelligendum est dictum *Gregorij*, quòd ipsa animarum vis subtilitate sua aliquid prævidet, scilicet vel ex sensuum judicio, vel ex peculiari revelatione Dei, ut in Prophetis, vel etiam ex collectione causarum naturalium, ut fit in prædictionibus physicis.

Futura contingentia anima per se scire non potest, quia vel occulta & abdita sunt sensibus, qualia Deus sibi soli reservavit, vel quia libera hominis voluntate dependent, & mutabilitati sunt obnoxia, ut an consul vel rex, an dives vel pauper sis futurus, an hoc vel isto genere mortis sis obiturus. Ideò Augustinus naturalem divinationem animæ humanæ rectè negavit *l.* 12. *de Genesi ad lit. cap.* 13. *nonnulli*, inquit, *sentiunt vim quandam divinationis esse in anima humana*: sed falsum id esse multis ibi demonstrat.

Divinationes morientium, morionum, furiosorum & morti vicinorum, præsagia tantùm quædam sunt, & conjecturæ.

Dormientes faciliùs aliquid præsagiunt, quia anima tunc intra se collecta, & ab externis rebus libera melius imagines rerum per sensus subministratas percipit. Idcircò Deus etiam plerumque noctu lo-



Digitized by Google

cutus est Prophetis, & hi plerumque noctu visiones habuerunt, ideò consulti die demum postero responderunt. Ideò *Holda* prophetissa legatos Regis *Iosiæ* in noctem expectare jussit, & *Balaam* legatos regis *Balaci Num.22. v.8.*

Furiosi etiam futura prædicunt. Sunt autem furiosi vel ex *obsessione diaboli*, qui per illos ea, quæ futura ex certis indiciis novit, prædicit: vel ex *morbo*, ut in febrientibus & phreneticis, quorum exempla recenset *Augustinus lib. 12. de Genes. ad lit. c. 17. novimus* (inquit) *sine dubitatione phreneticum futuram mortem cujusdam fœminæ prædixisse, non sanè specie divinandi, sed tanquam factum ac præteritum recolentem. Nam cùm ejus apud eum commemoratio fieret, mortua est, inquit, ego eam vidi efferri, hàc cum ejus corpore transierunt, cùm illa incolumis viveret, post paucos autem dies repentè defuncta, & per locum eum elata est, quem ille prædixerat.* De puero quodam refert, quòd inter cruciatus maximos ab omnibus sensibus abreptus patentibus oculis jacuerit & neminem viderit, pòst aliquantum evigilans, quæ viderat, indicavit. De his modestè disserit *Augustinus cap. sequente. Similia hæc ait somniis, in quibus multa sunt falsa, aliqua vera, aliquando perturbata, aliquando tranquilla: ipsa autem vera futuris omninò similia, vel apertè dicta aliquando obscuris significationibus & quasi figuratis locutionibus prænunciata*: Tandem concludit: *hoc nosse, cui non sufficit, unde etiam existat, inquirat ab aliis, me ignorare confiteor.*

Alii tribuunt divinationem furiosorum loquacitati: nam dum multùm garriunt, interdum fit, ut etiam id, quod futurum est effutiant, sicut illi, qui totum diem jaculando se exercent, interdum etiam collimant ad scopum, licet artis jaculatoriæ sint imperiti.

Moriones & fatuos ideò magis divinare dicunt, quàm alios, quia pro prudentiâ habent naturalem divinationem, sicut bruta quædam faciliùs aliquid præsagiunt, quàm homines, quod enim ex causis suis investigare non possunt, naturali quadam sagacitate conjiciunt.

[*Hic notetur fabula, quòd Tyresias, cùm donaretur dono divinandi, factus sit cæcus.*]

Verisimile etiam est, Deum miseris istis hominibus talem indidisse vim, ut sint principûm virorum (in quorum familia plerumque vivunt) magistri; hi enim dum sapientes audire nolunt, ab his fatuis non rarò erudiuntur, sicut ab asinâ suâ *Bileamus*.

Qui morti sunt vicini, etiam interdum futura quædam prædicunt, quorum exempla recitat *Gregorius lib. 4. dial. cap. 26. & 27.* putatque animas de corpore exituras per revelationem futura cognoscere.

De sanctis sanè hoc verissimum est, quemadmodum *Iacobus* Patriarcha filios suos ante mortem congregavit, ut annunciaret ipsis, quæ ventura sunt *Gen. 49, 1. de Mose* legitur,

legitur, quòd, instante ejus morte, Israelitis quædam prædixit *Deut.* 33, 1.

Alii morituri corporis mutationem, aeris serenitatem aut tempestatem, solis æstum, aut similia citiùs aliis præcognoscunt, quia horâ illa mortis, sensibus intrò vocatis & quasi consopitis, mens exactiùs & meliùs res contemplatur, illasque mutationes in corpore suo citiùs percipit.

Medici nonnunquam morbi eventum prædicere possunt, per naturalem στοχασμὸν, i.e. per solertiam naturalem, quam *Galenus* in medico requirit, qua statuitur ex notis sensu acceptis, de morbi specie & causis, de naturæ robore, de loco affecto, de symptomatibus secuturis, de interitu & revalescentia: id quod cum divinatione prohibita nihil commune habet.

In brutis etiam quibusdam est instinctus quidam naturæ, quo futura quædam conjiciunt, quæ suas quidem causas habent, sed ipsis ignotas. Et quia corporalia sensus maximè afficiunt, brutorumque animæ corporalibus magis afficiuntur, hinc fit, quòd bruta sensibus suis futura corporalium rerum initia magis percipiant, quàm ii, qui ratione sunt præditi: quemadmodum enim cœci audiunt exactiùs & recordantur faciliùs, quia nulla habent extrinsecus impedimenta auditus & reminiscentiæ; sic bruta exactiùs sentiunt.

Quod *Cratippi* collectionem attinet, ea nihil concludit: Nam 1. quæ naturalia sunt, non semel atque iterum, sed sæpiùs fiunt, quæ autem à casu, illa vix semel aut rarissimè accidunt. Sic casu contingere potest, ut quis prædicat aliquid, quod evenit, si ex facultate naturali fieret, non tam frequenter in aliis aberraret. Ea enim, quæ naturaliter fiunt, non nisi accedente aliquo extrinseco impedimento fallunt.

2. Memoriæ malè opponitur facultas divinandi. Nam si præteritorum & præsentium sensus est, non sequitur etiam futurorum esse: siquidem præsentium & præteritorum species in mente esse possunt; futurorum non item, nisi ex accidente, ex ipsis videlicet præteritis aut præsentibus.

Quæ denique ex sacris afferuntur, minimè probant naturalem vim divinandi; nam Musica in *Elisæo* non excitabat ejus facultatem naturalem ad prophetandum, quia non nisi, quæ ex Dei revelatione habebat, prædicebat: sed mentem erigendo, & à sensibus abstrahendo ad divinandum disponebat. Nam quò magis abstrahitur mens à rebus hujus seculi, eò fit aptior ad rerum divinarum contemplationem.

*Saul* incipiebat prophetare, non excitata in ipso facultate quadam naturali; sed quia spiritus Domini in ipsum irruebat, ut textus habet. Omnis enim futurorum prædictio, quæ non est ex causis naturalibus, aut conjecturis, vel à Deo est, ut prophetiæ sacrorum vatum, vel à Diabolo, ut divinationes propriè sic dictæ.

Hæc ferè sunt, quæ objicere solent ii, qui divinationem, etiam non constantem naturalibus caussis, licitam esse arbitrantur, quæ quàm nihil ad rem faciant, ex dictis patet: pleræque enim hujus generis prædictiones sunt ex caussis naturalibus, ex quibus effectum colligi quodammodo posse nemo negat. Jam ad specialiora quædam accedam.

## CASUS II.

### *Quid sentiendum de prædictionibus astrologicis: numquid iis bona cum conscientia confidere possumus, sive in observatione tempestatum, sive eventuum futurorum, qui ex themate natalitio prædicuntur?*

RESP. Mathematici, Astrologi, Genethliaci, & Planetarii olim promiscuè habebantur, & adeò malè audiebant, ut ne quidem in urbe tolerarentur, tanquam artem vanam exercentes. Ita enim scribit *Tacitus lib. 1. annal. Mathematici, genus hominum principibus infidum, credentibus fallax, à civitate nostra semper prohibentur, sed expelluntur nunquam.*

Imperatores Ethnici, *Tiberius*, *Claudianus*, *Vitellius*, *Diocletianus* hoc genus hominum latis legibus è Romana Republ. ejecêre, ut constat ex *cod. de malef. & Mathemat.*

Inter Christianos etiam non pauci & astrologos, & qui eos consulunt, promiscuè omnes rident, & reprobant. S. Patres multa acerba contra hos scripserunt. *Basil. lib. 6. in Genes. Augustinus lib. 2. super Genes. ad lit. cap. 17. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 21. seqq. lib. 5. de Civit. Dei cap. 5. Euseb. lib. 14. de præparat. Evang. cap. 4. & lib. 6. cap. 9.* & tandem *Lutherus* noster *in cap. 1. Genes.*

In *Iure Canonico* etiam prædictiones Astrologicæ simpliciter damnantur *part. 2. decretor. c. 26.*

In hanc sententiam allegant dicta Scripturæ, *ex Esa. cap. 41. v. 23. annunciate, quæ ventura sunt, & scimus, quia dii estis vos.* & cap. 44. v. 25. *Ego sum Dominus, irrita faciens signa divinorum, & hariolos in furorem vertens,* & *cap. 47. v. 12. sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent & salvent te augures cœli, qui contemplantur sidera & supputant menses, ut ex eis annuntiarent futura tibi;* ex *Ierem. 10. v. 2. à signis cœlorum nolite timere, quæ timent gentes.*

Argumentantur etiam ex *Eccl. Salomonis cap. 10. v. 14. ignorat homo, quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit, quis poterit indicare?* & ex *cap. 8. v. 7. homo ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio,* ex 1. Cor. 2. *v. 11.*

*v.* 11. *nemo novit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis,* & ex *Prov.* 27. *v.* 1. *ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies.*

*Epiphanius in lib. de mensura & ponderibus refert, Aquilam Ponticum* eam ob causam ex ecclesia pulsum, quòd nativitatum observationibus, cæterisque divinationibus astrologicis studiosè vacaret, & *Augustinus in enarratione Psalm.* 61. existimat, libros illos curiosarum artium, qui *Ephesi* fuère combusti *Actor.* 19. fuisse de rebus ad judiciariam astrologiam pertinentibus.

Hæc omnia prædictiones astrologicas odiosas & suspectas reddere possent, nisi hîc pretiosum à vili, abusus ab usu secerneretur.

*Physici & medici sumunt quædam prognostica ex astris.*

Sciendum igitur, quòd non omnes prædictiones, quæ ex astris sumuntur, sint impiæ ac prohibitæ. Quædam enim *naturales* sunt, quæ in agriculturâ, re nauticâ, medicinâ & similibus insignem habent usum, & innituntur causis naturalibus, quæ ex siderum ortu vel occasu, motibus & adspectibus, adde etiam viribus ad hæc inferiora rectè applicatis petuntur. Habent enim astra naturales suas vires sibi à creatore inditas, quibus in hæc inferiora efficaciter agunt, eaq; in movendis corporum humoribus, in ciendâ tempestate, in mutatione quoque temperamentorum pro re nata afficiunt.

Quorsum enim Deus tanta sapientia cœlestia ista corpora tanto numero & ordine, tantâ colorum magnitudinumque diversitate produxisset, nisi suam peculiarem cuique vim adsignasset? non enim ornatus tantum causa cœlo affixa sunt: & quis astrorum usus erit, si nihil agunt? Deus certè, qui nihil condidit frustrà, non patitur stellas vago motu absque omni efficacia sphæris suis oberarre, sed posuit eas in signa, stata tempora, dies & annos, ut liceant in firmamento, hæc inferiora illuminent, & idoneis qualitatibus afficiant.

Unde experientia testatur, quàm admiranda quotidiè in hoc sublunari orbe astrorum fiant virtute, quantæ mutationes aeris & tempestatum, quantæ in hominum corporibus ad tactum fermè manifestæ variationes.

Ex his, quæ circa nos fiunt, hoc est, ex cœli temperie, terræ fœcunditate & similibus *Cleanthes* collegit effectus superioris naturæ, & ex effectibus istis Deum illorum omnium conditorem, & *Plinius lib.* 18. *nat. hist. cap.* 25. ex *Xenophonte* rei agrariæ consequutionem non ante, quàm Deus signum dederit, peragi volebat, hoc est, priusquàm definiti illi tempestatum prænuncii diuturnâ observatione animadversi illuxerint.

Testantur hoc effectus luminarium; Solis lumen dissipat, lunæ congregat, Solis præsentia vicinarum stellarum fixarum vires excitantur, & quasi ventilantur, & ad operandum idoneæ fiunt, erraticæ verò Sole adventante, hebetantur & obtunduntur, radiorum verò ex ali- *De Sole.*

quo

mores placidos, & temperamentum aptè moderatum largitur. Quam temperamentorum varietatem à superiori natura & influxu siderum pendere, non quidem causæ docent apodicticæ, à posteriori tamen testantur effectus, quos negare non possumus. Stellæ fixæ etiam suas habent vires, quibus hæc inferiora afficiunt: quæ cum admirandâ velocitate ac constantia 24. horis in sua sphæra per omnes mundi cardines volvantur, hinc fit, ut aliæ rectiùs radios suos in terram ejaculantes fortiorem etiam vim habeant in agendo; aliæ leviter lambendo quasi convexam orbis elementaris regionem tangant. Ideoque effectus earum etiam non est tam fortis.

Accedit Solis vicinitas, qui, quicquid intra quinque graduum terminos ab utroq; latere habet obvium, id suo exstimulat vigore, insitamq; ejus vim radiorum objectu flagellando quasi exacuit.

Pleiades Hyadesque, ut & Aselli, humidioris sunt naturæ, ideò pluvias excitant: Arcturi tempestuosa est natura: Sirii furorem circa solstitium æstivum etiam canes experiuntur. Sic de aliis stellis, quarum vires experientia comprobavit.

Cùm ergò has siderum cœlestium vires in inferiora nemo sanus negare possit, sequitur salva pietate ex iis etiam, de quibusdam effectibus in sublunari mundo aliquid prædici posse: & hæ prædictiones non sunt divinatoriæ, ideò nec prohibitæ, quia causis naturalibus nituntur, magnumque in medicina, agricultura, œconomia, & re nautica usum habent.

*De diebus criticis.* Ex astris igitur sua habent prognostica medici, inprimis in observatione dierum criticorum, quos inter prima morborum κριτήρια referunt. Eorum variatio à solo lunæ motu provenit, cùm enim septimo quoquo die luna ad contrariæ naturæ signum devolvatur, ei, in quo morbus cœpit, verisimiliter concludunt medici, morbum remittere, si illud signum morbo fuerit contrarium: sin verò signum, ex quo luna in aliud transiit, morbo familiare fuerit, conjiciunt morbi vires crescere.

*De annis climactericis.* Idem etiam ex parte de annis climactericis dici potest, quorum observationem prorsus negligere, temerarium esset. Dependent autem illi, (quantum ad causas naturales attinet) à motu Saturni, qui tardissimus est, & uni signo tot fermè annis, quot luna diebus, immoratur, & post septem annos ad contrariæ naturæ signum, ei, à quo est egressus, progreditur, non sine singulari rerum fermè omnium tunc temporis mutatione.

Sic Medici ex constitutione lunæ de vivacitate partuum verisimiliter conjiciunt. Editos in interlunio minùs vivaces, aut certè languidos & debiles fore prædicunt. Destitutæ enim uteri membranæ justo humore, quo quasi grata uligine inungi debebant, cunctantiùs partum

Eeee expel-

expellunt, adeò, ut vix magno cum molimine ex tam angustis aridisque latebris infans eluctari queat. Infans igitur tanta cum difficultate, tantaque cum humorum malitia in lucem progenitus, ejusdem imbecillitatis radices in reliquo vitæ curriculo postmodum fovere creditur.

Hinc videmus, natis in interlunio, si ipsis ultra annos nutritionis vita prorogetur, inflammari epar, ventriculum, intestina ustulari, vitiligine infici, aliisque ardentioribus affectionibus eos obnoxios fieri, si præsertim corporis constitutio sit biliosa vel sanguinea, neque efficacior aliquis siderum positus pestiferam istam lunæ vim inhibeat.

Quæ omnia, quòd à medicis diligenter observantur, improbare non possumus.

*Agricolæ & œconomi etiam prognostica sumunt ex astris.*

Deinde sumunt ex astris prognostica sua agricolæ & œconomi, quæ rarò fallunt. Observant Arcturum, Booten, plejades & hyades; inprimis autem Vergiliæ ipsis quasi sacræ sunt, ut quæ suo exortu æstatem, occasu hyemem incipiant, semestri spatio inter se messes vindemiamque & omnium maturitatem complexæ, verbo *Pliny*. Ex horum futuro exortu prævisâ olei caritate, ferunt *Democritum*, (quod *Aristoteles ad Thaletem* refert *lib.* 1. *polit. cap.* 7.) magna cum utilitate, in spem olivæ, in toto tractu coemisse omne oleum mirantibus civibus, quibus paupertas philosophi & literarum amor non obscurus erat: qui cùm postea perspecta causâ, *Democritum* ex olei divitiis ditescere viderent, non sine pœnitentiâ cœlum observare cœperunt, id quod deinceps eadem ratione *Athenis Sextum fecisse Plinius* autor est *lib.* 18. *nat. hist. cap.* 28. Id verò ex Vergiliarum exortu (*incidit olim in* 6. *Idus Maij.*) facilè scire poterant, quòd cum illo olearum, ut & vitis conceptum incipere, etiam hortulani non ignorant.

Ex Plejadum ortu vel occasu colligunt agricolæ vicissitudines hyemis & æstatis. Cùm sub finem novembris ante occasum Plejadum pluit, annum frugiferum conjiciunt; cùm unà cum occasu Plejadum pluit, annum mediocrem; cùm post occasum Plejadum pluit, hyemem diuturnam colligunt: & juxta has observationes rem domesticam instituunt.

In his sanè observationibus nihil est impietatis, nihil superstitionis, sed potiùs magnam habent utilitatem, ideò nec propter illas astrologia malè audit, neque hodie culpandum est eorum studium, qui Ephemerides scribunt, & ex siderum positu de tempestatibus aliquid prædicunt.

*De Calendariographorum studio.*

Quòd autem eventus prædictioni non semper respondet, id ex duabus est causis: 1. *Ex ignorantia artis:* Plerique enim calendariographi Physicæ & Astronomiæ sunt imperitissimi, & sine judicio judicia sua astrologica conformant, temereque tempestates & alia prædicunt, quorum rationes, dicere nesciunt. 2. *Ex interventu aliarum causarum*, quæ siderum

derum vires impediunt, aut corrigunt. Non enim sola astra agunt in inferiora, sed ad rerũ productionem plura concurrunt, ut semen & labor agricolæ, soli & regionis qualitas, quæ corrigere possunt, quæ per astra vitiari videntur. Sic infantes in plenilunio aut quadraturis geniti, firmioris plerumque sunt valetudinis; potest tamen seminis debilitas interdum sola ægritudinem infanti conciliare.

Est ergò aliqua prædictionum harum certitudo, sed non apodictica, sed qualis esse solet eorum, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ contingunt. Et hæc est una species prædictionum Astrologicarum, quam naturalem appellare possumus, quia causas in natura habet.

*Prædictiones quadã genethliaca non sunt infallibilis veritatis & necessitatis, sed verisimilis saltem probabilitatis.*

Ad hanc referimus etiam prædictiones quasdam genethliacas, si intra suos terminos relinquantur. Nam cùm ex præcedentibus constet, quòd humores in corpore regantur à stellis, nihil obstat, quin ex certo siderum positu in nativitate hominis de temperamento & moribus ejus, & quæ hinc dependent, aliquid prædicere possim, non quidem sub infallibili aliqua necessitate, sed verisimiliter videlicet, nisi Deus, qui totius vitæ nostræ summus est director, per causas alias aliter disposuerit. Ideò vulgò dicitur, *astra non necessitare, sed inclinare*, hoc est, non necessitatem rebus inducunt, quasi sic & non aliter fieri oporteat, sed tantum, quò natura inclinet, indicant: si bonum aliquid est, precibus & exercitiis piis naturã juvare; sin verò malum, precibus itidem & studio pietatis avertere possumus.

Quæ verò simpliciter à voluntate & libero hominis arbitrio dependent, de iis nullam prædictionem certam esse dicimus, cùm *futurorum contingentium, non sit determinata veritas.*

*Prædictio astrologica non extendit se ad res simpliciter à voluntate & libero arbitrio nostro dependentes.*

Cui sententiæ nostræ nihil obstant, quæ vulgò solent objici, de *Iacobo & Esavo*, qui gemelli fratres, ex uno conceptu fuerunt, ut *Paulus Rom.* 9, 10. loquitur, & tamen diversissimæ fuerunt naturæ; item, quòd *Salomon* de filio suo scribit, ignorare se, *an sapiens sit futurus, an insipiens* Eccl. 2, 19. quòd *Hectoris & Polydamantis* nativitas in eandem noctem incidit, de quorum diversa indole *Homerus* scribit *Iliad.* 6.

Ἀλλ' ὁ μὲν ἄρ μύθοισιν, ὁ δ' ἔγχει πολλὸν ἐνίκα.

quòd referente *Tullio lib. 2. divinat. Proclus & Euristhenes Lacedæmoniorum* reges gemelli fratres, nec vitæ diuturnitate, nec morum nobilitate sibi similes fuerint, quippe cùm ille hoc breviorem vitam, virtute verò rebusque gestis longè præstantiorem gesserit.

Opponenda hæc sunt iis, qui omnium rerum eventum referunt ad sidera. Ego tantã siderum vim ignoro, quæ ad omnia minuta vitæ humanæ fatis efficax esse possit. Neque enim solum sidera hominis temperamentum & studia inde profluentia gubernant: sunt alia potiora, ut educatio, diæta, adsuefactio à teneris, quod dicitur, unguiculis,

 regio-

Digitized by Google

regionum diversa temperies, ex qua populi ingenium notare solent Physici; & quæ his sunt similia, quæ non rarò siderum vires hebetant & corrigunt.

Cum hac moderatione usurpatæ prædictiones astrologicæ in thematibus natalitiis, non pugnant cum pietate neque displicent sapientioribus.

*Lutherus* noster *in cap. 1. Genes.* lusum ingenii nominat, qui tolerari possit: *Ego*, inquit, *si quis eas*, (prædictiones astrologicas) *defendat minùs pertinaciter, non valdè repugno. Oportet enim ingeniis lusus suos concedere. Igitur si superstitionem tollas, non valdè offendit me, si quis ingenij caussa istis prædictionibus ludat.*

Sunt autem aliæ prædictiones astrologicæ, quas nominare posses *superstitiosas & chaldaicas*, quia à Chaldæis olim maximè usurpatæ; quæ ex sideribus cœli prænunciare audent quosvis rerum eventus fortuitos, quælibet occulta & hominibus incognita, ut: penes quem sint res furto ablatæ, quid cras vel perendie in rebus illis, quæ simpliciter libertati hominum subjectæ sunt, futurum sit, item futuram hominis conditionem, vitæ genus, divitias, mortem, mortis genus & tempus: quin & sacris rebus curiosas has artes obtruserunt. Nam diluvium *Noeticum*, & ortum Christi, aliaque summa prodigia & miracula etiam ex astrorum observatione prænosci ac prædici potuisse scribunt: quod *Pererius libr. 2. in Genes. disputat. advers. astrologos* de *Petro Aliaco* refert, & reprehendit.

Cardanus thema natalitium Christi erexit, & mortem violentam ei astra minitata fuisse, non sine temerariâ impietate scripsit. Addiderunt olim quidam multa incredibilia, ut quòd *Mars* in novâ cœli domo feliciter positus tantum præstare dicitur, ut quis sola sua præsentia ab obsessis dæmones pellere possit: alii has prædictiones astrologicas etiam ad vitam æternam retulerunt. *Venerem* enim dixerunt esse felicitatis humanæ autorem in hoc seculo; *Iovem* post hanc vitam in seculo futuro. Homines eo tempore natos, cùm *Saturnus* est in leone, ajunt esse longævos, & post mortem animas eorum in cœlum diis applicatas evolaturas.

*Albumazar* scribit, eos qui *lunâ Iovi junctâ* in *capite draconis*, Deo supplicaverint, quidquid petierint à Deo, certissimè impetraturos. A quâ temeritate, nescio, an procul absint hodierni fanatici, qui & preces & artis suæ opera, non nisi sub certo quodam siderum positu incipiunt, magnam felicitatem & successum optatissimum sibi indepollicentes.

Hujusmodi nugatoriæ prædictiones fecerunt, ut nonnulli etiam sancti viri prædictionibus astrologicis omnibus promiscuè infensiores fierent: Unde apud *S. Patres* multa dura in astrologiam reperiuntur, quæ tamen pleraque de Chaldaica & superstitiosa illa astrologia *Patres propter abusũ in astrologiam invehuntur.*

gia intelligenda sunt, quæ vel de rebus fortuitis agit, quæ prorsus ab influentiis astrorum dependere non possunt, vel rebus prædictis necessitatem fatalem infert: id quod nos æquè ac alii impium & blasphemum esse profitemur.

In hos *Origenes* invehitur apud *Eusebium lib. 6. de præparat. evang. cap. 9. non solùm gentiles*, inquit, *stellarum conjunctione atque adspectu, quæ in terris sunt, necessariò accidere credunt, quam vim Fatum appellant: verùm etiam multi ex fidelibus conturbantur, impoßibile aliter fieri credentes, quàm stellarum cursus effecerit, unde sequitur nullam in nobis esse libertatem, &c.*

His objicienda sunt scripturæ dicta, quæ suprà adduximus: horum prædictiones vanæ sunt, à quibus nihil metuendum, quibus etiam nihil tribuendum est. Has prohibuerunt Canones, has piè docti omnes odio habent.

Sic *Alexander Papa III.* presbyterum illum, qui astrologum consuluit de quodam furto in ecclesia sua facto, in annum unum altaris ministerio privavit. Astra enim nec efficiunt, nec aperiunt furta. Rectè reprehendit *Basilius* eos, qui astrorum influentiis eam tribuerunt vim, quasi Deus per astra homines rapiat ad scelera, quid enim astris commune est cum sceleribus? Hi sunt, qui araneæ telam suis prædictionibus texunt, quæ neque usum aliquem habere potest, nec ita vincta est, ut non culex aut musca infirmitatis humanæ in ea hæreat, ut ex *Basilio* retulit *Ambrosius*.

Proinde qui studiis astrologicis delectatur, non quidem peccat, dum siderum motus & influentias observat, ex iis etiam de futuris naturalibus judicium facit: sed hæc studia, non nimiùm extendat, nec aliquam necessitatem (in isto aliarum causarum concursu) suis prædictionibus attribuat, sed pro lusu ingenii habeat, cui non sit pertinaciter inhærendum.

Sic themata natalitia petere quidem licet, sed absque curiositate nimiâ. Nam non satis tutum est, de futuris nimis esse sollicitum.

Si quæ futura sciri possunt per astrologicas prædictiones, parum prodest eorum cognitio. Si enim bona sunt, animum securum reddunt, sin verò mala, profectò multis modis eorum ignoratio melior est, quàm scientia, & præstat esse semper in timore Dei, ac orare, quàm discruciari metu futurorum eventuum.

Quæ est sententia *B. Lutheri* in loco prius laudato: in qua etiam finimus, & Deo astrorum creatori res nostras omnes fideliter commendamus, qui præsentia nostra bona conservet, mala mitiget, de futuris autem pro bona sua voluntate, nobis prospiciat.

## CASUS III.

### *Num absque superstitione & peccato, ex cœli & elementorum observatione prognostica rerum futurarum peti possunt?*

RESP. Res naturales, præsertim quæ ad aeris temperiem pertinent prædici, & observari sine superstitione possunt ex cœlorum aut elementorum constitutione, suam enim inde habent dependentiam.

Sic ex diverso nubium colore diversam quoque aeris temperiem prædicere possumus.

*Nubium diversi colores quid prædicant.*

*Nigra* nubes ventorum & fulminum in æstate causa est, quia densiores ac crassiores habet vapores: *alba* notat serenitatem, quia gignitur ex vapore subtili, tenui & raro, qui facilè stellarum lumen recipit: *rubra* etiam ventos parit; quia vapores continet humidos & fumosos, terrestres & adustos: *viridis* nubes pluvias notat, quia valdè rorida est & aquosa, & jam destillare incipit. Hinc est vulgaris versiculus προγνωστικός:

*Luna prognostica.*

*Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.*

*Pallor* circa lunam sive solem, pluviam significat, quia tum vapores adhuc crudi & non benè percocti, sed adhuc sunt valdè humidi.

*Rubedo* significat exhalationes crassas quidem, sed siccas & benè percoctas, quales requiruntur ad generationem ventorum.

*Albedo* significat exhalationes subtiles, quæ jam in aerem dissipantur, unde serenitas oritur.

Christus ipse harum rerum observationes, & cœli dijudicationes non improbat, cum ad *Pharisæos* dicit *Matt. 16, 3. facto vespere dicitis, serenum erit; rubicundum est enim cœlum: & mane: hodie tempestas; quia rutilat triste cœlum. Faciem cœli dijudicare potestis, signa autem temporum non potestis?* in quæ verba *Hieronymus* scribit: *sensus manifestus est, quòd ex elementorum ordine atque constantia poßint & sereni & pluviæ dies cognosci.* Hinc sunt versiculi:

*Rubedinis matutinæ & vespertinæ prognostica.*

*Nocte rubens cœlum, cras indicat esse serenum,*
*Atque rubens manè tempus signat pluviale.*

*Rubedo matutina* plerumque ventos aut pluvias notat, quia sol attrahit nubem aquosam & rubram ad nos, quæ si rorulenta est, pluviæ decidunt; si minùs rorida, meliùs tamen percocta, ventorum suppeditat materiam. *Rubedo vespertina* serenitatis index est, quia sol aquosam nubem in alium horizontem detrahit, & frigiditate noctis aquea illa nubes interim condensatur, ne in pluvias resolvi possit. Habent ergò talia prognostica causas in naturâ, ideò nec superstitiosa sunt, nec impia.

Sic multa sunt pluviarum præsagia ex facie cœli, ex avium & pecudum habitu & constitutione, quorum causæ naturales esse possunt.

Pluviæ

Pluvia significatur, cùm manè ante solis ortum idolum solis in nube conspicitur, item, quando stellæ in ortu & occasu majores apparent, quia roridi vapores hærent in aere, qui imagines Solis nondum orti recipiunt, & per quos stellæ conspectæ majores apparent; Propter eandem causam pluvia notatur, quando halo pallidior circa luminaria conspicitur, & quando sol manè magna & valdè crassâ nube obtegitur.

Pluvia notatur, quando radii solares acriùs pungunt: quia tunc fumi crassiores circumstant corpora, quos radii penetrare nequeunt, sed intercipiuntur, itaque incalescunt ipsi quoque fumi, atque unà cum sole acriùs adjecta pungunt corpora, fumi verò illi resoluti gignunt pluviam.

Pluvia significatur, cùm acriùs pungunt pulices, culices, & muscæ, quia arida animalcula sentiunt omnem sibi à sole humorem extractum esse, qui humor fit materia pluviæ, ideoq; avidiùs alimenta quærunt.

Pluvia sequitur, cùm porci cum grunnitu festinant ad haras suas, gestantes fœnum aut stramina in ore: quia voracissimum hoc animal sentiens subingruentes frigidas humiditates, ceu pluviæ impatientissimum, fugit.

Pluvia prædicitur, cùm flamma candelæ scintillat atque stridet, & pedetentim diminuitur: quia vapor, quæ materia fit pluviæ, ambiens candelam, vertitur in aquam, resolutus à calore candelæ, deinde incidens in candelam, stridorem quendam efficit, paulatimque ipsam flammam absumit.

Pluviæ sequuntur, cùm grues habent altiorem volatum, quia amant siccitatem, cùm hirundines volitant & garriunt circa littora, quando parietes sudant, quando sal liquescit, quando caro manuum & labiorum fit asperior, quando feles se diutiùs lingunt, quando ex pastu decedens agmine magno,

quando, —*Corvorum increpuit densis exercitus alis.*

quando---*Cornix plena pluviam vocat improba voce,*
*Et secum in sicca sola exspatiatur arena.*

Et—*Cùm veterem in limo ranæ cecinere querelam.*

Cùm aves diligenter quærunt pabula, cùm vermes aridiores è terra prorepunt, cùm formicæ ova exportant è nidis, cùm anates, anseres & aliæ aves aquaticæ se cum clamore aquis immergunt, de quibus omnibus vide *Plin. lib. 18. nat. hist.* 38. & *Virgil. lib.* 1. *Georg.*

Sic ex prima nive judicant nonnulli patresfamilias de tempestate totius anni. Nam quot sunt dies à prima nive usque ad novilunium, tot in futura hyeme mutationes tempestatum fore dicunt.

Hæc observare non modò superstitiosum non est, verùm etiam hominis diligentis, adeoque laudem potiùs, quàm vituperium meretur.

CASUS

Digitized by Google

## CASUS IV.

### *Liceinè bona cum conscientia certos observare dies, & ex iis de rebus futuris divinare?*

RESP. Electio dierum in lege *Mosis* est prohibita *Deut.* 18. *vers.* 10. ubi calculatores dierum, (menachsim) inter magos referuntur. Sed cum discrimine hac de re sentiendum, & judicandum est.

*Vitiosa electio dierum tres habet species.*

*1. Electio dierum hypocritica.*

Est enim: 1. vitiosa dierum electio, cujus tres potissimum sunt species. (1.) *Hypocritica dierum electio*, eorum, qui certis diebus & horis existimant preces & alia, quæ cultus divini causâ fiunt, Deo gratiora fore, & plus quàm alio tempore effectura.

Elegit quidem Deus ipse diem septimum, quem & sanctificavit & cultui suo destinavit, ecclesia etiam eligit dies festos, sed non quasi preces eo die sint efficaciores, nam *neque locus, neque tempus sanctificant preces, sed preces tempus & locum*; ideò vult nos *Paulus semper & in omni loco orare* 1. *Thessal.* 5. *versic.* 17. & 1. *Tim.* 2. *vers.* 8. sed in memoriam præcipuorum operum Dei, Deus ipse sabbatum sanctificari jussit *Genes.* 2, 3. & ecclesia conventus publicos indixit.

In *Papatu* autem dies unus præfertur alteri, majoribusque privilegiis à Papa ornatur & observationi istius diei majus meritum promittitur, ex merâ superstitione & hypocrisi Pharisaicâ. Christiani sciant, diem in sese nullum sanctiorem esse altero: quia apud Deum neque præteritum est, neque futurum, sed sempiternum hodie: adeòsemper *vigilare Luc.* 21, 34. semper *orare* jubemur 1. *Thessal.* 5, 17. Qui autem dies ab ecclesia propter cultum divinum destinati sunt, eos observant propter bonum ordinem, quem nemo convellere debet, non autem ideò, quòd majus aliquod meritum apud Deum illo die sint habituri, sed hac de re suprà ex professo egimus *lib.* 1. *c.* 7. *cas.* 12. & *cap.* 13. *cas.* 1.

*2. Electio dierum genethliaca.*

(2.) *Est electio dierum Genethliaca*, cùm ex astris certi prædicuntur dies, in quibus alicui periculum mortis immineat, quod multi adeò tenaciter observant, ut eum diem pro inauspicato prorsus habeant, quem etiam plus quàm Deum ipsum metuunt. Et negare quidem non possumus, eventum interdum respondere prædictioni, sed ex particularibus exemplis nulla peti potest certitudo. Quoties enim eventus non respondit?

Tutiùs ergò est meminisse singulis diebus, nos ad mortem satis esse maturos, ac proinde cum timore ac tremore servire semper Deo, qui posuit terminum vitæ nostræ, cui cùm commisimus animas nostras, officia vocationis nostræ absq; solicitudine facere possumus. *Ipse numeravit omnes dies nostros & dimittit servos suos, quandocunque ipsi placet: nemo numerum dierum suorum scit Iob.* 38, 21.

Cur

Cur ergò non singulis diebus mortem metuimus?

*B.David* etiam solicitus erat, de die mortis suæ: *notum fac mihi Domine, finem meum,* inquit *Psal.39.v.5. & numerum dierum meorum quis est? ut sciam, quid desit mihi.* Sed cùm videret, se hoc frustra sciscitari, mox addit: *ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Vniversa vanitas omnis homo vivens, & in imagine pertrãsit homo, & frustrà conturbatur: thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.*

Proinde & hîc locum habeat illud Prophetæ *Jer.10.v.2. à signis cœli nolite metuere.*

Ex astris certò prædicuntur eclipses luminarium, quæ prædictiones, cùm suas necessarias & naturales habeant causas, nunquam fallere possunt: prædicuntur etiam tempestates, quæ prædictiones etiam ex stellarum positu & operatione in inferiora, causas habent, sed quæ sæpè aliarum rerum interventu impediuntur, ideò interdum fallunt.

Sed prædictiones de hominis fortuna, longævitate, morte, & similibus fortuitis eventibus ob causarum cum hoc suo effectu conjunctionem non necessariam, sæpissimè fallunt: idcircò non multum eis tribuendum, semperque cogitandum illud *Salomonis Eccl.8,8. non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis.*

*3 electio dierum superstitiosa.* (3.) *Est electio dierum superstitiosa,* ut quòd nonnulli die lunæ ignem in aliorum ædibus non accendunt, nec aliis hoc facere permittunt, die Jovis & Saturni fimum ex stabulis non exportant, diebus festis infantes non lavant.

Alii dies sanctis destinatos observant, die *Petri* nidos faciunt gallinis, quas fœcundiores eo anno fieri putant; dies *B. Virginis* inprimis observant, ut diem purificationis, annuntiationis, aut visitationis *Mariæ*, quos præ cæteris auspicatos putant.

Aliis ex libris Planetariis, quos vocant, prædictiones futurorum petunt. Ibi enim consignatum legitur, quo die vel horâ commodum sit res graves & ponderosas, ferrum, plumbum, & metalla alia emere aut vendere; quâ horâ commodum sit, pannum, frumentum emere, quâ horâ commodum sit plantare hortum, arare, seminare, metere, novas induere vestes, pecuniam à debitoribus repetere, liberos præceptorum institutioni committere, & quæ sunt hujus generis innumerabilia alia, quorum gratiâ superstitiosi homines calendaria & libros planetarios sæpiùs inspiciunt.

Huc pertinent opera illa impiorum in nocte natalitiâ Salvatoris nostri: ut, quòd quidam ex aqua vitro infusâ de fortunis suis, mulierculæ ex rerum quarundam retrò projectarum qualitate de futuris nuptiis conjecturam accipiunt. Item quòd in festo *Iohannis Baptistæ* mulierculæ surgunt lecto, fenestras occupant, & primam vocem hominis transe- *Opera superstitiosa quorundam in nocte natalitia Christi, & alios fest. dies præcedentibus noctib.*

 untis

untis observant, quòd si lætum aliquid audierint, toto illo anno læta omnia, si triste quid, tristia omnia fore putant. Quòd in nocte diem *Matthiæ* præcedente, *Matthiam* de futuris consulunt: quòd in nocte diem *Andreæ* præcedente de futuris sciscitantur, quæ omnia superstitiosa sunt, & impia, contra providentiam DEI pugnant, & preces impediunt. Nulla enim ratio illorum effectuum dari potest, sed fundamenta talium prædictionum duntaxat est superstitio hominum.

Ideò ridendi sunt, qui etiam neglectâ commodâ aeris temperie, quã aliis diebus habere possent, ad certum diem operas domesticas rejiciunt, quo commodum esse putant plantare, serere, & agrum excolere. De his *Salomon* dicit: *qui observat vẽtum, & qui considerat nubes, nunquam metet Eccl.* 11. *v.* 4.

Æquè stolidi sunt, qui in laboribus vocationis, in nubendo, ædificando, emendo & vendendo dies & horas felices, quas ex calendariis, aut libris Planetariis didicerunt, exspectant. *Timentibus Dominum promissa est laborum benedictio, Psal.* 128. *v.* 12. Ergò

*tu, quamcunque Deus tibi fortunaverit horam*
*gratâ sume manu.*

Hæc de prohibitis dierum electionibus & observationibus.

*Electio dierum licita.* Est autem etiam licita temporum & dierum observatio & electio, ex quibus de felicitate aut infelicitate probabilem conjecturam capere possumus, 1. *Electio dierum generalis*, cum in re œconomica attendimus ad generales partes anni: alii enim sunt labores in vere, alii in æstate, alii in autumno, alii in hyeme: unumquodvis suo fieri debet tempore, ita facilè de rerum nostrarum successu judicare possumus. Hęc est observatio temporum naturalis, de qua in Ecclesiaste dicitur: *qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertit in æstate, filius confusionis Eccl. cap* 10. 4. Talis observatio temporum etiam brutis data est, sicut scriptum est, *Ier.* 8, 6. *milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui.*

*1. Electio dierum in re œconomica generalis.*

2. *Electio dierum occasionaria*, cùm occasionem agendi aliquid attendimus: *omnia* enim *tempus habent Eccles.* 3, 1. & quanquam felix rerum agendarum successus non à certis quibusdam diebus dependeat, multum tamen refert, ut fiat aliquid in tempore. *Omni negotio tempus est & opportunitas Eccl.* 8, 6. *non semper valet artificum dexteritas, sed tempus & casus est in omnibus Eccl.* 9, 11. Qui ergò non quolibet die quælibet facit, sed observat temporum opportunitatem, is non peccat, sed prudẽter agit. Ideò *Paulus* nos redimere jubet tempus *Eph.* 5, 16. & inservire tempori *studio non pigri Rom.* 12, 11. Ethnici quoque dixerunt.

*2. Electio dierum occasionaria.*

*Fronte capillata est occasio, postea calva.*

3. *Electio temporum specialis* in re œconomica etiam non est prohibita. Experientia enim ex diuturna obser-

*3. Electio temporum specialis.*

observatione comprobavit, dies aliquot ad expediendas operas domesticas commodiores esse, & ex quibusdam futuram anni qualitatem probabiliter conjici posse. Sic ex pinguedine avium in *Februario* aut initio *Martij* colligunt restare adhuc frigus & nivem. Ex serenitate cœli ante solis exortum in die *annunciationis Mariæ* colligunt rustici temperatam totius anni temperiem. Sole die *Bacchanaliorum* clarè lucente, promittunt bonam frugum hybernarum messem. Sementem circa *Bacchanalia* in agrum projectum, semper virere observarunt: cornua cervorum intra diem *Annunciationis & Visitationis Mariæ* percussorum utiliora sunt reliquis in medicina, & talia multa observarunt rustici, venatores, & rerum œconomicarum scriptores, quæ contemnenda non sunt: multa enim latent in natura, quæ experientia monstrat, licet causæ eorum nobis sint ignotæ. Huc pertinent usitati versiculi de die *conversionis Pauli*:

*Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni:*
*Si fuerint venti, designant prælia genti:*
*Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque:*
*Si nix aut pluvia, designat tempora cara.*

Et de die Martini:

*Si pluit in festo processus Martiniani*
*Quinquaginta dies continuare solet.*

Sunt hæc ex eorum genere, quæ plerumque fiunt, licet causas ignoremus. Proinde observare talia, non est peccatum: modò certitudinem infallibilem his prædictionibus non tribuamus. Nam nituntur maximè experientiâ, quæ non est principium ἀναπόδεικτον, sed habet se utrolibet modo, quia Deus est tempestatum & morborum, pacis & bellorum arbiter, cujus dextra omnia mutare potest, & cui hac in parte etiam primas semper relinquere debemus.

## CASUS V.

### *Num bona cum conscientia res amissæ, per divinationem magicam inquiri possunt?*

RESP. Nihil ferè usitatius est, non tantùm apud rude vulgus, sed & apud eruditos quosdam, quam in arte divinandi inquirere in res amissas, in fures, in homicidas, quin & in ipsos magos, ut ad pœnam trahantur: quemadmodum *Bodinus lib. 3. Dæmonom. cap. 5.* de mago quodam refert, qui cribro magum alterum pronunciatis quibusdam vocibus retexerit. Proferebantur nomina omnium, qui in suspicione erant, cumque viri illius nomen, cui culpa inerat, efferretur, indesinenter movebatur cribrum, & magus affinis culpæ eodem adventabat,

 quod

quod ubi compertum fuit, damnatus est magus.

Hujusmodi prædictiones fiunt per varia instrumenta, per cribrum, per pelvim, per scyphum, per speculum, per crystallum, per ungues puerorum non pollutorum; per vasculum aquâ plenum; per sortium observationem, &c. nonnulli etiam imperitè satis ex astris furta & homicidia tegere contendunt.

*Origo harũ divinationum.* Originem trahunt hæ divinationes à *Chaldais & Assyriis*; de quibus *Iulius Sirenius* scribit *lib. 9. de fato ca.* 18. *Assyrios legimus, & Chaldaos & Ægyptios pelves aquis replere solitos, in quibus argenteas laminas, lapidesq; pretiosos certis characteribus signatos ponebant, & quibusdam verbis pronunciatis, dæmon advocabatur: qui vocem instar sibili ex aquis edebat, responsa eorum, de quibus consulebatur, reddens. Ex nitidis etiam tersisq; rebus aliis; in quibus quæsitarum rerum imagines à diabolo conficta videbantur, antiquitus divinabatur. Iulianum Apostatam hoc genere divinationum usum tradiderunt. Consimile est, quod à quibusdam hodie, vel in crystallis & vitreis vasis aquâ repletis, vel in summis digitorum unguiculis exercetur, in quibus rerum, quæ inquiruntur, species & imagines à diabolo conficta, à certis personis videntur.* Hæc ille.

Quæ omnia cùm diabolica sint, illicita esse & impia, nemo piorum dubitare debet. Effectus quidem interdum sequitur; sed operâ diaboli, qui tamen non rarò hominibus injuriam facit, quos hoc pacto furti vel homicidii reos agit, quorum tamen innocentiam dies tandem aperit. Quidam etiam effectus fabulosi prorsus sunt, & ad decipiendos homines à diabolo ipso excogitati: quale fuit oraculum ex fonte *Cereris in Patras*, in quo injecto speculo, ægroto hilarior vel tristior vultus ostendebatur, & inde ægrotis sanitas vel mors divinabatur: item quod de fonte *Palicorum* memoratur in *libro de mirabil. mundi*, qui falsò *Aristot.* adscribitur, in quo per dolum jurata & tabellæ inscripta si ponebantur; continuò absorbebantur, bonâ autem fide ac sincerè jurata supernatabant aquæ.

Qui ergò his artibus delectatur, licet finem habere videatur bonum, tegere nimirum homines sceleratos, & res suas reposcere, lædit tamen conscientiam, dum inservit diabolo, cùm potiùs rebus omnibus carendum nobis esset, quàm in minimis maligno spiritui gratificandum.

*Objectio ex Gen. 44.* Sed habent tales conjectores, quod pro arte suâ afferant ex sacris. Nam de *Iosepho* legimus *Gen.* 44. de quo primùm œconomus *vers.* 8. ipsum per scyphum divinare solitũ; deinde ipsemetq; ad fratres ait: *an ignoratis, quòd non sit similis mei in augurandi seu divinandi scientiâ?* v. 16. unde colligunt *Iosephum* per scyphum suum, ut hodie nonnulli per cribrum & pelvim divinasse, seu notitiam rerum occultarum, quæ humanâ ratione investigari nullo

nullo modo possunt, adeptum fuisse, & per artem divinandi, penes quem sit res amissa, cognoscere potuisse.

*Resp.* Verùm nullum in istis verbis inveniunt patrocinium. Non enim verisimile est, virum istum sanctum augurari solitum per scyphum, aut vanis illis artibus, quas postea Dominus in lege tam graviter prohibuit, aliquid tribuisse. Variè igitur interpretantur locum istum: plerique existimant, *Iosephum* non seriò hæc dixisse; (quomodo enim vir sanctus de arte tam fœdâ & planè diabolicâ se suspectum reddere potuisset?) sed joco tantùm, & ex sensu *Ægyptiorum*, quos artibus illis excelluisse notum erat, in quâ sententiâ est *Augustinus quæst.* 145. *in Genes.* quem sequitur *B. Lutherus in commentario*: ludit *Iosephus*, inquit, *ac fingit se haberi debuisse pro mago, quasi dicat: debebatis cogitare, Ægyptum abundare auguribus, ariolis, incantatoribus ac imprimis principem ipsum harum artium peritum esse. Ita simulat se nosse arcana eorum consilia, quâ simulatione ita augetur trepedatio eorum, ut penè dolore conficiantur.* Hæc Lutherus.

*Selneccerus* attendit emphasin Hebrææ vocis *Nibesch*, quæ non tam de augurio, quàm de omni callidâ observatione usurpatur, ut sensus sit; an nescitis, quod observando observat aliquis, qualis ego sum, meynet ihr nicht, daß es ein solcher Mann erfahren solte?

Eundem sensum habere possunt verba œconomi: *numquid is est, ex quo bibit Dominus meus, & ipse observando observaverit in eo.*

Nihil ergò præsidii habent hoc loco coscinomantæ, hydromantæ, leconomantæ, quos ut diaboli ministros fugere decet Christianos.

## CASUS VI.

### *An ex inspectione faciei & manuum hominis rectè petuntur prædictiones de affectibus animi & futura hominis conditione?*

RESP. Patrem scientiæ naturalis, quæ considerat membra corporis humani, faciem, oculos, nasum, labia, aures, dorsum, manus, pedesque vocant physiognomiam.

Hujus duæ præcipuæ sunt species, *metoscopia*, quæ inprimis ex facie hominis quædam conjectat, & *chiromantia*, quæ manuum constitutionem attendit. *Species duæ physiognomiæ.*

Utrique plurimùm tribuerunt veteres, & ex eâ artem fecerunt, quæ de affectionibus animæ humanæ judicat. *Aristoteles* peculiarem librum de physiognomiâ scripsit, *Polemon* etiam & *Adamantinus Sophista* præcepta de hac arte usu & obser-

observationibus comprehensa tradidit. & *Hippocrates in lib. 2. de morbis popularibus*, multa sparsim hac de re attigit: ut: quicunque ruffi, naso acuto, oculis parvis, mali: quicunque ruffi, simi, oculis magnis, boni: & rursum: magni, calvi, balbi, gracili voce præditi, boni: rursum: caput magnum, oculi parvi, balbi, iracundi sunt. Et iterum: oculi non nictantes, iracundi: & iterum: magnum caput, oculi nigri & magni, nasum crassum & simum habentes, boni.

Quin & *Siracides* physiognomiam laudat, *cap. 13, 32.* ubi bonam faciem boni cordis festigium nominat. *Nazianzenus* etiam hoc in genere claruit, qui ut *Nicetas* testatur, parem non habuit in dignoscendis hominum vultibus, atque internum hominem ex externis & perspicuis rebus omnium maximè percipere potuit. Is igitur *orat. 4. in Iulian.* quisquis futurus esset *Iulianus*, ex facie & totius oris lineamentis depinxit: *neque enim* (inquit) *mihi boni quidquam significare videbantur cervix minimè firma, humeri, quos subinde agitabat, & attollebat, oculus vagus & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus protervi & exæstuantes, nutus & renutus omni ratione carentes, sermo hærens spirituque intercisus, interrogationes præcipites, & imperitæ responsiones nihilo meliores, &c.*

Constat ex his, prognostica physiognomica in & extra ecclesiam antiquitùs non fuisse inusitata, nec contemnenda, si intra cancellos naturalium affectuum animi & constitutionis corporis maneant. Oriuntur enim ex crasi seminis & sanguinis, ex quo concipitur homo, quæ notas imprimit faciei, ex quibus de temperamento, & consequenter de moribus animi quodammodo judicari potest.

De notis istis judicium fertur 1. ex similitudine cum aliis animantibus, ut qui parvis sunt oculis, timidi sunt, sicut simiæ & lepores; qui magnis, stupidi, ut boves & asini: qui valdè nigri, sunt timidi, ut Æthiopes; qui valdè candidi, etiam timidi, ut mulieres. Sic de comitibus *Davidis* exulantis scribitur, quod viri fuerint robustissimi, facies eorum, quasi facies leonis 1. *Paral.* 12, 8. ex facie ergò judicare poterat de fortitudine animi, qualis esse solet in leonibus, quorum truculentiam ipsa facies ostendit. *De notis faciei judiciũ.*

2. Ex ipsis passionibus, inprimis oculorum, qui sunt quasi fenestra cordis. Sic quia irati immotis oculis aliquid intuentur, inde *Hippocrates* judicavit, eos qui oculis non nictant, iracundos esse. Huc pertinet, quod *Salomon* scribit *Eccles. 8, 1. sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Et iterum: *in facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorũ in finibus terræ Proverb. 17, 24.* Modicùm demissi oculi notant hominem verecundum: immoti impudentem & iracundum; plurimùm nictantes timidum

aut

aut insanientem: obliquè intuentes, subdolum & derisorem: oculi attoniti, dolosum *Proverb.* 16, 30. eundem notant oculi annuentes *Eccles.* 27, 25. *Proverb.* 10, 10. oculi exaltatio, notat hominem superbum *Proverb.* 21, 4. ideò inter tres DEO abominabiles referuntur oculi sublimes *Proverb.* 6, 17. Similes notas Deus etiam aliis partibus faciei & membris corporis impressit, ex quibus probabiliter de temperamento & moribus hominum judicium petere licet: *probabiliter*, inquam, quia naturæ mores corrigere potest diuturna adsuefactio, & disciplina, quæ ex truculentis mansuetos, ex iracundis mites reddere solet. Quemadmodum *Zopyrus* physiognomon de *Socrate* quidem judicavit, ex habitu corporis, quòd bardus sit, & stupidus, adde etiam mulierosus, quia jugula concava non haberet, nihil autem horum in *Socrate* observatum fuit, quia errata naturæ correxerat, & vitia ex naturalibus causis nata voluntate, studio, & disciplinâ edomuerat, ita, ut nullum unquam de istis, quæ prædicebantur, vestigium appareret.

Qui ergò ex facie de studiis aut moribus hominum judicare vult, naturalibus illis signis etiam addat ea, quæ à voluntate hominis proficiscuntur, quæ sæpenumerò naturam emendant.

*De chiromantia.* Altera species physiognomiæ est *chiromantia*, de qua libros scripsit apud Græcos *Helenus* quispiam, & versus *Eumolpus*. Inter Christianos, qui arti huic operam dant, pro eo citare solent illud *Iob.* 37. *v.* 7. *qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.*

Sed hoc nihil ad rem. Sensus enim est, juxta Hebræam veritatem, omnes homines esse in manu DEI, qui ex tempestatibus opera & potentiam ejus agnoscere possint. Nihil hîc de signis & figuris in manu hominum, quas observant chiromantæ. Aliàs, si intra limites caussarum naturalium manent, prædictiones eorum non omninò improbandæ sunt. Nam lineæ & colliculi in manibus omnium hominum ferè eædem quidem sunt specie, sed accidentibus variant. Aut enim expressæ, amplæ, profundæ, longæ, rubent, pallent, aut nigricant; aliumve præ se colorem ferunt: aut sunt obscuræ, mutilæ, minutæ, interruptæ, in fibras dispersæ plus minusve, quæ accidentium varietas est ex sanguine & membris, quibus subjectæ sunt.

Ex his ergò signis externis de temperamento & constitutione corporis, & consequenter etiam de brevi vel longa vita, (quantum hac de re ex caussis naturalibus sciri potest,) probabiliter conjicitur. Sic *Aristoteles* docuit, & experientia suffragatur, lineas in plures ductus contractas, decurtatas, incisas, aliarum linearum interventu divulsas, exiles, velut in surculos & ramulos fissas præ se ferre corporis infirmitatem & vitæ breVITA-

vitatem: si verò contrarium habent ductum, vires firmiores & vitam longiorem indicant. Natura enim vivida & fortis lineas longiùs extendit, & manifestas satis facit: imbecillior autem minutiores & obtusiores plicas facit, deficiente vel materiâ vel virtute πλαστικῇ, quæ eandem ob causam in ipsis quoque membris defectum aliquem relinquit.

Certis etiam lineis certa congruunt & quidem principalia membra, quædam cordis, quædam epatis, quædam cerebri naturam referunt atque exprimunt: & multa alia monstrat experientia, quorum causæ in naturâ quidem esse possunt, sed à nobis ignorantur. Ita manus benè magna & multis lineis descripta neque omninò glabra, aut pilosa, & longi digiti, qui facilè attrahuntur, sapientiam notant, & bonos mores: sed manus brevior, rotunda brevibus digitis, glabra nimis aut valdè pilosa, aut ungues habens incurvos aut longos, nullis aut paucissimis lineis distincta, bestiale aliquid sapit, significatque hominem agrestem & ferum, moribus impolitis: manus semper contractæ hominem timidum & avarũ, extensæ verò audacem & liberalem notant.

Prædictiones ergò tales intra septa naturæ manentes suo loco relinquimus, licet causas tam exactè dare non possumus. Et hæc naturalia fecerunt ex chiromantia artem, quæ suis constat probabilibus præceptis; ad quæ tamen semper accedere oportet naturalem στοχασμὸν, qui ex longo usu & observatione eventuum prædictiones petit magis, quàm ex arte. Quam ob causam *Cocles* chiromanta statuit, futuro chiromanti opus esse præter artis præcepta peculiari vi naturæ, quam qui ad artem non adferret, eum frustra in sola doctrina operam collocaturum esse.

Quemadmodum autem Astrologi, sic & chiromantæ abutuntur interdum arte suâ, qui abusus inter Christianos non est tolerandus. Colliculis manuum singulis præficiunt planetas, & de characteribus illis impressis ea pronunciant, quæ sunt naturæ planetarum: pollicis tumulo alii Martem, alii Venerem tribuunt: sub indice Jovem, sub medio Saturnum, sub annulari Solem, sub auriculari Venerem, alii Mercurium collocant: tuberculum manus Lunæ dedicant: sed absque ullâ causa naturali. *Abusus chiromantarũ.*

Ex his postea vano conatu oracula petunt, de hominis fortuna, moribus, studiis, vitæ genere, nuptiis, morbis denique & genere mortis: quibus prædictionibus licet qualicunque particulari experientiâ nitantur, nihil tamen tribuendum est.

*Cingarorum* hæ artes sunt, quibus victum quærunt, quod genus hominum diabolo magistro utitur in multis, in quibus hominum credulitas non rarò pœnas luit. *Cingari plerumq; chiromantæ.*

Tantum ergò de physiognomicis &

cis & chiromanticis prædictionibus hoc in loco dixisse sufficit.

## CASUS VII.

### *Quid statuendum de insomniis, numquid ea observare & exinde prædictiones de futuris absque peccato petere licet?*

*Recensentur variorum variæ opiniones.*

RESP. Semper hac de re diversæ fuerunt sententiæ. Inter Philosophos *Platonici, Stoici, & Pythagorei* multum tribuerunt somniis, eaq; aliquid portendere statuerunt: *Epicurei* nihil prorsus tribuebãt somniis; quos secutus *Cicero lib. 1. de divinat.* scribit, *somniorum observationem vanam esse, quia neq; Deus est effector somniorum, neque naturæ societas ulla cum somniis, neque observatione inveniri potest scientia, præsertim cùm illi ipsi, qui ea vident, nihil divinent; ij, qui interpretantur, conjecturam adhibent, non naturam. Quòd si somnium verum evasit aliquod, cur non ex multis potiùs uni fidem derogemus, quàm ex uno innumerabilia confirmemus?*

*Peripatetici* somnia partim probant, partim improbant.

Hujusmodi sententiarum diversitas etiam inter Christianos reperitur, nonnullis omnia observantibus somnia, aliis nihil prorsus tribuentibus eis; aliis denique quædam recipientibus, quædam improbantibus.

*Somniorũ genera diversa.*

Ut ergò certi quid habeamus, in quo adquiescat conscientia: sciendum, diversa esse somniorum genera: unde facilè constabit, cur non adæquè omnia vel probari vel improbari queant.

Nam vel omnibus vel nullis fidem adhibere somniis, ejusdem est vanitatis. Sunt autem somnia trium generum: *1. naturalia, 2. diabolica, 3. divina.*

*Naturalia somnia, rerumq; diversitas.*

*Naturalia* sunt 1. ex reliquiis rerum à vigilãtibus gestarum, quarum species spiritus phantasiæ inservientes portant, & quando per vapores à cibo potuq; caput subeuntes huc illuc jactantur, varia reddunt visa dormientibus: quæ propter inordinatam & turbulentam spirituum jactationem, turbulenta & distorta etiam faciunt somnia: quæ nullam vim significandi habent, sed sunt fallacia somnia, quæ observare æquè vanum esset, ac si quis varias in nubibus figuras observare, & inde aliquid occulti & futuri divinare vellet.

Quemadmodum ergò, ebriorum aut phreneticorum visa non curamus, sed contemnimus: ita somnia talia nihili facienda, idque eò magis, quò turbulentiora sunt, & magis ridicula, quæ ipso eventu plerunque semper vanitatis arguuntur.

De his verissimum est illud *Ecclesiastæ cap. 5. 6: ubi multa sunt somnia, ibi plurima sunt vanitates, & sermones*



Digitized by Google

*mones innumeri : tu verò Deum time: & Siracide cap. 34. 1. somnia extollunt imprudentes, quasi quis apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad insomnia: multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.*

2. Fiunt naturalia somnia ex affectione aliquâ vel in corpore, vel in animâ præpollente.

In corpore ex abundantiâ flavæ bilis, somnia sunt plerunq; de incendiis, de litibus & jurgiis, de pugnis & bellis, ut fit in cholericis: cùm abundat atra bilis, somnia sunt de rebus tristibus, formidolosis, & abominandis, ut fit in melācholicis: cùm abundat humor pituitosus, somnia sunt de aquis, pluviis, fontibus, fluminibus, ut fit in phlegmaticis: cùm abundat sanguis, somnia sunt de rebus lætis, de nuptiis, de choreis, de lusibus, & similibus, quæ cor exhilarant, ut fit in sanguineis.

Sic cùm abundat semen, somnia sunt de rebus Venereis: qui esurit, somniat se edere; qui sitit, bibere *Esai* 23. Talia per se nihil futuri, sed tantùm abundantiam humorum significant.

Sed cùm ipsa corporis membra affici vidētur in somno, tunc aliquid portenditur, ut qui sudat in somno, aut febri corripitur, idem in somnio etiam patitur. Sic *Galenus in lib. de præsagiis ex somnis*, de quodam refert, qui somniavit, alterum crus factum esse lapideum, mox autem cœpit is ex illâ parte fieri paralyticus. Interdum non futura, sed quæ jam facta sunt, per somnium indigitantur. Ita *Plinius de P. Cornelio Ruffino lib. 7. cap. 50.* refert, somniasse ipsum se amisisse visum : & ita in somno factum esse. Hunc in modum habent insomnia, cùm affectio quædam in corpore præpollet.

Cùm in animo præpollet affectus aliquis, indicatur id etiam per somnia. Qui ardenter amat, sæpe amores suos somniat: qui alteri irascitur, somnia habet iracunda & truculenta: qui timet, minacibus terrentur somniis: quæ quem vehementer angunt vigilantem, eundem etiam in somno cruciant dormientem. Quod quis frequenter meditatur vigilans, id visione quadam tectum recurrit in somno dormienti, juxta illud poetæ:

*Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,*
*Tempore nocturno reddit amica quies.*

*Annibal* insatiabili odio erga *Romanos* diu flagrans, & de vastanda *Italiâ* sæpè cogitans, vidit in somno bestiam adspectu horrendam, multis circumplicatam serpentibus, quacunque incedebat, pedibus omnia proterentem atque pervertentem.

*Iulius Cæsar*, antequam infesta in urbem inferret arma, in somno videbatur matri stuprum intulisse: ex somno conjectores eum ad magnam

gnam

gnam imperii ſpem concitarunt, ut habet *Suetonius in ejus vitâ c.7.*

Studia quoque atque labores, quibus aliquis diu eſt adſuetus, ſomnia pariunt ſimilia, de piſcibus & aquis ſomniat piſcator, de armis & bellis, ſonituque tubarum & bombardarum, miles. Quâ de re *Auguſtinus ſcribit lib. de ſpiritu & animâ cap. 25. Secundum ſtudia, quæ quisque exercuit, ſomniat; & ſolitarũ artium ſimulacra, in præſentiâ mentis impreſſa apparent in ſomniis. Iuxta etiam infirmitatum diverſitates diverſa accidunt ſomnia; etiam ſecundum morum & humorum diverſitates variantur & ſomnia.*

*Quid de naturalibus ſomniis judicandũ?* Hæc omnia ſunt naturalia ſomnia, quæ obſervare licet, præſertim ſæpiùs recurrentia, vel ut de morbis corporis aut animi fiat inde judicium, in quem finem obſervantur à medicis tam animi quàm corporis: vel ut noti effectus cauſa ignota inveſtigetur, vel ut ratio eam à nobis depellendi moleſtiam, ineatur: plerumque enim internæ paſſiones, ex quibus naſcuntur ſomnia, morborum ac ſymptomatum in corpore, affectuum quoque & morum in animâ ſunt initia.

Demus autem operam, ut ſtudia noſtra diurna ſint ſancta, honeſta, utilia, cubitumque ituri precibus nos muniamus, ita ſomnus erit ſuavior, & ſomnia lætiora, juxta monitum *Salomonis : qui cuſtodit legem ejus ſomnus ei erit ſuavis Prov.* 3, 24. Simus etiam temperantiores in victu. *Nam ſomnus ſanitatis in homine parco, cum ventriculus non immodicè gravatur, ſuaviùs dormitur,* inquit *Siracid. c. 31. v. 24.*

Ad naturalia pertinent illa etiam ſomnia, quæ non niſi allegoricam habent interpretationem. Ex naturalibus enim rebus, ſeu talibus, quæ naturaliter fieri poſſunt, quæ alicui occurrunt in ſomno, per allegoricam conjecturam colliguntur quædam de moribus aut eventibus hominum futuris. Ut ſi quis ſomniat, terram uri, aut præ uſtione ſcindi, eſt, quòd timeat febrim ardentem.

*Aſtyages* rex *Aſſyriorum* vidit in ſomno ex filia vitem enatam, cujus palmites omnem *Aſiam* inumbrarent: dixerunt interpretes, nepotem futurum, qui toti *Aſiæ* imperaret, quod & in *Cyro* impletum fuit, teſte *Herodoto lib. 1.*

[ *Cæſ. Auguſti mater uterum ferens per quietem vidit ſua inteſtina per omnes terræ ambitum ſe extendere. Iulius Cæſar vidit ſe per quietem ſupra nubem volitare & verticem ipſum cœlum urgere.* ]

*Darius* in ſomno duas ſe habere alas videbatur, quarum una *Aſiam*; altera *Europam* contegebat, imperabat enim *Perſis* & ex parte *Europæis* teſte *Herodoto lib. 3. & Iuſtino lib. 1.*

*Iulius Cæſar* pridie quàm necaretur, ſomniavit, ſe juxta ſolium *Iovis*

constitutum, sed mox è cœlo præcipitatum esse, referente *Plutarcho in vitâ Cæsaris, & Valerio Maximo lib.* 1. *cap.* 7. Talia observare prodest, sed ea rectè interpretari non cuivis datum est; somnia etiam hujusmodi, quibus de futuris moneamur, à Deo petere non licet, in cujus manus omnes rerum nostrarum eventus sunt resignandi.

*Somnia diabolica.* *Diabolica* somnia sunt, quæ à maligno spiritu suggeruntur in perniciem hominis. Ideò enim observationes somniorum observationibus augurum, & maleficiis incantatorum aggregantur & æternis pœnis adjudicantur in lege *Lev.* 19, 26: 20, 27. *Ier.* 17, 9. non aliam ob caussam, quàm quòd diabolus se plerumque immiscet somniis, implens noxiâ superstitione hominum animos, ut *Gregor. Magnus* jud. cat. *lib.* 4. *dialog. c.* 48.

*Diabolicorum somniorum diversæ species.* Sunt autem somnia à diabolo 1: cùm abducunt hominem à verbo ad impiam doctrinam, quæ prætextu revelationum & visionum divinatum pingitur, cùm meræ sint deceptiones Satanæ transformantis se in angelum lucis. Qualia somnia fuerunt olim *pseudoprophetarum* in populo Dei, abducentium homines ad idololatriam, *Anabaptistarum*, qui seditiones, & absurda dogmata ac facta per visiones ac somnia excusabant; *Zuvinglii* & sociorum, qui interpretationes scripturarum ex somniis petebant, cujus illustre exemplum est in ipso *Zuinglio*, qui se interpretationem verborum cœnæ, *est pro significat*, ex revelatione angeli, quem, *an ater fuit an albus*, dubitavit, in somnio se habere scripsit *tom.* 2. *oper. Zuingl. in subsid. Euchar. fol.* 249. ut & in *Iohan: Foxo Theologo Anglo*, qui menses 42. in *Apocal.* 11, 2. de mensibus sabbatariis seu magnis intelligendos esse, ex somnio didicit, referente & approbante *Roberto Abbate in demonstrat. Antichristi c.* 8.

Talia somnia Deus expresso verbo improbavit, & somniatores illos, seu somniorum observatores damnavit *Deuter.* 13, 1. *Si surrexerit*, inquit, *in medio tui propheta, aut qui somnium se vidisse dicat. & prædixerit signum & portentum, & evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & serviamus ei; non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in totâ animâ vestrâ, &c. Propheta autem ille & fictor somniorũ interficietur, quia locutus est, ut vos averteret à Domino Deo vestro.*

2. Sunt somnia à diabolo, quæ inflammant homines ad libidines, odium, vindictam, aut similes adfectus, quibus etiam corpora dormientium coinquinantur, ut animus vigilantium in ejusmodi impuritates consentiat. Talia plerunque eveniunt impuris hominibus, qui voluptatibus carnis delectantur: fieri tamen potest, ut & sancti impu- *Talia somnia à græcis vocantur ὀνειρωγμοί.*

impuris somniis contaminentur, quo talibus visis perturbat & contristat spiritus immundus, ut ad preces, studia, officia caritatis, & alias muneris sui partes segniores fiant, cujus rei exemplum recitat *Cassianus collat.22.cap.6.* de quodam fratre castitatem corporis summâ circumspectione & temperantiâ in humilitate cordis custodiente, qui tamen diabolicis insidiis in somno ludificatus, quoties se ad percipiendam communionem Dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens fœdabatur.

3. Cùm somnia ad res futuras aut occultas investigandas ducunt, quarum cognitio non ad utilitatem aliquam, sed tantùm ad vanam scientiæ ostentationem, vel etiam ad aliquid mali faciendum confert, tunc ea à diabolo immissa esse, non malè judicatur, ejus enim opera sunt vanitates scientiarum & studia maligna: ideò & hîc precibus opus est, ne nos permittat DEUS tentatori.

*Somnia divina.* Restant somnia divina seu divinitùs immissa, quorum exempla multa extant in sacris literis, quale fuit somniũ *Abrahami Gen.15, Abimelechi Gen.29, Iacobi Gen.28, Labanis Gen.31, Pharaonis Gen.41. pistoris & pincernæ Pharaonis, Gen.40. Salomonis 3.Reg.3. Nebucadnesaris Dan.2. Danielis Dan.4. Mardochai, Esth.11. Judæ Machabæi 2. Mach.15. Iosephi Matth.1, Magorum Matth.2, uxoris Pilati Matth. 27. Apostoli Pauli Actor.16, &c.*

Solet enim Deus etiam per somnia suos informare de rebus futuris, quemadmodum olim spiritum propheticum nonnullis largiebatur in somno, *Num.12,6.* unde apud *Ioelem* inter dona spiritus sancti etiam recensentur somnia *Ioel.2,28. Iosephi & Mardochai* futura dignitas & excellentia ostendebatur in somno *Gen.37,5. Esth.11,2. Iacob* Patriarchæ mysteria Dei de Christo in scalâ, *Danielis* Prophetæ judicium novissimum manifestabatur in somno, *Genes.28,12. Dan.7,13.* aliis in somniis futuri monstrantur eventus, quod accidit *Abrahæ Gen.15.v.13. Pharaoni, Dan.41.1. Nebucadnesari Dan.2. & 4.*

Interdum Deus per somnia monuit homines, quid facere fugereve debeant, quale fuit somnium *Iosephi*, sponsi *B. Mariæ, & Magorum Matth.1 & 2.* Interdum etiam terret per somnia, ut *Abimelecho* accidit *Gen.20. & 31. & Iobo c.7.*

Et hæc ratio agendi cum hominibus per somnia Deo familiaris erat inprimis in V. Testamento, & sub initium Novi, cùm adhuc πολυμερῶς & πολυτρόπως loqueretur cum patribus. Hodie informationes à Deo de rebus divinis per somnia non sunt expectandæ. *An hodie informationes à Deo de rebus divinis per somnia sint expectandæ? Neg.*

Sed de humanis eventibus, ad hanc vitam pertinentibus, DEUS etiamnum monet interdum per somnia: cujus rei aliquot extant exempla in ecclesiasticâ historiâ & scriptis Patrum.

Recitat *Augustinus lib.3.confess.cap.11.* so- *Somnium.*

*matris Augustini.*

11. somnum matris suæ, quæ ipso adhuc in *Manichaismo* hærente, vidit stantem se in quadam regulâ lignea, & advenientem ad se juvenem splendidum, hilarem atque arridentem sibi, cùm illa esset mœrens & mœrore confecta: qui cùm causas mœstitiæ suæ & quotidianarum lacrymarum quæsisset, atque illa respondisset, perditionem filii, se plangere, jussisse illum, quò secura esset, atque admonuisse, ut attenderet & videret, ubi esset illa, ibi esse & filium: quod illa ubi attendit, vidit filium juxta se in eadem regulâ stantem.

*Somnium matris Gregorij Nazianzeni.*

Mater *Gregorij Nazianzeni*, (ut legitur in *vitâ ejus*,) petiit à Deo filium, cum voto, se destinando ipsum sacris Deo reddituram. Quid fit? is qui voluntati timentium se satisfacit, viso quodam nocturno filium ipsi nascendum commonstrat, ejusdem & facie & nomine clarè expresso.

*Somnium matris Bernhardi.*

*In vitâ Bernhardi* legitur statim ab initio, quòd mater ejus pridie quàm nasceretur, in somno viderit catellum totum candidum, in dorso subrufum & latrantem in utero se habere. Super quo territa illa vehementer, religiosum quendam virum consuluit, qui respondit: *ne timeas, res bene agitur. Optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro eâ contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregi⁹ prædicator, & tanquã bonus canis, gratiâ linguæ medicinalis, in multis morbos curaturus est animarum.*

Apud *Sozomenum lib. 6. hist. eccl. cap. 2.* mors *Iuliani* prænunciatur *Dydymo Alexandrino* per somnium *cap. 5. Arianorum* tumultus in ecclesiâ monstrabantur *Antonio* in somnio.

Apud *Eusebium lib. 4. hist. eccl. cap. 15. Polycarpus* martyrium suum prævidit in somnio. *Alexander Magnus* in somnio vidit imaginem *Iaddi* Pontif. Hierosolymitani sibi occurrentis, unde postea urbi pepercit.

*Somnia divina tàm bonis quã malis obtingere possunt.*

Contingunt autem talia somnia, tam bonis quàm malis: nam & cum *Abimelecho, Labano, Pharaone, uxore Pilati* & aliis, qui extra ecclesiam fuerunt: Deus in somno locutus est: ideò non est, cur somnia à Deo petamus: ab ipso autem spontè immissa observare prodest, unde Siracid. scribit *cap. 34. v. 6: nisi à Domino missa fuerit visitatio, ne des insomniis cor tuum.*

*Duo indicia, ex quibus colligitur, an somnium ex Deo sit?*

Duobus autem ex indiciis colligitur, an somnium à Deo sit. 1. cùm res in somno monstratæ captum humanum prorsus effugiunt, ut sunt futura contingentia, occulta & abstrusa, quæ soli Deo nota sunt, ipsi verò ea aliis etiam aperire placuit, 2. cùm mens nostra ita illustratur, ut non dubitet, quin somnium sit à Deo, à quo etiam mirè & celeriter afficitur. Nam, ut *Gregor.* scribit *lib. 4. dialog. 48. sancti viri inter illusiones atque revelationes ipsas, visionum voces & imagines, quodam intimo sapore discernunt, ut sciant quid à bono spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur.*

Con-

Digitized by Google

*Non omniũ somniorũ certa est significatio.*

Constat ex dictis, non omnium somniorum certam esse significationem, ideò stultè faciunt, qui temerè omnia observant, impiè etiam, qui somniis ita attendunt, quasi in iis aliquid divini esset, sicut olim augures putabant, in avium volatu, garritu, & pastu, aruspices, in extis animalium; Chaldæi in astris, unde futuros prædicebant eventus, quod Dominus passim prohibuit *Lev.* 19, 26. *Deut.* 18, 10. *Ier.* 10, 2. Neque enim res futuræ omnes ex naturalibus pendent causis, neque somniis quibuslibet significantur, & in se vanum est, de futuris nostris eventibus nimis esse curiosum, longè autem vanius omnes actiones & instituta nostra somniis committere, & juxta eorum significationes, quæ per se incertæ sunt, nec in omnibus quærendæ, nec cuivis obviæ, negotia nostra disponere. Quod qui faciunt, eos in numerum ariolorum, augurum, genethliacorum & reliquorum divinatorum ponendos esse, ob causas modò indicatas, censemus.

## CASUS IIX.

***Quid vero judicandum de prædictionibus aut præsagiis, quæ suppeditantur ab ominibus, monstris & portentis?***

*De ominũ significationibus, distinctione & exẽplis.*

RESP. Quid omina sint, supra in procemio notavimus, nimirum dicta aut facta in alium finem & alias ob causas, quos aliàs casus fortuitos vocant, ut cùm quis domo egressus pedem offendat, aut sinistrum pedẽ dextro fortuito anteponat, si manè egredientes vel anum vel virginem, vel funus, vel crucis signum, aut simile quid conspexerint: ex quibus postea præsagia petuntur de lætis aut tristib. futuris eventibus, qui tamen prorsus nihil cum dictis, aut factis illis commune habent.

De his negare non possumus, fieri interdum, quod quis ominatur, sed non habent certas causas, ex quibus prædicuntur; verùm vel ex impulsu divino fiunt, quale fuit omen *Eleasari*, puellam, cui dixerit, *inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa dixerit, bibe, fore herilis filij sponsam*, quod & impletum est in *Rebeccâ Genes.* 24. *v.* 14. & 15. Tale omen quoque fuit *Ionathani* 1. *Samuel.* 14. *v.* 9. *Gedeonis Iudic.* 7. *v.* 14. vel casu fiunt, qualia exempla multa sunt apud Ethnicos de offensione pedum, ut quòd *Tiberius Grachus*, referente *Valerio Maximo lib.* 1. *cap.* 4. cùm ad res novas pararetur, auspicia primâ luce petiit, & januâ egressus pedem offendit, ut digitus ei decuteretur, qui decussus in capitolio à *Scipione Nasicâ* fragmento subsellii ictus procubuit.

De *Crassi* filio refert *Plutarchus in vitâ Crassi*, quòd cùm contra *Parthos* proditurus esset in aciem, ita

pedem

Digitized by Google

pedem offendit, ut humi prostratus concideret, unde ipsum succubiturum in prælio colligebatur. Et *Tibulli* versiculi noti sunt ex *lib.1.eleg.3.*

*O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi,*
*Offensum in portâ signa dedisse pedem.*

Etsi igitur non omnia ominosa contemnenda sunt, sed ad vitam cautiùs instituendam prosunt, æquè tamen stolidum est, quælibet observare omina ac somnia: imò non omnes fortuiti casus sunt omina, nisi superstitio hominū talia inde faciat, unde multa præsagiuntur ridicula, præsertim à mulierculis de futuris nuptiis, de felici vel infelici conjugio & similibus, quibus avocatur animus à verâ pietate, precibus & fiduciâ in Deum, in cujus manibus sunt tempora nostra.

Proinde pii prædictionibus ex ominibus meritò non multum tribuunt, & si qua rariora, quæ putabantur ominosa, occurrunt, Deum precantur, ut faciat secum secundum voluntatem suā. Certi enim quid ex ominibus concludere nemo potest, & ferè tantùm ex eventu constat, dictum aliquod aut factum verum omen, quod portendit aliquid, fuisse.

*De monstrorum significationibus.* Quod monstra, & portenta attinet, in quibus aberratio fit naturæ, eorum natura est, aliquid portendere & monstrare, undè & nomen habent, ut, quòd ante obsidionem *Hierosolymitanam* vacca peperit agnum: quòd *Romæ* bos humanâ voce locutus fuit, quòd ibidem puer infans semestris in foro boario triumphum proclamavit, quòd cornu cervinum & scuta sudant sanguinem, & quæ sunt hujus generis alia: hæc quidem rarò sunt absque singulari aliquo eventu: sed non cujusvis est, eum prædicere.

Præstat ergò talia in silentio & spe committere Deo, quàm divinando temeritatem prodere.

## CASUS IX.

### *Annon licet absque peccato ex sortibus de rebus ignotis aut futuris facere judicium?*

*Vox sortis & sortilegii dupliciter sumitur.* RESP. Sortes & sortilegium interdum *latè* sumitur pro qualibet superstitione magicâ, quemadmodū apud *Plinium lib.8.cap.4.* omnes magorum persuasiones appellātur sortilegium, verùm de his non quæritur, sed de sortibus *strictè* sumtis, cùm ex jactu talorum aut tesserarum, ex fabarum et festucarum commixtione, ex chartularum ex urnâ vel pileo productione aliquid cognoscitur.

[*Sorte ex duobus hircis eligebatur unus* DEO *offerendus Lev.16.v.8. Sorte terra distribuebatur Israelitis Jos.12. Sorte Saul designatus rex 1.Sam.16.*]

Et

Digitized by Google

*Sortilegiũ ratione finis triplex est.*

Et hoc, respectu finis tripliciter fieri potest, aut enim ideò sortes mittuntur, ut quid cuiq; tribuendum sit, sciatur, diciturq; sors *divisoria*, quæ non raro adhibetur in dividendis hęreditatibus, honoribus, dignitatib⁹, officiis: aut fit ideò, ut consulatur Deus, quid sit faciendum, quid cavendum aut fugiendum, diciturque sors consultoria: aut deniq; ideò fit, ut res occultæ, & eventus futuri cognoscãtur, & dicitur sors divinatoria, quâ res furto ablatæ inquiruntur, aut ex jactu sortium læta vel tristia præsagiuntur, quales olim fuerunt sortes *Lyciæ, Deliæ, Prænestinæ; Antiatinæ apud Ethnicos.*

*De sortibus in genere & specie illicitis.*

Quod ergò sortes in genere attinet, si quis ea intentione iis utatur, quasi hujusmodi actus humani, qui per sortes inquiruntur, secundum dispositionem stellarum effectum sortiantur, vana & impia est divinatio ex sortibus, cui sæpè se dæmon immiscet.

Idem etiam dicendum in specie de sortibus *divinatoriis*: nam occulta & soli Deo nota nullo prorsus modo, nedum sortibus expiscari licet: furta latentia per sortes indagare periculosum omninò est: nam spiritus mendacii & homicidii facilè nomen innocentis subministrare potest, & hac ratione innocens plecteretur, reus dimitteretur.

*An per sortes furta latẽtia possint & debeãt inquiri? Neg.*

*Objectionis solutio.*

Neque huc accommodari debet exemplum furti ab *Achan* commissi, quod per sortem fuit cognitum *Jos.* 7.*v.*18. id enim ex peculiari Dei jussu à *Iosua* factum *vers.*14. neq; res ridiculæ fuerunt adhibitæ, sed de tribu ad tribum, de domo ad domum facta inquisitio: & præterea accessit sontis confessio *vers.*20, 21.

In sortibus *consultoriis* peccatur, cùm diabolus per sortes de rei alicujus eventu consulitur, uti rex *Babylonis* fecit *Ezech.*21.*v.*21. commixtione sagittarũ: vel cùm quidem à Deo sortium expectatur eventus, sed vel absq; necessitate sortes usurpantur: hoc enim videtur ad tẽtationem Dei pertinere; vel in necessitate absq; reverentiâ Dei sortes adhibentur; vel divina oracula ad res futiles & inanes convertuntur: vel denique in rebus ecclesiasticis ea, quæ à Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, sortibus committuntur.

Quæcunque ergò prædictiones hoc modo ex sortibus petũtur, vanæ sunt & illicitæ, de quibus in decretis *Iuris Canonici* dicitur 16.*q.*5.*ca. Sortes: Sortes, quibus cuncta vos vestris discriminatis provinciis, quas partes damnaverunt, nihil aliud quàm divinationes & maleficia decernimus. Quãobrem volumus illas omnino damnari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.*

Sortes *divisoriæ* etiam non rectè usurpantur, si secundum eas honores & dignitates ecclesiasticæ distribuantur, ne ineptus & minùs idoneus præferatur magis idoneo: ideò canones sortis usum in electionibus ecclesiasticæ personæ perpetuâ prohibitione damnant, ut est in *De-*

*creta lib. cap. Ecclesia vestra de sortileg. ad finem.*

His ferè modis prædictiones ex sortibus sunt illicitæ.

**De sortibus licitis.** Ceterùm concessum est judicium ex sortibus sumtum, in rebus secularibus, in distribuendis bonis communibus, dignitatibus etiam & honoribus, ita tamen, ut personæ eligendæ donis & qualitatibus suis æquè pares sint, ne indignus præferatur digno, & ut sortium eventus committatur Deo, qui sortes temperat pro suo beneplacito.

2. Etiam in electione ministrorum ecclesiæ, si personæ ubi in donis, eruditione & moribus æquales occurrunt, & quæ alteri præferenda sit, dubitatur, ibi sorte rem decidi prohibent quidem Canones, sed necessitate postulante, & cum alia ratione ad electionem perveniri nequit, usurpari sors potest, modo eam ad rem cum vera devotione & invocatione nominis divini accedatur. Et totius ecclesiæ consensus, ut per sortem decisio fiat, accedat, & de utriusq; eruditione & habilitate exactè constet, ita enim & *Apostoli* præmissis precibus *Matthiam* in locum *Iudæ* elegerunt *Act.* 1. ubi nominatio *Matthiæ & Iusti* à tota Ecclesia jam tum facta erat, à Deo tantum petebatur electio, quæ per sortem fiebat.

3. In rebus dubiis, utrum ex illis sit agendum, ut si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga sit omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur ecclesia, ibi suadet *Augustinus epist.* 180 *ad Honoratum*, si hæc disceptatio aliter non potuerit determinari, qui maneant & qui fugiant, sorte eligendos esse.

Ejusdem consilium est *lib.* 1. *de doctr. Christ. cap.* 18. si cui abundaret aliquid, quod oportet dari eis, qui non haberent: nec duobus dari potuisset, si tibi occurrant duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel urgēte aliqua necessitate superaret, nihil justius faceres, quàm ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique non posset.

Huc pertinent sortes, quarum aliàs scriptura meminit, in historiâ *Saulis* 1. *Sam.* 14 *v.* 42. & in historiâ *Ionæ c.* 1. *v.* 7. In his sortibus semper eventus quocunq; modo cadat, adscribendus est Deo, *cujus nutu sors cadit*, sicut in *Proverbiis c.* 16, 33. scriptum est: *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.*

Ideo *Augustinus* sortem vocavit rem, quæ in dubitatione humanâ divinam patefacit voluntatem: quod de iis sortibus verum est, quæ pro re natâ ad publicam aut privatam hominum salutem procurandam, aut Dei gloriam illustrandam justâ cum reverentiâ & religione committuntur divino judicio ab hominibus piis: impiæ verò & vanæ sortes, quibus futuri eventus & hominum prorsus occulta, nec scitu necessaria, indagantur, à piis alienæ sunt, quia Deus illis gravius quàm magicis superstitionibus, aut falsis culti-

cultibus offenditur, unde etiam magicæ illæ fraudes & impoſturæ generaliter ſortilegia appellantur: quod ipſum nomen ſortium illicitarum impietatem denotat.

## CAPUT VII.

## *De Caſibus Conſcientiæ circa ſpectra.*

NON poſtremus diaboli conatus eſt, ludificandi, terrendi, contriſtandi & affligendi homines per ſpectra & terriculamenta, quæ hominum ſenſus vel per imagines vel per ſonos externos occupant.

Multa hujus rei exempla tam in ſacrâ, quàm in prophana hiſtoriâ continentur.

*An ſpectrū Samuelis Sauli apparens fuerit verus an verò pſeudo Samuel?*

In ſacris legimus de *pſeudo-Samuele à pythoniſſa* ad preces *Saulis* ex inferis producto 1. *Sam.* 28. *v.* 11. quem quidem *Pontificij* pro vero *Samuele* habuerunt, ſed multa ſunt indicia in textu, quod ſpectrum diabolicum fuerit.

Nam fatetur ipſe *Saul*, Dominum à ſe receſſiſſe, & non ampliùs per Prophetam ſecum loqui *v.*6. num ergò credibile eſt, ipſum poſt obitum demum per *Samuelem Prophetam* cum ipſo egiſſe?

Fatetur etiam *pythoniſſa*, *Saulem* abſtuliſſe omnes ariolos & magos de terrâ *v.*9. idque juxta legem Domini fecit, in quâ prohibebatur, ne quis conſuleret *pythones* *Deut.* 18. *verſ* 10. veriſimile ergò non eſt, animam prophetæ *Samuelis* contra expreſſam prohibitionem Dei *Sauli* paruiſſe.

Dicit etiã *Pſeudo - Samuel* ad *Saulem*, *cras tu & filij tui mecum eritis* *verſ.*19. Veri autem *Samuelis* anima *erat in manu Dei* *Sap.* 3. *v* 1. quo anima *Sauli* non pervenit, quia ipſe ex deſperatione ſibi ipſi manus violentas intulit.

Denique *Samuel* ad minimum toto biennio antè mortuus erat, & corpus ejus jam in cineres redactum: num ergò credibile, Satanam illud reſuſcitaſſe? hoc non niſi impius dixerit, diabolus enim æquè non reſuſcitare poteſt mortuos, ac creare vivos.

Quapropter *Auguſtinus* ſpectrum illud *imaginem Samuelis mortui* nominat *lib.* 2. *de doctr. Chriſti, cap.* 23. & alibi rationibus docet, non verum *Samuelem* reſuſcitatum fuiſſe, ſed diabolum, qui ſe transfert in angelum lucis, in phantaſia *Samuelis* apparuiſſe *lib.* 2. *de mirabil. ſac. ſcript. cap.* 11.

De ſpectris infeſtantibus *Ægyptum*, cùm Deus populum ſuum educturus eſſet, legatur *c.* 17. *Sapient.* de ſpectris *Babylonis* verò *c.* 13. & 34. *Eſaiæ*; ſpectrorum quoq; mentio fit in Novo Teſtamento, ut cùm diſcipuli Chriſtum ſub crepuſculo in mari ambulantem, pro ſpectro habebãt *Matt.* 14, 26. & cùm poſt reſurrectionem ſuam, clauſis januis ſubitò ſtetiſſet in ipſorum medio, putabant ſe videre ſpiritum *Luc.* 24. *v.* 37.



Digitized by Google

In historiâ ecclesiasticâ legitur de *Mose Cretensi* impostore Judæo, qui Judæis in *Cretâ* habitantibus persuasit, se esse *Mosen*, ad id cœlitùs missum, ut Judæos illam insulam incolentes per mare traduceret in terram promissam. Cùmque credulum vulgus se commisisset mari, multi perierunt, partim rupis asperitate disrupti, partim aquis suffocati, cumque impostorem illum occidere satagerent, comprehendere eum nequiverunt: evanuerat enim, & multis suspicionem movit, fuisse eum dæmonem alastora, effigiem hominis ad perdendam illam Judæorum gentem, indutum, ut est apud *Socratem lib. 7. histor. eccles. cap.* 38.

In scriptis patrum multa extant exempla spectrorum, quæ ædes reddiderunt infestas. *Refert Augustinus lib 22. de civit. Dei cap.* 1. de infestis ædibus cujusdam Hesperi viri tribunitij, cujus domestici & animalia, à spiritu maligno graviter fuerunt divexati.

De balneis infestis scribit *Gregorius Nyssenus in vita Gregorij Neocæsariensis*, in quibus spectra ingressis plurima attulerint mala, & neminem, qui balnea noctu intrasset, manè vivum exivisse, præter Gregorij Neocæsariensis diaconum.

Similia leguntur apud scriptores prophanos. *Plinius* refert *lib. 2. epist.* 27 *Athenis* fuisse ædes in quibus umbra ingens & macilenta, catenarum stridore, quibus vincta videbatur, ædes ipsas replebat: propter quam rem jam inhabitare ædes nullus auderet, ad exiguum precium locata est. *Idem habet Sabellicus lib.* 10. *exempl.* 3.

Idem refert de domo Dionis *Plutarchus in ejus vita*, & de domo Cæsaris Caligulæ, in quâ cùm occubuit, nullam noctem, sine aliquo terrore transactam esse, affirmavit *Suetonius in Caligula*.

Scribit *Cardanus lib.* 16. *cap.* 93. de rerum varietate, familiam quandam nobilem inter primas Parmæ possidere arcem, in quâ aula est: in ea sub camino videri anum jam à centum annis, quoties ex familia obiturus. Similia exempla vide *apud* Wierum *lib. 1. de præstig. dæmon. c.* 15. *& apud Alexand. ab Alexandro lib. 2. genial. dier. cap. 9. & lib. 4. cap.* 19.

*A spectris vel loca vel homines vel bruta infestantur.*

Infestantur ergò à spectris vel loca, vel homines, vel bruta.

Loca sunt vel privata, ut domus, arces, fundi fodinæ metallicæ & similes: vel publica, ut templa, cœmeteria, monasteria, curiæ, thermæ, balnea, maria, flumina, stagna.

Infesta autem sunt vel propter homines, vel propter fortunas hominum.

Propter homines infestantur quædam loca, in quibus impij homines insignioribus sceleribus polluti habitarunt olim, aut adhuc inhabitant: quemadmodum domus Neronis post interfectam matrem spiritibus semper infestata fuit, & domus Ottonis vel locus quilibet, ubi Otto reperiebatur post interfectum Galbum, referente Suetonio: perse-

persequuntur enim maligni Spiritus ultricibus furiis mancipia sua, etiam, dum adhuc vivunt.

Propter divitias infestæ sunt fodinæ metallicæ, & ubicunque thesauri fortè sunt defossi.

Homines etiam diversimodè à spectris divexantur, præsertim in officio publico constituti, aut aliàs opera vocationis suæ facientes: his enim præ cæteris infensus est Satan. Ita ministri ecclesiarum in quibusdam locis infestantur à spectris, peregrinantes sæpè deluduntur ab igni fatuo, cui se non raro immiscet spiritus tenebrarum, à quo abducti itur in abyssum, in lacum, in loca salebrosa &c. milites excubiarij, venatores, puerperæ etiam, tempore nocturno, multa patiuntur à spectris, quandoque totæ civitates & provinciæ, ut in Ægypto olim tempore Mosis factum. & ante hos 30. annos (anno 1594.) in vicinâ Marchiâ Spandaviæ, Fridbergæ & Berlini, ubi spectra etiam interdiu apparebant, & noctu eos, quos terrere voluerunt, alloquebantur, spargebant etiam nummos, specula, cingula, serta, chartas, quas qui attingebant instar dæmoniacorum in rabiem vertebantur.

Interdum non lædunt spectra homines, sed tantùm terrent, quemadmodum Pictavij in parochiâ S. Pauli, anno 1447. fuit spiritus, qui cyathos & vitramenta frangebat, injectis lapidibus, neminem tamen mortalium præcedentium læsit, *referente Bodino lib. 3. de dæmon. cap. 6.*

Bruta quoq; sentiunt interdum spectrorum malitiam. Hinc audiuntur equi noctu in stabulis hinnire, & cum impetu recalcitrare, vaccæ boare & cornibus ferire, quasi cum spectris luctarentur.

Nihil hic dicam de varietate spectrorum, quæ vel imagine aliquâ adspectabili, vel horribili sono vel risu & cachinno, vel tenuiore stridore, vel etiam verberibus & pugnis molesta sunt, ipsos lædunt homines, aut pecora, confringunt orbes, ollas, patinas & similia vasa: quibus omnibus malignus spiritus aut terrorem incutit miseris mortalibus, aut, ut apud organa diaboli, quæ spectra suis artibus pellere conantur, auxilium quærant, solicitat. Cùm ergò etiam circa has illusiones diabolicas aliqua occurrant, in quibus informandi sunt hominum animi, ne quid contra conscientiam faciant, ideò operæ prætium est, ea sigillatim proponere & explicare quod hoc in capite, Dei beneficio, facturi sumus.

## CASUS I.

### *Num credendum est, animas defunctorum redire, & molestare viventes?*

RESP. Pontificij tria dicunt esse spirituum genera, qui homines & loca infestant; primùm sunt diaboli, *Pontificii statuunt tria spirituum genera.*

boli, deinde animæ hominum ad inferorum supplicia damnatorum, & tertiò illæ, quæ purgatorii pœnis expiantur, ut est apud Petrum Thyræum *part.* 1. *de locis infestis cap.* 3. Sed verò similius est spectra omnia, quæ molesta nobis esse possunt, esse diabolica. Certissimum enim est, animas defunctorum non redire, sed si quando apparere visæ sunt, illusiones diabolicas fuisse. Aut enim sunt animæ beatorum, & hæ quiescunt *in manu Dei & non patiuntur tormentum* Sap. 3, 1. aut sunt animæ damnatorum in inferno, ex quo nulla est liberatio, nullus etiam ad viventes recursus: quia *magnum inter damnatos & viventes chaos firmatum est, ut ultrò citroq́; commeandi non detur locus Luc.* 16, 26.

*Purgatorium est Platonicum figmentum neq; in sacris literis fundamẽtum habet.*

Purgatorium autem figmentum est Platonicum, universæ scripturæ ignotum, quæ non nisi duo animarum loca post obitum notat, cœlum & infernum, *Marc.* 16 *Joh.* 3.

Unde & Augustinus scripsit, *lib.* 1. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 28. *non est ulli ullus medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo: & l.* 5. *hypog. primum locum fides catholica credit regnum esse cœlorum secundum gehennam: tertium penitus ignoramus, imò necesse, in Scripturis invenimus: & serm.* 14. *de verbis Apostoli: non divisiones locorũ dedi, sed duorum tantùm.* Item *inter dextrũ & sinistrũ nullus est relictus medius locus.*

Si ergò statum animarum post hanc vitam considerare velimus, apparebit opinionem de reditu ipsarum omninò frustraneam esse. Animæ defunctorum beatorum ad nos redire nolunt, quia jam sunt in solatio & gaudio cœlesti, ex quo miseriis hic viventium immisceri iterum non cupiunt. Animæ verò damnatorum redire equidem vellent, præ doloribus inferni, præ quibus quasvis potiùs hujus vitæ miserias perpeti cuperent: sed non possunt, quia ex loco tormentorum discedendi ipsis nulla conceditur potestas, *soliusq́; divinæ potentiæ est animam ex inferno revocare, ait Augustinus serm.* 104. *de temp.* Quod autem Deus hoc facere velit, promissionem nullam habemus,

Imò nulla anima absque corpore suo apud nos oberrare, multò minus sonum aut gemitum, aut etiam vocem humanam edere potest: talia enim per organa corporis fiunt. Corpus autem vel in sepulcro jam in cineres redactum, vel alio modo corruptum est, & à Deo non nisi in novissimo die restituitur animæ suæ: à diabolo autem resuscitari nequit, quia resuscitatio corporum ejus tantùm est, cujus est eorum creatio: inprimis autem Deus non permittit maligno spiritui, ut animas beatorum, quæ jam sunt in requie, turbet, easque hinc inde circumducat: *Dominus enim custodit omnia ossa piorum. Psal.* 34. Ideò non permittebatur Lazaro, ut ex sinu Abrahæ ad fratres divitis epulonis reverteretur, *Luc.* 16. quos enim Deus in sinu suo fovet, hos ad molestandos homines non dimittit.

Quæ-

Quæcunque ergò exempla pro apparitione animarum humanarum afferuntur, mera sunt ludibria Satanæ, qui & faciem, & habitum, & gestum, & vocem hominis induere solet, cum aliis vult illudere: id quod etiam opera apparentium umbrarũ testantur, quæ vel falsa persuadent, vel querelis aut etiam externâ violentiâ viventibus molesta sunt: quod est perpetuum diaboli studium, qui propterea pater homicidii & mendacii appellatur. In quam sententiam benè scribit *Chrysostomus homil. 29. in cap. 8. Matth. unde mihi hoc persuadebis? An quia dæmones ipsos clamare, audivisti: anima talis ego sum, verùm hæc quoq; oratio à fraude & deceptione diabolica proficiscitur. Non enim anima defuncti est, quæ illa dicit, sed dæmon, qui hæc, ut audientes decipiat, confingit.*

*Objectiones solvũtur.*

Augustinus *in libro de cura pro mortuis cap.* 10. de mortuis quibusdam scribit, qui vel in somnis, vel alio quocunq; modo apparuerunt viventibus, atq; ubi eorum corpora jacerent inhumata, nescientibus indicasse, locisq; monstratis admonuisse, ut sibi sepultura, quæ defuerat, præberetur.

Negat autem ipse, animas fuisse defunctorum, sed imaginem defuncti ait apparere in somno, & indicare aliquid, quod evigilantes postea verum esse cognoscunt, ipsi verò, quorum sunt corpora, penitùs ignorant, & tandem probat cap. 13. animas defunctorum nõ interesse miseriis hominum, & concludit: *ubi ergò sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæcunq; aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus, quomodo ergò vident tumulos suos aut corpora sua utrũ abjecta jaceant, an sepulta? quomodo intersunt miseria vivorum, cum vel sua ipsa mala patiantur, si talia merita cõtraxerunt; vel in pace requiescant, sicut Iosiæ promissum est, ubi mala nec patiendo nec compatiendo sustineant, liberati ab omnibus malis, quæ patiendo & compatiendo, dum hic viverent, sustinebant.*

*Lutherus* etiam graviter hac de re disserit *in lib. germanico de abusu Missæ tom. 3. Ienens. germ. fol. 31. cum Christiani simus, inquit, credamus imposterum spectra, quæ molestãt homines, meros esse diabolos, & nequaquam animas defunctorum, qui ideo & vocem & habitum defunctorum simulant, quasi liberari à nobis possint, ut ex divinissimo sacramento & testamento Dei ludibriũ faciant, fidem extinguant, & abominandas nundinationes missæ, (quæ jam totum orbem Christianum occuparũt) erigant & confirment.* Hæc ille.

Hoc ergò indubitatò credamus, animas defunctorum minimè ad nos redire, & sic de nostris defunctis minùs soliciti, & ad resistendum ludibriis Satanæ paratiores erimus.

CASUS

## CASUS II.

### *Num ex apparitionibus spectrorum informari possumus, vel de rebus humanis, vel etiam de dogmatibus fidei?*

*Spectra sunt duorũ generum.* RESP. spectra sunt duorum generum; vel apparitiones ipsorum dæmonum, vel imagines hominum absentium, & in somno nobiscum loquentium, inscius iis, quorum sunt imagines: quæ κατα χρησικῶς appellantur spectra, quia non sunt veri homines, sed visa quædam phantasiam fallentia.

A dæmonibus nemo quidquam in re quacunque discere debet, quia fallacissimi sunt spiritus, etiam, cùm vera loquuntur, de mendacio se suspectos reddunt.

A visis nocturnis didicerunt nonnulli aliqua ad res hujus seculi pertinentia, sed visa ista non fuere propriè spectra, sed imagines hominu adhuc viventium, sed qui alibi locorum agentes, de iis, quæ loquebantur cum dormientibus, nihil prorsus sciebãt. Cujus rei exempla recitat *Augustinus in lib. de cura pro mort. cap. 11. cũ Mediolani essemus*, inquit, *audivimus, quòd cùm debitum repeteretur à quodam, defuncti patris cautione prolatâ, quod filio nesciente à patre jam fuerat persolutum, contristari homo gravissimè cœpit, atq; mirari, quod ei pater moriens nõ dixerit, quid deberet, cũ fecisset etiam testamẽtum. Tunc nimis anxio apparuit idem pater ejus in somnis, & ubi etiam esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis atque monstrato, non solum falsi debiti calumniam propulsavit, sed etiam paternum chirographum recepit, quod pater non receperat, quando est persoluta pecunia.*

Hic putatur anima hominis curã gessisse pro filio, & ad eum venisse dormientem, ut docẽs quod ignorabat, à magna eum molestia liberaret.

Sed negat Augustinus, vel animam vel corpus defuncti fuisse, sed similitudinem hominis apparuisse existimat, cum & mortuorum hominum, nescientium quid agant, non animæ, sed similitudines apparere possint dormientibus.

Alterum exemplum *Augustinus* ex propria experientia affert. *Nobis apud Mediolanum constitutis*, inquit, *Carthaginis rhetor Eulogius, qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse, posteaquam in Africam remeavimus, retulit, cùm Rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem, quam postridiè fuerat traditurus, quendam locum offendit obscurum. Quo non intellecto, vix potuit dormire sollicitus: quâ nocte somnianti, ego illi, quod non intelligebat, exposui: imo non ego, sed imago mea, nesciente me, & tam longe trans mare, aliquid aliud sive agente, sive somniante, & nihil de illius curis omninò curante. Quomodo fiant ista nescio, sed quomodolibet fiant, cur non eodem*



Digitized by Google

*dem modo fieri credimus, ut in somnis quisq; videat mortuum, quomodo fit, ut videat & vivum? ambobus utique nescientibus, neq; curantibus, quis, vel ubi, vel quando eorum imagines somniet.* Hæc Augustinus, qui *cap. 12. ejusdem libri* addit tertium exemplū, de quodam Curmâ curiali mancipii Tullienfis, quod Hipponi proximū est, qui graviter decumbens, inter cætera etiam se baptisari vidit ab Augustino, quod tamen factum non erat: postea etiam se in paradisum introductum narravit, dictumque sibi fuisse, cùm inde dimitteretur ad suos: *Vade baptisare, si vis esse in loco illo beatorum*: deinde, ut ab Augustino baptisaretur, admonitus, jam factum esse respondit, cui rursus ille, qui cum eo loquebatur, *vade*, inquit, *verè baptisare, nam illud in visione vidisti*: quo audito Hipponem pertexit, & cum cæteris ab Augistino, rerum illarum ignaro, baptismum accepit.

Visionem istam Augustinus operationes angelicas fuisse credit, per dispensationem providentiæ DEI benè utentis & bonis & malis, secundum inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum, sive, ut instruantur hinc mentes mortalium, sive fallantur; sive consolentur, sive terreantur; sicut unicuique vel præbenda est misericordia, vel irroganda vindicta, ab illo, cui misericordiam & judicium non inaniter cantat ecclesia.

Hæc de visis nocturnis, quæ ὁμωνύμως spectra dicuntur. Pontificii, cùm & animas defunctorum redire, & ut spectra hominibus apparere (quamvis falsa) existiment: ex uno errore nectunt alium, putantes etiam dogmata fidei à spectris illis addisci posse. *Petrus Thyræus part. 1. de locis infestis cap. 3.* scribit: *animas hominum cum corporibus non interire, sed depositis corporibus, vitam aliam vivere, hoc probant & defunctorum spiritus, qui apparent, & quos in diversis locis excitant tumultus atq; terrificationes.*

Sed cùm apparitiones animarum post mortem hominis nihil sint, præter ludibria dæmonum, ut antea ostendimus, nihil hic probari potest.

[ *Vide exemplum de animabus quorundam militum apud Thyræum part. 1. de locis infestis c. 1. th. 23.*]

*Gregorius Magnus*, (si ipse autor est dialogorum) *lib. 4. dial. cap. 40.* ex apparitionibus animarum probat purgatorium. Narrat enim animam Paschasii Diaconi, post multum temporis à morte apparuisse Germano Episcopo Capuano in thermis angularibus, cumque Germanus vidisset Paschasium in caloribus thermarum stantem, ipsum quæsivisse, quid illic vir tantus ageret? illum verò respondisse, se ideò loco illi pœnali deputatum esse, quia in schismate Pontificum, in parte Laurentii contra Symachum stetisset, addidisse autem: *quæso tu pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens, me non inveneris.*

*matris Augustini.* 11. somnum matris suæ, quæ ipso adhuc in *Manichæismo* hærente, vidit stantem se in quadam regulâ lignea, & advenientem ad se juvenem splendidum, hilarem atque arridentem sibi, cùm illa esset mœrens & mœrore confecta: qui cùm causas mœstitiæ suæ & quotidianarum lacrymarum quæsiisset, atque illa respondisset, perditionem filii, se plangere, jussisse illum, quò secura esset, atque admonuisse, ut attenderet & videret, ubi esset illa, ibi esse & filium: quod illa ubi attendit, vidit filium juxta se in eadem regulâ stantem.

*Somnium matris Gregorij Nazianzeni.* Mater *Gregorij Nazianzeni*, (ut legitur in *vitâ ejus*,) petiit à Deo filium, cum voto, se destinando ipsum sacris Deo reddituram. Quid fit? is qui voluntati timentium se satisfacit, viso quodam nocturno filium ipsi nascendum commonstrat, ejusdem & facie & nomine clarè expresso.

*Somnium matris Bernhardi.* *In vitâ Bernhardi* legitur statim ab initio, quòd mater ejus pridie quàm nasceretur, in somno viderit catellum totum candidum, in dorso subrufum & latrantem in utero se habere. Super quo territa illa vehementer, religiosum quendam virum consuluit, qui respondit: *ne timeas, res bene agitur. Optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro eâ contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, & tanquã bonus canis, gratiâ linguæ medicinalis, in multis morbos curaturus est animarum.*

Apud *Sozomenum lib. 6. hist. eccl. cap. 2.* mors *Iuliani* prænunciatur *Dydymo Alexandrino* per somnium *cap. 5. Arianorum* tumultus in ecclesiâ monstrabantur *Antonio* in somnio.

Apud *Eusebium lib. 4. hist. eccl. cap. 15. Polycarpus* martyrium suum prævidit in somnio. *Alexander Magnus* in somnio vidit imaginem *Iaddi* Pontif. Hierosolymitani sibi occurrentis, unde postea urbi pepercit.

Contingunt autem talia somnia, tam bonis quàm malis: nam & cum *Abimelecho, Labano, Pharaone, uxore Pilati* & aliis, qui extra ecclesiam fuerunt: Deus in somno locutus est: ideò non est, cur somnia à Deo petamus: ab ipso autem spontè immissa observare prodest, unde Siracid. scribit *cap. 34. v. 6: nisi à Domino missa fuerit visitatio, ne des insomniis cor tuum.* *Somnia divina tàm bonis quã malis obtingere possunt.*

Duobus autem ex indiciis colligitur, an somnium à Deo sit. 1. cùm res in somno monstratæ captum humanum prorsus effugiunt, ut sunt futura contingentia, occulta & abstrusa, quæ soli Deo nota sunt, ipsi verò ea aliis etiam aperire placuit, 2. cùm mens nostra ita illustratur, ut non dubitet, quin somnium sit à Deo, à quo etiam mirè & celeriter afficitur. Nam, ut *Gregor.* scribit *lib. 4. dialog. 48. sancti viri inter illusiones atque revelationes ipsas, visionum voces & imagines, quodam intimo sapore discernunt, ut sciant quid à bono spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur.* *Duo indicia, ex quibus colligitur, an somnium ex Deo sit?*

Con-

*Non omnium somniorũ certa est significatio.*

Constat ex dictis, non omnium somniorum certam esse significationem, ideò stultè faciunt, qui temerè omnia observant, impiè etiam, qui somniis ita attendunt, quasi in iis aliquid divini esset, sicut olim augures putabant, in avium volatu, garritu, & pastu, aruspices, in extis animalium; Chaldæi in astris, unde futuros prædicebant eventus, quod Dominus passim prohibuit *Lev.* 19, 26. *Deut.* 18, 10. *Jer.* 10, 2. Neque enim res futuræ omnes ex naturalibus pendent causis, neque somniis quibuslibet significantur, & in se vanum est, de futuris nostris eventibus nimis esse curiosum, longè autem vanius omnes actiones & instituta nostra somniis committere, & juxta eorum significationes, quæ per se incertæ sunt, nec in omnibus quærendæ, nec cuivis obviæ, negotia nostra disponere. Quod qui faciunt, eos in numerum ariolorum, augurum, genethliacorum & reliquorum divinatorum ponendos esse, ob causas modò indicatas, censemus.

## CASUS IIX.

### *Quid vero judicandum de prædictionibus aut præsagiis, quæ suppeditantur ab ominibus, monstris & portentis?*

*De ominũ significationibus, distinctione & exẽplis.*

RESP. Quid omina sint, supra in procemio notavimus, nimirum dicta aut facta in alium finem & alias ob causas, quos aliàs casus fortuitos vocant, ut cùm quis domo egressus pedem offendat, aut sinistrum pedẽ dextro fortuito anteponat, si manè egredientes vel anum vel virginem, vel funus, vel crucis signum, aut simile quid conspexerint: ex quibus postea præsagia petuntur de lætis aut tristib. futuris eventibus, qui tamen prorsus nihil cùm dictis, aut factis illis commune habent.

De his negare non possumus, fieri interdum, quod quis ominatur, sed non habent certas causas, ex quibus prædicuntur; verùm vel ex impulsu divino fiunt, quale fuit omen *Eleasars*, puellam, cui dixerit, *inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa dixerit, bibe, fore herilis filij sponsam*, quod & impletum est in *Rebeccâ Genes.* 24. *v.* 14. & 15. Tale omen quoque fuit *Jonathani* 1. *Samuel.* 14. *v.* 9. *Gedeonis Judic.* 7. *v.* 14. vel casu fiunt, qualia exempla multa sunt apud Ethnicos de offensione pedum, ut quòd *Tiberius Grachus*, referente *Valerio Maximo lib.* 1. *cap.* 4. cùm ad res novas pararetur, auspicia primâ luce petiit, & januâ egressus pedem offendit, ut digitus ei decuteretur, qui decussus in capitolio à *Scipione Nasicâ* fragmento subsellii ictus procubuit.

De *Crassi* filio refert *Plutarchus in vitâ Crassi*, quòd cùm contra *Parthos* proditurus esset in aciem, ita pedem

pedem offendit, ut humi prostratus concideret, unde ipsum succubiturum in prælio colligebatur. Et *Tibulli* versiculi noti sunt ex *lib.1.eleg.3.*

*O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi,*
*Offensum in portâ signa dedisse pedem.*

Etsi igitur non omnia ominosa contemnenda sunt, sed ad vitam cautiùs instituendam prosunt, æquè tamen stolidum est, quælibet observare omina ac somnia: imò non omnes fortuiti casus sunt omina, nisi superstitio hominũ talia inde faciat, unde multa præsagiuntur ridicula, præsertim à mulierculis de futuris nuptiis, de felici vel infelici conjugio & similibus, quibus avocatur animus à verâ pietate, precibus & fiduciâ in Deum, in cujus manibus sunt tempora nostra.

Proinde pii prædictionibus ex ominibus meritò non multum tribuunt, & si qua rariora, quæ putabantur ominosa, occurrunt, Deum precantur, ut faciat secum secundum voluntatem suã. Certi enim quid ex ominibus concludere nemo potest, & ferè tantùm ex eventu constat, dictum aliquod aut factum verum omen, quod portendit aliquid, fuisse.

*De monstrorum significationibus.*

Quod monstra, & portenta attinet, in quibus aberratio fit naturæ, eorum natura est, aliquid portendere & monstrare, undè & nomen habent, ut, quòd ante obsidionem *Hierosolymitanam* vacca peperit agnum: quòd *Romæ* bos humanâ voce locutus fuit, quòd ibidem puer infans semestris in foro boario triumphum proclamavit, quòd cornu cervinum & scuta sudant sanguinem, & quæ sunt hujus generis alia; hæc quidem raro sunt absque singulari aliquo eventu: sed non cujusvis est, eum prædicere.

Præstat ergò talia in silentio & spe committere Deo, quàm divinando temeritatem prodere.

## CASUS IX.

### *Annon licet absque peccato ex sortibus de rebus ignotis aut futuris facere judicium?*

*Vox sortis & sortilegii dupliciter sumitur.*

RESP. Sortes & sortilegium interdum *latè* sumitur pro qualibet superstitione magicâ, quemadmodũ apud *Plinium lib.8.cap.4.* omnes magorum persuasiones appellãtur sortilegium, verùm de his non quæritur, sed de sortibus *strictè* sumtis, cùm ex jactu talorum aut tesserarum, ex fabarum aut festucarum commixtione, ex chartularum ex urnâ vel pileo productione aliquid cognoscitur.

[*Sorte ex duobus hircis eligebatur unus DEO offerendus Lev.16.v.8. Sorte terra distribuebatur Isralitis Jos.12. Sorte Saul designatus rex 1.Sam.16.*]

Et

Digitized by Google

*Sortilegiū ratione finis triplex est.* Et hoc, respectu finis tripliciter fieri potest, aut enim ideò sortes mittuntur, ut quid cuiq; tribuendum sit, sciatur, diciturq; sors *divisoria*, quæ non rarò adhibetur in dividendis hęreditatibus, honoribus, dignitatib9, officiis: aut fit ideò, ut consulaţur Deus, quid sit faciendum, quid cavendum aut fugiendum, diciturque sors consultoria: aut deniq; ideò fit, ut res occultæ, & eventus futuri cognoscătur, & dicitur sors divinatoria, quâ res furto ablatæ inquiruntur, aut ex jactu sortium læta vel tristia præsagiuntur, quales olim fuerunt sortes *Lyciæ, Deliæ, Prænestinæ, Antiatinæ apud Ethnicos.*

*De sortibus in genere & specie illicitis.* Quod ergò sortes in genere attinet, si quis eâ intentione iis utatur, quasi hujusmodi actus humani, qui per sortes inquiruntur, secundum dispositionem stellarum effectum sortiantur, vana & impia est divinatio ex sortibus, cui sæpè se dæmon immiscet.

Idem etiam dicendum in specie de sortibus *divinatoriis*: nam occulta & soli Deo nota nullo prorsus modo, nedum sortibus expiscari licet: furta latenta per sortes indagare periculosum omninò est: nam spiritus mendacii & homicidii facilè nomen innocentis subministrare potest, & hac ratione innocens plecteretur, reus dimitteretur. *An per sortes furta latētia possint & debeāt inquiri? Neg.*

*Objectionis solutio.* Neque huc accommodari debet exemplum furti ab *Achan* commissi, quod per sortem fuit cognitum *Jos.* 7.*v.*18. id enim ex peculiari Dei jussu à *Iosua* factum *vers.*14. neq; res ridiculæ fuerunt adhibitæ, sed de tribu ad tribum, de domo ad domum facta inquisitio: & prætereà accessit sontis confessio *vers.*20,21.

In sortibus *consultoriis* peccatur, cùm diabolus per sortes de rei alicujus eventu consulitur, uti rex *Babylonis* fecit *Ezech.*21.*v.*21. commixtione sagittarū: vel cùm quidem à Deo sortium expectatur eventus, sed vel absq; necessitate sortes usurpantur: hoc enim videtur ad tētationem Dei pertinere; vel in necessitate absq; reverentiâ Dei sortes adhibentur; vel divina oracula ad res futiles & inanes convertuntur: vel denique in rebus ecclesiasticis ea, quæ à Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, sortibus committuntur.

Quæcunque ergò prædictiones hoc modo ex sortibus petūtur, vanæ sunt & illicitæ, de quibus in decretis *Iuris Canonici* dicitur 26.*q.*5.*ca. Sortes*: *Sortes, quibus cuncta vos vestris discriminatis provinciis, quas partes damnaverunt, nihil aliud quàm divinationes & maleficia decernimus. Quāobrem volumus illas omninò damnari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.*

Sortes *divisoriæ* etiam non rectè usurpantur, si secundum eas honores & dignitates ecclesiasticæ distribuantur, ne ineptus & minùs idoneus præferatur magis idoneo: ideò canones sortis usum in electionibus ecclesiasticæ personæ perpetuâ prohibitione damnant, ut est in *De-*

*cretalib.cap.Ecclesia vestra de sortileg. ad finem.*

His ferè modis prædictiones ex sortibus sunt illicitæ.

*De sortibus licitis.* Cæterùm concessum est judicium ex sortibus sumtum 1. in rebus secularibus, in distribuendis bonis communibus, dignitatibus etiam & honoribus, ita tamen, ut personæ eligendæ donis & qualitatibus suis æquè pares sint, ne indignus præferatur digno, & ut sortium eventus committatur Deo, qui sortes temperat pro suo beneplacito.

2. Etiam in electione ministrorum ecclesiæ, si personę ibi in donis, eruditione & moribus æquales occurrunt, & quæ alteri præferenda sit, dubitatur, ibi sorte rem decidi prohibent quidem Canones, sed necessitate postulante, & cùm alia ratione ad electionem perveniri nequit, usurpari sors potest, modò eam ad rem cum vera devotione & invocatione nominis divini accedatur. Et totius ecclesiæ consensus, ut per sortem decisio fiat, accedat, & de utriusq; eruditione & habilitate exactè constet, ita enim & *Apostoli* præmissis precibus *Matthiam* in locum *Iudæ* elegerunt *Act.* 1. ubi nominatio *Matthiæ & Iusti* à tota Ecclesia jam tum facta erat, à Deo tantùm petebatur electio, quæ per sortem fiebat.

3. In rebus dubiis, utrum ex illis sit agendum, ut si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persequutionis tempore maneant, ne fuga sit omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur ecclesia, ibi suadet *Augustinus epist.* 180 *ad Honoratum*, si hęc disceptatio aliter non potuerit determinari, qui maneant & qui fugiant, sorte eligendos esse.

Ejusdem consilium est *lib.* 1. *de doctr. Christ. cap.* 18. si cui abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent: nec duobus dari potuisset, si tibi occurrant duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel urgēte aliqua necessitate superaret, nihil justiùs faceres, quàm ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique non posset.

Huc pertinent sortes, quarum aliàs scriptura meminit, in historiâ *Saulis* 1. *Sam.* 14. *v.* 42. & in historiâ *Ionæ c.* 1. *v.* 7. In his sortibus semper eventus quocunq; modo cadat, adscribendus est Deo, *cujus nutu sors cadit*, sicut in *Proverbiis c.* 16, 33. scriptum est: *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.*

Ideò *Augustinus* sortem vocavit rem, quæ in dubitatione humanâ divinam patefacit voluntatem: quod de iis sortibus verum est, quæ pro re natâ ad publicam aut privatam hominum salutem procurandam, aut Dei gloriam illustrandam justâ cum reverentiâ & religione committuntur divino judicio ab hominibus piis: impiæ verò & vanæ sortes, quibus futuri eventus & homini prorsus occulta, nec scitu necessaria, indagantur, à piis alienæ sunt, quia Deus illis graviùs quàm magicis superstitionibus, aut falsis culti-

cultibus offenditur, unde etiam magicæ illæ fraudes & imposturæ generaliter sortilegia appellantur: quod ipsum nomen sortium illicitarum impietatem denotat.

## CAPUT VII.

## *De Casibus Conscientiæ circa spectra.*

NOn postremus diaboli conatus est, ludificandi, terrendi, contristandi & affligendi homines per spectra & terriculamenta, quæ hominum sensus vel per imagines vel per sonos externos occupant.

Multa hujus rei exempla tam in sacrâ, quàm in prophana historiâ continentur.

*An spectrũ Samuelis Sauli apparens fuerit verus an verò pseudo Samuel?*

In sacris legimus de *pseudo-Samuele à pythonissa* ad preces *Saulis* ex inferis producto 1. *Sam*. 28. *v*. 11. quem quidem *Pontificij* pro vero *Samuele* habuerunt, sed multa sunt indicia in textu, quod spectrum diabolicum fuerit.

Nam fatetur ipse *Saul*, Dominum à se recessisse, & non ampliùs per Prophetam secum loqui *v*.6. num ergò credibile est, ipsum post obitum demum per *Samuelem Prophetam* cum ipso egisse?

Fatetur etiam *pythonissa*, *Saulem* abstulisse omnes ariolos & magos de terrâ *v*.9. idque juxta legem Domini fecit, in quâ prohibebatur, ne quis consuleret *pythones Deut*, 18. *vers*. 10. verisimile ergò non est, animam prophetæ *Samuelis* contra expressam prohibitionem Dei *Sauli* paruisse.

Dicit etiã *Pseudo-Samuel* ad *Saulem*, *cras tu & filij tui mecum eritis vers*.19. Veri autem *Samuelis* anima *erat in manu Dei Sap*.3. *v* 1. quò anima *Saulis* non pervenit, quia ipse ex desperatione sibi ipsi manus violentas intulit.

Denique *Samuel* ad minimum toto biennio antè mortuus erat, & corpus ejus jam in cineres redactum: num ergò credibile, Satanam illud resuscitasse? hoc non nisi impius dixerit, diabolus enim æquè non resuscitare potest mortuos, ac creare vivos.

Quapropter *Augustinus* spectrum illud *imaginem Samuelis mortui* nominat *lib*.2. *de doctr*. *Christi*. *cap*.23. & alibi rationibus docet, non verum *Samuelem* resuscitatum fuisse, sed diabolum, qui se transfert in angelum lucis, in phantasia *Samuelis* apparuisse *lib*. 2. *de mirabil*. *sac*. *script*. *cap*.11.

De spectris infestantibus *Ægyptum*, cùm Deus populum suum educturus esset, legatur *c*. 17. *Sapient*, de spectris *Babylonis* verò *c*. 13. & 34. *Esaiæ*; spectrorum quoq; mentio fit in Novo Testamento, ut cùm discipuli Christum sub crepusculo in mari ambulantem, pro spectro habebãt *Matt*.14,26. & cùm post resurrectionem suam, clausis januis subitò stetisset in ipsorum medio, putabant se videre spiritum *Luc*.24.*v*.37.

In historiâ ecclesiasticâ legitur de *Mose Cretensi* impostore Judæo, qui Judæis in *Cretâ* habitantibus persuasit, se esse *Mosen*, ad id cœlitùs missum, ut Judæos illam insulam incolentes per mare traduceret in terram promissam. Cùmque credulum vulgus se commisisset mari, multi perierunt, partim rupis asperitate disrupti, partim aquis suffocati, cumque impostorem illum occidere satagerent, comprehendere eum nequiverunt: evanuerat enim, & multis suspicionem movit, fuisse eum dæmonem alastora, effigiem hominis ad perdendam illam Judæorum gentem, indutum, ut est apud *Socratem lib. 7. histor. eccles. cap. 38.*

In scriptis patrum multa extant exempla spectrorum, quæ ædes reddiderunt infestas. *Refert Augustinus lib 22. de civit. Dei cap. 1.* de infestis ædibus cujusdam Hesperi viri tribunitij, cujus domestici & animalia, à spiritu maligno graviter fuerunt divexati.

De balneis infestis scribit *Gregorius Nyssenus in vita Gregorij Neocæsariensis*, in quibus spectra ingressis plurima attulerint mala, & neminem, qui balnea noctu intrasset, manè vivum exivisse, præter Gregorij Neocæsariensis diaconum.

Similia leguntur apud scriptores prophanos. *Plinius* refert *lib. 2. epist. 27 Athenis* fuisse ædes in quibus umbra ingens & macilenta, catenarum stridore, quibus vincta videbatur, ædes ipsas replebat: propter quam rem jam inhabitare ædes nullus auderet, ad exiguum precium locata est. *Idem habet Sabellicus lib. 10. exempl. 3.*

Idem refert de domo Dionis *Plutarchus in ejus vita*, & de domo Cæsaris Caligulæ, in quâ cùm occubuit, nullam noctem, sine aliquo terrore transactam esse, affirmavit *Suetonius in Caligula.*

Scribit *Cardanus lib. 16. cap. 93.* de rerum varietate, familiam quandam nobilem inter primas Parmæ possidere arcem, in quâ aula est: in ea sub camino videri anum jam à centum annis, quoties ex familia obiturus. Similia exempla vide *apud Wierum lib. 1. de præstig. dæmon. c. 15. & apud Alexand. ab Alexandro lib. 2. genial. dier. cap. 9. & lib. 4. cap. 19.*

*A spectris vel loca vel homines vel bruta infestantur.*

Infestantur ergò à spectris vel loca, vel homines, vel bruta.

Loca sunt vel privata, ut domus, arces, fundi fodinæ metallicæ & similes: vel publica, ut templa, cœmeteria, monasteria, curiæ, thermæ, balnea, maria, flumina, stagna.

Infesta autem sunt vel propter homines, vel propter fortunas hominum.

Propter homines infestantur quædam loca, in quibus impij homines insignioribus sceleribus polluti habitarunt olim, aut adhuc inhabitant: quemadmodum domus Neronis post interfectam matrem spiritibus semper infestata fuit, & domus Ottonis vel locus quilibet, ubi Otto reperiebatur post interfectum Galbum, referente Suetonio: perse-

persequuntur enim maligni Spiritus ultricibus furiis mancipia sua, etiam, dum adhuc vivunt.

Propter divitias infestæ sunt fodinæ metallicæ, & ubicunque thesauri fortè sunt defossi.

Homines etiam diversimodè à spectris divexantur, præsertim in officio publico constituti, aut aliàs opera vocationis suæ facientes: his enim præ cæteris infensus est Satan. Ita ministri ecclesiarum in quibusdam locis infestantur à spectris, peregrinantes sæpè deluduntur ab igni fatuo, cui se non rarò immiscet spiritus tenebrarum, à quo abducuntur in abyssum, in lacum, in loca salebrosa &c. milites excubiarij, venatores, puerperæ etiam, tempore nocturno, multa patiuntur à spectris, quandoque totæ civitates & provinciæ, ut in Ægypto olim tempore Mosis factum. & ante hos 30. annos (anno 1594.) in vicinâ Marchiâ Spandaviæ, Fridbergæ & Berlini, ubi spectra etiam interdiu apparebant, & noctu eos, quos terrere voluerunt, alloquebantur, spargebant etiam nummos, specula, cingula, serta, chartas, quas qui attingebant instar dæmoniacorum in rabiem vertebantur.

Interdum non lædunt spectra homines, sed tantùm terrent, quemadmodum Pictavij in parochiâ S. Pauli, anno 1447. fuit spiritus, qui cyathos & vitramenta frangebat, injectis lapidibus, neminem tamen mortalium præcedentium læsit, *referente Bodino lib. 3. de dæmon. cap. 6.*

Bruta quoq; sentiunt interdum spectrorum malitiam. Hinc audiuntur equi noctu in stabulis hinnire, & cum impetu recalcitrare, vaccæ boare & cornibus ferire, quasi cum spectris luctarentur.

Nihil hic dicam de varietate spectrorum, quæ vel imagine aliquâ adspectabili, vel horribili sono vel risu & cachinno, vel tenuiore stridore, vel etiam verberibus & pugnis molesta sunt, ipsos lædunt homines, aut pecora, confringunt orbes, ollas, patinas & similia vasa: quibus omnibus malignus spiritus aut terrorem incutit miseris mortalibus, aut, ut apud organa diaboli, quæ spectra suis artibus pellere conantur, auxilium quærant, solicitat. Cùm ergò etiam circa has illusiones diabolicas aliqua occurrant, in quibus informandi sunt hominum animi, ne quid contra conscientiam faciant, ideò operæ prætium est, ea sigillatim proponere & explicare quod hoc in capite, Dei beneficio, facturi sumus.

## CASUS I.

### *Num credendum est, animas defunctorum redire, & molestare viventes?*

RESp. Pontificij tria dicunt esse spirituum genera, qui homines & loca infestant; primùm sunt diaboli, *Pontificii statuunt tria spirituum genera.*

boli, deinde animæ hominum ad inferorum supplicia damnatorum, & tertiò illæ, quæ purgatorii pœnis expiantur, ut est apud Petrum Thyræum *part.* 1. *de locis infestis cap.* 3. Sed verosimilius est spectra omnia, quæ molesta nobis esse possunt, esse diabolica. Certissimum enim est, animas defunctorum non redire, sed si quando apparere visæ sunt, illusiones diabolicas fuisse. Aut enim sunt animæ beatorum, & hæ quiescunt *in manu Dei & non patiuntur tormentum* Sap. 3, 1. aut sunt animæ damnatorum in inferno, ex quo nulla est liberatio, nullus etiam ad viventes recursus: quia *magnum inter damnatos & viventes chaos firmatum est, ut ultrò citróq; commeandi non detur locus* Luc. 16, 26.

*Purgatorium est Platonicum figmentum neq; in sacris literis fundamẽtum habet.*

Purgatorium autem figmentum est Platonicum, universæ scripturæ ignotum, quæ non nisi duo animarum loca post obitum notat, cœlum & infernum, *Marc.* 16 *Ioh.* 3.

Unde & Augustinus scripsit, *lib.* 1. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 28. *non est ulli ullus medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo: &* l. 5. *hypog. primum locum fides catholica credit regnum esse cælorum secundum gehennam: tertium penitus ignoramus, imò necesse, in Scripturis invenimus: & serm.* 14. *de verbis Apostoli: non divisiones locorũ dedi, sed duorum tantùm.* Item *inter dextrũ & sinistrũ nullus est relictus medius locus.*

Si ergò statum animarum post hanc vitam considerare velimus, apparebit opinionem de reditu ipsarum omninò frustraneam esse. Animæ defunctorum beatorum ad nos redire nolunt, quia jam sunt in solatio & gaudio cœlesti, ex quo miseriis hic viventium immisceri iterum non cupiunt. Animæ verò damnatorum redire equidem vellent, præ doloribus inferni, præ quibus quasvis potiùs hujus vitæ miserias perpeti cuperent: sed non possunt, quia ex loco tormentorum discedendi ipsis nulla conceditur potestas, *solumq; divinæ potentiæ est animam ex inferno revocare, ait Augustinus serm.* 104. *de temp.* Quod autem Deus hoc facere velit, promissionem nullam habemus.

Imò nulla anima absque corpore suo apud nos oberrare, multò minus sonum aut gemitum, aut etiam vocem humanam edere potest: talia enim per organa corporis fiunt. Corpus autem vel in sepulcro jam in cineres redactum, vel alio modo corruptum est, & à Deo non nisi in novissimo die restituitur animæ suæ: à diabolo autem resuscitari nequit, quia resuscitatio corporum ejus tantùm est, cujus est eorum creatio: inprimis autem Deus non permittit maligno spiritui, ut animas beatorum, quæ jam sunt in requie, turbet, easque hinc inde circumducat: *Dominus enim custodit omnia ossa piorum. Psal.* 34. Ideò non permittebatur Lazaro, ut ex sinu Abrahæ ad fratres divitis epulonis reverteretur, *Luc.* 16. quos enim Deus in sinu suo fovet, hos ad molestandos homines non dimittit.

Quæ-

Digitized by Google

Quæcunque ergò exempla pro apparitione animarum humanarum afferuntur, mera sunt ludibria Satanæ, qui & faciem, & habitum, & gestum, & vocem hominis induere solet, cum aliis vult illudere: id quod etiam opera apparentium umbrarũ testantur, quæ vel falsa persuadent, vel querelis aut etiam externâ violentiâ viventibus molesta sunt: quod est perpetuum diaboli studium, qui propterea pater homicidii & mendacii appellatur. In quam sententiam benè scribit *Chrysostomus homil. 29. in cap. 8. Matth. unde mihi hoc persuadebis? An quia dæmones ipsos clamare, audivisti: anima talis ego sum, verùm hæc quoque oratio à fraude & deceptione diabolica proficiscitur. Non enim anima defuncti est, quæ illa dicit, sed dæmon, qui hæc, ut audientes decipiat, confingit.*

*Objectiones solvuntur.* Augustinus *in libro de cura pro mortuis cap. 10.* de mortuis quibusdam scribit, qui vel in somnis, vel alio quocunque modo apparuerunt viventibus, atque, ubi eorum corpora jacerent inhumata, nescientibus indicasse, locisque monstratis admonuisse, ut sibi sepultura, quæ defuerat, præberetur.

Negat autem ipse, animas fuisse defunctorum, sed imaginem defuncti ait apparere in somno, & indicare aliquid, quod evigilantes postea verum esse cognoscunt, ipsi verò, quorum sunt corpora, penitùs ignorant, & tandem probat cap. 13 animas defunctorum nõ interesse miseriis hominum, & concludit: *ubi ergò sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæcunque aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus, quomodo ergò vident tumulos suos aut corpora sua utrũ abjecta jaceant, an sepulta? quomodo interfuerunt miseriis vivorum, cum vel sua ipsæ mala patiantur, si talia merita cõtraxerunt; vel in pace requiescant, sicut Josiæ promissum est, ubi mala nec patiendo nec compatiendo sustineant, liberati ab omnibus malis, quæ patiendo & compatiendo, cum hic viverent, sustinebant.*

*Lutherus* etiam graviter hac de re disserit *in lib. germanico de abusu Missæ tom. 3. Ienens. germ. fol. 31. cum Christiani simus, inquit, credamus impostorum spectra, quæ molestãt homines, meros esse diabolos, & nequaquam animas defunctorum, qui ideo & vocem & habitum defunctorum simulant, quasi liberari à nobis possint, ut ex divinissimo sacramento & testamento Dei ludibriũ faciant, fidem extinguant, & abominandas nundinationes missæ. (quæ jam totum orbem Christianum occuparũt) erigant & confirment.* Hæc ille.

Hoc ergò indubitatò credamus, animas defunctorum minimè ad nos redire, & sic de nostris defunctis minùs soliciti, & ad resistendum ludibriis Satanæ paratiores erimus.

CASUS

Digitized by Google

*dem modo fieri credimus, ut in somnis quisq; videat mortuum, quomodo fit, ut videat & vivum? ambobus utique nescientibus, neq; curantibus, quis, vel ubi, vel quando eorum imagines somniet.* Hæc Augustinus, qui *cap. 12. ejusdem libri* addit tertium exemplũ, de quodam Curmâ curiali mancipii Tulliensis, quod Hipponi proximũ est, qui graviter decumbens, inter cætera etiam se baptisari vidit ab Augustino, quod tamen factum non erat: postea etiam se in paradisum introductum narravit, dictumque sibi fuisse, cùm inde dimitteretur ad suos: *Vade baptisare, si vis esse in loco illo beatorum*: deinde, ut ab Augustino baptisaretur, admonitus, jam factum esse respondit, cui rursus ille, qui cum eo loquebatur, *vade*, inquit, *verè baptisare, nam illud in visione vidisti*: quo audito Hipponem perrexit, & cum cæteris ab Augistino, rerum illarum ignaro, baptismum accepit.

Visionem istam Augustinus operationes angelicas fuisse credit, per dispensationem providentiæ DEI benè utentis & bonis & malis, secundum inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum, sive, ut instruantur hinc mentes mortalium, sive fallantur; sive consolentur, sive terreantur; sicut unicuique vel præbenda est misericordia, vel irroganda vindicta, ab illo, cui misericordiam & judicium non inaniter cantat ecclesia.

Hæc de visis nocturnis, quæ ὀμωνύμως spectra dicuntur. Pontificii, cùm & animas defunctorum redire, & ut spectra hominibus apparere (quamvis falsa) existiment: ex uno errore nectunt alium, putantes etiam dogmata fidei à spectris illis addisci posse. *Petrus Thyræus part. 1. de locis infestis cap. 3.* scribit: *animas hominum cum corporibus non interire, sed depositis corporibus, vitam aliam vivere, hoc probant & defunctorum spiritus, qui apparẽt, & quos in diversis locis excitant tumultus atq; terrificationes.*

Sed cùm apparitiones animarum post mortem hominis nihil sint, præter ludibria dæmonum, ut antea ostendimus, nihil hic probari potest.

[ *Vide exemplum de animabus quorundam militum apud Thyræum part. 1. de locis infestis c. 1. th. 23.*]

*Gregorius Magnus*, (si ipse autor est dialogorum) *lib. 4. dial. cap. 40.* ex apparitionibus animarum probat purgatorium. Narrat enim animam Paschasii Diaconi, post multum temporis à morte apparuisse Germano Episcopo Capuano in thermis angularibus, cumque Germanus vidisset Paschasium in caloribus thermarum stantem, ipsum quæsivisse, quid illic vir tantus ageret? illum verò respondisse, se ideò loco illi pœnali deputatum esse, quia in schismate Pontificum, in parte Laurentii contra Symachum stetisset, addidisse autem: *quæso tu pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens, me non inveneris.*

Iiii  Addit

Addit *Gregorius* animas defunctorum in loco pœnali constitutas, sacrâ communione juvari, idque probat *cap.55.* exemplo Monachi cujusdam post obitum revertentis.

Quæ omnia Gregorius ex relatione aliorum habet, & adeò fabulosa sunt, ut jam olim multis in ecclesiâ suspecta fuerint, quia Deus in verbo expressè prohibuit, *ne veritatem quæramus à mortuis, Esa.* 8,19. *Deut.* 18, 11. & epulo *Luc.* 16. petens informationem pro fratribus suis per Lazarum defunctum, remittitur ad Mosen & Prophetas.

Quoties ergo legimus apud Gregorium, in historia Lombardica, in fictitia epistola Cyrilli Hierosolymitani, & hujus generis scriptis aliis, animas apparuisse, de tormentis suis conquestas esse, & per suffragia Missarum liberationem petiisse, toties miseriam superiorum temporum deploremus, ubi homines in rebus fidei fabulis circumducti, crediderunt efficacibus erroribus, quia veritati in verbo monstratæ fidem habere noluerunt.

Semper autem insonet auribus nostris lex divina: *ne inveniatur in te, qui quærat à mortuis veritatem, Deut.* 18, 10. 11. Quà de re *B. Luth. prolixè scribit in lib. de priv. Missa tom 2. Ien. fol.* 32. ubi inter cætera hæc addit: *certâ cum fiducia tres hosce testes Scripturæ opponamus spectris Papisticis; Primùm Mosen dicentem, ne quæras veritatem à mortuis; deinde Esaiam: magis consulas legem & testimonium, quàm mortuos. Tertio Abrahamum & Christum, habent Mosen & Prophetas, illos audiant. Neque moveamur magna illa multitudine vigiliarũ, missarum, processionum, templorum & altarium, quæ omnia super responsa spectrorum fundata sunt. Vides enim isthæc omnia à mendaciis diaboli, à miraculis pseudochristorum & pseudoapostolorum* (de quibus Christus prædixit) *dependere, ut totus mundus horrenda idololatria impleatur, quæ in cœlum clamat, & novissimum Dei judicium cum ira ineffabili accelerat &c.* Hæc Lutherus.

Sine dubio *Romanensium* aliqui apparitiones illas animarum pro fabellis habuerunt, sed quia fovebant purgatorium, sine quo culinæ ipsorum friguissent, & retinuerunt eas, & aliis fallaciis & decipulis auxerunt, cujus generis est illud, quòd *Erasmus* in *epistolis* de parocho quodam refert, qui persuasurus populo reditum animarum, nocte præcedente clam immisit in cœmeterium cancros vivos, affixis ad latus cereolis ardentibus. Qui cùm reperent inter sepulcra, visum est noctu terribile spectaculum, nec quisquam ausus est accedere propiùs. Attonitis verò omnibus postridiè persuadere cœpit parochus, esse animas defunctorum liberationem sui è purgatorio per missas efflagitantium.

Hæc est illa efficacitas errorum, quam *Apostolus* prædixit 2. *Thessal.* 2. & inter signa Antichristi retulit, eoque nomine illæ spectrorum informationes meritò nobis suspectæ fiunt.

CASUS

## CASUS III.

### *Quibus de causis spectra tumultuantur, & molesta sunt aliis?*

RESP. Postquam jam constitutum est, quòd spectra omnia sint dæmonum ludibria, operæ pretium est, nosse causas hujusmodi ludibriorum: cognitis enim & vitatis causis, immunes magis erimus à perniciosis illis effectibus.

Multæ autem dari possunt hujus rei sive causæ, sive ἀφορμαὶ & occasiones: præcipuas tantùm annotabimus.

*1. Causa, quia quadã loca superstitioni sunt dedita.*

1. Amant spectra illa loca, in quibus falsa viget religio & superstitiosus cultus, quem diabolus umbris suis fovet, præsertim apud eos, qui à mortuis libenter quærunt veritatem. Ideò quàm primùm dissipatis errorum tenebris lux veritatis illucescit, spectra cessant, quia nullus amplius eorum usus est, quemadmodum vicissim in Papatu, ubi per spectra stabilitur purgatorium, magnus eorum numerus est; in iis autem locis, ubi doctrina evangelii purè sonat, non ampliùs ita tumultuantur: ejicitur enim diabolus per verbum, quemadmodum in primitiva etiam ecclesia factum: in *Iudæa* exorcistæ non ampliùs poterant magicas suas artes exercere, cùm Christus prædicare inciperet evangelium *Luc. cap.* 11. in *Samaria* evanuit magna illa virtus *Simonis Magi*, cùm *Philippus* ibi evangelium annunciaret, *Actor.*8. *Philippis*, cùm *Paulus* doceret, spiritus *Pythonissæ* ejectus est *Actor.*16. item cum *Ephesi* prædicaret verbum, valedixerunt artibus curiosis, & libros magicos combusserunt, *Act.*19.

Ita Patrum nostrorum memoriâ monasteria *Papatus* plena fuerunt spectris & illusionibus dæmonum, nunc ubi per doctrinam evangelii reformata sunt, minor est spectrorum copia. Qui ergo immunis esse cupit ab illusionibus dæmonum, is fugiat doctrinas dæmoniorum.

*2. Causa, quia quadã loca sunt solitaria & deserta.*

2. Amant spectra loca solitaria & non habitata, ut sunt arces, templa, montes, sylvæ, ubi raró visuntur homines. *Ibi enim habitant bestiæ, replentur domus draconibus, & habitant ibi struthiones, & pilosi saltant, & respondent ululæ & sirenes, Esa.*13,21.22. & compertum est, loca illa, quàm primùm ab hominibus habitata fuerunt, à spectris esse liberata.

*3. Causa, quia liberi quidã sunt immorigeri, & in parentes injurii.*

3. Infestant spectra liberos immorigeros, & in parentes injurios, cujus rei exemplum refert *Alexander ab Alexandro lib.* 5. *genial. dier. cap.* 18. de adolescente quodam, qui pravis moribus & incivilibus cùm Dei contemtu diu vixit, in parentes contumelias & intoleranda probra dixit, devotionibus & execrationibus ab his agitatus abiit; hunc dæmon tetrâ & horri-

horribili ſpecie apparens in via clamantem & reluctantem, infeſtis manibus inſectatus eſt, quaſi prehenſurus. Miſer ille quendam propè conſpiciens pallio & manu apprehendit, rogatque, quantum poteſt, ne ſe prehendi pateretur, & ſæpè invocato numine divino, vix tandem dæmonem abegit, quo demum abacto, juvenis in domum viri illius receptus, ſemper pallio aut veſtibus viri adhæſit, tantaque torpedo eum invaſit, ut mente evictâ ſui compos non eſſet, cùm ſibi prorſus repræſentari & ante oculos verſari illa ſpecies videretur.

De *Nerone* ſcribit *Suetonius*, quòd poſtquam matrem *Agrippinam* interfecit, ubique ſpiritus infeſtantes ipſum ſecuti ſunt: *nunquam*, (inquit *Suetonius*) *potuit ſceleris conſcientiam ferre: ſæpe confeſſus eſt, ſe materna ſpecie exagitari, atq; verberibus furiarum, ac ardentibus tædis.*

*4. Cauſa, quia homines quidam ſunt tyranni & crudeles.*

4. Similem ſpectrorum crudelitatem experiuntur, qui propter tyrannidem & crudelitatem, quam exercuerunt in innocentes, famoſi ſunt, ſicut de *Nerone* refert *Xiphilinus in Dione*, quòd ante ejus mortem in curia barbaricum murmur cum riſu multo, & tumultus in theatro cum magno fletu fuerit auditus, cùm tamen nullus ibi hominum eſſet. Et de *Cæſare Caligula* refert *Suetonius*, quòd antequàm ſepeliretur,, cuſtodes hortorum lamiarum umbris inquietati, in domo verò, quâ occubuit, nulla nox ſine aliquo terrore tranſacta fuerit.

*5. Cauſa, quia multa in quibuſdam locis patrantur ſcelera.*

5. Sunt etiam loca quædam ſpectris infeſta ob inhabitantium ſcelera, quemadmodum *Iohan. Diaconus in vita B. Gregor. lib. 4. cap. 93.* ſcribit de fundo *Barbiliano*, quem propter ſcelera incolarum plurimùm infeſtarit dæmon, qui in forma ferocientis tauri nunc oves inſectabatur & fatigabat, nunc gregum ac armentorum cuſtodibus graves moleſtias afferebat, ut etiam quidam ipſorum propter moleſtias ſolum mutare coacti ſint. In multis ædibus crebræ fiunt comeſſationes, ſcortationes, & alia opera immunda: quid mirum, ſi eas etiam infeſtet ſpiritus immundus?

*6. Cauſa, quia quædā corpora inhumata relicta fuerunt.*

6. Nec deſunt exempla, quod loca quædam à ſpectris infeſtata fuerunt, eò, quòd ibi corpora quædam inhumata relicta fuerunt: cujus rei exemplum recitat *Plinius* junior *lib. 7. epiſt. 22.* de ædibus quibuſdam *Athenis*, quas umbra ingens & macilenta, catenarum ſtridore, quibus vincta videbatur, replebat. Quod ſine dubio ſpectrum fuit diabolicum, quod quamvis poſt ſepulturam cadaveris in area domus repertı ceſſit, non tamen uſque adeò de ſepultura hominis ſolicitum fuit, ſed ſuperſtitionem hominum confirmare voluit.

Aliàs refert *Auguſtinus lib. de cura pro mort. cap.* 10. mortuos nonnullos vel in ſomnis, vel alio quocunque modo apparuiſſe viventibus, atque ubi eorum corpora jacerent inhùmata neſcientibus, locisque monſtratis admonuiſſe, ut ſibi

Digitized by Google

sibi sepultura, quæ defuerat, præberetur.

Exempla hujus rei recitat *Thyræus part. 3. de locis infest. cap. 86 th. 20* & *Bozius in lib. 15. de notis eccles. c. 6.* de *Gamaliele*, qui pro se & *Stephano* protomartyre & *Nicodemo* honestiorem sepulturam à *Luciano* presbytero petiit, de *Barnaba*, qui hoc nomine ter molestus fuit *Anthemio Salamini Episcopo*: de *Zacharia* Propheta, qui *Calomerio*, de *Thyrso*, qui unà cum 40. martyribus idem sollicitavit à *Pulcheria Augusta Theodosii Imperatoris sorore*.

De his exemplis & similibus scribit *Augustinus* l. d *angelicis operationibus fieri crediderim, sive permittatur desuper, sive jubeatur, ut aliquid dicere de sepeliendis corporibus suis videantur in somnis, cùm id penitus nesciant, quorum illa sunt corpora. Id autem aliquando utiliter fit, sive ad vivorum qualecunq; solatium, ad quos pertinent illi mortui, quorum apparent imagines somniantibus, sive ut his admonitionibus generi humano sepulturæ commẽdetur humanitas: quæ licet defunctis nõ opituletur, culpanda tamen irreligiositate negligitur.*

Hæ sunt præcipuæ causæ, cur tumultuentur spectra, quarum consideratio nos ad veram pietatem, vitamque castam & honestam excitare debet: nihil enim juris habet in eos Satan, qui in vero Dei timore vivunt, ipsique confidunt, & tandem voluntati & illecebris diaboli non obtemperant. *Qui timet Deum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus, Sir. 34, 16.*

## CASUS IV.

## *Quomodo animus hominis pij se munire & erigere potest contra illusiones & tumultuationes spectrorum?*

RESP. Primùm omnium respiciamus hic ad Deum, sine cujus permissu diabolus, ne pilum quidem incurvare nobis potest. Diaboli enim potentia quidem magna est, sed sub Dei omnipotentia, quâ constringitur & coercetur, ut equus indomitus freno. *R. 1. Respiciendum ad Dei voluntatem & permissionẽ.*

Permittit autem Deus diabolo illam illudendi homines nequitiam, partim propter *impios*, partim propter *pios*. *Cur Deus diabolo istiusmodi illusiones permittat?*

*Impij* plerunque sunt securi, diaboli potentiam non timent, multi etiam non credunt: his sæpenumero contingit, quod *Psalmo 109, 6.* scriptum est, *diabolus stet à dextris ejus*: qui enim Deo & ministros ejus audire nolunt in verbo, his Satanæ larvas objicit DEUS, quas & videri & audire coguntur inviti.

*Pij* hac ratione adducuntur ad considerationem divinæ & angelicæ protectionis contra astutias Satanæ. Nunquam enim meliùs intelligimus, quàm cari simus DEO



Digitized by Google

& sanctis angelis, quàm cum mali angeli nos infestant, & tamen lædere non possunt, Domino supponente manum suam.

Hoc ergò clypeo firmiter nos muniamus, spectra nihil in nos juris habere, nisi Dominus permiserit: quando autem permittit, pietatem nostram & in precando studium exercet, viresque largitur, ne in hac tentatione succumbamus.

*2. Piorum exempla ob oculos ponenda.*

Deinde cogitemus, etiam sanctos homines spectrorum illusiones expertos esse, quemadmodum inprimis *Gregorii, Antonii & Lutheri* nostri exempla testantur: nec tamen eâ re quidquam ipsorum devotioni aut amori, quo complexus eos fuit Deus, decessit. Simile quid si & nobis accidit, nos reputemus pro signo iræ DEI, sed tentatio est, quâ nos in aciem producere, & in pugna cum diabolo fidem & patientiam nostram vult probare: nihilo autem meliores sumus patribus nostris.

*3. Animus præsentia Filij Dei per fidem erigendus.*

Tertiò, erigamus nos præsentia Filii DEI, qui per fidem habitat in cordibus piorum *Ephes.* 3. is fortior est omnibus diabolis, & *in hoc apparuit, ut opera diaboli destrueret* 1. *Iohan.* 3. is jam devicit diabolum, & caput ejus contrivit *Genes.* 3. *Iohan.* 14 expulit eum ab obsessis, ejicere eum quoque potest ex ædibus fidelium, ipse est in medio suorum, *à dextris nobis est, non commovebimur Psal.* 16.

Quemadmodum ergò cives Antiocheni in magno quodam terræ motu sibi invicem acclamabant, στῆτε, χριστὸς μεθ' ὑμῶν: ita & in hujusmodi ludibriis Satanæ nos mutuò alloquamur: state viri, Christus nobiscum est, Immanuel, igneus murus circa nos: *ecce dominus auxiliator meus, quis est, qui condemnet me? Esa.* 50. *v.* 9.

*4. Fiducia in Deum patrem ponenda.*

Accedat quarto loco firma fiducia in DEUM Patrem, qui propter filium suum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, in quem credimus, nos non tradet in potestatem Satanæ, sed protegit nos; ut nihil nos separet à charitate Christi. *Nam in manus suas signavit nos, Esa.* 49. si consistant adversus nos castra, non timebit cor nostrum. Hoc est scutum fidei, de quo Paulus *Ephes.* 6. *in quo possumus omnia tela ignea nequissimi spiritus extinguere.*

*5. Pro auxilio divino orandum.*

Quintò ex fide fiant preces ardentes ad Deum, ut conterat Satanam sub pedibus nostris: *multum* enim *valet oratio justi Iacob.* 5. & ut *Macarius* inquit: *si fuerint Dæmones robustis montibus fortitudine pares, comburentur tamen ab oratione nostra, tanquam ab igne cera.*

*6. Verbum Dei spectris opponendũ.*

Sextò, cum precibus conjungatur verbum, quod est *gladius Spiritus Sancti Ephes.* 6. arripiamus dicta scripturæ, quibus vires diaboli per Christum imminutæ & contritæ docentur, ut: *semen mulieris conteret caput serpentis,* quo dicto metallicus quidam *Friberga* spectrum diabolicum à se abegit, item: *venit filius hominis, ut destruat opera diaboli* 1. *Iohan.* 3.

*han,3. venit princeps hujus mūdi, & in me non habet quidquam Ioh.14,30 cōfidite, ego vici mundum Ioha.16.v.33.* & similia. Fugit enim dæmon verbum Dei, per quod quotidiè regnum suum destrui novit. Hinc *Lutherus* scribit in *Postill.eccles.* Solch Gespügnuß der Geister solt du frey vnd frölich in den Wind schlagen / vnd dich nicht für jhnen fürchten / so werden sie dich auch wol mit frieden lassen. Vnd ists / daß du etwan in einem Hause einen Polter- oder Rumpel-Geist hast / so mache nicht viel disputirens / vnnd wisse / daß da kein guter Geist ist / vnd er nicht von GOTT kommet. Fasse nur den Glauben zu Hertzen / hat jhm GOtt verhänget / dich zu straffen / wie den frommen Job / so sey bereit vnd leide es willig. Ist es aber sein eigē Spiel / so verachte jhn mit starckem Glauben / vnd erwege dich nur frisch auff Gottes Wort / dann er wird dir Gottes Wort nicht abbeissen / da habe keinen Zweiffel.

*7. Vocationi firmiter innitendum.*

Septimo confidendum est in vocatione divinâ, quàm quisque suo loco habet: qui enim legitimam vocationem habet ad rem aliquam perficiendam, etiamsi loca sint infesta, ipsique in medio dæmonum sit laborandum, tutus tamen esse potest: quia *Deus angelis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, manibusq; suis portent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Psal.91.*

Magnum ergò solatium est in quibuslibet adversis, legitima vocatio. Unde *Siracid.* scribit *cap.10,31. in adversis fortis esto animo, & innitere vocationi tuæ: quis enim opitulabitur ei, qui desperat in vocatione sua?* vocationem enim justam, semper divina comitatur protectio.

Ita *Lutherus* spectra sæpè abegit vocatione suâ. *Scio*, dixit ad diabolum, *quòd me Deus in hac domo dominum esse voluit: si tu certiorem vocationem habes, agedum mane hic: sed scio, quod tu non sis harum ædium dominus, sed abyssus tibi paratus est &c.*

*8. Custodia sanctorum angelorum in memoriā revocanda.*

Octavò soletur nos custodia sanctorum angelorum, quâ circumvallavit suos altissimus, sicut scriptum est: *angelus domini castrametatur timentes eum, Psal.34.* Quod & historia *Elisæi 2.Reg.6.* trium puerorum in fornace *Babylonica & Danielis* in lacu leonum testantur *Dan. 3.&6.*

*9. Remissio peccatorum cordi imprimenda.*

Nonò succurrat nobis remissio peccatorum, quàm impetravimus propter Christum. Quibus enim remissa sunt peccata, beati sunt, & in gratia apud Deum, in quibus nihil est condemnationis, proinde nec diabolus quicquam juris in ipsos habet: quo pacto *B. Martinus* diabolum à se abegit, cui cùm agonizanti horrendum spectrum adstaret, masculè illud allocutus est: *quid stas, horrenda bestia? nihil juris in me habes.*

*10. Bona conscientia & pœnitentia præcedens conservanda.*

Oportet autem decimo loco accedere animum verè pœnitentem, bonamque conscientiam, ne nos accusent peccata nostra. *Si enim cor nostrum nos non condemnat, tunc demum*

*mum accessum habemus ad Deum* 1. *Ioh.*3. tunc etiam viriliter cum diabolo pugnare fugareq́ue eum possumus. Mala verò conscientia facit timidos *Sap.* 17. & ubi operibus diaboli interdiu invigilatur, ibi spectra diabolica noctu libenter tumultuantur.

*11. Loca solitaria & tristia quæq; fugienda.* Undecimò, quià spectris immunes esse cupiunt, fugiant loca solitaria, & melancholicam tristitiam: in eremis enim saltant satyri, & caput melancholicum est Satanæ balneum, quâ de re supra plura monuimus: *Casu* 3. *paulò antè.*

Celemus ergò tristitiam quoad ejus fieri potest, ne animadvertat eam Satan: qui interiora cordis perscrutari nequit, *quia solus Deus novit cor filiorum hominum* 1. *Reg.*8.

*12. Spectra non expetenda aut expectanda.* Duodecimò, nemo videre vel audire gestiat spectra, ut temerarii & petulantes nonnulli solent: His facilè obedit Satan, sed magno cum ipsorum periculo, ita, ut eos impii sui desiderii nimis postea pœniteat.

*13 Simulatio spectrorum intermittenda.* Decimotertiò nemo etiam simulet se spectrum esse: Deo enim impius hic lusus displicet; ideò vel permittit dæmoni potestatem in temerarios hujusmodi homines, vel aliis hominibus, ut dum fictitiis ejusmodi spectris se armatâ manu opponunt, ea jugulent.

*14. Sine vocatione spectra non audacter depellenda.* Denique nemo sine vocatione, temerariâ audaciâ adoriatur Satanica spectra, quæ sine DEO non expugnantur.

*Athenodorus* Philosophus ædes infestas *Athenis* inhabitavit, quas nemo incolere voluit, suâque magnanimitate spectrum expulit, ut est apud *Plin. lib.*7. *epist.*27. sed non per levitatem aliquam, sed magistratui locum indicando, ubi spectrum, quod ipse sequebatur, concidit: qui cùm effoderetur, ossa inserta catenis & implicita inventa sunt, quibus ritè sepultis, spectrum postea domum reliquit.

*Gregorius* domum quandam infestam ingressus est, eamque precibus suis à dæmonio liberavit, referente *Iohanne Diacono in vita Gregor. l.*4. *cap.*13.

Sed multi adeò sunt audaculi, ut cum spectris ludere, aut diris & execrationibus ea ejicere conentur, sed magno suo cum malo. Diabolus enim non diris & blasphemiis sed precibus & verbo à pura conscientia tractato cedit.

His mediis fugandi spectra addunt aliqui crebram invocationem sanctorum & imprimis proprii angeli, cui quisque ab orto nativitatis cōmendatus est, *hujus enim*, ajunt, *esse officium, ut contra inferorum potestates mortalibus sit præsidio*, ut loquitur *Petrus Thyræus part.* 3. *de loc. infest. cap.*90. *An ad spectra abigenda invocatio angelorum conducat? R.*

Sed quod neque sancti homines neque angeli sint invocandi, suprà docuimus *lib.* 2. *cap.* 7. *cas.* 1.

Et incertum adhuc est, an quilibet angelum habeat proprium, suæ custodiæ destinatum. Habent pii tota castra angelorum, qui tuentur ipsos à vi dæmonum, propterea autem

tem à nobis non sunt invocandi. Deus autem rogandus est, ut à potestate Satanæ & terriculamentis spectrorum nos immunes præstet.

Contenti ergò simus iis mediis, quæ modò indicavimus, & sic beneficio altissimi, vel à spectris prorsus immunes erimus, vel certè eorum apparitio nobis erit tolerabilis.

## CASUS V.

### *Licetnè salvâ pietate Spiritus apparentes adjurare, ut qui qualesve sint, prodant, quid velint, & quâ de causa molesti sint, significent?*

RESP. Multum hac de re disputat *Petrus Thyraus lib. de locis infestis part. 3. c. 53. an videlicet liceat spectra adjurare? quâ adjurationis formula, quibus ipsa conveniat? quibus locis atque temporibus illa contra spiritus utendum?* Sed non est opus prolixâ disputatione.

Cùm enim ex præcedentibus jam constet, non nisi infernales spiritus esse, qui spectrorum formâ homines molestant, jam modò audivimus, quibus armis ad fugandos eos opus sit. Verbum enim Dei & preces, uti creaturas Dei bonas sanctificant, ita malas omnium optimè fugant, earumque damna à piis arcent.

Quod adjurationem attinet, ea nihil est aliud, quàm obligatio alicuius, quasi iuramento facta, ad dicendum, an aliquid fecerit, necne, vel ut aliquid faciat vel omittat. *Quid sit adjuratio?*

Huiusmodi adjurationem non omnes approbant: nam *Origenes in cap. 27. Matth.* scribit, *eum, qui velit secundum Evangeliū vivere, non debere alterum adjurare.* Sed quàmplurima huius adjurationis exempla extant in scriptura, *Abraham* adiurat servum *Eleazarum*, ut *Isaaco* filio suo, non nisi ex cognatione suâ ducat uxorem *Genes. 24. v. 3.* *Iacob* adiurat *Iosephum* ne in *Ægypto* sepeliatur *Gen. 47. v. 29.* Deus ipse *Pontifici* præscribit formulam adiurandi mulierem, quæ de adulterio suspecta est marito *Num. 5. vers. 19.* *Saul* adiurat populum cum maledictione imprecationis, si quis eo die quidquam gustaverit *1. Sam. 14. v. 24.* *Caiphas* adiurat *Christum Matth. 27. v. 63.* *Paulus Thessalonicēses 1. Thessal. 5. v. 27.* diabolus quoque adiurat *Christum*, ne se torqueat *Marc. 5. vers. 7.* *Exempla adjurationis in scriptura.*

Nuspiam autem legitur in Scripturâ, spectra adiurata fuisse ab homine. Hoc autem legimus, quòd, cùm quidam adiurarint diabolos, ut exeant ab obsessis, *ab ipsis diabolis deprehensi, & in fugam versi fuerint Act. 19. 13.*

Ridiculum etiam est, eos adiurare, ut prodant, quinam sint & quid velint, sive id fiat præceptoriè, sive deprecatoriè, ut *Thyraus* disputat: Unde enim constat, responsa esse



Digitized by Google

à ſpiritu piè defunctorum, & non à diabolo: qui ſe transformare poteſt in angelum lucis.

Fidelibus omnibus extra dubium eſt, ſpiritus piorum non redire ad nos, imò neque impiorum, illi enim in requie ſunt, hi in tormentis, quod ſuprà probavimus *caſ.* 1.

Malignorum ergò Spirituum illuſiones ſpectra ſunt, quos ut adjuremus & quaſi juramento obſtringamus, ut ad nutum noſtrum ſe gerant, operæ pretium non eſt.

Homo pius in virtute Chriſti *imperare* poteſt diabolo, ut moleſtus nobis eſſe deſinat, quod ſi fiat in fide & cum verâ invocatione nominis divini, non erit abſque fructu. *Fides* enim eſt, quæ *vincit mundum* 1. *Ioh.*5.*v.*4. ergò & principem mundi.

Neque opus eſt prolixâ diſputatione cum diabolo, cur venerit, & quare moleſtus ſit? ſcimus enim jam antè ſtudium diaboli eſſe, perdere nos, cui *propterea reſiſtere jubemur in fide* 1.*Pet.*5.*v.*9.

Otioſa ergò eſt tota illa diſputatio de adjuratione ſpirituum, cui tamen *Pontificij* multum tribuunt: quin & pernicioſa eſt, cùm exorciſmis & adjurationibus ſuis vim quandam magicam tribuant, ut conſtat ex exorciſmis, quos apud baptiſandos & energumenos adhibent, ex *Durando lib.* 6. *rational. cap.*83. & *Gregorio de Valentia tom.*4. *diſput.*4. *quæſtion.*6.

***

## CASVS VI.

### *Num ſpectra fugari poſſunt precibus pro defunctis, oblatione corporis Dominici in Miſſa, oblatione cereorum, eleemoſynis, jejuniis & ſimilibus rebus?*

RESp. Varios habent modos *Romanenſes*, quibus ſe à moleſtiis ſpirituum, quos ex purgatorio redire putant, liberare volunt, quorum octo imprimis recenſet *Thyraus part.*3. *de locis infeſt. cap.*74. orationem pro defunctis, ſacrificium Miſſæ, eleemoſynam, jeiunium, reſtitutionem alieni, peregrinationes defunctorum gratiâ ſuſceptas, lacrymas, oblationem cerei & olei.

*Octo potiſſimû rebus Pontificij ſpectra fugare conatur.*

Pro tribus prioribus affert teſtimonium *Auguſtini* ex *ſerm.* 34. *de verb. Apoſt.* pro quarto *Gregorij*, pro quinto *Brigitta ex libr.* 6. revelationum, pro ſexto nullum adducit autorem, peregrinationes tantum commendat: pro ſeptimo citat vitam *Remigij Epiſcopi Rhemenſis*, pro octavo *B. Athanaſium.*

His modis exiſtimant & homines à moleſtiis ſpirituum, & ipſos ſpiritus à pœnis purgatorij liberari poſſe. Rationem afferunt nullam, quàm quòd ſpiritus interdum talia pro ſe fieri expetierint.

Sed

*Examinatur hac Pontificiorum opinio & refutatur.*

*De purgatorio.*

Sed omnis hæc structura remediorum contra apparitiones & molestias spirituum, uno ariete destruitur, quòd videlicet nondum probatum fuerit, nec in æternum probari possit, vel ipsum purgatorium, vel reditus animarum ex eo, vel etiam, quòd animæ illæ viventibus molestæ sint.

Aniles hæ sunt fabulæ, quas suprà ex scripturâ sacrâ refutavimus: proinde si vel millies remedia ista adhibeas, nihil contra spectra proficies. Diabolus enim solus est, qui umbris & spectris suis molestus est hominibus: qui si ad remedia illa *Papistica* tumultuari desinit, suo facit cum lucro, ut videlicet homines in superstitione errorum suorum magis devotos reddat. Libenter enim cedit, & corporum sensus affligere cessat, ubi animam hac occasione in majus periculum conjicere potest.

Media ipsa, quæ eam ad rem adhibentur, magnâ ex parte non sunt licita, defunctis certè nullo modo prosunt.

*De orationibus pro defunctis.*

De orationibus pro defunctis suo loco prolixè egi *lib.2.cap.7. cas. 5.* ubi ostendi, eas nec in V. nec in N.T. pus fuisse usitatas; sed à gentilibus suum traxisse originem, ad quorum imitationem primi quidam Christiani orarunt pro defunctis amicis, sed non ut eos ex purgatorio liberarent, (de eo enim nihil sciebant) sed quia spem resurrectionis habebant, eorum, quos in lætitiâ & spe immobili, (non in tormentis purgatorij) esse sciebant, ut *Dionysius* loquitur *lib. de eccl. hierar. cap.7.*

Tempore *Gregorij Magni* opinio ista cœpit, quasi defunctorum animæ in purgatorio precibus viventium juvari possint, & tamen multi credebant, eas non aliter precibus istis juvari, quàm, quòd se mutuò videbant in tormentis, teste *Durando lib. 4. sent. dist. 42.q.2.*

*De Missis.*

Missis imprimis in depulsione spectrorum multum tribuunt quas *Thyraus c. 82. libri citati* modis aliis omnibus longissimè præfert, ideò in *Concilio Trident. can.6.sess.22.* sub anathematis pœna offerri jubetur pro vivis & defunctis. Imò in *dialogis*, quæ *Gregorio Magno* adscribuntur, refertur, monachum quendam mortuum, & quod 3. aureos in bonis propriis possederat, diù in igne cruciatum fuisse, cùm autem triginta continuis diebus missa pro eo offerretur, apparuisse eum fratri suo, & quòd hodie communionem receperit, indeque sibi iam benè sit, significasse.

Credunt ergò *Romanenses* animas defunctorum non solùm missis juvari, sed & sacram communionem accipere posse.

Verùm, ne quidem ipsi *Romanenses* omnes Missam sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis offerendum credunt. Hoc enim negat *Gropperus in antididagmate Coloniensi, Lombardus lib. 4. dist. 12. autores libri Interim, Pazmannus in Hodego lib. 11 cap.5.§.4.* qui omnes Missam neq; propitiatorium sacrificiũ esse

docent, neque pro defunctis offerendum, sed tantùm nos commonere ajunt, unici sacrificij à Christo in cruce peracti.

Et dogma de Missâ pro defunctis offerendâ in sese satis absurdũ & impium est, quia absolutio à peccatis fit hac in vitâ, per fidelem applicationem unici sacrificij propitiatorij, quod Christus obtulit in cruce semel, *aeternâ nobis redemtione inventâ Hebr. 9. vers. 12.* quâ de re plura dicere hoc in loco non est necesse.

*De eleemosynis, jejunio, & restitutione injustè ablatorum.*

Eleemosynam & jejunium, restitutionem quoque injustè ablatorum nemo piorum est, qui non cõmendet, sed his mediis spectra abigere, aut animas ex purgatorio liberare, ridiculum est.

Pauperum habere curam, ingluviem vitare, ablata restituere debemus, dum vivimus. Hæc enim sunt exercitia fidei, quibus aliis prodesse & fidem nostram in hac vitâ probare possumus, sed defunctis inservire velle, & animas è tormentis liberare, frustrà tentatur.

Ideò *Gregorius*, (aut quisquis libri illius autor est) *lib. 4. dialog. cap. 58.* tutiorem esse viam rectè existimat, *ut bonum, quod quisque post mortem suã sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit per se.*

Interim verum est, quòd homines immisericordes, intemperãtes, injusti & raptores diabolicis molestiis plus aliis sint expositi, à quibus, si quis per liberalitatem in pauperes, per temperantiam & justitiam se, dum vivit, liberare studeat, non repugnamus, quin hoc à Deo impetrari possit.

*De peregrinationibus ad loca sanctorum.*

Peregrinatio ad loca sanctorum prorsus superstitiosa est, inutilis & supervacanea. Si enim ad reliquias sanctorum instituuntur, incertum est, an reliquiæ sint illorum sanctorum, quorum nomina præ se ferũt, siquidem sæpenumerò eædem reliquiæ etiam alibi ostenduntur.

*De precib.*

Si precum gratia hoc fit, eæ *omni in loco* fieri possunt, docente Apostolo *Paulo 1. Tim. 2. volo viros orare in omni loco.* Ideò *Bernhardus epist. 319.* monacho cuidam peregrinationem Hierosolymitanam persuasit, additâ hac ratione: *non terrenam, sed cælestem Hierosolymam inquirere monachorum propositum est, & hac non pedibus proficiscendo, sed affectibus proficiendo.*

*De lacrymis & cereis cum affuso oleo.*

Porrò lacrymis opus est, non ad pellenda spectra, sed ad deplorandam hominum cæcitatem, qui in istâ luce evangelij se ab illusionibus diaboli, sub prætextu animarum ex purgatorio revertentium, circumduci patiuntur.

Cerei item cum affuso oleo defunctis accensi magnam sapiunt superstitionem & stultitiam: inutiles hic impenduntur sumtus. Mortui enim non curant cereos, quos ethnica superstitio accendit: de iis enim *Iuvenalis* scribit:

*Ergo supervacua, aut perniciosa petuntur,*
*Propter quæ fas est, genua incerare decorum.*

Et ut

Et ut uno verbo dicam omnia media ista pellendi molestias spirituum tumultuantium pendent à purgatorio, ad quod stabiliendum nugæ hæ sunt excogitatæ.

*Objectio Pontificiorum solvitur.* Et quanquam exempla multa spirituum apparentium allegentur, qui ejusmodi mediis se liberari è purgatorio petierunt: quid tamen illis narrationibus tribuendum sit, pios Dei beneficio non latet.

Vecordis animi est, fabulis illis, quæ ad colum pertinent, non ad suggestum, delectari, etiamsi etiam magni viri pro superstitione sui seculi, iis fuerint decepti.

Qui ex verbo Dei certus est, purgatorium figmentum esse hominú, animasq; defunctorum ad nos minimè redire, is nec spectra illa bonorum spirituum, (quos vocant,) neque media fugandi ea quidquam curabit.

## CASUS VII.

## *Num reliquiæ sanctorum aliquid præstare possunt ad fuganda spectra diabolica?*

*Pontificij affirmant.* RESP. Multum hoc in genere tribuit *Thyræus* reliquiis sanctorum, ad quarum duntaxat præsentiam, spectra cacodæmonum fugata fuisse, ait *part.3.de locis infestis ca.* 67. & confirmat hoc testimonio *Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Theodoreti*, *Magdeburgensium centur.4.cap.13.* & exemplis quibusdam ex *Baronio* transscriptis.

Communis etiam *Romanensium* doctrina est, reliquias sanctorum, sive integra sint corpora, sive membra, sive vestes, sive pulveres, cacodæmonas pellere, ideò magno studio conquiruntur, thecis preciosis includuntur, & tanquam virtute divinâ præditæ essent, religiosè coluntur.

Sed hujus suæ opinionis neque exempla neque præcepta habent in sacris litteris, quæ solæ arma contra diabolum & ejus spectra subministrant. *Negativa probatur.*

Sancti, præter honestam funerationem, nihil expetiverunt honoris post mortem suam: & si quando in sacris legitur, quorundam ossa cineresque fuisse effossos, ac aliò translatos, id nequaquam sanctis, sed improbis contigit, ob causam aliquam politicam, quemadmodú de ossibus *Saulis* legitur, quòd cum cives *Iabes Gilead* sepelissent ea in nemore *Iabes* 1.*Reg.*31. *David* ea postea in terram *Benjamin* transportari curavit, & in paternum *Saulis* sepulcrum transtulit 2.*Sam.*21. & de *Iosiâ* legitur, quòd, cum sepulcra in excelso *Ierobeam* destrueret, ossa exemit ex sepulchris, & ea combussit super altare: cùm autem intelligeret, non procul inde abesse sepulcrum viri Dei & Prophetæ, mandavit *Iosias*: *finite eum quiescere, & nemo loco moveat ossa ejus* 2. *Reg.*23.

Hæc ergò impiorum pœna est ii. *Impiorum*

 scriptu-

scripturâ eis dictata: *eiicientur ossa eorum de sepulcris suis Ier.* 8, 1. de sanctis verò scribitur, quòd habitent in pulvere terræ, & quòd in *cubiculis suis abscondantur modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio Esa.* 26, 20.

*Ossa de sepulchris sua eiicienda Deus prædixit.*

Multò minus legitur in sacris, quòd ullius hominum ossa vel pulveres defunctorum adhibuerit ad fuganda spectra: nihil dicam, quod incertum sit, an reliquiæ, quæ adhibentur, sint eorum sanctorum, quorum nomina præ se ferunt.

*Reliquiarum incertitudo.*

Nam & *Augustinus* olim conquestus est *libr. de oper. monach. cap.* 28. monachos iam tum *venditasse passim corpora martyrum, si tamen martyrũ:* & extant libri, quibus ostenditur, quosdam ex sanctis *Pontificiis* esse tricorpores, alios tricipites, alios aliâ quapiam ratione monstrosos. Quomodò ergo ex istâ incertitudine certus, & quidem tam insignis colligi potest effectus?

Honoranda sunt ossa cineresque sanctorum, non in sterquilinium proiicienda, sed honestâ sepulturâ afficienda: sed non ampliùs quidquam præsidii contra diabolum ab ipsis expectandum.

Mos iste gentilibus quibusdam usitatus fuit, sed ab antiquissimis patribus, *Iustino, Tertulliano, Arnobio, Lactantio* improbatus.

Posteriores patres in commendandis reliquiis sæpenumero modum excesserunt: *Hieronymus* suo usus iudicio, statuit in *epist. cont. Vigilantium*, pulveres martyrum torquere diabolos: ipse tamen mox addit: *se nocturno phantasmate diabolis delusum noctu basilicas martyrum intrare ausum non fuisse*: & paulò antè scribit, *pro honore martyrum cereos fuisse accensos propter imperitiam secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè dicere possumus: confiteor, Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam. Chrysost. in homil. de nativitate septem Machabæorum*, stylo Rhetorico more suo scribit, *dæmones ubi coronatorum martyrum corpora viderint posita, longè illico à conspectu eorum pavidos fugere*: sed nuspiam iubet corpora aut ossa pulveresque defunctorum effodere, & in loca infesta ad abigenda spectra portari. *Non attendas*, inquit, *cinerem sanctorum corporum, nec favillarum reliquiarum carnis, omniaq; ossa consumta temporibus, sed aperi oculos fidei & vide eos divina virtute & gratia Spir. S. amictos, & divini luminis claritate radiantes.* Hæc ille: non ergo ossa cineresque defunctorum, sed viva vis spiritus Dei, qui regebat eos vivos, abigit spectra.

Recitat *Thyræus* relationem *Theodoreti* ex *histor. S. Patrum c.* 21. quomodo dæmon ipsum cõfodere voluerit, nisi chorum martyrum custodientem ipsum vidisset: intellexit autem per chorum martyrum lecyth[illegible] olei martyrum, qui cùm à multis martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat in eius lecto.

Sed historia illa *S. Patrum* narrat

etiam

etiam mortem *Simeonis* & multa miracula, quæ post mortem operatus est, *cap.26.* Atqui *Theodoretus* ante *Simeonem* mortuus est. Nam *Theodoretus* obiit anno 453. Simeon verò anno 460. ut *Baronius* annotavit *tom.5.hist. Eccles.anno Domini* 424. quomodo ergò *Theodoretus* autor eius historiæ esse potuit? ex quâ tamen ipse *Baronius*, & ex eo *Thyræus* eam recitavit.

Quod *Magdeburgenses* attinet, recitant illi loco allegato, ratione suæ methodi miracula, quæ seculo isto accidisse referunt historici, inter alia etiam, quomodo oracula ethnicorum ad ossa martyrum obticuerint; sed addunt: *hac verò re diabolus paulatim superstitionem de mortuorũ reliquiis, earumq; virtute instillare incautis hominũ mentibus studuit: nam cùm à Deo fascinare homines prohiberetur, is astutè per mendacium & fallaciam, eam vim sanctis mortuis affinxit, ut superstitionem reliquiarum confirmaret.*

Sic Christus quidem venit torquere diabolos, quemadmodum ipsi dæmones fatentur *Matth.5.* ipse enim est destructor regni diabolici: sed de reliquiis sanctorum nihil tale in Scripturâ legitur.

*Chrysostomum* allegat *Thyræus*, qui *homilia 66.ad pop. Antiochenum* scripsisse legitur, *reliquias Sanctorum dæmonas sistere & torquere, & vinctos ab illis solvere sævissimis vinculis*: sed sermo ille non est *Chrysostomi*: quia ex *homiliis ad populum Antiochenum* viginti & una tantùm reperiri dicuntur manuscriptæ in antiquis Bibliothecis, fatente *Bellarmino lib. de script. eccles. ad ann.* 358. illæque viginti & una sunt ex primis illis, quas habet *tom.5. latinæ editionis*, quemadmodum ex *Frontone Ducæo* refert *Robertus Cocus in censura quorundam scriptorum p.* 167.

Negat *Thyræus*, diabolum homines fuga suâ ad cultum reliquiarum invitare, quia cultus reliquiarum in earum rerum genere sint, quæ per se bonæ sunt: dæmonum autem hoc esse ingenium, ut ad bonum invitent neminem. Sed principium petitur: nam eiusmodi cultum reliquiarum, qualis est in *Papatu* usitatus, qui in religiosâ veneratione & circumgestione reliquiarum, & in opinione peculiaris virtutis sanandi ægrotos, fugandi dæmones, &c. consistit, ignorant sacræ literæ: imò impius est & superstitiosus, quia honorem soli Deo debitum transfert ad creaturas.

Proinde etiamsi magna fiant miracula ad reliquias illas, propterea tamen ad fuganda spectra non sunt adhibenda: nam etiam per umbram *Petri*, & per semicinctia *Pauli* in curandis ægrotis facta sunt *Act.5. 14:19,12.* nemo tamen iis rebus spectra abegit.

Neque semper constat, an miracula ista sint à Deo, vel à Diabolo nam & diabolus permittente Deo, ad con- *Diabolus etiam potest miracula.*

*edere ad confirmandam suam idololatriã, Deo permittente.*

ad confirmandam suam idololatriã miracula edere potest. Idcircò *Augustinus libr.22.de civit. Dei c.8.* miraculis ejusmodi tantum non tribuit, quantum Christi & Apostolorum. *Non tantâ ea commendat autoritas*, inquit, *ut sine dubitatione vel difficultate credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur.*

Verissimum quoque arbitramur illud *Abbatis Trithemij lib.8.quæstio. ad Maximilianum quæst.3 ubi veritas non colitur, si qua fiunt miracula, non Deus, sed diabolus operatur. Deus enim cùm sit veritas, religiones falsas non instituit, & ideò suis miraculis mendacium nunquam illustravit.*

Cùm ergò fuga spectrorum à reliquiis sit consequens doctrinæ Antichristianæ, à DEO rem istam esse priùs non credimus, quàm doctrinam Antichristi seu Papisticam à DEO esse firmiter probatum fuerit.

Vnde tandem sequitur, eos, qui spectra diabolica reliquiis sanctorum propulsare audent, doctrinæ falsæ vel patronos vel approbatores esse, licet ignorantes.

## CASVS IIX.

### *Num fortasse ad fuganda spectra aliquid momenti habet signum crucis?*

*Quomodo veteres adhibuerint signum crucis?*

RESP. Solebant veteres: tam in sacris solennibus, quam in communi vitâ digitis in aere formare figuram transversam quasi cruci, quâ se signabant, etiam cùm à spectris molestarentur: quemadmodum *Gregorius Nyssenus* in vitâ *Gregorij Neocæsariensis* scribit, de ejus diacono, qui ex balneis infestis solus evasit illæsus, signaculo crucis munitus, unde adhuc in ore est omniũ proverbium, *Diabolum fugere crucem.*

Sed utebantur hac signaturâ non tanquam in sese esset ad pellendum Satanam efficax, sed tanquam ceremoniâ liberâ & piâ, quæ orationi adjecta animos fidelium ad crucem Christi eveheret, fiduciamque in ipsum ostenderet.

*Fiducia in Christum directa dæmones fugat.*

Quæ fiducia precesque ad Christum directæ dæmones fugiunt, licet externum illud fidei & professionis symbolum non accederet. Et hoc sensu crucis signo se munire contra hostem infernalem fideles absque superstitione possunt.

In quam sententiam *Paulinus Poeta* Christianus *Natali octavo Felicis* rectè cecinit:

> *Nos crucis invicta signum, & confessio munit,*
> *Armatiq; Deo mentem, non quærimus arma*
> *Corporis, & quanquam membris videamur inermes:*
> *Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serenâ,*
> *Contra incorporeos animi decernimus hostes.*

*Crucis signum fidei nostræ confessio.*

Est ergo signum crucis confessio fidei nostræ, & commonefactio

cruci

crucis Christi, per quam regnum & opera diaboli destructa sunt. Crux verò per se diabolum non fugat, sed precibus istam vim Christus tribuit: *hoc genus dæmonij*, inquiens, *non ejicitur, nisi precibus & jejunio Matth* 17, 21. longè aliter hac de re docetur in Papatu, ubi duplicem crucem cōstituunt. unam vocant *transeuntem*, quæ digitis formatur in aëre: alteram *permanentem & constantem*, quæ vel in plano pingitur, vel in solida materia effingitur. Utriq; eam tribuunt efficaciā, quòd vel sola ista crux spectra fuget, transeuntem hoc facere ajunt, ut objectum & causam efficientem; permanentem tantùm, ut objectum, quia eam ferre dæmones nequeant. Per crucem transeūtem majorem dicunt vim inferri diabolo, eò, quod ad odium, quo per se crucem fugiunt spiritus, accedat imperium, in virtute & cum virtute crucis, discessum imperantium & cedere ipsos cogentium; atq; sic cum cruce hîc agunt etiam homines in dæmones, quemadmodum hac de re philosophatur *Thyræus part.3. de loc. infest. cap.* 68.

*Duplex error in Papatu de signo crucis.*

Hoc est, quod superstitiosum hoc in genere dicimus, non ipsam crucis signaturam, qua quis liberè uti, & simul crucis Christi, per quam diabolus devictus est, recordari potest: sed quia causam efficientem, vim & virtutem cogendi dæmones vel in aëre formatæ, vel in solido aliquo pictæ aut effigiatæ cruci tribuunt, quod priscis illis ecclesiæ doctoribus in mentem venisse, minimè credimus.

Diabolus certè lignum aut lapidem, in quacunque figura objectum non curat, aliàs omnes, qui tantummodò cruce se signāt, aut imaginem crucis in sinu gestant, ab infestationibus dæmonum protinus immunes essent, utut aliàs animus ipsorum comparatus esset; quod experientia, quæ stultorum magistra est, satis superque refutat.

Eadem dicta volumus de rebus aliis consecratis, & exorcismis, quibus & ædes infestas, & homines ipsos à spectrorum molestiis liberari posse putant *Romanenses*: hominum hæc inventa sunt, superstitione nutrita, & *papalium* decretorum autoritate confirmata.

*De exorcismis & aliis rebus cōsecratis, quibus in Papatu ad fuganda spectra utuntur.*

Piis certum est & exploratum, diabolum nugas istas non curare; sufficiunt preces, & verbum, cum vero studio pietatis: hæ sunt arma militiæ nostræ spiritualia, quibus qui assiduè utitur, illusiones diabolicas parùm timebit.

Hæc etiam de actionibus hominum circa spiritus bonos & malos, eorumq; administros annotare placuit: & sic *lib. 3. tractatus nostri* finem imponimus.

*Deo immortali spirituum omnium creatori, commendamus animas, corpora & fortunas nostras, quæ omnia ut sanctorum angelorum præsidio custodiat, & à potestate malignorum spirituum immunia præstet, devotè precamur.*

AMEN.



Digitized by Google

# LIBER QUARTUS.

## De actionibus hominum circa res humanas.

## CONTINUATIO.

IN ordine entium creatorum hominem antecedunt spiritus, ob simplicitatem essentiæ, & subtilitatem operationum. Ideò priùs de actionibus in conversatione cum spiritibus & eorum administris agendum fuit, quod hactenus *libro tertio* factum.

Jam in considerationem actionum circa res humanas descendimus: ubi sat multa occurrunt, in quibus informanda est mens humana, ne quid contra conscientiam faciat.

*Quatuor potissimum in homine sunt consideranda: 1. corpus. 2. anima. 3. bona fortunæ. 4. vitæ genus.*

Quatuor autem sunt potissimum in homine consideranda, 1. corpus, 2. anima, 3. bona fortunæ, 4. status seu conditio ejus in quolibet vitæ genere.

Quidam enim ecclesiasticum vitæ genus elegerunt, alii politicum, alii œconomicum.

In singulis sunt multa, quæ ad confirmandam conscientiam, accuratam considerationem postulant.

*Quid hoc in libro expectandū?*

Sed, cùm de his rebus pleraque theologorum consilia agant, integraque volumina extent, in quibus ea posteritati communicata sunt: nos in iis non admodum prolixi erimus, sed præcipua, & non ubivis obvia, pro modulo nostro proponemus.

*Quod ut fiat feliciter, DEUM creatorem hominum & gubernatorem rerum humanarum omnium devotis suspiriis veneramur.*

AMEN.

CAPUT

Digitized by Google

## CAPUT I.

## *De Casibus conscientiæ circa corpus hominis.*

### PROOEMIUM.

NOn agimus hîc de constitutione membrorum corporis, in quibus est pulcerrima συμμετρία, & concinna conformitas, quæ in disputationem contra creatorem non est trahenda, *nemo enim statura sua ulnam adjicere, nec capillum unum album aut nigrum facere potest, Matth.* 5.36. 6.27.

Ideò quilibet eo corporis habitu, quo divinitùs præditus est, contentus sit, præsertim si in corpore sano sanam habuerit mentem.

Nam, ut *Cælius Rhodiginus* scribit *lib. 3. lection. antiquarum cap. 12. alia* ἀνδραποκάπηλος *seu mango corpora laudabit, alia Hippocrates. Ille peregrinis nugis & artificio omni venustatem adsciscit, hic verò adjudicabit pulchritudinem, quæ optimâ constet corporis constitutione, quam ex actu pernoscimus* sicut *Galenus* comprobat *lib. 2. de utilit. partium.*

Sunt autem alia nonnulla, quæ extrinsecus hominum corporibus accidunt, quæ impræsentiarum in considerationem nostram veniunt, vel quoad externum habitum & ornatum, vel quoad damnum, quod ei inferri potest, de quibus jam quid bonâ cum conscientiâ fieri possit, quid omitti debeat, videbimus.

### CASUS I.

### *Num bona cum conscientia habitus corporis externus mutari potest, ne quis ab aliis facilè cognoscatur?*

REsp. Vestes à lapsu protoplastorum suam habere originem Sacræ testantur literæ. Nam cùm ante lapsum nudi essent absque vitio, postea ad impediendum scandalum à Deo ipso vestiti sunt *Genes.* 3. *v.* 21. *Origo vestium.*

Usus autem vestimentorum jam non est unius generis, *primùm* usurpantur vestes *necessitatis causâ*, ad tegendum scilicet & tuendum corpus adversus injuriam aeris: *deinde honestatis causâ*, ad tegenda membra, quæ natura tecta esse voluit: *tertiò ornatus causâ: denique discriminis causâ*, ut nimirum sexus à sexu, natio una ab alterâ, dignitatis status unus ab altero, munus & officium unum ab altero distinguatur. *Usus vestium.*

Hanc ob causam Deus ipse vult conservari discrimen vestium, juxta cujuscunque conditionem atque genus vitæ.

Sacerdotibus ipse vestimenta sua delineavit *Exod.* 28. Aliæ sunt ve-

ſtes ſacræ, aliæ militares, aliæ civiles, aliæ nobilium, aliæ ruſticorum. In quo quiſque genere vitæ à DEO conſtitutus eſt, juxta illud ſe veſtiat, ut ex habitu corporis conditio, & vitæ ſuæ ſtatus agnoſci queat. Ideò Dominus in lege præcepit: *non induetur mulier veſte virili, nec vir veſte muliebri Deuteron. 22. v. 5.* Ita in *Concilio Gangrenſi* quoque prohibitum eſt, ſub pœnâ anathematis, ne mulier virilibus utatur veſtimentis; & in benè conſtitutis Rebuspub. non toleratur illa licentia, ut quis mutet veſtem ſibi ſuoque ſtatui convenientem, quia hæc res cædibus, libidinibus, proditionibus, & ſimilibus peccatis inſervit.

*Achilles*, ne ad bellum *Trojanum* proficiſci cogeretur, ſub fœmineo veſtitu miſſus eſt ad *Lycomedem* regem: ſed hac occaſione filiam ejus ſtupravit.

*Iulius Cæſar* ideò repudiavit *Pompejam*, quod apud eam in ſacris, (quibus ſolis licebat intereſſe fœminis) in templo ſub veſtitu fœmineo deprehenſus fuerat *Clodius*, teſte *Plutarcho in vitâ Ciceronis.*

*Camerarius centur. 2. operarum ſuccisiv. cap. 41.* ex *Busbequio*, refert, quomodo mulier *Turcica* ſub habitu viri, puellam ambierit & duxerit.

*Hercules Omphalæ* ſub habitu muliebri ſervivit, *Leucippus* ſimili habitu cum *Daphne* venatus fuit.

Apud *Dionem Athenodorus* ſub habitu fœmineo importatur ad *Auguſtum*, & gladiū in ipſum ſtringit, non ſeriò, ſed ut deinceps inſidias ſub iſtis larvis metuere diſceret.

Huc referimus *Ieſuitas*, qui licentiam habent qualicunque veſtimentorum genere, ſive militum, ſive mercatorum, ſive nobilium, ſive medicorum aut aliorum utendi, ut eò tutius terras peragrare, aliena expiſcari, & ad commodum ſedis *Romanæ* applicare poſſint. *Ieſuitarum mos.*

Si in Academiis hæreticorum (quos vocat,) verſantur, habitu magiſtrorum liberalium artium incedunt: ſi in aulis principum, ut nobiles: ſi in nundinis, ut mercatores, etiam ut ſutores ac ſartores, &c. de quibus vide *Iohannem Haſenmüllerum in hiſtoriâ Jeſuit. c. 4.*

Quemadmodum igitur dolus omnis, quo quis alteri privatim incommodare poteſt, prohibitus eſt: ita etiam veſtium permutatio non eſt licita, quæ doli cauſâ uſurpatur.

Duo tamen incidere poſſunt caſus, ubi quis abſque peccato habitum corporis mutare poteſt. 1. cum in præſentiſſimo periculo verſatur inter hoſtes, ubi fugâ ſibi conſulere licet, quemadmodum *Paulus* manus *Areta Damaſci* effugit *Act. 9. & Elias Ieſabelem 1. Reg. 19.* Quâ in fugâ nihil prohibet, quin habitum corporis mutemus, ne ab hoſtibus agnoſcamur. *Duo caſus ubi quis abſq; peccato habitum corporis mutare poteſt.*

Quemadmodum enim *David* abſque peccato ſimulavit inſaniam in aulâ regis ethnici *Achis*, cùm ibi de vitâ periclitaretur: 1. *Samuel. 21. verſ. 13.* ita permutatione veſtium etiam periculum vitæ effugere li-

re licet: quo pacto *Theopompus dux Spartanorum*, mutato cum uxore habitu, è carcere elapsus fuit.

2. Cùm quis in legitimo bello exploratoris munere fungitur, nihil refert, mutare corporis habitum. Nam perinde est, sive dolo, sive vi hostem in tali bello vincas. Ita *Rabbini Iudæorum* putant, exploratores *Iosuæ* in urbe *Hiericho*, fabrilia instrumenta in manibus habuisse, ut putarentur fabri: alii dicunt, simulasse se figulos esse, & fictilia eam ob causam venalia proposuisse, ne alicui essent suspecti, referente *Andrea Masio in comment. cap. 2. Iosuæ.*

Huc referunt nonnulli exemplum Christi Salvatoris nostri, qui in habitu viatoris interfuit duobus discipulis *Emauntem* euntibus, quique in similitudine carnis peccati conversatus est in mundo, *Roman.* 8. *v.* 3. cùm debellaturus esset diabolum.

Sed hæc suo loco relinquimus.

## CASUS II.

### *Num peccatum est in comœdiis & aliis ludis theatralibus, larvas induere, aut mutatis vestibus aliam agere personam?*

RESP. Comediarum usum nonnulli prorsus repudiant, non tantùm propter lasciviam, quam conjunctam habent, verùm etiam ob larvas & permutationem vestium, quam à Christianis simpliciter alienam esse debere existimant.

Verùm enimverò comœdiæ, cum sint specula viva eorum, quæ in vitâ humanâ geruntur, in sese non sunt illicitæ, nec sine utilitate, quia mores informant, & ad honestam delectationem alliciunt: modò absit lascivia & obscœnitas cum omni scurrilitate, quæ Christianos non decet. *Comœdia in se non sunt illicita.*

Nuspiam enim legimus in Scripturâ, ludos scenicos simpliciter prohibitos esse: quin potiùs libri *Iob, Iudith & Tobiæ*, judicio *Lutheri*, elegantis comœdiæ formam habent.

Ad actionem verò comœdiarum pertinet repræsentatio personarum, quæ sine habitu fieri non potest.

Ideò, si comœdiarum usus in sese non est illicitus, etiam personam regis aut servi, aut rustici, aut virginis, aut matronæ induere per se nihil habet impietatis.

Voluit equidem Dominus in lege, ne quis vestem muliebrem induat, sed quo sensu hoc dicatur, in præcedente casu exposui, videlicet, cùm ignorante proximo, & deceptionis gratiâ fit, aut in conversatione politicâ, ubi sexum à sexu semper distinctum esse oportet. *Exceptio solvitur.*

Quod larvas attinet, negari non potest, illas vix sine peccato usurpari posse. Deformant enim faciem hominis nativam, reformant opus creatoris nostri, qui cùm imaginem suam etiam ex facie hominis elucere velit, patitur, ut à larvatis *De larvis & mascaradis.*

 in be-

Digitized by Google

in bestialem aut diabolicum vultum, (prout larvæ sunt) transfiguretur.

*Bona facies boni cordis est vestigiũ*, inquit, *Siracides, & Cicero lib. 3. de orat imago animi vultus est, indices oculi*, quod in larvatis fallit: sub larvis multa fiunt contra honestatem & bonos mores: sub larvis tentatur castitas virginum & matronarum: sub larvis luxuriant impudici mores & gestus, insidiæ struuntur aliorum fortunis, & multa majori fiunt cum audaciâ, quæ quis vultu cuivis noto facere timuisset.

Ex his colligere promptum est, quid sentiendum sit de mascaradis, quas vocant, quæ in aulis principum & nobilium, in ludis equestribus, in choreis nocturnis, in Bacchanalibus, & aliâs sunt usitatæ.

Multa quidem recreationis causâ conceduntur principibus viris, quæ cuilibet imitari fas non est, quibus & illa annumerantur: negari tamen non potest, multa esse in aulis inordinata, quæ bonos mores corrumpunt, & pietatem lædunt.

Quam ob causam circumspectos esse oportet eos, qui aulicis ecclesiis præsunt, ut & in talibus recreationibus justa adhibeatur moderatio; in actionibus enim hominum, non tantùm quid liceat, sed & quid honestum sit, videndum est.

Neque desunt exempla, quomodo Deus etiam in magnis viris larvatorum lasciviam ἐπ' αὐτοφόρῳ punierit.

[*Vide Camer: hor: succis: part. 1. ca. 240. de muliere cum personato viro concumbente, quæ Cacodæmonem postea peperit.*]

Inferioris autem conditionis homines, non omnia quæ fiunt in aulis, imitentur. Quilibet enim suum judicium portabit.

Optandum utique esset, ut impia larvarum spectacula in Bacchanalibus, unà cum ipso festo pagano, in nuptiis, & similibus conventibus, prorsus antiquari possent inter Christianos, tanquam facta scandalosa, & multorum scelerum incentiva: quo in genere pius magistratus unà cùm ministerio diligentem impendere deberet operam: sed multa fiunt per conniventiam, à quibus mens pia abhorret; & quæ ferenda sunt, dum emendari non possunt, ibi interim locum habet illud *Aristippi Philosophi: qui verè pudicus est, nec inter Bacchanalia corrumpitur*.

Quilibet autem emendationis initium faciat à seipso, & sic paulatim tota illa vanitas evanescet.

Est autem quidam larvarum usus minimè illicitus: 1. cum alterius saluti per personatos consulitur, quemadmodum *Michol*, cùm *Davidem* per fenestram dimisisset, larvatum simulacrum lecto imposuit, simulans maritum ægrotare, quem his artibus à manibus iniqui regis liberavit 1. *Samuel.* 19. *vers.* 13. quo pertinent personati illi, qui *Lutherum Wormatiâ* redeuntem in itinere aggressi, & in arcem *Wartenburgum*

*Usus quidã larvarum concessus.*

*gum* tanquam in salvum conductum abduxerunt.

2. Cùm loco cadaverum, vel ruina ædium detritorum, aut alio casu mutilatorum, ita, ut propter deformitatem publicè oculis exposita efferri nequeant, substituuntur larvæ quædam, quæ eorum faciem repræsentarent, vel planè involuta, vel vestibus tecta: quæ propterea *larvata funera* dicuntur, de quibus vide *Camerar. horis succisivis part.* 1. *cap.* 96.

## CASUS III.

### *Num quis illæsa conscientia balneis interesse potest, in quibus viri fœminæque promiscuè lavant?*

*Nuditas corporis in se non est inhonesta.*

RESP. Nuditas corporis in sese inhonesta non est. Deus enim hominem nudum condidit, habentem pro veste sanctitatem ac justitiam. Primi quoq; homines in statu innocentiæ nuditate sua non offendebantur: *erat uterq; nudus, & non erubescebant*, inquit, *Moses Gen.* 2. *v.* 25.

*Per lapsum autē facta est scandalosa.*

Lapsus autem hominis naturam ejus corrupit, affectibusque vitiosis replevit, ut homo hominem, præsertim alterius sexus, vix absq; peccato, nudum adspicere possit.

Ideò primi parentes, cùm post lapsum vidissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata *Gen.* 3. *v.* 7. Hinc & *Augustinus* scripsit *contra Iulian. c.* 16. *genitalia membra à Deo condita esse honesta & decora, sed per hominis peccatum facta inhonesta, ita, ut jam tegantur, & Adamum ea post peccatum, propter turpitudinem, quam in eorum motu sensit, texisse.*

Quæ cum ita sint, mirum est, quòd in quibusdam locis *Germaniæ* tolerentur promiscua virorum & mulierum balnea, cùm tamen ea consuetudo facilè mutari queat.

*Exceptioni occurritur.*

Fieri quidem potest, ut mos iste diuturnitate temporis minuat libidinem, quemadmodū *Lerius in descriptione Americæ* affirmat, vagas libidines nō tam ab *Americanis* nudis fœminis, inter quas continuò alicui cōversādum est, excitari, sed eas in simplici & naturali sua nuditate potiùs excusandas, minusq; lascivis moribꝰ esse, quam *Gallicas* mulierculas, quæ elegantibus, & exquisitis vestibus & ornamentis superbire solent.

Quidquid autem sit, nisi animus fuerit continentissimus, per oculos facilè influit ex nuditate objecti incentivum libidinis.

Unde & sanctus *Iob* necesse habuit pacisci cum oculis suis, *ne cogitaret quidem de virgine, Iob.* 31, 1. & Christianorum est, avertere omnia à Repub. quę aliquam inhonestatis & obscœnitatis speciem habent: nam & *ab omni specie mali abstinere* jubemur 1. *Thess.* 5, 22. Talia autem semper habita fuerunt promiscua utriusque sexus balnea, etiam apud ethnicos. Ita enim habet lex Romuli: *qui se nudum à fœmi-*

*à fœminâ videri passus fuerit, criminis capitalis reus habeatur: & Adrianus Imperator*, referente *Dione*, viros à fœminis discretos lavare voluit, quã legem postea *Alexander Severus* confirmavit, ut & *Justinianus Imperator l. ult. C. de repud.* ubi statuit, si vir ad balneum extraneæ mulieris accederet, eum privari debere donatione propter nuptias, mulierem autem dote si cum viro lavaret.

In concilio quoq; *Laodicensi* peculiare extat *capitulum in ord.* 30. quod repetitur in *jure Canonico dist.* 31. *c. non oportet*: quo prohibentur Christianis omnibus, inprimis clericis, communia cum mulieribus lavacra, quia hæc est prima apud gentiles reprehensio.

Quin & *Turcæ* promiscui sexus lavacra ita aversantur, ut capitale sit, viro interesse vel conspici in loco, ubi fœminæ lavant.

*Ignatius in epist ad Philip.* diaboli inventum esse judicat, cùm mares nudantur in conspectu fœminarum, & fœminæ in cupiditatem libidinosorum marium.

Quæ omnia Christianorum animos meritò permovere debent, ut à lascivis illis balneis abstineant, ne objiciatur nobis id, quod *Corinthiis*: *auditur inter vos fornicatio, qualis ne quidem inter gentes* 1. *Corinth.* 5. *vers.* 1.

Etsi enim affectibus suis aliqui etiam in ista conversatione cum mulieribus temperare possunt: non tamen datum hoc est omnibus; aliis autem lascivioribus non est danda occasio libidinum, & simpliciter omne, quod inhonesti alicujus speciem habere potest, à piis alienum esse solet.

## CASUS IV.

### *Rectenè faciunt mulieres, quæ nativam faciem velis & peplis tegunt in publico, ne ab aliis adspiciantur?*

RESp. Quemadmodum summum dedecus est mulierum nuditas corporis, siquidem mulier unà cum veste pudorem deponere dicitur: ita vicissim pudicitiæ causâ corpus, & inprimis faciem tegere mulieribus solenne est.

Sed pro diversitate regionum diversa est tegendi ratio. In *Arabiâ* fœminæ nō caput, sed faciem quoq; ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contētæ sint dimidia frui luce, quàm totã faciem prostituere. Mavult fœmina videre, quàm videri: quas propterea felicissimas ait *Romana* quædã regina, quòd amare magis quàm adamari possint, referente *Tertulliano, de velandis virginibus c.*17. ***Varij variarũ nationum mores in tegẽda muliebri sexus facie enumerantur.***

Consuetudinem illam fœminarum *Arabicarum* commendat *Hieronym*: *illa tibi sit pulcra* inquiens, *illa amabilis, quæ procedens in publicum vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur.*

*Calius*

*Cælius Rhodiginus lib.13.cap.6.* laudat virgines *Patavinas*, quæ non nisi opertâ facie prodeunt visendæ in publicum. Idem de *Spartanis* scribit, quòd apertâ facie virgo, ac convelatâ nuptæ in propatulo viserentur, quoniam virginibus viros sibi prospicere, necessarium sit: mulieribus autem, quos compararint, custodire.

*Chalcedoniæ* mulieres, eum servarunt morem, ut si in alienos viros & magistratus potissimùm inciderent, dimidium retegerent faciei: quæ à viduis coorta consuetudo proserpsit & in eas, quæ junctæ viris forent.

Idem *Cælius* ex *Tacito* refert, *Poppaea Sabinæ* ratos fuisse in publicum egressus, idque velatâ parte oris, ne satiaret adspectum, vel quia sic decebat.

In quibusdam *Germaniæ* locis virgines non tantùm facie retectâ, sed & passis capillis incedunt.

*Tertullianus* autem eo in libro, quem hac de re ex professo scripsit, argumentis persuadere conatur mulieribus omnibus, etiam virginibus, velatâ facie incedendum esse: ubi inter cætera addit *cap.14. ipsa concupiscentia non latendi non est pudica: patitur aliquid, quod virginis non sit, studium placendi utiq; & viris.* Postea sexum fœmineum hunc in modum alloquitur: *oro te, sive mater, sive soror, sive filia, sive virgo secũdum annorum nomina dixerim, vela caput. Si mater, propter filios: si soror, propter fratres: si filia, propter patres: omnes in te ætates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecũdiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos, &c.*

Patet ex his, non errare fœminas, si pudicitiæ gratiâ faciem tegant, eaque ratione oculos lascivorum à se avertant. Nam & sanctæ virgines hoc fecerunt, quemadmodum de *Rebecca* legitur, quòd cùm in conspectum *Isaaci* sponsi sui venisset, pallio faciem operuit *Genes.24. v.65.* Inprimis autem tegumentum capitis, est signum pudoris & reverentiæ: idcirco *D. Paulus mulieres vult velato capite orare 1. Cor.11. v.6. & potestatem habere super caput suum propter angelos vers.10.* *Probatur non errare fœminas, quæ pudicitiæ causa faciem tegunt.*

Cum enim ad sacra convenitur, omnis occasio libidinum & lasciviæ vitanda est: quam ob causam *Romani* sacrificantes omnibus diis, excepto *Saturno*, soliti sunt caput velare, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, ut notavit *Servius in lib.3. Æneid.* referente *Tiraquello in notis ad ca.17. lib.4. Alexandr. ab Alexandro genial. dierum.*

Maximum decus mulierum est honesta capitis velatura, ideò natura huic sexui comam dedit promissiorem, tum operimenti gratiâ, tum ad subjectionis memoriam. *Cur natura sexui muliebri comam dederit promissiorem.*

Hinc *Apulejus* de muliere calvâ: *mulierem etiam venustissimã, si capillitio nudetur, licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquã, Venus ipsa fuerit, licet omni Gratiarũ choro stipata, & toto Cupidinũ populo comitata, & balteo suo cincta, cinnamoma*



Digitized by Google

*momа fragrans, & balsama rorans, si calva processerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem suo.*

Naturali huic operimento succenturiatur id, quod ab arte, ut sunt mitræ, vela, pepla, quæ fœminam nullam dehonestant, & quibus sæpenumero aliorum quoq; lasciviùs intuentium fœminas alienas, custoditur castitas.

Tantum igitur abest, ut velatio capitis & faciei in fœmina, vitiosa sit, ut potiùs bonam laudis partem mereatur.

## CASUS V.

### *Num pulcritudinis causa faciem stibio pingere, & unguentis inungere, aut colores capillorum mutare, absque peccato licet?*

*Pulchritudo Dei donum est.* Resp. Pulchritudo corporis singulare Dei donũ est, qui speciei seu formę generator appellatur, *Sap.* 13,3. & commendatur in Scripturâ in utroq; sexu. *Commendatur in utroq; sexu in sacris literis.* Nam de pulcritudine *Iosephi, Mosis, Saulis, Davidis, Danielis* & aliorum legitur *Gen.* 39, 6. *Act.* 7, 20. 1. *Sam.* 9, 3. 10. 23. 16, 12. *Dan.* 6, 6. inprimis autem prædicatur hoc donum in sexu fœmineo.

*Inprimis in fœmineo.* *Mulier formosa, quæ pudoris sui castos est, sicut lampas est, splendida in cãdelabro sancto Sir.* 26. *v.* 22. *& mulier formosa exhilarat maritum, neq; is carius habet quidquam Sir.* 37. cujusmodi formosæ mulieres magno numero nominantur in scriptura, ut *Sara Gen.* 12, 11. *Rebecca Gen.* 24, 16. *Rahel Gẽ.* 29, 17. *uxor Simsonis Iudic.* 14, 3. 7. *ejusq; soror Jud.* 15, 2. *Abigail,* 1. *Sam.* 25, 3. *Bathseba* 2. *Sam.* 11, 2, 3. *Thamar* 2. *Sam.* 13. *v.* 25. *Abisag Sunamitis* 1. *Reg.* 1, 3, 4. *Esther. Esth.* 2, 7. *&c.*

Ex his omnibus colligimus, non peccare eas, quæ mũditiem corporis custodiunt, comam pectunt, faciem lavant, & formam sibi divinitùs concessam ita ornãt, ut inter vultum humanum & bestialem luculentum appareat discrimen. Sordes enim neq; Deo placent, neq; hominibus honestis: quæ si affectatur in vestitu, aut in vultu sub specie religionis aut humilitatis, ut fit ab hypocritis, peccatum geminatur.

Hinc monet *Hieronymus in epist. ad Nepotian. elegantias & sordes pari modo fugiendas, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.* Et *Augustinus* testis est, in ipsis sordibus luctuosis posse esse jactantiam, & *eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis decipit, lib.* 2 *de sermon. Domini cap.* 11.

Sit ergo modus in rebus: nec negligatur omninò forma, nec nimis exornetur: quò pertinet illud *Martialis lib.* 2 *epigram. in Pannicum, epigr.* 29.

*Pectere te nolim, sed nec turbare capillos:*
*Splendida sit nolo, sordida nolo cutis:*

Quem-

Quemadmodum ergò ſorditiës, ita & nimia formæ cultura hominem exoſum reddit, qualis inprimis eſſe ſolet penes molliores quaſdam fœmellas, quæ nativum vultus colorem aut conſtitutionem arte emendare ſtudent; ſtibio faciem pingunt, unguentis membra polluunt, & adſpicientibus fuçum nauſeamque faciunt.

Quo in genere ad ſtuporem uſq; nonnunquam ſunt ridiculæ, & ad miraculum ſumtuoſæ.

*Tertullianus* ſtultitiam earum eleganter depinxit *in lib. de veland. virgin, cap.*12. *vertunt capillum, & in acu laſciviore comam ſibi inferunt crinibus à fronte diviſis, apertam profeſſæ mulieritatem. Iam & conſilium formæ à ſpeculo petunt, & faciem moroſiorem lavacro macerant, forſitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinſecus jactant, calceum ſtipant multiformem, plus inſtrumenti ad balneas deferunt.* Hæc ille.

Nonnullæ delicatulæ crocodili excrementis faciem polierunt, quibus *Clemens Alexandrinus lib.* 3. *pædag. cap.* 2. jure graviter indignatur: *ter* (inquit) *non ſemel dignæ ſunt, ut pereant, quæ crocodilorum excrementis utuntur, quæ ſpumâ ſepiarum unguntur.*

*De Poppæa Neronis* conjuge refert *Plinius lib.*11. *nat. hiſtor. cap.* 41. quòd quingentas ſecum per omnia trahens fœtas aſinas, balnearum ſolio totum corpus illo lacte macerarit, extendi cutem, & vultus candorem ſervari credens: ajunt enim ab hoc lacte faciem erugari & tenereſcere. Eadem etiam in exilium ſuas ſecum aſinas trahebat.

Idem *Plinius lib.* 28. *N. H. cap.* 12. affirmat, notum eſſe, quaſdam etiam è *Romanis* fœminis quotidiè quingentas aſinas in hanc ipſam curam fovere.

*Probatur, quòd illa pictura faciei ſit impia & illicita.*

Etſi verò non omnes tantos in vanitates iſtas impendere poſſunt ſumtus: in genere tamen omnem iſtam faciei picturam illicitam & impiam eſſe affirmamus, à quocunque fiat. Primùm enim audet homo reformare creatorem ſuum, quaſi non ſatis congruè aut nitidè faciem ſuam formarit, cujus cultum homo corrigere, & in melius emendare magna temeritate audet: ut enim *nemo crinem unum album facere poteſt, aut nigrum*, dicente Christo *Matth.* 6, 27. ita nec cutem, nec colorem ſuum corrigere, ſed ſua quiſque formâ, prout eam à Deo habet, contentus eſſe debet.

1. *à reformationis temeritate*

(2.) Deus temeritatem illam ſuorum correctorum non ſinit impunitam. Nam ut omnis ſuperbiæ vindex eſt, ita inprimis hanc corporis picturam deteſtatur: quod comprobavit in *Iezabele, quæ ſtibio picta, nitidè culta per feneſtram præcipitatâ, & equorum calcibus conculcata fuit,* 2. *Reg.* 9. *v.* 33.

2. *à pœna inſequenti gravitate.*

(3.) Mos ille non fuit ſanctarum fœminarum, quarum ornatus non eſt extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui *abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilita-*

3. *Ab impiarum fœminarum conſuetudine.*



Digitized by Google

*quieti & modesti spiritus* 1. *Pet.* 3. *v.* 3. Idcirco *Esther* ornatum capitis signum superbiæ nominabat *Esth.* 14. *vers.* 16. Impudicarum autem mulierum nota hæc pictura fuit, qualis erat *Iesabel*, de quâ legitur, *quòd ad introitum Iehu pinxerit oculos suos stibio, & ornaverit caput suum* 2. *Reg.* 9. *vers.* 30.

Et pertinent hæc pigmenta ad ornatum meretricium, quo decipiuntur animæ, de quo *Prov.* 7. *v.* 10. Ideò *Iudith*, cùm ad decipiendum *Holofernem*, meretricem se simularet, *lavit corpus suum, & unxit se myrto optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput, & induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitq; sandalia pedibus suis, assumsitq; dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamẽtis suis ornavit se Iudith.* 10, 3.

*4. à corporis humani fragilitate.* (4.) Pugnat hæc pictura faciei cum fragilitate corporum humanorum. Quid enim pingitur, quàm cinis & favilla? & ut habent versiculi:

*Vile quid exornas nitido tam corpus amictu?*
*Quod cras fortè avidis vermibus esus erit.*

Quemadmodum ergò risu dignus esset, qui ligneo sed probè picto & deaurato pede incederet, & alios, qui tam elegantes pedes non haberent, contemneret: ita non risu tantùm, sed & execratione digni sunt, qui pictas suas facies aliorum nativis coloribus superbè præferunt, non cogitantes, se pulverem & lutum ita dealbasse.

*5. à sensu insequentis deformitate.* (5.) Hi pigmentarii nocent sibi ipsis. Nam non tantùm deformitatem suam nativam produnt, si enim pulcræ satis essent, ad scititium istum colorem nunquam adsciscerent: verùm etiam sanitati & nativæ suæ formæ magnoperè obsunt. Experiuntur enim, quòd fuco suo cutis exedatur, corrugetur, & anilis deformitas ante tempus acceleretur. Hinc est illud *Arbitri* scriptoris *Satyrici*: *color arte compositus inquinat corpus, non mutat.*

*6. Ab incentiva ad illicitum amorem cupiditate.* (6.) Nocent etiam aliis, præsertim lascivioribus adolescentibus, quos fucatâ facie alliciunt, & vel illicitis amoribus, vel conjugio intempestivo irretiunt: quod iis non raro contingit, quibus tantùm *oculi sunt in amore duces*, quique formam & venustatem hominis tantùm ex colore externo æstimant: hi nihil nisi cutem in homine amant, magno suo cum periculo.

Nam sicuti sub pariete dealbato sæpenumero cariosa latent tigna, juxta quæ sedere non satis tutum est: ita fucata facies tegit non tantùm cariosum corpus, sed & animum improbum: qui hic externo facilè credit colori, mirum non est, quòd facilè decipiatur.

Quâ de re elegantem habet admonitionem ad adolescentes *Ludovicus Vivus*: *tu stupidã ducis, ait, tantùm propter formã, quod faciunt quidam, quid refert statuã nè habeas aliquam Phidiæ elegantẽ, an talem conjugem.*

*jugem. Miser: cui erit hæc usui ad vitã? ubi exsatiatus fueris spurcâ voluptate, quis reget domũ, cum quâ miscebis sermones, quis ministrabit ægro, quis colloquio fessum & jacentem allevabit, quã habebis in adversis sociam, in latis congratulantem?*

Hinc etiam *Siracides* monet *cap. 9. v. 8. averte faciem tuam à muliere comtâ, & ne circumspicias speciem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.*

*7. à sumptuum dispendio & inutilitate.* (7.) Accedit denique, quòd & pecuniam & tempus inutili istâ diligentiâ se pingendi perdunt. Dementia enim est, sumtuoso labore & laborioso sumtu nihil aliud agere, quàm ut teipsum & alios perdas.

His de causis sancti Patres omnibus temporibus in hujusmodi stultitiam hominum graviter scripserunt.

*Gregor. Nazianzen. in carm. de ornatu mulier: si ob adscititiam formam ita insolescis, nunquam certè pudicum animum habebis, utpote qui fucum averfatur.*

*Chrysostomus homil. 4 in 1. epist. ad Timoth. verecundam honestam nominat, quæ unguentis delibuta non prodit, quæ faciem nequaquam fucis & coloribus pingit, quæ Dei contenta opificio nihil ex se addere quasi arte molitur.*

Inprimis *Augustinus, qui serm. 247. de tempore* in mulieribus faciem fucatam, virilium vestimentorum imitationem, in capillis nativi coloris adulterationem, ad vestes adulterinas refert, quæ sanctarum nuptiarum societate sint indignæ. Inprimis autem in fucum illum muliebrem graviter invehitur: *qui quãtitatem vel formam,* inquit, *quam omnipotens & prudentissimus plasmator finxit, in aliã transfigurare contendit, nonnè evidenter dicere ei videtur, qui se finxit: cur me fecisti sic? Improba temeritas, creatoris plasmata vilificare, ut quantitatem suam & formã, quantum in se est, in aliud transfiguret: quod si à natura haberet, incomparabiliter se habere, doleret. Nec ista dicimus à nobis tanquã ex nobis. Habemus patres nostros doctores egregios, qui ante nos contra ista scripserunt, & irrefragabili autoritate damnarunt. Audiamus Paulum doctorem gentiũ, de superflua capillatura dicentem Corinthiis: vir si comam nutriat, ignominia est illi. Cùm enim vir ex ordinatione Dei primatũ habeat, supra mulierem, qui contra honorem sui sexus superfluitate capillorum caput velat, primatũ suũ sibi abjudicat, ut meritò de eo dicatur: homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est, ut vera dicamus, non tantùm mulieribus, sed etiam jumentis insipientibus. Iudicio enim legum jure ab obtenta dignitate dejicitur, qui privilegio sibi concesso abutitur.*

Audiamus & *B. Cyprianum* egregium martyrem, & suavissimum doctorem, de adulterino habitu disputantem. Dicit enim *in epistola,* quam scribit *de habitu virginũ: opus Dei & factura ejus, & plasma ejus nullo modo adulterari debet in flavo colore vel nigro, vel quolibet denique lineamenta nativa corrũpente medicamine: dicit*

 enim

Digitized by Google

*enim Deus: faciamus hominē ad imaginem & similitudinē nostram, & audet quisquam mutare & convertere, quod fecit Deus? Manus Deum offendunt, quando id, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt, scientes, quod opus Dei est, omne quod nascitur, diaboli, omne quod mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicujus & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato jam consummatoq; simulacro, manus alius afferret, & jam formata, jam picta quasi peritior reformaret; gravis prioris artificis injuria, & justa indignatio videretur.* Et in sequentibus: *non metuis? ne cū resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem removeat & excludat, increpans rigore censoris & judicis dicat: opus hoc meū non est, nec imago hæc nostra, cùm te flavo medicamine polluisti, cùm formam, quam dederā tibi, mendacio deformasti, facies corrupta est, membra aliena sunt, Deum videre non poteris, quoniam oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Audite me itaq; ut parentem, audite quasi vos docentem pariter & monentem: audite utilitatibus vestris consulentem. Estote tales, quales vos Deus artifex fecit: estote tales, quales vos manus Patris instituit. Maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera, à calceamentis superfluis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deum digni &c.*

*Tertullianus.* Similem exhortationem habet etiam *Tertullianus ad mulieres in lib. de cultu fœminarum cap. 13. prodite vos jam medicamentis & ornamentis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi, caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ: taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.*

## CASUS IV.

*Quantum est peccatum in luxu vestium, in quo ferè summus corporum ornatus hodie ponitur?*

RESP. Non omnes credunt, aliquid peccati esse in splendido vestitu, vel enim Deum non curare putant vestes nostras; vel in honorem Dei cedere, corporis tam affabrè à Deo extructi ornamentum. *Excusantium prætextus.*

Nonnulli etiam materias à Deo ideò conditas esse dicunt, ut iis ad ornatum & vestitum corporis utamur: alii satius esse putant, ornare corpus, quàm negligere; laudabilius, excolere, quàm sordibus contaminare.

Sed & hic medium tenuere beati: nam ut sordes vestium neminem delectant: ita nec nimia elegantia, luxus

luxus & fatuitas, quam vestibus ostendimus, laudabilis est.

De luxu igitur vestium hic sermo est, qui partim in superfluitate, partim in varietate, partim in novitate, partim in nimio sumtu, partim etiam in neglectu ordinis & conditionis nostræ consistit.

Ubi face & viatico opus fuerit, recensendis omnibus vestium generibus, quibus membra corporis à capite ad calcem vel muniuntur vel expoliuntur.

Valdè operosi fuerunt hoc in genere nonnulli Ethnicorum: *Persæ Reges* fœminam non admittebant, nisi per annum priùs lotam, comtam, politam, pumicatam, delibutam exornatamq́;, quod inter cætera etiam sacra *Esthera* historia confirmat, *cap.2.v.12.*

*Sybaritæ* ad convivia & sacrificia annum ante consueverunt invitare fœminas, ne quid temporis deesset, corporis cultui parando, teste *Athenæo l.12.* & *Plutarcho in convivio septem sapientum.*

Sed & Christiani hoc in genere ethnicis parùm cedunt, unde omnibus temporibus reperti sunt, qui luxui vestiario, se masculè opposuerunt: apud plerosq́ue autem surdis narravêre fabulam.

*Quantum sit luxuria vestiũ peccatum, probatur: 1. à fine vestium primævo.*

Quantum autem sit peccatum, ita luxuriari in vestitu, ex sequentibus facilè percipi potest.

1. Luxus in vestitu Deo peccata hominum justè punienti in os quasi contradixit. Deus enim homini primo post lapsum vestes fecit ex pellibus, easq́ue in signum reatus ipsi induit: hodie autem pelles istas serico & purpura obducunt, auro & argento, gemmisq́ue pretiosis tegunt, & per id, quod primævi lapsus μνημόσυνον esse debeat, magis magisque in lapsum superbiæ, & prodigalitatis se præcipitant.

*2. à Christi simplicissimo indumento.*

2. Luxus vestium abducit animum hominis ab imitatione CHRISTI, cujus vestis simplex fuit, & non nisi gemina, una interior, quæ vocatur χιτὼν, tunica, altera exterior, ἱμάτιον & toga dicta. Nostri verò homines tantâ simplicitate & frugalitate in vestitu contenti non sunt, sed non tantùm singulos in dies vestes habẽt permutatorias, verum etiam unâ vice corpus suum ita vestibus onerant, ut multi vix ferendo esse possint. Hi non sunt Christi imitatores, sed magnæ illius *meretricis, quæ circundata est purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis Apoc.7,4.*

*3. à vindicta divina supplicio.*

3. Luxus vestium accelerat iram Dei, variasque causatur pœnas. Ideò Dominus filiabus *Hierusalem* minatur *Es.3,16.seqq. decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus carnem earum nudabit. In die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola & inaures, & annulos, & gẽmas in fronte pendentes &c. & ca.17,9. inter* peccata *Hierosolymorum* recensetur; *ornasti te regio unguento, & multiplicasti pigmenta tua.* Chri-

*enim Deus: faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinẽ nostram, & audet quisquam mutare & convertere, quod fecit Deus? Manus Deum offendunt, quando id, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt, scientes, quòd opus Dei est, omne quod nascitur, diaboli, omne quod mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicujus & speciem & corporis qualitatem amulo colore signasset, & signato jam consummatoq; simulacro, manus alius afferret, & jam formata, jam picta quasi peritior reformaret; gravis prioris artificis injuria, & justa indignatio videretur.* Et in sequentibus: *non metuis? ne cũ resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem removeat & excludat, increpans rigore censoris & judicis dicat: opus hoc meũ non est, nec imago hæc nostra, cùm te flavo medicamine polluisti, cùm formam, quam dederã tibi, mendacio deformasti, facies corrupta est, membra aliena sunt, Deum videre non poteris, quoniam oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Audite me itaq; ut parentem, audite quasi vos docentem pariter & monentem: audite utilitatibus vestris consulentem. Estote tales, quales vos Deus artifex fecit: estote tales, quales vos manus Patris instituit. Maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera, à calceamentis superfluis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deum digni &c.*

*Tertullianus.* Similem exhortationem habet etiam *Tertullianus ad mulieres in lib. de cultu fœminarum cap. 13. prodite vos jam medicamentis & ornamentis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi, caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ: taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.*

## CASUS IV.

*Quantum est peccatum in luxu vestium, in quo ferè summus corporum ornatus hodie ponitur?*

*Excusantium prætextus.* RESP. Non omnes credunt, aliquid peccati esse in splendido vestitu, vel enim Deum non curare putant vestes nostras; vel in honorem Dei cedere, corporis tam affabrè à Deo extructi ornamentum.

Nonnulli etiam materias à Deo ideò conditas esse dicunt, ut iis ad ornatum & vestitum corporis utamur: alii satius esse putant, ornare corpus, quàm negligere; laudabilius, excolere, quàm sordibus contaminare.

Sed & hîc medium tenuere beati: nam ut sordes vestium neminem delectant: ita nec nimia elegantia, luxus

luxus & fatuitas, quam vestibus ostendimus, laudabilis est.

De luxu igitur vestium hic sermo est, qui partim in superfluitate, partim in varietate, partim in novitate, partim in nimio sumtu, partim etiam in neglectu ordinis & conditionis nostræ consistit.

Ubi face & viatico opus fuerit, recensendis omnibus vestium generibus, quibus membra corporis à capite ad calcem vel muniuntur vel expoliuntur.

Valdè operosi fuerunt hoc in genere nonnulli Ethnicorum: *Persæ Reges* fœminam non admittebant, nisi per annum priùs lotam, comtam, politam, pumicatam, delibutam exornatamq;, quod inter cætera etiam sacra *Esthera* historia confirmat, *cap.2.v.12.*

*Sybaritæ* ad convivia & sacrificia annum ante consueverunt invitare fœminas, ne quid temporis deesset, corporis cultui parando, teste *Athenæo l.12.* & *Plutarcho in convivio septem sapientum.*

Sed & Christiani hoc in genere ethnicis parùm cedunt, unde omnibus temporibus reperti sunt, qui luxui vestiario, se masculè opposuerunt: apud plerosque autem surdis narravêre fabulam.

*Quantum sit luxuria vestiū peccatum, probatur: 1. à fine vestium primævo.*

Quantum autem sit peccatum, ita luxuriari in vestitu, ex sequentibus facilè percipi potest.

1. Luxus in vestitu Deo peccata hominum justè punienti in os quasi contradixit. Deus enim homini primo post lapsum vestes fecit ex pellibus, easque in signum reatus ipsi induit: hodie autem pelles istas serico & purpura obducunt, auro & argento, gemmisque pretiosis tegunt, & per id, quod primævi lapsus μνημόσυνον esse debeat, magis magisque in lapsum superbiæ, & prodigalitatis se præcipitant.

*2. à Christi simplicissimo indumento.*

2. Luxus vestium abducit animum hominis ab imitatione CHRISTI, cujus vestis simplex fuit, & non nisi gemina, una interior, quæ vocatur χιτὼν, tunica, altera exterior, ἱμάτιον & toga dicta. Nostri verò homines tantâ simplicitate & frugalitate in vestitu contenti non sunt, sed non tantùm singulos in dies vestes habēt permutatorias, verum etiam unâ vice corpus suum ita vestibus onerant, ut multi vix ferendo esse possint. Hi non sunt Christi imitatores, sed magnæ illius *meretricis, quæ circundata est purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis Apoc.7,4.*

*3. à vindicta divina supplicio.*

3. Luxus vestium accelerat iram Dei, variasque causatur pœnas. Ideò Dominus filiabus *Hierusalem* minatur *Es.3,16.* seqq. *decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus carnem earum nudabit. In die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola & inaures, & annulos, & gēmas in fronte pendentes &c. & ca.17,9. inter* peccata *Hierosolymorum* recensetur; *ornasti te regio unguento, & multiplicasti pigmenta tua.*

Chri-

Christus etiam in divite epulone reprehendit, quòd se quotidie *indueret purpura & bysso Luc. 16.* Alibi nimium corporis cultum, aut sollicitudinem pro eo moribus gentilium annumerat: *nolite, inquit, soliciti esse, dicentes, quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? &, de vestimentis quid solliciti estis? hæc enim omnia gentes inquirunt Matth 6. v. 31.* Vestium ergò curam idololatriæ gẽtium adsimilat, Christianos autẽ ante omnia *regnum Dei quærere* jubet.

*4. à magis necessario animi ornamento.* 4. Luxus vestium plerunq; tollit curam animi: quem facilè negligunt, qui in excolendo corpore suo nimiũ sunt seduli. Imò, ut *Bernhardus* loquitur *in Apolog. ad Guilel. Abb. quanto amplius corpus foris propter vanam gloriam componitur atq; ornatur, tantò interiùs anima fœdatur & sordidatur. Non ita curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta virtutibus.*

In hanc sententiam scribit *Cyprianus lib. de disciplin. & hab. virg. med. sericum & purpuram indutæ Christum induere non possunt: auro & margaritis, & monilibus adornatæ ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt.*

Huc pertinet etiam illud Prophetæ *Abacuc cap. 2. vers. 19. ecce iste, cui pectus est ex auro, ex argento, & omnis spiritus non est in visceribus ejus.* Usq; adeò difficile est, corpus simul comere, & animum excolere.

*5. à plurimorũ malorum cumulo.* 5. Luxus vestium plurimorum malorum est fons & origo. Excitat in aliis pravam de nobis suspicionẽ, impedit misericordiam erga pauperes: superbi animi signum est, Dei contumeliam arguit, sumtus inutiliter profundit. Nam ut *Tertullianus* loquitur *in libr. de cultu fœminarum, peryt alius simul in tua forma, si concupierit, & admisit jam in animo, quod concupivit, & factus es tu gladius illi.* Experientia testatur, tenaciores plerunque esse in pauperes, qui in corpus suum nimis prodigi: superbia autem individuus comes est splendidè vestitorum, qui si tales revera non sunt, suspicionem tamen hujus vitii de se concitant. Cur enim domi sordidi satis incedunt, in publicum verò non nisi benè comti & ornati procedunt? inanem quærunt gloriam, & oculis placere volunt aliorum.

Undè rectè dixit *Seneca natural. qq. lib. 3. cap. 18. non sunt homines ad popinam dentibus, & ventre, & ore contenti, oculis quoq; gulosi sunt.* Deum insuper contumelia afficiunt, qui nimis ornati templa accedunt. Non enim ad choreas aut nuptias, non ad ludos scenicos pergunt, non ut sui spectaculum præbeant, adveniunt: sed ut Deum audiant, ut pro peccatis suis deprecentur, quam ad rem nihil facit ista vestium politura.

Sumtibus denique nullis parcunt, qui corporis ornatu cum aliis certant: in splendido enim amictu divitias suas ostendunt, sæpe omnia sua secum portant, sæpè etiam non suis, sed aliis bonis teguntur: nam *6. à sumtuum non necessario dispendio.*

nam quæ corpore ostendunt, mercatori adhuc debent: & ut *Bernhardus* loquitur: *inveniunt curiosi, quo delectentur, & non inveniunt miseri, quo sustententur: cum periculo animæ adquirunt, unde oculos hominum delectet.*

Singula horum vitiorum ultricibus pœnis digna sunt: quid ergo exspectandum est luxui vestiario, in quo tot mala concurrunt?

*Primarius vestium finis quis?*

His probè consideratis, quilibet ita corpus suum vestibus ornet, ne peccata cumulet. Primarius vestium finis, est velatura nuditatis, unde *Hieronymus* ad Lætam scribit: *spernat bombycum telas, serum vellera, & aurum in fila lentescens, talia vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestitu corpora nudentur.*

Deinde ornatus quoque in vestibus Deo non per omnia adversus est, modò vitetur superfluitas, & stulta κακοζηλία exterorum populorum, observetur cujusque conditio & vitæ genus, quod Deus etiam vestium diversitate distinctum esse voluit: semperque cogitetur, vestes esse morum indices, juxta illud *Sirac. cap. 19, 27. amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de eo.*

Gravi & honestis animi signum est vestis gravis & decora: animi verò muliebris, levis, & effæminati, vestis levis atque muliebris: dissoluti verò & sui negligentis, vestis dissoluta & vix sibi ipsi cohærens, quâ tamen hodie multi magnâ sui cum ignominiâ gaudent.

## Casus VII.

### *Num corpus hominis absque peccato flagellis, jejunio, cilicio, aut alia quadam asperiore disciplina affligi ac torqueri potest?*

*Pontificii affirmant.*

RESP. Spontaneas afflictiones corporis, quæ jejunio & cilicio, inprimis verò cruentâ corporis flagellatione fiunt, *Romanenses* pro singulari cultu habent, quo & Deo offenso facilè satisfaciamus, & favorem illius ad ampliora mereamur, ut loquitur *Ieremias Drexelius Iesuita Monacensis in Trismegisto Christiano part. 1. cap. 6. §. 4. pag. 69.* eamque ad rem adducit verba Domini *Lev. 16. v. 29 31. 23. v. 27. Num. 29. vers. 7. 30. v. 14. affligetis animas vestras, omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis, si voverit & juramento se constrixerit, ut per jejunium vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam.*

*Bart. 2. c. 4. §. 3.* multa affert exempla eorum, qui in honorem *B. Virginis* corpus suum jejuniis afflixerunt: inprimis autem flagellationi voluntariæ multum tribuunt, quæ fit in processionibus nudis pedibus, tantâ sæpe cum violentiâ, ut omnia sanguine fœdentur, quam Deo singulariter gratam acceptamque esse gloriantur, adeò ut iste san-

 guis

Digitized by Google

guis: qui Christi amore veroque desiderio agendi pœnitentiam per disciplinas, hoc est, per flagella effunditur, & peccata expiet, & regnum diaboli potenter destruat. Quæ omnia sunt verba *Jacobi Gretseri lib. 2. de disciplin. cap.* 8.

Contra hos furores Papisticos prolixè scripserunt *D. D. Jacob. Heilbronnerus & Georgius Zeamannus in libro cui titulus: Carnificina Esauitica*: nos summa saltem rerum capita tangemus, & quantum sit peccatum, corpus suum spontè lædere sive flagellis, sive jejunio, sive cilicio, sive quovis alio modo fiat, præsertim, si opinio satisfactionis pro peccato, & singularis alicujus meriti accedat, docebimus.

*Temperantia non improbatur à nobis.* Primùm igitur non improbamus illam carnis castigationem, quæ fit subtractione delitiarum, sobrietate & temperantia in victu, laboribus vocationis, precibus & cruce, quibus omnibus edomatur caro lasciva & spiritui subjicitur, de ea loquitur *Paulus* 1. *Cor.* 9, 27. *castigo corpus meum, & aliàs vocatur mortificatio & crucifixio veteris hominis*, de quâ *Apostolus* agit *Rom. 6. vers. 6. vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*, ut *ultrà non serviamus peccato Rom.* 8, 13. *si secundum carnem vixeritis, moriemini: quòd si spiritu facta carnis mortificabitis, vivetis.* Col. 3. v. 5. *mortificate membra vestra, quæ sunt super terrâ, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam malam.* Sic *Apost.* de piis scribit 2. *Corinth*, 4. v. 10. *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.*

*Carnis castigatio Paulina.*

Sed mortificatio seu crucifixio ista nihil habet commune, cum flagellatione aut afflictione corporis Papisticâ: quia illa mortificatio non fit corporis laceratione, sed exuitione corporis peccati; non mediantibus flagris aut loris, sed Spiritu Sancto: non in expiationem peccatorum, sed ad frenendas concupiscentias carnis, & ad inserviendum Deo.

Ut autem corpus nostrum jejuniis maceremus, & flagellis laceremus more Papistico, id à professione verorum Christianorum prorsus alienum esse statuimus, sequentibusque argumentis probamus.

1. Manifestè pugnat cum quinto decalogi præcepto de non occidendo: ubi utrumque est prohibitum, sive teipsum, sive alium occidas: & occidendi voce non tantum privatio vitæ, sed quævis mutilatio membrorum, & voluntaria sive sui ipsius sive alterius oppressio intelligitur.

Huic suo præcepto Deus non est contrarius: ideò cùm in lege populo suo injungit, ut in festo expiationis affligent animas suas *Lev.* 16. nequaquam *Papistica* ista afflictio & flagellatio corporis intelligitur, sed jejunium solenne indicitur, quo ad festivitatem illam præparabantur: quod quidem ad *synagogam Iudaicam* pertinebat, si tamen etiamnum ad festa Christianorum jejuno stomacho

macho, sobriè & temperanter accedatur, nemo est qui culpet, modò opinio meriti aut satisfactionis non accedat.

2. Pugnat, cum interdicto Dei, *Esa.58.v.5.* ubi, cum hypocritæ, qui nullam proximo præstabant misericordiam, jejuniis & ciliciis, quibus corpori molesti erant, se peccatum istud expiaturos putarent, respondit eis Dominus: *nunquid hoc est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium & diem acceptabilem Domino? nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem &c.*

Vides hîc afflictionem corporis Deo minimè placere, si absint opera misericordiæ. In quem sensum etiam *Apostolus Paulus* scripsit: *corporalis exercitatio parùm prodest, pietas ad omnia utilis est, 1.Tim 4.v.8.*

(3.) Pugnat cum præcepto *Apostoli*, qui nos *corporis curam habere* vult *Rom.13.vers.14. carnem nutrire & fovere* jubet, non flagellare aut affligere: *nemo enim propriam carnem odio habuit Ephes.5.v.29.* ideò *Salomon* stultum vocat eum, *qui sibi ipsi mala facere cogitat Prov.24.v.8.* & *Hieronym. de moderandis jejuniis scribit ad Rusticum* monachum: *jejunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachū & majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens est libidinum. Modicus ac temperatus cibus carni ac animæ utilis est.*

(4.) Est abominabile coram Deo, qui spontaneam lacerationem corporis prohibuit in populo suo: *ne vos incidetis*, inquit *Levit.19 v.28.* & *manus sanguine plenas*, ad se in precibus *tolli noluit Esa.1.v.15.*

(5.) *Antichristianum* est, quia spontaneæ afflictionis corporis, eandem vim tribuunt, quam scriptura tribuit merito Christi, nimirùm expiationem peccatorum, imò sanguinem flagellantium cum sanguine Christi miscent, & ex eo unum malagma faciunt: quod absolutissimo Christi merito è diametro est adversum.

(6.) Est *Baaliticum*: nam de *Baalitis* legitur *1.Reg.18. vers.28. incidebant se juxta ritum suum, cultris & lanceolis*, hoc flagellantes moderni, flagellis & loris faciunt: finis utrobique idem est, videlicet reconciliatio cum Deo, & peccatorum expiatio.

(7.) *Hæreticum* est, nam secta flagellantiū circa annum Christi 1260. exorta, & anno 1349. renovata, ab ipso quoque *Papa Clemente IV.* per pœnam excommunicationis repressa. Unde postea *Ioh. Gerson Cancellar. Parisiensis* peculiarem scripsit libellum contra omnes eos, qui seipsos, præsertim publicè flagellant.

(8.) *Ethnicum* est. Nam *Spartani* spontaneæ suæ flagellationi peculiare festum consecrarunt, quam ap-

pellabant Διαμαστίγωσιν, flagellationem, cujus meminit *Tertullianus in lib. ad martyres*, & *Plutarchus in lib. de antiquis Lacedæmonum institutis*. Idem refert de *Luperdis Romanis & Ægyptiis Polydorus Vergilius lib. 7. de rer. inventor. cap. 6.* Quid autem Christianis commune est cum ritibus gentilium? *ne post hæc ambuletis*, inquit *Paulus*, cum magna obtestatione, *quemadmodum reliquæ gentes ambulant, in vanitate sensus sui. Eph. 4. vers. 17.*

(9.) *Est pseudoapostolicum*: nam de *pseudoapostolis* scribit *Paulus Col. 2. vers. 23. quod rationem sapientiæ habent in cultu voluntario, & humilitate, non parcentes corpori*, ubi quasi ex professo refutat Apostolus vitam monasticam in *Papatu*, quæ nihil aliud est, quàm superstitiosum & hypocriticum vitæ genus, in operibus electitiis, in sordibus vestium, & afflictione corporis quærens meritum vitæ æternæ.

(10.) Est *stolidum*, quia afflictio corporis fingitur esse cultus divinus, & tamen non est divinitùs præceptus, qui tamen absque præcepto divino Deum colunt, hi dum videri volunt sapientes, *stulti facti sunt Roman. 1. vers. 22. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum 1. Cor. 3. v. 19.*

Præterea proprium corpus spontè lædere deliri vel excæcati hominis est, cùm *nemo propriam carnem odio habeat Ephes. 5. v. 29.* Hinc *Augustinus lib. 6. de civit. Dei cap. 10. Senecam* introducit, *qui in libro*, quem contra superstitiones scripsit, furiosis illos assimulat, qui, ut Deos suos reconcilient, vel viriles sibi partes amputant, vel laceratos secant. *Tantus est*, inquit, *perturbatæ mentis, & sedibus suis pulsæ furor, ut sic dii placentur, quemadmodum in se homines quidem sæviunt teterrimi, & in fabulas traditi crudelitatis. Tyranni laceraverunt aliquorum membra, neminem sua lacerare jusserunt, &c.*

(11.) *Diabolicum* est, spontaneum effundere sanguinem, præsertim peculiaris cultus causa: dæmones enim homicidæ sunt, & humano sanguine gaudent, præsertim sub prætextu religionis effuso. Quemadmodum *Judæi* olim instinctu dæmonis liberos suos cremarunt *Psal. 106. vers. 37.* Hinc scribit *Lyra in Reg. 38. dæmones delectantur in sacrificiis sanguine hominis, qui est nobilissima creatura ad imaginem Dei facta.*

Nolo urgere, quòd talis spontanea corporis afflictio sit *hypocritica*, & tantùm ad pompam & spectaculum coram hominibus Pharisaicè composita, quodque sit *scandalorum plena*: sufficiant hæc argumenta, quæ luculentè probant, injurias illas corpori voluntariè inflictas, quas sanctuli isti tantoperè prædicant, nec Deo, nec hominibus piis unquam placuisse.

Aliàs non negamus, posse hominem sibi ipsi legem imponere, quâ caro lasciva coerceatur, & in officio contineatur, sed certis adhibitis conditionibus: 1. *ne, quæ imponuntur, sint contra legem caritatis, nec sanitati obsint,*

*obsint, quam aquè ac vitam quantum possumus, tueri debemus.*

2. *Ne præscribantur certa media castigationis*, non enim ad unam communem regulam hæc exercitia corporis redigi possunt.

3. *Non fiant sub opinione cultus aut meriti*, quæ omnia nostra opera etiam divinitùs præcepta salutari suo fructu defraudat, siquidem Deus nec mandatis hominum coli vult, nec alio, quàm Christi merito placari.

## CASUS VIII.

### *Quid statuendum de iis, qui vel in gratiam aliorum, vel religionis, vel gloriæ, vel lucri sui causa, corpora propria lædunt: num hoc sine peccato facere possunt?*

*Varii generis homines, qui corpus proprium lædunt.*

RESP. Paulò ante audivimus, fuisse in gentilitate, qui sibi virilia amputarunt, aut membra lacerarunt, ut Deos sibi conciliarent. Et inter *Donatistas circumcelliones* gloriæ sibi putabant, si seipsos ex petris præcipitarent, in ignem conjicerent, vel aliâ ratione neci traderent, eò, quòd scriptum sit, *carnem esse mortificandum*, item: *qui odit vitam, inveniet eam.*

Sunt alii, qui ob salutem animæ, hoc est, ad vitandas carnis libidines, sibi genitalia præscindunt.

Reperti sunt, qui honestatis causa se membris mutilarunt, & de *Mose* quodam scribitur, qui sibi ipsi pollicem præscidit, & *Ammonius* quidam nasum, ne ad *episcopatum* invitus raperetur.

Inter *Turcas* barbarasque gentes *Indiæ* sunt, qui se in gratiam suorum dominorum, è muris aut turribus præcipitant, aut corpus vulnerant, in signum summæ submissionis & observantiæ.

Reperiuntur etiam agyrtæ & seplasiarii circumforanei, qui ut spectatoribus unguentorum suorum præstantiam commendabilem reddant, brachia perfodiunt, & ad largum sanguinis profluvium semetipsos vulnerant.

Quid de his omnibus sentiendum sit, ex præcedentibus liquet. Nam spontanea corporis læsio crudelitate non caret, quocunque nomine fiat; inprimis autem nihil faciunt, qui castitatis causa seipsos castrant.

*Qui castitatis causa se castrant, libidines augent.*

Nam generationem quidem impediunt, sed non libidines carnis, quæ in castratis crescere solent, ut probat *Chrysost. homil. 63. in Matth. Basil. de virginit. circa fin. August. lib. 6. contr. Julian. cap. 5.*

Hinc in Can. 22. *Apostol.* mutilatio membrorum etiam salutis causa facta, prohibetur, quia non est medium necessarium ad salutem, cùm non membra afferant homini perniciem, sed eorum abusus.

Scriptura hominem nequam vocat, qui semetipsum lædit, *Prov. 24.*

*vers.*8. & adæquè impius est, qui valetudinem, quàm qui vitam suam negligit.

Tales ergo audaculi, qui vel gloriç vel lucri causa se mutilant aut vulnerant, non essent tolerandi, qui non expendunt quanto in pretio sit apud Deum sanguis humanus, quem tam temerarii effundunt.

Immane prorsus est, in propria sævire viscera, à quo & natura abhorret.

Magistratus pius crudelitate subditorum non delectatur, neque ei placet observantia, quæ fit proprii corporis cum jactura.

Stolidum autem lucrandi genus, quod crudelitate constat: & crudeles sunt divitiæ, quæ non nisi cum voluntaria corporis vulneratione adquiruntur, cùm ergo natura etiam ab his abhorreat, non opus erit prolixiore ab his studiis dehortatione.

## CASUS IX.

### *Licetne membrum aliquod corporis abscindere, ut vita conservetur, quæ aliàs absque ista abscissione amittenda esset?*

RESP. Abscissio membri, puta, manus aut digiti ex triplici causa provenire potest 1. *ab intrinseca aliqua causa*, ut à morbo, cùm vel gangræna vel morsus viperæ membrum aliquod infecit: 2. *ab externo aliquo periculo*, ut si quis esset manu alligatus, subitumque exoriretur incendium, quod non nisi manus abscissione effugere posset: 3. *deniq; ex alterius imperio*, ut cùm *Iosephus* Clitoni autori rebellionis cujusdam in *Tiberiade* imperavit, ut si vitam redimere vellet, mox sibi manum abscinderet, referēte ipso *Iosepho lib.*2. *de bell. Iudaic. c.*27. in his casibus quid faciendum, non omnes conveniunt.

Cùm ab interna aliqua causa aut externo periculo metuendum est dispendium vitæ, consentiunt omnes, manum aut digitum potiùs perdendum esse, quàm totum corpus morti tradendum, quemadmodum & medici suadent, ense rescindendum esse, *ne pars sincera trahatur*. Ratio est, quia membra sunt ad bonum totius. Si ergo membrum toti corpori est perniciosum, jus naturæ dictat, secari posse.

Huc referendum est exemplum adolescentis, cujus meminit *Hieronym. in vita Pauli*, qui mordicùs sibi linguam præscidit, & in faciem meretricis, ut se ab impuro ejus tactu tueretur, (cùm aliter non posset) exspuit.

Si vero abscissio membri sit ab imperio tyranni, negat *Petrus à Soto*, eam esse licitam *lib.*5. *quæst.*2. *art.*1. *de justit.* eo, quod nemo in alterius membra jus habeat aut imperium.

Alii & quidem probabiliùs, sentiunt, aliquem ad imperium tyranni in mutilationem membri consentire posse, si aliàs ipsi moriendum esset: quia pars corporis est propter totum

totum: licitum ergò eſt, partem tollere, ut totum ſervetur.

Etſi etiam tyrannus non habet poteſtatem in membra noſtra, nemo etiam pro ſuo arbitrio in membra corporis ſui diſponere poteſt: attamen neceſſitas eſt in homine, quâ preſſus membrum potiùs ad vitam non neceſſarium, quam ipſam vitam amittere eligit.

## CASUS X.

### *Num mutilandum membrum aliquod corporis, ob ſalutem Reipubl. aut alterius cujusdam majoris commodi gratia?*

Reſp. Nonnulli ulteriùs progrediuntur, & mutilationem corporis, etiam citra imperium tyranni, licitam eſſe putant, ſi id in patriæ ſalutem aut majoris alicujus commodi cauſa fiat: quemadmodum *Zopyrus Perſarum dux, referente Herodot. lib. 3.* ſub finem, ſeſe deformiſſima mutilatione affecit, nares & aures ſibi præſcidit, comam deformiter circumtondit, plagasque ſibi inflixit: & ſic vibicibus ac ſanguine adſperſus ad *Babylonios* transfugit, & à *Dario* ſe ita affectum eſſe conqueſtus eſt, cujus injuriæ ulciſcendæ cauſa, ſe ad Babylonios transfugam factum. Quo ſtratagemate *Babylonem* cæpit, & in poteſtatem *Darii Babylonios* tradeg it.

Huc referunt etiam exemplum illius Prophetæ, qui ſeipſum vulnerari juſſit 1. *Reg.* 20. *v.* 37. quod Deo non placuiſſet, ſi vulneratio corporis intrinſecè mala eſſet.

Verum enimvero talia non facilè trahenda ſunt in exempla. Multa Ethnicorum facta non ſunt heroica, ſed temeraria & inanis gloriæ cauſa tantùm ſuſcepta, ac proinde minimè legitima media ad res magnas efficiendum.

Sic multa Prophetarum facta ſunt prorſus extraordinaria, & nemini imitanda, ut, quod ſtercus humanum comedit *Ezechiel*, quod aliquot diebus ſuper uno latere dormiit, &c.

Non ergo probare poſſumus, quòd *Leonh. Leſſius Ieſuita* ſcribit *lib. de juſtit. & jure cap. 9. dubitat.* 14. valdè probabile eſt, ob ſalutem Reipublicæ poſſe me mihi præſcindere nares, aures & labia, ſicut fecit *Zopyrus* &c.

Abſque ratione hæc dicuntur; Nemo enim eſt Dominus ſuorum membrorum, ſed quilibet tantùm cuſtos atque rector ſui corporis, ſalus autem Reipub. aliis mediis conſervari poteſt.

Si tamen certum eſſet, non niſi hac mutilatione membrorum vel tyrannum ad miſericordiam flecti vel aliàs indubitatò Rempubl juvari poſſe, permittendum aliquid eſſet ſponte volentibus: in dubio verò injuria potiùs tyranni ferenda eſſet, quamvis inferenda corpori.

CASUS

Digitized by Google

## CASUS XI.

*Quid verò sentiendum de iis, qui vel exercitij aut animi gratia digladiantur, & sese mutuò vulnerant?*

*Ludi digladiatorij recreationis causa facti duorū sunt generum.*

RESP. Duorum generum ludi sunt, in quibus animi causa digladiationes fiunt, non semper sine læsione corporis. Unum est *priscorum gladiatorum*, cujus specimen aliquod habemus in historia sacra, cùm *Abner* dixit ad *Ioabum*: *surgant pueri, & ludant coram nobis: & surrexerunt 12. de Benjamin, ex parte Isboset filij Saul, & 12. de pueris David: apprehensoque unusquisque capite cōparis sui, & defixit gladium in latus adversarii, & ceciderunt simul 2. Reg. 2. v. 14, 15.*

*Primum genus, cruentum, & illicitum.*

Imprimis autem hoc genus ludi usitatum fuit apud *Romanos*, qui vel homines cum hominibus, vel homines cum bestiis committebant, idque vel in conviviis, vel etiam publicè in foro, quo cruento spectaculo animum explebant suum, adeò ut *Commodus Imperator* inter gladiatores versari maluerit, quàm in curia: Hoc quidem modo explorabant fortitudinem civium, sed fortitudo citra justitiam non est laudabilis *fortitudo ea dicitur, quæ cum virtute conjuncta est*, inquit *Iustinianus Imperator in §. 1. authent. ut omnes pareant judicibus*: nulla enim virtus est in temeraria alterius occasione, quæ Rempublicam facilè bono cive privat.

Proinde tam cruentæ & fatales digladiationes inter Christianos locum meritò non inveniunt. Nam ut *Abbas Panormitanus de Torneamentis cap. Falicis* scribit: *omnes ludi, in quibus periclitatur aut vita hominis, aut salus animarum, omninò tollendi sunt, quòd pugnent cū verbo Dei.* Et Christiani Imperatores digladiationes hujusmodi legibus prohibuerunt, quemadmodum in *C. de gladiator. lex Constantini extat: in otio civili & pace domestica cruenta spectacula non placent.* *Leo* quoque & *Anthemius Impp. in tit. de Feriis l. dies festos*, sanciunt, *ut lacrymosa spectacula ferarum tollantur, quando nimirum homines cum ursis aut leonibus cōmittebantur.* Sic in *proœm. ff. §. illud verò*, scribitur: *quis dixerit ludos, unde oriuntur crimina?*

*Secūdum liberale & licitum.*

Alterum genus ludorum est pugilum, athletarum & luctatorum, etiamnum usitatum, tanquam pars liberalium exercitiorum. Et hoc, si intra terminos suos se contineat, non omninò est illicitum. Non enim damnari possunt omnia exercitia, quibus aut valetudo aut vires corporis exercentur.

Habet etiam hoc genus ludorum suum usum in bellis contra hostem, quem agilitate corporis, & pugilum arte circumvenire multum interest. Omnis autem ars sine exercitio dediscitur.

Quòd

Quòd si quis in eiusmodi ludo in corpore suo læditur, id & rarò fit, & præter voluntatem lædentis.

Si quis verò destinato proposito antagonistam suum inter digladiandum vulnerat, eaque intentione cum ipso congreditur, ut lædat, sive ex odio, sive ex cupiditate lucri fiat, is graviter peccat.

Quæ enim cum detrimento proximi fiunt ex proposito, contra caritatem sunt: quæ caritatem lædunt, bonâ cum conscientiâ fieri non possunt: *caritas enim Dei & proximi, est actionum nostrarum regula & finis.*

## CASVS XII.

### *Numquis bonâ cum conscientia duello provocare alterum, provocatus comparere, & cum provocante congredi potest?*

*Quid hic intelligatur per duellū?*

RESP. Duellum aliàs idem est ac bellum, quia in bello inter duos exercitus fit concertatio. Hîc autem de dimicatione duarum personarum agimus, quam vulgò duellum vocant, commodiùs μονομαχία diceretur, in quâ semper unus est provocans, alter provocatus.

Multùm olim huic generi certaminum tributum fuit, & etiamnum à quibusdam, tribuitur, adeò ut *Fronto rex Daniæ* legem tulerit, ut omnes controversiæ, qualescunque eæ essent, duello definirentur: id quod etiamnum in *Moscoviâ* usitatum esse scribit *Bodinus de Repub. lib. 4. cap. ult.* exempla quam plurima duelli vide apud *Camerarium in Meditat. historicis part. 2. c. 19, 20, 21.*

Etsi autem jura Canonica duellum omninò improbant, & interdicunt, ut est in *Decretalib. de purgat. vulgari, & de clericis duello certantibus, & 2. quæst. 5. c. Consuluistis, ut & in cap. Monomachia*: reperiuntur tamen nonnulli ex politicis, qui hujusmodi monomachiam defendunt, exemplo *Davidis* pugnantis cum *Goliatho* 1. *Sam.* 17. dicuntque hoc genus certaminis, habere speciem aliquam sortis: sortes autem per omnia non damnantur: & qui mollissimè hac de re loquuntur, rem ipsam quidem damnabilem fatentur, quoniam autem toleratur inter principes, ideò se consulere, quomodo eâ sit utendum.

*Politicorū nonnullorū hoc genus certaminis approbantium opinio & rationes.*

Sed si Scripturam consulamus, malè audiunt, qui hoc fine digladiantur, ut alter alterius vitæ noceat. Peccant enim in *Deum, in proximū, & in seipsos.*

*Monomachi peccāt,*

*In Deum* diversimodè: 1. *quòd seipsos ulciscuntur:* nam vindictæ causâ ad digladiationes devenitur. Vindicta autem privata est prohibita quia solius Dei est. *Mihi est vindicta, inquit Dominus, & ego retribuam Deut.* 32, 35. Vnde *Paulus* hortatur *Rom.* 12. *vers.* 19: *non vosmetipsos ulciscentes, carissimi: sed date locum iræ: scriptum enim est: mihi vindictas, & ego retribuam, dicit Dominus.* Vindictam

*1. In Deum quadrupliciter.*

*1. Seipsos ulciscendo.*

dictam illam exercet per magistratum, coram quo causa peragenda esset. Qui autem seipsum vindicat, vindictam Dei non effugiet.

*2. mandatū Dei transgrediendo.*

2. *Quod data opera transgrediuntur mandatum Dei*: is iniunxit nobis, ut diligamus inimicos nostros: & hoc ipso *Christus* filios DEI ab Ethnicis distinxit, quòd hi amicos tantùm, illi etiam inimicos suos diligunt *Matth.5. Luc.6.* Christi mandatum est, ne irascamur proximo, & huiusmodi iram habet pro homicidio *Matth.5.* multo magis homicidæ sunt, qui ex animo irato proximi corpus vulnerant, aut etiam mortem ei data operâ intentant.

*3. domum Dei hostiliter aggrediendo.*

(3) *Quòd domum* Dei *hostiliter aggrediuntur*, & devastare student. Domus enim DEI est corpus cujusvis fidelis, quemadmodum scriptū est: *vos estis templum Dei vivi, sicuti Deus inquit: ego habitabo in eis, & inambulabo, ero Deus illorū & ipsi erunt mihi populus, 2.Cor.6.v.16. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet eum Deus, 1.Cor.3.v.17.*

*4. utilia organa Dei destruendo.*

(4) *Quod utilia organa DEI destruunt.* Inter eos enim qui inter digladiandum pereunt, non pauci sunt, quorum usus in repub. esse potuisset, de quo spes omnis uno quasi momento præciditur. Quemadmodum ergò is, qui vasa domestica petulanter confringeret, sine dubio hoc non impunè faceret, ita, qui utilium hominum corpus lædit, aut vitam perdit, impunitus non manebit. *Homicida enim non habet vitam æternam in se manentem 1.Ioh.3,15.*

*2. In proximum dupliciter.*
*1. in sua viscera quasi sæviendo.*

Deinde peccant digladiatores in proximum. Nam erga eum, quem ut seipsos diligere deberent, adeò inardescunt odio & irâ, ut non nisi de ipso interficiendo aut certè de corpore eius vulnerando cogitent. Et hoc faciunt fratres, qui unum in cœlis habent patrem, in his plusquā beluina est ferocia: nam bestiæ in sua viscera ita non sæviunt, sicut homines mutuis vulneribus & cædibus seipsos conficiunt.

*2. in alterius vitam potestatem sumendo.*

(2) Potestatem sibi sumunt in vitam alterius satis temerè. Nam *tempora nostra sunt in manibus DEI Ps.31.* & nemo potestatem habet in proprium spiritum, nedum eam sibi sumere potest in alienum.

*3. In seipsos quadrupliciter.*
*1. vitā periculo exponendo.*

Denique peccant in seipsos, & primùm quidem in corpus ac vitam suam, cujus adeò sunt prodigi, ut eam ancipiti eventui exponant. Nihil certè inde lucri habent: si vincuntur, tunc vel membris corporis mutilantur, vel etiam animam irâ odioque plenam ex infelici corpore effundunt.

*2. conscientiam homicidio vulnerando.*
*3. pœnas divinas & humanas incurrēdo.*

Si vincunt, homicidæ fiunt, conscientiam propriam vulnerant, & pœnam magistratus incurrunt: quā si maxime effugiunt, Deum tamen ultorem effugere non possunt.

*4. gratia Dei se privando.*

Deinde peccant in animam suā quia se omni gratia privant DEI dum vel aliorum sanguinem sitiunt, vel etiam suum irati effundunt.

Et quanquam multi putant, se tunc

*Q. An satis*

Digitized by Google

*parati sint ad mortem monomachi, si paulo ante congressum utantur S. Cœna? Neg.*

tunc satis paratos esse ad mortem, si paulò ante congressum cum adversario sacrâ utantur Eucharistiâ, seipsos tamen decipiunt. Nam opus operatum, quod absque fide & caritate est, neminem juvat, & sacra cœna non nisi iis prodest, qui benè præparati accedunt, ideoque dignè eam accipiunt. Nulla autem esse potest præparatio in iis, qui plenam habent proæresin vel occidendi vel vulnerandi alium. Animus ipsorum ira & odio adversus proximum ardet, nulla ibi est reconciliatio, quam tamen Christus necessariò requirit ab iis, qui munera sua super altari offerre volunt *Matth.* 5. Non potest talis à Deo petere peccatorum suorum remissionem, quia neque agnoscit peccatum suum, sed in eo pertinaciter pergit, neque fidem habet, quia absque caritate est, neque ipse remittit proximo.

Verissimum ergò hîc est, quod *Siracides* scribit: *homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Ipse caro est, & reservat iram, & propitiationem petit à Deo, quis orabit pro delictis illius? Sir.* 28. *v.* 3. 4. ipse jam ut homicida in judicio Dei condemnatus est *Galat.* 5. 1. *Iohan.* 3. *Apocal.* 22. & quis minister ecclesiæ audebit eum à peccatis absolvere? quis contra tam manifestum Dei verbum sibi gratiam Dei polliceatur? imò auget peccatum, dum SS. cœnâ ad palliandam suam iniquitatem abutitur. Tot ergò modis peccant illi, qui duello congrediuntur: à quo peccato, qui Deum timet, magistratum honorat, proximum diligit, & propriæ salutis non est prodigus, omnibus modis abstinebit.

*Objectiones digladiantium solvuntur.*

Habent autem digladiãtes, quod suæ prætexunt impietati, 1. provocant ad consuetudinem antiquissimam multarum personarum illustrium, qui lites inter se ortas ferro dirimerunt.

Sed meritò locum hic habet illud *Cyprian. consuetudo erroris non facit errori patrocinium: & quod ante multa secula injustum fuit, nemo hodie justificare potest.* Quàm impia autem illa sit consuetudo, ex præcedentibus constat.

Proinde quemadmodum apud Deum non est respectus personarũ; ita neminem vel generis claritas, vel muneris sui splendor excusabit, qui contra illa fulmina verbi divini, quę suprà audivimus, aliquid attentare audet.

2. Dicunt, fieri hoc, vel magistratu Christiano jubente, uti suprà de rege *Daniæ* audivimus, qui in re dubiâ veritatem armis explorari voluit; vel tacitè approbante, dum non punit. Quemadmodum *Frideric. II. Imperator* ad duella rescripto publico connivere videtur.

Respond. Magistratui obediendum non est in iis, quæ sunt contra Deum & justitiam, aut caritatem proximi. *Deo n. magis obedire oportet, quam hominibus Act.* 5. Ideò rescripta, impia puta, quæ pugnant cum

mandatis divinis, corrigenda sunt, vel abroganda.

Deinde opponenda his sunt exempla aliorum Christianorum magistratuum, qui gravissimas pœnas in digladiatores statuerunt, quo nomine præ cæteris celebres sunt, *Ludovicus IX. Galliarum rex, & Fridericus III. Elector Saxoniæ*: quorum ille aulicis suis sub pœnâ capitis; hic in legibus *Academicis* provocanti sub pœnâ exclusionis, provocato verò, sed comparenti sub pœnâ relegationis digladiationes & duella prohibuit. Viderunt enim sapientissimi principes, in quod periculum digladiantes, & se & suos conjiciant, quod se veritate istâ præcavere voluerunt.

3. Quidam ad *Davidis* exemplum provocant, qui singulari certamine cum *Goliatho* de summa rei feliciter decertavit.

Sed singularia & heroica facta sanctorum, non sunt trahenda in exemplum. *David*, non sine instinctu Spiritus S. prosiliit, inermis juvenis, & opilio, sed futurus populi sui salvator, quem in libertatem adserturus erat, & in hoc ipso typus Christi Salvatoris futurus: quæ omnia alius quispiam non sine temeritate imitaturus fuisset.

Præterea David congrediebatur non cum fratre, aut socio fidei: sed cum infensissimo populi DEI hoste, qui & Deum blasphemiis, & universos Israelitas convitiis proscindebat. Quid autem hoc ad eos, qui licet ejusdem religionis sint & professionis, fratres & commilitones, sæpè tamen leviculâ de causâ ad arma prosiliunt, mutuaque vulnera, si non mortem ipsam, sibi intentant?

4. Duello, inquiunt, rei occultæ probatio fieri potest, utrum alicui injuria fiat, nec ne, cùm veritas aliâ viâ neque per testes, neque per tabulas, aut indicia alia indagari queat.

Et negari non potest multum olim huic generi probationis tributum fuisse. Sed est unum ex illis, cuius generis est probatio per candens ferrum, aquam, oleumve, de quâ videatur *Aventinus lib. 4. annal.* Tales probationes dicuntur vulgares, quòd sint vulgarium hominum, & vim probandi non habeant neque à jure, neque à legibus: ideò plerumque fallunt, acciditque, ut qui justiorem habet causam, istâ probatione succumbat; id quod justo Dei fit judicio, quia nuspiam legitur ipsum voluisse, ut probatio juris vel innocentiæ instituatur duello.

Carent ergò isti verbo, deficiente verbo, deficit etiam fides: quidquid autem absque fide fit, peccatum est *Rom. 14. vers. 23.* Sic ergò digladiantes datâ operâ se peccato polluunt: magistratus autem, qui hoc permittit, Deum tentat, ut quasi signo dato innocentiam aut jus hominis ostendat: interim, ut contra quintum præceptum alter alterius vitæ vim intendat, impiè permittit.

Legi-

*Quænam sint legitima media inquirendi veritatem?*

Legitima media inquirendi veritatem in re dubiâ monstrantur in Scripturâ. (1.) testimonia duorum vel trium *Deut.19.v.15.* (2.) tabulæ seu chirographa, ut *Ierem.32.v.10.* cùm *Ieremias* emisset agrum in *Hierusalem*, conscriptæ sunt & obsignatæ tabulæ, & cùm *Tobias* à *Gabele* petiturus esset debitum, ostendit ejus chirographum. (3.) publica confessio, sicuti *Josua* jussit *Achanum* fateri publicè delictum, gloriamq; dare Deo *Ios.7.v.20.* (4.) juramentum, quod *Apostolus* finem controversiarum omnium nominat *Hebr. vers.16.*

Si magistratus his mediis nihil potest expiscari, præstat absolvere reum, & rem occultam Deo commendare, quam dubio duelli eventui committere: nam quæ Deus nobis abscondita esse voluit, nobis investigare non licet.

5. Dicunt, vitam & famam pari ambulare passu, omnem existimationem & famam prostitui, si quis provocatus non compareat, & hanc ignominiam toti familiæ inuri. Quę ratio valde exaggeratur ab iis, qui tantùm quærunt gloriam apud homines, gloriam autem apud Deum non curant.

Sed Christiani sciunt, *nihil ex cõtentione aut inani gloriâ* faciendum esse *Phil.2.v.3.* Satius est rem legibus coram magistratu, quàm proprio arbitrio, ferro & armis decidere. Vita & fama hoc in genere nõ semper pari passu ambulant. Vita quæ perit, si semel auferatur, non restituitur. Famam qui petit, nõ semper aufert, qui enim faciles sunt ad injurias alteras inferendas, ipsimet ob levitatem istam famâ laborant. *Dementia autem est*, inquit, *Seneca, vereri, ne diffameris ab infamibus.* Si quis sub periculo famæ & honoris sui aliquem scortari aut latrocinari juberet, sine dubio is, qui non obtemperat, honorem suum non amitteret, sed tum demum, si pareret: ita etiam, qui temerè, & contra jus divinum legesq; humanas provocanti non obtemperat, honorem suum non perdit, perderet autem, si pareret, quia contra expressum Dei interdictum, seipsum vindicaret, ex proæresi proximum læderet, & vitam suam periculo exponeret. Hoc demum famam omnium maximè lædit, cùm quis contra leges divinas & humanas ex destinato proposito facit: quod à digladiantibus fieri nimis certum est: qui dum consulunt famæ & familiæ suæ, malè consulunt communi professioni Christianorum, quorum est, benefacere & malè audire.

6. Dicunt: ad minimum in bello res committenda est duello, ne fortè totus pereat exercitus: præsertim cùm ex una parte causa belli justior est, & copiæ infirmiores, ubi præstat rem omnem in duorum periculo constituere, quam totum exercitum periculo exponere.

Sed nondum hæc satis gravis causa est duelli, sed speciem diffidentiæ habet. In legitimo bello innitendum est bonitati causæ, fa-

ciendum interim, quantum in viribus nostris est: Deo autem eventus committendus, certâ cum fiduciâ, quod per paucos æquè justam defendere possit causam, ac per multos, quod & sæpissimè fecit, inprimis *Iud.*7.21. *Sam.*14,14.

7. Dicunt, latronem licet aggredi gladio, cur non & illum, qui conviriis aggreditur famam & existimationem meam?

Sed diversissima hic est ratio. Nam latro subito obruit alterum, contra quem se defendere, juris est naturalis. Sed digladiantes ex condicto conveniunt, & ut alter alterum vel vulneret vel occidat, propositum habent, etiamsi res coram legitimo magistratu citra læsionem famæ facilè transigi potuisset.

8. Sortium quoque exempla afferunt, ex quibus de rebus dubiis absque peccato judicari solet.

Sed exemplum planè est ἀπροσδιόνυσον. Nam ut sortes cadant, sine tamen cuiusque vitæ periculo cadunt: neque enim in rebus vitam & salutem hominis concernentibus admittuntur: neque etiam propositum ibi est nocendi proximo, uti fit in digladiationibus: sed eventus Deo committitur, in cujus etiam voluntate, utut ceciderint sortes, patienter adquiescitur.

Hæc ferè sunt, quæ obiicere solent digladiantes: quæ cum tanti momenti non sint, ut rationes in contrarium allatas debilitare, nedum infringere possint, meritò duellum & digladiationes, quæ fiunt cum proposito lædendi corpus aut vitam hominis, à Christianis alienas esse, judicamus.

## CASVS XIII.

### *Quomodo defensio necessaria corporis, contra vim injustam, legitimè & absque peccato fieri potest?*

RESp. Scriptura hoc in genere à lege naturæ discrepare videtur. Nam lex naturæ est: *vim vi repellere licet:* unde in codice *ad legem Corneliam de Sicariis* dicitur: *is qui aggressorem, vel quemcunq; alium, in dubio vitæ discrimine constitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet.* Christi verò sententia est: *non resistendum malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuã, prabe ei & alteram* Matth.5,39.

Eam ob causam *Anabaptistæ*, ut assertioni Christi sua constaret autoritas, legem illam naturæ de vi repellenda vi aliâ, prorsus reiecerunt, tanquam Evangelio contrariam, existimantes, si nobis juxta legem naturæ vivendum esset, nos salvari non posse. *Anabaptistæ negarunt, vim vi repellendam esse.*

Patribus etiam nonnullis non admodum placet pervulgatum illud, quod latronem invadentem interficere liceat. *Augustinus* enim scribit *lib.1. de libero arbitrio cap.5. legem quidem non reprehendo, quæ tales*

(latro-

(latrones invadentes) *permittit interfici, sed quomodo istos, qui interficiunt, defendam, non invenio.*

Sciendum itaque est, sententias legis naturæ, cùm ob corruptionem naturæ facilè depravari queant, gubernandas esse per verbum, & ab omni corruptione purificandas. Sic illam sententiam: *vim vi repellere licet*, facilè corrumpunt pravi affectus de vindictâ privatâ & odium occultum, aut cupiditas vindictæ facilè palliatur per defensionem necessariam, ideò ex scripturâ petenda est recta huius sententiæ explicatio, ita cum dicto Christi nihil pugnabit.

Recta autem huius sententiæ explicatio communiter ita proponi solet: *vim vi repellere licet*, 1. quando subita est violentia invasoris, ita ut nulla ratione, nec fugiendo nec cedendo evadere possis. 2. quando est pertinax invasio, ita ut invasor persequatur frustra deprecantem iniuriam. Nam si invasor fugit, aut percutere destitit; ita ut non amplius metuatur; non potes ipsum insequi, percutere, aut occidere: quia non ampliùs in vitæ periculo es constitutus.

3. Quando est manifesta violentia, ut non possis aliâ ratione defensionis, corpus & vitam conservare, nisi referiendo aut occidendo.

4. Quando magistratus ita abest, ut opitulari non possit, & periculum vitæ manifestum sit in morâ.

5. Quando servatur moderamen inculpatæ tutelæ, id est, cum ea adhibetur moderatio, sine quâ iniuria depelli non potest: nam in defensione legitimâ non potes uti vi majore, quàm sit necesse ad iniuriam arcessendam, aliàs fieret ex defensione vindicta.

Tria autem requiruntur ad moderamen inculpatæ tutelæ. 1. *ut fiat defensio in continenti.* Nam si ex intervallo post illatam iniuriam fit, non propulsandæ iniuriæ, sed vindictæ causâ fieri videtur.

*Tria ad moderamẽ inculpatæ tutelæ requiruntur.*

2. Vt non fiat animo aut proposito ulciscendi, ex dolore iniuriæ, sed tantùm defensionis causâ, ita, ut, si fugâ vel alia ratione tibi consulere posses libentiùs à defensione abstineres.

3. Vt paria sint arma, ne fuste te invadentem, gladio aut bombardâ ferias. His observatis circumstantiis iniustæ violentiæ depulsio est legitima defensio, quæ cum Evangelio Christi non pugnat, qui vindictam privatã improbat, non proprii corporis necessariam defensionem.

Talis defensio certa habet fundamenta. 1. In *lege Mosis* Dominus ipse dicit: *si fur domum effringerit, & in ipso facto deprehensus accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: Si autem orto sole hoc fecerit qui percussit eum, homicidium perpetravit, & ipse morietur Exodi 21, 2. 3.* Quo in casu Deus ipse moderamen inculpatæ tutelæ observari voluit: nam in ipso facto deprehensum & armatũ furem occidere fas esse judicat, quia discerni nequit, an venerit animo occidendi, an verò etiam furandi, ut *Augustinus q. 84. in Ex.* explicat. Orto verò sole paterfamilias

*Fundamenta legitimæ depulsionis iniustæ violentiæ in Scripturis.*

liàs se & suos aliâ ratione tueri potest.

2. In hostili invasione etiam proximum nostrum ex lege caritatis à vi iniustâ liberare tenemur, juxta illud *Prov.* 24. v. 11: *erue qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses*: quo pacto *Abraham* ad defensionem nepotis sui *Lothi* contra vim regum *Sodomitarum* familiam suam armavit *Gen.* 14. 14. Multò magis defensio proprij corporis est licita, quia jubemur diligere proximum, sicut nos ipsos, & caritas incipit à seipsâ.

3. Defensio sui est legis naturalis: quâ de re Cicero scribit in offic. *principio animantium generi omni à natura tributum est, ut se, vitam, corpusq́ tueatur, declinetq́ ea, quæ nocitura videntur.* Quæ sententia non aboletur per Evangelium, sed ita explicatur, ne injustę cupiditates, odia, aut inimicitiæ admisceantur.

## CASUS XIV.

### *Cùm ergò constet, quòd & quomodo defensio licitè sit suscipienda, ulterius quæritur, contra quem defensione tali utendum sit?*

RESP. Sunt, qui promiscuè contra quemvis violentum invasorem eam admittunt, ne quidem naturali parente excepto. Ita enim scribit *Lossius de jure & justit. lib. 2. c. 9. dubit. 8. etiam Clericus & monachis hoc concessum sicut & laicis*, (nimirũ defensio sui) *idq́, contra superiores, ut monacho contra Abbatem, filio contra parentem, servo contra Dominum, vasallo contra Principem, & in quocunq́ officio sit quis occupatus.*

Sed quicquid sit de cæteris, de filio contra parentem non facilè concesserim. Etsi enim parens tyrannicè invadens filium, officium patris non facit: nondum tamen pater esse sinit, quia vinculum illud naturale inter patrem & filium, nullo casu rumpitur: ideò filius semper honorare debet patrem, etiam duriorem & planè tyrannicum; qui honor consistit non tantùm in verbo & in opere, sed & in *patientia Sir.* 3. 9. *An filius contra parentem ita se defendere debeat? Neg.*

Durissima ergò quævis, ne quidem morte exceptâ, perferre potiùs deberet filius, quàm mortem inferre ei, à quo naturaliter vitam suam habet. Quod probè intelligens *David*, manum inferre noluit in socerum suum *Saulem*, licet bis in ipsa persecutione in manus eius socer incidisset 1. *Sam.* 24. & 26.

Deinde defensio etiam contra principem non semper locum habet. Cùm enim certum est, ex interitu eius magnum secuturum esse Reipub. damnum, seditionem, bellum civile, aut simile quid, præstat etiam mortem injustam pati, quàm defensione sui tot turbis occasionẽ præbere. Ideò vult *Apostolus*, ut *pro omni magistratu*, (ne quidem tyrannico excepto) *oremus* 1. *Tim.* 2. quemadmo- *An defensio istiusmodi cõtra principem semper locum habeat? Neg.*

Digitized by Google

admodum primi Christiani pro salute Cæsaris, licet Ethnici, orabant: & alibi scribit *Paulus*, *omnem magistratum esse à Deo, & qui resistit, eum ordinationi Dei resistere, judiciumque suum portare Rom.*13.

*An liceat eũ occidere, qui vitæ meæ insidias corã judice struxit falsis testib. aut fictis criminationibus? Neg.*

Tertiò existimat *Cajetanus, in* 2. 2.*q.*95.*art.*8.*ad*3. & qui sequuntur ipsum, licere occidere eum, qui falsis testibus, fictisque criminationibus corã judice vitæ meæ insidias struit, quia parùm referat, sive quis suo vel alieno gladio aliquem invadat. Calumniator autem ille invadit innocentem gladio judicis.

Sed hæc sententia non caret periculo: quia hominis animus naturâ pronus est ad suspiciones de calumniis, quæ tamen sæpè nullæ sunt: & accusationem illam vel legitimâ defensione, vel testimonio opposito, vel aliis modis effugere potes. Si verò non nisi morte accusatoris te à calumniâ liberum fore putares, multis cædibus daretur occasio: quæ licet in foro hujus seculi non puniuntur; in foro tamen conscientiæ semper manet scrupulus, an legitima fuerit defensio, cùm calumniatori aliâ viâ occurrere potuisses. Satius ergo & hîc est, injuriam pati, quàm alteri inferre.

*Tria ad legitimam defensionẽ pertinẽtia.*

Coronidis loco tria hîc observentur ad legitimam defensionem pertinentia: 1. cùm nos aliter tueri non possumus, quàm per mortem invasoris, licitum quidem esse, eam inferre invasori, pium tamen & salutare, permittere potiùs se occidi, quàm alium occidere: quia in ipsâ etiã defensione periculum est, ne vel ira vel odium se admisceat, & caritas suadet, cavere, ne proximus æternum animę dispendium patiatur, quæ fortè causa fuit, quòd *Augustinus* loco supra citato scripsit, se legem quidem nõ reprehendere, quę invasores permittat interfici, sed non invenire, quomodo eos, qui interficiunt, defendat.

2. Qui defendit se contra invasorem, nõ necesse est, ut intendat mortem invasoris, sed tantùm depulsionem violentiæ, quòd si ergò eum ita vulneravit & prostravit, ut ab eo tutus esse possit, non multiplicet ictus, nedum vitam auferat, etiamsi possit; si verò à prima plaga moreretur hostis, non quidem est, cur sibi scrupulum eo nomine in conscientia faciat: nam in ipso Dei judicio ab homicidio absolutus est *Exod.*22.*v.*2. doleat tamen, quòd invasor in suas manus incidit, à cujus sanguine immunis esse prorsus maluisset. Qui autem gloriantur, quòd invasorem prostraverint, semetipsos produnt, quòd animum à vindicta non prorsus alienum habuerint.

3. Qui ab aliis violenter subitoque invasi fugere possunt, fugere tenentur. Si autem in ista fuga fortè infantem in via jacentem calcaverint, ut moriatur, mortis hujus rei non sunt, quia mortem infantis ipsi non intenderunt, sed præter voluntatem suam commiserunt.

Sufficit ad ipsorum excusationem, si in isto extremo necessitatis

casu eam adhibuerunt circumspectionem, quam adhibere potuerunt, ne cuiquam noceant. Si qua præter voluntatem interveniunt minùs grata, fortuita sunt, quorum ipsi culpam præstare non tenentur.

## CASUS XV.

### *Num corpus ejus, qui honorem alicujus violare tentat, ad mortem usque vulnerare licet?*

RESp. Honor hominis præcipuus thesaurus est, adeo ut *Julius Clarus scribat §. Homicidium enim 26.* periculum famæ æquiparari periculo vitæ, & crudelis esse putatur, qui famam suam negligit.

*Honor hominis læditur vel verbis vel factis.*

Potest autem honor hominis violari vel verbis vel factis. *Verbis* quidē per contumeliam: *factis*, per vim illatam corpori, ut cum alicujus tentatur pudicitia, aut cum alapa viro honorato impingitur, præsertim in publico.

In his casibus omnibus putant quidam, licitam esse defensionem, etiam usque ad mortem invadentis. Ita scribit *Cicero in orat. pro Milone: adolescens, qui tribunum occiderat volentem vim inferre ejus pudicitiæ, à Mario exercitus Imperatore absolutus fuit.*

Sic ex sententiâ communi *Casistarum* licet contumeliosum occidere, quando aliter ea injuria arceri nequit, quanquam ipse armis non invadat, uti scribit *Petrus Navarrus lib. 2. cap. 3. n. 376.*

Iidem docent, fas esse viro honorato occidere invasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari nequit.

*An vir honoratus & gravis alapa percussus statim repercutere & adversarium occidere debeat?*

Ita quidem illi docent, magis cōsulentes honori & existimationi hominis, quàm conscientiis. Etsi enim viro gravi & honesto grave est honoris periculum pati, nullius tamē honoris æstimatio tanti esse debet, ut per vitam alterius redimatur. Neque enim caret hæc res odio, ità & vindictæ cupiditate.

Si fuerit injuria verbalis, sufficit, ut verbis exprimatur, & legitimâ vindictâ coram magistratu compescatur.

Si realis, etiam resistentiâ reali comprimi potest, ut si honesta fœmina tentatorem pudicitiæ suæ alapâ abigat, aut qui injuste alapam accepit, repercutiat ferientem, non ad sumendam vindictam, sed ad vitandam infamiam & ignominiam, modo id fiat statim & in continenti, post injuriam illatam.

Ad mortem autem usq; invasoris defensio ista extendi non debet.

Eodem modo *Augustinus* hac de re disputat *lib. 1. de lib. arbit. cap. 5.* ubi existimat, legem illam, quæ dat potestatem vel viatori, ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat, vel cuipiam viro aut fœminæ, ut violenter stupratorem antè illatum stuprum, si possit, interimat, legem, inquam, illam, ait, dari minoribus

Digitized by Google

ribus malefactis, ne majora committerentur, licentiam. Multò enim esse mitius, eum, qui alienæ vitæ insidiatur, quàm eum, qui suam tuetur, occidi. Et multò esse immanius invitum hominem stuprum perpeti, quàm eum, à quo vis illa infertur ab eo, cui inferre conatur, interimi: Legem autem illam ait neminem cogere, ut occidat, sed in potestate suâ relinquere: ideò nec legem reprehendit, sed quo pacto istos defendat, qui interficiunt, se non invenire fatetur. Honorem autem usque ad mortem ejus, qui eum violare tentat, defendere, prorsus improbat, cum honor non sit in potestate nostrâ, sed omitti possit, etiam ab invitis.

## CAPUT II.

### *De Casibus conscientiæ circa cultum animi.*

*Differentia inter animam & animum.*

ANimum, inquit, *Augustin. de spiritu & animâ cap. 34. idem dicimus esse, quod animam, sed anima vitæ, animus est consilii.* Unde ajunt Philosophi, & sine animo vitam manere, & sine mente animam durare, sicut in amentibus. Quantum autem præstat animus corpore, tantò accuratior cura animi habenda est.

*Præstantia animi.*

Animus corporis decus est, gubernator & dux, qui corpori imperat, & omni corpore melior est, quibus elogiis omnibus animum hominis ornat *Augustinus.*

*Imperator est corporis animus*, inquit *in lib. quæstion. ex utroq; Testam. cap. 115. ut gubernet illud gubernaculis legis divinæ: sed affectibus suis immersus non rarò semetipsum deserit, & culturâ opus habet, ne quid contra Deum & conscientiam faciat: quâ ratione non sibi tantùm, sed & corpori, quod regendum habet, noceret.*

Cultus iste animi ipsius Dei cultus est: nam qui animum servat illibatum, is Deum reveretur, sibique conciliat, ac propitium reddit.

*Animus hominis dupliciter excolitur.*

Excolitur autem animus, (1.) *ab intra verâ in Deum fide*, seriâ vitiorum expurgatione, & debitâ affectuum moderatione. *Fides anima animi est, sine quâ nec benè habet, nec Deo placet: vitia quædam sterilitas, & quasi fames animorum sunt*, inquit *Augustinus de beatâ vitâ disp. 1.* Nam quemadmodum corpus detracto cibo plerumque morbis atque scabie repletur, quæ in eo vitia indicant famem, ita & illorum (vitiosorum) animi pleni sunt morbis, quibus sua jejunia confitentur.

*Affectus quare dicantur perturbationes.*

Affectus animi, vocantur aliàs perturbationes, quia animum non relinquunt sedatum, sed movent ac turbant eum, modo plerumque inordinato.

*Quatuor affectus principales: cupiditas, timor, lætitia, tristitia.*

Eorum quatuor principales recensentur ab *Augustino lib. 10. confess. cap. 14. & lib. 14. de civ. Dei cap. 3. cupiditas, timor, lætitia, tristitia*, quas vocant origines omnium peccatorum atque vitiorum.

(2.) Excolitur animus hominis ab extra studiis liberalium artium.

Circa singula hæc occurrunt quædam, quæ ad conservationē bonæ con-

næ conſcientiæ pertinent: quæ deinceps ordine conſiderabimus.

## CASUS I.

### *Cùm inter ea, quibus animus hominis excolitur, prima ſit fides, primùm omnium quæritur, quæ circa hunc animi cultum conſideranda ſint, ne degeneret in aliquam deformationem?*

*Fidei prærogativa.* RESpond. Quòd fides animum noſtrum coram Deo faciat nitidum, gratum & acceptum, Scriptura ſacra teſtatur, cùm corda noſtra *purificari* dicuntur *fide Actor.* 15. *v.* 9. *& cùm abſq; fide impoſſibile dicitur placere Deo, Heb.* 11. *v.* 6. ideò in *Abrahamo*, licet pleno nobiliſſimarum virtutum, ſola tamen *fides ei imputatur ad juſtitiam Rom.* 4. *v.* 22.

*Hypocritæ & diaboli qualem habeant fidem?* Sed & hypocritæ jactant fidem, & *dæmones* etiam *credere* dicuntur *Iac.* 2. *verſ.* 19. ideò fides illa, quæ eſt verus animi cultus, non eſt quælibet fides; ſed fides in Chriſtum. Ea verò *non eſt omnium* 2. *Theſſ*. . *verſ.* 2. ſed eorum quibus eam dedit DEUS: *nam à Deo datum nobis eſt, ut credamus Phil.* 1. *v.* 29. ideò vocatur *opus Dei Ioh.* 6 *verſ.* 29. & ſicut omnis animi noſtri cultus, ita & fides à Deo eſt.

*Tria de fide hoc loco dicenda.* Circa hunc animi cultum, tria obſervanda ſunt. 1. quid ſit fides in Chriſtum. 2. quomodo nobis detur. 3. quæ ſint ejus notæ, quibus à fide hypocriticâ diſcernitur.

Quod primum membrum attinet, complectitur fides, notitiam, aſſenſum, & fiduciam. Illa ſcit hiſtoriam doctrinæ Evangelicæ: iſte, quæ de Chriſto narrantur, vera eſſe credit, & in iis acquieſcit: hæc, quæ fides in genere, ut vera amplectitur, cuilibet credenti quoque in ſpecie, imò in individuo applicat: priora duo ad intellectum, poſtremum ad voluntatem pertinet. *Quid ſit fides? Fides ſalvifica tria involvit: 1. notitiã. 2. aſſenſum. 3 fiduciam*

Fides in Chriſtum præſupponit omne Dei verbum, cui aſſentitur, nam qui in uno fidei articulo fundamentali hæſitat, is veram fidem non habet, cùm fides ſit una copulativa, cujus articuli cohærent, ſicut annuli in catenâ.

Et hoc Dei verbum in genere eſt objectum fidei, quatenus notitia & aſſenſus eſt: quatenus autem eſt fiducia, objectum habet ſpeciale, nimirum miſericordiam DEI Patris in Chriſto promiſſam, quod vocatur verbum promiſſionis atq; gratiæ.

In hoc membro dupliciter impingunt *Romanenſes*: 1. quod nonnulli negant fidem eſſe notitiam, ſed tantùm aſſenſum, imò fidem meliùs per ignorantiam definiri ajunt, quàm per notitiam, in quâ ſententiâ eſt *Bellarminus lib.* 1. *de juſtif. cap.* 7. idque ideò facit, quia remittit ſuos ad fidem implicitam, quæ aliàs fides eccleſiæ dicitur, cùm tamen Scriptura propriam à quovis fi- *Quid de implicita Pontificiorum fide ſentiendũ?*

Digitized by Google

*An fides melius per ignorantiam, quàm notitiam definiatur? Neg.*

vis fidem requirat, quia justus *suâ fide vivet Habac.* 2. Fides verò non est ignorantia, sed σοφία, γνῶσις, ἐπίγνωσις & σύνεσις πνευματική, 1. *Corinth.* 1. *v.* 5 *cap.* 8. *v.* 7. *Colos.* 1. *v.* 9. 2. *Pet.* 1. *v.* 3. 5. fide *intelligere* dicimus, *Heb.* 12. *v.* 3. *& nisi credideritis, non intelligetis, Esa.* 7. *v.* 9. quin & vita æterna non in ignorantiâ, sed *in cognitione Dei* consistere dicitur *Iohan.* 17. *vers.* 3.

*An fides sit fiducia? Aff.*

(1.) Quòd negant fidem esse fiduciam, quàm doctrinam figmentum hæreticorum vocat *Pererius disp.* 9. *in cap.* 1. *ad Roman. th.* 50. sed nihil frequentius docet Scriptura, ut quando (1.) promiscuè usurpat *fidere & credere, fidem & fiduciam Ps.* 2. *v.* 13. *Psal.* 34. *v.* 9: 112. *v.* 7: 28. *v.* 7. *Prov.* 3. *v.* 5. *Marc.* 16. *v.* 16.

(2.) Quando credere ἐξηγητικῶς exponitur per *confidere, ut Psal.* 18. *v.* 12: *non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salutem ejus.*

(3.) Quando *credere jubemur in Deum Iohan.* 14. *v.* 1. quod non est solius notitiæ: ea enim credit Deum: sed fiducia, quæ fertur in Deum, apprehendit & recipit Deum, cum suis promissionibus.

(4.) Quando fidem vocat hypostasin τῶν ἐλπιζομένων, quæ non nisi certissimæ spei ac fiduciæ descriptio est, cùm quæ sperantur, tam firmiter apprehenduntur, ac si præsentissima haberentur, ita, ut irruentibus dubitationibus animus non cedat loco, sed consistat, impetumque accipiat ac sustineat: hoc enim propriè est ὑφίστασθαι.

[*LXX. reddiderunt* ὑπόστασιν, *quod in Hebræo est spes & expectatio, Psal.* 39. *v.* 8. *Ezech.* 19. *vers.* 5. *Mich.* 5. *v.* 7.]

Accedit denique exemplum *Abrahami* patris omnium credentiū, cujus fidei *Paulus* tribuit πληροφορίαν, quæ est firma animi persuasio, eamque opponit diffidentiæ, τῇ ἀπιστίᾳ; *non hæsitavit,* inquit, *diffidentiâ,* sed πληροφορηθεὶς *confortatus fide, dedit gloriam Deo, Rom.* 4. *v.* 20.

Hæc omnia ad descriptionem veræ fidei pertinent, quâ animus excolitur, ut Deo placeat: quî enim placeant Deo illi, qui nihil de Deo sciunt, verbis ejus fidem non habent, & promissiones gratiæ alienas à se faciunt?

*An fides per raptus detur? Neg.*

Hujusmodi fides nemini in generatur vel adnascitur, neque propriis viribus adquiritur; sed *à DEO donatur Phil.* 1. *v.* 29: *vobis datum est à Deo, ut credatis.* Non autem per raptus & enthusiasmos datur, sed per ordinaria sua organa, verbum prædicatum, & Sacramenta legitimè administrata. *Ex auditu enim verbi fides est, Roman.* 10. *v.* 17. Baptismus lavacrum regenerationis est, quæ sine fide non fit, Sacramentum cœnæ est confirmatio fidei. His ergò mediis utatur, qui verâ fide animum suum vult excultum esse.

*Quæ sint vera media fidei impetranda?*

*An liberi nostri fidē in utero matris habeant ante regenerationem? Neg.*

In hoc membro impingunt (1.) *Calviniani*, qui sanctorum parentum liberos fidem in utero matris habere putant, abusi illo Apostoli dicto *si radix sancta est, sancti sunt & rami Rom.* 11. *v.* 16.



Digitized by Google

Sed Apostolus loquitur ibi de *sanctitate politicâ*, quòd nimirum liberi eorum, qui sunt in populo Dei, præ aliis aditum habeant ad privilegia ecclesiæ. De fide autem docet Scriptura, quòd ea per verbum detur, non per nativitatem carnalem. Dedit enim Deus *potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Ioh.* 1. *v.* 13.

2. Fanatici & *Enthusiastæ*, qui relicto verbo, ex somniis & visionibus arcanis mysteria Dei percipere cupiunt.

Sed remisit nos DEUS *ad legem & testimonium Esa.* 8. *vers.* 20. jussit *scrutari Scripturas Iohan.* 5. *versic.* 39. commendavit *sacrosanctum ministerium Luc.* 10. *v.* 42. *Heb.* 10. *v.* 25. Hoc ergò agamus, & adminiculis à Deo ipso monstratis libenter, & assiduè utamur, & animus noster verâ fide subinde excoletur.

Est autem fides ex earum rerum genere, quæ in oculos aut sensus externos non incurrunt: sed latet in animo, & non nisi certis ex indiciis agnoscitur.

*De notis veræ fidei.* Observandæ igitur sunt notæ, & indicia illa, ex quibus colligere possumus, animum hominis verâ fide excultum esse. (1.) Prima nota est caritas, quæ non informat fidem, ut *Pontificij* putant, sed eam signat & foràs producit. Ideò fides per charitatem dicitur esse ἐνεργουμένη, *operosa sive efficax Galat.* 5. *vers.* 1. & inde scimus, *quod translati simus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres* 1. *Ioh.* 3. *v.* 14. *Fides* autem *sine caritate hypocritica est, & mortua, Iacob.* 2. *v.* 26.

*1. nota, ἀγάπη, caritas.*

[ἐνεργουμένη *In media diathesi ut Rom.* 7. *v.* 7. 1. *Cor.* 1. *v.* 6: *cap.* 4. *v* 11. *Ephes.* 3, 10. *Col.* 1. *vers.* 29. 1. *Thess.* 2, 13. 2. *Thess.* 7. *Iac.* 5. *v.* 16.]

(2.) Secunda nota est vera πληροφορία & confidentia animi in adversis. Nam, *qui credit, minimè fugit*, Wer gleubt/der fleucht nicht/ *Esa.* 28. *v.* 16. innititur firmiter promissionibus Dei, superatque hac fiduciâ omnes adversitatum fluctus, cujus rei exempla habemus in *Iobo & Davide*, aliisque sanctis. Hæc autem nota non æquè semper clara est: nam fides in angustiis sæpè infirma fit, ibi tum infirmatur etiam confidentia, ut fit in iis, qui lipothymiâ laborant, in quibus respiratio fit imbecillior: ideò ex defectu confidentiæ non est colligenda absentia fidei, siquidem infirma fides etiam fides est.

*2. nota confidentia animi in adversis.*

(3.) Tertia nota est humiliatio cordis, coram Deo & proximo. Nam qui veram fidem habet, sibi ipsi displicet, eumque peccatorum suorum pudet: quare coram DEO prosternitur, peccata sua fatetur, eorumque remissionem propter Christum, in quem credit, petit: deinde & coram proximo se humiliat, neminem contemnit, quia se quoque magnum peccatorem esse novit: sed potiùs quemvis se digniorem judicat, id quod *Paulus* à fideli-

*3. humiliatio cordis.*

bus

bus requirit *Phil.* 2,3. *nihil per inanem gloriam facientes, sed in humilitate alios invicem superiores arbitrantes.*

*4. confessio fidei.* (4) Quarta nota est confessio eorum, quæ credimus. *Fideles enim parati semper sunt ad reddendam rationē spei, quæ in ipsis est, cuilibet petenti*, 1. *Pet.* 3,15. Ita *David* de se scribit: *credidi, propter quod locutus sum Psal.* 116, 10. & *Paulus: corde creditur ad justitiam; ore fit confessio ad salutem Rom.* 10,10. Ex hac enim fides agnoscitur, inprimis tēpore persecutionis, quēadmodum tempote tranquillo ex operibus caritatis. Non autem semper est necesse, ut tempore periculi confessio fiat ore, nam & fugâ & discessu ab impiis fieri potest: Neq; enim cōfessionis oralis ea est necessitas, quæ fidei, quia nemine petente à nobis confessionem fidei, tutò latere possumus, durante persecutione.

*5. assidua precatio.* (5) Quinta nota est assidua precatio: nam qui veram in Deum fiduciā habet, libenter cum DEO loquitur: scit enim se, quæ petit juxta voluntatem DEI, impetraturum. Languidæ autem fidei indicium est segnities in precibus. Tales enim aut se carere DEO posse putant, aut de auxilio divino desperant: utrumq; infidelitatis signum est.

*6 spei certitudo.* (6) Sexta nota est infallibilitas spei tempore moræ. Fides enim est ὑπόστασις, quæ animum consolidat in adversis, ut etiam contra spem in spem credat. Duo enim fulcra habet immota, quæ & animum hominis reddunt ἀμετάπτωτον & immotum: unum est *Dei veritas* qui promisit, is etiam præstabit: *impossibile enim est, mentiri Deum Heb.* 6,18. alterum est *potentia Dei, superabundanter enim plus facere potest, quàm nos cogitamus Ephes.* 3. v. 20.

In hoc membro impingunt 1 hypocritæ, qui fidem jactant ore, quam negant opere, quos *Christiano nomine dealbatos* vocat *Augustinus lib.* 1. *cont. Parmen. cap.* 7. Christianismum enim simulant, & variis vitiis contra CHRISTUM in pugnam descendunt. Etsi enim fides justificat absque operibus, nunquam tamen est absque operibus, sed cum illis individuo nexu copulata, adeò, ut deficiente bonorum operum studio, fidem quoque nullam, seu ut *Iacobus* loquitur *cap.* 2. *mortuam esse*, necesse sit.

*An homini pio dubitādum sit de gratia Dei & remissione peccatorum? Neg.* 2. Pontificii, qui hominem dubitare jubent de gratiâ Dei & remissione peccatorum, & hanc dubitationem sub titulo humilitatis commendant.

Sed pugnat dubitatio cum fide, ideò *Paulus* ista duo opponit *Roman.* 4. v. 20. pugnat cum fine promissionum divinarum, quæ firmas faciunt conscientias credentium *Rom.* 4. v. 16. pugnat cum officio fidei, cujus est obsignare, quòd *DEVS verax sit. Ioh.* 3. *vers.* 33. pugnat cum officio Spiritus Sancti, qui est *arrha promissionum, obsignans in cordibus nostris adoptionem filiorum Dei Rom.* 8. *Ephes.* 1. pugnat cum veritate Dei; nam *qui non credit, Deum mendacem*

Digitized by Google

*cem facit*, 1. *Ioh.* 5. *v.* 10. Tantum de fide, qui in cultu animi meritò primas tenet.

## CASUS II.

### *Cum fide jungit Apostolus Paulus bonam conscientiam* 1. *Tim.* 1, 5, 19. *tanquam alteram partem in cultu animi: quæritur ergò, quid faciendum, ut bona conscientia adquiratur & conservetur?*

RESP. Bona conscientia optimus est cordis thesaurus, & *juge convivium*, ut *Salomon* nominat *Prov.* 15, 15. ideò haud immeritò ad cultum animi refertur: qui enim conscientiam suam custodit & immaculatam conservat, animum suum omnium optimè excolit.

Adquiritur autem & conservatur bona conscientia per innocentiam, hanc autem adsequimur, quando vel non peccamus, vel peccata statim emendamus. Unde *Bernhardus scripsit in lib. de interior. domo cap.* 20. *bonam conscientiam esse, quæ peccata præterita punit, & punienda committere refugit.* Et *Chrysologi* sentētia est: *primus felicitatis gradus est, non delinquere; proximus, delictum agnoscere.*

Duo ergo sunt, quæ bonam conscientiam, & per illum animum tranquillum faciunt ac conservant. 1. vitæ innocentia. 2. vera resipiscentia. *Duo faciūt & conservāt bonam conscientiam.*

Innocentiam vitæ adquirimus (1) seriâ meditatione & observantiâ legis divinæ: quæ sit instar speculi, in quo semper videre possumus, quæ nos deceant vel dehonestent. Unde *David* de adolescentibus dicit *Psal.* 119. *v.* 9. *in quo diriget adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.* *Innocentia vitæ acquiritur. 1. legis divinæ observantia & meditatione.*

(2) Seriâ luctâ contra suggestiones carnis, quæ sæpenumerò molestæ sunt renatis, juxta illud *Pauli Gal.* 5, 17. *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Luctandum itaque est; non omnia, quæ oculus videt, aut auris audit, appetenda sunt: irritamenta peccatorum qui sentit, non statim eis consentiat, sed precibus & laborib. sensum peccati in se mortificet: hoc est crucifigere carnem cum desideriis ac concupiscentiis. Ideò *D. Paulus* hortatur: *ne regnet peccatum in mortali vestro corpore Roman.* 6, 12. *2. contra suggestiones carnis reluctatione.*

(3) Seriâ meditatione præmiorū, quæ Deus promisit obedientibus sibi, & pœnarum, quæ inobedientibus minatus est. Etsi enim *malorum* esse dicitur, *odisse peccare formidine pœnæ*: voluit tamen Deus ipse nos præmiis & pœnis ad observationem legis suæ invitare: unde etiam *pietas promissiones habere dicitur, hujus & futuræ vitæ* 1. *Tim.* 4. *3. præmiorū pœnarumque divinarum ruminatione.*

(4) Se-

*4. Exēplorū assidua recordatione.* (4.) Seria recordatione exemplorum, in quibus Deus executus est minas legis suæ. Ideò enim proponuntur nobis exempla primi mundi, *Sodomitarum, Hierosolymorum*, & totius populi *Iudaici*: quæ historiæ in correptionem nostram scriptæ sunt 1. *Cor.* 10, 11. Unius enim pœna metus est multorum.

*5. Iudicii extremi consideratione.* (5.) Crebra consideratione judicii extremi, in quo justus judex unicuique retribuet secundum opera sua. Quid autem faciemus, cùm resurrexerit *ad judicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebimus? Iob.* 31. *v.* 14. *Iudex enim ille, nec gratiâ prævenitur, nec misericordiâ flectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec satisfactione vel pœnitentiâ mitigatur*, inquit *Augustinus lib.* 3. *de symbolo.*

Imitemur ergò *Hieronymum*, qui in *Matthæum* scribit: *sive comedam, sive bibã, sive aliquid aliud faciã, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: surgite mortui & venite ad judicium: quoties diem judicij cogito, totus corde & corpore contremisco. Si qua præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, ut nunquam amaritudo futuri judicij recedat à memoria.*

His adminiculis innocentiam vitæ, & bonam conscientiam adquirere possumus.

*Resipiscentia cõjungi debet cum examine cõscientiæ.* Cùm autem in multis labamur omnes, & nemo sit, qui dicere possit, mundum est cor meum, purus sum à peccato; purganda est conscientia per veram resipiscentiam, quæ facit hominem desistere à peccato, & odisse id, quo ante delectabatur. Eam ad rem multum prodest scrutinium seu examen cõscientiæ, cùm quis coram tribunali cordis sui sistitur, & in seipsum animadvertit, & quotidiè transacti diei vitam examinat, & quæ vitiosa invenit, in seipso punit: quod remedium est saluberrimum, deinceps à similibus peccatis abstinendi: ideò tam diligenter à sanctis patribus commendatur.

*Augustinus de spir. & anima ca.* 51. scribit: *necesse est, ut per singulos dies vitam nostram ad judiciũ vocemus, & quid egimus, per noctẽ & diem examinemus, & quãtò ad bona faciẽda solito alacriores, & quantò ad mala vincẽda solito cõstantiores, sive aliquo opere nostro insidiis inimici supplantati simus, qualiter demum per judicium trãsactæ deceptionis futuram illius fraudem cavere valeamus, quatenus nec superveniẽs tentatio nos improvisos ad malum opus dejiciat, nec indiscretos in opere bono præsens negligentia fallat.*

*Basilius in sermone commonitor. ad monach.* scribit: *quæ quotidiè feceris opera, vesperi tecum commemora, & cum iis, quæ fecisti pridiè, conferto.*

*Bernhardus de interiore domo c.* 28. *&* 29. *multa scientia hominũ, sed nulla melior est illa, quâ cognoscit homo seipsum*, beatus homo, qui se potest cognoscere, probare & improbare. Nã qui sibi displicet, Deo placet, & qui sibi vilis est, Deo carus est. Itaq; tibi ipsi carus non sis, accusa teipsum, omnem animi morbum hoc emplastrum & malagma persanat &c.

Gentilibus hoc ſcrutinium conſcientiæ adeò uſitatum fuit, ut natura ipſis hoc dictaſſe videatur. *Gymnoſophiſtæ Indorum* neminem ſuorum diſcipulorum ad prandium admittebant, qui non priùs conſcientiæ ſuæ examen ſubiiſſet.

*Pythagoras* diſcipulos ſuos ita inſtituit, ut quid quis quoque die dixerit, audiverit, egerit, veſpere commemoraret, ut *Laertius* in ejus vita refert.

*Virgilius* virum bonum ita deſcribit:

*Iudex ipſe ſui totum ſe explorat ad unguem,*
*quid proceres, vaniq; ferat quid opinio vulgi*
*ſecurus juſto trutinæ ſe examine penſat,*
*ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis*
*partibus ut coeat, nil ut deliret amuſſis,*
*ſit ſolidum quodcunq; ſubeſt: nec inania ſubtus*
*indicet admotus digitis pellentibus ictus.*
*non priùs in dulcem declinat lumina ſomnum,*
*omnia quàm longi reputaverit acta diei,*
*quæ præter greſſus, quid geſtum in tempore, quid non:*
*cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi:*
*quid mihi præteritum: cur hæc ſententia ſedit,*
*quam melius mutare fuit, miſeratus egentem*
*cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem:*
*quid volui quod nolle bonum foret: utile honeſto*
*cur malus ante tuli: num dicto aut deniq; vultu*
*perſtrictus quiſquam: cur me natura magis, quàm*
*diſciplina trahit: ſic dicta & facta per omnia*
*ingrediens, ortoq; à veſpere cuncta revolvens,*
*offenſus pravis, dat palmam & præmia rectis.*

Hujusmodi viri boni exemplum fuit *L. Annæus Seneca*, qui de ſua ſcribit conſuetudine *lib. 3. de ira cap. 36. utor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico, cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit uxor, moris mei jam conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta & dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo: quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim dicere: vide, ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco.* Et in *libr. de vit. beat. cap. 17.* ſcribit: *hoc mihi ſatis eſt, quotidie ex vitiis meis aliquid demere, & errores meos objurgare.*

Ad horum virorum exemplum neminem noſtrum pudere debet talis ſcrutinii, præſertim, cùm ea res non careat eximia utilitate. Nam dum vel laudatus eſt animus, vel admonitus, & ſpeculator ſui cenſorque morum ſuorum factus, trãquilliùs ſe componit ad ſomnum, jucundioribus oculis ſequentis diei adſpicit auroram, Deo gratus fit, ſi

forte

fortè opinione minus in se reprehensione dignum invenerit: affectus suos moderatur, iram, odium, superbiam, & quicquid hujus veneni aliud est, antequam indormiscat, deponit.

Summa, conscientiæ scrutinium est nostri ad virtutem incitamentum, vitiorum depulsio, veri gaudii occasio, & veræ felicitatis initium.

Non minor est necessitas, quàm utilitas hujus rei. Nam omnes admonitiones & exhortationes ad virtutem, quæ pro concione fiunt; omnes correptiones parentum, aut magistratus, omnes pœnæ & castigationes frustra sunt, nisi in teipsum animadvertas, teipsum accuses, corrigas, corripias, punias.

Hoc est *in seipso invenire sapientiam, & multum in ea proficere*, ut *Siracides* loquitur *cap.* 51. *v* 22. semper adhæret nobis aliquid pravi operis, aut incauti sermonis: quemadmodum ergò sentina in navi semper exhaurienda est, ita & conscientia hominis isto scrutinio quotidie purganda: quod si non fit, vitia abundabunt, & omnes bonas cogitationes etiam in invitis suffocabunt.

Non satis est, hoc semel fecisse, quia cor nostrum nimis est mutabile. Asser dolabra semel dedolatus, manet ita, uti est ab ascia formatus: sed hominis animus virtute etiam sedulò politus, ad vitia proclivis est, quæ nisi subinde amputes, animum nunquam rectè excultum habebis.

Multum autem refert, quomodo hoc scrutinium instituas. Vesperi igitur, antequam te cubitum conferas, totius præteriti diei sectionem institue, quantis à Deo affectus sis beneficiis, quàm multum ei isto nomine debeas, tecum cogita, & gratias diligenter age: ea enim ratione ad plus dandum ipsum invitabis.

*Quibus partibus examen conscientiæ consistat?*

Deinde quæ facienda omiseris, quæ omittenda feceris, rumina: num prava aliqua cogitatio animum tuum subierit, num ea delectatus fueris, num in actum traduxeris, num membra corporis suggestionibus carnis paruerint, attende.

Tertiò propterea teipsum objurga, veniam à Deo pete, pœnamque tibi statue, si redieris, & ad eundem lapidem impegeris. Nullum est tam pertinax vitium, quin dediscas tandem si quotidie in illud animadvertas. Omnium maximè autem insiste illi vitio, à quo te magis infestari nosti. Frustrà enim in corrigendis minutis quibusdam nævis occupatus es, si iræ, libidini, superbiæ, avaritiæ, aut similibus interim frena laxas. Remove capitalia vitia, & reliquæ minores noxæ simul minuentur.

Tres igitur partes sunt in scrutinio conscientiæ: 1. *gratiarum actio* pro acceptis beneficiis, quorum consideratio hominis animum à multis avocat vitiis: 2. *erratorum propriorum agnitio & deploratio.* 3. *in nos ipsos animadversio, & morum nostrorum correctio.*

Hujuſmodi examen conſcientiæ *Propheta Nathan* cum *Davide*, poſt patratum adulterium, inſtituit: primùm beneficia divina enumerat: *Rex*, inquit, *unctus es, inſidias Sau'is evaſiſti, domum opulentiſſimam nactus es, imperium tibi in Iudam & Iſraelem commiſſum eſt, & ſiquidem tibi parva hæc videntur, Dominus paratus eſt adjicere majora.* Deinde peccatum ejus in genere aperit, & fontē ejus oſtendit, nimirùm oblivionem mandati divini: *quare*, inquit, *contemſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo?* Denique peccatum exaggerat & correptionem addit: *Vriam occidiſti, uxorem illius rapuiſti: quamobrem non recedet gladius de domo tua* &c. 2. *Sam.* 12.

Hæc eſt ratio examinandi conſcientiam, quâ in re qui animum à vitiis perpurgatum habere cupit, nemo ſegnis eſſe debet. *Hoc nos peſſimos facit*, inquit *Seneca epiſt.* 83. *quod nemo vitam ſuam reſpicit, quid facturi ſumus, cogitamus & id raro: quid fecerimus, non cogitamus, atqui conſilium futuri ex præterito venit.*

Non eſt compendioſior ad ſervandam bonam conſcientiam via, quàm examen conſcientiæ, quod animum à vitiis purgat, & in ſtudio virtutis perficit; eamque ob cauſam ad cultum animi præ multis aliis, pertinet.

## CASUS III.

*Cùm inordinatis affectibus verus animi cultus impediatur, haud abs re ſolicita eſt mens pia, quomodo affectus animi ſint edomandi, ne noceant? & hic inprimis de frenanda cupiditate divitiarum.*

RESP. Nemo tàm ſanctè vivit in mundo, quin affectibus ſuis interdum abripiatur in transverſum. *Semper* enim *concupiſcit caro adverſus ſpiritum Gal.* 5. *v.* 17. Unde *Auguſtinus* rectè ſcripſit: *omnis homo cum caſu ſuo ambulat. Nihil enim magis humanum eſt, quàm cadere, labi, errare, ac decipi.*

Hominis verò pij eſt, lapſum ſuum præcavere, cautè vivendo, affectus ſuos edomando, & ſeipſum vincendo, quâ nulla pulcrior victoria eſſe poteſt.

Suprà autem audivimus ex *Auguſtino*, quatuor eſſe vehementiores affectus in homine, *cupiditatem, timorem, lætitiam & triſtitiam.* Qui in his moderandis virum ſe præſtat, is animum tranquillum retinere poteſt.

Generalis autem gubernatio affectuum in eò conſiſtit, ne iis ſtatim con- *Generalis affectuum gubernatio*

consentiamus, quæ nostro allubescunt animo, sed motibus illis in animo exsurgentibus, masculè resistamus, juxta monitum *Siracid. c.* 18. *v.* 30. *post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua avertere*: & *D. Paulus Rom.* 6. *v.* 12. scribit: *non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.*

Aves super capita nostra volant, & hoc nemo prohibere potest; sed ne in capite nidulentur, quilibet cavere potest: ita ne affectus vitiosi nos adoriantur, non omninò impedire possimus, in hac infirmitate carnis nostræ: sed ne animum occupent, piasque cogitationes in eo suffocent, hoc prohibere est in nostra potestate, & in eo omne nostrũ studium occupatum esse debet, si animum habere exoptamus excultum & tranquillum.

Quod in specie cupiditatem attinet, affectus iste suo ambitu omnem complectitur πλεονεξίαν seu amorem habendi, sive alterius conjugem & liberos, sive bona & fortunas, sive etiam ultionem & vindictam erga hostes. Qui ergò cupiditatem frenare vult, is contra avaritiam, ambitionem, iracundiam, vindictam privatam, libidinem denique & voluptatem omnem in arenam descendit.

*Quomodo avaritiæ occurendum? Avaritia multis modis homini nocet.*

Cùm avaritia animum tuum occupat, præcipua illa cupiditatum noxiarum species, cogita ante omnia, quantopere noceat ea homini pio. Scriptura vocat eam *radicem omnium malorum* 1. *Tim*, 6, 9. Veteres sapientes *metropolin omnium vitiorum.*

*Nocet menti.*

Ea mentem hominis nunquam relinquit quietam, sed perpetuis excruciat curis & solicitudinibus, diffidentia, timore, invidiâ, appetentiâ, desperatione: avaro enim semper deest, etiam id, quod habet, quia contentus eo non est.

*Nocet corpori.*

Corpori insuper suo injuriam facit, noctu diuque per frigus & æstum, per mare, per terras quærens corruptibiles mundi hujus opes. Et cùm magno cumulo eas adquisivit, præter adspectum earum nihil habet, uti frui eis non audet; & sic semetipsum divinis beneficiis orbat: Deus enim in usum hominum creavit omnia, quæ sunt in mundo utilia. Dum autem sibi usum bonorum derogat, aliis eum invidet: interim servitio eorum sese mancipat, quorum Dominus ipse esse debebat: ex opibus idolum facit, in quibus longè majorem ponit fiduciam, quàm in Deo ipso: eos, quos bonis suis sustentare alereque debebat, defraudat. Non enim ipse solus bonorum suorum Dominus est, sed partem patria, partem liberi & amici, partem magistratus, partem etiam pauperes sibi vendicant.

*Nocet proximo.*

Cupiditas habendi multorum bellorum, expilationum & latrociniorum causa extitit: non tantùm armat in hostem, sed & in fratrem, & sine sanguine homicidam facit. Nam ut *Sirac.* loquitur *c.* 34. *v.* 25. *panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.*



Digitized by Google

*Facit atheum.* Facit hominem atheum, qui nullam religionem curat, conciones contemnit, plus fiduciæ ex peculiola arcæ inclusâ percipit, quàm ex omnibus promissionibus divinis.

*Virtutis amorem extinguit &c.* Æmulationem & amorem virtutis extinguit, ex templis religionem, ex urbibus & domibus disciplinam tollit, ἀταξίαν & confusionem in ecclesiam invehit.

Tot malis & periculis se implicant, qui rerum terrenarum nimiùm sunt cupidi.

*Divitiæ nō reddunt animum hominis trāquillum.* Deinde cogita, quòd divitiæ animum minimè tranquillum reddunt, quorsum ergò appetuntur? Omne enim desiderium nostrum nisi ad tranquillitatem animi referatur, perniciosum est.

Apostoli neque peram neque pecuniam habebant, & tamen nulla re necessaria destituebantur, longeq; hilariori erant animo, quàm qui multa possidebant.

*Tellus Atheniensis*, ut est apud *Plutarchum in vita Solonis*, contentus tugurio & agello, quantus ad ipsum & liberos alendos satis erat, tranquillo vivebat animo. *Crœsus* verò regno *Lybiæ* & infinitis tributis exsatiari non potuit. Rectè ergò judicavit *Solon*, *Tellum* longè feliciorem esse hoc *Crœso*. Ille enim paucis contentus sua in mediocritate benè habebat: hic verò plura semper appetens, curarum plenus tandem etiam id, quod possidebat, amisit.

Deniqne cogita, de remediis, quibus hanc pestem πλεονεξίας ex animo tuo expellere potes. Natura paucis est contenta, nunquam ergò parum erit, cui satis est. Cupiditas habendi est inexsaturabilis, *ponitque laqueos homini trahentes ad interitum*, ut *Paulus* docet 1. *Timoth.* 6. *v.* 9. Opes & divitiæ periclitanti raró opem ferre possunt, multi enim unà cum divitiis suis in manus hostium venêre: & scriptura testatur, quòd *aurum & argentum neminē liberare possit in die iræ Ezech.* 7. *vers.* 19. *Soph.* 1. *vers.* 18. Contrà verò divitiæ multorum periculorum & adversitatum causa sunt: multi enim ob pecuniam iniquè agunt, aliorum odia sibi conciliant, insidiis hostium se exponunt, unde *Diogenes* interrogatus, cur pallens aurum esset, respondisse fertur, quia multos habet insidiatores. Quid ergò angeris eam ob rem, quæ vitam adeò acerbam reddit?

Hæc qui seriò secum expendit, cupiditatum suarum luxuriem facilè amputare potest: præsertim, si addat regulam Christianorum, quos Dominus primùm omnium *quærere* vult *regnum Dei & ejus justitiam Matth.* 6. & *Paulus*, *quærere ea, quæ sursum sunt, non, quæ super terram Coloss.* 2. *vers.* 2. & qui novit, melius esse dare, quàm accipere, libentiùs bona sua rectè distribuere discet, quàm variis artibus augere.

CASUS

## CASUS IV.

### *Quomodo resistendum perturbationibus animi, quæ sunt ex cupiditate bonorum.*

ALtera species cupiditatum est desiderium honorum & gloriæ, ex quo, si fuerit nimium, oritur tandem ambitio, quæ generosioribus animis omnium maximè insidiatur, non secus ac ligna delicatiora vermibus & putredini magis sunt obnoxia.

*Ambitiosorum noxia effecta.* Hæc ergò pestis, cùm perturbare incipit animum tuum, cogita primum, quàm noxia sint ejus effecta. Nam qui nimiùm sunt gloriæ cupidi (1.) vix ferre possunt parem, nedum superiorem: quæ causa fuit, quòd nec *Themistocles* cum *Aristide*, nec *Cæsar* cum *Pompejo* in eodem orbe vivere potuerunt. *1 Neminē juxta se ferre posse.*

*2. Vanum vulgi honorem quærere.* (2.) Falsum & vanum quærunt honorem, non quem virtus & honestorum hominum judicium peperit, qui honor summè est laudabilis & appetendus, sed qui ab imperito vulgo oritur, sive vitio, sive virtute; sive necessariis, sive supervacaneis actionibus adquiratur: quem honorem sapientes despiciunt, & in vitio potiùs, quàm in laude ponunt.

*3. Deo se opponere.* (3.) Opponunt sese Deo, cui soli omnis debetur gloria, tanquam omnium virtutū donorumq;, ex quibus honor existere potest, autori. In omnibus enim actionibus suis non Dei; sed proprium honorem quærūt, nec mediocri gloria cōtenti sunt, sed majora semper affectant, ut super omnes emineant, quod *Luciferi*, *protoplastorum*, *Herodis*, *Antiochi*, & aliorum exempla testantur.

(4.) Multarum seditionum, litiū & turbarum causa sunt. Honorum cupiditas fecit *Cainum* fratricidam; *Esavum* immani odio erga fratrem accendit; *Aaronem & Mariam* contra fratrem *Mosen* irritavit; *Saulem* contra *Davidem*, *Absalonem* contra *proprium parentem*: gloriæ cupiditas fecit, ut *Alexander* omnē *Asiam* ferro & igni persequeretur, ut *Lacedæmonij* cum *Athenienfibus*, hi cum *Megarensibus*, *Carthaginenses* cum *Romanis*, *Romani* cum diversis nationibus perpetua bella gererēt: gloriæ desiderium multas in ecclesia turbas dedit, *Arianos*, *Donatistas*, *Novatianos* excitavit, quorum antesignanos omnes ambitio fecit hæreticos. *4. Seditiones & turbas excitare.*

(5.) Immisericordes sunt erga proximum, cujus miseriam non considerant, sed potiùs in sua gloria alto eum supercilio despiciunt. Ambitio enim superbos facit; superbia contemtores aliorum. *5. Immisericordem esse.*

(6.) Seipsos in miserias conjiciunt, gloriæ enim cupiditas *Luciferum* cœlo, *protoplastos* paradiso ejecit; *Mariam* leprâ, *Saulē* gladio percussit; *Nebucadnezarem* bestiis assimilavit, *Herodem* vermibus rodendum *6. Seipsos miseros reddere.*

dum

dum objecit. Semper enim hic Dei labor est in cœlo, alta deprimere, & humilia extollere, quod *Chilon Lacedæmonius* olim dixisse fertur.

*7. Irã Dei non metuere.* (7.) Iram Dei non metuunt. Resistit enim Deus superbis, quod ipsi vel non credunt, vel non expendunt, dum adhuc in sublimitate sunt constituti. Florent enim instar lauri, superexaltantur & levantur, sicut *Cedri Libani: transivi*, inquit David, *& non erant: quæsivi, & non est inventus locus eorum Psal. 37, 35. 36. Si enim exaltatus fueris, ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit, Dominus Obad. 1, 4.*

*8. Se non agnoscere.* (8.) Seipsos non agnoscunt, quàm viles sint & abjecti vermiculi, quàm planè nihil coram Deo creatore suo. Sed ipsi ambulant in vanitate sensus sui, & non nisi sublimia imaginantur sibi, obliti suæ imperfectionis, & nativæ impuritatis, adde etiam iræ & indignationis divinæ, in quam propter peccatum incurrimus.

Hi sunt illi pestiferi fructus, qui ex im̃oderato gloriæ desiderio propullulant, qui si diligenter considerentur, hunc affectum si non prorsus tollere, non parum tamen imminuere possunt.

*Remedia contra Φιλοτιμίαν & κενοδοξίαν.* *1. Sui ipsius cognitio.* Deinde cogita de remediis, quibus malo huic est occurrendum: primum est *cognitio sui ipsius*. Cogita enim, quis per lapsum factus, quàm miserè tota natura sit depravata, quã omninò gloria & honore omni, qui primo homini concreatus erat, spoliatus fueris, quantis propterea expositus sis miseriis, quas sis promeritus pœnas: cogita etiam infirmitatem corporis tui, quot morbis illud sit obnoxium, & quàm omninò dec° omne perditurum sit in sepulcro: cur ergò nos extollimus, cur præ aliis omnibus præeminere cupimus? Considera originem tuam, quæ est limus terræ: illenè nobis vel gloriandi vel superbiendi dare potest materiam? Cur non in mentem veniat ambitiosis versiculus *Bernhardi*:

*Post hominem vermis, post vermem*
*fœtor & horror:*
*Sic in non hominem vertitur omnis homo.*

Alterum est *imitatio sanctorum*, inter quos familiam ducit, Salvator noster *Iesus Christus*, qui usque adeò gloriæ contemtor fuit, ut *cum esset in forma Dei, non tamen rapinam arbitratus sit, æqualem esse Deo, exinanivit seipsum assumta forma servi*: quod exemplum *Apostolus Paulus* magni fecit, cùm ad studium humilitatis exhortaretur *Phil. 2. 5. seqq. Paulus* ipse non curavit gloriam hominum, contentus, quòd esset in gratiâ apud Deum: *mihi pro minimo est*, inquit, *ut à vobis judicer, qui judicat me, Dominus est 1. Cor. 4. v. 3. 4. Maria* mater Domini benedicta illa inter mulieres, non extulit se gloriosè super alios propter hoc dignitatis privilegium, quòd θεοτόκος facta fuerat, sed se ancillam Domini agnoscit, & ad infima etiam servitia *Elisabethæ* abjecit. Quæ exempla gloriæ cupiditatem extinguere, & humilitatis studium *2. Sanctorũ imitatio.*

studium accendere possunt in piis.

3. Periculorum consideratio.

Tertium est, *periculum maximum*, cui expositi sunt, qui in summo honorum fastigio sunt constituti. Verissimum enim est illud *Augustini*: *quò plus honoramur, eò plus periclitamur.* Hostem in sinu gerunt, & quidem illum ipsum, à quo se felices prædicant. Nam ipsa rerum prosperitas, quâ abundant, ipse splendor & fastigium honoris, quo præcellunt, copia illa servorum subditorumque, insidiantur ipsis, ut vel contra justitiam faciant, vel in præsente vitæ periculo versentur: quibus omnibus in mediocri conditione positi vacant.

Quapropter quilibet sua sit contentus sorte, & quamcunque nactus est Spartam, eam pro virili ornet: *non affectet altiora se, sed in his, quæ sibi mandata novit, fidelem sese præstet*, quod & *Siracides capit.* 3. *vers.* 22. omnium optimum remedium veræ tranquillitatis comparandæ arbitratur.

## CASUS V.

### *Quid opponendum est cupiditati vindictæ, quæ in multis animum præoccupat, & è statu suo deturbat?*

RESP. Cupiditas vindictæ non tantùm ab imperito vulgu, sed & ab iis, qui in aliqua existimatione esse volunt, laudatur & præmiis ornatur. Nam pauca pati, hodiè pro signo animi fortis habetur, perferre autem injurias & Deo vindici committere, animi degeneris, & meticulosi esse creditur: sed corrupto prorsus judicio.

[ *Melius est injuriam ferre, quàm inferre, lædi, quàm lædere.* ]

Vindictæ cupiditas undè oriatur?

Si scripturam consulamus, nihil magis adversum est Deo & caritati Christianæ, quàm cupiditas vindictæ. Oritur enim ex animo iracundo: *ira autem viri justitiam Dei non operatur Iac.* 1. *v.* 20. Qui verò iram suam compescere potest, is à vindicta etiam facilè abstinebit.

Ut autem iracundiæ affectum compescas, cogita primùm, quàm crudelis sit bestia, iracundia. Breve verbum est dicere: *ira furor brevis est*, sed longum habet epiphonema. Nam qui iram furorem dixit, omnia dixit, quæ iram in nobis extinguere possunt. Furor enim tollit rationem, mutat hominem in bestiam, facit ad conversationem omnem ineptum, & armat eum in seipsum, ita, ut furiosus ferè nimini magis noceat, quàm sibi. Hæc omnia rectè etiam dicuntur de ira, quæ vindictæ mater est. Aufert enim cor hominis, quem de recta ratione deturbat, ut quasi insensatus nesciat, quid agat, multa enim suscipit iracundus, quæ neque ætati, neque officio aut ordini suo conveniunt: multa facit vindictæ cupidus, etiam suo



Digitized by Google

cum detrimento, modo proximo, quem odit, noceat.

*Nam vindicta bonum vita jucundius ipsa.*

Ideo irati in scriptura dicuntur fatui, *fatuus*, inquit *Salomon*, *statim indicat iram suam*, *Prov.* 12, 16. Vicissim *Gregor. Nazianzen*, dixit: qui patientes, & ad iram tardi sunt, eos ut plurimum esse sapientes. Ira aufert veram pietatem, qui enim ex irato animo vindictæ sunt cupidi, rectè orare non possunt, quia in precibus *puræ manus attollendæ sunt, sine iracundia* 1. *Tim.* 2. *v.* 8. è contra ad blasphemandum & convitiandum linguâ suâ promti sunt. Aufert dilectionem, quam debemus proximo, quid enim diligat eum, cui nocere cupit: aufert justitiam, nam iracundi multis injuriam faciunt, & justitia non nisi à viris mansuetis & moderatis exerceri potest: aufert patientiam, quæ non vindicat, sed præfert injurias: aufert pacem & lætitiam animi, quia iracundus & vindictæ cupidus semper est inquietus, semper tumultuatur, semper pugnat: aufert concordiam cum proximo, sine quâ vita non potest esse jucunda. Nam *vir iracũdus provocat rixas*, inquit *Salomon*, *Proverb.* 15. *vers.* 18. aufert studium veritatis: multa enim per calumniam affinguntur in alios, in quibus ulcisci nos cupimus: aufert humanitatem omnem, hominesque in beluas, imò in ipsos diabolos transformat, qui hoc unicè agunt, ne videantur mansueti aut injuriarum patientes, ideo in hoc solùm intenti sunt, ne prosint proximo, sed ut noceant, id quod diaboli est proprium.

Hi sunt præcipui effectus iracundiæ, qui sese exerunt in vindictæ cupidis, quos sæpe expendere utile est: nam cùm nemo sibi ipsi lubens obsit, nemo etiam huic pernitiosissimæ cupiditati, quæ tot secum fert incommoda, indulgebit.

Deinde cogita, quæ sint causæ hujus inordinatæ cupiditatis. Sunt autem omnes, mera vitia, quomodo enim fructum tam venenatum bona arbor ferre potest? Prima causa est *Superbia*. Superbi enim nullas patiuntur injurias, sunt morosi & crudeles erga quosvis, à quibus vel tantillum fuêre læsi: quod si non facerent, multum honori suo detractum putant.

Altera est *Amor sui*, qui enim se nimium amat, aliis cito irascitur, qui sibi quoquo modo obsuerunt, nihil enim ferre potest, sæpè podagricorũ instar, antequam tangatur, exclamat.

Tertia causa est curiositas & suspicio, qui enim in singula curiosè inquirit, facilè, cui indignetur, invenit, cumque non facilè condonet etiam leviter delinquenti, celer est ad vindictam.

Quarta est *temeraria credulitas*, qui enim omnia credit, multa ingrata audit, adulatores libenter admittit, qui aliorum cum periculo hominis creduli favorem sibi comparant: unde nascuntur odia sæpè erga immerentes.

Quinta

Digitized by Google

Quinta *negligentia*, quod non cogitemus, quàm facilè Satan nos in vitia præcipitare possit, homines enim sumus, & ad vitia natura nimis proclives: tales esse eos, quibuscum vivimus, cogitare debemus, & multa ipsis ignoscemus, in quæ aliàs vindictam exacuere solent iracundi. Nemo bonus est, qui hæc vitia à se non quàm longissimè abesse exoptet: his igitur seriò resiste, & non facilè locum in te inveniet cupiditas vindictæ.

*Remedia cōtra vindictæ cupiditatem.* *1. à prohibitione Apostolica.* Tertiò etiam de remediis hujus vitiosissimi affectus sis solicitus. Primùm omnium auribus tuis semper insonet prohibitio *Apostolica Rom. 12. v. 19 non vosmetipsos ulciscamini, carissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*

*2. Ab obluctatione assidua & primorum motuū repressione contraria.* Deinde exsurgentibus vindictæ desideriis statim obluctare contrariis motibus, mansuetudinis & clementiæ; quod commune est remedium in omnibus vitiis, quæ omnium facillimè sopiuntur subito contrariarum virtutum studio. Corporis morbi curantur similibus, amara bilis amaro pharmaco eluitur, sed morbi animi non ita; iræ acerbitas patientia & lenitate, superbiæ typus depressione animi corrigitur.

*3. Ab executionis fructuosiori mora.* Tertiò si vindictæ cupiditate perturbaris, differ executionem, interim furor ille defervescit, mitiorque fiet animus. *Optimum enim remedium iræ est mora,* inquit, *Seneca.*

*4. à magis laudabili patientia.* Quartò contra desiderium vindictæ occalescat animus noster patientia, ut, quò magis irritamur, eò mitiores sumus? Ut enim aurum in igne septies probatum, nec naturam, nec colorem mutat: ita animus pii hominis ad injurias etiam sæpiùs repetitas callum patientiæ obducit, & quovis auro probatior redditur. Christiani sunt oviculæ Christi: Oves quotannis se tonderi patiuntur, & tandem tacentes jugulantur: sic & illos ad omnem injuriarum occursum oportet esse mites, & obdurantes, & tunc patientia ipsorum fiet testimonium innocentiæ.

*5. Ab exemplo Christi & martyrū memoria.* Quinto ante oculos nostros ponamus, quotiescunque vindictæ cupiditas nos stimulat, exemplum CHRISTI & sanctorum martyrum: quorum ille flagella, sputa, coronam spineam, crucem, illusiones hostium, ipsam denique mortem patientissimè tulit, & sui vindictam non expetiit, quin potiùs pro inimicis suis precatus est, quo exemplo nos quoque *Petrus* ad moderationem animi hortatur 1. *Petr. 2. v. 21. seqq.* hi vero passi sunt se extendi & tundi, ut pelles tympanorum, injurias & plagas varias, mortem amarulentissimam sustinuerunt, nec tamen inimicis suis malè precati sunt; sed gratias egerunt Deo, qui dignatus ipsos fuerat, ut pro nomine suo aliquid paterentur.

Hæc sunt spiritualia militiæ nostræ arma, quibus pestilentissimum illum hostem, cupiditatem vindictæ, quando animum perturbat, & in vero cultu exercitiisque pieta-



Digitized by Google

tis impedit, expugnare possumus, si præsertim accedant preces, ut Deus spiritu mansuetudinis & patientiæ nos induat, sine quo ne ad momentum quidem contra hujusmodi impetuosam perturbationem consistere possumus.

## CASUS VI.

### *Quomodo expugnandus est affectus voluptatum carnalium, qui multorum animos fœdissimè polluit?*

RESP. Non omne desiderium voluptatum est culpandum. Est enim voluptas quædam honesta & sancta, quæ ex lectione aut auditu verbi divini vel ex meditatione operum & beneficiorum divinorum, vel ex officii nostri laboribus ritè perfunctis oritur, quas voluptates appetere licet: imò ideò rebus illis sanctis & honestis operam damus, ut inde sanctam quandam recreationem percipiamus, & B. *David* nos *delectari jubet in Domino, & dabit nobis omnes petitiones cordis nostri, Psal. 37. v. 4.*

Sunt & voluptates quædam media & indifferentes, quæ vulgò naturales dicuntur, & ex esu aut potu, ex odore, visu aut auditu rerum jucundarum, ex quiete corporis commoda, & ex similibus exernorum sensuum qualitatibus oriuntur. Quæ si moderatæ sunt, merentur laudem, quia ad bonitatem Dei agnoscendam, & ad corporis incolumitatem conservandam faciunt, animamque ad laudem gloriamque Dei nobis undiquaque benefacientis invitant.

Si autem excessus hîc advenerit, aut recto fine non adhibeantur, in voluptates illicitas degenerant. Hujus ergò voluptatis affectus non est expugnandus, aut planè removendus; sed debito modo gubernandus. Nam ut *Aristoteles* etiam in *Ethicis* docuit, virtus non in carentia, sed in moderatione affectuum consistit.

De illicitis autem voluptatibus hîc agitur, quarum quædam sunt oris atque gulæ, quædam ventris: illæ Baccho, hæ Veneri inserviunt: ex illis sunt comessationes & ebrietates, ex his libidines, fornicationes & adulteria. Uterque affectus ad gehennam ducit, nisi maturè ei resistatur.

Contra desiderium ebrietatis, & comessationes hæc adhibeantur remedia: familiam ducat sacra Scriptura, quæ nos à vitiis illis gravissimè dehortatur, inprimis cùm *Christus* dicit *Luc. 21. v. 34. cavete, ne corda vestra graventur crapula & ebrietate,* & cùm *D. Paulus* operibus carnis accenset ebrietatem & comessationem, de quibus affirmat, quòd, *qui talia faciunt, regnum Dei non consequantur, Gal. 5. v. 21.*

Deinde cogitetur, quòd hæc vitia hominem infra bestias abjiciant:

ciant: rarò enim bruta supra satietatem esse aut bibere videas. Ebriosi autem non tantum modum frequenter excedunt, sed & ita in se ingurgitant, ut oculi caligent, & neque pes neque manus officium suum faciant: quâ ratione idolis similes fiunt, qui oculos habent, & non vident, manus & non tangunt, pedes & non ambulant.

Tertiò, qui sanitatem corporis amant, appetitui illi resistant, & sobrietati studeant. Nihil enim faciliùs humores in corpore corrumpit, & varios morbos generat, quàm crapula & ebrietas. Unde *Siracides* scribit *cap. 37. vers. 34. multi propter epulationem obierunt*, & *Salomon* ait. *cui væ? cujus patri væ? cui rixa? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Prov. 23. v. 29.* Nihil æquè abbreviat vitam, ac intemperentia in cibo & potu: quemadmodum vicissim simplex & frugalis victus priscis Patriarchis & aliis, vitam ad annos aliquot centenos prorogavit.

Quartò cogitetur, quòd ingluvies hominem ad actiones honestas prorsus ineptum reddat. Nam *vinum & ebrietas auferunt homini cor*, ut Propheta loquitur *Ose* 4, 11. debilitant ingenium, obnubilant intellectum, ut homo ad consultandum, discurrendum & judicandum prorsus infans fiat; ideò vituperantur judices ebrii, qui *sententias eructant*, *Esa. 28. v. 7.* quin & operas manuarias impediunt, nam qui ebrietatem amant, labores oderunt, *manusq; accipiunt tremulas, ut nepotes Caini videantur*, ut *Basilius in serm. de ebrietate* loquitur.

Quintò negari non potest, comessationes & ebrietates multorum malorum esse seminaria, ut rectè dixerit Apostolus: ἐν μέθῃ ἀσωτία *Ephes. 5. v. 18.* saginata enim caro fit lasciva, quæ repagula disciplinæ citò excutit, & ex ea, tanquam ex agro luxuriante, urticæ & cardui malarum cupiditatum magno numero excrescunt: aggravatur corpus cibis & pinguedine, ut ab animo difficiliùs trahatur: impediuntur preces & meditationes sacræ, obbrutescit animus, ut exiguo tempore & Deum & religionem omnem dediscat: officia demandata negliguntur, pauperes non curantur, & tandem ipsa voluptas, quæ in moderato cibo & potu absque peccato esse poterat, in gluvie deperditur: labor enim, sudor, cursus, fames & sitis optimum est ciborum condimentum. Pessimus autem ille cibus atque potus est, qui famem parit atque sitim, nobis nec esurientibus, nec sitientibus.

Porrò qui suggestiones sentiunt ad libidines & Venerem illicitam, ante omnia persuasum habeant, eas esse à diabolo, qui est immundus ille spiritus, osor conjugii & castitatis, cui toties resistere jubemur, ut fugiat à nobis. *Remedia contra libidines.*

Deinde cogitent, quòd *fornicatio fit opus carnis, quod hominem excludit è regno Dei Gal. 5. vers. 21.* & ex mem-

Hujusmodi examen conscientiæ *Propheta Nathan* cum *Davide*, post patratum adulterium, instituit: primùm beneficia divina enumerat: *Rex*, inquit, *unctus es, insidias Saulis evasisti, domum opulentissimam nactus es, imperium tibi in Iudam & Israelem commissum est, & siquidem tibi parva hæc videntur, Dominus paratus est adjicere majora.* Deinde peccatum ejus in genere aperit, & fontē ejus ostendit, nimirùm oblivionem mandati divini: *quare*, inquit, *contemsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* Denique peccatum exaggerat & correptionem addit: *Vriam occidisti, uxorem illius rapuisti: quamobrem non recedet gladius de domo tua* &c. 2. *Sam.* 12.

Hæc est ratio examinandi conscientiam, quâ in re qui animum à vitiis perpurgatum habere cupit, nemo segnis esse debet. *Hoc nos pessimos facit*, inquit *Seneca epist.* 83. *quod nemo vitam suam respicit, quid facturi sumus, cogitamus & id rarò: quid fecerimus, non cogitamus, atqui consilium futuri ex præterito venit.*

Non est compendiosior ad servandam bonam conscientiam via, quàm examen conscientiæ, quod animum à vitiis purgat, & in studio virtutis perficit; eamque ob caussam ad cultum animi, præ multis aliis, pertinet.

## CASUS III.

### *Cùm inordinatis affectibus verus animi cultus impediatur, haud abs re solicita est mens pia, quomodo affectus animi sint edomandi, ne noceant? & hic inprimis de frenanda cupiditate divitiarum.*

RESP. Nemo tàm sanctè vivit in mundo, quin affectibus suis interdum abripiatur in transversum. *Semper* enim *concupiscit caro adversus spiritum Gal.* 5. v. 17. Unde *Augustinus* rectè scripsit: *omnis homo cum casu suo ambulat. Nihil enim magis humanum est, quàm cadere, labi, errare, ac decipi.*

Hominis verò pij est, lapsum suum præcavere, cautè vivendo, affectus suos edomando, & seipsum vincendo, quâ nulla pulcrior victoria esse potest.

Suprà autem audivimus ex *Augustino*, quatuor esse vehementiores affectus in homine, *cupiditatem, timorem, lætitiam & tristitiam.* Qui in his moderandis virum se præstat, is animum tranquillum retinere potest.

Generalis autem gubernatio affectuum in eò consistit, ne iis statim con- *Generalis affectuum gubernatio*

consentiamus, quæ nostro allubescunt animo, sed motibus illis in animo exsurgentibus, masculè resistamus, juxta monitum *Siracid. c.* 18. *v.* 30. *post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua avertere*: & D. Paulus *Rom.* 6. *v.* 12. scribit: *non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.*

Aves super capita nostra volant, & hoc nemo prohibere potest; sed ne in capite nidulentur, quilibet cavere potest: ita ne affectus vitiosi nos adoriantur, non omninò impedire possimus, in hac infirmitate carnis nostræ: sed ne animum occupent, piasque cogitationes in eo suffocent, hoc prohibere est in nostra potestate, & in eo omne nostrũ studium occupatum esse debet, si animum habere exoptamus excultum & tranquillum.

Quod in specie cupiditatem attinet, affectus iste suo ambitu omnem complectitur πλεονεξίαν seu amorem habendi, sive alterius conjugem & liberos, sive bona & fortunas, sive etiam ultionem & vindictam erga hostes. Qui ergò cupiditatem frenare vult, is contra avaritiam, ambitionem, iracundiam, vindictam privatam, libidinem denique & voluptatem omnem in arenam descendit.

*Quomodo avaritiæ occurendum? Avaritia multis modis homini nocet.*

Cùm avaritia animum tuum occupat, præcipua illa cupiditatum noxiarum species, cogita ante omnia, quantopere noceat ea homini pio. Scriptura vocat eam *radicem omnium malorum* 1. *Tim.* 6, 9. Veteres sapientes *metropolin omnium vitiorum.*

*Nocet menti.*

Ea mentem hominis nunquam relinquit quietam, sed perpetuis excruciat curis & solicitudinibus, diffidentia, timore, invidiâ, appetentiâ, desperatione: avaro enim semper deest, etiam id, quod habet, quia contentus eo non est.

*Nocet corpori.*

Corpori insuper suo injuriam facit, noctu diuque per frigus & æstum, per mare, per terras quærens corruptibiles mundi hujus opes. Et cùm magno cumulo eas adquisivit, præter adspectum earum nihil habet, uti frui eis non audet; & sic semetipsum divinis beneficiis orbat: Deus enim in usum hominum creavit omnia, quæ sunt in mundo utilia. Dum autem sibi usum bonorum derogat, aliis eum invidet: interim servitio eorum sese mancipat, quorum Dominus ipse esse debebat: ex opibus idolum facit, in quibus longè majorem ponit fiduciam, quàm in Deo ipso: eos, quos bonis suis sustentare alereque debebat, defraudat. Non enim ipse solus bonorum suorum Dominus est, sed partem patria, partem liberi & amici, partem magistratus, partem etiam pauperes sibi vendicant.

*Nocet proximo.*

Cupiditas habendi multorum bellorum, expilationum & latrociniorum causa extitit: non tantùm armat in hostem, sed & in fratrem, & sine sanguine homicidam facit. Nam ut *Sirac.* loquitur *c.* 34. *v.* 25. *panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.*

 Facit

Digitized by Google

*Facit athe-um.* Facit hominem atheum, qui nullam religionem curat, conciones contemnit, plus fiduciæ ex peculiola arcæ inclusa percipit, quàm ex omnibus promissionibus divinis.

*Virtutis amorem extinguit &c.* Æmulationem & amorem virtutis extinguit, ex templis religionem, ex urbibus & domibus disciplinam tollit, ἀταξίαν & confusionem in ecclesiam invehit.

Tot malis & periculis se implicant, qui rerum terrenarum nimiùm sunt cupidi.

*Divitiæ nō reddunt animum hominis trāquillum.* Deinde cogita, quòd divitiæ animum minimè tranquillum reddunt, quorsum ergò appetuntur? Omne enim desiderium nostrum nisi ad tranquillitatem animi referatur, perniciosum est.

Apostoli neque peram neque pecuniam habebant, & tamen nulla re necessaria destituebantur, longeq; hilariori erant animo, quàm qui multa possidebant.

*Tellus Athenensis*, ut est apud *Plutarchum in vita Solonis*, contentus tugurio & agello, quantus ad ipsum & liberos alendos satis erat, tranquillo vivebat animo. *Cræsus* verò regno *Lybiæ* & infinitis tributis exsatiari non potuit. Rectè ergò judicavit *Solon*, *Tellum* longè feliciorem esse hoc *Cræso*. Ille enim paucis contentus sua in mediocritate benè habebat: hic verò plura semper appetens, curarum plenus tandem etiam id, quod possidebat, amisit.

Denique cogita, de remediis, quibus hanc pestem πλεονεξίας ex animo tuo expellere potes. Natura paucis est contenta, nunquam ergò parum erit, cui satis est. Cupiditas habendi est inexsaturabilis, *ponitque laqueos homini trahentes ad interitum*, ut *Paulus* docet 1. *Timoth*. 6. *v*. 9. Opes & divitiæ periclitanti raro opem ferre possunt, multi enim unà cum divitiis suis in manus hostium venêre: & scriptura testatur, quòd *aurum & argentum neminē liberare possit in die iræ Ezech.* 7. *vers*. 19. *Soph*. 1. *vers*. 18. Contrà verò divitiæ multorum periculorum & adversitatum causa sunt: multi enim ob pecuniam iniquè agunt, aliorum odia sibi conciliant, insidiis hostium se exponunt, unde *Diogenes* interrogatus, cur pallens aurum esset, respondisse fertur, quia multos habet insidiatores. Quid ergò angeris eam ob rem, quæ vitam adeò acerbam reddit?

Hæc qui seriò secum expendit, cupiditatum suarum luxuriem facilè amputare potest: præsertim, si addat regulam Christianorum, quos Dominus primùm omnium *quærere* vult *regnum Dei & ejus justitiam Matth*. 6. & *Paulus*, *quærere ea, quæ sursum sunt, non, quæ super terram Coloss*. 2. *vers*. 2. & qui novit, melius esse dare, quàm accipere, libentiùs bona sua rectè distribuere discet, quàm variis artibus augere.

CASUS

## CASUS IV.

### *Quomodo resistendum perturbationibus animi, quæ sunt ex cupiditate bonorum.*

ALtera species cupiditatum est desiderium honorum & gloriæ, ex quo, si fuerit nimium, oritur tandem ambitio, quæ generosioribus animis omnium maximè insidiatur, non secus ac ligna delicatiora vermibus & putredini magis sunt obnoxia.

*Ambitiosorum noxia effecta.* Hæc ergò pestis, cùm perturbare incipit animum tuum, cogita primum, quàm noxia sint ejus effecta. Nam qui nimiùm sunt gloriæ cupidi (1.) vix ferre possunt parem, nedum superiorem: quæ causa fuit, quòd nec *Themistocles* cum *Aristide*, nec *Cæsar* cum *Pompejo* in eodem orbe vivere potuerunt.

*1 Neminē juxta se ferre posse.*

*2. Vanum vulgi honorem quærere.* (2.) Falsum & vanum quærunt honorem, non quem virtus & honestorum hominum judicium peperit, qui honor summè est laudabilis & appetendus, sed qui ab imperito vulgo oritur, sive vitio, sive virtute; sive necessariis, sive supervacaneis actionibus adquiratur: quem honorem sapientes despiciunt, & in vitio potiùs, quàm in laude ponunt.

*3. Deo se opponere.* (3.) Opponunt sese Deo, cui soli omnis debetur gloria, tanquam omnium virtutū donorumq;, ex quibus honor existere potest, autori. In omnibus enim actionibus suis non Dei, sed proprium honorem quærūt, nec mediocri gloria cōtenti sunt, sed majora semper affectant, ut super omnes emineant, quod *Luciferi*, *protoplastorum*, *Herodis*, *Antiochi*, & aliorum exempla testantur.

(4.) Multarum seditionum, litiū & turbarum causa sunt. Honorum cupiditas fecit *Cainum* fratricidam; *Esavum* immani odio erga fratrem accendit; *Aaronem & Mariam* contra fratrem *Mosen* irritavit; *Saulem* contra *Davidem*, *Absalonem* contra *proprium parentem*: gloriæ cupiditas fecit, ut *Alexander* omnē *Asiam* ferro & igni persequeretur, ut *Lacedæmonij* cum *Athenensibus*, hi cum *Megarensibus*, *Carthaginenses* cum *Romanis*, *Romani* cum diversis nationibus perpetua bella gererēt: gloriæ desiderium multas in ecclesia turbas dedit, *Arianos*, *Donatistas*, *Novatianos* excitavit, quorum antesignanos omnes ambitio fecit hæreticos. *4. Seditiones & turbas excitare.*

(5.) Immisericordes sunt erga proximum, cujus miseriam non considerant, sed potiùs in sua gloria alto eum supercilio despiciunt. Ambitio enim superbos facit; superbia contemtores aliorum. *5. Immisericordem esse.*

(6.) Seipsos in miserias conjiciunt, gloriæ enim cupiditas *Luciferum* cœlo, *protoplastos* paradiso ejecit; *Mariam* leprâ, *Saulē* gladio percussit; *Nebucadnezarem* bestiis assimilavit, *Herodem* vermibus rodendum *6. Seipsos miseros reddere.*

dum objecit. Semper enim hic Dei labor est in cœlo, alta deprimere, & humilia extollere, quod *Chilon Lacedæmonius* olim dixisse fertur.

7. *Irã Dei non metuere.* (7.) Iram Dei non metuunt. Resistit enim Deus superbis, quod ipsi vel non credunt, vel non expendunt, dum adhuc in sublimitate sunt constituti. Florent enim instar lauri, superexaltantur & levantur, sicut *Cedri Libani: transivi,* inquit David, *& non erant: quæsivi, & non est inventus locus eorum Psal. 37, 35, 36. Si enim exaltatus fueris, ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detrabam te, dicit, Dominus Obad. 1, 4.*

8. *Se non agnoscere.* (8.) Seipsos non agnoscunt, quàm viles sint & abjecti vermiculi, quàm planè nihil coram Deo creatore suo. Sed ipsi ambulant in vanitate sensus sui, & non nisi sublimia imaginantur sibi, obliti suæ imperfectionis, & nativæ impuritatis, adde etiam iræ & indignationis divinæ, in quam propter peccatum incurrimus.

Hi sunt illi pestiferi fructus, qui ex imoderato gloriæ desiderio propullulant, qui si diligenter considerentur, hunc affectum si non prorsus tollere, non parum tamen imminuere possunt.

*Remedia contra φιλοτιμίαν & κενοδοξίαν. 1. Sui ipsius cognitio.* Deinde cogita de remediis, quibus malo huic est occurrendum: primum est *cognitio sui ipsius.* Cogita enim, quis per lapsum factus, quàm miserè tota natura sit depravata, quã omninò gloria & honore omni, qui primo homini concreatus erat, spoliatus fueris, quantis propterea expositus sis miseriis, quas sis promeritus pœnas: cogita etiam infirmitatem corporis tui, quot morbis illud sit obnoxium, & quàm omninò dec° omne perditurum sit in sepulcro: cur ergò nos extollimus, cur præ aliis omnibus præeminere cupimus? Considera originem tuam, quæ est limus terræ: illenè nobis vel gloriandi vel superbiendi dare potest materiam? Cur non in mentem veniat ambitiosis versiculus *Bernhardi:*

*Post hominem vermis, post vermem*
*fœtor & horror:*
*Sic in non hominem vertitur omnis homo.*

Alterum est *imitatio sanctorum,* inter quos familiam ducit, Salvator noster *Iesus Christus*, qui usque adeò gloriæ contemtor fuit, ut *cum esset in forma Dei, non tamen rapinam arbitratus sit, æqualem esse Deo, exinanivit seipsum assumta forma servi:* quod exemplum *Apostolus Paulus* magni fecit, cùm ad studium humilitatis exhortaretur *Phil. 2. 5. seqq. Paulus* ipse non curavit gloriam hominum, contentus, quòd esset in gratiâ apud Deum: *mihi pro minimo est,* inquit, *ut à vobis judicer, qui judicat me, Dominus est 1. Cor. 4. v. 3. 4. Maria* mater Domini benedicta illa inter mulieres, non extulit se gloriosè super alios propter hoc dignitatis privilegium, quod θεοτόκος facta fuerat, sed se ancillam Domini agnoscit, & ad infima etiam servitia *Elisabethæ* abjecit. Quæ exempla gloriæ cupiditatem extinguere, & humilitatis *2. Sanctorũ imitatio.*

studium

ſtudium accendere poſſunt in piis.

3. Periculorum conſideratio. Tertium eſt, *periculum maximum*, cui expoſiti ſunt, qui in ſummo honorum faſtigio ſunt conſtituti. Veriſſimum enim eſt illud *Auguſtini*: *quò plus honoramur, eò plus periclitamur*. Hoſtem in ſinu gerunt, & quidem illum ipſum, à quo ſe fælices prædicant. Nam ipſa rerum proſperitas, quâ abundant, ipſe ſplendor & faſtigium honoris, quo præcellunt, copia illa ſervorum ſubditorumque, inſidiantur ipſis, ut vel contra juſtitiam faciant, vel in præſente vitæ periculo verſentur: quibus omnibus in mediocri conditione poſiti vacant.

Quapropter quilibet ſua ſit contentus ſorte, & quamcunque nactus eſt Spartam, eam pro virili ornet: *non affectet altiora ſe, ſed in his, quæ ſibi mandata novit, fidelem ſeſe præſtet*, quod & *Siracides capit. 3. verſ.* 22. omnium optimum remedium veræ tranquillitatis comparandæ arbitratur.

## CASUS V.

### *Quid opponendum eſt cupiditati vindictæ, quæ in multis animum præoccupat, & è ſtatu ſuo deturbat?*

RESP. Cupiditas vindictæ non tantùm ab imperito vulgo, ſed & ab iis, qui in aliqua exiſtimatione eſſe volunt, laudatur & præmiis ornatur. Nam pauca pati, hodiè pro ſigno animi fortis habetur, perferre autem injurias & Deo vindici committere, animi degeneris, & meticuloſi eſſe creditur: ſed corrupto prorſus judicio.

[ *Melius eſt injuriam ferre, quàm inferre, lædi, quàm lædere.* ]

Si ſcripturam conſulamus, nihil magis adverſum eſt Deo & caritati Chriſtianæ, quàm cupiditas vindictæ. Oritur enim ex animo iracundo: *ira autem viri juſtitiam Dei non operatur Iac.* 1. *v.* 20. Qui verò iram ſuam compeſcere poteſt, is à vindicta etiam facilè abſtinebit. *Vindicta cupiditas undè oriatur?*

Ut autem iracundiæ affectum compeſcas, cogita primùm, quàm crudelis ſit beſtia, iracundia. Breve verbum eſt dicere: *ira furor brevis eſt*, ſed longum habet epiphonema. Nam qui iram furorem dixit, omnia dixit, quæ iram in nobis extinguere poſſunt. Furor enim tollit rationem, mutat hominem in beſtiam, facit ad converſationem omnem ineptum, & armat eum in ſeipſum, ita, ut furioſus ferè nimini magis noceat, quàm ſibi. Hæc omnia rectè etiam dicuntur de ira, quæ vindictæ mater eſt. Aufert enim cor hominis, quem de recta ratione deturbat, ut quaſi inſenſatus neſciat, quid agat, multa enim ſuſcipit iracundus, quæ neque ætati, neque officio aut ordini ſuo conveniunt: multa facit vindictæ cupidus, etiam ſuo



Google

cum detrimento, modo proximo, quem odit, noceat.

*Nam vindicta bonum vita jucundius ipsa.*

Ideo irati in scriptura dicuntur fatui, *fatuus*, inquit *Salomon*, *statim indicat iram suam*, *Prov.* 12, 16. Vicissim *Gregor. Nazianzen*, dixit: qui patientes, & ad iram tardi sunt, eos ut plurimum esse sapientes. Ira aufert veram pietatem, qui enim ex irato animo vindictæ sunt cupidi, rectè orare non possunt, quia in precibus *puræ manus attollendæ sunt, sine iracundia* 1. *Tim.* 2. *v.* 8. è contra ad blasphemandum & convitiandum linguâ suâ promti sunt. Aufert dilectionem, quam debemus proximo, quid enim diligat eum, cui nocere cupit: aufert justitiam, nam iracundi multis injuriam faciunt, & justitia non nisi à viris mansuetis & moderatis exerceri potest: aufert patientiam, quæ non vindicat, sed præfert injurias: aufert pacem & lætitiam animi, quia iracundus & vindictæ cupidus semper est inquietus, semper tumultuatur, semper pugnat: aufert concordiam cum proximo, sine quâ vita non potest esse jucunda. Nam *vir iracũdus provocat rixas*, inquit *Salomon*, *Proverb.* 15. *vers.* 18. aufert studium veritatis: multa enim per calumniam affinguntur in alios, in quibus ulcisci nos cupimus: aufert humanitatem omnem, hominesque in beluas, imò in ipsos diabolos transformat, qui hoc unicè agunt, ne videantur mansueti aut injuriarum patientes, ideo in hoc solùm intenti sunt, ne prosint proximo, sed ut noceant, id quod diaboli est proprium.

Hi sunt præcipui effectus iracundiæ, qui sese exerunt in vindictæ cupidis, quos sæpe expendere utile est: nam cùm nemo sibi ipsi lubens obsit, nemo etiam huic pernitiosissimæ cupiditati, quæ tot secum fert incommoda, indulgebit.

Deinde cogita, quæ sint causæ hujus inordinatæ cupiditatis. Sunt autem omnes, mera vitia, quomodo enim fructum tam venenatum bona arbor ferre potest? Prima causa est *Superbia*. Superbi enim nullas patiuntur injurias, sunt morosi & crudeles erga quosvis, à quibus vel tantillum fuêre læsi: quod si non facerent, multum honori suo detractum putant.

Altera est *Amor sui*, qui enim se nimium amat, aliis cito irascitur, qui sibi quoquo modo obfuerunt, nihil enim ferre potest, sæpè podagricorũ instar, antequam tangatur, exclamat.

Tertia causa est curiositas & suspicio, qui enim in singula curiosè inquirit, facilè, cui indignetur, invenit, cumque non facilè condonet etiam leviter delinquenti, celer est ad vindictam.

Quarta est *temeraria credulitas*, qui enim omnia credit, multa ingrata audit, adulatores libenter admittit, qui aliorum cum periculo hominis creduli favorem sibi comparant: unde nascuntur odia sæpè erga immerentes.

Quinta

Digitized by Google

Quinta *negligentia*, quod non cogitemus, quàm facilè Satan nos in vitia præcipitare possit, homines enim sumus, & ad vitia natura nimis proclives: tales esse eos, quibuscum vivimus, cogitare debemus, & multa ipsis ignoscemus, in quæ aliàs vindictam exacuere solent iracundi. Nemo bonus est, qui hæc vitia à se non quàm longissimè abesse exoptet: his igitur serio resiste, & non facilè locum in te inveniet cupiditas vindictæ.

*Remedia cōtra vindictæ cupiditatem.*

*1. à prohibitione Apostolica.*

Tertiò etiam de remediis hujus vitiosissimi affectus sis solicitus, Primùm omnium auribus tuis semper insonet prohibitio *Apostolica Rom. 12. v. 19 non vosmetipsos ulciscamini, carissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*

*2. Ab obluctatione assidua & primorum motuū repressione contraria.*

Deinde exsurgentibus vindictæ desideriis statim obluctare contrariis motibus, mansuetudinis & clementiæ; quod commune est remedium in omnibus vitiis, quæ omnium facillimè sopiuntur subito contrariarum virtutum studio, Corporis morbi curantur similibus, amara bilis amaro pharmaco eluitur, sed morbi animi non ita; iræ acerbitas patientia & lenitate, superbiæ typus depressione animi corrigitur.

*3. Ab executionis fructuosiori mora.*

Tertiò si vindictæ cupiditate perturbaris, differ executionem, interim furor ille defervescit, mitiorque fiet animus. *Optimum enim remedium iræ est mora*, inquit, *Seneca.*

*4. à magis laudabili patientia.*

Quartò contra desiderium vindictæ occalescat animus noster patientia, ut, quò magis irritamur, eò mitiores sumus? Ut enim aurum in igne septies probatum, nec naturam, nec colorem mutat: ita animus pii hominis ad injurias etiam sæpiùs repetitas callum patientiæ obducit, & quovis auro probatior redditur. Christiani sunt oviculæ Christi: Oves quotannis se tonderi patiuntur, & tandem tacentes jugulantur: sic & illos ad omnem injuriarum occursum oportet esse mites, & obdurantes, & tunc patientia ipsorum fiet testimonium innocentiæ.

*5. Ab exemplo Christi & martyrū memoria.*

Quinto ante oculos nostros ponamus, quotiescunque vindictæ cupiditas nos stimulat, exemplum CHRISTI & sanctorum martyrum: quorum ille flagella, sputa, coronam spineam, crucem, illusiones hostium, ipsam denique mortem patientissimè tulit, & sui vindictam non expetiit, quin potiùs pro inimicis suis precatus est, quo exemplo nos quoque *Petrus* ad moderationem animi hortatur 1. *Petr. 2. v. 21. seqq.* hi vero passi sunt se extendi & tundi, ut pelles tympanorum, injurias & plagas varias, mortem amarulentissimam sustinuerunt, nec tamen inimicis suis malè precati sunt; sed gratias egerunt Deo, qui dignatus ipsos fuerat, ut pro nomine suo aliquid paterentur.

Hæc sunt spiritualia militiæ nostræ arma, quibus pestilentissimum illum hostem, cupiditatem vindictæ, quando animum perturbat, & in vero cultu exercitiisque pieta-



Digitized by Google

tis, impedit, expugnare poſſumus, ſi præſertim accedant preces, ut Deus ſpiritu manſuetudinis & patientiæ nos induat, ſine quo ne ad momentum quidem contra hujuſmodi impetuoſam perturbationem conſiſtere poſſumus.

## CASUS VI.

### *Quomodo expugnandus eſt affectus voluptatum carnalium, qui multorum animos fœdiſſimè polluit?*

RESP. Non omne deſiderium voluptatum eſt culpandum. Eſt enim voluptas quædam honeſta & ſancta, quæ ex lectione aut auditu verbi divini vel ex meditatione operum & beneficiorum divinorum, vel ex officii noſtri laboribus ritè perfunctis oritur, quas voluptates appetere licet: imò ideò rebus illis ſanctis & honeſtis operam damus, ut inde ſanctam quandam recreationem percipiamus, & B. *David* nos *delectari jubet in Domino, & dabit nobis omnes petitiones cordis noſtri, Pſal. 37. v. 4.*

Sunt & voluptates quædam media & indifferentes, quæ vulgò naturales dicuntur, & ex eſu aut potu, ex odore, viſu aut auditu rerum jucundarum, ex quiete corporis commoda, & ex ſimilibus exernorum ſenſuum qualitatibus oriuntur. Quæ ſi moderatæ ſunt, merentur laudem, quia ad bonitatem Dei agnoſcendam, & ad corporis incolumitatem conſervandam faciunt, animamque ad laudem gloriamque Dei nobis undiquaque benefacientis invitant.

Si autem exceſſus hîc advenerit, aut recto fine non adhibeantur, in voluptates illicitas degenerant. Hujus ergò voluptatis affectus non eſt expugnandus, aut planè removendus; ſed debito modo gubernandus. Nam ut *Ariſtoteles* etiam in *Ethicis* docuit, virtus non in carentia, ſed in moderatione affectuum conſiſtit.

De illicitis autem voluptatibus hîc agitur, quarum quædam ſunt oris atque gulæ, quædam ventris: illæ Baccho, hæ Veneri inſerviunt: ex illis ſunt comeſſationes & ebrietates, ex his libidines, fornicationes & adulteria. Uterque affectus ad gehennam ducit, niſi maturè ei reſiſtatur.

Contra deſiderium ebrietatis, & comeſſationes hæc adhibeantur remedia: familiam ducat ſacra Scriptura, quæ nos à vitiis illis graviſſimè dehortatur, inprimis cùm *Chriſtus* dicit *Luc. 21. v. 34. cavete, ne corda veſtra graventur crapula & ebrietate,* & cùm *D. Paulus* operibus carnis acceſet ebrietatem & comeſſationem, de quibus affirmat, quòd, *qui talia faciunt, regnum Dei non conſequantur, Gal. 5. v. 21.*

Deinde cogitetur, quòd hæc vitia hominem infra beſtias abjiciant:

ciant: rarò enim bruta supra satietatem esse aut bibere videas. Ebriosi autem non tantum modum frequenter excedunt, sed & ita in se ingurgitant, ut oculi caligent, & neque pes neque manus officium suum faciant: quâ ratione idolis similes fiunt, qui oculos habent, & non vident, manus & non tangunt, pedes & non ambulant.

Tertiò, qui sanitatem corporis amant, appetitui illi resistant, & sobrietati studeant. Nihil enim faciliùs humores in corpore corrumpit, & varios morbos generat, quàm crapula & ebrietas. Unde *Siracides* scribit *cap. 37. vers. 34. multi propter epulationem obierunt*, & *Salomon* ait, *cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Prov. 23. v. 29.* Nihil æquè abbreviat vitam, ac intemperentia in cibo & potu: quemadmodum vicissim simplex & frugalis victus priscis Patriarchis & aliis, vitam ad annos aliquot centenos prorogavit.

Quartò cogitetur, quòd ingluvies hominem ad actiones honestas prorsùs ineptum reddat. Nam *vinum & ebrietas auferunt homini cor*, ut Propheta loquitur *Ose* 4, 11. debilitant ingenium, obnubilant intellectum, ut homo ad consultandum, discurrendum & judicandum prorsus infans fiat; ideò vituperantur judices ebrii, qui *sententias eructant*, *Esa.* 28. *v.* 7. quin & operas manuarias impediunt, nam qui ebrietatem amant, labores oderunt, *manusq; accipiunt tremulas, ut nepotes Caini videantur*, ut *Basilius in serm. de ebrietate* loquitur.

Quintò negari non potest, comessationes & ebrietates multorum malorum esse seminaria, ut rectè dixerit Apostolus: ἐν μέθῃ ἀσωτία *Ephes.* 5. *v.* 18. saginata enim caro fit lasciva, quæ repagula disciplinæ citò excutit, & ex ea, tanquam ex agro luxuriante, urticæ & cardui malarum cupiditatum magno numero excrescunt: aggravatur corpus cibis & pinguedine, ut ab animo difficiliùs trahatur: impediuntur preces & meditationes sacræ, obbrutescit animus, ut exiguo tempore & Deum & religionem omnem dediscat: officia demandata negliguntur, pauperes non curantur, & tandem ipsa voluptas, quæ in moderato cibo & potu absque peccato esse poterat, ingluvie deperditur: labor enim, sudor, cursus, fames & sitis optimum est ciborum condimentum. Pessimus autem ille cibus atque potus est, qui famem parit atque sitim, nobis nec esurientibus, nec sitientibus.

*Remedia contra libidines.*

Porrò qui suggestiones sentiunt ad libidines & Venerem illicitam, ante omnia persuasum habeant, eas esse à diabolo, qui est immundus ille spiritus, osor conjugii & castitatis, cui toties resistere jubemur, ut fugiat à nobis.

Deinde cogitent, quòd *fornicatio sit opus carnis, quod hominem excludit è regno Dei Gal. 5. vers. 21.* & ex mem-

*bris Chriſti facit membra meretricis*, 1. *Cor.* 6, 5. cumque alia peccata fiant extra corpus, qui fornicatur, *in corpus ſuum peccat v.* 18.

Tertiò expendat, quàm variis hominem miſeriis objiciat hoc peccatum. Excæcat enim animos, ſtupidosque facit, unde libidinoſi plerunque ſunt ad res ſerias agendas inepti: quod inprimis exemplum *Salomonis* teſtatur, qui cùm antea eſſet regum ſapientiſſimus, quamprimùm mulieroſus factus eſt, & Ethnicis uxoribus adhæſit, nihil ferè de ſapientia ſua retinuit, adeò, ut etiam in gratiam mulierculatum *deos alienos coleret*, 1. *Reg.* 11, 5. *Samſon* etiam meretriculæ amore victus & deceptus, omne ſuum robur amiſit, & in manus hoſtium incidit *Iud.* 16, 19. Nihil dicam de *Hercule*, nihil de *M. Antonio*, de quo *Cleopatram* amante *Plutarchus*: *ejus animus in ipſo morsebatur, ut in corpore amicæ viveret.*

Quartò conſideret, quàm multos amor illicitus ad ſummam redegerit paupertatem. Vorax enim Venus eſt, quæ brevi temporis ſpatio maximas opes diſperdidit, quia nulla re magis, quàm pecunia meretricum januæ & animæ expugnantur. Ideò *Salomon* meretricem *foveam profundam* nominavit *Prov.* 23, 27. abſorbet enim ipſa & ſanitatem & ſubſtantiam hominis, & *Siracides* hortatur: *ne des fornicariis animam tuam, ne perdas te & hæreditatem tuam*, *Sir.* 9, 6.

Quintò ante oculos ſibi ponat exempla pœnarum, quibus Deus in libidinoſos adnimadvertit. Ob fornicationem *Sichemi* omnes maſculi *Sichemitarum* necabantur *Geneſ.* 34. *v.* 25. ob libidines primus mundus diluvio, *Sodomitæ* incendio perierunt *Geneſ.* 67, 19. ob eandem cauſam 24000. ceciderunt in deſerto *Num.* 25, 4. & integra tribus *Bejamin* exciſa fuit, *Iudic* 20. *Hæc autem in figura facta ſunt nobis, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupiverunt, neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt* 1. *Cor.* 10. *v.* 6 8. Deus enim caſta mens eſt, & graviter ulciſci ſolet libidinoſos, ſicut ſcriptum eſt: *ſcortatores & adulteros judicabit Deus Heb.* 13. *v.* 4.

Sextò fugiat occaſionem omnem libidinum. *Cum ſaltatrice ne ſis aſſiduus*, inquit *Siracides*, *nec audias illam, ne fortè pereas per eam. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam; propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit Sir.* 9. *v.* 6 8. 9.

Huc pertinet etiam exhortatio *Salomonis Prov.* 5. *v.* 1. *ſeqq.* 6, 24. *ſeqq.* 7, 5. *ſeqq.* Adhibeat etiam diligentiam in precibus & aſſiduitatem in laboribus vocationis: hæc enim animum in officio continent, & caſtitatem cuſtodiunt: in improbis verò & otioſis hominibus patet cor tentatori, & imprimis cogitationibus facilè repletur.

Tantum de cupiditate voluptatum.



Digitized by Google

## CASUS VII.

### *Quomodo resistendum est metui, ne animum à recto bonarum actionum tramite turbet?*

RESP Metum *Augustinus* inter affectus animi secundo loco ponit. Est autem metus reliquorum affectuum quasi motor quidam & impulsor, qui eos instar venti impetuosi ultrò citroque agitat. Desiderium pecuniæ incutit metum paupertatis, desiderium honoris metum infamiæ aut dedecoris, desiderium voluptatum metum laboris & molestiæ. His adde metum deformitatis, metum captivitatis, metum senectutis, metum morborum, & ipsius denique mortis. Et hæ omnes sunt species metus in rebus externis.

Est autem etiam metus rerum spiritualium, ut peccati, judicii divini, condemnationis æternæ & similium. Hæc omnia tranquillitatem animi impediunt, ideò remedia commoda quærenda sunt, quibus metus iste expellatur.

*Remedia contra metum paupertatis.* Paupertatis metum excutimus 1. *consideratione promissionum divinarum*, quod *inquirentes Dominum non minuantur ullo bono Psal.* 34. *vers.* 11. quod *timentes Dominum sint benedicti, labores manuum suarum manducabunt, Psal.* 128, 2. quod *benedictio Domini divites faciat, Prov.* 10, 22. quilibet ergo faciat quæ sui sunt muneris, reliqua commendet Deo, cujus *promissiones in Christo Iesu est & Amen sunt*, 2. *Cor.* 1, 20.

(2.) *Consideratione providentiæ divinæ*, quæ curam suscipit omnium, quæ sunt in mundo. *Ipse* enim *aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, Psal.* 145, 16. etiam aviculas alit, & lilia campi vestit, quidni filiis suis prospiciat de necessariis? Pater noster est, & necessitatis nostræ conscius: ergo liberos suos negligere non potest: in quam sententiam *Christus* prolixam instituit parænesin *Matth.* 6.

*Remedia contra metum ignominiæ & infamiæ.* Metui ignominiæ & infamiæ opponere possumus 1. *studium humilitatis*, quod decet Christianos omnes, qui *non quærunt, quæ sua sunt, sed quæ aliorum, Phil.* 2.

(2.) Conditionem eorum, qui nos ignominia afficiunt: sunt homines mundani, carnales, & in regno Dei infames. *Dementia autem est, vereri, ne diffameris ab infamibus*, ait *Seneca*.

(3.) veram nostram gloriam, quam habemus apud Deum, quæ in eo consistit, quod simus filii Dei, & hæredes vitæ æternæ, quam scriptura omnibus hujus seculi honoribus anteponit *Rom.* 8, 17. 1. *Ioh.* 3, 2.

(4.) Largam remunerationem ignominiæ, quam propter Christum patimur, eam enim promisit Dominus, *Matth.* 5. *v.* 11. *beati, si maledixerint vobis homines* &c.

Metum laboris & molestiarum fugare

fugare possumus (1.) consideratione voluntatis divinæ, Deus enim homini laborem injunxit *Genes.* 3. & per labores dona sua nobis vendere voluit. Unde *Siracides* scripsit: *non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo, Sir.* 7, 16.

(2.) Consideratione utilitatis, quam habemus ex labore. Prodest enim sanitati hominis, roborat vires corporis, medetur desideriis pravis, benè meretur de proximo, liberat nos à turpi servitute voluptatum, laudem denique parat apud rectè sentientes. Nemo enim probat otia, quæ multa docent vitia *Sir.* 33. 29 qui autem honestis occupati sunt laboribus, favorem bonorum facilè merentur.

*Remedia contra metū deformitatis corporis.* Cùm deformitas corporis metum injicit, cogitemus, quòd ea non sit, in nostra manu, sed *Deus est generator formæ Sap.* 11. *vers.* 3. qui unicuique *sua distribuit bona, prout vult.* 1. *Cor.* 12. nemo nostrûm *staturæ suæ cubitum adjicere, nemo pilum unum album aut nigrum efficere potest Matth.* 5, 36. 6, 27. si quis formæ defectus occurrit, detur opera, ut animi cultura defectus ille compensetur. Interim solemur nos futura corporum nostrorum glorificatione, de qua *Paulus Phil.* 3, 21. ubi corpora justorum *fulgebunt instar Solis in regno Patris, Matth.* 13, 43.

*Remedia contra metum captivitatis & exilij.* Si captivitatis aut exilii metus imminet, cogitetur, hæc ad casus humanos pertinere, qui cuilibet contingere possunt, à quibus etiam sancti non fuerunt excepti, ut exempla *Josephi, Danielis, Apostolorum* ipsius denique *Christi* in infantia sua exulantis, testantur. *Nemo autem patiatur, ut fur aut homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine* 1. *Petr.* 4. *v.* 16. 17.

*Remedia contra metum calamitatum.* Metum calamitatum exstinguere potest consideratio mali hujus necessarii: *omnes enim piè vivere volentes in Christo Iesu persequutionem patiuntur* 2. *Tim.* 3, 12. & hæc *est via ad gloriam per tribulationes multas Act.* 14. *v.* 21. *in eo* consistit *conformitas nostri cum Christo Rom.* 8, 29. hoc medio mortificatur in nobis caro, & quæ sunt alia commoda crucis, quæ alibi proponuntur.

*Remedia contra metum senectutis.* Metus senectutis est frustraneus. Senectus enim donum Dei est, quam formidare nequeunt, qui diu vivere cupiunt: honorabilis est, etiam divino judicio: immunis est à multis vitiis & incommodis, quibus molestatur adolescentia & virilis ætas. Et quanquam suis incommodis non caret, sensus tamen sunt in ferendis illis exercitatiores, circumspectiores, & moderatiores. Et licet ad ea, quæ viribus corporis aguntur, minùs apti sint; in iis tamen, quæ prudentia & consilio gerũtur, exercitatiores sunt, adeò, ut juventus, quæ gerendis rebus aptior videtur, nihil possit, nisi consilio senum gubernetur.

*Remedium contra morbos & mortalitatem.* Si quem denique angit, quòd morbis & ipsi denique morti est obnoxius, quòd cum peccato, diabolo, ipsaque æterna damnatione sibi sit con-

Digitized by Google

confligendum, contra hæc omnia supra ostendimus remedia lib. 5. cap. 4. cùm de melancholicis ageremus: non est, ut hîc actum agamus.

## CASUS VIII.

### *Quodnam adhibendum est moderamen in gubernanda lætitia & tristitia, ne hi affectus modum excedant, & animi culturam impediant?*

*Quomodo lætitiam rectè moderari possumus?*

RESP. Est modus in rebus, temp pusque datur *plangendi & saltandi Eccles.* 34. Ut autem utroque utamur sine peccato, videndum est.

Lætitiam rectè moderari possumus, si 1. cogitemus, Deum quidem esse, *qui dat lætitiam in corde nostro Psal.* 4, 7. quique etiam honestam recreationem, quâ amaritudinem hujus vitæ temperemus, nobis non invidet, sed rationem usurpatæ hujus à Deo nobis concessæ lætitiæ aliquando exiget. Quâ de re *Salomon* scribit: *Eccles.* 11, 9. *lætare juvenis in adolescentiâ tuâ, & in bona sit cor tuum, in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Unusquisque igitur, dum lætatur, ex oculis suis non ponat Deum, tanquam inspectorum & judicem omnium nostrorum operum. Nam & hîc meritò locum habet illud *Siracidæ cap.* 7, 40. *in omnibus operibus tuis memorare novissima, & nunquam peccabis.*

Deinde cogitemus, nullum hujus seculum gaudium esse perfectum, sed cum dolore temperatum, qui gaudium vel comitatur vel sequitur. Ita igitur exporrigamus frontem in rebus secundis, ut & parati simus ad ferendas res adversas, si Deus ita voluerit, juxta monitum *Siracidæ: in die bonorum ne sis immemor malorum, &c. c.* 11, 27.

Tertiò recordemur, quòd gaudium hujus seculi non sit optimum, sed unum ex donis temporalibus & caducis, quæ etiam impiis contingunt. Idcircò non totos nos immergamus tali lætitiæ, quasi summum nostrum bonum in ea situm sit, neque contristemur, si fortasse per casum aliquem præscindatur: non enim ea sunt piorum propria, quæ cum impiis habent communia.

Quartò gaudium hujus seculi, nisi sponte sese offerat, non nimium appetamus, sed contemnere discamus: ita ad cœleste gaudium tantò magis adspirabimus, in quem sensum *Augustinus* scribit in *soliloq. cap.* 22. *in hac vitâ renuit consolari anima mea, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis, quia justum est, ut amittat te, quicunque in aliquo alio magis consolari eligit, quàm in te.*

Eadem ferè ratio est tristitiæ, quæ quidem evitari semper non potest, ita tamen moderanda est, ne vel pre-

ces in nobis impediat, vel vitam abbreviet, juxta monitum *Siracidæ* cap. 30, 22. *tristitiam non des animo tuo, & non affligas temetipsum in consilio tuo, &c. v. 25. multos occidit tristitia, & non est utilitas in eâ.* Non autem agimus hîc de melancholica tristitia, quam supra expulimus *lib. 3. cap.* 4. sed de eâ, quæ justas habet causas, quam moderari debemus, ne in impatientiam degeneret, & durius quid in Deum proximumque statuat.

*Quomodo moderari possimus tristitiam?*

Ea verò moderatio fieri potest (1.) cùm cogitamus Deum non reliquisse nos absque consolatione. *Sicut enim abundant paßiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra* 2. *Cor.* 1, 5.

(2.) Cùm recordamur, tristitiam hujus seculi non esse perpetuam, sed cum gaudio temperatam. Non enim dat Deus *perpetuò afflictionem justo Psal.* 55, 23. *quod autem finem habet, diu non durat*, inquit *Seneca. Non delectatur Deus in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymas & fletum, exultationem infundit Iob.* 7, 22. *ad vesperum morabitur fletus, & ad matutinum lætitia Psal.* 30, 6. Ideò hortatur *Salomon*: *considera opera Domini, quòd nemo poßit corrigere, quod ille despexerit. In die bonâ fruere bonis, & malam diem præcave, sicut enim hanc, ita & illam fecit* Dominus: *Eccl.* 7, 14. 15.

(3.) Cùm amorem tristitiæ consideramus. Is est *Deus qui contristat, ut exhilaret, & non ex corde humiliat Thren* 3, 33. *nec ultra vires tentat nos, sed dat tandem exitum, ut possimus portare* 1. *Cor.* 10, 13.

(4.) Cùm secuturum futurum vitæ gaudium expendimus, quod omnem piorum tristitiam, quam habere possunt in hoc seculo, longo post se intervallo relinquit. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis* 2. *Cor.* 4. *v.* 17.

Ita igitur & hi affectus ad debitam moderationem reduci queunt, ne tranquillitati animi obsint, aut cultum ejus Deo gratum impediant.

Tantum de interno animi cultu: pauca jam sequuntur, quæ animum ab extrà excolunt, ut sunt artium liberalium studia:

## CASUS IX.

### *Rectène Christiani operam aliquam impendunt in studia artium liberalium, eum in finem, ut animum suum cultiorem reddant?*

RESP. Duo sunt hominum genera, quibus studia linguarum & artium sordent, à quibus frustrà exspectes, ut animum suum hoc modo excolant, sed rusticitatem & barbariem sibi laudi ducunt, videlicet *Anabaptistæ & monachi* nonnulli.

*Anabaptistarum deliria.*

*Anabaptistæ* non tantùm studia Philosophica promiscuè omnia, sed & Academias scholasque contemnunt, cui furori familiaris fuit *Carolostadius*, qui unà cum fratre *Gabriele Monacho Augustiniano & M.*

*Thomæ*

*Thoma Moro* ludimoderatore scholam *Wittebergam* clausit, parentes, ne liberos in scholas mitterent, dehortatus fuit, studia linguarum & artium superbi animi signa vocavit, quia nos omnes à Deo doctos esse oporteat.

Furor hic *Anabaptisticus* hodie in fanaticis nonnullus revixit, inter quos familiam ducit *Valen. Weigelius, qui part.* 1. *postil pag.* 195. audacter affirmat, in scholis & Academiis Christum non reperiri: juventutem frustrà in scholas mitti, Christum ex omnibus scholis in toto mundo discessisse. Sæpe ingeminat, scholas & Academias nondum cognovisse Christum, omnes scholas esse Christi hostes, & qui in iis docent aut erudiuntur, eos vocat doctos hujus seculi, Weltgelehrten / de quibus Christi vaticinium sit intelligendum: *multi venient pseudochristi & pseudoprophetæ Matth.* 24. *Part.* 2. *Postill. pag.* 79. vult omnes eruditos procumbere, cæcitatem suam agnoscere, & fateri, doctrinam suam meram esse corruptelam.

*Fratres ignorantiæ.*

Inter monachos sunt inprimis *Franciscani*, cujus ordinis regula est: *nescientes non curent discere literas*, *unde fratrum ignorantiæ* nomen extitit: eamque suam ignorantiam palliant illo Apostolico dicto, *litera occidit* 2. *Cor.* 3. *vers* 6. Hinc est illud in fratres illos ignorantiæ epigramma *Angli* cujusdam Poetæ:

*Magne pater, clamas, occidit litera; in ore*
*hoc unum, occidit litera, semper habes.*
*Cavisti benè tu, ne te ulla occidere posset*
*litera: nam nulla est litera nota tibi.*
*Nec frustra metuis, ne occidat litera eum, quem*
*nullus vivifico spiritus igne fovet.*

Et quid dico de monachis? ex ipsis *Papis* aliqui infensiores fuerunt literis humanioribus: *Papa Gregorij* vox est *in Decretis dist.* 38. *cap. indignum: indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulas Donati.* Idem *Papa Desiderio Episcopo* irascitur, quòd studium *Grammatices* tractavit, *lib.* 9. *epist.* 48. *De Paulo II.* refert *Platina in ejus vitâ* humanitatis studia ipsum adeò odisse & contemsisse, ut ejus studiosos uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem *Romanos* adhortabatur, ne filios diutiùs in studiis literarum paterentur, satis esse, si legere & scribere didicissent. Sic & hæreticos eos pronunciavit, qui nomen Academiæ, vel seriò, vel joco deinceps commemorarent. Hoc nimirum est studia & bonas literas contemnere.

*An Lutherus de Academiis & scholis minus honestè senserit?*

Videtur quidem *Lutherus* etiam interdum de Academiis & scholis non satis honestè sentire: quas idolo *Moloch* comparat, & gymnasia Epheborum, & græcas glorias ex libro Machabæorum nominat, *in libr. ad nobilitat. Germaniæ:* Sed abusum Academiarũ notat, quales suo tempore in *Papatu* erant, ubi propo-

sito *Aristotele*, nec ipso rectè intellecto, gentilibus & humanis literis ingenia Christiana occupabantur, & pro verbo Dei *Papæ* dogmata tractabantur, ut *scribit in lib. ad Catharinum tom. 2. Ien. Germ. fol.* 362. ubi adolescentes pessimis moribus perdebantur, Philosophicis, gentilibus, humanis, impiis & sacrilegis opinionibus imbuebantur, ubi & venenum hauriebant, quod fortè nunquam evomerent, tenentes pro bono, quod malum est, imbuentes & eos, quos docendos suscipiunt, similibus opinionibus, quemadmodum *in libro de privatâ Missâ* loquitur.

Aliàs ipsemet Professorem Philosophiæ in hac nostra Academiâ aliquandiu egit: in Academiis libros *Aristotelis, Logicam, Rhetoricam. Poeticam* retinendam esse suadet, modò non omnia in disputationes transformentur, exercitia linguarum, & disciplinarum Mathematicarum probat *tom. 1. Ien. germ. fol.* 310. hortatur enim gubernatores Rerumpub. ut aperiant scholas, in quibus juventus honestis disciplinis imbuatur *tom. 2. Ien. germ. fol.* 454. tantum abest, ut scholas & studia linguarum ac artium damnarit.

*Vtilitas liberalium artium.*

Et sanè nemo sanæ mentis ea damnare, aut culpare potest: quia, si à verâ pietate discesserim, optima cultura animi in eis consistit. Nam scientiam multarum rerum hominum comparant, ne vivat in mundo instar bruti, quod nihil eorum curat, quæ aguntur: mores effrenatos cicurant, & veram modestiam conciliant, juxta usitatos versiculos:

*----ingenuas didicisse fideliter artes,*
*emollit mores, nec sinit esse feros:*

animum reddunt mansuetum & injuriarum patientem, barbari enim vindictam sui laudant, eruditi seipsum vincere optimam victoriam esse sciunt. Ideò *Anonymus* adolescens quidam, qui apud *Zenonem* philosophiæ operam dederat, domum reversus, cùm à patre eruditionis suæ specimen edere juberetur, ait: *ostendam paulo post quid profecerim*, verùm cùm nihil diceret, pater iracundus existimans impensas* perisse, cepit loris verberare filium. Eam parentis severitatem cùm æquo animo tulisset, rursus efflagitanti patri, ut profectus documentum daret: *hoc ait, ex Philosophia didici, ut possim iram & verbera patris æquo animo perpeti, cùm secus faciant alij*, referente *Erasmo lib. 8. apophtegm. ex Ælian. lib. 9. variar. hist.*

De *Dionysio* juniore fertur, cùm regno fuit expulsus, & à quodam rogaretur, *quid tibi profuit Plato & Philosophia?* respondit ipse, *ut tantam fortunæ mutationem facile feram.* Neque enim sibi manus admovit, quod alii solent, sed *Corinthi* ludum literarium aperuit.

Studia insuper judicium informant, qui autem non intelligunt artes, non mirantur artifices, ut *Sidonius in epistolis* scribit. *Studia etiam*

*saluti*

*saluti corporis prosunt*, inquit *Seneca epist.* 81. In remedium enim cedunt honesta solatia, & quidquid animum erexit, etiam corpori prodest. Vera recreatio est ex studiis; nam, ut idem ait *Seneca epist.* 87. *otium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura.* Alit lectio ingenium, & studio fatigatum non sine studio tamen reficit, nec scribere tantùm, nec legere debemus, altera res contristabit vires, & exhauriet, altera solvet ac diluet, &c. Studia homines à brutis discernunt: ideò literis se operam dare quidam dixit, ne sedeat lapis super lapidem. Et *Aristippus* interrogatus, *quid differat doctus ab indocto* respondit, *quod equi domiti ab indomitis.* Quemadmodum enim equus indomitus ad omnem usum est incommodus, ob inscitiam ac ferociam: ita qui rapitur affectibus, quos sola domat Philosophia, ad omnem vitæ conversationem est inutilis, referente *Laertio lib.* 2. *c.* 8.

Pauca hæc docent, eos non perdere tempus, qui bonis literis invigilant, sed animum excolere & vitam hanc longè suaviùs ducere, quàm alios, qui in ignorantia sua obbrutescunt.

Unde *Salomon* scribit *Prov.* 17. *vers.* 24. *pretiosi esse spiritus virum eruditum.* Verùm hos effectus suos non apud omnes consequuntur studia, sed ubi idoneam amplexa sunt naturam, quæ disciplinam, & culturam admittat, eamque bonitate suâ adjuvet. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur; sic animi non omnes culti fructum ferunt; & ut ager quamvis sterilis sine culturâ fructuosus esse non potest, sic sine doctrinâ animus: utraque res sine culturâ debilis est, quo simili *Cicero utitur lib.* 2. *Tusculan. quæstion.*

## CAPUT III.

## *De Casibus conscientiæ circa bona fortunæ.*

*Quid hoc loco intelligatur per bona fortunæ.*

BOna fortunæ aliàs dicuntur bona externa, quales sunt opes & divitiæ, & quia hæc etiam impiis, sine studio interdum & labore contingunt, hinc bona fortunæ appellantur, quasi fortuitò homini contingentia.

*An bona fortunæ sint bona appellanda? Aff.*

Hujusmodi bona *Stoici* nolunt bona appellare; sed commoda corporis & externa: eò, quod nullum bonum volunt esse hominis præter virtutem, tanquam artem benè vivendi, quæ non nisi in animo est, dicente *August. lib.* 9. *de Civ. Dei c.* 4.

*Plato quoq; lib.* 4. *de legibus* bona externa sine virtute non modo nihil juvare ait, sed etiam damnosa esse, & pernicie plena, dicique humana, cum illa, quæ animo inhærent, sint divina, quibus solis divinus fit homo ac beatus.

Sunt tamen externa illa fortunæ bona etiam bona, quia illis ad usum vitæ communis opus est, virtute autem sunt meliora, cujus sunt instrumenta: si autem virtuti obstrepant, eamq. turbent, pernicies mera atque pestes sunt.

Cùm ergò homo circa hæc bona occupatus est, occurrunt nonnulla, in quibus informatione opus est, ne bonis illis conscientia vulneretur: de quibus nunc ordine, bono cum Deo, acturi sumus.

## CASUS I.

### *Principio solicita est mens pia, an etiam homo pius bona cùm conscientia opes & divitias possidere possit?*

*Dubitationes.* RESP. Quæstionem hanc dubiam reddunt nonnulla Scripturæ dicta, ut quod *Salvator* de divitibus dicit: *væ vobis divitibus, quia consolationem vestram habetis Luc. 6. v. 24. nolite thesaurisare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo & tinea eos demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur Matth. 6, 10. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis Matt.* 19. v. 21. & quod *Apostolus Paulus* scribit 1. *Tim. 6. v. 9. qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*

*Tertullianus* etiam in *apolog. cap.* 39. de primis Christianis scribit: *nihil de rei communicatione dubitamus; omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores.*

*Anabaptistarum deliria, & Pontificiorum.* His sententiis abusi sunt partim *Anabaptistæ*, quæ propriam bonorum possessionem Christianis illicitam dixerunt; partim *Pontificii*, qui in desertione bonorum externorum, bonam partem felicitatis & perfectionis Christianæ collocarunt.

*Divitias possidere per se nullũ est peccatum, neq; desertio earum Christianũ facit.* Contra hos igitur muniendus est animus, quod divitias possidere per se nullum sit peccatum, multò minus desertio earum divitiarum Christianum faciat.

Primum igitur scriptura testatur, ut bona omnia, *ita etiam divitias à Deo esse*, qui Hagg 2, 9. dicit: *meum est aurum, & meum est argentum: qui divitis & pauperis operator est Prov. 22, 2. à quo paupertas est, & opulentia Sir. 11, 14. cujus benedictio divites facit Prov. 10, 22. qui gloriam & divitias promisit timentibus ipsum Psalm. 112, 2. ipse constituit terminos populorum, juxta numeros filiorum Israel Deut.* 32, 8. *deditq; populo suo posidendam terram Chanaan, ita, ut quælibet tribus proprias suas possessiones haberet. Ios. 13. definivit statuta tempora & terminos habitationi hominum Act. 17, 16. legem etiam tulit de non transferendis terminis Deut.* 27, 17. & in decalogo, *septimo, nono & decimo præcepto* cujuslibet bona, quasi muro circumvallavit, ne quid ab aliorum injuriâ detrimenti patiantur: eleemosynam pauperibus dari esurientibus panem nostrum frangi, peregrinos in ædes nostras recipi voluit *Esa.* 58, 7. quod fieri non posset, si bonorum propriorum professio Christianis prohibita esset.

Ideò vult Apostolus *Paulus, ut manibus nostris operemur, quod bonum est, ut habeamus, unde tribuamus necessita-*

*cessitatem patienti* Eph. 4. 28. Præterea *Paulus* non prohibet possessionem propriam bonorum, sed hortatur possidentes, *ne spem ponant in divitiis incertis* 1. Tim. 6, 17. vult *Episcopum domui suæ benè præesse*, 1. Tim. 3, 4. vult *unumquemvis suis benè prospicere* 1. Timoth. 5, 8. & *suum panem edere* 2. Thessal. 3, 12. quæ omnia fieri non possunt ab iis, qui non ex peculio, sed ex communi fisco vivunt.

His omnibus adde exempla sanctorum, *Abrahami, Isaaci, Iacobi, Davidis*, & aliorum, qui in magnâ opum abundantiâ vixerunt, & tamen Deo placuerunt.

Sunt hæc omninò talia, quæ divitibus in possessione bonorum exteriorum omnem scrupulum eximere possunt: modò sint divitiæ rectè partæ, benè usurpatæ, & cum αὐταρκείᾳ conjunctæ, quam *D. Paulus* commendat 1. Tim. 6, 6.

*Cur in primitiva ecclesia Christiani bona sua in commune contulerint?*

In primitivâ quidem ecclesia Christiani bona sua conferebant in commune *Actor.* 4, 34. *seqq.* sed hoc non fiebat ex opinione singularis sanctitatis, aut perfectionis, sed ex libera voluntate conferebant pecuniam & agros suos in sustentationem fratrum, proprias tamen retinebant domos, in quas recipiebant peregrinos *Act.* 9, 32. 10, *v.* 6. nemo autem ad desertionem bonorum suorum cogebatur, sed liberum erat etiam agros & pecuniam retinere in peculio, sicuti *Petrus* ad *Ananiam dixit Actor.* 5, 4. *manens tibi manebat* (ager) & *venundatus in tuâ erat potestate*: quam libertatem *Anabaptistæ* nemini relinquunt. Perfectio quoque Christianorum frustrâ quæritur in desertione propriorum bonorum & paupertate spontaneâ. Nam etiam perfectioni sanctorum nihil derogavit possessio propriorum bonorum; mandatum certè nullum habemus de perfectione hoc modo adquirendâ: nam quòd Christus ad adolescentem illum dicit *Matth.* 19. *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, singulare mandatum fuit, quo Christus jactantiam juvenis de plenâ observatione legis retundere, ejusque obsequium peculiari casu probare voluit: *singularia* verò *exempla non faciunt legem.*

*Objectio beneficiorũ ex Matt 19 21. solvitur*

Quod autem Christus alibi divitibus malè ominatur, quasi jam bona sua acceperint, hoc illis dictum est, qui opibus mundi ad luxum & superbiam, ad suppressionem pauperum, & similia peccata abutuntur, quo pacto etiam *Paulus* periculum, quod ex collectione divitiarum sequitur, indicat, non quasi divitiæ in sese malæ sint, sed quia desiderium earum multorum malorum est occasio, ideò cautione opus est, ne per eas pereamus, quemadmodum etiam David *Psalm.* 62, 11. hortatur: *divitiæ si vobis affluxerint, nolite cor apponere.*

*Alia exceptio solvitur ex Luc. 6, 24. & 16, 21. Conf. Iac. 5 1. 2. Amos 6, 1. Sir. 31, 8.*

Sic prohibet Dominus *thesauros colligere in terris*, non quasi divitiarum collectio sit improbanda, secus enim docet *Paulus* 2. *Corinth.* 12. *vers.* 14. sed avaritiam duntaxat & fiduciam in terrenis opibus reprehendit.

*Nova objectio ex Matt 6 v. 19. diluitur.*

Nihil

tis, impedit, expugnare poſſumus, ſi præſertim accedant preces, ut Deus ſpiritu manſuetudinis & patientiæ nos induat, ſine quo ne ad momentum quidem contra hujuſmodi impetuoſam perturbationem conſiſtere poſſumus.

## CASUS VI.

### *Quomodo expugnandus eſt affectus voluptatum carnalium, qui multorum animos fœdiſſimè polluit?*

RESP. Non omne deſiderium voluptatum eſt culpandum. Eſt enim voluptas quædam honeſta & ſancta, quæ ex lectione aut auditu verbi divini vel ex meditatione operum & beneficiorum divinorum, vel ex officii noſtri laboribus ritè perfunctis oritur, quas voluptates appetere licet: imò ideò rebus illis ſanctis & honeſtis operam damus, ut inde ſanctam quandam recreationem percipiamus, & B. *David* nos *delectari jubet in Domino, & dabit nobis omnes petitiones cordis noſtri, Pſal. 37. v. 4.*

Sunt & voluptates quædam media & indifferentes, quæ vulgò naturales dicuntur, & ex eſu aut potu, ex odore, viſu aut auditu rerum jucundarum, ex quiete corporis commoda, & ex ſimilibus externorum ſenſuum qualitatibus oriuntur. Quæ ſi moderatæ ſunt, merentur laudem, quia ad bonitatem Dei agnoſcendam, & ad corporis incolumitatem conſervandam faciunt, animamque ad laudem gloriamque Dei nobis undiquaque benefacientis invitant.

Si autem exceſſus hîc advenerit, aut recto fine non adhibeantur, in voluptates illicitas degenerant. Hujus ergò voluptatis affectus non eſt expugnandus, aut planè removendus; ſed debito modo gubernandus. Nam ut *Ariſtoteles* etiam in *Ethicis* docuit, virtus non in carentia, ſed in moderatione affectuum conſiſtit.

De illicitis autem voluptatibus hîc agitur, quarum quædam ſunt oris atque gulæ, quædam ventris: illæ Baccho, hæ Veneri inſerviunt: ex illis ſunt comeſſationes & ebrietates, ex his libidines, fornicationes & adulteria. Uterque affectus ad gehennam ducit, niſi maturè ei reſiſtatur.

Contra deſiderium ebrietatis, & comeſſationes hæc adhibeantur remedia: familiam ducat ſacra Scriptura, quæ nos à vitiis illis graviſſimè dehortatur, inprimis cùm *Chriſtus* dicit *Luc. 21. v. 34. cavete, ne corda veſtra graventur crapula & ebrietate*, & cùm *D. Paulus* operibus carnis acceſet ebrietatem & comeſſationem, de quibus affirmat, quòd, *qui talia faciunt, regnum Dei non conſequantur, Gal. 5. v. 21.*

Deinde cogitetur, quòd hæc vitia hominem infra beſtias abjiciant:

Digitized by Google

ciant: rarò enim bruta ſupra ſatietatem eſſe aut bibere videas. Ebrioſi autem non tantum modum frequenter excedunt, ſed & ita in ſe ingurgitant, ut oculi caligent, & neque pes neque manus officium ſuum faciant: quâ ratione idolis ſimiles fiunt, qui oculos habent, & non vident, manus & non tangunt, pedes & non ambulant.

Tertiò, qui ſanitatem corporis amant, appetitui illi reſiſtant, & ſobrietati ſtudeant. Nihil enim faciliùs humores in corpore corrumpit, & varios morbos generat, quàm crapula & ebrietas. Unde *Siracides* ſcribit *cap. 37. verſ. 34. multi propter epulationem obierunt*, & *Salomon* ait. *cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui fovea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Prov. 23. v. 29.* Nihil æquè abbreviat vitam, ac intemperentia in cibo & potu: quemadmodum viciſſim ſimplex & frugalis victus priſcis Patriarchis & aliis, vitam ad annos aliquot centenos prorogavit.

Quartò cogitetur, quòd ingluvies hominem ad actiones honeſtas prorſus ineptum reddat. Nam *vinum & ebrietas auferunt homini cor*, ut Propheta loquitur *Oſe* 4, 11. debilitant ingenium, obnubilant intellectum, ut homo ad conſultandum, diſcurrendum & judicandum prorſus infans fiat; ideò vituperantur judices ebrii, qui *ſententias eructant*, *Eſa.* 28. *v.* 7. quin & operas manuarias impediunt, nam qui ebrietatem amant, labores oderunt, *manuſq; accipiunt tremulas, ut nepotes Caini videantur*, ut *Baſilius in ſerm. de ebrietate* loquitur.

Quintò negari non poteſt, comeſſationes & ebrietates multorum malorum eſſe ſeminaria, ut rectè dixerit Apoſtolus: ἐν μέθῃ ἀσωτία *Epheſ.* 5. *v.* 18. ſaginata enim caro fit laſciva, quæ repagula diſciplinæ citò excutit, & ex ea, tanquam ex agro luxuriante, urticæ & cardui malarum cupiditatum magno numero excreſcunt: aggravatur corpus cibis & pinguedine, ut ab animo difficiliùs trahatur: impediuntur preces & meditationes ſacræ, obbruteſcit animus, ut exiguo tempore & Deum & religionem omnem dediſcat: officia demandata negliguntur, pauperes non curantur, & tandem ipſa voluptas, quæ in moderato cibo & potu abſque peccato eſſe poterat, in ingluvie deperditur: labor enim, ſudor, curſus, fames & ſitis optimum eſt ciborum condimentum. Peſſimus autem ille cibus atque potus eſt, qui famem parit atque ſitim, nobis nec eſurientibus, nec ſitientibus.

Porrò qui ſuggeſtiones ſentiunt ad libidines & Venerem illicitam, ante omnia perſuaſum habeant, eas eſſe à diabolo, qui eſt immundus ille ſpiritus, oſor conjugii & caſtitatis, cui toties reſiſtere jubemur, ut fugiat à nobis. *Remedia contra libidines.*

Deinde cogitent, quòd *fornicatio ſit opus carnis, quod hominem excludit è regno Dei Gal.* 5. *verſ.* 21. & ex mem-

*bris Chriſti facit membra meretricis*, 1. *Cor.* 6, 5. cumque alia peccata fiant extra corpus, qui fornicatur, *in corpus ſuum peccat v.* 18.

Tertiò expendat, quàm variis hominem miſeriis objiciat hoc peccatum. Excæcat enim animos, ſtupidosque facit, unde libidinoſi plerunque ſunt ad res ſerias agendas inepti: quod inprimis exemplum *Salomonis* teſtatur, qui cùm antea eſſet regum ſapientiſſimus, quamprimùm mulieroſus factus eſt, & Ethnicis uxoribus adhæſit, nihil ferè de ſapientia ſua retinuit, adeò, ut etiam in gratiam muliercularum *deos alienos coleret*, 1. *Reg.* 11, 5. *Samſon* etiam meretriculæ amore victus & deceptus, omne ſuum robur amiſit, & in manus hoſtium incidit *Iud.* 16, 19. Nihil dicam de *Hercule*, nihil *de M. Antonio*, de quo *Cleopatram* amante *Plutarchus*: *ejus animus in ipſo moriebatur, ut in corpore amicæ viveret.*

Quartò conſideret, quàm multos amor illicitus ad ſummam redegerit paupertatem. Vorax enim Venus eſt, quæ brevi temporis ſpatio maximas opes diſperdidit, quia nulla re magis, quàm pecunia meretricum januæ & animæ expugnantur. Ideò *Salomon* meretricem *foveam profundam* nominavit *Prov.* 23, 27. abſorbet enim ipſa & ſanitatem & ſubſtantiam hominis, & *Siracides* hortatur: *ne des fornicariis animam tuam, ne perdas te & hæreditatem tuam*, *Sir.* 9, 6.

Quintò ante oculos ſibi ponat exempla pœnarum, quibus Deus in libidinoſos adnimadvertit. Ob fornicationem *Sichemi* omnes maſculi *Sichemitarum* necabantur *Geneſ.* 34. *v.* 25. ob libidines primus mundus diluvio, *Sodomitæ* incendio perierunt *Geneſ.* 67, 19. ob eandem cauſam 24000 ceciderunt in deſerto *Num.* 25, 4. & integra tribus *Bejamin* exciſa fuit, *Iudic* 20. *Hæc autem in figura facta ſunt nobis, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupiverunt, neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt* 1. *Cor.* 10. *v.* 6 8. Deus enim caſta mens eſt, & graviter ulciſci ſolet libidinoſos, ſicut ſcriptum eſt: *ſcortatores & adulteros judicabit Deus Heb.* 13. *v.* 4.

Sextò fugiat occaſionem omnem libidinum. *Cum ſaltatrice ne ſis aſſiduus*, inquit *Siracides*, *nec audias illam, ne fortè pereas per eam. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit Sir.* 9. *v.* 6 8. 9.

Huc pertinet etiam exhortatio *Salomonis Prov.* 5. *v.* 1. *ſeqq.* 6, 24. *ſeqq.* 7, 5. *ſeqq.* Adhibeat etiam diligentiam in precibus & aſſiduitatem in laboribus vocationis: hæc enim animum in officio continent, & caſtitatem cuſtodiunt: in improbis verò & otioſis hominibus patet cor tentatori, & imprimis cogitationibus facilè repletur.

Tantum de cupiditate voluptatum.



Digitized by Google

## CASUS VII.

### *Quomodo reſiſtendum eſt metui, ne animum à recto bonarum actionum tramite turbet?*

RESP Metum *Auguſtinus* inter affectus animi ſecundo loco ponit. Eſt autem metus reliquorum affectuum quaſi motor quidam & impulſor, qui eos inſtar venti impetuoſi ultrò citroque agitat. Deſiderium pecuniæ incutit metum paupertatis, deſiderium honoris metum infamiæ aut dedecoris, deſiderium voluptatum metum laboris & moleſtiæ. His adde metum deformitatis, metum captivitatis, metum ſenectutis, metum morborum, & ipſius denique mortis. Et hæ omnes ſunt ſpecies metus in rebus externis.

Eſt autem etiam metus rerum ſpiritualium, ut peccati, judicii divini, condemnationis æternæ & ſimilium. Hæc omnia tranquillitatem animi impediunt, ideò remedia commoda quærenda ſunt, quibus metus iſte expellatur.

*Remedia contra metum paupertatis.* Paupertatis metum excutimus 1. *conſideratione promiſſionum divinarum*, quod *inquirentes Dominum non minuantur ullo bono Pſal.*34. *verſ.*11. quod *timentes Dominum ſint benedicti, labores manuum ſuarum manducabunt, Pſal.*128,2. quod *benedictio Domini divites faciat, Prov.*10,22. quilibet ergo faciat quæ ſui ſunt muneris, reliqua commendet Deo, cujus *promiſſiones in Chriſto Ieſu eſt & Amen ſunt*, 2. *Cor.*1,20.

(2.) *Conſideratione providentiæ divinæ*, quæ curam ſuſcipit omnium, quæ ſunt in mundo. *Ipſe enim aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, Pſal.*145,16. etiam aviculas alit, & lilia campi veſtit, quidni filiis ſuis proſpiciat de neceſſariis? Pater noſter eſt, & neceſſitatis noſtræ conſcius: ergo liberos ſuos negligere non poteſt: in quam ſententiam *Chriſtus* prolixam inſtituit parænesin *Matth.*6.

*Remedia contra metum ignominiæ & infamiæ.* Metui ignominiæ & infamiæ opponere poſſumus 1. *ſtudium humilitatis*, quod decet Chriſtianos omnes, qui *non quærunt, quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, Phil.*2.

(2.) Conditionem eorum, qui nos ignominia afficiunt: ſunt homines mundani, carnales, & in regno Dei infames. *Dementia autem eſt, vereri, ne diffameris ab infamibus*, ait *Seneca*.

(3.) veram noſtram gloriam, quam habemus apud Deum, quæ in eo conſiſtit, quod ſimus filii Dei, & hæredes vitæ æternæ, quam ſcriptura omnibus hujus ſeculi honoribus anteponit *Rom.*8,17. 1. *Ioh.*3,2.

(4) Largam remunerationem ignominiæ, quam propter Chriſtum patimur, eam enim promiſit Dominus, *Matth.*5. *v.*11. *beati, ſi maledixerint vobis homines* &c.

Metum laboris & moleſtiarum fugatæ

fugare possumus (1.) consideratione voluntatis divinæ, Deus enim homini laborem injunxit *Genes.* 3. & per labores dona sua nobis vendere voluit. Unde *Siracides* scripsit: *non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo, Sir.* 7,16.

(2.) Consideratione utilitatis, quam habemus ex labore. Prodest enim sanitati hominis, roborat vires corporis, medetur desideriis pravis, benè meretur de proximo, liberat nos à turpi servitute voluptatum, laudem denique parat apud rectè sentientes. Nemo enim probat otia, quæ multa docent vitia *Sir.* 33.29 qui autem honestis occupati sunt laboribus, favorem bonorum facilè merentur.

*Remedia contra metũ deformita tis corporis.*

Cùm deformitas corporis metum injicit, cogitemus, quòd ea non sit, in nostra manu, sed *Deus est generator formæ Sap.* 11. *vers.* 3. qui unicuique *sua distribuit bona, prout vult.* 1. *Cor.* 12. nemo nostrûm *staturæ suæ cubitum adjicere, nemo pilum unum album aut nigrum efficere potest Matth.* 5, 36. 6, 27. si quis formæ defectus occurrit, detur opera, ut animi cultura defectus ille compensetur. Interim solemur nos futura corporum nostrorum glorificatione, de qua *Paulus Phil.* 3, 21. ubi corpora justorum *fulgebunt instar Solis in regno Patris, Matth.* 13, 43.

*Remedia contra metum capti vitatis & exilij.*

Si captivitatis aut exilii metus imminet, cogitetur, hæc ad casus humanos pertinere, qui cuilibet contingere possunt, à quibus etiam sancti non fuerunt excepti, ut exempla *Ioseph, Danielis, Apostolorum* ipsius denique *Christi* in infantia sua exulantis, testantur. *Nemo autem patiatur, ut fur aut homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine* 1. *Petr.* 4. *v.* 16. 17.

*Remedia contra metum calamitatum.*

Metum calamitatum exstinguere potest consideratio mali hujus necessarii: *omnes enim piè vivere volentes in Christo Iesu persequutionem patiuntur* 2. *Tim.* 3, 12. & hæc *est via ad gloriam per tribulationes multas Act.* 14. *v.* 21. *in eo* consistit *conformitas nostri cum Christo Rom.* 8, 29. hoc medio mortificatur in nobis caro, & quæ sunt alia commoda crucis, quæ alibi proponuntur.

*Remedia contra metum senectutis.*

Metus senectutis est frustraneus. Senectus enim donum Dei est, quam formidare nequeunt, qui diu vivere cupiunt: honorabilis est, etiam divino judicio: immunis est à multis vitiis & incommodis, quibus molestatur adolescentia & virilis ætas. Et quanquam suis incommodis non caret, sensus tamen sunt in ferendis illis exercitatiores, circumspectiores, & moderatiores. Et licet ad ea, quæ viribus corporis aguntur, minùs apti sint; in iis tamen, quæ prudentia & consilio gerũtur, exercitatiores sunt, adeò, ut juventus, quæ gerendis rebus aptior videtur, nihil possit, nisi consilio senum gubernetur.

*Remedium contra morbos & mortalitatem.*

Si quem denique angit, quòd morbis & ipsi denique morti est obnoxius, quòd cum peccato, diabolo, ipsaque æternâ damnatione sibi sit con-

Digitized by Google

confligendum, contra hæc omnia supra ostendimus remedia lib. 3. cap. 4. cùm de melancholicis ageremus: non est, ut hîc actum agamus.

## CASUS VIII.

### *Quodnam adhibendum est moderamen in gubernanda lætitia & tristitia, ne hi affectus modum excedant, & animi culturam impediant?*

*Quomodo lætitiam rectè moderari possumus?*

RESP. Est modus in rebus, tempusque datur *plangendi & saltandi Eccles.* 34. Ut autem utroque utamur sine peccato, videndum est.

Lætitiam rectè moderari possumus, si 1. cogitemus, Deum quidem esse, *qui dat lætitiam in corde nostro Psal.* 4, 7. quique etiam honestam recreationem, quâ amaritudinem hujus vitæ temperemus, nobis non invidet, sed rationem usurpatæ hujus à Deo nobis concessæ lætitiæ aliquando exiget. Quâ de re *Salomon* scribit: *Eccles.* 11, 9. *lætare juvenis in adolescentiâ tuâ, & in bona sit cor tuum, in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Unusquisque igitur, dum lætatur, ex oculis suis non ponat Deum, tanquam inspectorum & judicem omnium nostrorum operum. Nam & hîc meritò locum habet illud *Siracidæ cap.* 7, 40. *in omnibus operibus tuis memorare novissima, & nunquam peccabis.*

Deinde cogitemus, nullum hujus seculum gaudium esse perfectum, sed cum dolore temperatum, qui gaudium vel comitatur vel sequitur. Ita igitur exporrigamus frontem in rebus secundis, ut & parati simus ad ferendas res adversas, si Deus ita voluerit, juxta monitum *Siracidæ: in die bonorum ne sis immemor malorum, &c. c.* 11, 27.

Tertiò recordemur, quòd gaudium hujus seculi non sit optimum, sed unum ex donis temporalibus & caducis, quæ etiam impiis contingunt. Idcircò non totos nos immergamus tali lætitiæ, quasi summum nostrum bonum in ea situm sit, neque contristemur, si fortasse per casum aliquem præscindatur: non enim ea sunt piorum propria, quæ cum impiis habent communia.

Quartò gaudium hujus seculi, nisi sponte sese offerat, non nimium appetamus, sed contemnere discamus: ita ad cœleste gaudium tantò magis adspirabimus, in quem sensum *Augustinus* scribit *in soliloq. cap.* 22. *in hac vitâ renuit consolari anima mea, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis, quia justum est, ut amittat te, quicunque in aliquo alio magis consolari eligit, quàm in te.*

Eadem ferè ratio est tristitiæ, quæ quidem evitari semper non potest, ita tamen moderanda est, ne vel pre-



Digitized by Google

ces in nobis impediat, vel vitam abbreviet, juxta monitum *Siracidæ* cap. 30, 22. *tristitiam non des animo tuo, & non affligas temetipsum in consilio tuo, &c. v. 25. multos occidit tristitia, & non est utilitas in eâ.* Non autem agimus hîc de melancholica tristitia, quam supra expulimus *lib.* 3. *cap.* 4. sed de eâ, quæ justas habet causas, quam moderari debemus, ne in impatientiam degeneret, & durius quid in Deum proximumque statuat.

*Quomodo moderari possimus tristitiam?*

Ea verò moderatio fieri potest (1.) cùm cogitamus Deum non reliquisse nos absque consolatione. *Sicut enim abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra* 2. *Cor.* 1, 5.

(2.) Cùm recordamur, tristitiam hujus seculi non esse perpetuam, sed cum gaudio temperatam. Non enim dat Deus *perpetuò afflictionem justo Psal.* 55, 23. *quod autem finem habet, diu non durat*, inquit *Seneca. Non delectatur Deus in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymas & fletum, exultationem infundit Iob.* 7, 22. *ad vesperum morabitur fletus, & ad matutinum lætitia Psal.* 30, 6. Ideò hortatur *Salomon*: *considera opera Domini, quod nemo possit corrigere, quod ille despexerit. In die bonâ fruere bonis, & malam diem præcave, sicut enim hanc, ita & illam fecit* Dominus: *Eccl.* 7, 14. 15.

(3.) Cùm amorem tristitiæ consideramus. Is est *Deus qui contristat, ut exhilaret, & non ex corde humiliat Thren* 3, 33. *nec ultra vires tentat nos, sed dat tandem exitum, ut possimus portare* 1. *Cor.* 10, 13.

(4.) Cùm secuturum futurum vitæ gaudium expendimus, quod omnem piorum tristitiam, quam habere possunt in hoc seculo, longo post se intervallo relinquit. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis* 2. *Cor.* 4. *v.* 17.

Ita igitur & hi affectus ad debitam moderationem reduci queunt, ne tranquillitati animi obsint, aut cultum ejus Deo gratum impediant.

Tantum de interno animi cultu: pauca jam sequuntur, quæ animum ab extrà excolunt, ut sunt artuum liberalium studia.

## CASUS IX.

### *Rectenè Christiani operam aliquam impendunt in studia artium liberalium, eum in finem, ut animum suum cultiorem reddant?*

RESP. Duo sunt hominum genera, quibus studia linguarum & artium sordent, à quibus frustrà exspectes, ut animum suum hoc modo excolant, sed rusticitatem & barbariem sibi laudi ducunt, videlicet *Anabaptistæ & monachi* nonnulli.

*Anabaptistarum deliria.*

*Anabaptistæ* non tantùm studia Philosophica promiscuè omnia, sed & Academias scholasque contemnunt, cui furori familiaris fuit *Carolostadius*, qui unà cum fratre *Gabriele Monacho Augustiniano & M.*

*Thomæ*

*Thoma Moro* ludimoderatore scholam *Wittebergam* clausit, parentes, ne liberos in scholas mitterent, dehortatus fuit, studia linguarum & artium superbi animi signa vocavit, quia nos omnes à Deo doctos esse oporteat.

Furor hic *Anabaptisticus* hodie in fanaticis nonnullus revixit, inter quos familiam ducit *Valen. Weigelius*, *qui part.* 1. *postil pag.* 195. audacter affirmat, in scholis & Academiis Christum non reperiri: juventutem frustrà in scholas mitti, Christum ex omnibus scholis in toto mundo discessisse. Sæpe ingeminat, scholas & Academias nondum cognovisse Christum, omnes scholas esse Christi hostes, & qui in iis docent aut erudiuntur, eos vocat doctos hujus seculi, Weltgelehrten / de quibus Christi vaticinium fit intelligendum: *multi venient pseudochristi & pseudoprophetæ Matth.* 24. *Part.* 2. *Postill. pag.* 79. vult omnes eruditos procumbere, cæcitatem suam agnoscere, & fateri, doctrinam suam meram esse corruptelam.

*Fratres ignorantiæ.* Inter monachos sunt inprimis *Franciscani*, cujus ordinis regula est: *nescientes non curent discere literas*, *unde fratrum ignorantiæ* nomen extitit: eamque suam ignorantiam palliant illo Apostolico dicto, *litera occidit* 2. *Cor.* 3. *vers* 6. Hinc est illud in fratres illos ignorantiæ epigramma *Angli* cujusdam Poetæ:

*Magne pater, clamas, occidit litera; in ore*
*hoc unum, occidit litera, semper habes.*
*Cavisti benè tu, ne te ulla occidere posset*
*litera: nam nulla est litera nota tibi.*
*Nec frustra metuis, ne occidat litera eum, quem*
*nullus vivifico spiritus igne fovet.*

Et quid dico de monachis? ex ipsis *Papis* aliqui infensiores fuerunt literis humanioribus: *Papa Gregorij* vox est *in Decretis dist.* 38. *cap. indignum*: *indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulas Donati.* Idem *Papa Desiderio Episcopo* irascitur, quòd studium *Grammatices* tractavit, *lib.* 9. *epist.* 48. *De Paulo II.* refert *Platina in ejus vitâ* humanitatis studia ipsum adeò odisse & contemsisse, ut ejus studiosos uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem *Romanos* adhortabatur, ne filios diutiùs in studiis literarum paterentur, satis esse, si legere & scribere didicissent. Sic & hæreticos eos pronunciavit, qui nomen Academiæ, vel seriò, vel joco deinceps commemorarent. Hoc nimirum est studia & bonas literas contemnere.

*An Lutherus de Academiis & scholis minus honestè senserit?* Videtur quidem *Lutherus* etiam interdum de Academiis & scholis non satis honestè sentire: quas idolo *Moloch* comparat, & gymnasia Epheborum, & græcas glorias ex libro Machabæorum nominat, *in libr. ad nobilitat. Germaniæ:* Sed abusum Academiarū notat, quales suo tempore in *Papatu* erant, ubi propo-

sito *Aristotele*, nec ipso rectè intellecto, gentilibus & humanis literis ingenia Christiana occupabantur, & pro verbo Dei *Papæ* dogmata tractabantur, ut *scribit in lib. ad Catharinum tom. 2. Ien. Germ. fol. 362.* ubi adolescentes pessimis moribus perdebantur, Philosophicis, gentilibus, humanis, impiis & sacrilegis opinionibus imbuebantur, ubi & venenum hauriebant, quod fortè nunquam evomerent, tenentes pro bono, quod malum est, imbuentes & eos, quos docendos suscipiunt, similibus opinionibus, quemadmodum *in libro de privatâ Missâ* loquitur.

Aliàs ipsemet Professorem Philosophiæ in hac nostra Academiâ aliquandiu egit: in Academiis libros *Aristotelis, Logicam, Rhetoricam. Poeticam* retinendam esse suadet, modò non omnia in disputationes transformentur, exercitia linguarum, & disciplinarum Mathematicarum probat *tom. 1. len. germ. fol. 310.* hortatur enim gubernatores Rerumpub. ut aperiant scholas, in quibus juventus honestis disciplinis imbuatur *tom. 2. len. germ. fol. 454.* tantum abest, ut scholas & studia linguarum ac artium damnarit.

*Vtilitas liberalium artium.* Et sanè nemo sanæ mentis ea damnare, aut culpare potest: quia, si à verâ pietate discesserim, optima cultura animi in eis consistit. Nam scientiam multarum rerum hominum comparant, ne vivat in mundo instar bruti, quod nihil eorum curat, quæ aguntur: mores effrenatos cicurant, & veram modestiam conciliant, juxta usitatos versiculos:

*----ingenuas didicisse fideliter artes,*
*emollit mores, nec sinit esse feros:*

animum reddunt mansuetum & injuriarum patientem, barbari enim vindictam sui laudant, eruditi seipsum vincere optimam victoriam esse sciunt. Ideò *Anonymus* adolescens quidam, qui apud *Zenonem* philosophiæ operam dederat, domum reversus, cùm à patre eruditionis suæ specimen edere juberetur, ait: *ostendam paulò post quid profecerim*, verùm cùm nihil diceret, pater iracundus existimans impensas periisse, cepit loris verberare filium. Eam parentis severitatem cùm æquo animo tulisset, rursus efflagitanti patri, ut profectus documentum daret: *hoc ait, ex Philosophia didici, ut possim iram & verbera patris æquo animo perpeti, cùm secus faciant alij*, referente *Erasmo lib. 8. apophtegm. ex Ælian. lib. 9. variar. hist.*

De *Dionysio* juniore fertur, cùm regno fuit expulsus, & à quodam rogaretur, *quid tibi profuit Plato & Philosophia?* respondit ipse, *ut tantam fortunæ mutationem facile feram.* Neque enim sibi manus admovit, quod alii solent, sed *Corinthi* ludum literarium aperuit.

Studia insuper judicium informant, qui autem non intelligunt artes, non mirantur artifices, ut *Sidonius in epistolis* scribit. *Studia etiam* saluti

*saluti corporis prosunt*, inquit *Seneca epist.* 81. In remedium enim cedunt honesta solatia, & quidquid animum erexit, etiam corpori prodest. Vera recreatio est ex studiis; nam, ut idem ait *Seneca epist.* 87. *otium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura.* Alit lectio ingenium, & studio fatigatum non sine studio tamen reficit, nec scribere tantùm, nec legere debemus, altera res consternabit vires, & exhauriet, altera solvet ac diluet, &c. Studia homines à brutis discernunt: ideò literis se operam dare quidam dixit, ne sedeat lapis super lapidem. Et *Aristippus* interrogatus, *quid differat doctus ab indocto* respondit, *quod equi domiti ab indomitis.* Quemadmodum enim equus indomitus ad omnem usum est incommodus, ob inscitiam ac ferociam: ita qui rapitur affectibus, quos sola domat Philosophia, ad omnem vitæ consuetudinem est inutilis, referente *Laertio lib.* 2. c. 8.

Pauca hæc docent, eos non perdere tempus, qui bonis literis invigilant, sed animum excolere & vitam hanc longè suavius ducere, quam alios, qui in ignorantia sua obbrutescunt.

Unde *Salomon* scribit *Prov.* 17. *vers.* 24. *pretiosi esse spiritus virum eruditum.* Verùm hos effectus suos non apud omnes consequuntur studia, sed ubi idoneam amplexa sunt naturam, quæ disciplinam, & culturam admittat, eamque bonitate suâ adjuvet. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur; sic animi non omnes culti fructum ferunt; & ut ager quamvis sterilis sine culturâ fructuosus esse non potest, sic sine doctrinâ animus: utraque res sine culturâ debilis est, quo simili *Cicero utitur lib.* 2. *Tusculan. quæstion.*

## CAPUT III.

## *De Casibus conscientiæ circa bona fortunæ.*

Bona fortunæ aliàs dicuntur bona externa, quales sunt opes & divitiæ, & quia hæc etiam impiis, sine studio interdum & labore contingunt, hinc bona fortunæ appellantur, quasi fortuitò homini contingentia. *Quid hoc loco intelligatur per bona fortunæ.*

Hujusmodi bona *Stoici* nolunt bona appellare, sed commoda corporis & externa: eò, quod nullum bonum volunt esse hominis præter virtutem, tanquam artem benè vivendi, quæ non nisi in animo est, dicente *August. lib.* 9. *de Civ. Dei c.* 4. *An bona fortunæ sint bona appellanda? Aff.*

*Plato quoq; lib.* 4. *de legibus* bona externa sine virtute non modo nihil juvare ait, sed etiam damnosa esse, & pernicie plena, dicique humana, cum illa, quæ animo inhærent, sint divina, quibus solis divinus sit homo ac beatus.

Sunt tamen externa illa fortunæ bona etiam bona, quia illis ad usum vitæ communis opus est, virtute autem fiunt meliora, cujus sunt instrumenta: si autem virtuti obstrepant, eamq; turbent, pernicies mera atque pestes sunt.



Digitized by Google

*cessitatem patienti* Eph. 4. 28. Præterea *Paulus* non prohibet possessionem propriam bonorum, sed hortatur possidentes, *ne spem ponant in divitiis incertis* 1. Tim. 6, 17. vult *Episcopum domui suæ benè præesse*, 1. Tim. 3, 4. vult *unumquemvis suis benè prospicere* 1. Timoth. 5, 8. & *suum panem edere* 2. Thessal. 3, 12. quæ omnia fieri non possunt ab iis, qui non ex peculio, sed ex communi fisco vivunt.

His omnibus adde exempla sanctorum, *Abrahami, Isaaci, Iacobi, Davidis*, & aliorum, qui in magnâ opum abundantiâ vixerunt, & tamen Deo placuerunt.

Sunt hæc omninò talia, quæ divitibus in possessione bonorum externorum omnem scrupulum eximere possunt: modò sint divitiæ rectè partæ, benè usurpatæ, & cum αὐτάρκεια conjunctæ, quam D. *Paulus* commendat 1. Tim. 6, 6.

*Cur in primitiva ecclesia Christiani bona sua in commune contulerint?*

In primitivâ quidem ecclesia Christiani bona sua conferebant in commune *Actor.* 4, 34. *seqq.* sed hoc non fiebat ex opinione singularis sanctitatis, aut perfectionis, sed ex libera voluntate conferebant pecuniam & agros suos in sustentationem fratrum, proprias tamen retinebant domos, in quas recipiebant peregrinos *Act.* 9, 32. 10, v. 6. nemo autem ad desertionem bonorum suorum cogebatur, sed liberum erat etiam agros & pecuniam retinere in peculio, sicuti *Petrus* ad *Ananiam dixit Actor.* 5, 4. *manens tibi manebat* (ager) & *venundatus in tuâ erat potestate*: quam libertatem *Anabaptistæ* nemini relinquunt. Perfectio quoque Christianorum frustrâ quæritur in desertione propriorum bonorum & paupertate spontaneâ. Nam etiam perfectioni sanctorum nihil derogavit possessio propriorum bonorum; mandatum certè nullum habemus de perfectione hoc modo adquirendâ: nam quòd Christus ad adolescentem illum dicit *Matth.* 19. *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, singulare mandatum fuit, quo Christus jactantiam juvenis de plenâ observatione legis retundere, ejusque obsequium peculiari casu probare voluit: *singularia* verò *exempla non faciunt legem*.

*Objectio beneficiorũ ex Matt 19 21. solvitur*

*Alia exceptio solvitur ex Luc.* 6, 24. & 16, 21. *Conf. Iac.* 5 1. 2. *Amos* 6, 1. *Sir.* 31, 8.

Quod autem Christus alibi divitibus malè ominatur, quasi jam bona sua acceperint, hoc illis dictum est, qui opibus mundi ad luxum & superbiam, ad suppressionem pauperum, & similia peccata abutuntur, quo pacto etiam *Paulus* periculum, quod ex collectione divitiarum sequitur, indicat, non quasi divitiæ in sese malæ sint, sed quia desiderium earum multorum malorum est occasio, ideò cautione opus est, ne per eas pereamus, quemadmodum etiam David *Psalm.* 62, 11. hortatur: *divitiæ si vobis affluxerint, nolite cor apponere.*

*Nova objectio ex Matt 6 v. 19. diluitur.*

Sic prohibet Dominus *thesauros colligere in terris*, non quasi divitiarum collectio sit improbanda, secus enim docet *Paulus* 2. *Corinth.* 12. *vers.* 14. sed avaritiam duntaxat & fiduciam in terrenis opibus reprehendit.

Nihil

Digitized by Google

Nihil ergò obstant allegata dicta, quin Christiani opes seculi colligere & possidere salva pietate possint: quin potius Deus pietati etiam hujus vitæ promissionem dedit, quæ inter cætera etiam in mediocri opum abundantiâ consistit, ut ex initio *Psalmi* 112. constat.

[*Bell. lib. 2. de mon. cap. 45. probat, Christum fuisse mendicantem. 1. quia non habuit propriam domum, sed conductam, 2. vixit in eleemosynâ Luc. 8. 3. seipsum vocat mendicum. Psalm. 40. & 109. 4. quia propter nos egenus factus est 2. Cor. 8. Contra 1. Mendicitas est signum maledictionis Psalm. 37. non vidi semen justorum quærere panem. 2. mendici apud Iudæos non tolerabantur Deut. 15. 3. Christus vixit Nazarethæ labore manuum suarum, 4 habuit suum peculium. Ioh. 13.*]

## CASUS II.

### *Num Christiani bona cum conscientia plura possidere possunt bona, quam quotidianus eorum usus postulat?*

*Affirmatur* RESP. Negant hoc *Photiniani*, ut apparet ex *Cattec. Rachov. latina artic. 5. cap. 1. p. 175.* ubi avaritia vocatur, cum homines præter privatam & justam necessitatem aut quærunt, aut recundunt divitias.

*Photinianorum error.* Sed absque ratione hæc dicuntur. Nam scriptura testatur, Deum *suppeditare nobis πλουσίως, copiosè omnia ad fruendum 1. Tim. 6, 17.* & sancti *Patriarchæ* magnis abundarunt opibus, ita ut præ *copiâ rei pecuariæ juxta habitare non potuerint Genes. 13, 5. 6.* nusquam etiam interdictum est, plura possidere bona, quàm quotidianus usus exigit; Apostolus *Paulus* potiùs injungit parentibus, *ut liberis thesauros colligant 2. Cor. 12, 14.* & quæcunque hactenùs probationis loco attulimus, quòd collectio divitiarum sit licita, modo aliàs legitimè fiat, ea quoq; hîc militant.

Quòd si *Photinianorum* opinio locum haberet, omnis etiam mercatura tolleretur, quia mercatores multa possident in bonis, quæ ad quotidianum usum non sunt necessaria. Mercaturam autem Christianis non esse prohibitam, infrà ostendam.

*Objectio Photinianorum cõfutatur.* Sed objiciunt illi dictum Apostoli 1. *Tim. 6, 8. habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*: verum planè præter rem.

Illis enim verbis non prohibetur abundantia opum, sed in defectu abundantiæ αὐτάρκεια commendatur, ne contra voluntatem DEI divitiis inhiemus, sed ad exemplum *Pauli. & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati discamus Philip. 4, 12.*

CASUS

## CASUS III.

### *Quæ sunt media, quibus divitiæ absque peccato, & bona colligi queunt?*

*Resp. 1. hæreditas.* RESP. Etsi benedictio Domini divites facit: ipse tamen non immediatè super nos effundit pluviam suæ bonitatis, sed certa nobis monstrat Scriptura media, per quæ divitiæ legitimè comparari, & quasi è manu ipsius Dei accipi possunt.

Primum est *hæreditas*: quæ enim à parentibus & cognatis ad nos perveniunt, legitimæ sunt divitiæ. Idcirco Deus ipse hæreditatibus modum præfixit, juxta quem distribuendæ sunt. *Num.* 27. *vers.* 8. *homo cum mortuus absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas. Si filiam non habuerit; habebit successores fratres suos; quòd si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem patruis Fratris ejus; sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt.*

Sic tota terra *Chanaan* vocatur *hæreditas Israelis* Num. 32, 18. *Psal.* 135. 12. *& hæreditas* Domini, 1.*Sam.* 26, 19. 2. *Sam.* 20, 19: 21, 3. *Ier.* 50, 11. quia Dominus populo suo terram hanc sorte distribuit, primogenitis hæreditatem duplam è bonis paternis assignavit, *Deut.* 21, 17.

In genere de Deo dicit *David*: *dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum Psal.* 61. *vers.* 6. cùm ergò hæreditatis divisio sit legitima, & Deo non ingrata, opera danda erit, ut in ea etiam omnia legitimè fiant, non defraudet frater fratrem, sed portione sua sit contentus: *Hæreditas enim per vim aut dolum adquisita benedictione divinâ caret.*

Alterum medium legitimè ditescendi sunt legitimi contractus, emtiones, venditiones, cessiones, donationes, &c. quo pacto *Abraham* locum sepulturæ sibi adquirebat per emtionem à filiis *Heth Gen.* 23. *v.* 16. *Iacob* partem agri in usum prædii emit à filiis *Hemor.* 33. *v.* 19. *Ieremias* emebat agrum ab *Hananeel in Anatoth Ier.* 32. *v.* 9. *David* emit aream ab *Aravnâ Iebusæo* 2. *Sam.* 24. *vers.* 21. ita *Boos* agrum *Elimelechi* per cessionem propinqui possedit, *Ruth.* 4. *v.* 6. *seqq.* per donationes regis divitias congregarunt ministri *Davidis & Salomonis* 2. *Sam.* 16. *v.* 4. *David* dividebat possessiones inter *Mephibosheth & servum ejus* 2. *Sam.* 19. *v.* 29. in his contractibus autem omnia fiãt absque dolo, ne venalia faciamus alterius bona, præter ejus voluntatem, ne impediamus emtores alios, ne vendamus merces nullius pretii pro bonis, nec emtores pecuniam numerent adulterinam, sed ad exemplum *Abrahami*, appendant pecuniam probatæ monetæ publicæ *Gen.* 23. *v.* 16. *2. Contractus acquisitionis, &c.*

Summa: *absit iniquitas, & cautè fiant omnia, ne, dum bona adquirimus terrena, amittamus cœlestia.* Nam ut *Siracides loquitur, propter pecuniam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, avertit oculum suum. Sicut in*

tis, impedit, expugnare poſſumus, ſi præſertim accedant preces, ut Deus ſpiritu manſuetudinis & patientiæ nos induat, ſine quo ne ad momentum quidem contra hujuſmodi impetuoſam perturbationem conſiſtere poſſumus.

## CASUS VI.

### *Quomodo expugnandus eſt affectus voluptatum carnalium, qui multorum animos fœdiſſimè polluit?*

RESP. Non omne deſiderium voluptatum eſt culpandum. Eſt enim voluptas quædam honeſta & ſancta, quæ ex lectione aut auditu verbi divini vel ex meditatione operum & beneficiorum divinorum, vel ex officii noſtri laboribus ritè perfunctis oritur, quas voluptates appetere licet: imò ideò rebus illis ſanctis & honeſtis operam damus, ut inde ſanctam quandam recreationem percipiamus, & B. *David* nos *delectari jubet in Domino, & dabit nobis omnes petitiones cordis noſtri, Pſal. 37. v. 4.*

Sunt & voluptates quædam media & indifferentes, quæ vulgò naturales dicuntur, & ex eſu aut potu, ex odore, viſu aut auditu rerum jucundarum, ex quiete corporis commoda, & ex ſimilibus exernorum ſenſuum qualitatibus oriuntur. Quæ ſi moderatæ ſunt, merentur laudem, quia ad bonitatem Dei agnoſcendam, & ad corporis incolumitatem conſervandam faciunt, animamque ad laudem gloriamque Dei nobis undiquaque benefacientis invitant.

Si autem exceſſus hîc advenerit, aut recto fine non adhibeantur, in voluptates illicitas degenerant. Hujus ergò voluptatis affectus non eſt expugnandus, aut planè removendus; ſed debito modo gubernandus. Nam ut *Ariſtoteles* etiam in *Ethicis* docuit, virtus non in carentia, ſed in moderatione affectuum conſiſtit.

De illicitis autem voluptatibus hîc agitur, quarum quædam ſunt oris atque gulæ, quædam ventris: illæ Baccho, hæ Veneri inſerviunt: ex illis ſunt comeſſationes & ebrietates, ex his libidines, fornicationes & adulteria. Uterque affectus ad gehennam ducit, niſi maturè ei reſiſtatur.

Contra deſiderium ebrietatis, & comeſſationes hæc adhibeantur remedia: familiam ducat ſacra Scriptura, quæ nos à vitiis illis graviſſimè dehortatur, inprimis cùm *Chriſtus* dicit *Luc. 21. v. 34. cavete, ne corda veſtra graventur crapula & ebrietate,* & cùm *D. Paulus* operibus carnis accenſet ebrietatem & comeſſationem, de quibus affirmat, quòd, *qui talia faciunt, regnum Dei non conſequantur, Gal. 5. v. 21.*

Deinde cogitetur, quòd hæc vitia hominem infra beſtias abjiciant:

Digitized by Google

ciant: rarò enim bruta supra satietatem esse aut bibere videas. Ebriosi autem non tantum modum frequenter excedunt, sed & ita in se ingurgitant, ut oculi caligent, & neque pes neque manus officium suum faciant: quâ ratione idolis similes fiunt, qui oculos habent, & non vident, manus & non tangunt, pedes & non ambulant.

Tertiò, qui sanitatem corporis amant, appetitui illi resistant, & sobrietati studeant. Nihil enim faciliùs humores in corpore corrumpit, & varios morbos generat, quàm crapula & ebrietas. Unde *Siracides* scribit *cap.37. vers.34. multi propter epulationem obierunt*, & *Salomon* ait, *cui væ? cujus patri væ? cui rixa? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Prov.23.v.29.* Nihil æquè abbreviat vitam, ac intemperentia in cibo & potu: quemadmodum vicissim simplex & frugalis victus priscis Patriarchis & aliis, vitam ad annos aliquot centenos prorogavit.

Quartò cogitetur, quòd ingluvies hominem ad actiones honestas prorsus ineptum reddat. Nam *vinum & ebrietas auferunt homini cor*, ut Propheta loquitur *Ose* 4,11. debilitant ingenium, obnubilant intellectum, ut homo ad consultandum, discurrendum & judicandum prorsus infans fiat; ideò vituperantur judices ebrii, qui *sententias eructant, Esa.28.v.7.* quin & operas manuarias impediunt, nam qui ebrietatem amant, labores oderunt, *manusq; accipiunt tremulas, ut nepotes Caini videantur*, ut *Basilius in serm. de ebrietate* loquitur.

Quintò negari non potest, comessationes & ebrietates multorum malorum esse seminaria, ut rectè dixerit Apostolus: ἐν μέθῃ ἀσωτία *Ephes. 5. v.* 18. saginata enim caro fit lasciva, quæ repagula disciplinæ citò excutit, & ex ea, tanquam ex agro luxuriante, urticæ & cardui malarum cupiditatum magno numero excrescunt: aggravatur corpus cibis & pinguedine, ut ab animo difficiliùs trahatur: impediuntur preces & meditationes sacræ, obbrutescit animus, ut exiguo tempore & Deum & religionem omnem dediscat: officia demandata negliguntur, pauperes non curantur, & tandem ipsa voluptas, quæ in moderato cibo & potu absque peccato esse poterat, ingluvie deperditur: labor enim, sudor, cursus, fames & sitis optimum est ciborum condimentum. Pessimus autem ille cibus atque potus est, qui famem parit atque sitim, nobis nec esurientibus, nec sitientibus.

Porrò qui suggestiones sentiunt ad libidines & Venerem illicitam, ante omnia persuasum habeant, eas esse à diabolo, qui est immundus ille spiritus, osor conjugii & castitatis, cui toties resistere jubemur, ut fugiat à nobis. **Remedia contra libidines.**

Deinde cogitent, quòd *fornicatio sit opus carnis, quod hominem excludit è regno Dei Gal. 5. vers.* 21. & ex *mem-*

*bris Chriſti facit membra meretricis*, 1. *Cor*. 6, 5. cumque alia peccata fiant extra corpus, qui fornicatur, *in corpus ſuum peccat v*. 18.

Tertiò expendat, quàm variis hominem miſeriis objiciat hoc peccatum. Excæcat enim animos, ſtupidosque facit, unde libidinoſi plerunque ſunt ad res ſerias agendas inepti: quod inprimis exemplum *Salomonis* teſtatur, qui cùm antea eſſet regum ſapientiſſimus, quamprimùm mulieroſus factus eſt, & Ethnicis uxoribus adhæſit, nihil ferè de ſapientia ſua retinuit, adeò, ut etiam in gratiam muliercularum *deos alienos coleret*, 1. *Reg*. 11, 5. *Samſon* etiam meretriculæ amore victus & deceptus, omne ſuum robur amiſit, & in manus hoſtium incidit *Iud*. 16, 19. Nihil dicam de *Hercule*, nihil de *M. Antonio*, de quo *Cleopatram* amante *Plutarchus*: *ejus animus in ipſo moriebatur, ut in corpore amica viveret*.

Quartò conſideret, quàm multos amor illicitus ad ſummam redegerit paupertatem. Vorax enim Venus eſt, quæ brevi temporis ſpatio maximas opes diſperdidit, quia nulla re magis, quàm pecunia meretricum januæ & animæ expugnantur. Ideò *Salomon* meretricem *foveam profundam* nominavit *Prov*. 23, 27. abſorbet enim ipſa & ſanitatem & ſubſtantiam hominis, & *Siracides* hortatur: *ne des fornicariis animam tuam, ne perdas te & hæreditatem tuam*, *Sir*. 9, 6.

Quintò ante oculos ſibi ponat exempla pœnarum, quibus Deus in libidinoſos adnimadvertit. Ob fornicationem *Sichemi* omnes maſculi *Sichemitarum* necabantur *Geneſ*. 34. *v*. 25. ob libidines primus mundus diluvio, *Sodomitæ* incendio perierunt *Geneſ*. 67, 19. ob eandem cauſam 24000. ceciderunt in deſerto *Num*. 25, 4. & integra tribus *Bejamin* exciſa fuit, *Iudic* 20. *Hæc autem in figura facta ſunt nobis, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupiverunt, neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt* 1. *Cor*. 10. *v*. 6 8. Deus enim caſta mens eſt, & graviter ulciſci ſolet libidinoſos, ſicut ſcriptum eſt: *ſcortatores & adulteros judicabit Deus Heb*. 13. *v*. 4.

Sextò fugiat occaſionem omnem libidinum. *Cum ſaltatrice ne ſis aſſiduus*, inquit *Siracides*, *nec audias illam, ne fortè pereas per eam. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit Sir*. 9. *v*. 6 8. 9.

Huc pertinet etiam exhortatio *Salomonis Prov*. 5. *v*. 1. *ſeqq*. 6, 24. *ſeqq*. 7, 5. *ſeqq*. Adhibeat etiam diligentiam in precibus & aſſiduitatem in laboribus vocationis: hæc enim animum in officio continent, & caſtitatem cuſtodiunt: in improbis verò & otioſis hominibus patet cor tentatori, & imprimis cogitationibus facilè repletur.

Tantum de cupiditate voluptatum.



Digitized by Google

## CASUS VII.

### *Quomodo reſiſtendum eſt metui, ne animum à recto bonarum actionum tramite turbet?*

RESP. Metum *Auguſtinus* inter affectus animi ſecundo loco ponit. Eſt autem metus reliquorum affectuum quaſi motor quidam & impulſor, qui eos inſtar venti impetuoſi ultrò citroque agitat. Deſiderium pecuniæ incutit metum paupertatis, deſiderium honoris metum infamiæ aut dedecoris, deſiderium voluptatum metum laboris & moleſtiæ. His adde metum deformitatis, metum captivitatis, metum ſenectutis, metum morborum, & ipſius denique mortis. Et hæ omnes ſunt ſpecies metus in rebus externis.

Eſt autem etiam metus rerum ſpiritualium, ut peccati, judicii divini, condemnationis æternæ & ſimilium. Hæc omnia tranquillitatem animi impediunt, ideò remedia commoda quærenda ſunt, quibus metus iſte expellatur.

*Remedia contra metum paupertatis.* Paupertatis metum excutimus 1. *conſideratione promiſſionum divinarum*, quod *inquirentes Dominum non minuantur ullo bono Pſal.* 34. *verſ.* 11. quod *timentes Dominum ſint benedicti, labores manuum ſuarum manducabunt, Pſal.* 128, 2. quod *benedictio Domini divites faciat, Prov.* 10, 22. quilibet ergo faciat quæ ſui ſunt muneris, reliqua commendet Deo, cujus *promiſſiones in Chriſto Ieſu eſt & Amen ſunt*, 2. *Cor.* 1, 20.

(2.) *Conſideratione providentiæ divinæ*, quæ curam ſuſcipit omnium, quæ ſunt in mundo. *Ipſe* enim *aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, Pſal.* 145, 16. etiam aviculas alit, & lilia campi veſtit, quidni filiis ſuis proſpiciat de neceſſariis? Pater noſter eſt, & neceſſitatis noſtræ conſcius: ergo liberos ſuos negligere non poteſt: in quam ſententiam *Chriſtus* prolixam inſtituit parænesin *Matth.* 6.

*Remedia contra metum ignominiæ & infamiæ.* Metui ignominiæ & infamiæ opponere poſſumus 1. *ſtudium humilitatis*, quod decet Chriſtianos omnes, qui *non quærunt, quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, Phil.* 2.

(2.) Conditionem eorum, qui nos ignominia afficiunt: ſunt homines mundani, carnales, & in regno Dei infames. *Dementia autem eſt, vereri, ne diffameris ab infamibus*, ait *Seneca*.

(3.) veram noſtram gloriam, quam habemus apud Deum, quæ in eo conſiſtit, quod ſimus filii Dei, & hæredes vitæ æternæ, quam ſcriptura omnibus hujus ſeculi honoribus antepónit *Rom.* 8, 17. 1. *Ioh.* 3, 2.

(4.) Largam remunerationem ignominiæ, quam propter Chriſtum patimur, eam enim promiſit Dominus, *Matth.* 5. v. 11. *beati, ſi maledixerint vobis homines* &c.

Metum laboris & moleſtiarum fugare

fugare possumus (1.) consideratione voluntatis divinæ, Deus enim homini laborem injunxit *Genes.* 3. & per labores dona sua nobis vendere voluit. Unde *Siracides* scripsit: *non oderis laboriosa opera , & rusticationem creatam ab altissimo, Sir.*7,16.

(2.) Consideratione utilitatis ; quam habemus ex labore. Prodest enim sanitati hominis , roborat vires corporis , medetur desideriis pravis , benè meretur de proximo , liberat nos à turpi servitute voluptatum, laudem denique parat apud rectè sentientes. Nemo enim probat otia, quæ multa docent vitia *Sir.* 33.29 qui autem honestis occupati sunt laboribus , favorem bonorum facilè merentur.

*Remedia contra metū deformitatis corporis.* Cùm deformitas corporis metum injicit , cogitemus, quod ea non sit, in nostra manu, sed *Deus est generator formæ Sap.*11. *vers.* 3. qui unicuique *sua distribuit bona, prout vult.* 1. *Cor.* 12. nemo nostrûm *staturæ suæ cubitum adjicere, nemo pilum unum album aut nigrum efficere potest Matth.* 5, 36. 6, 27. si quis formæ defectus occurrit, detur opera, ut animi cultura defectus ille compensetur. Interim solemur nos futura corporum nostrorum glorificatione , de qua *Paulus Phil.*3, 21. ubi corpora justorum *fulgebunt instar Solis in regno Patris, Matth.*13,43.

*Remedia contra metum captivitatis & exilij.* Si captivitatis aut exilii metus imminet , cogitetur, hæc ad casus humanos pertinere , qui cuilibet contingere possunt, à quibus etiam sancti non fuerunt excepti , ut exempla *Iosephi, Danielis, Apostolorum* ipsius denique *Christi* in infantia sua exulantis, testantur. *Nemo autem patiatur , ut fur aut homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine* 1. *Petr.*4. *v.*16.17.

*Remedia contra metum calamitatum.* Metum calamitatum exstinguere potest consideratio mali hujus necessarii : *omnes enim piè vivere volentes in Christo Iesu persequutionem patiuntur* 2. *Tim.*3, 12. & hæc *est via ad gloriam per tribulationes multas Act.*14. *v.*21. *in eo* consistit *conformitas nostri cum Christo Rom.*8, 29. hoc medio mortificatur in nobis caro, & quæ sunt alia commoda crucis , quæ alibi proponuntur.

*Remedia contra metum senectutis.* Metus senectutis est frustraneus. Senectus enim donum Dei est, quam formidare nequeunt, qui diu vivere cupiunt : honorabilis est, etiam divino judicio : immunis est à multis vitiis & incommodis, quibus molestatur adolescentia & virilis ætas. Et quanquam suis incommodis non caret, sensus tamen sunt in ferendis illis exercitatiores , circumspectiores, & moderatiores. Et licet ad ea, quæ viribus corporis aguntur , minùs apti sint ; in iis tamen , quæ prudentia & consilio gerūtur, exercitatiores sunt , adeò, ut juventus , quæ gerendis rebus aptior videtur , nihil possit , nisi consilio senum gubernetur.

*Remedium contra morbos & mortalitatem.* Si quem denique angit , quòd morbis & ipsi denique morti est obnoxius , quòd cum peccato, diabolo, ipsaque æternâ damnatione sibi sit con-

Digitized by Google

confligendum, contra hæc omnia supra ostendimus remedia lib. 3. cap. 4. cùm de melancholicis ageremus: non est, ut hîc actum agamus.

## CASUS VIII.

## *Quodnam adhibendum est moderamen in gubernanda lætitia & tristitia, ne hi affectus modum excedant, & animi culturam impediant?*

*Quomodo lætitiam rectè moderari possumus?*

RESP. Est modus in rebus, tempusque datur *plangendi & saltandi Eccles.* 34. Ut autem utroque utamur sine peccato, videndum est.

Lætitiam rectè moderari possumus, si 1. cogitemus, Deum quidem esse, *qui dat lætitiam in corde nostro Psal.* 4, 7. quique etiam honestam recreationem, quâ amaritudinem hujus vitæ temperemus, nobis non invidet, sed rationem usurpatæ hujus à Deo nobis concessæ lætitiæ aliquando exiget. Quâ de re *Salomon* scribit: *Eccles.* 11, 9. *letare juvenis in adolescentiâ tuâ, & in bona sit cor tuum, in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Unusquisque igitur, dum lætatur, ex oculis suis non ponat Deum, tanquam inspectorum & judicem omnium nostrorum operum. Nam & hîc meritò locum habet illud *Siracidæ cap.* 7, 40. *in omnibus operibus tuis memorare novissima, & nunquam peccabis.*

Deinde cogitemus, nullum hujus seculum gaudium esse perfectum, sed cum dolore temperatum, qui gaudium vel comitatur vel sequitur. Ita igitur exporrigamus frontem in rebus secundis, ut & parati simus ad ferendas res adversas, si Deus ita voluerit, juxta monitum *Siracidæ: in die bonorum ne sis immemor malorum, &c. c.* 11, 27.

Tertiò recordemur, quòd gaudium hujus seculi non sit optimum, sed unum ex donis temporalibus & caducis, quæ etiam impiis contingunt. Idcircò non totos nos immergamus tali lætitiæ, quasi summum nostrum bonum in ea situm sit, neque contristemur, si fortasse per casum aliquem præscindatur: non enim ea sunt piorum propria, quæ cum impiis habent communia.

Quartò gaudium hujus seculi, nisi sponte sese offerat, non nimium appetamus, sed contemnere discamus: ita ad cœleste gaudium tantò magis adspirabimus, in quem sensum *Augustinus* scribit *in soliloq. cap.* 22. *in hac vitâ renuit consolari anima mea, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis, quia justum est, ut amittat te, quicunque in aliquo alio magis consolari eligit, quàm in te.*

Eadem ferè ratio est tristitiæ, quæ quidem evitari semper non potest, ita tamen moderanda est, ne vel pre-

ces in nobis impediat, vel vitam abbreviet, juxta monitum *Siracidæ* cap. 30, 22. *tristitiam non des animo tuo, & non affligas temetipsum in consilio tuo, &c. v. 25. multos occidit tristitia, & non est utilitas in eâ.* Non autem agimus hîc de melancholica tristitia, quam supra expulimus *lib.* 3. *cap.* 4. sed de eâ, quæ justas habet causas, quam moderari debemus, ne in impatientiam degeneret, & durius quid in Deum proximumque statuat.

*Quomodo moderari possimus tristitiam?*

Ea verò moderatio fieri potest (1.) cùm cogitamus Deum non reliquisse nos absque consolatione. *Sicut enim abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra* 2. Cor. 1, 5.

(2.) Cùm recordamur, tristitiam hujus seculi non esse perpetuam, sed cum gaudio temperatam. Non enim dat Deus *perpetuò afflictionem justo Psal.* 55, 23. *quod autem finem habet, diu non durat*, inquit *Seneca. Non delectatur Deus in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymas & fletum, exultationem infundit Iob.* 7, 22. *ad vesperum morabitur fletus, & ad matutinum lætitia Psal.* 30, 6. Ideò hortatur *Salomon*: *considera opera Domini, quòd nemo possit corrigere, quod ille despexerit. In die bonâ fruere bonis, & malam diem præcave, sicut enim hanc, ita & illam fecit* Dominus: *Eccl.* 7, 14. 15.

(3.) Cùm amorem tristitiæ consideramus. Is est *Deus qui contristat, ut exhilaret, & non ex corde humiliat Thren* 3, 33. *nec ultra vires tentat nos, sed dat tandem exitum, ut possimus portare* 1. Cor. 10, 13.

(4.) Cùm secuturum futurum vitæ gaudium expendimus, quod omnem piorum tristitiam, quam habere possunt in hoc seculo, longo post se intervallo relinquit. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis* 2. *Cor.* 4. *v.* 17.

Ita igitur & hi affectus ad debitam moderationem reduci queunt, ne tranquillitati animi obsint, aut cultum ejus Deo gratum impediant.

Tantum de interno animi cultu: pauca jam sequuntur, quæ animum ab extrà excolunt, ut sunt artium liberalium studia:

## CASUS IX.

### *Rectenè Christiani operam aliquam impendunt in studia artium liberalium, eum in finem, ut animum suum cultiorem reddant?*

RESP. Duo sunt hominum genera, quibus studia linguarum & artium sordent, à quibus frustrà exspectes, ut animum suum hoc modo excolant, sed rusticitatem & barbariem sibi laudi ducunt, videlicet *Anabaptistæ & monachi* nonnulli.

*Anabaptistarum deliria.*

*Anabaptistæ* non tantùm studia Philosophica promiscuè omnia, sed & Academias scholasque contemnunt, cui furori familiaris fuit *Carolostadius*, qui unà cum fratre *Gabriele Monacho Augustiniano & M. Thoma*

*Thoma Moro* ludimoderatore scholam *Wittebergam* clausit, parentes, ne liberos in scholas mitterent, dehortatus fuit, studia linguarum & artium superbi animi signa vocavit, quia nos omnes à Deo doctos esse oporteat.

Furor hic *Anabaptisticus* hodie in fanaticis nonnullus revixit, inter quos familiam ducit *Valen. Weigelius, qui part.* 1. *postil pag.* 195. audacter affirmat, in scholis & Academiis Christum non reperiri: juventutem frustrà in scholas mitti, Christum ex omnibus scholis in toto mundo discessisse. Sæpe ingeminat, scholas & Academias nondum cognovisse Christum, omnes scholas esse Christi hostes, & qui in iis docent aut erudiuntur, eos vocat doctos hujus seculi, Weltgelehrten / de quibus Christi vaticinium sit intelligendum: *multi venient pseudochristi & pseudoprophetæ Matth.* 24. *Part.* 2. *Postill. pag.* 79. vult omnes eruditos procumbere, cæcitatem suam agnoscere, & fateri, doctrinam suam meram esse corruptelam.

*Fratres ignorantiæ.* Inter monachos sunt inprimis *Franciscani*, cujus ordinis regula est: *nescientes non curent discere literas, unde fratrum ignorantiæ* nomen extitit: eamque suam ignorantiam palliant illo Apostolico dicto, *litera occidit* 2. *Cor.* 3. *vers.* 6. Hinc est illud in fratres illos ignorantiæ epigramma *Angli* cujusdam Poetæ:

*Magne pater, clamas, occidit litera; in ore*
*hoc unum, occidit litera, semper habes.*
*Cavisti benè tu, ne te ulla occidere possit*
*litera: nam nulla est litera nota tibi.*
*Nec frustra metuis, ne occidat litera eum, quem*
*nullus vivifico spiritus igne fovet.*

Et quid dico de monachis? ex ipsis *Papis* aliqui infensiores fuerunt literis humanioribus: *Papa Gregorij* vox est *in Decretis dist.* 38. *cap. indignum: indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulas Donati.* Idem *Papa Desiderio Episcopo* irascitur, quòd studium *Grammatices* tractavit, *lib.* 9. *epist.* 48. *De Paulo II.* refert *Platina in ejus vitâ* humanitatis studia ipsum adeò odisse & contemsisse, ut ejus studiosos uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem *Romanos* adhortabatur, ne filios diutiùs in studiis literarum paterentur, satis esse, si legere & scribere didicissent. Sic & hæreticos eos pronunciavit, qui nomen Academiæ, vel seriò, vel joco deinceps commemorarent. Hoc nimirum est studia & bonas literas contemnere.

*An Lutherus de Academiis & scholis minus honestè senserit?* Videtur quidem *Lutherus* etiam interdum de Academiis & scholis non satis honestè sentire: quas idolo *Moloch* comparat, & gymnasia Epheborum, & græcas glorias ex libro Machabæorum nominat, *in libr. ad nobilitat. Germaniæ:* Sed abusum Academiarũ notat, quales suo tempore in *Papatu* erant, ubi propo-

sito *Aristotele*, nec ipso rectè intellecto, gentilibus & humanis literis ingenia Christiana occupabantur, & pro verbo Dei *Papæ* dogmata tractabantur, ut *scribit in lib. ad Catharinum tom. 2. Ien. Germ. fol.* 362. ubi adolescentes pessimis moribus perdebantur, Philosophicis, gentilibus, humanis, impiis & sacrilegis opinionibus imbuebantur, ubi & venenum hauriebant, quod fortè nunquam evomerent, tenentes pro bono, quod malum est, imbuentes & eos, quos docendos suscipiunt, similibus opinionibus, quemadmodum *in libro de privatâ Missâ* loquitur.

Aliàs ipsemet Professorem Philosophiæ in hac nostra Academiâ aliquandiu egit: in Academiis libros *Aristotelis, Logicam, Rhetoricam. Poeticam* retinendam esse suadet, modò non omnia in disputationes transformentur, exercitia linguarum, & disciplinarum Mathematicarum probat *tom. 1. Ien. germ. fol.* 310. hortatur enim gubernatores Rerumpub. ut aperiant scholas, in quibus juventus honestis disciplinis imbuatur *tom. 2. Ien. germ. fol.* 454. tantum abest, ut scholas & studia linguarum ac artium damnarit.

*Vtilitas liberalium artium.* Et sanè nemo sanæ mentis ea damnare, aut culpare potest: quia, si à verâ pietate discesserim, optima cultura animi in eis consistit. Nam scientiam multarum rerum hominum comparant, ne vivat in mundo instar bruti, quod nihil eorum curat, quæ aguntur: mores effrenatos cicurant, & veram modestiam conciliant, juxta usitatos versiculos:

*----ingenuas didicisse fideliter artes,*
*emollit mores, nec sinit esse feros:*

animum reddunt mansuetum & injuriarum patientem, barbari enim vindictam sui laudant, eruditi seipsum vincere optimam victoriam esse sciunt. Ideò *Anonymus* adolescens quidam, qui apud *Zenonem* philosophiæ operam dederat, domum reversus, cùm à patre eruditionis suæ specimen edere juberetur, ait: *ostendam paulo post quid profecerim*, verùm cùm nihil diceret, pater iracundus existimans impensas perisse, cepit loris verberare filium. Eam parentis severitatem cùm æquo animo tulisset, rursus efflagitanti patri, ut profectus documentum daret: *hoc ait, ex Philosophia didici, ut possim iram & verbera patris æquo animo perpeti, cùm secus faciant alij*, referente *Erasmo lib. 8. apophtegm. ex Ælian. lib. 9. variar. hist.*

De *Dionysio* juniore fertur, cùm regno fuit expulsus, & à quodam rogaretur, *quid tibi profuit Plato & Philosophia?* respondit ipse, *ut tantam fortunæ mutationem facile feram.* Neque enim sibi manus admovit, quod alii solent, sed *Corinthi* ludum literarium aperuit.

Studia insuper judicium informant, qui autem non intelligunt artes, non mirantur artifices, ut *Sidonius in epistolis* scribit. *Studia etiam* saluti

*saluti corporis prosunt*, inquit *Seneca epist.* 81. In remedium enim cedunt honesta solatia, & quidquid animum erexit, etiam corpori prodest. Vera recreatio est ex studiis; nam, ut idem ait *Seneca epist.* 87. *otium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura.* Alit lectio ingenium, & studio fatigatum non sine studio tamen reficit, nec scribere tantùm, nec legere debemus, altera res contternabit vires, & exhauriet, altera solvet ac diluet, &c. Studia homines à brutis discernunt: ideò literis se operam dare quidam dixi., ne sedeat lapis super lapidem. Et *Aristippus* interrogatus, *quid differat doctus ab indocto* respondit, *quod equi domiti ab indomitis.* Quemadmodum enim equus indomitus ad omnem usum est incommodus, ob inscitiam ac ferociam: ita qui reperitur affectibus, quos sola domat Philosophia, ad omnem vitæ conversationem est inutilis, referente *Laertio lib.* 2. *c.* 8.

Pauca hæc docent, eos non perdere tempus, qui bonis literis invigilant, sed animum excolere & vitam hanc longè suavius ducere, quam alios, qui in ignorantia sua obbrutescunt.

Unde *Salomon* scribit *Prov.* 17. *vers.* 24. *pretiosi esse spiritus virum eruditum.* Verùm hos effectus suos non apud omnes consequuntur studia, sed ubi idoneam amplexa sunt naturam, quæ disciplinam, & culturam admittat, eamque bonitate suâ adjuvet. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur: sic animi non omnes culti fructum ferunt; & ut ager quamvis sterilis sine culturâ fructuosus esse non potest, sic sine doctrinâ animus: utraque res sine culturâ debilis est, quo simili *Cicero utitur lib.* 2. *Tusculan. quæstion.*

## CAPUT III.

## *De Casibus conscientiæ circa bona fortunæ.*

Bona fortunæ aliàs dicuntur bona externa, quales sunt opes & divitiæ, & quia hæc etiam impiis, sine studio interdum & labore contingunt, hinc bona fortunæ appellantur, quasi fortuitò homini contingentia. *Quid hoc loco intelligatur per bona fortunæ.*

Hujusmodi bona *Stoici* nolunt bona appellare; sed commoda corporis & externa: eò, quod nullum bonum volunt esse hominis præter virtutem, tanquam artem benè vivendi, quæ non nisi in animo est, dicente *August. lib.* 9. *de Civ. Dei c.* 4. *An bona fortunæ sint bona appellanda? Aff.*

*Plato quoq; lib.* 4. *de legibus* bona externa sine virtute non modo nihil juvare ait, sed etiam damnosa esse, & pernicie plena, dicique humana, cum illa, quæ animo inhærent, sint divina, quibus solis divinus fit homo ac beatus.

Sunt tamen externa illa fortunæ bona etiam bona, quia illis ad usum vitæ communis opus est, virtute autem fiunt meliora, cujus sunt instrumenta: si autem virtuti obstrepant, eamq; turbent, pernicies mera atque pestes sunt.

 Cùm

*cessitatem patienti* Eph. 4. 28. Præterea *Paulus* non prohibet possessionem propriam bonorum, sed hortatur possidentes, *ne spem ponant in divitiis incertis* 1. Tim. 6, 17. vult *Episcopum domui suæ benè præesse*, 1. Tim. 3, 4. vult *unumquemvis suis benè prospicere* 1. Timoth. 5, 8. *& suum panem edere* 2. Thessal. 3, 12. quæ omnia fieri non possunt ab iis, qui non ex peculio, sed ex communi fisco vivunt.

His omnibus adde exempla sanctorum, *Abrahami, Isaaci, Iacobi, Davidis*, & aliorum, qui in magnâ opum abundantiâ vixerunt, & tamen Deo placuerunt.

Sunt hæc omninò talia, quæ divitibus in possessione bonorum externorum omnem scrupulum eximere possunt: modò sint divitiæ rectè partæ, benè usurpatæ, & cum *αὐταρκείᾳ* conjunctæ, quam *D. Paulus* commendat 1. Tim. 6, 6.

*Cur in primitiva ecclesia Christiani bona sua in commune contulerint?*

In primitivâ quidem ecclesiâ Christiani bona sua conferebant in commune *Actor.* 4, 34. *seqq.* sed hoc non fiebat ex opinione singularis sanctitatis, aut perfectionis, sed ex libera voluntate conferebant pecuniam & agros suos in sustentationem fratrum, proprias tamen retinebant domos, in quas recipiebant peregrinos *Act.* 9, 32. 10, *v.* 6. nemo autem ad desertionem bonorum suorum cogebatur, sed liberum erat etiam agros & pecuniam retinere in peculio, sicuti *Petrus* ad *Ananiam dixit Actor.* 5, 4. *manens tibi manebat* (ager) *& venundatus in tuâ erat potestate*: quam libertatem *Anabaptistæ* nemini relinquunt. Perfectio quoque Christianorum frustrâ quæritur in desertione propriorum bonorum & paupertate spontaneâ. Nam etiam perfectioni sanctorum nihil derogavit possessio propriorum bonorum; mandatum certè nullum habemus de perfectione hoc modo adquirendâ: nam quòd Christus ad adolescentem illum dicit *Matth.* 19. *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, singulare mandatum fuit, quo Christus jactantiam juvenis de plenâ observatione legis retundere, ejusque obsequium peculiari casu probare voluit: *singularia* verò *exempla non faciunt legem.*

*Objectio beneficiorũ ex Matt 19 21. solvitur*

Quod autem Christus alibi divitibus malè ominatur, quasi jam bona sua acceperint, hoc illis dictum est, qui opibus mundi ad luxum & superbiam, ad suppressionem pauperum, & similia peccata abutuntur, quo pacto etiam *Paulus* periculum, quod ex collectione divitiarum sequitur, indicat, non quasi divitiæ in sese malæ sint, sed quia desiderium earum multorum malorum est occasio, ideò cautione opus est, ne per eas pereamus, quemadmodum etiam David *Psalm.* 62, 11. hortatur: *divitiæ si vobis affluxerint, nolite cor apponere.*

*Alia exceptio solvitur ex Luc. 6, 24. & 16, 21. Conf. Iac. 5 1. 2. Amos 6, 1. Sir. 31, 8.*

Sic prohibet Dominus *thesauros colligere in terris*, non quasi divitiarum collectio sit improbanda, secus enim docet *Paulus* 2. *Corinth.* 12. *vers.* 14. sed avaritiam duntaxat & fiduciam in terrenis opibus reprehendit.

*Nova objectio ex Matt 6 v. 19. diluitur.*

Nihil

## CASUS III.

### *Quæ sunt media, quibus divitiæ absque peccato, & bona colligi queunt?*

*Resp. 1. hæreditas.* RESp. Etsi benedictio Domini divites facit: ipse tamen non immediatè super nos effundit pluviam suæ bonitatis, sed certa nobis monstrat Scriptura media, per quæ divitiæ legitimè comparari, & quasi è manu ipsius Dei accipi possunt.

Primum est *hæreditas*: quæ enim à parentibus & cognatis ad nos perveniunt, legitimæ sunt divitiæ. Idcirco Deus ipse hæreditatibus modum præfixit, juxta quem distribuendæ sunt. *Num. 27. vers.* 8. *homo cum mortuus absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas. Si filiam non habuerit; habebit successores fratres suos; quòd si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem patruis Fratris ejus; sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt.*

Sic tota terra *Chanaan* vocatur *hæreditas Israelis Num.* 32, 18. *Psal.* 135. 12. *& hæreditas* Domini, 1. *Sam.* 26, 19. 2. *Sam.* 20, 19: 21, 3. *Ier.* 50, 11. quia Dominus populo suo terram hanc sorte distribuit, primogenitis hæreditatem duplam è bonis paternis assignavit, *Deut.* 21, 17.

In genere de Deo dicit *David*: *dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum Psal.* 61. *vers.* 6. cùm ergò hæreditatis divisio sit legitima, & Deo non ingrata, opera danda erit, ut in ea etiam omnia legitimè fiant, non defraudet frater fratrem, sed portione sua sit contentus: *Hæreditas enim per vim aut dolum adquisita benedictione divinâ caret.*

*2. Contractus aquitas.* Alterum medium legitimè ditescendi sunt legitimi contractus, emtiones, venditiones, cessiones, donationes, &c. quo pacto *Abraham* locum sepulturæ sibi adquirebat per emtionem à filiis *Heth Gen.* 23. *v.* 16. *Iacob* partem agri in usum prædii emit à filiis *Hemor.* 33. *v.* 19. *Ieremias* emebat agrum ab *Hananeel in Anatoth Ier.* 32. *v.* 9. *David* emit aream ab *Aravnâ Iebusao* 2. *Sam.* 24. *vers.* 21. ita *Boos* agrum *Elimelechi* per cessionem propinqui possedit, *Ruth.* 4. *v.* 6. *seqq.* per donationes regis divitias congregarunt ministri *Davidis & Salomonis* 2. *Sam.* 16. *v.* 4. *David* dividebat possessiones inter *Mephiboseth & servum ejus* 2. *Sam.* 19. *v.* 29. in his contractibus autem omnia fiãt absque dolo, ne venalia faciamus alterius bona, præter ejus voluntatem, ne impediamus emtores alios, ne vendamus merces nullius pretii pro bonis, nec emtores pecuniam numerent adulterinam, sed ad exemplum *Abrahami*, appendant pecuniam probatæ monetæ publicæ *Gen.* 23. *v.* 16.

Summa: *absit iniquitas, & cautè fiant omnia, ne, dum bona adquirimus terrena, amittamus cœlestia.* Nam ut *Siracides loquitur, propter pecuniam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, avertit oculum suum. Sicut in*

*medio compaginis lapidum palus figitur: sic etiam inter medium venditionis & emtionis angustatur peccatum Sir. 27. vers.* 1. 2. Ideò Dominus indignatur iis, qui mediis illicitis possessiones adquirunt multas: *væ*, inquit, *qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usq; ad terminum loci, numquid habitabitis vos soli in medio terræ? Esa. 5. v. 8. & Levit. 25. vers.* 14. populo suo præcipit: *quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, non contristes fratrem tuum.*

*3. Laboris assiduitas.* Tertium medium legitimè ditescendi est labor assiduus in operibus vocationis. Nam & Ethnici agnoverunt Deum pro laboribus sua vendere bona hominibus. Ideò *Salomon* scribit *Prov. 12. vers.* 11. *qui operatur terram suam, satiabitur panibus, qui autem sectatur otium, stultissimus est.*

Hoc modo *Iacob* patriarcha magnas collegit divitias *Genes.* 30. *Nam sapientia ædificatur domus, & prudentia roboratur, in doctrinâ* (mit ordentlichen Haußhalten reddit *Lutherus*) *replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa & pulcerrima Prov. 24. v. 5.*

*αὐτάρκεια commendatur.* Ad hæc denique media accedat pia αὐτάρκεια & firma in Deum fiducia, cui facile est, ex paupere facere divitem, & is dives est, non qui multa habet, sed cui satis est: *(Qui placide sortem ferre scit, ille sapit.)* unde & Agur ille *Prov. 30. vers.* 8. neque divitias neque paupertatem desideravit, sed animum sua sorte contentum à Deo petit.

## CASUS IV.

### *Suntnè divitiæ rectè partæ, quæ per usuras colliguntur?*

RESP. Multa hac de re disputantur à *Theologis & Iureconsultis*, quæ omnia hic repetere, nostri non est instituti.

*Distinctio inter usuram propriè sic dictam, & inter pensionem annuam.* Ut conscientiis consulamus, placet distinctio inter *usuram propriè sic dictam*, & inter *compensationem, seu censum aut pensionem annuam*, pro certa pecuniæ summa.

*Quid sit usura propriè sic dicta.* Usuram propriè sic dictam vocant lucrum, quod ultra sortem exigitur, in pecunia aut re, quæ pecunia æstimari potest, propter solum mutuationis officium, cum maximo damno mutuatarii. Græci vocant τόκον *fœtum, seu partum*, quia nummus parit nummum. Hebræis dicitur. 1. נשך *morsus Deut. 23. v. 19. Psal. 15. v. 5.* quia substantiam hominis admordet, & paulatim consumit. 2. משה *fœnus & onus*, quia grave imponit onus mutuatario. 3. מרבית & הרבית *multiplicatio Levit. 25. vers. 32. Deut. 23. vers. 31. Prov. 28. v. 8.* qu a per usum pecunia multiplicatur.

*Ad usuram propriè dictam quinque concurrunt.* Quinque igitur concurrunt ad usuram propriè sic dictam 1. *usura fit in mutuo*, ubi non tantum usus, sed dominium rei ad certum tempus transfertur in alium, cum obligatione restituendæ rei, sive sit eadem numero, sive alia, ejusdem pretii, vel quantitatis & æstimationis. 2.

*nia.* 2. *rem mutuo datam oportet esse pecuniam*, aut aliud quid, quod pecunia æstimari potest, ut triticum, vinum aut simile quid, quod autem pecuniâ æstimari non potest, ejus usura non datur. 3. *in usurâ lucrum est*, quod ab eo, qui mutuum accepit, ultra sortem exigitur. 4. *lucrum illud tantùm propter mutuationis officium exigitur.* Si enim aliam ob caussam, ut fortè propter damnum emergens aut lucrum cessans, non est usura propriè sic dicta, 5. *lucri istius exactio, fit cum manifesto damno ejus à quo exigitur.* Si verò nullum ei affert damnum, sed potiùs memorabile commodum in re familiari, non est usura.

*Distincta tria hominũ genera hic consideranda.*

Et hic notandum est discrimen, quod Theologi faciunt inter tria genera hominum in hac materiâ valde necessarium. 1. *quidam sunt prorsus pauperes*, qui nihil omnino habent, unde mutuum reddant, & hi sunt *eleemosynarij*, à quibus neque id, quod ipsis datum est, nec lucrum ultra sortem illam petendum est.

*1. prorsus, pauperes, quibus debetur eleemosyna.*

*2. egentes, quibus debetur mutuũ absque pensione.*

2. *Egentes*, qui quidem bona quædam possident, sed tamen pecuniâ fortè aut frumento indigent, non ut negotientur aut lucrentur, sed tantum ob præsentem suam necessitatem. Hi ita juvandi sunt, ut sors quidem suo tempore recipiatur, sed ultra sortem nihil ab iis exigatur, & ad restitutionem sortis etiam justum eis tempus concedatur, quia plerumque exiguum est, quod petunt, & non statim, id quod debent, in promptu habent.

*3. Divites, ab his pensio ultra sortẽ exigi potest.*

3. Sunt divites, mercatores, nobiles, Respub. integræ, ipsi etiam principes, qui vel summam pecuniæ ab aliquo expetunt, vel sponte oblatam accipiunt, non necessitatis suæ causâ, sed ut eâ negotientur, aut alio modo fiscum aut bona sua augeant. His mutuum dare possumus; ita ut & sortem, & aliquid ultra sortem, restituant, quantum nimirum leges cujusque loci præscribunt.

*Qui propter solum mutuationis officium cum mutuatarii damno usuram exigit, peccat mortaliter, quod probatur ex jure divino.*

Quisquis ergò hoc modo colligit divitias, ut ex re mutuo datâ propter solum mutuationis officium tale quærat lucrum, quod mutuatario, præsertim pauperi, manifestum affert damnum, is malè ditescit, caritatem proximi lædit, usurarius fit, & mortaliter peccat.

Rationes ex jure divino & humano multæ dari possunt. 1. In lege præcepit Dominus Judæis Exod. 22, 25. *si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor, nec usuris opprimes*, Levit. 25, 35. 36. & *seqq. si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, tum suscipies eum quasi alienum & peregrinum, & vivat tecum; ne accipias usuras ab eo, neque amplius quàm dedisti: time* Deum, *ut vivere possit apud te frater tuus, pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum super abundantiam non exiges.* Deut. 23, 19. 20. *non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec aliam aliquam rem, quâ fœnus exerceri solet, sed alieno, fratri autem tuo absque usurâ id, quo indiget, commodabis.*

In his dictis nota 1. quòd sermo sit de populo paupere, seu de egenis & tenuioris fortunæ hominibus. 2. de usurâ mordente, cùm debitum vel rigorosius urgetur, cum proximi egeni damno, & exactoris lucro, vel cùm ab attenuato fratre aliquid ultra sortem petitur, qui vix sortem ipsam est solvendo; ubi id, quod mutuo datum fuit, cedere potius deberet in eleemosynam. Quæ duo in usura propriè sic dicta, semper concurrunt.

(2.) In aliis scripturæ locis similes habentur prohibitiones usuræ: *Psalm.* 15. *vers.* 15. dicit *David*: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.* Etiam hîc de usurâ mordente agitur, ideò in Hebræo habetur בנשך; quæ est, cùm ultra sortem aliquid à paupere fratre exigitur. Quemadmodum enim non simpliciter omnis munerum acceptio prohibetur, sed ea, quæ fit super innocentem, & quâ jus inflectitur: ita nec lucrum, quod ultra sortem datur, est prohibitum simpliciter, sed si *Nesech* est, si mordeat, affligat, & lædat egentem fratrem. Eodem sensu *Prov.* 28. *v.* 8. dicitur: *qui coacervat divitias suas usuris, & fœnore in pauperes congregat eas*, hoc est, qui egenos homines injustis exactionibus premit, *is colligit quidem divitias, sed sibi parùm utiles, nam maledictione Dei in pauperes dispergentur.* *Nehemias* etiam reprehendit optimates & magistratus, qui *usuras à fratribus exigebant, centesimam nimirum pecuniæ, frumenti, vini & olei Nehem.* 5. *vers.* 7, 11. hoc est, qui ab egenis fratribus centesimam partem sortis, de centum nimirùm florenis singulis mensibus unum exigebant, quod lucrum nimis magnum erat, quo egeni mordebantur. Talis usura etiam prohibetur *Ezech.* 18, 7, 8, 9. 13, 17. *cap.* 22, 12. ubi etiam agitur de usurâ mordente, & egeno fratre, qui pecuniâ mutuò acceptâ nihil lucratur, sed eâ saltem ad necessitatem suam utitur, ut constat inprimis ex *cap.* 18. *vers.* 17. Hæ sunt rationes contra usuram ex jure divino petitæ.

*Probatur etiam ex jure humano.*

In jure humano habemus 1. *regulam naturæ*, quam Christus repetit Matth. 7. v. 12. *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nemo autem, qui sustentationis suæ causâ aliquid ab alio mutuatur, optat, se usuris onerari: ergò idem faciamus etiam aliis.

2. *Conditionem mutui*, quod gratuitum esse debet, & quod debemus proximo egenti, cujus inopiæ nostra succurrere debet abundantia, sine ullâ compensatione.

3 *Conditionem pecuniæ, quæ in se est res sterilis*, ut scribit *Philosophus lib.* 1. *pol. cap.* 7. Hæc ergò elocata egenis, qui nihil eâ lucrantur, sed duntaxat necessariæ suæ sustentationis causâ eam mutuò acceperunt, nihil lucrari debet: hoc enim esset ex re sterili fructum exspectare. Quemadmodum enim vinum non seorsim vendo, & ejus usum etiam seorsim, ea enim est vini ratio, ut eo non nisi absu-

absumendo uti possim: non seorsim possum mutuar genti pecuniam, & seorsim p ejus usu aliquid petere: hic enim verus est usus pecuniæ apud egenos, non multiplicare opes aut rem familiarem, sed eam absumere, ad quotidianam necessitatem, propter hanc enim causam eam à me petut.

*Probatur quoque ex autoritatibus conciliorum & patrum.*

III. Ad has rationes juris naturalis accedunt denique autoritates conciliorum & patrum, qui usuras damnarunt. *Concilium Nicenum* I. *can.* 18. prohibet clerici usuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam species frumentorum ad septuplum dare, &c.

*Concilium Elibertinum Can.* 20. clericis & laicis simul usuras prohibet. Idem fit in *concilio Carthaginensi* III. *can.* 16.

Ex *patribus* damnant usuras *Hieronymus in Ezech. libr.* 6. *cap.* 18. *Ambrosius libr. de Tobiâ cap.* 13. *Chrysostomus in cap.* 5. *Matth. Lactantius lib.* 16. *institut. cap.* 18. *& Lutherus* noster multis in locis, præsertim *in sermone de usuris tom.* 1. *Ienens. Germ. fol.* 188. *seqq. & in admonitione ad pastores hac de re tom.* 7. *Ien fol.* 373. *seqq.*

Huc denique pertinent dicteria sapientum apud Ethnicos, ut quod *Cato* dixit, *fœnerari idem esse, ac hominem occidere*, quod *Tacitus libr.* 6. *Annal.* Fœnebre malum è civitate tollendum esse judicavit; quòd *Baldus* usuram comparat *vermiculo ligni*, qui tactu lenis apparet, sed dentes habet durissimos, & medullam ligni sic arrodit, ut superficies quasi illæsa appareat. Sed hæc omnia pertinent ad usuram propriè sic dictam, quâ ab egentibus aliquid ultra sortem, etiam exiguam, morosè exigitur, quo substantia ejus admordetur, & paulatim absumitur.

*De censu annuo, an sit licitus? Aff.*

Aliud autem est pensio seu census annuus, quas aliqui usuras licitas & compensatorias nominant, cùm juxta leges certi quid, puta 5. vel 6. floreni pro centum mutuò sumtis penduntur ab opulentis, qui pecunia nostra res suas multiplicare & ditescere possunt. Ab his hujusmodi censum annuum in legibus definitum petere bona cum conscientiâ possumus. 1. quia divitibus, aut mercatoribus, integris Rebuspub. aut etiam ipsis principibus non sumus obstricti ad mutuum; qui pecuniâ nostra non indigent ad necessitatem, sed utuntur eâ ad amplificandas opes suas. Ab his si quid ultra sortem accipitur, non est usura, quia non accipitur ab egenis, nec propter solum mutuationis officium, sed propter incrementum opum suarum, ad quod pecunia nostra eis inservit, ac proinde nullum à nobis onus sentiunt in re familiari, sed potius magnum emolumentum: ergò etiam de ipsorum pecunia aliquid compensationis loco exspectare possum propter meam pecuniam, quâ carendum mihi interea fuit.



Digitized by Google

2. Ejusmodi census annuus in lege divinâ nuspiam est prohibitus. Nam quidquid in Scripturâ reperitur de usuris, id omne fundatum est in conditione personæ, cui dandum aliquid mutuum, quæ si est egena, quæ pecuniâ nostrâ nil lucratur, sed tantùm ob sustentationem suam eâ indiget, gratis ei mutuandum est: de divitibus autem, qui pecunia nostra res suas augent, cumque duntaxat in finem eam mutuò petunt, minimè agunt, ut in præcedentibus etiam explicatum fuit. Quod autem Scriptura non prohibet, illud absque peccato facere licet, juxta regulam *Tertulliani lib. 4. cont. Marcion: quod Scripturâ non habet, id negat.*

3. Scriptura censum illum potiùs concedere videtur. Ibi enim habemus regulam caritatis à Christo præscriptam *Luc. 6, 31. prout vultis, ut faciant vobis homines ita facite illis.* Jam verò divites qui mutuum ab aliis accipiunt, de commodis aliorum libenter participarent, si ipsi aliquid mutuò dedissent: ergò sint & ipsi æquitatis hujus memores, cùm aliorum pecuniâ sua auxerunt commoda. Deinde habemus in Scriptura verba *Pauli 2. Cor. 8. vers. 13. non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio*, ubi beneficentiam nostram nos ita vult moderari, ne dum aliis succurrimus, ipsi indigeamus: quæ est regula omnium contractuum, in quibus servanda est æqualitas, ne alii merum commodum, nos autem damnum sentiamus. Ita in mutuo divitibus dato, magnum inde lucratur commodum mutuatarius: ergò æquum judicat *Apostolus*, ut qui mutuum dedit, etiam aliquid de commodo isto participet, ne, dum alium pecuniâ sua ditescere videt, quâ ipse interim caret, affligatur.

4. Requirit hoc etiam charitas Christiana, quæ *incipit à seipsa*: ideò vult scriptura, ut *nostris benè præsimus* 1. *Tim.* 5. *v.* 8. & ut *parentes liberis suis thesauros colligant* 2. *Cor.* 12. *v.* 14. Hoc verò non fieret, si alii pecuniâ nostrâ tantum lucrarentur, nobis interim carentibus, & interdum etiam de sorte periclitantibus.

5. Quemadmodum agrum elocare possum, & à locatario propter perceptionem fructuum, certam pecuniam, aut aliquot frumenti modios quotannis petere: ita & pecuniam diviti elocare, & ab eodem ob lucrum, quod ex ejus usu percepit, compensationem aliquam expectare possum. Nulla enim inter agrum & pecuniam elocatam hoc in genere est differentia. Sic ob certam pecuniæ summam mutuò datam agrum aliquem hypothecæ loco mancipare, & fructus creditori, loco annui interesse, ut vocant, concedere, jura permittunt: cur ergò injustum sit, agrum & fructus retinere, & loco interesse annui, ob pecuniam elocatam certam aliquam pensionem solvere? plura exempla vide apud *D. Chemnitium part. 2. loc. comm.*

6. Adde, quòd hæc census annui solutio

ſolutio ſit ſpecies gratitudinis, quam quis proximo debet, cujus pecuniâ res ſuas auxit, quia, ut pecunia noſtra aliorum opes amplificemus, officium eſt indebitum, ſiquidem ad neceſſitatem ſaltem alter alteri hoc in genere ſit obſtrictus. Gratitudo autem illa non ſe exerit tantùm in redditione ſortis, (quanquam hodiè ferè eò res rediit, ut veriſſimum ſit illud pervulgatum: *ſi quis quid reddit, magna habenda eſt gratia,*) ſed etiam in participatione lucri, quod alius legitimè noſtræ pecuniæ uſu ſibi comparavit.

7. Si abſque tali compenſatione eſſet, jam in iſta hominum improbitate vix alter alteri pecuniam, præſertim in magna ſumma mutuò daret, qua tamen mutuatione mercatores & ſimiles non carere, nec ſine ea Reſpubl. (quæ ſine mercimoniis conſtare nequit) florere poſſet.

8. Incidere poſſunt tales circumſtantiæ, quæ cenſum annuum ultra ſortem citra controverſiam faciunt licitum, ut; ſi quis eſt in mora ſolutionis, ibi propter hanc moram aliquid ultra ſortem debet, quia mora hæc creditori nocere potuit cùm quis ex pecunia elocata detrimentum patitur, propter hoc damnum, quod ex elocatione pecuniæ ipſi emergit, compenſationem aliquam jure petit; idque lucrum ex damno emergente nominant: ſic cùm quis eadem pecunia, quam alteri mutuò dedit, eo ipſo tempore, aliquid lucrari potuiſſet & voluiſſet, rectè poteſt cum altero paciſci, & exigere aliquid ultra ſortem: iniquum enim eſt, alterum pecunia mea lucrari, cum meo detrimento, quod ex lucro ceſſante mihi emergit.

His rationibus partim ex lege æquitatis, partim ex jure charitatis depromtis moti ſunt Chriſtiani magiſtratus, ut certi quid pro penſione annua permitterent in elocatione pecuniæ, nimirùm pro centum florenis quinque, quo pacto multis litibus, quæ in judicio ob elocatam pecuniam oriri poſſunt, occurrere voluerunt.

Nam cum leges ſtatuant, *taxationem ejus, quod intereſt, in arbitrio judicis relinquendam eſſe lib. 3. §. ult. ff. de eo quod certo loco:* prudens magiſtratus, ad præcidendas lites, moderationem hoc in genere facere voluit, dum certi quid loco penſionis annuæ conſtituit; cumq; magiſtratus ipſe pecuniam oblatam à ſubditis tali penſione annua 5. vel etiam 6. florenorum remuneret, ideò conſtitutio ejus eò libentiùs approbari debet, quemadmodum etiam à Theologis præcipuis, qui aliàs uſuras propriè ſic dictas, omnibus modis improbant, prudenti conſilio approbatur.

Cavendum autem eſt, in accipienda penſione illa annua (1.) ne quid ultra ſortem exigatur ab iis, qui egeni ſunt, & exiguam ſummam à nobis petierunt, qua nihil prorſus lucrati ſunt, ſed ſaltem ad neceſſariam ſui ſuſtentationem uſi: qui ſi ſortem ipſam tantum reſtituant, ſatis eſt. *Cautiones hic adhibenda.*

(2.) Si

(2.) Si etiam ditiores aliquo casu, citra suam culpam in re familiari evidens aliquod detrimentum fuerint perpessi, ut per incendium, per rapinas militum, per naufragium, aut simile quid, ab his itidem lucrum aliquod non est expectandum, nec exigendum, donec res eorum in meliorem statum venerint; quia jam per calamitatem illam in ordinem egentium redacti sunt.

(3.) Cavendus etiam est excessus, ne quid loco pensionis annuæ petatur, præter id, quod leges statuerunt: hac enim ratione pensio licita degeneraret in avaritiam.

(4.) Neque enim census annuus petatur pro exiguâ summula, nisi fortè elocetur ea à pauperioribus, apud quos summula illa est pars substantiæ, aut à præfectis ærarii ecclesiastici, qui substantiam fisci ecclesiastici, particulatim elocant, ut pluribus inserviant. Hi etiam pro exigua summa aliquid accipere possunt pro rata constitutionis à magistratu in summis majoribus factæ: nam ex pensionibus illis pauperes vivunt, substantiam autem liberis relinquunt: ex pensionibus etiam fiscus ecclesiasticus, pauperes, viduas, pupillos, templi, scholarumque ministros sustentat, & ædificia publica resarcit; ad quæ nulla habet media alia, præter reditus illos annuos.

Quòd si hæc omnia diligenter observentur, bona cum conscientia census isti annui & peti & accipi queunt, tanquam æquissima compensatio beneficii à nobis accepti: cumque magna sit hominum oblivio, nil obstat quin debitor, quemadmodum ad reddendam ipsam sortem, ita etiam ad reddendam pensionem annuam per syngrapham & hypothecam obligari possit.

*Objectio ex Luc. 6, 35. solvitur.*

Contra hanc autem doctrinam de censibus annuis, urgent aliqui, (*Leo X. in Concil. Lateran. sessione* 10. *Azorius parte* 3. *Instit. moral. cap.* 2. *lib.* 5. *Valentianus tom.* 3. *disput.* 5. *qu.* 21. *pract.* 2. §. 2.) præceptum Christi *Luc.* 6. *v.* 35. *diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes.*

Sed præceptum Salvatoris non loquitur de mutuo propriè sic dicto, in quibus ad minimum sors ipsa, seu id, quod mutuatum fuit, restituendum est, *impius enim mutuò accepit, & non solvit Psalm.* 37. *v.* 21. sed de eleemosyna, quam gratis debemus pauperioribus, qui casu aliquo ita fuerunt afflicti, ut plane non sint solvendo, à quibus re ita postulante, ne quidem sortem ipsam, nedum aliquid supra sortem expectare, aut exigere debemus.

*Mutuum quadruplex, eleemosynariũ: gratuitũ: compensatorium: usurarium*

Peccatorum esse dicit, ita mutuò dare, ut recipiant τὰ ἴσα, æqualia, hoc est, tantum reposcant, quantum mutuò dederunt: in mutuo verò propriè sic dicto peccatum non est, τὰ ἴσα, hoc est, sortem ipsam reposcere: Christus autem vult, ut Christiani à pauperioribus ne quidem τὰ ἴσα reposcant, hoc est, ipsam

etiam

Digitized by Google

etiam ſortem eis donent, quod propriè eſt eleemoſynam, non mutuum dare. Hæc enim eſt differentia inter eleemoſynam & mutuum, quòd in illa nihil, ne quidem ipſa ſumma repoſcitur, in hoc verò ſumma quidem repoſci poteſt, ſed nihil ultrà.

*Quæ ſit differentia inter lucrũ & mutuũ?*

Eleemoſyna datur extremè pauperibus, mutuum egenis, qui ſortem adhuc ſuo tempore ſolvere poſſunt. Cenſus vero annui petuntur tantùm ab opulentis, qui pecunia noſtra aliquid lucrati fuerunt, & quibus nec eleemoſynam nec mutuum debemus; illa enim pauperum eſt: hoc egenorum, ſeu mediocris fortunæ hominum, qui propter neceſſariam ſui ſuſtentationem noſtro ſubſidio indigent.

*Alia objectio ſolvitur.*

Objiciunt alii, injuſtam eſſe unius rei geminam petere compenſationem: hoc autem facere videntur: qui à debitore aliquid, ultra ſortem accipiunt. Primùm enim fit compenſatio ipſius ſummæ, deinde compenſatio uſus conceſſi, pro quo creditor etiam aliquid accipit.

Sed ſi rem rectè æſtimamus, non fit compenſatio gemina unius rei, ſed duarum: primùm ipſius pecuniæ, quæ in ſummâ redditur: deinde indebiti illius officii, & lucri ceſſantis, quod ex mea pecunia interim exſpectare potuiſſem. Quia enim ad mutuandum divitibus non ſum ex regula caritatis obſtrictus, & tamen ipſis petentibus ſi aliquid mutuò dedi, quo interim lucrari aliquid potuiſſem, contra juſtitiam minimè eſt, paciſci cum ipſis, ut pro hoc officio indebito & lucro ceſſante aliquid ultra ſortem ſolvat, quantum nimirùm legibus politicis conſtitutum fuit, ſiquidem debitor hac ratione non attenuatur, ſed potius res ſuas meliores facit.

Plura de uſuris vide paſſim apud Theologos, *Brentium* von Wucherlichen *contracten*, *Hunnium in cap. 8. poſt. ad Corinth. Geſnerum in Pſalm. 15. Chemnitium part. 2. loco Theolog. Gerhardum tom. 6. locor. Theol. Meiſnerum part. 3. philoſ. Sobr. ſect.* 1. *cap. 6. &c.* ex quibus ea, quæ hic deeſſe videntur, ſuppleri queunt. Vide etiam *volumen* 2. *Conſil. Theologicor. M. Georgii Dedekenni fol.* 167. *& ſeqq.*

*Lutherus* quoq;, etſi contra uſuras, in locis ſuprà citatis multa ſcripſit, præſertim in caſu meri mutui: non tamen improbavit, ſi ſenes, qui ad labores inepti ſunt, viduæ, orphani, fiſci eccleſiaſtici certam penſionem pro certa pecuniæ ſumma accipiant, in honeſtam ſui & ſuorum ſuſtentationem: quo in genere conſulit, ut magiſtratus ſupremus, convocatis Theologis & Jureconſultis moderatam conſtituant ἐπιείκειαν, ut, quid talibus petere fas ſit, conſtet: quæ ipſa etiam noſtra ſententia eſt, cujus ſummam jam ſub finem paucis repeto.

*Epitome hactenus dictorum.*

Nam qui *extremè pauperes* ſunt, his non datur mutuum, ſed *eleemoſyna*: *qui* pauperes ſunt, *habent* tamen, *unde ſortem reſtituant*: his ſi ditiores aliquid dent mutuò, *nihil ultra ſortem expetere* debent: ſi verò alii *me-*

*diocriter pauperes*, ut viduæ, pupilli & ſimiles aliquid de patrimonio, vel ſubſtantia ſua elocent, non peccant, ſi quid ultra ſortem accipiant in compenſationem lucri ceſſantis, quod fortè interim alia ratione pecunia ſua adquirere potuiſſent: præſertim cum illa ſua pecunia ſe ſuosque alere debuiſſent, in cujus locum, id, quod ultra ſortem accipitur, meritò computatur: nam ut ſuorum curam habeant magis, quàm aliorum, & æquitas & Chriſtiana charitas requirit, juxta illud: *qui ſuorum curam non habet, Ethnico eſt deterior, & fidem abnegavit*, 1. *Timoth.* 5. Denique ſi *ditioribus* aliquid *datur mutuò*, qui res ſuas noſtra pecunia augent, ab his rectè *ultra ſortem aliquid petitur*, quantum nimirùm leges permittunt: quia his non ſumus obſtricti ad mutuationis officium: neque debent illi pecunia noſtra ditescere, noſtrasque facultates, quas eadem augere potuiſſemus, minui, juxta illud *Apoſtoli*: *ne vobis ſit relaxatio, aliis autem detrimentum*, 2. *Corinth.* 8. ideò non iniquum eſt, ſi in participatum lucri, quod pecunia noſtra adquiſiverunt, veniamus. Sed de his ſatis.

## CASUS V.

### *Num fas eſt pecuniam ita mutuare alteri, ut pignoris loco nobis aliquid relinquat, quod, niſi conſtituto tempore mutuum reddat, in poteſtatem mutuantis veniat?*

RESP. Praxis hæc non tantùm uſurariis vulgaribus valdè uſitata eſt, ſed etiam à *Pontificiis* approbatur, licet aliàs uſuris omnibus valdè infenſi eſſe videantur. Excogitarunt enim *montem pietatis*, (quem vocant) cujus inventum referunt ad *Papam Pium II.* & approbatur *bullâ Leonis X. in Concilio Lateranenſi.*

Dicitur autem mons pietatis cumulatus æris acervus, qui ſublevandis per mutuum miſeriis pauperum deſtinatur: ea tamen lege, ut mutuatarius quisque exiguam pecuniam in ſingulos menſes conferat, non quidem, ut ajunt, ratione mutui, ſed velut ſtipendium miniſtrorum, qui ad ſervanda excutiendaque pignora, habendasque rationes dati & accepti deputantur. Ita enim deſcribit *Sotus lib. 6. de juſtit. & jure quæſt. 1. art. 6.* *Mons pietatis.*

Huic monti certas conſtituunt regulas, inter quas ſecunda eſt, *ut mutuatarius* (licet pauper) *det monti idonea pignora, quæ tranſacto tempore ſtatuto ad ſolutionem mutui ſtatim vendantur, ſi mutuatarius non ſolvat*, ut ex

ut ex pretio pignoris ſolvatur monti pecunia debita, & reliquum domino pignoris reſtituatur: quâ de re vide *Azorium part. 3. inſtitut. moral. lib. 5. cap. 8.*

Nos verò intrepidè affirmamus, hoc modo injuſtè accumulari opes, à quocunque fiat. Nam etſi pignus à mutuatario accipere licet, æquè ac hypothecam: Scriptura tamen duo circa hoc requirit: (1.) ne terminum ſolutionis ſtatuamus mutuatario nimis anguſtum, quod multi faciunt lucri ſui gratiâ, ut nimirum pignora eò citiùs ad ſe rapiant. Contra quem dolum Dominus in lege præcipit: *ſi pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quaſi exactor*, Exod. 22. verſ. 25. & Siracides ſcribit: *habe patientiam cum proximo tuo, tempore neceſſitatis, & hanc ei da eleemoſynam, ut juſtum ſolutionis tempus ei relinquas*, *Sir. 29. 11.*

*Scriptura duo requirit circa acceptionē pignoris.*

(2.) Vult Scriptura, ne proximi pignus ad nos rapiamus, præſertim ſi ſint pignora pauperum, ut veſtes & utenſilia domeſtica, quibus ne uno quidem die carere poſſunt, aut inſtrumenta artium ſuarum, quibus pro ſe & ſuis victum quærunt, aut etiam reditus annui, aut quod loco ſalarii datur, unde ipſi cum ſuis vivunt. Talia ne quidem oppignorare licet, nedum, ut ea, dum ſolutio ſtatuto tempore non ſequitur, pauperibus eripi fas ſit. Ideò Dominus in lege præcipit: *ſi pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante Solis occaſum reddas ei: ipſum enim eſt ſolum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat: ſi clamaverit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum*, Exod. 22. verſ. 26. 27. & apud *Ezechielem* inter requiſita hominis juſti ponitur, *ſi pignus debitori reddiderit*, *Ezechiel. 18. 7.*

Contractum ergò illum, quo pignora poſt ſtatutum tempus, & deficiente ſolutione veniunt in poſſeſſionem mutuantis, habemus pro uſurario, impio & illicito, quo opes injuſtè augentur, imò creditor hanc unicam ob cauſam in pœnas uſurariorum meritò incurrit.

## CASUS VI.

## *Eſtnè legitimus diteſcendi modus per minorationem monetæ?*

RESP. Moneta non eſt poſtremum vinculum ſocietatis humanæ, cujus magnus eſt uſus in contractibus, præſertim emptionis & venditionis, unde *Ariſtoteles* eam communem vocavit menſuram, ad quam res omnes æſtimantur. *l. 5. ethic. c. 8.* Talis autem eſt *juxta bonitatem intrinſecam*, non cuprea aut ferrea, ſed aurea vel argentea, habens debitam ligam, hoc eſt talem proportionem in metallorum conjunctione, & plurium petiarum ſeu maſſarum juxta propoſiti pedis legem contemperatione, quæ ſit imperii ſtatutis conformis, *juxta extrinſecam* verò juſti ponderis & valoris.

*Moneta communis menſura æſtimationis rerum.*

*diocriter pauperes*, ut viduæ, pupilli & similes aliquid de patrimonio, vel substantia sua elocent, non peccant, si quid ultra sortem accipiant in compensationem lucri cessantis, quod fortè interim alia ratione pecunia sua adquirere potuissent: præsertim cùm illa sua pecunia se suosque alere debuissent, in cujus locum, id, quod ultra sortem accipitur, meritò computatur: nam ut suorum curam habeant magis, quàm aliorum, & æquitas & Christiana charitas requirit, juxta illud: *qui suorum curam non habet, Ethnico est deterior, & fidem abnegavit*, 1. *Timoth.* 5. Denique si *ditioribus* aliquid *datur mutuò*, qui res suas nostra pecunia augent, ab his rectè *ultra sortem aliquid petitur*, quantum nimirùm leges permittunt: quia his non sumus obstricti ad mutuationis officium: neque debent illi pecunia nostra ditescere; nostrasque facultates, quas eadem augere potuissemus, minui, juxta illud *Apostoli: ne vobis sit relaxatio, aliis autem detrimentum*, 2. *Corinth.* 8. ideò non iniquum est, si in participatum lucri, quod pecunia nostra adquisiverunt, veniamus. Sed de his satis.

## CASUS V.

### *Num fas est pecuniam ita mutuare alteri, ut pignoris loco nobis aliquid relinquat, quod, nisi constituto tempore mutuum reddat, in potestatem mutuantis veniat?*

RESP. Praxis hæc non tantùm usurariis vulgaribus valdè usitata est, sed etiam à *Pontificiis* approbatur, licet aliàs usuris omnibus valdè infensi esse videantur. Excogitarunt enim *montem pietatis*, (quem vocant) cujus inventum referunt ad *Papam Pium II.* & approbatur *bullâ Leonis X. in Concilio Lateranensi.*

Dicitur autem mons pietatis cumulatus æris acervus, qui sublevandis per mutuum miseriis pauperum destinatur: ea tamen lege, ut mutuatarius quisque exiguam pecuniam in singulos menses conferat, non quidem, ut ajunt, ratione mutui, sed velut stipendium ministrorum, qui ad servanda excutiendaque pignora, habendasque rationes dati & accepti deputantur. Ita enim describit *Sotus lib. 6. de justit. & jure quæst. 1. art. 6.* *Mons pietatis.*

Huic monti certas constituunt regulas, inter quas secunda est, *ut mutuatarius* (licet pauper) *det monti idonea pignora, quæ transacto tempore statuto ad solutionem mutui statim vendantur, si mutuatarius non solvat*, ut ex

ut ex pretio pignoris ſolvatur monti pecunia debita, & reliquum domino pignoris reſtituatur: quâ de re vide *Azorium part. 3. inſtitut. moral. lib. 5. cap. 8.*

Nos verò intrepidè affirmamus, hoc modò injuſtè accumulari opes, à quocunque fiat. Nam etſi pignus à mutuatario accipere licet, æquè ac hypothecam: Scriptura tamen duo circa hoc requirit: (1.) ne terminum ſolutionis ſtatuamus mutuatario nimis anguſtum, quod multi faciunt lucri ſui gratiâ, ut nimirum pignora eò citiùs ad ſe rapiant. Contra quem dolum Dominus in lege præcipit: *ſi pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quaſi exactor*, Exod. 22. *verſ.* 25. & Siracides ſcribit: *habe patientiam cum proximo tuo, tempore neceſſitatis, & hanc ei da eleemoſynam, ut juſtum ſolutionis tempus ei relinquas, Sir.* [illegible]. 11.

*Scriptura duo requirit circa acceptionē pignoris.*

(2.) Vult Scriptura, ne proximi pignus ad nos rapiamus, præſertim ſi ſint pignora pauperum, ut veſtes & utenſilia domeſtica, quibus ne uno quidem die carere poſſunt, aut inſtrumenta artium ſuarum, quibus pro ſe & ſuis victum quærunt, aut etiam reditus annui, aut quod loco ſalarii datur, unde ipſi cum ſuis vivunt. Talia ne quidem oppignorare licet, nedum, ut ea, dum ſolutio ſtatuto tempore non ſequitur, pauperibus eripi fas ſit. Ideò Dominus in lege præcipit: *ſi pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante Solis occaſum reddas ei: ipſum enim eſt ſolum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat: ſi clamaverit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum*, Exod. 22. *verſ.* 26. 27. & apud *Ezechielem* inter requiſita hominis juſti ponitur, *ſi pignus debitori reddiderit*, Ezechiel. 18. 7.

Contractum ergò illum, quo pignora poſt ſtatutum tempus, & deficiente ſolutione veniunt in poſſeſſionem mutuantis, habemus pro uſurario, impio & illicito, quo opes injuſtè augentur, imò creditor hanc unicam ob cauſam in pœnas uſurariorum meritò incurrit.

## CASUS VI.

### *Eſtnè legitimus diteſcendi modus per minorationem monetæ?*

Reſp. Moneta non eſt poſtremum vinculum ſocietatis humanæ, cujus magnus eſt uſus in contractibus, præſertim emptionis & venditionis, unde *Ariſtoteles* eam communem vocavit menſuram, ad quam res omnes æſtimantur. *l. 5. Ethic. c. 8.* Talis autem eſt *juxta bonitatem intrinſecam*, non cuprea aut ferrea, ſed aurea vel argentea, habens debitam ligam, hoc eſt talem proportionem in metallorum conjunctione, & plurium petiarum ſeu maſſarum juxta propoſiti pedis legem contemperatione, quæ ſit imperii ſtatutis conformis, *juxta extrinſecam* verò juſti ponderis & valoris.

*Moneta communis menſura æſtimationis rerum.*

Ea si minoratur, & nomen & officium suum amittit; quia moneta à monendo dicta est, quod moneat, ne quid fraudis falsive in ea committatur, multiplex quoque damnum ex ista minoratione in omni statu & genere vitæ emergere, necesse est, unde *Bodinus libr. 6. de Repub. cap. 3.* rectè scripsit: *nummorum depravatione incredibile universis & singulis detrimentum quotidie magis magisque nasci.*

Minoratur autem dum vel jubente vel permittente magistratu, vetus illa bonique valoris moneta grandior, in partes minores resolvitur, ita, ut puritatem & pondus in constitutionibus monetalibus amittat, & *Imperialis* unus octo vel novem alios, sed adulterinos, priscis illis & bonæ notæ *Ioachimicis* nec qualitate vel quantitate comparandos, in levioribus & minutioribus sortibus pariat: quâ ratione monetarii quidem, & alii hujus adulterationis administri citò ditescunt, sed hæc ditescendi ratio, plusquam usuraria est, & homine Christiano multis modis indigna.

*Rationes, quòd modus ditescendi per minorationem monetæ sit illegitimus.*

Primùm enim tales in rei veritate dicere non possunt, quòd per benedictionem Dei divites facti sint. Etsi enim hoc peccatum, Deo permittente, & justo judicio peccata alia puniente fiat: non tamen fit, ipso approbante, aut volente. *Ipse enim abominatur avaros, imminuentes mensuram, & augentes siclum Amos 8. v. 5.* ipse non est confusionis Deus, sed *ordinis, 1. Cor. 14, 33* Ideò quemadmodum ab initio omnia condidit in *numero pondere, & mensura, Sap. 11. v. 22.* ita omnia in justo suo numero, pondere & mensura vult conservari: quod per istam monetariam confusionem non fit. Justus est Deus & vindex omnis injustitiæ: *hæc est voluntas ejus, ne quis supergrediatur, aut circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam Dominus est vindex de illis 1. Thessal. 4. vers. 6.* Ideò passim præcepit, justam mensuram, justum pondus, & stateram. *Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius æquusque sextarius Lev. 19. v. 36.* Similia vide *Deut.* 25, 13. 15. *Proverb.* 11, 1. *Proverb.* 20, 10. 23. *Ezech.* 45, 10. *Ose.* 12, 7. *Mich.* 6, 11. Qui verò fraudibus & dolis opes suas subitò, & quasi absque labore augent, uti novitiis istis æruscatoribus evenit, his maledictionem suam minatur *Esa.* 5, 8. inprimis autem *Habac.* 2, 6. *seqq. væ ei, qui multiplicat non sua, usquequò aggregat contra se densum lutum?* & vers. 9. *væ, qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali: quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quod intra juncturas ædificiorum est, respondebit; væ, qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.*

Deinde certum est, quòd minoratio monetæ evertat leges Imperii fundamentales communi procerum consensu ac suffragio sancitas ac stabilitas in comitiis anni 1442. tempore *Imperatoris Friderici III.* in *Comitiis Norinbergensibus* anni 1524. tempore *Caroli V.* in *Comitiis Augustanis*

*ſtanis* anni 1551. &c. Conſtitutiones etiam imperatorum & principum, in quibus monetæ valvationes & probationes ad juſtam moderationem ſunt redactæ, ut conſtitutio *Ferdinandi I. Imperatoris* anno 1559. *Maximiliani II.* anno 1566. 1571. 1576. &c. Contra juſtas autem leges & ſanctiones ſummi magiſtratus aliquid conari, eſt Deo ipſi reluctari, & bonum ordinem in Republ. convellere, adeoque pecuniam hoc modo collectam non ex Dei, ſed diaboli manibus accipere. *Qui enim magiſtratui reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit, & judicium ſuum portabit Roman. 13. verſ. 2.*

Tertiò negari non poteſt, quòd minoratio monetæ ſit infelix filia pernicioſæ matris avaritiæ: tolle matrem, & non erit filia. Nam qui ex Dei benedictione bona ſua accipiunt, his mediis diteſcere nolunt. Conſcientiam autem lædit, qui propter privatum ſuum lucellum ex avaritia, bonum ordinem in Repub. convellit, multisque aliis in re familiari damnum infert. De his veriſſimum eſt, quod Siracides ſcripſit: *qui aurum amat, non juſtificabitur*, hoc eſt, non erit absque peccato, *Sir. 31. v. 5.* & *Paulus*: *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutila & noxia &c. 1. Tim. 6, 9.*

Quartò experientia teſtatur, quam multiplex & inexcuſabile incommodum ex minoratione monetæ emergat, quod ferè ſemper tum demum animadvertitur, quando jam radices egit: unde *Imperator Leo novella 25.* malum hoc *lentæ tabi* comparavit. Hinc enim creſcunt rerum omnium pretia, bona fides inter contrahentes læditur, dum pro bona moneta accepta vilior redditur, vera bonorum ſubſtantia, hoc eſt, aurum & argentum ad exteros deportatur, relicta nobis ſcoria, cenſus annui attenuantur, & tandem annihilantur, hinc viduis, orphanis, & aliis, qui aliunde, quàm ex cenſibus illis alimenta petere non poſſunt, multum infertur detrimenti: miniſtri eccleſiæ & ſcholarum, profeſſores in Academiis, & omnes, qui ex ſalariis vivunt, maxima parte ſalarii ſui defraudantur, fiſci Rerumpub. æraria eccleſiæ exhauriuntur, ſtudia bonarum artium, inprimis Theologica, deferuntur, quia his artibus fit, ut non niſi opulentorum parentum liberi in Academiis vivere poſſint: unde magnus metuendus eſt defectus fundamentalium Theologorum, qui hoſtibus veritatis ſolidè reſiſtere poſſint, cùm plerique tenuioris fortunæ ſtudioſi animum ſuum ad ſtudia Theologica applicent: æraria principum quoque non diteſcunt, uti quidem prima fronte videtur, ſed dum reditus ordinarii in moneta viliore inferuntur, omnia autem ad ſuſtentationem aulæ neceſſaria cariùs emenda ſunt, fiſcus, nemine animadvertente, paulatim enervatur, in re œconomicâ inæſtimabile damnum inde ſequitur, commercia omnia peſſundantur, mutuationes pecuniarum o-

mittuntur, si pro moneta argentea exspectandæ sunt scoriæ: hinc pauperiores non faciiè subsidium in opificio suo inveniunt: patrimonia attenuantur, imò liberis vix aliquid patrimonii loco relinqui potest: legata piorum majorum in spumam rediguntur: merces debita operariis dari non potest, quæ res occasionem præbet otiorum, quæ multa dare solent vitia.

Monetarii ipsi & horum administri multipliciter peccant & præsentissimum periculum sibi accersunt. Dum enim datâ opera avaritiæ inhiant, quam *Paulus malorum omnium radicem* nominavit 1. *Tim.* 6. sibi ipsis etiam avarorum præmia colligunt, videlicet, *conturbationem domus suæ Proverb.* 15, 27. *& à regno Dei exclusionem perpetuam* 1. *Corinth.* 6, 10. *Eph.* 5, 5. omni destituuntur caritate proximi, ipsi enim nemini benefaciunt tantùm ad se aliorum bona rapiunt. *Qui autem habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo est caritas Dei in eo?* 1. *Iohan.* 3. *v.* 17. Ipsi sunt in culpâ, quòd pretia rerum crescunt, quod viduæ, orphani, scholarum & ecclesiarum ministri tam tenuiter sustentantur, ipsi sunt fures clandestini, harpyæ pecuniariæ, quæ pauperes ac divites deprædantur, omniumque piorum suspiria atque gemitus contra se suscitant, à quibus tandem ad inferiora ta.t ra deprimentur.

Quicunque ergo salutis suæ temporalis & æternæ cupidi sunt, hoc modo ditescere desinant. *Quis propter pecuniam justus est?* inquit *Basilius*, *nemini proderit aurum & argentum suum in die iræ Ezech.* 7. *Soph.* 3. & *quid prodest homini, si mundum universum lucraretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Matth.* 16. *vers.* 26. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas Psal.* 37. 16. *benedictio Domini divites reddit Proverb.* 10. cum ea autem nihil habent commune ea, quæ sunt contra Dominum, & tot malorum fontes atque scaturigines: quâ de re plura dicere non est hujus loci.

## CASUS VII.

### *Num per mercaturam opes legitimè adquiruntur?*

RESP. *Anabaptistæ* negant, eò, quòd (1.) *Sir.* scribit *cap.* 26, 28. *difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum, &c.* 27, 2. *in medio venditionis & emtionis comprimitur peccatum.* *Anabaptistarum argumēta pro negativa proponuntur.*

(2.) Quòd Christus *ementes & vendentes ejicit de templo Luc.* 19. *Ioh.* 2.

(3.) Quòd mercatores lucrum & quæstum respiciunt, tanquam ultimum finem.

Verùm his non obstantibus multa sunt, quæ opibus per mercaturam partis patrocinantur. Deus ipse non damnat mercimonia, sed tantùm modum eis statuit, ne quis alterum in pondere aut mensura defraudet, *Lev.* 19, 36. Idem etiam Christus facit *Affirmativa probatur.*

...it *Luc.* 6, 38. & Apostolus *Paulus* 1. ... 7, 30. *qui emunt, sint, tanquam non possideant*, & 1. *Theß.* 4, 6. *ne quis supergrediatur aut circumveniat in negotio fratrem*; & *Christus* cum mercatura regnum cœlorum confert *Matth.* 13, 45. & ista similitudine ad rectum donorum suorum usum hortatur *Matth.* 25. *v.* 14.

Apostolus *Iacobus* etiam non damnavit mercaturam, sed mercatores tantùm monet, ut *inter negotiandum sint memores mortalitatis suæ, & res suas secundum voluntatem Dei instituant Iac.* 4. *v.* 13. 14. & sancti viri contractu emtionis & venditionis usi sunt, *Abraham Genes.* 23. *v.* 16. *Iacob. Genes.* 33. *vers.* 19. *Iosephus Gen.* 47, 16. *Ierem. c.* 32, 9. *Ioseph. Arimathæus Marc.* 14, 46. *Salomon* quoq; laudat mulierem negotiantem *Prov.* 31, 14. & *Paulus* purpurariam *Lydiam* baptisavit relicta ea in negotiatione, tanquam vocatione sua *Act.* 16, 14.

Adde, quòd magna sit mercaturæ necessitas, in communi vitâ, cùm enim Deus non omnia dederit uni regioni, merces aliunde ad nos sunt advehendæ, quo in genere mediocre lucrum, tanquam merces laborum, ad honestam sui & suorum sustentationem concedi potest.

*Responde-tur ad Anabaptistaril objectiones.* Quæ *Anabaptistæ* objiciunt, ad abusum mercaturæ respiciunt: nam dum emtor atque venditor tantùm ad lucrum intenti sunt, neglecta lege caritatis, ita, ut dolosè aliis imponere tentent, utique non carent peccato, ideò omnis ab hoc contractu dolus abesse debet: & quod Christus ementes & vendentes ejicit è templo, non ipsam negotiationem damnat, sed ejus exercitium in loco sancto: & qui non nisi lucrum & accumulationem opum quærunt, sine caritate proximi, sine metu doli & fallaciarum, hi malè mercaturam exercent.

Pii mercatores lucrum in sui & suorum sustentationem subordinant. In quam sententiam *Augustinus scribit in Psalm.* 70. *negotiator avidus adquirendi, pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur & pejerat.* Sed hæc vitia hominis sunt, non artis, quæ sine vitiis agi potest.

Duo autem sunt potissimum, quæ hoc mediũ adquirendi opes vitiant 1. cùm lucrum est ultimus finis negotiationis, eamq; ob causam res aliqua cariùs venditur, quã emta fuit, non ut honestè nos sustentemus, vel labori debitam comparemus mercedem: sed immoderatum lucrum intendimus, tantùm ideò, ut inde ditescamus. Hinc *Chrysost.* scribit super *cap.* 21. *Matth. quicunq; rem comparat, ut integram & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. Quòd si verò moderata compensatio laborum aut periculorum, quæ in re transferenda de loco in locum extimescenda sunt, petitur, nullum est peccatum: vel cùm res in melius mutata venditur, aut ab aliquo ob summam ejus necessitatem à possessore exigatur, qui aliàs eam vendere nolebat, tunc loco emergentis damni ab eo, qui magnum ex re emta commodum sperat, aliquid ultra id, quod mercator suo*

*suo venditori dederat, ab emtore exigere potest.*

2. Cùm ecclesiasticæ personæ mercaturam exercent, ut inde ditescant, hoc prorsus est illicitum. *Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis secularibus* 2. *Timoth.* 2, 4. & clerici lucri & opum terrenarum contemptores esse debent, stipendiis suis contenti. Vide *Thomam* 2, 2. *q.* 77.

## CASUS VIII.

### *Si fortè bona quædam malè fuerint adquisita, & possessor eo nomine in conscientia sua angatur, quomodo tunc consulendum est conscientiæ?*

RESP. Multi sunt, qui hujus rei curâ parum tanguntur, & quanquam non ignorant πολυθρύλλητον illud: *de male quæsitis non gaudet tertius hæres*; de hæredibus tamen suis nihil sunt soliciti, modò ipsi, dum vivunt, magnos possideant thesauros. Hi sunt quorum Deus venter, salutis sui negligentes, & conscientiam cauteriatam, hoc est, cauterio resectam habentes.

Alii habent quidem hoc in genere vermem rodentem in conscientia: sentiunt enim fulmina scripturarum, in avaros, in usurarios, in harpyas, & injustos proximi depeculatores evibrata, sed non rectè sibi consulunt. Si enim aliquot centum florenos per fas nefasque etiam cum suspiriis ac gemitibus pauperum malâ fide corraserunt, satisfactum putant conscientiæ suæ, si centum forte florenos ad pias causas destinent.

Et sanè non desunt qui eleemosynam ex bonis iniquè ablatis sufficere putant, quem errorem *Guido Carmelita* Græcis tribuit, referente *Lessio lib. 2. de jure & justit. cap. 7. dubitat.* 10. pro quo defendendo afferunt, quod Christus de *Pharisæis* dicit *Luc.* 11, 39. 41. *quòd intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate: veruntamen, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

*Respondetur ad objectionem ex Luc. 11. 39. petitã.*

Sed hæc non est mens Christi, quòd duntaxat eleemosyna rapinæ & fraudes hominum iniquorum compensari queant; sed tantùm dare jubet eleemosynam, loco rapinarum; quod quia signum est veræ pœnitentiæ, facilè mundabit id, quod in patinis & calicibus vestris immundum videbatur: melius enim est dare, quàm accipere. Qui autem putant, se pro rapinis suis satisfacere posse eleemosynis, vehementer falluntur, & peccatis magis magisque implicantur. Primùm enim bona pauperum iniquè adquisita secum retinent, & sic aliorum sanguine & sudore saginantur: deinde de peccato suo nondum seriò dolent, sed in iniquitate sua pergunt: sin seriò dolerent, ne ad momentum ampliùs rapinas illas secum tolerare possent: denique Deum fallere tentant hypocritæ, quasi eum hoc sacrificio suarum

*An benè faciant, qui se pro rapinis suis satisfacere posse eleemosynis putant? Neg.*

suarum

ſuarum eleemoſynarum reconciliare poſſint.

Quam ob cauſam *Siracides* hujuſmodi eleemoſynam, tanquam abominationē coram domino graviter deteſtatur: *qui offert* (inquit) *ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi, qui victimat filium in conſpectu patris ſui: panis egentium, vita pauperum eſt, qui defraudat illū, homo ſanguinis eſt. Qui aufert in ſudore panem, quaſi, qui occidit proximum ſuum Sir.* 34.*v*.24. & Dominus ipſe ſacrificiū tale repudiat: *non offeres* inquit, *mercedem proſtibuli, nec pretiū canis in domū domini Dei tui, quidquid illud eſt, quod voverint, quia abominatio utrūque eſt apud Dominū Deum tuū Deut.* 23.*v*.18. & *Chryſoſtomus* huic opinioni hominum iniquorum eleganter occurrit *homil*.57.*in Matth.c*.17. *fœneratus ſum ajunt, ſed pauperi obtuli: bona verba quæſo: talia Deus ſacrificia non accipit. Noli cavillari legem, multò melius eſt, non dare pauperi, quam hoc modo dare.*

Cùm ergò per ſolam eleemoſynam ex malè quæſitis datam conſcientiis minimè conſulatur, quæritur ulterius, *quid ergò tali in caſu faciendum ſit?*

Reſponſio facilis eſt, & certis Scripturæ fundamentis ſtabilita, modò eſſent, qui benè conſulentes audire vellent. Inprimis hic neceſſaria eſt injuſtè ablatorum aut partorum reſtitutio, juxta verbum Domini *Ezech*.33.15. *ſi impius pignus reſtituerit rapinamq́; reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum, vita vivet, & non morietur.*

*Ablata & injuſtè parta reſtituēda.*

Ita *Nehemias* iis, qui à pauperibus uſuras exegerunt, conſuluit *cap*.5.7. *ſeqq. uſuram nè à fratribus veſtris exigitis: reddite eis hodie agros ſuos, & ulneas ſuas, & oliveta ſua, & domus ſuas, quin potius & centeſimam pecuniæ, frumenti, vini & olei, quam exigere ſoletis ab eis date pro illis. Et dixerūt: reddemus, & ab eis nihil quæremus, ſicq́; faciemus, ut loqueris.*

Sic *Zachæus* Chriſto dicit *Luc*.19,8. *ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & ſicubi aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

In eundem ſenſum ſcribit *Auguſtinus epiſt*.54. quæ eſt ad *Macedonium*: *ſi res aliena propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur: ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Summa eſt juris divini & humani, reſtituere res injuſtè ablatas, ſi res ablatæ adhuc extent, ubi tamen notant doctores, ſufficere, ſi reſtituatur tantùm, quantùm fuerit ablatum, illud autem, quod quis re alienâ lucratus fuit; reſtituere non tenetur, quâ de re vide *Azorium part*.3. *inſtit. moral. lib*.4.*c*.20.

Si autem reſtitutio rei ablatæ non ampliùs eſt in facultate auferentis, tunc non quidem externa reſtitutio eſt neceſſaria, quia nemo ad impoſſibile obligatur; propoſitum tamen reſtituendi neceſſarium eſt, aliàs pœnitentia eius non eſt ſeria, quia

requiritur ad eam contritio, quæ cũ serio dolore ob admissum peccatũ est conjuncta, ubi autem talis dolor est, ibi emendationis propositum ad quam propositum etiam restitutionis pertinet, adesse oportet.

*Exceptioni occurritur.* *Sed dicis* : hujusmodi restitutio non est absque læsione honoris aut existimationis nostræ, quæ sunt bona superiora bonis temporalibus; res inferioris ordinis autem non sunt restituendæ cum detrimento rerum superioris ordinis, sicuti hac de re disputat *Cajetan.* 2,2. *quæst.*63. *art.*2. & *Petrus Navarrus c.*17.*n.*98. & *Papa Innocentius in C. offic. de pœnitent. & remiss.* ait *bona temporaria non esse restituenda cum detrimento vitæ, vel famæ, quia sunt bona longè majora & præstantiora.*

Verùm hæc locum habere possunt in certis tantùm casibus, ut (1.) cùm creditor debitori sciens ac volens, non vi aut metu coactus, non dolo aut fraude circumventus, sed spontè debitum remittit, tunc enim amittit rationem debiti, & fit donatio.

*Ignorantia juris & facti hoc loco accedere potest.* (2.) Cùm accedit ignorantia *facti* aut *juris*. *Ignorantia facti*, ut cùm ignorat debitor, rem esse alienam, quia bonâ fide eam accepit inter bona hæreditaria à patre, vel bona fide emit, vel accepit donatam ab alio. Ignorãtia *juris* est, cùm ignorat contractum, cuius vi rem possidet, esse usurarium, aut se ex jure teneri ad restitutionem, quia fortè ex consilio boni & docti viri credit, se non obligari ad restituendum.

(3.) Cùm restitutio vergit in damnum animæ aut corporis creditoris, vel debitoris, aut alterius tertij. Ita non tenemur reddere ensem aut pugionem homini furioso, donec redeat ad mentem: etiam non furioso, probabiliter tamen alterum læsuro aut interfecturo non tenemur reddere, donec constet ipsum armis illis non abusurum. Sic non tenemur reddere pecuniam, quâ creditor fortè sicarium contra aliquem conducturus est. Damna enim & nostra & aliorum præcavere debemus, quantum in nobis est: & *præstat violare legem justitiæ, quàm caritatis.*

Quo in casu tamen rem alienam retinere prorsus non licet, sed restitutionem vel in aliud tempus differre, vel hæredi aut amico creditoris eam præstare possumus.

Sed hæc omnia sententiæ nostræ nihil obsunt. Agimus enim de restitutione rei alienæ *vel dolo vel vi* factæ à volentibus & scientibus, ex quâ restitutione nullum metuendum est periculum, vel nostrum vel proximi.

Talis restitutio *ignominiosa* quidem videtur in oculis hominum, sed *gloriosa* est, in oculis verorum Christianorum, quorum proprium est, benefacere, & malè audire: imò retinere rem alienam, hoc demum ignominiosum, & pœna dignum est.

*Quomodo hoc in casu ignominia & despect. corã mundo evitari possit.* Vt tamen hoc in genere etiam ignominia & despectus coram mũdo evitetur, consultum videtur

ut

ut qui alteri hac in parte injuriam fecit, vel ipsi, si adhuc in vivis est, vel hæredibus eius, per concionatorem tantam pecuniam mittat, quanti damnum illud ex suis rationibus æstimaret, ea tamen conditione, ut nomen suum taceretur, & tantùm à concionatore diceretur, eam pecuniam à viro quodam honesto ipsi mitti, qui eam patri ipsorum debuisset: cuius rei exemplum recitat *D. Paulus ab Eizen. lib.6. doctrinæ Ethicæ pag.20.*

Quòd si, omni adhibitâ diligentiâ hæredes nulli reperiantur, quibus rem alienam restituas, tunc demum eleemosyna detur pauperibus, sed tanta, quę respondeat bonis iniustè partis, & cum hac cautione, ne quis sibi persuadeat, se eleemosyna ista satisfacere pro rapinis suis: *nemo enim propter pecuniam justus est*, inquit *Basilius*, sed restitutio illa fiat humili corde, quod delictum illud seriò agnoscit & deplorat, utq; ei Deus propter filium condonet, precatur, id quod etiam raptoribus illis, sed seriò pœnitentibus, & rapinam restituentibus Dominus promisit *Ezech.33. v.15.*

## CASVS IX.

### *Ecquis est legitimus bonorum rectè adquisitorum usus, qui cum bona conscientia stare possit?*

RESP. Suprà ostendimus, possessionem bonorum non esse peccatum, unde sequitur, neque opes abiiciendas, neque omnes in pauperes effundendas esse: *ita enim derivandi sunt fontes nostri foras, ut nos ipsorum domini maneamus, Prov.5 v.16.17.* multò minùs monasteriis devotionis aut meriti causâ inferendas esse: *neminem enim liberabit aurum vel argentum in die iræ Ezech. 7. Soph.17.* & *bona homini abundanter data sunt*, εἰς ἀπόλαυσιν, *ad fruendũ*, scribit *Apost. 1. Tim.6. v.17.*

Omnis autem recta fruitio bonorum in dando consistit, sed in dando iis, quibus dandum est. Dari enim potest etiam cum peccato, ut cùm effunduntur opes ad ingluviem, ad lusum aleæ aut chartarum, ad superbiam in vestitu, ad inutilia ædificia, cùm pecunia emuntur proditores aut sicarij, & quotiescunq; divitiæ ad damnum nostrum aut proximi impenduntur, toties malè datur.

Rectè autem damus 1. Deo, qui partem aliquam bonorum nostrorum sibi vendicat in sustentationem ministerij. *Rectè damus 1. Deo & ministerio.* Quemadmodum enim flumina omnia sunt ex mari, & in mare redeunt: ita omnia nostra bona sunt à Deo, & ad Deum iterũ redundant. Vnde *Salomon* hortatur: *honora Deũ de substantia tua, & de primitiis omnium frugũ tuarũ, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt Prov.3.9.* Ideò *David*, cùm ad ædificiũ templi largâ manu contribuisset, ad Do-

minum dixit: *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi,* 1. *Paral.*29.*v.*14.

*2. Magistratui.* (2) Dandum est magistratui, juxta mandatum Christi: *date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Matth.*22,17. & *Apostoli Pauli: reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, Rom.*13,7.

*3. Liberis & familiæ nostræ.* (3.) Dandum est liberis & familiæ nostræ: *qui enim suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli deterior,* 1.*Tim.*5,8.

*4. Pauperibus.* (4.) Dandum est pauperibus, viduis, pupillis, exulibus, ægrotis, opificibus etiam egentibus, si non eleemosyna, tamen mutuum, sed gratuitum juxta illud Christi: *mutuum dantes, & nihil inde sperantes Luc.*6,35. summa: *omni petenti tribue,* inquit *Salvator Luc.*6,30.

*Debitum caritatis in quibus cōsistat? Resp. 1. in eleemosyna.* Hoc est debitum caritatis, quod consistit (1.) in eleemosynâ, juxta illud: *frange esurienti panem, Esa.*58.

*2 In mutuatione.* (2.) *In mutuatione,* nam qui misericordiam facit, fœneratur, (mutuat proximo suo, *& qui prævalet manu, mandata servat, Sir.*29,1.

*3. In sublevatione ægrotorum.* (3.) In sublevatione ægrotorum aut vim patientium, qui non rarò pecuniâ nostrâ è magnis eripi possunt periculis: de quibus *Salomon* ait: *erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cessa, Prov.*24,11.

*4. In hospitalitate.* (4.) In hospitalitate, erga exules, & alios pauperes, præsertim fidei socios, juxta præceptum *Apostoli: caritas fraternitatis maneat in vobis: hospitalitatem nolite oblivisci, Hebr.* 13,1.

(5.) In solutione mercedis debitę, quæ justo tempore solvenda est laborantibus, sicuti Dominus in lege præcepit: *non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui, sive advena, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddas ei precium laboris sui; ante Solis occasum, qui pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te, & reputetur tibi in peccatum, Deut.*24. *v.*14. *5. In solutione mercedis debita.*

His omnibus dandum est (1.) *Libenter,* non cum tædio, aut opprobrio: *nam verbum bonum melius est quàm donum, utrumq. dat sapiens, qui in verbis seipsum amabilem facit, Sir.* 18,17.20,13. *Quomodo dandū sit? Resp. 1. Libenter.*

(2.) *Hilariter,* ideò *hilarem datorem amare Deus dicitur* 1. *Cor.*9. & *Sir.* hortatur: *in omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas, Sir.*35,11. *2. Hilariter.*

(3.) *Simpliciter,* sine jactantia sed ita, ut nesciat sinistra, quid dederit dextera, monente Christo *Matt.* 6. stultorum est jactare beneficentiā suam, *qui exiguum dant, & multa improperant, Sir.*20,13. *3. Simpliciter.*

(4.) *Fideliter,* non ex bonis alienis, sed ex propria substantia, non ex rebus inutilibus & pravis, sed ex talibus, quæ ex usu aliorum esse possunt, juxta monitum *Siracidæ*: *noli afferre munera prava. Sir.*35,14. *4. Fideliter.*

Si hoc modo dedisti aliis, tunc & ipse frui potes bonis hilari animo: *hoc enim visum est mihi bonum,* inquit

*Salo-*

*Salomon, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub Sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus, & hæc est pars illius, Eccl.5,17.*

Si quid superest, illud bona cum conscientia aliis præsertim ditioribus, & iis, qui res suas inde augere possunt, pro annuo censu elocare, vel agros aut prædia emere, & sic in usum suorū rem familiarem augere potest: hoc enim illicitum minimè esse, suprà *Casu* 2. *&* 4. probavimus.

## CAPUT IV.

### *De Casibus conscientiæ circa genus vitæ, statum & conditionem hominum in genere.*

CVm DEVS non sit autor confusionis, sed ordinis, vult etiam, ut quemadmodum in ecclesiâ, ita & in omni vitæ genere omnia ordine ac decenter fiant. Quam ob causam *homines in multitudine disciplinæ separavit*, ut *Siracides* loquitur *cap*.33. *v*.11. hoc est, diversa vitæ genera instituit, in quibus, singulis labores suos imposuit: & qui in sua statione, ad quam vocavit eum Dominus, fidelis est, is in viis suis ambulat, opus Domini facit, & tranquillam conscientiam habet.

Sunt autem tria vitæ genera non opinione hominum inventa, sed divinitùs instituta, videlicet *ecclesiasticum, politicum*, & *œconomicum*. Illud autoritatem habet partim ex institutione ministerij *Matth*.28,19. *Ioh*. 20,21.22. partim ex commendatione & descriptione episcopi 1. *Tim*.3, 2. *Tit*.1,7. Istud in ordinatione & commendatione magistratus *Rom*. 13,1. 1.*Pet*. 2,13.17. hoc in benedictione conjugij *Gen*.1,28.9,1. in institutione conjugij *Gen*.2.24. in educatione liberorum & in officiis domesticorum *Ephes*.6,4. *seqq*. in commendatione operum mechanicorum *Exod*.31,2.*seqq*.*Sir*.38,26.*seqq*. & in institutione operum œconomicorum *Syr*.7,16.

*Tria vitæ genera divinitùs instituta, ecclesiasticum, politicum & œconomicum.*

De his tribus vitæ humanæ hierarchiis pulcrè scribit *B. Lutherus in c.19. Genes. instituit Deus tres ordines, quibus mādatum dedit, ne peccata sinant impunè abire. Primus est parentum, qui domus suæ disciplinā custodire debent, in regenda familia & liberis. Secundus ordo est politicus; magistratus n. gladiū gerit, ut contumaces & negligentes disciplinæ vi cogat. Tertius est ecclesiasticus, qui verbo gubernat. Sic adversus diabolū, carnē & mundū munivit Deus genus humanum hac triplici autoritate in eum finē, ne scandala crescerēt, sed præciderentur. Parentes sunt ceu pædagogi; hos, qui adulti sunt, & negligunt, coercet magistratus per carnificem: in ecclesia contumaces qui sunt, excommunicantur.* Hæc *Lutherus*.

Antequam autē ad singulas hierarchias accedam, in genere quædā cōsideratione digna sunt, in quibus munienda est conscientia, ne labem aliquam contrahat.

## CASUS I.

### *Num quis extra certum aliquod vitæ genus privatim & absque peccato vivere potest?*

RESP. Multi sunt quibus hoc rectum videtur, qui ex reditibus suis viventes ab omni munere publico se abstrahunt, licet ad gerendum illud satis sint idonei. Hi quidẽ suum faciunt illud πολυθρύλητον:

*non sit is alterius, qui suus esse potest.*

Item:

*crede mihi, benè qui latuit, benè vixit.*

Sed hæc dicteria opposita sunt iis, qui sorte sua non contenti, semper affectant majora viribus suis, ut præ cæteris emineant, quam ob causam, dum splendorem quærunt, interdum turpi servituti & variis mundi judiciis se obiiciunt: quibus satius esset, paucis contentum in silentio res suas agere, & cum tranquillitate vitæ in mediocri conditione Deo proximoque inservire.

*Negatur.* Sed absque ullâ legitimâ functione privatim vivere, cùm tantum habeas virium & donorum à Deo, ut aliis laudabiliter inservire possis, hoc nemini est consulendum.

*1. Ratio à Dei ordinatione.* Primùm enim est contra ordinationem Dei, qui ideò diversa vitæ genera instituit, ut quilibet in certa quadam statione reperiatur: sine quâ nemo conscientiam suam tranquillare potest, an opera sua qualiacunq, Deo placeant; placere autem non possunt, si vitæ suæ institutum non est à Deo.

*2. à debita donorum usurpatione.* Deinde, vult Deus, ne quis talentum suum defodiat, sed dona sibi divinitùs cõcessa in utilitatem proximi adhibeat, ut Christus in parabolâ docet *Matth.* 25. Qui ergò sapientiâ, eloquentiâ, discretione & judicio divinitùs sunt ornati, quiq; eruditionis supellectilem aliquam sibi compararunt, malè faciunt, si intra privatos parietes delitescunt, quia non nobis tantùm nati sumus, sed partem aliquam patria, parentes, & liberi, partem etiam ecclesia & Respub. sibi vendicant.

*3. à vita privata ignavè transacta.* Tertiò vita privata est nutricula otij, quod multorum vitiorum mater esse solet, siquidem *nihil agendo malè agere discitur*, & non rarò qui nihil certi habent quod agant, aliena tractant cum aliorum detrimento. Idcirco *D. Paulus* hortatur *Thessalonicenses*: *operã detis, ut quieti sitis, & vestrum negotium agatis, & operemini manib. vestris, & honestè ambuletis erga eos, qui foris sunt*, 1. *Thes.* 4. *v.* 11. & cum apud eosdem animadverteret, esse quosdam, qui otiosè viverent, graviter eos objurgavit: *si quis non vult operari*, inquit, *non manducet. Audivimꝰ enim esse inter vos quosdam ambulãtes inquiete, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio*

*silentio operantes, suum panem manducent 2. Thess. 3, 11.*

In hunc sensum etiam *Ignatius* scribit in *epist. ad Antiochenos: nemo iners & otiosus edat, ne vagus fiat, & scortator:* & ad *Tharsenses: nemo inter vos otiosus sit, mater enim egestatis est inertia.* Nunquam melius consulitur animæ, quàm per labores in honesto vitæ genere. Illi enim medentur pravis cupiditatibus, animumque purgant à vitiis, quæ subitò succrescunt in inertibus. Sicut enim in terra inculta nascuntur vepres, & in aqua immota vermes: ita in anima otiosa malæ cogitationes proveniunt. Sunt enim animi nostri ad aliquid agendum nati, itaque opere pascuntur, roborantur, gaudent; otio verò dissolvuntur, inertiâ decidunt.

*4. à laborū publicorū laudabili susceptione.*

Quartò labores in publico aliquo vitæ genere pariunt gaudium conscientiæ & veram gloriam, ad quam honestis studiis contendere quemvis decet. Ea verò desunt iis, qui vel nihil prorsus faciunt, vel domi tantùm Musis suis cantillant. De laboribus illis publicis maximè intelligendi sunt versiculi noti:

1.

*honesta si qua feceris,*
*cum maximis laboribus,*
*cedentibus laboribus*
*dulcis manebit gloria.*

2.

*sin turpe quid commiseris,*
*cum gaudiis amplissimis,*
*abibit omne gaudium*
*turpi manente infamiâ.*

3.

*in omnibus duplex iter*
*proponitur mortalibus,*
*ô clara mens, accingere*
*virtutis ut carpas viam.*

*5. Ab Ethnicorū sapientiorum constitutione.*

Accedunt denique statuta sapientum Ethnicorum, qui, ut quilibet in vitæ genere honesto res suas agat, & proximo inserviat, leges contra otiosos & inertes posuerunt. Nam *Amasis* rex *Ægypti* sanxit, ut singuli quotannis apud *Nomarchē*, id est, cuiusque præfecturæ præsidem profiterentur, undè viverent: qui autem hoc non faceret, huic pœna extremum supplicium esset. Hanc legem *Solon* ex *Ægypto* mutuatus *Atheniensibus* promulgavit, quâ illi semper usi sunt, lege sanè inculpatâ, referente *Camerario in horis succis: part. 1. c. 15.* ex his itaque fundamentis apparet, malè sibi consulere, qui, cùm possent, in nullo tamen publico munere operam suam collocare volunt, sed domi sedentes, de peculio suo victitant, in otio & quiete: quâ quidem ratione corpori suo benè, (ut videtur) prospiciunt, sed animam interim & conscientiam negligunt, dum in publica commoda, quibus inservire possent, peccant.

*Objectio solvitur.*

Nam quod fortè obiiciunt, se hac ratione à strepitu rerum publicarum semotos piis meditationibus & precibus meliùs invigilare posse, nihil est. Nam preces & labores in honesto vitæ genere sororio nexu arctissimè cohærent, quod & *Ethnici* agnoverunt.

Ideò

Ideò *Lacedæmonij* olim deos ita invocandos existimaverunt, ut manum etiam admoveremus, nostram scil. operam addentes, neque enim eos aliter exaudire.

In quam sententiam *Cato apud Salustium* dixit: *non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, benè consulendo, prosperè omnia cedunt, ubi socordiæ te & ignaviæ tradideris, nequidquam deos implores; irati, infestique sunt.*

Ita ergò pietati studendum est, ne honestatem negliga·. Plerumq; enim tales privati, qui à laboribus publicis abhorrent, de curiosis artibus, aut de turpi otio se suspectos reddunt: *à piis* autem etiam *suspicio mali aliena esse debet*, monente Apost. 1. *Thess.* 5, 22.

*Hoc tamen in casu excipiuntur certa persona, ut 1. senio, confecti.*

Excipiuntur autem hic 1. *senio confecti*, qui non ampliùs ad labores ferendos apti sunt. Hi cùm talentum suum in juventute benè collocarint, jam per ætatem reliquum vitæ tempus privatim absque peccato transigere possunt, præsertim cùm dimissio eorum quibus obstricti erant, accesserit. Ita enim *David Bersella* senem octogenariũ rude donavit, secumque in arcem accersivit, ut ibi securus quiescat 1. *Samuel. cap.* 19. *vers.* 33. Ad quod exemplum hodie emeritis in ecclesia & Repub. substituti in munere adiunguntur, ipsis in quiete relictis: quin & Deus ipse olim *Levitas* anno ætatis suæ quinquagesimo, postquam jam annis totis 20. tabernaculo inservierant, dimisit *Numer.* 4. *vers.* 23, 25. Vbi tamen conscientiosi non facilè quietem hanc desiderant, nisi extremam virium suarum imbecillitatem sentiant: malè autem conscientiæ suæ consulunt, qui in ætate adhuc satis vegetâ & senectute viridi otium quærentes manum ab aratro suo removent, de quibus, quid Christus sentiat, notum est ex *Luc. cap.* 9. *vers.* 62.

*2. Invalidi.*

Deinde invalidi, qui ob continuos morbos ad opera publica sunt inepti. Hi enim suam in lectulo doloris vocationem habent ad preces & exercitia patientiæ: neque ultra vires suas obligari queunt.

*3. Quidam literati.*

Denique excipiuntur literati, qui quidem in publico officio non vivunt, sed nec domi suæ in otio torpescunt, sed scribendo aut consulendo aliis inserviunt. Omnis enim labor in gloriam Dei & utilitatem proximi susceptus, Deo gratus est, sive publicè sive privatim fiat. Multis enim deest occasio ad promotionem, in abundantiâ similium subjectorum, multi etiam ad docendum publicè aut ad conversandum cum aliis non sunt idonei: qui si domi suæ aliis inserviant, & talentum sibi commissum non prorsus defodiant, officio suo jam satis sunt perfuncti.

***

CASVS

## CASUS II.

### *Poteſtnè unus & idem homo bona cum conſcientia ſimul eccleſiaſticam & politicam exercere poteſtatem?*

RESP. Vetus eſt diſtinctio inter clericos & laicos, in quas duas claſſes univerſum genus hominum diſtributum fuit, uti conſtat ex *Origine hom.7.in Iere. Epiphanio in epiſt. ad Iohannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, Euſebio lib.5.cap.28. Socrate lib.5.cap.2.& 16.*

Quælibet harum claſſium ſuas ab altera diſtinctas habet expeditiones, diſtinctosq; requirit homines, adeò, ut ſi quis clericus expeditiones laicorum, & horum aliquis clericorum munia affectet, culpa non careat.

Non tamen deſunt, qui ordines iſtos confundunt, & uni homini politicam pariter & eccleſiaſticam poteſtatem ſalva pietate committi poſſe putant.

*Pontifex Romanus utriusq; gladii jus ſibi vendicat.*

De *Pontifice Romano* notum eſt, quòd ſibi jus gladii cœleſtis & terreni vendicarit, & hoc quidem *Nicolaus I. Papa* à Chriſto eſſe ait, qui *Petro* æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cœleſtis imperii jura commiſerit, *diſt.22.c.omnes.*

*Bellarminus* quoque argumentis probare audet, quòd nō pugnet cum verbo Dei, ut unº homo ſit princeps eccleſiaſticus & politicus ſimul toto *cap.9.lib.4 de Romano Pontific.*

Ex *Calvinianis eſt Adrianus Saravia*, qui *lib.2. de miniſterio*, oſtendere conatur, poſſe aliquem ſimul eccleſiaſticam & politicam poteſtatem exercere.

In noſtris etiam eccleſiis ſæpè fit, ut epiſcopus ſimul ſit princeps politicus, aut ut Canonici ſimul rebus ſacris & prophanis præſint.

De his pauca dicam, quantum conſcientiis tranquillandis hoc in genere ſufficit.

*Deus non vult officia laicorū & clericorum miſceri aut confundi.*

Deus ipſe tanquam autor ordinis, & omnium hierarchiarum fundator, tā clericis quàm laicis ſuos præſcripſit cancellos, intra quos ſe continere debent: neq; vult ut officia aut expeditiones confundantur. Ideò monet per Apoſtolum *Paulum* 1. *Corint.* 7.17. *unumquemq; ſicut vocavit Deus, ita ambulet*, & v.24. *unusquisque, in quâ vocatus eſt vocatione, in ea maneat*: & 1. *Theſſ.*4.v.11. *operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis.*

Etſi ergò œconomia per omnes vagetur ſtatus, ita, ut & epiſcopus domum habere, & familiæ ſuæ *benè præeſſe jubeatur*, 1. *Timoth.*3. v.4. clericos tamen atque laicos, hoc eſt, perſonas eccleſiaſticas & ſeculares ſive politicas ita voluit eſſe diſtinctas, ut ſine πλυπεσχυμοσυνης vitio alter alterius officium invadere nequeat. Eamque ob cauſam in populo ſuo munera eccleſiaſtica commiſit

Yyyy tribui

tribui *Levitica Lev.8.verſ.9.10. Numer.16.v.8.9.10.tribui verò Iudæ* ſceptrum politicum *Geneſ.49,10. Judic.* 8,2. quæ conſtitutio Dei etiam piis regibus in populo ſuo placuit. Ita enim *Joſaphat* ad judices dicit: *Amazias ſacerdos & pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit, porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Iudâ, ſuper ea opera erit quæ ad regis officium pertinent, habetisq; magiſtros Levitas coram vobis.*

In Novo Teſtamento *Chriſtus* diſcipulis ſuis gubernationem eccleſiæ commiſit *Ioh.20.v.21.* regimen politicum interdixit *Luc.22,25.reges gentium*, inquit, *dominantur, & qui poteſtatem habent, benefici vocantur, vos autem non ſic.*

Quin & Chriſtus ipſe à politico regimine & judicio abſtinuit *Iohan. 6.v.15.8.10.Luc.12. verſ.13.* quia regnum ejus non erat de hoc mundo. *Quemadmodum* autem *pater eum miſit, ita & ipſe miſit diſcipulos Iohan. 20. verſ.21.* A quo magiſtratu ſuo *D. Petrus* didicit τὰ ἴδια πράττειν, qui neminem vult ἀλλοτριοεπισκοπεῖν 1. *Pet.4,15.*

Deus quoquo graviter punivit reges, qui quæ ſacerdotum erant, affectarunt, quemadmodum leprâ percuſſit *Oziam* regem *Iuda* cum incenſum adoleret 2. *Paralip.26. v.18.* quem propterea *Hieronymus in epiſtolâ ad Auguſtinum* invaſorem ſacerdotii nominavit.

Quomodo etiam epiſcopos & Pontifices Romanos, (*Bonifacium VII. Benedictum VI. Gregorium VII. Bonifacium VIII. Sixtum IV.*) qui politicis expeditionibus ſe immiſcuerunt, interdum etiam bellatores fuerunt, puniverit, eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria. Epiſcopus enim non debet eſſe πλήκτης *percuſſor*, ſed ἄμαχος *alienus à pugnis 1. Tim.3. v.3. & qui gladium accipit*, inquit Chriſtus ad *Petrum, gladio peribit, Matt.26.v.52. nemoq; militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus 2.Tim.2,4.*

Leges etiam civiles dicunt, opprobrium eſſe eccleſiaſticis, ſe peritos oſtendere rerum ſecularium, & in genere *Ambroſius, non convenit*, inquit, *unum, duplicem habere profeſſionem in cap.2. poſter. ad Tim.*

Et à ſanctis patribus, epiſcopis ac clericis, ne quidem ipſo Pontifice excepto, ſecularia munera interdicuntur.

Inter *Canones Apoſtolorum ſextus* ita habet: *Epiſcopus aut presbyter aut diaconus ſeculares curas non ſuſcipito, alioquin deponitur, & Syneſius* apud *Nicephorum lib.14.cap.14.* ait: *civilem virtutem epiſcopali ſeu ſacræ functioni applicare, & ea nendo connectere, quæ connecti nequeunt.*

Et ne Pontifices Romanos exceptos dicas, audi *Bernhardum ad Eugenium Papam* ſcribentem *lib. 2. de conſiderat. cap. 6. eſto, ut talia quacunq; ratione tibi vendices, ſed non Apoſtolico jure, nec n. ille tibi dare, quod non habuit, potuit: quod habuit, hoc dedit, ſolicitudinem, ut dixi, eccleſiarum. Numquid dominationem? audi ipſum: non dominantes, ait, in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſolâ humanitate*

*nitate putes, non etiam veritate, vox Domini in Evangelio est; reges gentiũ dominantur, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, & infert: vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus: i ergò & tu, tibi usurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum, planè ab altero prohiberis: si utrumq; similiter habere voles, perdes utrumq;, &c.*

Eodem modo patres à potestate ecclesiasticâ excluserunt reges atq; principes. *Hosius Cordubensis episcop⁹ apud Athanasiũ in epistolâ ad solitariã vitam agentes*, ad *Constantinũ imperatorem* dixit: *desine, quæso Imperator, ne te misceas rebus ecclesiasticis, neq; nobis hoc in genere præcipe, sed potius tu à nobis disce. Tibi Deus imperiũ cõmisit, nobis, quæ sunt ecclesiæ, credidit.*

Sic *Ambrosius Valentiniano Imperatori*, cùm basilicas sibi tradi postularet, respondit: *noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus; scriptum, quæ Dei, Deo, & quæ Cæsaris, Cæsari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ.* Vide *Ambrosii epist.* 33. *ad Marcellinam sororem.*

Idem apud *Theodoretum libr.* 5. *cap.* 17. *ad Theodosium Imperatorem* dicit: *purpura imperatores, non sacerdotes efficit.*

*Augustinus* etiam *epist.* 48. *v.* 50. principes legum divinarum non interpretes & magistros, sed custodes ecclesiæ, non dominos sed nutritores & defensores esse debere docet.

His fundamentis mota *confessio Augustana art.* 7. de abusibus constanter urget, retinendum esse discrimen inter potestatem *ecclesiasticã & civilem. Ecclesiastica suum mandatum habet, evangelium docendi, & administrandi sacramenta: non irrũpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, &c.* Et paulò post negat, episcopos habere jus gladii ex mandato Evangelii, sed jure humano donatum à regibus & Imperatoribus ad administrationem civilium suorum bonorum. Quæ quidem sunt verissima, sed episcopis non licuit accipere potestatem aliquam politicam super urbes ac provincias, nec exercere debuerunt jus gladii in bellis, aut vindicandis malefactis improborum: hæc enim res prorsus pertinet ad magistratum *politicum*, cujus officium invadunt, præter nudum nomen episcopi, episcopale nihil habent. Oportet enim uniuscujusque hierarchiæ munia, etiam quoad personas esse distincta: cùm, quæ Deus ipse distinxit, à nemine confundi debeant, quod *B. Lutherus* inprimis urget *tom.* 6. *Ien. fol.* 354. Confunduntur autem ab iis, qui vel episcopis & aliis clericis, quorum proprium munus est docere verbum & administrare sacramenta, insuper etiam administrationem politiæ committunt, undè fit *Cæsaro-papatus*,

das Keyſerliche Bapſthumb/ut *Lutherus* nominavit, vel ſecularibus hominibus plenum in eccleſia dominium permittunt, unde eſt, *Papo-Cæſaria* das Bäpſtiſche Keyſerthumb/utrumque magno fit cum eccleſiæ detrimento, ut experientia hactenus ſat multis comprobavit.

Unusquisq; igitur manens in ſuo circulo, falcem in alienam meſſem non mittat, ita omnia ordine fient, pax & tranquillitas eccleſiæ conſervabitur, majorque in omni officiorum genere diligentia adhiberi poterit. Rectè enim judicavit *Ambroſ. de fuga ſeculi cap. 2. quod ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, divinoq; ab officio decerpitur.* Contra hanc ſententiam objiciuntur pauca quædam exempla ex V. T. eorum, qui ſimul reges & Pontifices fuerunt, ut *Melchiſedeci Gen.* 14. *Heb.* 7. primogeniti Judæorum, qui ſemper Rex & Pontifex fuit, notante *Hieronymo in quæſtionibus Hebraic. in illud Gen.* 49. *Ruben primogenitus &c. Moſis*, qui ſummus Princeps & Pontifex fuit. Principatus ejus probatur ex *Exod* 18. ubi dicit: *ſedit Moſes, ut judicaret populum.* Sacerdotium verò ſeu Pontificatus ejus ex *Exod.* 40. ubi legitur, *Moſen* adoleviſſe incenſum, quod proprium fuiſſe munus Pontificis, conſtat ex *Lev.* 8. & 2. *Paral.* 26. His addunt *Heli*, quem & Pontificem & judicem fuiſſe ajunt annis undecim, idque probant ex 1. *Samuel.* 2. & 4. *cap. Machabæos* deniq; *Judam, Simonem, Ionathanũ, Iohannem* & cæteros uſque ad *Herodem*, quos omnes Pontifices & Duces populi fuiſſe ajunt.

Objectiones *2. Ab exēplis V. T.*

Reſpondeo (1.) ſunt hæc exempla V. Teſtamenti non perpetuæ, ſed temporariæ durationis: in N. autem Teſt. nullum hujus permixtæ hierarchiæ exemplum dari poteſt, quod Deo placuiſſet, quia tunc expreſsè prohibita fuit clericis, quos vocant, dominatio ſecularis, ut ſuprà audivimus: neque Chriſtus politica ſimul & eccleſiaſtica poteſtate uti voluit, multò minus hac commixtione alii, ſalva pietate, uti potuerunt. Tot igitur exempla ex V. Teſt. fruſtrà aſſeruntur, cùm quæſtio ſit, quid jam ſub evangelio facere fas ſit.

(2.) Exempla iſta ſunt vel talium perſonarum, quæ nondum conſtituta regiminis politici & eccleſiaſtici forma vixerunt, ut *patriarchæ*; vel ad tempus duntaxat, & expreſſo Dei mandato ante ordinariam *Levitici* ſacerdotii formam aliquam ſacerdotalis muneris partem ſuſtinuerunt, ut *Moſes*, qui ſemel tantùm, nempe in inauguratione *Aaronis*, ex Dei præcepto thura incendit *Exod.* 29. & 40. quòd cum planè ſit extraordinarium & unicum, ex *Moſe* non poteſt facere ſummum Pontificem, cujus officium in ſolo *Aarone* reſidebat: vel in perturbato Reipub. ſtatu utrumque regimen extraordinariè ſuſtinuerunt, ut *Heli*, vel fuerunt facta vitioſa, ut *Machabæorum*, qui munus eccleſiaſticum & politicum uni homini tribuebant contra ordinationem Domini, qui munera illa

etiam

Digitized by Google

etiam tribubus distinxerat, ut antea audivimus; vel denique erant typi Christi, ut *Melchisedech, Samuel, David*, in quibus Christi utrumque officium debebat esse conspicuum, tempore N. T. verò hæc conjunctio officiorum desiit.

Atque hæc responsio ita solida est, ut & *Papa Nicolaus I.* eam agnoscat veram esse. Nam in epist. ad *Michaelem Imperatorem Constantinopolit.* testatur, fuisse quidem ante Christi adventum eosdem reges & Pontifices: sed Christum verum regem ac Pontificem ista distinxisse. Hoc scribit idem ille *Papa*, qui (ut suprà notavimus) Christum commisisse Petro jus gladii terreni & cœlestis dixit. Nihil enim novi est, Papas sui ipsius prævaricatores fuisse.

*2. Objectio ab exemplis principum ecclesiasticorũ in ecclesiis reformatis.*

Objiciunt alii Principes ecclesiasticos in ecclesiis reformatis, in quibus utraque potestas tam spiritualis, quàm politica concurrere videtur, sunt enim archiepiscopi aut episcopi, & simul principes, & certarum provinciarum domini.

*Resp.*

Resp. 1. Etsi principes nostri episcopatus illos, & similia bona ecclesiastica, quæ in territoriis suis invenerunt, vi recessuum imperii, præsertim anni 1555. legitimè possident: non tamen memini, quemquam ab iis, qui à *Papatu* alieni sunt, appellari principes ecclesiasticos, nisi fortè ex consuetudine vulgi fiat: quæ consuetudo ex *Papatu* est, ubi hæc appellatio non est infrequens, sed monstro & chimæræ similis, quia combinatio fit duorum officiorum, quæ judice Christo, disjuncta esse debebant, siquidem Christus non vult clericum, seu personam ecclesiasticam esse principem, & contra.

2. Principes illi tantùm titulotenus nominantur episcopi, quod & ipsi non diffitentur, & res ipsa docet: quia episcopi propriè sic dicti munus est, docere verbum & administrare sacramenta, quod ipsi non faciunt: sed quia ea, quæ ad conservationem episcopatuum spectant, administrant, idoneos ecclesiæ ministros constituunt, ordinem decentem servant, jus & justitiam tuentur, bona reditusque episcopatuum rectè distribuunt, ideò episcoporum, hoc est, eorum omnium, quæ ad territorium episcopatus alicujus pertinent, directorum nomen titulumque retinent: id quod in rei veritate nihil est aliud, quàm politicam personam agere. Quâ ratione etiam *Canonici*, qui in administrandis bonis illis ad episcopatum pertinentibus coadjutores sunt, quoad officium hoc, politicæ potiùs quàm ecclesiasticæ sunt personæ.

In *Papatu* verò Episcopi, Canonici, & Papa ipse, sacra interdum (quãvis rarò) administrant munia, docent, missificant, ordinant ministros, vel ipsi vel per suos suffraganeos; & tamen simul politici sunt principes, rebus forensibus, bellis & armis occupati, quo in genere ab episcopis reformatis δὶς διὰ πασῶν distant: ergò & hæc objectio sententiæ nostræ nihil officit.

3. *Objectio à more nostrarum ecclesiarũ & Academiarum.*

Objiciunt alii morem nostrarum Ecclesiarum & Academiarum, ubi moderator scholæ, interdum simul scriba curiæ, vel Professor aliquis est simul Rector Academiæ, vel pastor aliquis rusticorum quorundum est Dominus, ipsique ejusdem vasalli sive subditi: unde concludunt, officium ecclesiasticum & politicum in una persona optimè convenire posse.

*Resp.*

*Resp. Quædam exemplorum illorũ planè sunt impertinentia*, ut illud de Professore, qui simul est Rector in Academiâ. Nam Academici omnes sunt clerici, hoc est, ad statum ecclesiasticum pertinent: nam & jura & privilegia, & labores, sæpè etiam nomina veterum collegiorum canonicorum retinent. Ex clericis autem unum præficere cæteris, quorum mores, & totius collegii statum dirigat, non est combinare diversa; quia munera illa non sunt diversa, sed unius & ejusdem hierarchiæ: *Quædam sunt dissimilia*, ut illud de ludimoderatore, qui simul est scriba in curiâ. Hoc enim est extremæ necessitatis, siquidem ob fisci ecclesiastici tenuitatem ludimoderator ali non posset, nisi alterum in curiâ officiolum accederet. Restituantur bona ecclesiæ, quæ alendis ecclesiæ ministris in scholis & templis fuerè deputata, ut fidelibus operariis debita stipendia dari queant, & nemo ipsorum erit, qui curialia tractare desideret. Quid autem est hæc disparitas officiolorum istorum, ut cum ea politica & ecclesiastica potestas episcoporum & canonicorum *Papalium* conferri possit? nulla hîc est necessitas combinandi officia imparia, nulla ibi potestas est, neq; in scholâ neq; in curiâ. *Quædam deniq; sunt improbanda*, ut quòd pastor aliquis simul habet potestatem politicam in rusticos, uti interdum fit. Sed hæc consuetudo residua est ex *Papatu*, quam per omnia minimè probamus. Nam pastoris est ad exemplum Salvatoris, remittere negotia politica ad judicem secularem. Idcircò in ecclesiis reformatis consuetudo ista ita temperata est, ut plerumque causæ illæ coram pastore transigendæ, remittantur ad consistoria, quæ non tantùm ex Theologis, sed & politicis constant, quâ ratione neq; de jure pastoris aliquid remittitur, neq; pastori secularibus se implicare permittitur.

Objicit præterea *Bellarminus* loco supra laudato, potestatem politicam & ecclesiasticam non esse contrarias, sed utramque bonam, & à Deo facilè etiam ab uno exerceri posse: ergò possunt in unâ personâ esse.

*4. Objectio, à potestatis utriusque nulla contrarietate, & æqua bonitate.*

*Resp.*

Resp. Non hîc agitur de bonitate, aut facilitate rei, sed de justâ Dei prohibitione in Novo Testamento; à quo sola dependet incompatibilitas magistratus & episcopatus in unâ eademque personâ. Nam potestas politica æquè quidem bona & à Deo est, ac ecclesiastica: sed in unâ personâ jam tempore N. T. bona non est, quia expressè cum interdicto Christi pugnat. Facile quoq; mul-

multis est, plures simul ducere uxores, quemadmodum *Turcæ* faciunt, non tamen propterea licitum est, quia divinitùs interdictum.

*5. Objectio à piorum regum & principum donatione.* Objecit denique, pios fuisse reges atque principes illos; qui episcopo *Romano* & aliis donaverunt principatus temporales.

Resp. Quòd ecclesiæ moderatas opes, & ad alendos ministros necessarias donarunt, pietatis opus fecerunt: sed quòd profusione nimiâ luxuriem episcoporum auxerunt, & episcopis *Romanis* principatum temporalem affectandi occasionem præbuerunt, aut eam ipsi tradiderunt, in eo certè nullum pietatis opus fecerunt, quia hoc expressè interdicto Christi est contrarium, & paulatim repagula disciplinæ laxavit, de quo & in genere cõquesti sunt veteres, pervulgato dicterio *religio peperit divitias, & filia devoravit matrem*, & in specie *Bernhardus in consider. ad Eugenium.*

Quin & ipse *Papa Bonifacius* testatur, *tunc episcopos fuisse aureos, quum ecclesiæ vasa erant lignea: cœpisse verò eosdem fieri ligneos, quum eorum vasa evaserunt aurea*, ut habetur in jure *Gratiani de consecrat. dist. 1. cap. vasa.*

Remotis ergò istis omnibus, quæ assertioni nostræ obstare videbãtur, concludimus, non absq; causa uni eidemq; homini potestatem politicam & ecclesiasticam denegari, & qui hoc attentaverit, distinctissimorum vitæ generum confusionem approbare, quod piorum nemo fecerit.

## CASUS III.

*Num Canonici sunt in tali vitæ genere, quod Deo placet, & in quo bona cum conscientia vivere, bonisque ecclesiasticis absque peccato frui possint?*

RESP. Vitæ genus, quod Deo placet, ab ipso est institutum, certis legibus comprehensum, promissionibus divinis fultum, & exemplis sanctorum confirmatum, in quali vitæ genere citra controversiam vivit pastor, diaconus, consul, judex, quæstor, rex, princeps, aulicus, nobilis, rusticus, miles, paterfamilias, liberi, servi, opifices, tabellarii, lictores & carnifices.

Hi omnes certi esse possunt, quod in statione tali sint, quæ nõ est hominum inventum, sed Dei institutum; in quam per ordinaria media divinitùs sunt collocati; & si in ea juxta Dei ordinationem vivunt, res suas tranquillè agunt, laboribusq; suis Deo & proximo inserviunt, tunc de protectione ac benedictione Dei certi esse possunt; quicquid etiam bonorum terrenorum laboribus suis adquirũt, id bonâ cum conscientiâ possidere, & hilari animo in suum, suorumque usum conferre possunt.

Unde

Unde quantum intersit, ut quis de vocatione sua certus sit, quod ea Deo placeat, quilibet intelligit.

*Canonici duorũ sunt ordinum, regulares & irregulares.*

Canonicos quod attinet, hi duorum sunt ordinum: quidam dicuntur *regulares*, quidam *irregulares*: quam distinctionem ipsi pontificii rident. Nam omnis canonicus est regularis, h.e. sub regula & canone ecclesiæ vivens, episcopo subditus, & ministeriis ecclesiasticis deditus.

*Quinam vocetur Canonicus irregularis.*

Canonicum autem *irregularem* vocant, qui non amplius vivit sub regulis ecclesiasticis, neque ministeria exercet ecclesiastica, presbyterialia, diaconalia, subdiaconalia, sed sola sessione in choro, dum divina officia peraguntur, contentus est, & ornamenti potiùs externi, quàm officii gratiâ ecclesiam frequentat, ad distributiones lucrandas quotidianas, cæterum à vita clericali & canonica alienissimus. Ita enim describit eum *Marcus Antonius de Dominis lib. 2. de Repub. ecclesf. c. 9.* talemq; canonicum non nisi nominetenus talem esse scribit.

*Albertus Cranzius* canonicum irregularem sive secularem, *monstrum vocat sine exemplo, regularẽ sine regula, canonicum sine canone*, quod approbat *Cassander in consultat. cap. 25.*

Ex horum autorum sententiâ canonici irregulares nõ sunt in vitæ genere Deo grato, quia professio eorũ non convenit titulo, & seculo dediti nihil eorum faciunt, quod à veris canonicis requiritur, sed nomen duntaxat, locum in templo, & præbendas canonicorum retinent. In quos graviter invehitur alicubi *Bernhardus: mirum est*, inquit, *quòd clerici aliud videri cupiunt, quàm sunt, videl. habitu milites, quæstu clerici, actu neutrum exhibent: non enim pugnant ut milites, nec evangelizant, ut clerici, nec laborant, ut ministri. Cujus igitur ordinis sunt, cùm utrumq; esse cupiunt, & utrumq; deserunt & confundunt? unusquisq; in ordine suo res urget, sed isti in quo? certè quia nullum tenent ordinem, sine ordine peribunt.* Hæc ille.

Eamque ob causam ipsi *Pontificij* canonicos, qui solâ præsentiâ in templo titulum suum tueri conantur, ab hoc ordine excludunt. Nam *beneficium datur propter officium*, & privatus officio, privatus est quoq; beneficio, cum sit ejus sequela, ut est in *Clement. c. quia per ambitiosã de Rescr. in sexto. & Iesuita Azorius scribit lib. 10. instit. moral. cap. 11.* distributiones quotidianæ seu fructus dantur canonicis ratione cantus in choro, non ratione solius præsentiæ.

Intrepidè ergò affirmamus, eos, qui nihil aliud faciunt, nec in posterum facturi sunt, quàm quòd certo tempore in choro præsentes sunt & vel ipsi, vel per alios horas suas canonicas cantillant, & tamen amplissimos reditus ex bonis ecclesiasticis accipiunt, in tali vitæ genere, quod Deo placeat, non esse, quia finem fundatorum non adsequuntur, in otio vivunt, & neque DEO neque proximo ullâ ratione inserviunt.

Quamdiu igitur in hoc vitæ genere pergunt, neque Deum propitium

Digitized by Google

tium, neque conſcientiam pacatam habere poſſunt.

Idem eſto judicium de canonicis *papalibus*, ſive regulares, ſive irregulares appellentur. Eos enim in tali vitæ genere eſſe, quod Deo placeat, haud abs re dubitari poſſet. Etſi enim bona eccleſiaſtica à piis majoribus ex pia devotione, & optima cum intentione fundata ſunt, ut videlicet erigerentur ſcholæ, in quibus educarentur viri eccleſiæ utiles, ut alerentur pauperes, inſtaurarentur ædificia publica, quorum uſus eſt in cultu Dei publico, aut ſuſtentandis pauperibus, ut etiam ſit in promtu pecunia ad redimendos captivos, de quo fine ſuo loco plura: ipſi tamen finem ac intentionem illam piorum majorum non attingunt. Neque enim Deo, neque proximo ritè inſerviunt.

**Rationes, cur dubitetur de legitima vocatione Canonicorum Papalium?**

In cultu divino hoc deſideratur, quòd cultum illum, non juxta Dei præſcriptum, ſed juxta *traditiones hominum* inſtituunt, quibus conſcientias obligatas putant, æquè ac præceptis divinis, uti *Bellarminus* docet *lib. 1. de bonis operibus cap. 18. & lib. de Rom. Pontif. cap. 14. 15. 16.* ideò neglectum officii, aut unius horæ, peccatum mortale nominant, ut eſt *apud Azor. l. 10. inſtit. moral. c. 7. & 12.*

Sed totum illud officium canonicorum eſt traditio humana, quâ Deus fruſtrà colitur, & cujus neglectu conſcientia non læditur, cum conſcientia legem tantùm naturalem & æternã ſibi applicet, docente *Thoma part. 1. quaeſt. 79. art. 13. & 12. quaeſt. 98. &c.* ceremonias etiam multiplicant proprio auſu, cùm tamen eas & paucas & honeſtas minimeque ſcandaloſas eſſe oporteat, juxta *Auguſtini* monitum *epiſt. 119. ad Ianuar.*

In omni autem vitæ genere, quod Deo ſit acceptum, non juxta placita hominum, ſed juxta mandata Dei vivendum eſt.

Deinde totum officium ſuum faciunt *meritorium*, ideò *Petrus à Soto* ſcribit *in aſſert. cathol. fidei: inſtituto iſto non ſolùm quaeritur, ut per patientiã conſolationis Scripturarum ſpem habeamus, ſed etiam, ut iram Dei mitigemus, & pro peccatis ſatisfaciamus, atque delicta expiemus, idq; meritò & efficacia orationis.* Tale verò vitæ genus neq; inſtituit, neq; benedixit Deus, in quo laboribus noſtris vitam ac ſalutem mereamur æternam: idcirco ipſi placere nequit.

*Tertiò* in precibus ſuis invocant ſanctos, quod ſimpliciter contra Deum & Scripturam eſt: quomodo ergo placeret Deo.

*Quarto* totum officium eccleſiaſticũ placere putant Deo, etiamſi fiat ab invitis & mercede ad hoc conductis, ſine mente & attentione, etiã ab illiteratis, & in lingua peregrina, cùm tamẽ juxta *Auguſtini* monitum *enarrat. 2. in Pſal. 18. intelligere debeamus, quod dicitur, ut humana ratione non quaſi avium voce cantemus: nam & merulæ, & pſittaci, & corvi, & picæ, & hujuſmodi volucres ſæpè ab hominibus docentur ſonare, quod neſciunt.*

*Quintò*, personas peculiares ad præstandum sacrum officium peculiariter investiunt, oleo & aquâ lustrali consecrant, quasi ad hanc rem inuncti & delibati in oculis Dei lōgè sint acceptiores & sanctiores aliis, quos ipse sacrâ baptismatis undâ inauguravit. Genus autem vitæ divinū, non opus habet institutis istis humanis, siquidem quæ Deus ordinavit, omnia sancta sunt, etiam absque tali hominum adinventione.

His de causis de legitima vocatione canonicorum *papaliū* meritò dubitatur: ideò *B. Lutherus* sæpenumero dixit: *opera domestica ancillarū & servorum Deo lōgè gratiora esse, quàm monachorum & canonicorum in papatu, quia illi sunt in viis vocationis suæ, quod de his affirmari non potest.*

***Quid de Canonicis Augustanæ confessioni invariatæ ad dictis sentiendum?***

Quod autem canonicos pios & regularum observantes attinet in ecclesiis reformatis, h. e. *Augustanæ confessioni* invariatæ addictis, etsi neque concionando in templis, neque docendo in scholis ecclesiæ inserviunt, aliàs tamen verbum Dei diligūt & libenter audiunt, neque otio & ignaviâ tempus terunt, sed vel literis operam navant, vel in politico aliquo munere proximo serviunt, vel ut boni patresfamilias familiæ suæ benè præsunt, & aliàs vitam honestam ac inculpatam coram mundo agunt.

Hi sanè in vitæ genere Deo grato vivunt, in quo Deo precibus, & hymnis suis, ecclesiæ studiis pietatis & administratione bonorum ecclesiasticorum, proximo consiliis, re & opera inserviunt.

Etsi enim Deus ipse Canonicorū ordinem nuspiam instituit, nuspiam tamen legitur in Scripturâ, eum ut impium & diabolicum, (ut nonnulli vocant) improbasse aut damnasse: sed ut alius liber status & ἀδιάφορος vitæ humanæ conditio retinetur: siquidem fundatores Canonicatuum tantas opes ideò contulerunt, ut essent semper in promtu viri, non tantùm in ecclesiâ, sed & in Repub. utiles, ut conservarentur familiæ & ecclesiæ semper haberent suos patronos & nutritios: in quem finem etiam principes, comites ac Barones, quorum opera aliàs in ministerio ecclesiastico rara est, præbendis illis fruuntur.

Quia verò Canonici precibus & cantionibus sacris aliisque exercitiis pietatis frequentiùs, quàm qui in aliis statibus vivunt, Deo serviunt, idcircò ad statum ecclesiasticum propiùs accedunt, undè etiam vulgò spirituales, die Geistlichen appellantur: sed cùm canonici neque omnes vocati atque ordinati sint ad ministerium verbi, unde & officia ministrorum docendo & administrando Sacramenta non omnes faciunt, neque etiam canonicatus in hunc duntaxat finem instituti sunt; ideò & canonicatus simpliciter pars ministerii ecclesiastici nominari nequit.

Certum igitur est, quòd canonicatus in ecclesiis reformatis sit status

tus

Digitized by Google

tus liber, & nuſpiam in Scripturâ damnatus.

*Quomodo Canonicus talis ſe gerere debeat?*

Ut autem quilibet canonicus in conſcientiâ ſuâ certus ſit, quòd in vitæ genere honeſto & Deo grato vivat, ante omnia ſciat, hoc vitæ genus in ſeſe neminem damnare: qui hac de re in conſcientiâ ſuâ confirmatus non eſt, melius eſt, ſi à canonicatu prorſus abſtineret. Nam *quicquid dubitante conſcientia fit, peccatum eſt, Rom.*14. *v.*23.

Deinde, ut legitimam ad hoc vitæ genus vocationem habeat, ne vel pretio, vel favore, (licet vel quoad ætatem, vel quoad ortus aut perſonæ inhabilitatem, eo ordine planè indignus) promoveatur.

Tertiò non priùs affectet canonicatum, quàm ſe ad labores aptum novit. Non enim ſufficit annum unum vel alterum juventutis in Academiis vixiſſe, & nihil didiciſſe, ſed potiùs omni laſciviæ deditum fuiſſe: hoc eſſet flores ætatis diabolo, feces Deo conſecrare.

Quartò, ut officio ſuo ſatisfaciat, non otio & inertiæ, multò minùs rebus illicitis deditus ſit, ſed talentum ſuum rectè collocet, ne occinatur ei illud Apoſtoli *Iudæ v.*12. *hi ſunt in agapis veſtris maculæ, dum vobiſcum convivantur abſque ullius metu ſeipſos paſcentes.*

Quintò operam det, ut de bonis eccleſiaſticis, ante omnia ſtipendia ſufficientia præbeantur ſcholarum & templorum miniſtris pauperibus, viduis, orphanis, ſenioribus ad labores ineptis, juſtæ diſtribuantur elemoſynæ, ædes ſacræ ad neceſſitatem reſarciantur &c. tunc ex reſiduo ſtipendia laborum ſuorum, bonâ cum conſcientiâ accipere, iisque hilari mente in Domino frui poteſt.

*Diſcrimen inter eos, qui Canonicatibus fruuntur.*

Atque hic notandum eſt diſcrimen inter eos, qui Canonicatibus fruuntur.

*Quidam ſunt meri eccleſiaſtici*, qui in Scholis & Academiis docent, aut pars ſunt miniſterii ſacri, aut ſcribendo contra adverſarios religionis puritatem tuentur, & hi præ reliquis omnibus optimâ cum conſcientiâ bonis fruuntur eccleſiæ, quæ hunc potiſſimùm in finem olim ordinata ſunt. *Quidam ſunt politici, ſed conſilio, re & opera inſerviunt Reipub.* ut in tranquillo ſtatu maneat, & ipſa eccleſiæ bona ſarta tectaque ſerventur, rectèque collocentur: hi de bonis illis partem aliquam inſtar ſalarii participare bonâ cum conſcientiâ poſſunt: nam & ſuo modo ſerviunt altari, idcircò & ipſi de altari vivunt, præſertim, cùm bona eccleſiæ tanta fuerint, ut præ aliis omnibus eccleſiæ miniſtri, ut & ſtudioſi adoleſcentes, ac alii ſacroſancto miniſterio adjuncti ſufficienter & liberaliter ſuſtentari queant. *Quidam verò horum nihil faciunt, ut ſunt vel emeriti*, qui olim in juventute Eccleſiæ & Reipub. inſervierunt, & jam reliquias annorum ſuorum Deo conſecrarunt: quibus ſi quid de beneficiis eccleſiaſticis conferatur, meritò fit; *vel ſunt juniores*, & quidem nobilium aut di-

tiorum liberi, sed ad paupertatem redacti, quorum tamen parentes olim de suo bonâ ex parte thesauros Ecclesiæ locupletarunt; ubi æquitas postulat, ut in fruendis beneficiis Ecclesiæ ratio ipsorum inprimis habeatur: nam ad alendos pauperes etiam pecunia sacra destinata fuit; qui tamen semper monendi sunt, ne otio & ignaviæ sese dedant, sed aliquid discant, quo Deo & proximo inservire possint: nam horis canonicis orare & psallere non sufficit, neque propterea alimenta accipiunt, cùm hoc aliàs (si Christiani esse velint) facere teneantur, etiamsi statis horis non faciant.

Quemadmodum ergò dignus est operarius mercede suâ: ita vicissim constitutum est à *Paulo, ut qui non laborat, etiam non manducet 2. Thess. 3. vers.* 10.

*Lutheri consilium.* Hoc est consilium *B. Lutheri in libello germanico,* cui titulus: *ordinatio ecclesiastica, seu consilium, quomodo bona ecclesiastica sint tractanda, quod extat tom. 2. Ienens. german. fol.* 237. ubi inter cætera sic scribit: Das ist mein Rath/ daß die Obrigkeit solche Klöster-Güter zu sich nehme/ und die übrigen Personen/ so darinnen bleiben/ davon versorge/ biß sie außsterben/ auch reichlicher und milder/ denn sie vielleicht vorhin versorget gewesen sind/ damit man spühre/daß nicht der Geitz dem Geistlichen Gute/ sondern Christlicher Glaube den Klöstern feind sey. Et paulò post: Das ist auch billich unnd Christlicher Liebe gemeß/ daß wo der Stiffter Erben verarmen/ unnd nöthig wären/ daß denselben solche Stifftung wieder heimfalle/ in ein groß Theil/ unnd alles miteinander/ wo die Noth so groß wäre. Denn freylich ihrer Vätter Meynung nicht gewesen ist/ auch nicht hat seyn sollen/ ihren Kindern unnd Erben das Brod auß dem Maul zu nehmen/ unnd anderswohin zu wenden/ unnd ob die Meynung so gewesen wäre/ ist sie falsch unnd unchristlich/ denn die Vätter sind schuldig/ ihre Kinder vor allen Dingen zu versorgen. Hæc Lutherus.

*Sunt denique, & non pauci, in Collegiis Canonicorum politici, qui aliis inservire non possunt nec volunt,* sed in eis otium sectantur, & alieno sumtu se pascunt, officio suo se perfunctos rati, si precibus & psalmis statuto tempore intersint, licet ipsi nec orent, nec psallant, quales sunt Canonici multi seculares, ut vocant, quos malâ cum conscientiâ bonis ecclesiasticis frui, & non nisi titulum Canonicorum habere suprà docuimus.

CASUS

## CASUS IV.

***An studiosus aliquis, Theologiæ γνησίως Lutheranæ addictus, bona cum conscientia Canonicus fieri, & in hoc vitæ genere dies suos exigere potest, maximè, cùm δυνάμει ἑρμηνευτικῇ, quâ in exercitiis homiliticis valere debet, probè non sit instructus?***

RESP. Ad hanc quæstionem haud difficulter responderi potest, si Canonicatus & quales esse debeant, & quales hodie sint, considerentur.

*Quid olim fuerint collegia Canonicorũ.*

Certum est, fuisse olim collegia Canonicorum, scholas pietatis & bonarum literarum, ad exemplum illarum, in quibus sancti patres educati fuerunt, exstructas, in quibus bonæ indolis adolescentes in doctrinâ sacrâ, præcipuè in vero intellectu Scripturæ Canonicæ, ut & in linguis ac artibus rectè instituti, ac ad ministerium ecclesiæ, aliaque officia ecclesiæ & Reipub. necessaria præparati fuerunt: unde & *ecclesiæ cathedrales* à cathedra doctrinæ nomen habuere, ut constat ex *Chrysostomo homil.* 1. *in Johan.* & juxta has collegia Clericorum fuerunt, seu scholæ, in quibus informabantur, juniores, ut posteà ad ministerium ecclesiæ inprimis adhiberentur, ut habetur in jure *Gratiani caus. & quæst.* 1. *c. omnis ætas. & cap. Necessaria.*

*Ecclesiæ cathedrales unde dictæ?*

*Qui olim vocati fuerint Canonici?*

Canonici autem vocabantur interpretes & studiosi Scripturæ Canonicæ; quorum officium erat, juxta antiquissimum morem S. patrum, vacare orationibus, lectionibus & disputationibus, ut *Augustinus* scribit *de mor. eccl. c.* 31. & horæ, quibus his exercitiis vacabant, appellabantur Canonicæ: cùmque nullo alio laborum genere victum sibi parare possent, Imperatores atque Principes sufficientibus reditibus hujusmodi collegia ditarunt, quibus tam docentes, quàm discentes fruerentur.

Præclara hæc fuit sanctio majorum, nec ulli sumtus unquam meliùs sunt collocati. Ita enim juniores ad preces & alia pietatis exercitia assuefiebant, & studiis sacrarum literarum ac bonarum artium instructi, ad ministeria ecclesiæ præparabantur, ut nunquam deessent, qui vicinis ecclesiis præficerentur, qui ministros alios ordinarent, ecclesias visitarent, bonum ordinem & decentem disciplinam in ecclesiâ servarent, controversias dextrè deciderent, & si qua sunt alia, quæ ad judicia ecclesiastica pertinebant, ritè administrarent.

Hi fruebantur stipendiis ecclesiæ satis amplis, quæ non tantùm ad alimenta propria sufficerent, verùm

etiam ad alendos pauperes & peregrinos, ad restauranda quoque ædificia sacra superessent.

Nam, ut habetur in *Decreto Iuris Canonici Caus. 12. quæst. 2. quatuor tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, convenit fieri portiones, quarum sit una pontificis,* (qui videl. scholas instituere debet) *altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.*

In hujusmodi collegio & hoc fine petere canonicatum & possidere omninò licuit, & nuspiam tranquillior esse potuit conscientia, quã in tali cætu hominum, qui veram sectantur pietatem à teneris, quòd dicitur unguiculis, ubi adolescentiæ carnis luxuries præscinditur, ubi studia & artes liberales tractantur, ubi juniores ad publica ecclesiæ officia præparantur, & unde tandem, tanquam ex equo Trojano, magno numero prodeunt, qui patriæ, suo quisque loco utiliter inservire possunt. Et si obtineri posset ab iis, quorum interest, (quod à multis hactenus obtentum esse scimus) ut ex monasteriis & Canonicorum collegiis ejusmodi phrontisteria & pædagogeria fierent, magnum sanè decus restitueretur ecclesiæ & magnam felicitatis suæ partem æstimare posset, qui vel omnem, vel aliquam saltem vitæ suæ partem in locis illis consumeret.

Verum enimverò, quemadmodum omnia fermè in pejus ruere solent: ita & collegiis illis accidit. Nam cùm Regum principumq; liberalitate opes atque possessiones Canonicorum nimiùm excrescerent, magnamque partem nobilium ac ditiorum liberi bona ista ad se raperent, refrixit pristinus ille Canonicorum fervor ac devotio; neglecta fuit scripturæ Canonicæ cultura, abjecta bonarum literarum studia, & ex scholis illis aulæ quædam factæ, in quibus plerique otio & ignaviâ torpidi, alii aulicis negotiis occupati, veterum Canonicorum formam amiserunt.

Studia doctrinæ, lectiones ac interpretationes Sacræ Scripturæ ex collegiis illis ad Academias translata sunt, quæ, si Canonici in collegiis officium suum, cui destinati erant, fecissent, fortè nunquam introductæ fuissent.

Ex officiis illis sacris Canonicorum veterum, unicum tantùm, quod & facillimum & jucundissimum, hodiè superest, precatio nimirum & cantus in templis, statis horis, quas vocant canonicas: sed tale est officium, quod & quilibet alius extra collegia Canonicorum facere potest, quod tantis sumptibus ac præbendis non remunerandum, quod non ad lucrandam pecuniam, sed ad curandam animam adhibendum, *siquidem pietas non est quæstus. 1. Tim. 6,5.* & denique quod plerique Canonicorũ ad vicarios suos & Chorales, homines sæpenumero illiteratos & ineptos, rejiciunt.

Si qui Canonicorum exercitia concionandi habent, id quidem laudem

dem meretur, & ad primam fundatorum intentionem quàm proximè accedit: sed hoc in collegiis istis non didicerunt, neque forte occasionem discendi habuerunt. In tale ergò collegium Canonicorum prorsus irregularium, qui tantoperè à pristina devotione piorum majorum discesserunt, quomodo studiosus Theologiæ bonâ cum cōscientiâ se conferre possit, equidem non video. Nam etsi hoc propter liberale otium & studiorum excolendorū gratiâ faciat; nulla tamen discendi occasio ibi datur: non sunt idonei præceptores, nō audiuntur ampliùs, ut olim, sacrorum textuū interpretes, nulla sunt disputationum sacrarum exercitia, quæ omnia ad comparandam suppellectilem eruditionis Theologicæ maximè sunt necessaria.

Et si quibus exercitiis homiliticis vacare ibi licet, ea tamen ita comparata sunt, ut & extra illa collegia, & interdum longè feliciùs haberi queant; neq; necesse est, ut tanti sumtus in ista exercitia impendantur: verendum potiùs, ne sub isto prætextu, pecuniæ sacræ, quę aliis usibus antiquitùs destinatæ erant, aucupium turpe quæratur.

Consultiùs ergò videtur, relinquere mortuis suos mortuos, & quæ sine specie mali fieri nequeūt in collegiis Canonicorum, ea quærere in Academiis & scholis aliis, in quibus & meliori cum conscientiâ vivitur, & quæ ad studia doctrinæ cœlestis, ut & administrationem munerum ecclesiasticorum pertinent, longè rectiùs addiscuntur.

Quòd si verò dentur ejusmodi collegia canonicorum, quæ aliquam scholæ faciem habent, (qualia dari cum *B. Luthero ex tom. 7. Ien. germ. fol.* 431. multi pii & cordati optant) in quibus nimirum sunt viri docti, linguarum & rerum sacrarum periti, qui Scripturam canonicam interpretantur, suosque habent discipulos, sive clericos, quos in verâ pietate instruunt, judicium eorum de controversiis Theologicis, & aliis rebus utilibus informant, in concionando & disputando exercent, & sic ad ministeria ecclesię utiliter præparant, hisce se adjungere, cum his etiam vitam suam transigere, eorumq; in erudiendis aliis communi operâ uti, quilibet bonâ cum conscientiâ potest: inter hos etiam canonicatus seu bonorum ecclesiasticorum fructus, rectè ac ex intentione majorum, distribuuntur, ita tamen, ut illi canonici non sibi tantùm, suisque musis cantent, sed tandem pro re nata certis in officiis ecclesiæ ac Reip. inserviant, ad quæcunque eos evocaverit Dominus. *Nam sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas est utrisque? Sir.* 20. *v.* 32. & quàm gravem sententiam audituri sint illi, qui talentum suum abscondunt, constat ex parabola Christi, *Matth.* 25, 26. *seqq.* quique sine ulla aliorum utilitate studiis suis privatis invigilant, ab otiosis parùm differunt.

Qui

Digitized by Google

Qui verò ecclesiæ ac Reipub. utiliter inserviunt, hi canonicatus suos etiam in officiis illis publicis jure retinent. Nam in viros ecclesiæ utiles reditus ecclesiæ rectè conferuntur, tanquam debita laborum præmia: *dignus enim est operarius mercede sua, Luc. 10. v. 7. & qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari inserviunt, de altari vivunt, 1. Cor. 9. v. 13.*

Hinc in *Concilio Agathensi can. 26.* cautum est, ut clerici omnes, qui ecclesiæ fideliter, vigilanterq; deservivunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum per ordinationem canonum à sacerdotibus consequantur.

## CASUS V.

### *Num quis bona cum conscientia canonicatum certa pecuniæ summa redimere aut adquirere potest?*

RESp. In jure canonico hæc res pro illicitâ habetur, & venditio ac emtio officiorum spiritualium, ut vocant, videl. episcopatuum, sacerdotiorum, canonicatuum & similium, simonia appellatur.

*Quid sit simonia?* Simoniam enim dicunt esse studiosam voluntatem emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, ut habetur *caus. 1. quæst. 1.*

Hinc *Gregorius Papa c. 1. quæst. 3. c. audivimus*, eos sacrorum ordinum professores, qui sub munerũ datione vel acceptione Dei ecclesias, vel earũ sibi beneficia usurpant, scelus comisisse judicat, & utrumq; ecclesiæ liminibus submovendum censet, & qui pro ecclesiæ ambitu munera largitur, & qui ut ecclesiam adeat, quidquam præsumit accipere.

Idem repetit *Vrbanus II. eadem causa quæst. 3. c. 8. & Alexander II. c. 9.*

*Panormitanus* autem *& Canonistæ* venditionem & emtionem beneficiorum illorum, quibus cura animarum non est annexa, à crimine Simoniæ liberant.

*Lutherus* etiam *Simoniam* esse negat, vendere vel emere dona ecclesiæ oblata, beneficia, clinodia, & alia ab initio ad alendos ministros collata, quia Simonia sit, vendere dona à Deo nobis data, quæ verè sunt spiritualia, ut remissio peccatorum, Spiritus S. gratia Dei: dona verò ecclesiæ oblata, neque propriè dicenda esse spiritualia, neque à Deo data, sed ab hominibus ecclesiæ oblata, ut fundi, domus, pecunia, & similia, vide *Lutherum in ca. 23. Genes. fol. 296. seqq.*

Hinc sunt Theologi nonnulli alioquin orthodoxi, qui existimant, *Pontificios*, eò, quod beneficia ecclesiæ vendunt & emunt, aut saltem pretio & honorariis sibi comparant, à crimine Simoniæ optimo jure liberari posse, nisi seipsos per jura canonica illi se implicarent.

Quid-

*Rationes, quòd canonicatus certa pecunia ſumma non debeant emi?*

Quidquid autem ſit, de vocabulo Simoniæ, nomen illud neque attendendum, neque odioſè objiciendum hoc in genere judico : rem ipſam tamen, videlicet canonicatum, pecuniâ vendere vel emere, à liberali homine alienum debere eſſe cenſeo.

Primùm enim eſt *contra intentionem fundatorum*, qui beneficia ſua non vendiderunt, ſed liberali manu erogarunt, turpe ſibi putantes, ſi pro quocunque beneficio quidquam acciperent.

Deinde eſt *contra naturam beneficij*, quod, dum emitur, nomen ſuum amittit : ecquis enim unquam rem pecuniâ partam beneficium appellaverit.

Tertiò eſt *contra legitimam vocationem ad beneficia eccleſiaſtica*. Nemo enim ſibi ipſi ſumit aut emit honorem eccleſiaſticum, ſive canonicatus ſive ſacerdotium ſit, aut ſimile quid, ſed qui *vocatus eſt à Deo, Heb. 5.v.4.* Legitima vocatio fit per libera vota eligentium, ſicut in electione ſeptem primorum diaconorum factum legitur, *Act.6.v.5. vota civium, teſtimonia populorum, honoratorū arbitrum, electio clericorum, in ordinationibus ſacerdotum expectantur*, inquit *Leo epiſt.87.* & *in concilio* Carthaginenſi *III, can.22.* præcipitur: *nullus ordinetur clericus, niſi probatus fuerit, vel epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio.* Hæc examina, unà cum votorum libertate præpediuntur pecunia : quæ ſæpenumerò facit, ut non qui dignior eſt, ſed qui ditior eſt, ad munera ſacra admittatur.

Quartò eſt *contra requiſita canonicorum*, quos honeſtos habere natales, ut *habetur cauſ.1. quæſt.1. c. tali cōjugis*; juſtæ eſſe ætatis, *cauſ.1. quæſt.1. c. pueri ad ſacros ordines &c.* ingenii denique boni, morum honeſtorum, & animi ad labores apti, eſſe oportet : Quæ omnia pecuniâ corrumpuntur, quæ ſæpè indigniſſimis ad ſummum gradum in omnibus officiis parat adſcenſum. (*Sæpè, ſi Poetæ credimus, ſumma rudes aſini rerum faſtigia ſcandunt.*)

Quintò eſt *contra pietatem*, quæ *non eſt quæſtus 1. Timoth. 6, 5.* qualem quæſtum ex officiis ſacris faciunt, qui ea venalia exponunt. Ideò qui canonicatum petit, ejuſdem cum Apoſtolo *Paulo* ſententiæ eſſe debet: *non ſumus ut plurimi, cauponantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate &c. 2. Cor. 2. verſ.17.*

Sextò eſt *contra regulam Chriſti Matth.10.v.8. gratis accepiſtis, gratis date.* Etſi enim ibi de dono miraculorum agitur, in genere tamen applicari poteſt ad ea omnia, quæ eccleſia nullo vel pretio vel labore acquiſivit. Jam verò bona ſua omnia ex gratuita piorum majorum munificentia habet: cur ergo aliis ea vendit?

Septimo eſt *contra autoritatem clericorum*, qui ut Cæſaris conjunx, etiam omni ſuſpicione alicujus culpæ vacare debent. Facilè autem hujusmodi emptores in ſuſpicionem avaritiæ & πλεονεξίας incidere poſ-

ſunt, cùm nemo ipſorum ſine lucro emat, quod ſæpè uſurariorum lucra exæquat.

Quæ cum ita ſint, ſatius eſſet, beneficia eccleſiæ in pauperes ſtudioſos, qui indolis bonæ ſunt, gratis conferri, ut eccleſia abundantia ſua ipſorum ſublevet inopiam, & ſic quamplures ad excitandum donum, quod in ipſis eſt, liberalitate iſtâ moveantur, ita nunquam eccleſiæ idonei deeſſent viri, quibus jam, dum habentibus duntaxat datur, nimium (proh dolor) deſtituitur.

## Casus VI.

### *Rectène ſoli Principes, Comites, Barones, nobiles fruuntur beneficiis eccleſiaſticis, in canonicatibus, excluſis pauperioribus?*

Mag. RESP. Multis in collegiis canonicorum hanc obſervari conſuetudinem non ignoramus: ſed approbare non poſſumus.

Nam ut *Hieronymus in epiſt. ad Damaſum* ſcribit: *clericos illos convenit eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum nulla ſuffragantur ſtipendia.*

Qui autem bonis parentum & opibus ſuſtentari poſſunt, ſi, quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium, judicium ſibi manducant, bona eccleſiæ atque ſacerdotum ſitiunt & bibunt.

Non quidem improbamus, quòd & liberis & cognatis fundatorum, (cæteris paribus) locus in collegiis concedatur; ſed quòd pauperes prorſus excluduntur, approbare non poſſumus. Nam & Chriſtus quidem in collegio Apoſtolorum cognatorum ſuorum rationem habuit; ſed ex reliquis neminem excluſit.

Cumque tam ampla legata eccleſiæ à fundatoribus, inter cætera etiam hanc ob cauſam donata ſint, ut familiæ nobiles in flore conſerventur, iniquum quidem non eſt, ut eorum præ cæteris habeatur ratio, modo aliàs ſatis digni & apti ſint: non minùs tamen æquum eſt, pauperes etiam eis adjungere, quorum uſus in eccleſia aut Repub. eſſe poſſit, modò aliàs ſint natalium honeſtorum, qui ſtudio atque induſtriâ defectum ſplendidorum majorum ſupplere poſſunt.

Ita ergò diſtribuantur bona eccleſiaſtica, ne tantummodò habentibus detur, contra quos hoc modo pauperum gemitus excitantur; ſed & ut egentium inopia ſublevetur; ita quilibet majori cum tranquillitate animi reditibus ſuis uti frui poterit.

* * *

## CASUS VII.

## *Num quis bona cum conscientia monasterium ingredi & vitam religiosam profiteri potest?*

RESP. Non est hîc quæstio de priscis illis monachis, qui primùm inventi sunt in *Ægypto*, postea & aliarum nationum homines præsertim in oriente secuti sunt, quorum *Augustinus* meminit *l. de moribus eccles. cap.* 31. illorum monachorum instituta ita descripsit *Bullingerus l.* 2. *de orig. erroris c.* 8. *habitabant olim*, inquit, *studiosi bonarum & sacrarum literarum in loco aliquo uno studiis accommodo, & à turbis semoto: omnibus rebus utebantur communiter: unde & domicilia eorũ dicta sunt cœnobia. Sub iisdem enim agebant præceptoribus, eadem utebantur mensa, non splendidè quidem comessantes, sed frugaliter & studiosorum more victitantes. Vestitus quoq; propemodum omnib. idem, nihil sordium habens aut luxus, sed qui decebat, ornabatq; studiis consecratos. Iam & horæ propemodũ singulæ lectionibus, exercitiis, precibus & confabulationib. seriis, jucundis ac literatis erãt destinatæ. Aliis enim exponebantur scripturæ canonicæ, unde & nomen invenerunt, & dictæ sunt horæ canonicæ: aliis exercebatur juventus in disciplinis. Erat justum tempus, quod precibus, lectioni Psalmorum, & curæ corporis impendebant, &c.* Hæc ille.

Tempore *Basilij Monachi* non tantum studiis literarum, sed quoque laboribus manuum dediti fuerunt. Habuerunt in cœnobiis suis officinas, in quibus suum quisq; artificium exercebat, quæ loca in patria, hoc est, in Græca lingua *ἀσκητήρια*, h.e. domos seu loca exercitationis nominarunt, & monachos ibi laborantes *ascetas*, moniales *ascetrias*, & *ascetica* appellarunt: unde & *Basilius* sermones, quos ad hos monachos scripsit, *asceticos* nominavit, *notante Hospiniano, de orig. monachatus c.* 2. *Veterum monasteria laudabilia.*

Etsi verò monastica vita neque exempla, neque præcepta habeat in scriptura: ferendum tamen videbatur illo seculo hoc institutum, quia ad disciplinam, pietatem ac eruditionem consequendam multùm conducebat, quæ res etiam principum & aliorum opulentorum hominum animos commovebat, ut opes amplissimas in monasteria certatim effunderent.

Neque enim qui moribus istis vitam vivebant monasticam, Deo ingrati erant, sed in tali vitæ genere, cui fortè hodiè studiosi pietatis & bonarum artium, tanquam sacrosancti ministerii candidati, sunt addicti; hodierni verò moachi papales nihil cum istis habent commercii, sed prorsus separati sunt, professione, voto, laboribus, studiis, habitu, moribus, disciplinâ, & quidquid denique hominem improbum & inutile terræ pondus ab homine probo ac Reipub. Christianæ utili distinguere potest.



Digitized by Google

De his veriſſimum eſt, quod *Hieronymus* ad *Euſtochium* virginẽ ſcripſit: *apud hos affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum* [illegible] *clericorum, & ſi quando* [illegible] *venerit, ſaturantur ad vomitum* [illegible] *ialibus addit, eas vocari* [illegible] *& ſterilitatem præbibere* [illegible] *abortum facere, & nihil eſſe* [illegible] *quam caſtas.*

[illegible] *guſtinus* vocat hypocritas ſub habitu monachorum à callidiſſimo hoſte undequaque diſperſos in *lib. de opere monach. cap.* 28.

*Bernhardus* etiam de ſui temporis monachis ſcripſit in *epiſt. ad Guilielmum abbatem: ò quantum diſtamus ab his, qui Antonij diebus extitere, monachis! nobis convenientibus nihil de Scripturis, nihil de ſalute agitur animarum: ſed nugæ & riſus, & vana proferuntur in ventum.*

Quid verò diceret *Bernhardus*, ſi modernos adſpiceret monachos, ad quorum mores & vitam angeli videntur monachi *Bernhardi*.

In horum ergò monachorum ſodalitiis aut collegiis nemo bonâ cum conſcientiâ vivere poteſt: id quod probatu non eſt difficile. Primùm apud omnes pios extra controverſiam eſſe debet, quod monachatus non ſit vitæ genus Deo gratum, quia neque ab ipſo Deo, neque à Prophetis aut Apoſtolis eſt inſtitutum; ſed merum hominum inventum.

*Monachorũ exceptio ſolvitur.* Nam quòd Monachi genus ſuum ad *Heliam* aut *Iohannem Baptiſtam* ferunt, id valdè dilutum eſt: quia neque *Helias, neque Iohannes* ſectatores ſuos vocarunt *Helianos*, aut *Iohannitas*, neque in clauſtris aut eremis habitarunt: ſed *Helias* ad tempus ſaltem fugit in eremum ob perſecutionem *Ieſabelis*; aliàs hinc inde in populo Dei docuit, ut hiſtoria ejus 1. *Reg.* 17. *v.* 18. 19. 2. *Reg.* 1. 2. 3. teſtatur: *Iohannes* in deſerto quidem docuit & baptiſavit, juxta vaticinium *Eſa* 40. *v.* 2. ſed in montanis ſuburbii *Levitici* in ſchola parentis *Zachariæ* educatus fuit, nec in deſerto ſemper latuit, quia acceſſus ei ad *Herodem* patuit, qui eum libenter audivit, quia ipſum virum juſtum & ſanctum eſſe ſciebat *Marc.* 6, 20. prętereà *neque Helias neque Iohannes* ſectas fecerunt, neque alias præter legem & evangelium diſcipulis ſuis leges præſcripſerunt, nec eos votis ad ejurandum conjugium, & facultates ſuas in medium conferendas obligarunt, quod hodie ordinum monaſticorum fundatores faciunt.

Nihil ergò ſancti hi viri commune habent cum hodiernis monachis: aut totâ vitâ monaſticâ. Vera autem origo monachatus eſt ab hominibus. Primus enim autor vitæ Eremiticæ fuit *Paulus Thebæus, & Antonius.*

*Hieronymus* quoque *in vita Pauli Heliam & Iohannem* monachorum patres fuiſſe negat, ſed eremiticæ vitæ autorem vocat, *Paulum*, illuſtratorem *Antonium*.

Cœnobiticæ vitæ autor habetur *Pachomius in Inſula Thabennenſi*, cuj⁹ fratres

fratres nominati sunt *Thabennensio-nitæ*, vel *Thabennensii* apud *Vincentiū in spec. hist. lib.* 18. *c.* 85. & *Nicephorum l.* 9. *c.* 14. qubus nonnulli annumerant *Basilium* & *Augustinum*: sed hi doctrinâ, disciplinâ & studiis ab hodiernis monachis in papatu ὡς διὰ πασῶν discrepant.

*Bellarminus in præf. lib. de monach.* non quidem fateri audet, monachatum à Christo esse institutum, ad consilia tamen Christi refert, quòd nonnulli homines, (quos monachos vocat) vitæ genus arctioris ac sublimioris instituunt, quàm aut lex divina vel humana præscribat, aut etiam multorum mortalium infirmitas patiatur. Sed nuspiam legimus, Christum cuidam hominum consuluisse, ut novum vitæ genus suscipiat, in quo cœnobium, relictis rebus omnibus, ingrediatur, conjugium ejuret, & facultates suas omnes aliis relinquat, aut novam aliquam regulam, vel legem præter divinam, aut cùm divina congruentem sequatur.

Manet ergò monachatus simpliciter novum vitæ genus à tribus illis divinitùs institutis hierarchiis alienum, & unde *Bellarmin. in tract. suo de eccles.* monachos inter clericos & laicos, tanquam ἀμφίβιον aliquod in medio ponit.

[illegible] verò audivimus, etiam antiquitus omne genus hominum in clericos & laicos fuisse distinctum.

Cùm ergò monachi non sint ex eorum ordine, quos Deus ipse in genus vitæ suæ, quod profitentur, collocavit, nemo etiam ex monachis certus esse potest, quòd genus vitæ suæ Deo placet, quodque Deus laboribus & studiis ipsorum sit benedicturus: idque omnium minimè facere possunt, qui, relicto ordinario vitæ genere, ex opinione singularis sanctimoniæ, vitam ingrediuntur monasticam, cujus nullam habent testimonium, quòd Deo unquam fuerit accepta.

Deinde ex scriptura constat, quòd monachi in nulla sint parte eorum, qui ecclesiæ inserviunt, etiamsi *Bellarm. d. l.* eos alteram partem ecclesiæ nominet. Nam qui ad ecclesiam pertinent, juxta distinctionem Apostolicæ ecclesiæ, vel *doctores* sunt, vel *auditores*, ut colligitur ex *Galat.* 6. *v.* 6. *Hebr.* 13. *v.* 7. Monachi verò ad neutrum ordinem pertinent: *auditores non sunt*, quia sejuncti ab aliis in loca solitaria succedunt: *doctores non sunt*, quia eos Apostolus ipse ita distinxit, ut nullam faciat mentionem monachorum *Ephes.* 4. *v.* 11. 1. *Corinth.* 12. *v.* 28. *Christus*, inquit, *quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Evangelistas, quosdam pastores & doctores ad cōsummationem sanctorum, & ædificationem corporis sui*: quin &, si canones suæ ecclesiæ audiunt, ne quidem docere possunt: id enim prohibitum est in jure *Gratiani part* 2. *decreti causa* 16. *quæst.* 1. *c.* juxta *Chalcedonensis* tenorem: rationem habet *Hieronymus in epistola ad Riparium & Desiderium*, quia monachus non do-

centis, ſed plangentis habet officium.

Viderint ergò qui in monaſteriis vivunt, ubinam locum in eccleſia ſint inventuri.

Tertiò neque doctrina, quam profitentur monachi, Deo grata eſſe poteſt. Non enim ab Apoſtolis aut ipſo Chriſto, ſed à *Dominico*, *Franciſco*, *Benedicto*, aut aliis hujus farinæ, præſcripta eſt, nec à Chriſto mandata, ſed hominum ſuperſtitioſas ut plurimum & ineptas cogitationes & regulas continet: ut nihil de Antichriſtianis impietatibus plurimis dicam. Vera autem doctrina innititur fundamento ſcripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ *Epheſ. 2. verſ. 20.* & ut *Ambroſius* ſcribit. *lib. 1. de pœnitent. cap. 4. Deus non alienis aſſertionibus, ſed ſuis æſtimandus eſt vocibus: & nos ex ſacris literis tam confidenter loquimur de religioſa & pia fide*, inquit *Athanaſ. contra Arian. orat. 2.*

Denique ſi vitam monachorum inſpicias, etſi magnam præ ſe ferunt ſanctitatem, ita ut ſi faciem, & externum corporis habitum videas, videantur quantivis eſſe pretii, ſed dum intra ſua gurguſtia verſantur, pleriq; non hominum, ſed pecudum vitam vivunt, ita ut proverbiali in verſiculo dicatur:

*Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet*
*infamis monachus, plenaq; fraudis anus.*

Fatentur hoc ipſi candidiores *Pontificii*, *Petrus Cluniacenſis lib. 4. epiſt. ad Archiepiſc. Lugdun.* monachos & monaſteria provinciæ Lugdunenſis, vocat *Synagogam Satanæ*. *Nicolaus Clemangis in lib. de corrupto eccleſiæ ſtatu*, *monachos* ait eſſe *lupos rapaces in veſtimentis ovium, ſatanas in angelos lucis transformatos, ſcribas, Phariſæos, hypocritas, ſepulchra dealbata, monachorumq; monaſteria nihil aliud eſſe, quàm Veneris excranda proſtibula, & virginem velare nihil aliud eſſe, quam publicè eam ad ſcortandum exponere.* *Catharina Senenſis in onere eccleſ. citata cap. 22. ait religioſi collocati ſunt in religione velut angeli, ſed quàm plurimi ſunt angelis deteriores.* Et Palingenius *in Leone cap. 10.* monachorum mores eleganter depinxit his verſiculis:

*Sed tua præcipuè non intret limina quiſquam*
*frater, vel monachus, vel quavis lege ſacerdos,*
*hos fuge. Peſtis enim nulla hac immanior, hi ſunt*
*fæx hominum, fons ſtultitiæ, ſentina malorum,*
*agnorum ſub pelle lupi, mercede colentes,*
*non pietate, Deum, falſa ſub imagine recti*
*decipiunt ſtolidos, ac religionis in umbra*
*mille actus vetitos, & mille piacula condunt,*
*raptores, mœchi, ac puerorum corruptores,*
*luxuriæ atq; gulæ famuli.*

Qui ergò conſcientiam ſuam habere vult immaculatam, & in ſtatione

tione sanctâ Deo ritè servire deside-rat, is vitam fugiat monasticam, operam potiùs det, ut ista taurorum pe-tulcorum stabula, & omnis impietatis latibula diruantur, vel ad meliorem usum transferantur: id quod magno cum ecclesiæ bono futurum esse arbitror.

## CASUS VIII.

### *Num virgines religioni Evangelicæ addictæ bona cum conscientia in cœnobiis reformatis vivere, habituque monastico uti possunt?*

RESP. Quemadmodum collegia Canonicorum, ita & monasteria fuêre olim seminaria pietatis & virtutum, in quibus erudiebatur juventus, ut essent semper viri idonei ad officia publica in ecclesia.

*Cœnobia primitivæ ecclesiæ laudedignissima.*

Ad exemplum virorum habebant etiam virgines loca solitaria seu monasteria, in quibus extra conjugium vivebant, continentes quantum poterant. Nam *Cyprian. l.1. epist.* 11. scribit, fuisse suo tempore inter Christianos virgines Deo dicatas, quæ continentiam præstare voluerint, nec tamen omnes potuerint.

*Quales olim fuerint nonnæ.*

Hæ virgines Deo dicatæ erant & vocabantur sacræ, sanctimoniales, monachæ, nonnæ, quales fuerunt *Cæcilia, Agnes*, &c. Et hæ ob donum continentiæ & vitæ sanctimoniam etiam piis *Imperatoribus* fuerunt caræ, qui disciplinam earum approbarunt, & religionis ergò contuberniū eorū audierunt: quod de *Constantino Magno* refert *Euseb. lib.* 4. *de vita ejus*, & *de Helena Constantini* matre *Theodoretus lib.* 1. *cap.* 18.

Et hoc institutum viguit primùm in *Ægypto*, postea etiam translatum fuit in *Italiam*: nam *Ambrosius lib.* 1. *de virginibus ad Marcellinam* mentionem facit *Mauritianarum* puellarum, quas ipse *Mediolani* velarit.

Romę prima fuit *Marcella*, nobilissima vidua, quæ nomen *Ionathæ, Romanis* aliàs invisum, profiteri ausa fuit, tandemque plures alias allexit, tum matronas, tum virgines, cumprimis autem *Sophroniam, Principiam, Demethriadem, Paulam* ac *Eustochium*, referente *Erasmo in vita Hieronymi*.

Fecerunt hoc absque voto perpetui cœlibatus spontè, ac liberè, à nemine coactæ, neque ex superstitione aliqua aut opinione meriti, sed ex pio zelo & ardenti desiderio regni cœlorum.

Ante *Constantini Magni* tempora & paulò post, non includebantur monasteriis, quæ tunc nondum extructa erant: sed si quæ Deo se consecraverant, apud suos manebant parentes aut cognatos, aut aliàs solæ habitabant adscitis unâ vel alterâ ejusdem sui propositi sociâ, in publicum non prodibant, nisi ad conventus sacros in templo, sed rarò & pudicè, nuptiis aut conviviis lascivis non intererant: hoc enim in eis reprehendit

hendit *Cyprianus in lib. de habitu virginum.*

Quod autem apud ſuos privatim vixerint, conſtat ex libro *Athanaſii de virginitate* : ubi virginem hujuſmodi alloquitur : *ſi ſanctus venerit in domum tuam, cum metu & timore occurre illi*: & *ſi vir juſtus ingrediatur in domum tuam, ſic illum excipe, ut filiũ Dei, & procumbes ad pedes illius in terra* Similia habet *Hieronymus in epiſt. ad Euſtoch. & Auguſtin. epiſt.* 109.

*Monaſteria quando cœperint?*

Circa annum Chriſti 700. ædificari cœpta ſunt monaſteria frequentiùs quàm anteà, quibus ſacræ virgines includebantur, & à viris quàm remotiſſimè habitabant : ad eas etiam nullus erat acceſſus, non modò juvenibus, ſed ne ipſis quidem probatiſſimis ſenibus, niſi ad veſtibulum uſque, neceſſaria quibus indigebant, præbendi gratiâ, ut videre eſt apud *Auguſtinum, lib.* 1. *de Catholic. eccleſ. moribus cap* 31.

*Tempore Cypriani licebat egredi monialibus ex cœnobiis, & nuptias contrahere.*

Exinde tamen egredi ipſis licebat ex conſtitutione *Marcelli*, ut habetur in *jure Gratiani diſtinct.* 20. *qu.* 1. *c egreſſa.*

Nuptias contrahere poterant, ita enim ſcribit *Cyprianus lib.* 1. *epiſt.* 11. *ad Pomponium de virginibus ſacris : quod ſi ſeſe ex fide Chriſto dicaverunt, pudicè & caſtè, ſine ulla fabula perſeverent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis exſpectent Sin autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt ut nubant, quàm in ignem delitiis ſuis cadant.*

*Retinebant veſtes conſuetas.*

Monaſteria ingreſſæ non velaminis impoſitione, aliiſvè ceremoniis & preculis ſive benedictionibus conſecrabantur, ut poſtea ſub *Papatu* factum, ante tempora verò *Cypriani* nondum in uſu fuit, ſed ſuæ ipſis relinquebantur veſtes, non quidem conſecratæ, mundæ tamen & honeſtæ. Ita enim *Hieronymus* ſcribit ad *Euſtochium: veſtis tua nec ſit ſatis munda, nec ſordida, nullaq; diverſitate notabilis, ne ad te obviam prætereuntium turba conſiſtat, & digito monſtreris.*

*Opera earũ erant ſacra & domeſtica.*

Opera ſacrarum virginum in monaſteriis erant, certis horis legere & canere Pſalmos ac hymnos, laborare manibus, nere ac in lana & lino operari : ita enim *Hieronymus ad Demetriadem de cuſtodienda virginitate* ſcribit: *præter Pſalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, ſexta, nona ad veſperum, media nocte & manè ſemper eſt exercendum, ſtatue, quot horis ſanctam ſcripturam ediſcere debeas; quanto tempore legere non ad laborem, ſed ad delectationem & inſtructionem animæ. Cumq; hæc finieris ſpacia, & frequenter te ad figenda genua ſolicitudo animæ ſuſcitaverit : habeto lanam ſemper in manibus, vel ſtaminis pollice fila deducito, vel ad torquenda ſubtegmina in alveolis fuſa vertantur: aliarumq; neta aut in globum collige, aut texenda compone. Quæ texta ſunt, inſpice : quæ errata, reprehende; quæ facienda, conſtitue. Si tantis operum varietatibus occupata fueris, nũquam dies tibi longi erunt.* Similia vide apud *Auguſtinum lib.* 1. *cap.* 31. *de moribus cathol. eccl. & epiſt.* 109.

Hæc

Hæc erat ratio monialium in primitiva eccleſiâ.

Progreſſu temporis, cùm religio vera paulatim degeneraret in ſuperſtitionem, virgines ſacræ, quas moniales atque nonnas vocant, intrudebantur in monaſteria ſæpenumero invitæ & admodum juvenculæ, quæ ex κακοζηλίᾳ, hypocriſi, ſuperſtitione, ac vana meriti perſuaſione virginitatem DEO voverunt, quod votum nunquam ſine crimine graviſſimi & tantum non capitalis ſceleris mutare potuerunt, exiſtimantes, hunc cultum eſſe Deo gratiſſimum, ampliſſimas habentem promiſſiones huius & imprimis futuræ vitæ.

*An rectè faciant Pontificij, quod virginibus monialibus capillos præſcindant? Neg.*

Et ad hoc vitæ genus certis inaugurabantur ritibus, quod *conſecrationem* appellabant, ubi inter cæteras ceremonias capilli virginis præſcindebantur, quod expreſsè eſt contra Scripturam & naturam ſexus fœminei; *D. Paulus* enim ſcribit, *1. Corinth.* 11. *omnis mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecorat caput ſuum, nam id unum eſt ac idem, ac ſi raſa eſſet. Nam ſi non velatur mulier, etiam tondeatur: quòd ſi turpe tonderi aut radi, veletur. Romanenſes* ergò dum virgines radunt, turpitudine eos afficiunt ex ore Apoſtoli *Pauli*: ideò in primitiva eccleſia tonſura à virginibus ſacris nunquã requiſita fuit: imò in *Concilio Gangrenſi can.* 17. legitur: *ſi qua mulier propter aliquod magnum, ſicut putat, religionis ſtudium, ſibi tondeat aut amputet comas, quas Deus in memoriam ſubjectionis ei dedit; hæc ceu diſſolvens legem ſive præceptum ſubjectionis & obedientiæ, anathema eſt.*

In *ſynodo Carthaginenſi IV.* ſancitum fuit, ut ſanctimonialis virgo, quum ad conſecrationem ſuo epiſcopo offeratur, in talibus veſtibus producatur, quibus ſemper uſura ſit profeſſioni & ſanctimoniæ aptis, ut habetur *diſtinct.* 23. *c.* 24.

Deinde adducebatur ad altare, ſolenni conventu, accenſiſque candelis, cui tum ſacerdos ante veli impoſitionem dicebat: *aſpice filia, & intuere, & obliviſcere populum tuũ, & domum patris tui, ut concupiſcat Rex decorem tuum*: ad quæ verba ſimul tegebatur velo, tanquam caſtitatis & verecundiæ teſtimonio, & omnis populus acclamabat: *Amen.*

Precatiuncula tum ſuper virginem velatam dicebatur, ex *Ambroſij de virginis inſtitutione cap.* 7.

Accurrebant deniq; ad velatam certatim matronæ nobiles, oſcula ejus petentes.

Et hujuſmodi conſecratio ex decreto *Pij I.* vel ut alij volunt, *Gelaſij I.* fiebat, non niſi in Epiphaniâ, in ſabbatho Paſchæ, & natalitiis Apoſtolorum; quæ conſuetudo etiamnum durat in *Papatu*; ubi tales conſecratæ virgines longè habentur ſanctiores cæteris, tum propter ſanctitatem veli, tum propter votum cœlibatus, ſub quo tamen multæ libidines & infanticidia multa, aliaque muta peccata obvelantur.

Harum virginum labor eſt orare



Digitized by Google

& pſallere, ſed ignotâ ipſis linguâ, hoc eſt, ſine intellectu & affectu, inſtar pſittacorum, quod Scriptura vocat *labiis colere Deum, & ore ei appropinquare, corde interim quàm longiſſimè ab ipſo abſente, Eſa.29,13.*

*An rectè faciant nonna quòd canant Pſalmos ignota ſibi lingua? Neg.*

*Bonifacius I. Papa* circa annum Chriſti 720. permiſit etiam monialibus concionari, *Tecla* quoque ad fluvium *Mogum Kitzingi*, & *Lieba* in *Biſchofsheim* concionatæ ſunt autore *Hedione lib.6.cap.21.* quin eo uſque, uno inconvenienti ſemel dato, progreſſa fuit audacia, ut quædam abbatiſſæ etiam manus imponere, ordinare ſacerdotes, & velare virgines præſumerent, referente *Hoſpiniano de orig.monach.cap.28.f.151.*

*An monialibus licitũ ſit concionari, ordinare ſacerdotes &c. Neg.*

Hauſtum hoc forte fuit à *Baſilio*, qui moniales ſacerdotes appellavit in *libell.de virginit.ſacerdotum autem proprium eſt docere populum, baptiſare, ſacram cœnam adminiſtrare, miniſtros eccleſia ordinare* &c.

Sed hæc expreſsè ſunt cõtra Scripturam, ubi *D.Paulus* vult, *mulierem in ſilentio diſcere, nec in eccleſia docere, ſed ſilere, 1. Corinth.14. verſ.34. & 1. Timoth.2.v.12.* ideò *Carolus Magnus* in ſuis conſtitutionibus epiſcopos graviter monet, ne hoc fieri permittant.

Omitto alios errores, qui in hoc ordine ſacrarum virginum, præſertim prævalente jam *Papatu*, irrepſerunt, quos magnâ diligentiâ collegit & refutavit *Hoſpinianus in cap.* prænominato.

Hinc factum, quòd tempore *Reformationis* unà cum cæteris abominationibus, talis monialium vita fuerit in meliorem ſtatum reducta, relictis monialium contuberniis ſeu monaſteriis, in quibus virgines nobilium, & aliorum, præſertim pauperiorum, filiæ ſub curâ ac inſpectione gravis ac piæ matronæ, quam *Dominã ſeu Abbatiſſam* nominant, & ſub inſtitutione orthodoxi paſtoris in ſincera religione & verâ pietate aluntur.

In tale contubernium ſeu monaſterium aut collegium virginum honeſtorum parentum filiæ abſque peccato ſe conferre poſſunt, certis tamen cum conditionibus (1.) ne contra ſuam voluntatem & invitæ à parentibus aut cognatis eò intrudantur, ut ſæpè in *Papatu* fit, ſed ſponte ac liberè huic contubernio ſe aſſocient.

*In ea virgines ſalva conſcientia ſe conferre poſſunt, ſed certis cõditionibus.*

(2.) Ne exiſtiment, ſe hoc vitæ ſuæ inſtituto longè ſanctiores eſſe aliis, ſed verâ animi humilitate Deo inſerviant; non enim locus ſanctificat hominem, ſed homo locum.

(3.) Multò minùs ex hoc vitæ ſuæ genere faciant meritum aliquod, vel exiſtiment, ſe eo nomine Deo gratiores eſſe aliis, quia apud Deum non eſt *reſpectus perſonarum, ſed in omni populo, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi, Actor.10.v.34.*

(4.) Neque exiſtiment, ſe in clauſtris illis firmam habere ſemper pudicitiæ ſuæ cuſtodiam: nam coacta pudicitia ſæpè eſt periculoſa; unde

unde *Erasmus* scribit *in vita Hieronymi*: *Virgines sacras ab initio, non ut hodie solent, ferreis cancellis seu feras indomitas inclusas fuisse*, quem morem ibi improbat & addit: *dolendum esse huc denique collapsam Christianorum pietatem, ut virginum integritas ferreis claustris & repagulis murorum sit extorquenda, quum ea demum accepta sit religio Christo, non quæ vi extundatur, sed quæ ultrò à volentibus offeratur*.

(5.) Neque votum perpetui cœlibatus præstent, multò minùs continentiæ: ejus enim præstatio non est in ipsorum potestate: ideò per vota non est *injiciendus laqueus teneris conscientiis*, juxta consilium *Pauli* 1. *Corinth.* 7. *vers.* 35. nec præcepit Dominus uspiam virginitatis votum, quia *non omnes capiunt verbum istud Matth.* 19. *v.* 11. & *plerumq; libidinosissimæ sunt, quæ coguntur esse virgines: facillimè semper concipiũt*, inquit *Tertullianus in lib. de virginit.* & *felicissimè pariunt hujusmodi virgines, & quidem simillimos patribus*; & *Ambrosius scribit li.* 1. *de virginit. Sola virginitas suaderi & optari, non imperari potest*.

(6.) Potestas eis detur exeundi & nubendi, hoc enim in primitivâ ecclesiâ usitatum fuisse suprà audivimus, cùm *melius sit nubere, quàm uri* 1. *Cor.* 7. *v.* 9. quam potestatem si non habent, melius est, se tale contubernium non vidisse, quàm cum pollutione corporis ac animi pro sacrâ virgine haberi.

Neque quidquam magis polluit cœnobia *Papistarum*, quàm impurum illud votum cœlibatus, & coacta inclusio, quæ multorum mutorum scelerum occasionem præbuit, de quibus jam olim *Bernhard.* conquestus est *serm. de convers. ad cleric. cap.* 29. & alibi dicit: *tolle de ecclesia honorabile conjugium, & thorum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum?*

(7.) Non putent consecrationem & velaturam esse necessariam, multò minùs singularem quandam sanctimoniam ea in re sitam esse; sed ubi ea consuetudo adhuc è *Papatu* est residua, uti quidem ea possunt, tanquam re indifferẽte, in quâ subita mutatio non esset absq; scandalo. Vbi autem non est usitata, vel si forte intermissa, nemo sibi faciat scrupulum: *nam uti esca, ita & vestis non commendat hominem Deo* 1. *Cor.* 8. *v.* 8. Ab omni autem luxu & pompâ, quæ hoc in genere interdum adhibetur, abstinendum est: ea enim virgines sacras aliàs minimè decet, quæ etiam ab omni specie mali alienæ esse debent.

(8.) Quamdiu in contubernio sunt, abstineant à docendo, aut aliis officij sacri partibus, quas *Paulus* muliebri sexui interdixit: ipsæ autẽ serviant Deo in humilitate Spiritus, orando, psallendo, legendo, audiendo, & meditando verbum: proximo verò laboribus illis, qui muliebris sexus proprij sunt.

His modis ad conſuetudinem primitivæ eccleſiæ quàm proximè accedunt, & vel omnem ſuam vitã vel bonam ejus partem in tali contubernio abſque vulnere conſcientiæ tranſigere poſſunt.

## CASVS IX.

### *An mendicantes ſunt in honeſto vitæ genere, ac propterea in Repub. tolerandi?*

*In V.T mẽdicantes ex Repub. Hebræorum excludebantur.*

RESp. Nemo certè in Republ. tolerandus eſt, qui in honeſto vitæ genere non vivit: ideò leges divinæ mendicantes & meretrices ex Republ. Hebræorum excludunt *Deut.* 4, 15. 13, 17. & otioſis pigriſque ventribus *Paulus* victum denegat 1. *Theſſ.* 3. *v.* 11.

Sic & *conſtitutiones Electorales* vagabundos in territoriis Saxonicis non patiuntur.

*Pauperum ordines duo.*

Quod ergò mendicantes attinet, hi quidem ad pauperes pertinent: ſed duo ſunt ordines pauperum, 1. *verè pauperes*, qui neque habent, unde vivant, neque manibus ſuis victum parare poſſunt, utut velint, quales ſunt orphani, infantes vulgò quæſiti, ſenes ægroti aut attenuati. 2. *mendicantes validi*, qui viribus corporis valent, & ad labores ſatis ſunt apti, licet aliàs in bonis propriis nihil poſſideant.

Qui ad primam claſſem pertinent, hos, licet nemini inſervire poſſint, ex omni tamen ordine hominum excludere non poſſumus, ſed ad ſtatum œconomicum eos referimus, quia pars ſunt eorum, quos paterfamilias alere debet, juxta illud Chriſti: *pauperes ſemper vobiſcum habetis Matth.* 6. *verſ.* 11. Ad horum autem ſuſtentationem quilibet operam ſuam conferre debet: magiſtratus officium eſt erigere noſocomia, ptochotrophia, orphanotrophia, gerontocomia, xenodochia, in quibus tales alerentur: ſubditorum eſſet collectas inſtituere de ſuo peculio, ut ſemper ſint in promtu ſumtus ſufficientes ad alendos hujuſmodi mendicos, ne cogantur oſtiatim panem quærere, & clamoribus ſuis aliis moleſti eſſe.

*Officiũ magiſtratus & ſubditorũ in proſpiciendo pauperibus.*

Eam ob cauſam prohibuit Deus, *ne ſit in populo ſuo mendicus Deut.* 15. *verſ.* 4. aliâ enim ratione proſpicere pauperibus debebant: in quem finem *Iojada* ſacerdos ærarium eccleſiæ erexit, in quo colligerentur contributiones populi, in conſervationem templi & ſuſtentationem pauperum 2. *Reg.* 12. *v.* 9. *& Apoſtolus Paulus* in uſum pauperum ſingulis ſabbathis eleemoſynam colligi præcepit 1. *Cor.* 16, 2.

*Collectæ pro pauperibus in primitiva eccleſia.*

Ad hoc exemplum eccleſiæ Apoſtolicæ, poſtea alij collectas pro pauperibus inſtituerunt, quemadmodum *Tertullianus* de conſuetudine ſuorum temporum ſcribit: *modicam unusquisque ſtipem menſtrua die, vel cùm velit, & ſi modò velit & ſi modo poſſit,*

*poſſit, apponit, nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis, humãdisq́; & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis, jamq́; domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis, duntaxat ex cauſa Dei facti alumni cõfeſſionis ſuæ, fiant* &c.

Idem uſitatum fuit tempore *Origenis & Chryſoſtomi*, ut conſtat *ex homil.* 16. *Origenis in Matthæum, & ex Chryſoſt. homil.* 37. *ad populum Antiochenum.*

De *Attico epiſcopo Conſtantinopolitano* ſcribit *Socrates lib.* 7. *hiſt. eccleſ. cap.* 25. quòd *Calliopio Nicæorum* eccleſiæ presbytero 300. aureos miſit inter pauperes diſpenſandos, eos nimirum pauperes, qui mendicare erubeſcunt, non qui per vitam ſuam, ut ventri conſulant, quæſtum ſectantur.

*Ethnici nõ tolerarunt mendicantes.*

Ethnici quoque non quidem tolerarunt in civitate ſua mendicantes, ſicuti notum eſt ex lege *Platonis li.* 11. *de legibus: nemo in civitate noſtra mendicus eſto*: ut tamen ſumtu publico pauperes alantur, conſultum judicarunt.

Extat etiam *Caroli Magni* conſtitutio, in quâ mendicis palantibus vetuit quidquam tribui: ſuos quãque regionem inopes alere, ſanos validos labore victum quæritare ac deſiderio ſufficere manus juſſit, referente *Camerario part.* 1. *horar. ſucciſ. c.* 17.

Noſter denique *Lutherus* in *ſermone de uſuris* conſulit, ut cujuslibet civitatis pauperes à civibus illius civitatis alantur, nec mendicatio publica permittatur. Ea enim opprobrium Chriſtianorum eſt, indiciumque non ſpernendum, quòd ſtudium charitatis ergà verè pauperes refrixerit, ad quod exercendum admonemur, quoties clamores iſti mendicorum in plateis audiuntur. Et hæc de priore claſſe pauperum.

*Validi mẽdicantes nõ vivunt in honeſto vitæ genere.*

In altera claſſe ſunt *validi mendicantes*, qui hinc inde vagantur & aberrant, morbos & infirmitates corporis alias ſimulant, interim latente potiſſimùm morbo, quem pigritiam appellant, laborantes. Hos in legitimo vitæ genere vivere pernegamus. Neque enim Deus hunc ordinem hominum inſtituit, neque opera ipſorum ei placent, neque etiam vel Deo vel proximo inſerviunt, ſed potiùs plurimùm nocent: quod verè pauperum eſt, ipſi intercipiunt, & voluntariæ paupertati adſueti, in furta & latrocinia facilè incidunt.

Idcircò olim ut putrida membra è Republ. eiiciebantur, leproſis & cadaveribus mortuorum, (quæ itidem non tolerabantur) æquiparati. Et *Plato* dixit *l.* 8. *de Republ. in ea civitate in quâ videas mendicos, ibidem eſſe fures, latebras quæritantes, ſectores, ſacrilegos & hujuſmodi ſcelerum artifices.*

Compeſcendi igitur ſunt ignavi ventres, qui mendicare non erubeſcunt,

beſcunt, & ut vel laborent, vel è civitate exeant, cogendi. Nihil enim turpius, nihil magis ſuſpectum eſt, quàm cum ſatis virium habeas ad labores, tamen mendicare.

Quâ de re graviſſimam habemus adhortationem in *Sirac.c.40.v.29. fili in tempore vitæ tuæ non mendices, mors enim melior eſt, quàm mẽdicatio. Viri menſam alienam reſpicientis vita pro vita non eſt reputanda, alit enim animam ſuam cibis alienis.*

Viderint itaque monachi mendicantes, quomodo vel Deo vel hominibus placere, ſuamque conſcientiam tranquillare poſſint. Nam & à Dei inſtituto, & à moribus priſcorum monachorum recedunt, qui ut *Epiphanius* ſcribit in *compend. doctr. catechet. artes tenues ſibi ipſis excogitaverunt, ne otioſam vitam degant aut panem gravatum edant.*

*Auguſt.* quoque *de opere monach. cap.*17. ſcribit: *non licere monacho ex alieno vivere, licet aſſiduus ſit in orationibus & contemplationibus.* Sed de hac re alibi.

## CASVS X.

### *Suntnè in legitimo vitæ genere, qui artes tractant ludicras, ſcurriles & ridiculas, aut inſtrumenta luſuum, ut aleas aut chartas luſorias faciunt?*

*De funambulis & præſtigiatoribus.*

RESP. Artes ludicras tractant funambuli & præſtigiatores, qui neſcio quâ agilitate corporis aut etiam oculorum faſcino victum quærunt, qui an in tali vitæ genere vivant, quod Deo placeat, vehementer dubito.

Neque enim ad aliquam ex dictis hierarchiis referri poſſunt, neque artibus iſtis cuiquam proſunt, ſed potiùs ab honeſtis laboribus alios avocant ad otium; ipſique otio plus ſunt dediti quàm laboribus, ſiquidẽ artes illorum labore nullo vel ſaltem inutili conſtant: ideò in Rempub. benè conſtitutam non facilè recipiuntur, ſed ut ardeliones hinc inde vagantur, in exemplum juventutis, ut melius & utilius aliquid diſcant. Vult enim *Paulus*, ut *quilibet* Chriſtianorum *laboret manibus ſuis τὸ ἀγαθὸν, quod bonum eſt,* h.e. quod Deo gratum & proximo utile *Eph.*4.28. &, *ut ſectentur τὰ σεμνά, quæ veneratione digna, & quæ habent in ſe aliqua gravitatem atq; reverentiam Phil.*4,8. quo nomine exigit *Paulus*, ut Chriſtiani non ſectentur artes ridiculas, jocularias, ſcurriles *ματαιοτεχνίας*, qualis ars illius, qui grana ciceris ex ſpacio diſtante milla in acum continuè & ſine fruſtratione inferebat, quem, cum ſpectaſſet *Alexander*, donaſſe dicitur eiuſdem leguminis modio: quod quidem præmium fuit illo opere digniſſimum. Hæ enim artes nullam habent venerationem, nullam gravitatem & indignæ ſunt artis nomine.

*Quare exigit Paulus, ut Chriſtianus ab his*

*ab his artibus caveat, & ſectetur honeſta, ſive illa opificia Reipub. utilia ac neceſſaria, ſive alias honeſtas vocationes: quæ ſunt verba Brentij in cap. 4. ad Philippenſes.*

Quod illos attinet, qui aleas & chartas luſorias faciunt, de ipſis ex indole aleatorum, & eorum, qui chartis ludunt, judicium fieri poteſt.

*Quid de uſu aleæ & chartarum ſentiendū.* Hujusmodi ludus fit interdum & quidem maxima ex parte *lucri cauſa*, cumque hac ratione pecunia, quæ meliùs collocari poſſet, caſui exponatur, tempus inutiliter teratur, patrimonium interdum abſumatur, convitiis & blaſphemiis, rixis & pugnis occaſio præbeatu, hinc factum eſt, quòd aleatores tàm malè audiant in legibus civilibus & *S. Patrum ſcriptis.*

In *ff. de aleator.* prætor negat jus aleatori à ſocio injuriâ affecto, quod raptori aut invaſori concedit quávis indigno.

*Imperator Iuſtinianus in authenticis tit. de Sacroſanctis epiſcopis §. interdicimus*, nominatim prohibet, ne epiſcop⁹, presbyter aut diaconus vel ipſi ludant vel adſpiciant ludentes. Sin verò ſecus fecerint, mandat, ut in monaſterium ad tres annos detrudantur.

*In canonibus Apoſtolorum can.* 41. & 42. legitur, & citatur in *jure canonico diſt. 35. cap. epiſcopus: epiſcopus aut presbyter, aut diaconus aleæ atq; ebrietati deſerviens aut deſinat, aut certè damnetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor ſimilia faciens aut deſinat, aut communione privetur.*

*Chryſoſt. homil. 6. in Matthæum* ſcribit, *non Deum inveniſſe ludum ſed Diabolum*: alludés fortaſſe ad illud, quod *Plato* ſcripſit in *Phædro, Theut dæmonium Ægyptiorum, numerum, geometriam, aſtrologiam, literas & aleas inveniſſe.*

Sed cùm abſque ſpe lucri, animi ſaltem causâ luditur, non eſt peccatum, *ſapientis enim eſſe*, ſcribit *Auguſtinus l. 2. de Muſica, interdum animum à ſeriis rebus revocare*, quod maximè fit ludo. Ideò veteres, concedebant familiæ, ut inter ſe luderent de eo, quod poſtea in convivio comedebatur: & antiquitùs permittebatur militibus extra operas ludere aleâ, & *Plato* vitam hominum ſimilem ludo teſſerarum pronunciavit: Quemadmodum enim in teſſeris; ita etiam in vita, ſi quid minùs aptè cecidit, id arte corrigendum eſt.

Cùm ergò ludus aleæ aut chartarum animi gratiâ fit, nec damnum affert, nec tempus utilioribus deſtinatum aufert, ſed vires reficit, & cum honeſtate conjunctus eſt, culpari non debet: quo nomine neque eos, qui aleas aut chartas luſorias faciunt, ex honeſto vitæ genere excludimus, præſertim cùm non tantùm iſtis, ſed & aliis rebus utilioribus induſtriam ſuam impendant: ſi quis verò acceſſerit abuſus, is non arti, ſed vitio hominum eſt imputandus.

CAPUT

## CAPUT V.

## *De Caſibus conſcientiæ circa vocationem ad miniſterium verbi.*

### PROOEMIUM.

HActenus in genere de ſtatibus ac conditionibus hominum egimus, jam ad ea accedimus, quæ circa unum quodvis vitæ genus divinitùs inſtitutum in ſpecie conſideranda ſunt.

*Hierarchia eccleſiaſtica dignitas* Præcipua autem vitæ humanæ conditio eſt hierarchia eccleſiaſtica, ſeu miniſterium verbi, quod Chriſtus ipſe inſtituit *Matth.* 28. *Ioh.* *Inſtitutio,* 20. ſuoque exemplo ſanctificavit *Eſa.* 61. v. 1, 2. & ordinarium medium eſſe voluit, per quod in nobis operetur regenerationem, fidem & *Utilitas,* ſalutem æternam: unde etiam *miniſterium ſpiritus* appellatur 2.*Cor.* 3,8. quia Spiritus S. per illud efficax in nobis eſſe ſolet.

*Neceſſitas.* Ejus tanta eſt neceſſitas, ut mundus citiùs ſuo Sole, quàm eccleſia miniſterio verbi carere poſſit: neque tamen abſoluta eſt neceſſitas, quaſi Deus non alio modo hominum ſalutem promovere queat, ſed ſecundum Dei voluntatem conditionata. Nam quemadmodum Deus ordinario modo per cibum vulgarem hominum famem ſedat *Pſal.* 104. *verſ.* 15. & tamen aliquando etiam abſque tali cibo hoc fecit, ut in deſerto, non tantùm populum ſuum totis 40. annis manna pavit cœlitus, ſed & *Moſen & Eliam* in ſpecie abſque cibo ſuſtentavit *Exod.* 24. *v.* 18. 1. *Reg.* 19. *v.* 8. ita etiam ordinariè per miniſterium verbi nobiſcum agit in rebus ſalutis, & tamen Prophetas abſque verbo illuminavit, latronem in cruce abſque miniſterio convertit.

Multa autem circa miniſterium verbi occurrunt dubia, quæ partim perſonas ipſas docentium, partim vocationem, partim officium, dona, qualitates, virtutes & vitia ipſorum concernunt; de quibus hoc in loco breviores erimus, quia pleraque in *locis communibus Dr. D. Gerhardi tom.* 6. *& in volum. part.* 3. *conſil. Theolog. M. Georgij Dedekenni*, ut & in *Appendice* collecta & enucleata ſũt; ſuprà etiam nonnulla hujus generis habuimus *l.* 2. *c.* 6. inprimis autem in *libello de inſtitutione* miniſtrorum verbi tractavimus.

Vt tamen diſtinctè agamus de diſtinctis, initium jam facimus à miniſtrorum vocatione, explicaturi bono cum Deo præcipua, quæ circa eam in dubium vocantur.

***

CASVS

## CASUS I.

*Poteſtne aliquis non vocatus, ad docendum tamen aptus, in eccleſiâ aliqua, deficientibus aliis doctoribus, munus docendi ſibi bona cum conſcientia ſumere?*

*Dubitatio proponitur ſumta ab extremo neceſſitatis caſu.*

Reſp. Fieri poteſt, ut eccleſia aliqua particularis vel per bella, aut alium caſum omnibus ſuis orbetur miniſtris, ubi nec aliorum, qui legitimè vocentur, copia haberi, neq; eccleſia diutiùs doctoribus carere poteſt, ibi caſus quidam neceſſitatis eſſe videtur, qui non habet legem: ac proinde excuſationem fortè merebitur, ſi quis ex medio cœtu prodeat, qui populum doceat, infantes baptiſet, S. cœnam adminiſtret, ægrotos viſitet, novellos conjuges copulet, aut alias miniſterii partes exſequatur.

*Quæſtio negativè deciditur.*

Sed qui de vocatione miniſtrorũ rectè inſtructus eſt, in eam ſententiã non facilè ibit. *Nemo enim ſibi ipſi ſumit hunc honorem, niſi qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron Hebr. 5. verſ. 4.* Deus ipſe repudiat *non miſſos, ut pſeudoprophetas, qui currunt, antequam mittantur Ierem 23:21. Paulus* quoque docet neminem abſq; vocatione prædicare poſſe, *quomodo prædicabunt*, inquit, *ſi non miſſi fuerint? Rom. 10 verſ. 14.* & de pſeudoprophetis ſeu falſis doctoribus dicit *Chriſtus, quod ad nos veniant Matt. 7.* ſcilicet non vocati.

Indignum prorſus eſt munere tàm ſancto, irruere in domum Dei non vocatum, cùm hoc quiſpiam ne in privati cujusdam ædibus audeat.

Neq; legationis onera quiſpiam ſibi ſumit non miſſus à principe: multò minus miniſterium eccleſiæ, in quo doctores legatione funguntur pro Chriſto, aliquis ſibi ſumere auſit.

Legitima inſuper vocatiò magnũ eſt ſolatium iis, qui in functione muneris ſui periclitantur: nam qui vocavit, etiam neceſſaria donabit; & ex periculis, in quæ quis in vocatione ſua incidit, liberabit: quod ſolatium illi, qui ſeipſos intruſerunt, non habent.

Multum inſuper refert, ut ſciat populus, quem habeat ordinarium doctorem, & à quo is ſit vocatus, *cùm cuilibet ſpiritui credere non debeat,* juxta monitum *D. Iohannis 1. Ioh. 4. v. 1.*

Hanc ob cauſam, nemo abſq; vocatione miniſterium publicum ſuſcipere debet: neque enim unquam tranquillam habere poteſt conſcientiam, an labor ille ſuus Deo placeat, neq; in adverſis ſe erigere poteſt aut alios, cùm ſciat hoc ſibi non eſſe commendatum.

Curet ergò ſe vocari, ut habeat verum fundamentum ſuorum la-

borum, aut docere desinat. In quam sententiam *Lutherus* scribit *tom. 2. Ienens. Germ. fol.* 233. Wenn einer ist/ da Christen sind / die gleiche Macht vnd Recht haben/ da soll er sich selber nicht herfür thun / sondern sich beruffen vnd herfür ziehen lassen / daß er an stat vnd befehl anderer predige vnd lehre.

Si hoc fieri non potest, satius est in isto ministrorum defectu, vel vicino contentum esse ministerio, vel ad mutos accedere doctores, hoc est, utilibus uti libris, baptismum infantum, sacramentum altaris, copulationem conjugum apud vicinos quærere, donec Deus ecclesiæ suæ misertus ei iterum de idoneis ministris prospiciat.

Interim ex illo ordinarii ministerii defectu colligat, quantus sit thesaurus ecclesiæ, pios habere doctores, quos dum habemus, debitâ obedientiâ prosequamur, ne illud ex *proverbiis Salomonis* in nobis impleatur: *malum, malum dicit omnis emtor, & cùm amiserit, tum demum prædicat Prov. 20. v. 14.*

Objectio solvitur. Objici hîc posset, quod *Lutherus* pluribus in locis, ut *in lib. de abusu Missæ, de instit. ministr. eccl. de captiv. Babylon. &c.* docet, vocationem non esse necessariam, posse unumquemque absque vocatione docere.

Sed *Lutherus* in omnibus istis locis non loquitur de publico ministerio, cum ecclesia est constituta extra casum necessitatis, tunc enim semper legitimam vocationem urget, uti inprimis constat *ex lib. germ. quod ecclesia habeat potestatem vocandi ministros*; sed de jure communi omniũ Christianorum. Nam cùm Papa & episcopi jus vocandi ecclesiæ ministros, nullo jure ad se rapuissent, sacerdotio *Papali* opponit *Lutherus* jus commune omnium Christianorum, quos *Petrus* vocat *regale sacerdotium ad annunciandum virtutes ejus, qui vocavit eos 1. Pet. 2.*

Hanc autem potestatem annunciandi Evangelium publicè exercent non omnes promiscuè, sed per certas personas ad ministerium legitimè vocatas.

Quo pacto sententiam suam ipse *Lutherus explicat*, in lib. de *instituẽd. eccl. ministris, tom. 2. lat. Ienens. fol.* 553. *hæc communio juris cogit, inquit, ut unus, aut quotquot placuerint eligantur & acceptentur, qui vice & nomine omnium, qui idem juris habent, exequantur officia ista publicè, ne turpis sit confusio in populo DEI, & Babylon quædam fiat in ecclesiâ, sed omnia secundum ordinem fiant, ut Apostolus docuit. Aliud enim est jus publicè exequi, aliud jure in necessitate uti: publicè exequi non licet, nisi consensu universitatis seu ecclesiæ, in necessitate utatur, quicunq; voluerit.* Vide similia in *Psal. 82. tom. 5. Ien. Germ. fol. 157. seqq.*

* * *

CASUS

## CASUS II.

*Quid juris, ſi Chriſtianorum aliqui viverent inter barbaros, & miniſterio verbi carere non poſſent, neque in vicinia ordinariorum miniſtrorum copiam haberent: numquid uni ex illis abſque vocatione docere liceret?*

REſp. *Lutherus* reſpondet in *lib. priùs allegato de poteſt. eccleſ. vocandi miniſtr. tom. 2. Ienenſ. germ. fol. 233. a: cùm quis eo in loco eſt, ubi non ſunt Chriſtiani,* inquit, *non eſt opus aliâ vocatione, quàm quòd Chriſtianus eſt, intus à Deo vocatus & unctus, debitor igitur eſt, errantibus gentilibus & infidelibus prædicare Evangelium, ex debito & caritate fraternâ, etiam ex debito & caritate fraternâ, etiam a nullo hominum vocatus. Ita fecit Stephanus Actor. 6. & 7. cui non erat poteſtas data docendi, & tamen docuit, & miracula magna in populo edidit: ſimiliter fecit Philippus Stephani in Diaconatu ſymmiſta, cui itidem docendi munus non erat commiſſum Actor. 8. & Apollo Actor. 18. Eo enim in caſu Chriſtianus ex fraternâ caritate neceſſitatem perditarũ animarũ conſiderat, neq; exſpectat, donec ipſi per literas vocationis hoc munus docendi ab epiſcopo aut principe aliquo commendetur. Neceſſitas enim frangit legem, & non habet legem, & caritas juvare debet, deficientibus aliis, qui juvarent.* Hæc *Lutherus*: quam doctrinam confirmant exempla primitivæ eccleſiæ.

Nam apud *Theodoretum l. 1. hiſtor. eccleſ. cap. 23.* captiva quædam mulier *Iberis* fidem Chriſti prædicavit, ad quam reginam priùs, poſtea etiam regem ipſum convertit.

De hac muliere dicere poſſumus, quòd evangelizarit ſine cathedrâ, id quod de *Stephano & Philippo* dixit *Ambroſ.* aut quisquis autor eſt *commentar. in epiſtolam ad Epheſ. 4.*

Idem autor diſtinguit inter *eccleſiam recens plantatam, & jam plene conſtitutam*: in illâ quemvis Chriſtianorum docere & baptiſare potuiſſe ſcribit, abſque vocatione; in hac non niſi eos, qui vocati ſunt & ordinati. Verba ejus hæc ſunt: *poſtquam omnibus locis eccleſiæ ſunt conſtituta & officia ordinata, aliter compoſita res eſt, quã cœperat; primũ enim omnes baptiſabant, quibuscumq; diebus vel temporibus fuiſſet occaſio. Non enim Philippus tempus quæſivit aut diẽ, quo Eunuchum baptiſaret, neq; jejunium interpoſuit. Neq; Paulus & Saulus (Act. 16. v. 33.) tempus diſtulerunt, quo cuſtodẽ carceris baptiſarent, cũ omnibus ejus. Neq; Petrus Diaconos habuit, aut diẽ quæſivit, quando Corneliũ cũ omni domo ejus baptiſavit, nec ipſe, ſed juſſit fratribus, qui cum illo ierant ad Corelium à Ioppe. Adhuc enim præter ſeptem diaconos nullus fuerat ordinatus.*

*Diſtinctio inter eccleſiam recens plantatã, & jam planè conſtitutam applicatur.*

*natus. Ut ergò cresceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, & evangelizare, & baptizare, & scripturas in ecclesiâ explanare. At ubi ante omnia loca circumplexa est ecclesia, conventicula constituta sunt, & rectores & cætera officia in ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sibi creditum vel concessum non sciret, & cœpit alio ordine & providentiâ gubernari ecclesia, quia si omnes eadem possent, irrationabile esset & vulgaris res & vilissima videretur. Hinc ergò est unde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici vel laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur, nisi ægri, &c.*

## CASUS III.

### *Cum ergò in ecclesia constituta nemo ordinariè in ministerio vivere possit, sine vocatione legitima, quæritur: undè quis scire poßit, an legitime sit vocatus?*

*Vocatio legitima duplex.*

RESP. Vocatio legitima duplex est, quædam *immediata*; quædam *mediata*.

*Immediata* fit absolute à DEO sine adminiculo hominum, seu ut *Paulus* loquitur, *neq; ab hominibus, neque per homines, Galat.* 1. *vers.* 1. & qui ita vocantur, etiam à Deo instituuntur immediatè absque libris aut literis, qualis fuit vocatio Prophetarum & Apostolorum: hodie non facilè ejus exemplum reperitur.

*Mediata* est quidem à DEO, sed mediantibus hominibus, ideò episcopis *Ephesinis* ab ecclesiâ certè vocatis dicit Apostolus *Paulus*: *Spiritum S. constituisse ipsos episcopos Act.* 20, 28.

Hoc jus vocandi in Papatu solis conceditur episcopis, excluso Magistratus & populi consensu; nisi quòd per lusum & jocum duntaxat populi judicium de dignitate vocandi requiritur. Nam suffraganeus intra fores templi stat & clamat: *utrum dignus sit & justus, qui eligatur & confirmetur?* & stat quidam in angulo, qui loco populi respondet: *dignus & justus est.*

*Electio & vocatio toti competit ecclesiæ, non solis episcopis, uti Pontificii volunt.*

Sed hoc neminem de vocatione legitimâ certum reddere potest: nam vocatio ministrorum est totius ecclesiæ, juxta illud: *omnia vestra sunt* 1. *Corinth.* 3. *vers.* 21. & Christus claves toti dedit ecclesiæ *Matth.* 18. *vers.* 9. ergò & electio & vocatio toti ecclesiæ competit.

Ideò *Leo Papa* rectè dixit *epist.* 85. *qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.*

*Ecclesia constat tribus ordinibus; sacro, politico, & plebeio.*

Ecclesia autem constat tribus ordinibus, *sacro, politico, & plebeio*: hi omnes in vocationem alicujus ministri consentire debent, si vocatio est legitima.

Ad *sacrum ordinem* pertinent ministri ecclesiæ, quorum est examinare

nare doctrinam & mores vocandi, perſonamque idoneam & eccleſiæ utilem eligere: *ad politicum* ſpectat magiſtratus, ſeu eccleſiæ patronus, cujus eſt denominare paſtorem, & requirere conſenſum miniſtrorum eccleſiæ & auditorum, ne quis detur invitis. Si quis fortè ex ordinibus juſtas habeat cauſas recuſandi perſonam denominatam, eligatur altera: ſi cauſæ non ſunt juſtæ, ſed ex maligno quodam affectu ortæ, erudiendi ſunt contradicentes, & quomodo in judicio ſuo errent, placidè ſignificandum: ſi nolint cedere, committatur res conſiſtorio: ad *plebem* ſpectant inprimis ſeniores populi, qui vocandum audiant pro concione, in vitam & mores ejus inquirant, ſi omnia ſunt juſta, humiliter ſe ſubmittant judicio miniſtrorum & patronorum eccleſiæ.

Hic mos vocandi miniſtros in eccleſiâ Apoſtolorum uſitatus fuit: ubi magiſtratum quidem in conſilium vocare non poterant, quia is nondum erat Chriſtianus: populum tamen non excluſerunt, ut colligitur ex vocatione *Matthiæ ad Apoſtolatum Act.* 1.15,16. ex electione legatorum *Synod. Hieroſolymitanæ Act.* 15.22.

Approbarunt eum *S. Patres*: Nam vetus canon eſt *Stephani epiſcopi Romani*, qui circa tempora *Cypriani* vixit anno 250: *ſacerdotum eſt electio populi* [illegible] *eſt humiliter conſentire*: & ex *epiſt. Leonis epiſt.* 87. allegantur hæc verba in *jure Canon: diſt.* 63. *cap. vota civium: teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus ſacerdotum exſpectantur.*

De plebe inprimis *Cyprianus* ſcribit *lib.* 1. *epiſt.* 3. *plebem habere maximam poteſtatem, vel eligendi divinos ſacerdotes, vel indignos recuſandi: idq; divini juris eſſe*, probat ex eo, quod ſacerdos olim plebe præſente, ſub omnium oculis fuerit electus, & poſtea lege cautum fuit, *ne quis populo daretur invitus*, ut *Tertullian.* ſcribit *in apolog. c.* 39. & allegatur *in jure Canonico, diſt.* 3. *c. noſſe.*

Ita *Socrates lib.* 1. *cap.* 9. ſcribit, *in Synodo Nicenâ* cautum eſſe, *ut in loca defunctorum ſuccedant epiſcopi modò digni appareant, & populus eligat.*

Inprimis autem magiſtratus habet jus vocandi, partim, quia pars eccleſiæ eſt, partim, quia nutritius eccleſiæ eſt, ad cujus officium pertinet, eccleſiæ idoneos præficere doctores, ut puritas doctrinæ in populo conſervetur, & errores vitentur. Ita in jure quoque *Canonico diſt.* 63. *cap. in Synodo & cap. cùm longè*, permittitur regibus, ut ipſi eligant epiſcoporum ſucceſſores, & ne paſtor ab eccleſiaſticis perſonis ordinatus officio ſuo interea fungi poſſit, donec ipſe quoque rex ordinationi illi conſentiat.

Sic *Ambroſius* communi omnium ſuffragio, & ipſius *Imperatoris* voluntate ac conſenſu in epiſcopum *Mediolanenſem* in locū *Auxentii* e-

lectus fuit, referente *Socrate libr.* 4. *hist. eccl. c.* 25.

Idem de *Petro Athanasii* successore in episcopatu *Alexandrino* refert *Theodoretus lib.* 4. *hist. eccl. c.* 10. & *Niceph. lib.* 11. *c.* 26.

Quicunque ergò tranquillâ frui cupit conscientiâ in ministerio, ante omnia caveat, ne intret in ecclesiam, ut fur aut latro, neque insinuet se per dona, nec per partis potentioris vim se intrudat: sed ut omnium ordinum ecclesiæ legitimum consensum adquirat, videat: ita legitimâ vocatione tanquam clypeo contra omnia adversitatum tela se tueri potest.

## CASUS IV.

### *Num vocatio ministri Lutherani est legitima, quæ fit à patrono Pontificio?*

RESP. Fit quibusdam in locis, ubi ecclesia reformata quidem est ab abominationibus *Papisticis*, sed ipso patrono adhuc in fecibus istis hærente, qui tamen ministros ecclesiæ reformatæ dat evangelicos.

Qui à tali patrono vocati sunt, de vocatione legitimâ dubitare non debent, modò in doctrinâ & ceremoniis, ad nutum patroni, nihil immutetur, & ipsi in examine orthodoxi ac in verbo Dei rectè fundati inveniantur, & deniq; reliquorum etiam ordinum, ecclesiæ consensum habeant. Nam in tali casu non tam ad personam patroni aut ejus confessionem, quàm ad potestatem ecclesiæ, cujus est vocare ministros, respiciendum est.

Ita sub initium N. T. sacerdotes populi Judaici vocabantur ad officium suum vel autoritate regum *Syriæ*, vel *Romanorum*, vel etiam *Herodis*, nec tamen quisquam de legitimâ sacerdotum illorum vocatione dubitavit, sed populus eorum ministerio intrepidè & salutariter utebatur, quin & *Christus* ipse, *Joseph*, & *Maria*, aliique sancti cultum divinũ ab his sacerdotibus administratum frequentabant. *Illustratur quibusdã exemplis.*

In ecclesiâ græcâ *Patriarchæ Constantinopolitani* vocationem suam habent à *Turcâ*, & tamen ipsorum vocatio est legitima, & ministerium eorum, tanquam illegitimum nemo improbare audet.

Sub initium reformationis multi pastores in *Papatu* vocati à *Pontificio* magistratu, postea, unà cum ecclesiâ suâ ad agnitionem veritatis pervenerunt, & *Papatui* renunciarunt, neque habuerunt opus novâ vocatione, sed tantùm novum cultum, & doctrinam hactenus in *Papatu* incognitam auditoribus suis proposuerunt.

*Lutherus* ipse vocatus est ad professionem Academicam ab *Electore Saxoniæ Friderico III. p. m.* anno 1508. quo tempore elector è tenebris *Papisticis* nondum penitùs emerserat: & tamen nemo evangelicorum de legi-

legitimâ vocatione *Lutheri* unquam dubitavit.

*Exceptio ſolvitur.* Quòd ſi falſa patroni religio vitiaret vocationem orthodoxi miniſtri, eadem etiã totum vitiare poſſet miniſterium ejus, quod à vocatione miniſtri dependet; ſiquidem nemo niſi vocat⁹ miniſterio ſe ingerere debet: eaq; ratione omnes partes miniſteriales taliter vocati miniſtri facilè in dubium vocari, aut pro hominis privati actione haberi poſſent, quem ſcrupulum teneris conſcientiis injiciunt, qui talem vocationem in dubium vocant.

Qui ergò à nobili fortè, aut *Abbate*, aut *epiſcopo Papiſtico* vocatur ad miniſterium eccleſiæ orthodoxæ, cũ conſenſu totius eccleſiæ, de acceptãda ea minimè dubitet, gratias Deo agat, qui eccleſiæ iſti ſub tali magiſtratu halcyonia concedit, pro ejus converſione oret, & majori cum diligentia ac circumſpectione officium ſuum faciat, ne quis pereat eorum, quos ſibi commendatos novit.

## CASUS V.

*Si duo ſint unius eccleſiæ patroni, qui vel de jure patronatus litigant, vel alteruter ſaltem in perſonam vocandam conſentiat, alter verò abſque juſta cauſa diſſentiat: nũ quis hoc modo vocatus, de legitima vocatione gloriari poſſet?*

RESp. Duo ſunt quæſtionis hujus membra: unum concernit *patronos litigantes* de jure patronatus; alterum *patronos diſſentientes*.

Prius quod attinet, probè notandum eſt, quod magiſtratus nõ habet jus merè ac abſolutè vocandi miniſtros, hoc enim jus eſt totius *eccleſiæ*, ut ſuprà docuimus *caſ 3*. magiſtratus tantum eſt executor illius juris: non enim eſt magiſtratus eccleſia tota, ſed ejus membrum *Pſal.* 18. *v.* 5. non eſt eccleſiæ dominus; ſed *nutritor Eſa.* 49, 23. imò miniſter *Eſa.* 60, 7. *Magiſtratus non habet merum & abſolutum jus vocandi miniſtrum.*

Cum ergò alteruter litigantium eſt in poſſeſſione, (ut vocant) & ex ſua parte habet conſenſum reliquorum ordinum eccleſiæ, qui in perſonam certam conſentiunt, miniſter vocandus, bona cum conſcientia vocationem ſic oblatam acceptare, eaque gaudere poteſt ſuo in munere, non obſtante, quod alter patronorum conſentire nolit. Is enim non quærit jus publicum eccleſiæ, ſed privatum commodum, hoc eſt, repugnat vocationi, non quia perſonam vocandam habet pro indigna, ſed tantùm, quia pro aſſerendo jure ſuo laborat.

Non ergò eſt, ut miniſter eccleſiæ litibus illis patronorum ſe immiſceat, ſed quia ab omnibus eccleſiæ ſtatibus ſe vocatum novit, intrepidè vocationi huic innitatur, & ne quid detrimenti eccleſia cunctatione ſua capiat, officium ſuum viriliter faciat; litis eventum committat Deo, & iis, penes quos eſt judicandi poteſtas.

Idem

Idem est judicium de altero membro: si enim dissentiens patronus nullam justam causam sui dissensus habeat, dissensus iste pro nullo habendus; neque propterea vocatio est illegitima, quia *unius personæ dissensus totius ecclesiæ consensum vitiare nequit*, dissentiente autem uno vel altero ecclesiæ statu & ordine, vocatio nulla esset. Et hoc modo statuendum est, cùm persona vocanda satis est digna.

Si verò vel errore in doctrinâ, vel notabili aliquo vitio morum laboraret, tunc & unius personæ dissensus vocationem factam vitiat, ejusq; admonitioni dandus est locus, & ad electionem alterius progrediẽdum, ne lupus præficiatur ovili, cum irrevocabili animarum damno.

## CASUS VI.

*Cùm locum aliquem in ministerio plures, donis ac virtutibus fortè inæquales, ambiunt, & patroni votis suis dissentiunt, quæritur, an vocatio per sortem ritè fiat?*

RESp. Electio per sortem facta nõ omninò est illicita: nam Scriptura testatur, *sortes in sinum mitti, sed à Domino gubernari Prov. 16. v. 33. &* Augustinus *in Psal. 30.* scribit: *sors est in dubitatione humanâ divinæ indicium voluntatis.*

Cùm ergò de duobus, qui paria habent vota ex ecclesiâ, & æqualibus donis ac virtutib. præditi sunt, adeoque mu nere illo, quod uterq; ambit, adæquè digni, sorte contenditur, vocationem hoc minimè vitiare potest.

Cùm enim non nisi unus vocari queat, & neuter præ altero privilegium eruditionis aut virtutis habeat, ne quid affectibus dari videatur, sors honestè intervenire, & rem decidere potest.

Cùm autem sortitio fit inter duos inæquales & donis & moribus, in quorum alterutrum non consentit ecclesia, ibi negativè respondendum esse censeo, sequentib. de causis (1.) *quia est contra Deum*, qui quidem mediatè vocat homines ad ministerium, sed medium illud non sunt sortes, sed homines, ut constat ex *Act. 20. v. 28. Gal. 1. v. 1.* *Sortitionẽ est adhibẽda, quando personæ donis sunt inæquales, & ecclesia unũ expressè respuit.*

(2.) Quia est *contra praxin ecclesiæ.* Nuspiam enim legitur exemplũ vocationis per sortem in primitivâ ecclesiâ: *quod autem Scriptura non habet, id negat*, inquit *Tertullian. lib. 4. cont: Marcionem.*

Objiciunt hîc aliqui exemplum *Matthiæ*, per sortem electi. Sed hæc vocatio erat *immediata*, in quâ Deus permittere aliquid peculiare potuit, nos autem de *mediatâ* vocatione hîc agimus: ubi ordinarius tantùm modus vocandi ministros locum habet. *Objectio solvitur.*

In vocatione *Matthiæ* nominatio ejus

ejus & *Justi* cum consensu ecclesiæ jam facta erat: electio tantùm alterutrius à Deo petebatur: in nostro verò casu quæritur de electione ejus per sortem, in cujus vocationem ecclesia non consensit, sed bona ejus pars contradixit.

In vocatione *Matthia* electio erat inter duos æquè dignos Apostolatu, sed ignorabat populus, quem elegisset Deus, id quod sorte experiebantur: in nostro verò casu inter dignum & indignum fit collatio, ubi certè sors militare non potest, ne detur ecclesiæ minister invitæ.

Adde, quòd sors super *Matthiam & Iustum* peculiari Dei inspiratione & instinctu facta, ut docet *Hieron. in cap.* 1. *Ionæ*.

(3.) *Quia est contra requisita legitima vocationis*, ad quam omnes ecclesiæ ordines pertinent: dum autem sorti res committitur, nulli parti ecclesiæ liberum votum relinquitur.

(4.) *Periculum* subest, ne officium committatur indignis, præteritis dignioribus, quia his sors non favebat. Vult autem Apostolus *Paulus*, ut qui *ministrare volunt, priusquam ministrent, probentur*, 1. *Tim.* 4.

(5.) Ne quidem magistratus semper sorte eligitur, nam *tentare fortunam, ubi cõsilio opus est, temerariũ est.*

Quibus de causis electio per sortem prohibita est in *ca. ecclesia extra de sortilegiis, & in lege civili c. de episcopis & clericis l.* 47.

His de causis permittere nemo debet, ut cum homine prorsus sibi impare, & ad ministerium inepto, sorte contendat: neque is, qui vocatione ista indign⁹ est, sed per sortem electus fuit, vocatione sua in adversis gaudere potest.

## CASUS VII.

### *Quid si duæ vel plures vocationes alicui simul offerantur, quamnam ex illis eligere deberet?*

RESP. Sũt, qui hoc in casu signum divinitùs petẽdum esse censent, unde, quænam vocatio sit à Deo, patescat. Ita enim scribit *Petrus Martyr in locis commun. part.* 1. *loco* 8. §. 15. *p.* 85. *quando sancti, quoad aliquam inusitatam vocationem* (eadem est ratio vocationis ambiguæ) *de voluntate Dei certiores fieri cupiunt, ac sibi timent, ne fortassè decipiantur*, (nam de illa ex divinis literis nihil explorati habent, & hominibus atque angelis de iis rebus non est facile credendũ: solent enim mali angeli nonnunquam in angelos lucis transformari,) *quando inquam, tali ambiguitate laboratur, & voluntas parata est, imò cupida serviendi jussui divino, si tum petatur signo aliquo confirmari, tentationis divinæ aut temeritatis pij homines non possunt accusari.* Hæc *Martyr.* *An hoc in casu signũ à Deo petendum?*

Sed huic sententiæ subscribere non possum. Nam signorum petitio pertinet ad vetus Testamentum, ubi Deus adhuc πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως agebat cum populo suo, & inter cætera etiam vocationem insolitam alicui immediatè oblatam *Neg. Nam signorum petitio ad V.T. pertinet.*



Digitized by Google

signo confirmare solebant, quemadmodum exempla *Mosis Exod. 4. v. 3. & Gedeonis Jud. 6. v. 17.* testantur: ibi tum, quod Deus offerre consueverat, à Deo etiam petere licebat.

*Duo hic adhiberi debent media.*

Hodie verò, ubi cessavit ea ratio familiariter agendi cum Deo, nemo audeat peculiari signo vocationem suam explorare à Deo, nisi divinus instinctus, vel singulare aliquod mādatum ipsum ad hoc moverit, quod tamen nemo sine insolentissimæ jactantiæ suspicione hodie de se dicere potest: sed in concursu duarum aut plurium vocationum primùm videtit, ad quamnam maximè se dignum & aptum esse judicet: solet enim Deos eos, quos vocat, idoneis instruere donis juxta *Teutonicum* proverbium: Wen Gott schickt/den macht er geschickt.

Deinde precibus solicitandus Deus est, ut non signis aut miraculis, sed ductu Spiritus sancti flectat animos nostros eò, ubi majori cum fructu ecclesiæ aut Reipubl. inservire possimus, promisit autem Deus *Spiritum sanctum petentibus cum Luc. 11. 13.* hinc firma in electione emergit ἀσφάλεια; aut si ea deficit, infirmæ aut etiam nullius fidei signum est; præstaretque hominem vel ab omni vocatione abstinere, quàm post effusas preces ardentes, & exploratas vires suas, de arrepta vocatione dubitare, an sit legitima; *quidquid enim fit dubitante pœnitentiâ, peccatum est.*

* *
*

## CASUS IIX.

### *An in vocatione diaconi etiam votum habet illius ecclesiæ pastor?*

RESP. Quæstioni huic nonnullorum κακοπραγμία occasionem præbuit. Sunt enim quidam *politici*, qui sibi præter jus & fas potestatem sumunt eligendi ministros quoscunque volunt, & deponendi eosdem, quandocunq; placet: & hi quando ægrè facere volunt pastori, diaconum ei adjungunt etiam ipso invito & cōtradicente, pro plenitudine potestatis, quam ex jure patronatus faciunt, non sine scandalo ecclesiæ. *Aff.*

Sed res expedita est, si modò praxin ecclesię *Apostolicæ* sequi velimus. Ea docet, ut suprà ostendimus, ad legitimam vocationem ministrorum ecclesiæ requiri totius ecclesiæ votum & consensum. Unde colligo, in electione diaconi non sufficere, ut ea fiat à magistratu, saltem præscio pastore: sed & votum pastori relinquendum est, & potestas contradicendi, si causas habuerit fonticas, aliàs præcipua pars ecclesiæ in vocatione talis ministri esset omissa, ac propterea vocatio ejus vitiata.

*1. ratio, quia ad legitimam vocationē totius ecclesiæ consensus requiritur.*

Ita *Paulus Timotheo* injunxit, ut quæ ab ipso audierit, per multos testes, fidelibus hominibus commendet, qui sint ad docendum alios idonei *2. Tim. 2. v. 2. & Tito* scripsit: *propterea te reliqui Cretæ, ut ea, quæ desunt,*

*2 quia Paulus in primitiva ecclesia ita ordinavit.*

Digitized by Google

*ſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros Tit.1. 5.*

Deinde nemo meliùs de doctrina diaconi judicare poteſt, quàm paſtor; cur ergò ille in electione diaconi negligeretur.

*3. quia diaconus eſt comes paſtoris.* Præterea individuus ejus comes & ſymmiſta eſt, æquum igitur eſt, ne obtrudatur ei is, in quem juſtis de cauſis conſentire non poteſt, ſecus ſi fieret, perpetuæ rixæ & ſimultates in jugo illo diſpari metuendæ eſſent, quod patronus eccleſiæ inprimis cavere debet.

*4. quia patres in primitiva eccleſia hoc obſervarunt.* Accedit denique praxis in eccleſiâ *Patrum.* Nam ut eſt apud *Theodoretum lib.4. hiſt. eccl. c.20. Athanaſio Alexandriæ* laboribus ſoluto, & in quietam ac liberam vitam digreſſo ſucceſſit *Petrus* vir optimus. Hunc beatum *Athanaſii* caput primum ſuffragio ſuo præſulem deſignarat, quod ratum habuêre tum ſacerdotalis ordo, tum magiſtratus ac primarii, denique univerſus populus gaudium ſuum lætis acclamationibus teſtatus eſt.

Sic patres *Concilii Conſtantinopolitani Nectarium* in præſentiâ *Imperatoris Theodoſii*, & cum conſenſu totius populi ac totius presbyserii conſtituerunt epiſcopum *Conſtantinopolitanum*, ut eſt apud eundem *Theodoretum lib.5. hiſt. c.9.*

Hoc ergò eſt muneris paſtoralis in eccleſiâ, vacante diaconatu, virum doctum & pium commendare magiſtratui, prout in examine dignus fuerat compertus, deinde populo ſiſtere in concione δοκιμαστικῇ: quòd ſi omnium conſenſus acceſſerit, magiſtratus ei literas vocationis tradat, quibus, ſi loci conſuetudo ita fert, etiam ſubſcribat, de quo tamen non eſt magnopere laborandum, modò à voto & electione non fuerit excluſus.

Quicunque autem diaconus abſque voto & conſenſu paſtoris vocatur, ejus vocationem contra praxin eccleſiæ Apoſtolicæ & primitivæ factam, ſcandaloſam & illegitimam eſſe, ex iis, quæ jam dicta ſunt, non obſcurè liquet.

## CASUS IX.

### *Num alicui officium aliquod eccleſiaſticum ea cum conditione promitti aut commendari poteſt, ut defuncti paſtoris viduam aut filiam ducat?*

RESp. Matrimonium paſtorum eccleſiæ nemo piorum improbat, quin & *Paulus* inter requiſita epiſcopi ponit, *benè proſpicere domui ſuæ, & liberos habere ſubditos cum omni reverentia 1. Tim.3.v.4.* iniquum ergò non eſt, liberis ſuis benè educatis, ut & relictæ poſt mortem conjugi, de honeſto proſpicere matrimonio.

Si quis ergò ad officiū ſatis aptus, & toti eccleſiæ acceptus fuerit, & in tale conjugium non invitus conſenſerit, non peccat eccleſia, ſi ei hac cū conditione, functionem aliquam promittat, ut vel viduam vel filiam defuncti ſui paſtoris ducat.

Eſt enim ſpecies gratitudinis, er-



Digitized by Google

signo confirmare solebant, quemadmodum exempla *Mosis Exod. 4. v. 3. & Gedeonis Iud. 6. v. 17.* testantur: ibi tum, quod Deus offerre consueverat, à Deo etiam petere licebat.

*Duo hic adhiberi debent media.*

Hodie verò, ubi cessavit ea ratio familiariter agendi cum Deo, nemo audeat peculiari signo vocationem suam explorare à Deo, nisi divinus instinctus, vel singulare aliquod mādatum ipsum ad hoc moverit, quod tamen nemo sine insolentissimæ jactantiæ suspicione hodie de se dicere potest: sed in concursu duarum aut plurium vocationum primùm viderit, ad quamnam maximè se dignum & aptum esse judicet: solet enim Deus eos, quos vocat, idoneis instruere donis juxta *Teutonicum* proverbium: Wen Gott schickt/den macht er geschickt.

Deinde precibus solicitandus Deus est, ut non signis aut miraculis, sed ductu Spiritus sancti flectat animos nostros eò, ubi majori cum fructu ecclesiæ aut Reipubl. inservire possumus, promisit autem Deus *Spiritum sanctum petentibus eum Luc. 11. 13.* hinc firma in electione emergit *ἀσφάλεια*; aut si ea deficit, infirmæ aut etiam nullius fidei signum est; præstaretque hominem vel ab omni vocatione abstinere, quàm post effusas preces ardentes, & exploratas vires suas, de arrepta vocatione dubitare, an sit legitima; *quidquid enim fit dubitante pœnitentiâ, peccatum est.*

* *
*

## CASUS IIX.

### *An in vocatione diaconi etiam votum habet illius ecclesiæ pastor?*

RESP. Quæstioni huic nonnullorum *κακοσχολαστια* occasionem præbuit. Sunt enim quidam *politici*, qui sibi præter jus & fas potestatem sumunt eligendi ministros quoscunque volunt, & deponendi eosdem, quandocunq; placet: & hi quando ægrè facere volunt pastori, diaconum ei adjungunt etiam ipso invito & cōtradicente, pro plenitudine potestatis, quam ex jure patronatus faciunt, non sine scandalo ecclesiæ. *Aff.*

*1. ratio, quia ad legitimam vocationē totius ecclesiæ consensus requiritur.*

Sed res expedita est, si modò praxin ecclesię *Apostolicæ* sequi velimus. Ea docet, ut suprà ostendimus, ad legitimam vocationem ministrorum ecclesiæ requiri totius ecclesiæ votum & consensum. Unde colligo, in electione diaconi non sufficere, ut ea fiat à magistratu, saltem præscio pastore: sed & votum pastori relinquendum est, & potestas contradicendi, si causas habuerit sonticas, aliàs præcipua pars ecclesiæ in vocatione talis ministri esset omissa, ac propterea vocatio ejus vitiata.

*2 quia Paulus in primitiva ecclesia ita ordinavit,*

Ita *Paulus Timotheo* injunxit, ut quæ ab ipso audierit, per multos testes, fidelibus hominibus commendet, qui sint ad docendum alios idonei *2. Tim. 2. v. 2. & Tito* scripsit: *propterea te reliqui Cretæ, ut ea, quæ desunt,*

*ſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros Tit.1.5.*

Deinde nemo meliùs de doctrina diaconi judicare poteſt, quàm paſtor; cur ergò ille in electione diaconi negligeretur.

*3.quia diaconus eſt comes paſtoris.*

Præterea individuus ejus comes & ſymmiſta eſt, æquum igitur eſt, ne obtrudatur ei is, in quem juſtis de cauſis conſentire non poteſt, ſecus ſi fieret, perpetuæ rixæ & ſimultates in jugo illo diſpari metuendæ eſſent, quod patronus eccleſiæ inprimis cavere debet.

*4.quia patres in primitiva eccleſia hoc obſervarunt.*

Accedit denique praxis in eccleſiâ *Patrum.* Nam ut eſt apud *Theodoretum lib.4.hiſt.eccl.c.20. Athanaſio Alexandriæ* laboribus ſoluto, & in quietam ac liberam vitam digreſſo ſucceſſit *Petrus* vir optimus. Hunc beatum *Athanaſii* caput primum ſuffragio ſuo præſulem deſignarat, quod ratum habuêre tum ſacerdotalis ordo, tum magiſtratus ac primarii, denique univerſus populus gaudium ſuum lætis acclamationibus teſtatus eſt.

Sic patres *Concilii Conſtantinopolitani Nectarium* in præſentiâ *Imperatoris Theodoſii*, & cum conſenſu totius populi ac totius presbyserii conſtituerunt epiſcopum *Conſtantinopolitanum*, ut eſt apud eundem *Theodoretum lib.5.hiſt.c.9.*

Hoc ergò eſt muneris paſtoralis in eccleſiâ, vacante diaconatu, virum doctum & pium commendare magiſtratui, prout in examine dignus fuerat compertus, deinde populo ſiſtere in concione δοκιμαστικῇ: quòd ſi omnium conſenſus acceſſerit, magiſtratus ei literas vocationis tradat, quibus, ſi loci conſuetudo ita fert, etiam ſubſcribat, de quo tamen non eſt magnopere laborandum, modò à voto & electione non fuerit excluſus.

Quicunque autem diaconus abſque voto & conſenſu paſtoris vocatur, ejus vocationem contra praxin eccleſiæ Apoſtolicæ & primitivæ factam, ſcandaloſam & illegitimam eſſe, ex iis, quæ jam dicta ſunt, non obſcurè liquet.

## CASUS IX.

### *Num alicui officium aliquod eccleſiaſticum ea cum conditione promitti aut commendari poteſt, ut defuncti paſtoris viduam aut filiam ducat?*

RESP. Matrimonium paſtorum eccleſiæ nemo piorum improbat, quin & *Paulus* inter requiſita epiſcopi ponit, *benè proſpicere domui ſuæ, & liberos habere ſubditos cum omni reverentia 1. Tim.3.v.4.* iniquum ergò non eſt, liberis ſuis benè educatis, ut & relictæ poſt mortem conjugi, de honeſto proſpicere matrimonio.

Si quis ergò ad officiũ ſatis aptus, & toti eccleſiæ acceptus fuerit, & in tale conjugium non invitus conſenſerit, non peccat eccleſia, ſi ei hac cũ conditione, functionem aliquam promittat, ut vel viduam vel filiam defuncti ſui paſtoris ducat.

Eſt enim ſpecies gratitudinis, er-

ga benè meritum paſtorem, liberorum ſuorum habere rationem, quod hoc modo, ubi dignitas perſonæ, quæ eccleſiæ præficienda eſt, non intelligitur, optimè fieri poteſt.

Sed quando jam concluſum eſt, vel à patrono, vel ab eccleſiæ miniſtro, nemini committere eccleſiam, quàm, qui relictam viduam aut filiã paſtoris duxerit, etiamſi ei conjugium hoc non arriſerit, nec ipſe ad functionem illam ſatis aptus ſit, hoc minimè probari poteſt.

Ita enim eccleſiæ ſæpenumero obtruditur indignus, in cujus vocationem ordines eccleſiæ omnes minimè conſenſerunt, prætereuntur alij digniores, difficultates conjugij augentur, rixis & jurgiis, interdum etiam cædibus conjugum occaſio præbetur, id quod maximè ſcandaloſum eſt, & nullo modo excuſari poteſt.

In talem ergò vocationem nemo conſentire debet, ne per ipſum & eccleſia decipiatur, & ipſe conjugij planè imparis jugo implicetur.

## CASUS X.

### *Poteſtne miniſter verbi legitime vocatus abdicato miniſterio verbi ad officium aliquod ſcholaſticum ſe conferre?*

RESp. Locum hîc merito habet pervulgatum illud: *ſimbus penſantur officia.* Nihil ergo hîc faciendum turpis lucri aut otij causâ; ſed ſi miniſter eccleſiæ videt ſe dona ad docendum in eccleſiâ habere ſufficientia, ab eccleſiâ libenter audiri & amari, magnoq; cũ fructu & ædificatione auditorum ſuorum in eccleſiâ docere poſſe, minimè mutare locum debet aut officium, etiamſi in functione aliqua ſcholaſticâ, & quiete & ſalario majore frui poſſet. Semper enim hîc inſonare debet illud Apoſtoli *Petri*, quod in ordinatione ſua ei prædictum fuit: *nihil facientes turpis lucri causâ, ſed ex animo* 1. *Pet.* 5. item illud Chriſti: *qui manu ad aratrum admotâ, reſpexerit, non eſt me dignus Luc.* 9. *v.* 62. & illud Apoſtoli *Pauli*: *unuſquiſq; in quâ vocatus eſt vocatione, in eâ maneat* 1 *Cor.* 7. *v.* 17. 20. & quod in *Apocalypſi* legitur: *eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ Apoc.* 2, 10.

Si quis verò animadvertit, ſe non ſufficientia habere dona, nec libenter audiri, ſed potius in odium auditorum abſque ſua culpâ incidiſſe, ad labores etiam ſcholaſticos magis aptum, & promptum eſſe, is, ſi talis vocatio ad munus ſcholaſticum ei obtingat, bona cum conſcientia eam accipere poſſet. Magna enim eſt cognatio inter officia eccleſiaſtica & ſcholaſtica: quin & ſcholæ parvæ ſunt eccleſiæ, multique doctores eccleſiaſtici ſimul in ſcholis laborarunt, ut Propheta *Samuel* ſcholam habuit in *Ramathâ* 1. *Sam.* 7. *v.* 17. & Propheta *Eliſæus* ſuos habuit diſcipulos *Scholæ parvæ ſunt eccleſiæ.*

pulos in *Galgalâ 2. Reg. 4. v.38. in scholâ Alexandrinâ* fuerunt *Panteno, Origenes, Clemens*, & etiamnum in Academiis Theologi, tam in scholis, quàm in templis docent.

Caveat modò ita vocatus, ne tantum propter otium aut salarium functionem ecclesiasticam mutet in scholasticam, neque etiam electionem sacram omninò negligat, sed in eâ se & juventutem suam diligenter exerceat; ita tranquilliori cum conscientiâ laboribus scholasticis perfungi potest.

## CASUS XI.

### *Potestne mulier ad publicum ministerium ecclesiæ vocari, & sacra administrare?*

RESP. Semper reperti sunt, qui muliebri sexui hoc in genere nimiùm indulserunt. *Ethnici* habuerunt sacerdotes *Cereris*, atque illius fani *Antistitas*, ut constat ex *Cicerone act. 7. Verrem*: & pro *Cornelio scribit: sacra Cereris per Græcas semper curata sunt sacerdotes*: & apud *Virgilium lib. 6. Æneid. Sibilla* vocatur *Phœbi longæva sacerdos*.

*Gellius* tales mulieres sacerdotissas vocat *lib. 10 noct. cap. 15*.

In ecclesiâ fuerunt olim *Quintiliani* hæretici, qui mulieres ad episcopatum aut presbyterium assumebant in gratiam *Evæ*, referente *Epiphanio hæres. 49*.

*Cataphryges* etiam, seu *Peputiani* mulieribus concedebant ministerium publicum, quas propterea presbyteridas & diaconissas nominabant, teste *Augustino de hæres. 27. & Epiphan. hær. 79*.

Tempore *Constantini Magni*, cùm *Licinius Imperator*, homo profanus, contra morem ecclesiæ & mandatū Dei vetuisset, ne mulieres in *Syriâ* unà cum viris congregarentur, factum est, ut mulieres è suo sexu aliquas eligerent, quæ eas docerent in suis conventibus, ut est apud *Eusebium lib. 1. de vitâ Constant.*

Tempore *Basilii* concessum fuit monialibus publicè docere, baptisare, sacram cœnam administrare, quæ propterea *Basilio* vocantur sacerdotes.

Postea in *Papatu* tempore & jussu *Bonifacii* moniales etiam publicè docuerunt, abbatissæ ordinabant sacerdotes, & velum aliis imponebant, sicuti suprà *cap. præcedente Cas. 8.* audivimus.

Hæc autem omnia sunt contra scripturam, quæ vult, ut mulier *taceat in ecclesiâ 1. Cor. 14. v. 34. & in silentio discat 1. Tim. 2. v. 12.* non enim ad discendas literas, neque ad regendum ministerium ecclesiæ, idoneus est muliebris sexus; *quia lubricus atq; erroneus, & intellectu humilis*, dicente *Epiph. hær. 79*.

*Negativa probatur.*

*Ratio, quia mulier debet tacere in ecclesia, & in silentio discere.*

Fuerunt quidem olim in ecclesiâ Apostolorum virgines & viduæ, quæ inservierunt ecclesiæ, quarum mentionem facit *Apostolus 1. Tim. 5. v. 9.* & hæ vocabantur diaconissæ, sed hæ neq; docebant ordinariè, ne-

*Diaconissa qua & quales fuerint.*

 que

*in Eccleſia Apoſtolorum?*

que ſacramenta adminiſtrabant: ſed quæ fuerint earum officia *Epiph.* commemorat loco dicto: *miniſtrarum quidem diaconiſſarum appellatarum ord. eſt in eccleſiâ,* inquit, *ſed non ad ſacrificandum, neq; ut quidquam aggredi permittantur: verùm reverẽtiæ gratia muliebris generis, aut propter horã balnei aut viſitationis, affectionis aut laboris. Et quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut ne à viris ſacrificantibus conſpiciatur, ſed à miniſtrante muliere, cui præcipitur à ſacerdote, ut curã gerat ad tempus indigentis mulieris, in tempore denudationis corporis ipſi⁹, ita ut ordo bonæ diſciplinæ & eccleſiaſticæ bonæ cõſtitutionis valdè ſcientificè munitus ſit in menſura regulæ.* Hæc ille.

*Prophetiſſarum in V. & N. T. quæ ratio.*

In V. quoque Teſtamento, & in initio Novi, erant quædam mulieres Prophetiſſæ, ſed hæ nihil ad rem: quia extra ordinem interdum docebant, ad hoc neque vocatæ neque ordinatæ.

*An Lutherus docuerit, in defectu marium fœminas eligi debere in miniſterium? Neg.*

*B. Luthero* quoque imputatur à *Romanenſibus*, quaſi docuerit, ubi ſolæ ſint fœminæ, ibi eaſdem elegi debere in miniſterium: verùm de electione aut vocatione mulierum nihil habet *Lutherus*: ſed præſtare tantùm dicit, ut in defectu virorum etiam fœminæ doceant verbum Dei, quàm ut illud prorſus taceatur: vide *tom. 2. Ien. germ. fol. 14. b. &* 316. a. quo pacto etiamnum privata juventutis informatio in pietate, conſolatio ægrotorum, correptio delinquentium mulieribus permittitur.

Aliàs *B. Lutherus* aliquoties mulieres in eccleſiâ tacere jubet: vide *libr. de abuſu miſſæ, & commentar. in poſter. Petri.*

*In caſu neceſſitatis mulieres baptiſare poſſunt.*

Quod autem mulieribus ordinariè eſt prohibitum, id in caſu neceſſitatis concedi poteſt, ut nimirum in defectu miniſtrorum verbi, infantes in limine mortis conſtitutos baptiſent, quemadmodum *Zipora*, & mulieres *Macchabææ* in ſimili caſu infantes ſuos circumciderunt *Exod. 4. v. 25. 1. Machab. 1. v. 61. 2. Machab. 6. v. 10.* quam ad rem neq; vocatione neque ordinatione ſpeciali opus habent, neque enim in publico hominum conventu, ſed privatis in ædibus, & non niſi in extremo neceſſitatis caſu hoc faciunt: quâ de re alibi plura.

## CASUS XII.

### *Num miniſter eccleſiæ legitimè vocatus ad arbitrium magiſtratus politici, eò, quòd jus patronatus habet, dimitti, & ab officio ſuo removeri poteſt?*

*Neg. Exceptio proponitur.*

RESP. Hoc ſibi interdum affectant ſenatus oppidani, aut nobiles in pagis, prætexentes regulam juris: *quod is habet jus dimittendi, qui habet jus vocandi paſtorem.* Unde fit, quòd ſæpenumero leviculam ob cauſam eccleſia fidelibus orbatur paſtoribus, qui cum tremore ac per-

Digitized by Google

perpetuo metu remotionis officium suum facere, aut ad placitum patronorum vivere ac docere coguntur: quorum utrumq; ab intolerabili tyrannide parùm abest.

Movit hæc iniquitas *B. Lutherum*, ut in ejusmodi licentiam dimittendi pastores graviter inveheretur *tomo* 8. *Ien. germ. fol.* 107. 108. ubi ad quosdã, qui pastorem suum ideò, quod vitia auditorum graviter taxaverat, dimiserunt, inter cætera sic scribit: *vos non estis Domini pastorum aut ministerij, neq; fundatores ejus estis, quod solius est Filij Dei, & minus juris ad illud habetis, quam diabolus ad regnum cœlorũ: ideò vestrum non est reformare ecclesiæ ministros, aut docere, multò minùs reprehensionem vitiorum eis prohibere, &c.*

*Solvitur.* Sciendum itaq; est, quòd si secundum illam juris regulam judicãdum sit, malè sibi solus magistratus arroget dimissionem pastorum, quia non est penes solum magistratum pastoris vocatio, sed ad totam ecclesiam, ut toties contra *Pontificios* evicimus: ergò nec eorum dimissio.

Quomodò ergò Magistratus ministrum aliquem deponere potest, quem ecclesia, exceptis paucis fortè privatis, amat & libenter audit? certè non video, quàm procul hæc res à sacrilegio absit.

*Distinguẽdũ est inter jus patronat' & jurisdictionẽ ecclesiasticam.* Deinde distinguendum est jus patronatus, à jurisdictione ecclesiasticâ. Illud magistratui ceu patronis ecclesiarum relinquitur, hęc non item: Rectè enim censuit sapientissimus *Imperat. Constantinus*, episcoporum causas cognoscere ad se non pertinere, teste *Niceph. lib. 8. hist. eccl. c.* 16. Pertinet autem jurisdictio ecclesiastica in ecclesiis *Augustanæ confessionis* ad consistoria ecclesiastica, per quæ eam principes Christiani exercent. Penes hæc est cognitio causæ, si quid fortè reprehensione dignum in pastore ecclesiæ occurrat, sine quâ nemo legitimè deponi potest.

Si ergò minister ecclesię vel in doctrinâ vel in vita fiat reprehensibilis, referatur hoc ad consistorium, quod potestatem habet loco principis, ministrum ecclesiæ vel contra injustos actores defendẽdi, vel pro ratione delicti puniendi: qui modus judicandi presbyteros ad mortem pristinæ ecclesiæ congruit, de quo *Paulus agit* 1. *Tim.* 5. *v.* 19. & ab *Imperatoribus Christianis* confirmatus, nec in se impius est, aut verbo Dei contrarius.

*Julianum apostatam* imitãtur, qui, prout rapiuntur affectibus suis, ministros ecclesiæ ad judicia politica trahũt instar civium aut rusticorum, vel sine præcedente cognitione causæ ecclesiis ejiciunt.

Ideò ministri ecclesiarum in his regionibus per *constitutionem Electoralem, titulo de immunitatibus*, ab audientiâ secularis magistratus in personalibus exemti sunt, & consistoria ecclesiastica instituta, in quibus judicia de ministris ecclesiarũ ac scholarum ritè administrantur. Quâ de re vide plura in *institut. verbi cap.* 19. *p.* 204. *seqq.*

CAP.

## CAPUT VI.

## *De Casibus conscientiæ circa ordinationem ministrorum ecclesiæ.*

### PROOEMIUM.

*Ordinatio quid?*

ORdinatio nihil est aliud, quàm publica & solennis legitimę vocationis confirmatio, ut constet omnibus, personam hanc non sibi ipsi rapuisse munus ecclesiasticum, nec instar furum aut latronum aliunde intrasse.

Est autem actus totius ecclesiæ, licet una certa persona eam in præsentiâ totius ministerii exequatur: quo pacto D. *Paulus* ordinavit *Timotheum, 2. Tim. 1. v. 6.* & tamen à toto presbyterio ordinatus dicitur 1. *Tim. 4. v. 14.*

*An ordinatio sit sacramentum?*

In *Papatu* ex ordinatione faciunt sacramentum ecclesiæ, ut patet ex *concil. Trident. sess. 14. de sacramen. ordinis can. 3.* sed etsi lato sensu ita appellari queat: propriè tamen sacramentum non est, quia non est omnium hominum, cùm tamen sacramenta ad omnes ecclesiæ cives pertineant; non habet perpetuum & certum elementum externum, neque applicationem specialem gratiæ: quâ de re plura in locis Theologicis.

Melius est vocare ordinationem ministrorum solennem ritum, quo testificatur ecclesia de legitima vocatione ordinandi, donisq; necessariis ad officium illud, cui præficiendus est.

Circa hunc ritum etiam aliqua incidunt dubia, explicatione digna, ut minister verbi majorem in officio suo ἀσφάλειαν habere possit: de quibus jam juvante Domino, breviter acturi sumus.

### CASUS I.

### *Potestnè aliquis legitimè vocatus partes ministerij exequi, etiamsi ordinatus non fuerit?*

*Ordinatio nō est simpliciter & absolutè necessaria.*

REsp. Ordinatio non est simpliciter & absolutè necessaria: incidere enim talia possunt tempora, quibus impetrari non potest, ut in defectu aliorum pastorum, qui ordinarent, tempore belli aut pestis, ubi propterea officium docendi & sacramenta administrandi in ecclesia non est negligendum.

Neque enim divinitùs præcepta est, ut omitti non possit, neque tantus est ejus effectus, ut in *Papatu* fingitur, ob quem sine periculo intermitti non posset, neque efficacia ministerii pendet ab ordinatione, quasi absque ea evangelium utiliter doceri non posset: sed ritus est ecclesiasticus, qui ministrum verbi ecclesiæ commendat, & de certis officiis admonet.

Citra

Digitized by Google

*Cur citra necessitatis casum ordinationis ritus non sit omittendus?*

Citra tamen necessitatis casum, & si ordinatio haberi possit, nequaquam est omittenda. (1.) *Propter evitandum novitatis scandalum.* Semper enim in ecclesiâ Apostolicâ usitata fuit, ubi vocati ad ministerium verbi, per χειροτονίαν presbyterii in officio suo confirmati fuerunt, ut patet ex *Act.* 6. *v.* 6. 13. *v.* 3. 1. *Tim.* 4. *v.* 14. 5. *v.* 22. 2. *Tim.* 1. *v.* 6.

(2.) Propter exemplum Apostoli *Pauli*, qui jam vocatus immediatè à Christo, nihilominus remittitur ad *Ananiam*, qui impositione manuum ipsum confirmaret *Actor.* 9, 17. & postea iterum per hunc ritum doctor gentium confirmabatur *Actor.* 13. *v.* 3.

(3.) Propter utilitatem, quæ inde ad ministrum ecclesiæ redundat. Is enim per hunc ritum publicè segregatur à reliquo populo, tanquam peculium Dei, sicut Spiritus sanctus de *Paulo & Barnaba*, cùm ordinati essent, dixit: *separate mihi eos ad opus, ad quod assumsi eos*, *Actor.* 13. *vers.* 2. donis etiam ornantur ad ministerium suum necessariis, vi precum, quæ super ordinandum funduntur.

Ideò *Paulus* monet *Timotheum*, *ne negligat gratiam sibi datam per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* 1. *Timoth.* 4. *vers.* 14. 2. *Timoth.* 1. *vers.* 6.

Vide plura ea de re in *institut. ministr. verbi c.* 8. *pag.* 27. *seqq.*

## CASUS II.

### *Num quis de ordinatione sua dubitare debet, si fortè ei manus impositæ non fuerint?*

RESP. Minimè. Nam χειροτονία in ordinatione ministrorum neque præcepta est, neque usurpata à Christo, sed liber est ritus, quo monetur ordinandus, se sub protectione dexteræ Dei tutum fore in suo munere, sacroque officio se jam consecrari & quasi mancipari.

Christus cùm Apostolos suos consecraret, non imposuit eis manus, sed *ritum sufflationis* adhibuit. *Ioh.* 20, 22.

*Apostoli* hoc ritu uti noluerunt, ne putaretur, gratiam Dei & efficaciam ministerii ad hunc ritum esse alligatam, & ut evidens maneret discrimen inter ipsos & Christum.

Cùm autem iste actus sine omni ceremoniâ fieri non posset, adhibuerunt χειροτονίαν seu impositionem manus super caput ordinandi (1.) *Quia ritus iste alioquin in actibus sacris erat usitatus.* Nam per impositionem manuum *Patriarchæ* distribuebant benedictiones *Genes.* 48. *vers.* 14. sacerdotes consecrabant victimas *Exod.* 29, 10. magistratus ac sacerdotes inaugurabantur *Num.* 8. *vers.* 10. ægroti sanabantur *Marc.* 16. *vers.* 18. visibilia dona Spiritus S.

conferebantur. *Actor.* 18, 16. 17. *cap.* 19. *verſ.* 17.

(2.) Quia hoc ritu perſona ad munus publicum & miniſterium Dei conſecratur, quemadmodum olim victimæ per hunc ritum DEO conſecrabantur. *Lev.* 1, 4.

(3.) Quia ſignificabatur, preces ſuper ordinandum fuſas non fore irritas, ſed benedictionem Dei afferre, quemadmodum *Patriarcha Iacob* benedicebat nepotibus ſuis *imponendo manum Gen.* 48, 14. & Chriſtus benedicens parvulis, *imponit eis manus Marc.* 10, 16.

(4) Quia *Iſraelitæ* jubentur manus ſuas imponere ſuper *Levitas* ad miniſterium conſecrandos. *Num.* 8. *verſ.* 10.

(5.) Volebant etiam ordinandum hoc ritu commonere de protectione Dei contra injurias Satanæ ac mundi, quibus miniſtri eccleſiarum ſunt præ aliis expoſiti.

Huc ſine dubio reſpexerunt Apoſtoli iſto ritu, quas ob cauſas & nos hodie eo utimur in ordinatione miniſtrorum, ex libertate eccleſiæ, ad exemplum *Apoſtolorum*, & propter utiles illas commonefactiones.

*Cur hic ritus omittendus non ſit?*

Quamquam autem liberè hoc ritu utamur, nemo tamen temerè eum omittere aut mutare poteſt, quia jam in eccleſia multis abhinc annis receptus eſt, neque mutatio fieret abſque ſcandalo eccleſiæ aut ſine perturbatione ordinandi, quaſi ordinatio ejus non ſit legitimè facta.

Laudare itaque non poſſumus μωροσοφίαν *Bucani*, qui ad vitandam neceſſitatis aut cultus opinionem, porrectione manus, tanquam fidei, amoris, ſocietatis & conſenſionis in doctrinâ ſymbolo, magis utendum eſſe ſtatuit, in *inſtitut. Theol. loco* 24. qui eſt *de miniſterio*.

*Ritus enim eccleſiæ, antiquitùs uſurpati, & qui ſine ſcandalo retineri poſſunt, temerè non ſunt mutandi.* Ea namque eſt rituum natura, ut qui in ſeſe ſunt adiaphori, per longum uſum & conſuetudinem eccleſiæ fiant neceſſarii, quia ſine evidenti ſcandalo eccleſiæ mutari nequeunt.

## CASUS III.

### *Poteſtnè ordinationem conferre is, qui ipſe non eſt ordinatus?*

RESp. Sunt, qui doctoribus Theologiæ in promotione ſua poteſtatem iſtam conceſſam ajunt, non tantum docendi in eccleſia, ſed & ſacramenta adminiſtrandi, & ordinandi alios, licet ipſi per impoſitionem manuum neque ordinari neque pars miniſterii ſint.

Sed quàm graviter hi fallantur, in *inſtitut. miniſt. verbi cap.* 9. prolixè & ſufficienter oſtendi.

Certum omninò eſt, quod doctorales promotiones ſint *actus Academici*, in quibus nulla fit ordinatio ad miniſterium: ordinatio verò eſt *actus miniſterialis*, in quo ſolo confertur poteſtas ordinandi alios, & ſacramenta adminiſtrandi. Et antiquus

canon

canon est, *quod quis non habet, alteri conferre non potest.*

Non permittunt Academica collegia, ut quisquam alteri honores magisterii aut doctoratus conferat, qui ipse gradu hujusmodi insignitus non est: qui fit igitur, quod nonnulli audent aliis conferre ordinationem ad ministerium sacrum, cùm ipsi non sint ordinati? an non hoc est aliis tribuere, quod ipse non habes?

Cùm ergò *D. Petrus* vetet ἀλλοτριοεπισκοπεῖν 1. *Petr.* 4. *vers.* 15. præstaret aliquem non ordinatum abstinere ab eo, quod sine scandalo & disputatione multâ facere non potest: aut si officii ratione ordinare alios tenetur, ipse priùs ordinem sacrum ab alio ministerio petere non erubescat.

In quem sensum *Theologi Rostochienses* anno 1564. principi suo responderunt: quod responsum extat in *volum.* 1. *part.* 2. *consilior. Dedekenni fol.* 490.

## CASUS IV.

### *Num quis legitimè ordinatus non est, qui non est ordinatus ab episcopo Papali?*

RESP. *Pontificij* negativam hujus quæstionis tuentur, qui ordinationis potestatem soli committunt episcopo, ut patet ex *Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 4. unde *Bellarminus* scribit *lib. de sacram. ordin. cap.* 15. *de ministro ordinationis res perspicua est, cùm nunquam ecclesia agnoverit presbyteros vel diaconos, nisi ab episcopis ordinatos.*

Et hinc postea communiter debacchantur in nostrarum ecclesiarum pastores, quasi non sint legitimè ordinati, nec audiendi, quia non sint ordinati ab episcopo, nec *Lutherum*, & alios orthodoxos ministros habuisse potestatem ordinandi, quia non fuerint episcopi, sed tantùm presbyteri. Vide *Bellarmin. lib.* 3. *de cler. cap.* 3. *Gretserum in summa casuum consc. de sacram. ordin. quæst.* 2. *&* 3. *Stapleton. in promtuar. Cathol. sup. Evang. de fest. sanctor. in fest. S. Andreæ p.* 6. &c.

Intelligunt autem per episcopos non doctores ecclesiæ, quales D. *Paulus* describit 1. *Tim.* 3. sed prælatos illos *Papales*, qui præter titulum nihil habent, quod verorum est episcoporum.

Nostra autem est sententia, ordinationem pertinere ad totam Ecclesiam: ea enim vocat & ordinat ministros, quod jus suum exequitur per ministerium, cujus executionis administratio exercetur per episcopum seu inspectorem ecclesiæ, tanquam caput ministerii. *Ordinatio pertinet ad totam ecclesiam.*

Habet autem episcopus prioritatem suam in ministerio, non jure divino, quod jus commune docendi & sacramenta administrandi concedit presbyteris & diaconis, æquè ac episcopis, ideò nomina quoque sunt communia: vocatur

 enim

Digitized by Google

enim presbyter episcopus *Actor.* 20, 17. *Phil.* 1, 1. 1. *Tim.* 3, 2. *Tit.* 1, 5. 6. 7. & episcopus vocatur presbyter, quemadmodum *Petrus*, (qui fuit episcopus non negantibus *Pontificiis*) vocat se συμπρεσβύτερον 1. *Petr.* 5, 1. sed habet ex libera dispositione ecclesiæ, quæ voluit, ut ordinis causa episcopus seu primus in ministerio ordinet in ecclesiâ, præsente & manus imponente toto presbyterio, ita tamen, ut absente episcopo, etiam presbyter aut diaconus aliquis ejus vices hoc in genere præstare possit, quemadmodum & episcopus presbyteri, ne quid in ecclesia negligatur. *Nihil enim aliud est episcopus, quàm primus presbyter*, dicente *Augustino in quæst.* 101. *ex utroq; Testam.*

Ideò in *Ægypto* presbyteri consecrant, si præsens non sit episcopus, ut *Ambrosius scribit in cap.* 4. *ad Ephes.*

*An ordinatio nostrorum ministrorum sit legitima? Aff.*

Quæ cùm ita sint, nihil est, quod in ordinatione nostrorum ministrorum desiderari queat. Nam (1.) tale discrimen, quod *Pontificij* faciunt inter episcopum & presbyterum, quasi penes illum solum sit potestas ordinandi, Scriptura non agnoscit.

(2.) Episcopi *Papales* officium non faciunt, docendo, & veram ecclesiæ curam habendo, juxta præscriptum Apostoli 1. *Timoth.* 3. & *Tim.* 1. sed politici sunt principes ac dynastæ, qui nullum opus aut officium ecclesiæ præstant. Si enim hoc facerent, posset illis ex caritate ob tranquillitatem ecclesiæ, non autem ex necessitate permitti, ut nos & nostros concionatores ordinarent & confirmarent, ut *Lutherus art.* 10. *Smalcald. p.* 3. loquitur.

(3.) *Papales* episcopi rarò ipsi ordinant, sed committunt hanc operam vicariam suffraganeis, qui neque jus neque potestatem episcopalem habent, sed ad summum presbyteri sunt, cur ergò alii presbyteri nostris in ecclesiis ordinare non possint?

(4.) Scriptura ordinationem tribuit toti presbyterio non seorsim episcopo 1. *Tim.* 4, 14. *noli negligere gratiam*, inquit Apostolus, *quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.*

(5.) Quin & Apostolus *Paulus* episcopali dignitate non inferior, (Apostolatus enim est episcopatus *Actor.* 1. *vers.* 20.) ordinationem accepit à presbyterio *Antiocheno*, non seorsim ab episcopo *Actor.* 13, 2. id quod *Stapletonus* etiam fatetur in *promptuario Catholico Dom. passionis pag.* 121.

(6.) Jus canonicum etiam presbyteris concedit potestatem ordinandi *dist.* 69. *cap. Quoniam*, ubi hæc leguntur: *Abbati manuum impositio conceditur, dum constet, illum esse presbyterum.*

Ex his omnibus evidenter colligimus, de *Lutheri* & aliorum *Lutheranorum* ministrorum ordinatione jure dubitari non posse: inprimis autem eorum, qui in principio *Reformationis* à *Luthero* ordinati fuerunt, ordinatio culpari non potest.

Nam

Digitized by Google

Nam si *episcopi Papales* ecclesiis reformatis ministros idoneos dare voluissent, non obstitisset *Lutherus* ipsorum ordinationi: sed quia ipsi ministros nostros ordinare noluerunt, nisi ad *papisticæ* ecclesiæ gremium redirent, necessitas postulavit, ut presbyterium more *Apostolico*, ministros suæ ecclesiæ ordinaret: *Pontificiorum enim culpa ecclesia non est deserenda, nec ministris spolianda*, ut *Lutherus* loco priùs citato loquitur.

## CASUS V.

### *Num unumquodvis ministerium in quocunque loco potestatem habet ordinandi ministros suos?*

RESP. Si de stricto jure ecclesiæ sermo esset, non negarem hoc; siquidem jus ordinandi est penes omnem ecclesiam particularem: sed quia hîc de executione hujus juris quæstio est, eam non omnibus ecclesiis concedere possumus, sed antiquitùs ea fuit in reformatis ecclesiis penes illas, ubi sunt consistoria ecclesiastica, quæ habent jura episcopalia. Quem ordinem in ecclesiis *Augustanæ confessionis* usitatam nemo debet convellere. Locum enim habet hic illud Apostoli: *omnia mihi licent, sed non omnia ædificant* 1. Corinth. 10, 23.

Ideò rectè faciunt, qui etiam à locis exteris se conferunt ad consistoria ecclesiastica, ordinationis suæ causa.

In defectu verò consistoriorum nihil refert, si vel quælibet ecclesia, præsertim in Rebuspub. majoribus, ubi ministerium cum Senatu publicum constituit consistorium communicatis operis & votis totius presbyterii, suos ordinaret ministros, quos in examine dignos deprehenderint, quemadmodum ab initio reformationis, antequam erigerentur consistoria, factum esse constat.

## CASUS VI.

### *Num quis ordinatus ab hæreticis, & hæresin aliquam professus, post agnitionem veritatis ad ministerium purum vocatus denuò ordinari debet?*

RESP. Quæstio hæc de illis, qui aliquandiu ministerio publico in ecclesiâ hæreticorum perfuncti sunt, & adhuc à suis ordinati, quales sunt, exempli gratiâ, sacrificuli & presbyteri in *Papatu*: hi, si agnitâ veritate ad nostras accesserint ecclesias, & ad officia ecclesiastica promoveantur, *an iteratâ ordinatione opus habeant*, quæritur.

Ubi diversas esse Theologorum sen-

sententias, non ignoro: tutissimum autem esse judico, ut talis suam ipse excutiat conscientiam: quod si existimat, se tranquilliùs suo in nostris ecclesiis officio perfungi posse, si etiam nostris ritibus ad sacrosanctum ministerium utatur, nihil obstat, quin ordinationem à nostris accipere possit: non enim eadem est ratio ordinationis, quæ baptismi, qui iterari non potest. Hoc enim sacramentum est ecclesiæ: illa autem externus tantùm ritus.

Si autem eo nomine non angitur, ordinatio sua, quam in *Papatu* accepit, contentus esse potest. Nulla enim est iterata ordinationis necessitas: sed ubicunque adhuc aliqua est ecclesia, quæ habet baptismum in suis substantialibus integrum, partem aliquam verbi divini, ut evangelia & epistolas Dominicales, historiam passionis, symbolum Apostolicum, ibi quoq; ordinatio ad ministerium vera esse potest, licet, quoad ritus externos, corrupta, modò in substantialibus suis relinquatur integra, hoc est, committatur alicui potestas docendi verbum per preces ecclesiæ, id quod in *Papistica* ecclesia fieri negare non possumus, etiamsi ministerium satis sit impurum.

*Negativa probatur, quod ordinatio non simpliciter reiteranda sit.*

Rationes nostræ assertionis hæ sunt: 1. quia ordinatio non est corrupti ministerii, sed totius ecclesiæ actus, quem ministerium etiam corruptum exequi potest, modò substantialia rei relinquat integra. Ita enim corruptum ministerium baptismum administrat verum, quatenus substantialia ejus non mutat. Ergò etiam veram habere potest ordinationem, licet præstigias & larvas quasdam Ethnicas addat, quæ substantiæ rei nihil adimere possunt.

2. Quia sacerdotes & *Levitæ* in V. T. ordinabantur interdum, & consecrabantur à ministerio admodum corrupto, de quo *Propheta* dicit: *speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi* &c. *Esa.* 56, 10. *Pharisæi* quoq; & scribæ ordinabant sui similes, & tamen Christus ait, eos *in cathedra Mosis* sedere *Matt.* 23, 1. quo ipso consecrationem & ordinationem ab ipsis acceptam approbavit.

3. Si baptismus à *Pontificiis* & aliis hæreticis substantiam hujus sacramenti non convellentibus acceptus non est iterandus, multò minus ordinatio: illius enim major est necessitas, quia sacramentum est ecclesiæ, ordinatio tantùm ritus quidam externus.

4. Eodem modo Patres ab exemplo baptismi argumentantur de ordinatione hæreticorum non iteranda. *Gregor. lib.* 2. *epist.* 32. ad *Iohannem episcopum Ravennatensem* scribit: *quid dicitis, ut is, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valdè ridiculum est. Absit autem à fraternitate vestra, sic sapere. Sicut enim baptisatus semel, iterum baptisari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari:* quod testimonium citatur *in jure Canonico dist.* 68. *cap. sicut semel.* In eundem sensum scribit *Augustinus lib.* 2. *cont. epist. Parmen. c.* 13. *si quando ex ipsa parte venientes etiam præpositi, pro bono pacis,*

*pacis, correcto schismatis errore suscepti sunt, & visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi: sed sicut baptismus in eis, ita mansit ordinatio integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace est correctum, non in sacramentis, quæ ubicunque sunt, ipsa vera sunt* &c. Paulò post iteratam ordinationem vitiosam, sed veniâ dignam judicat, si ignoranter fiat, nec animosè factum defendatur.

5. Idem confirmat praxis nostrarum ecclesiarum. Nam *Lutherus* & alii in *Papatu* ordinati, postquam errores *Papisticæ ecclesiæ* agnoverunt, non fuerunt iterum ordinati, sed pristinâ ordinatione, quam in *Papatu* acceperunt, contenti, & nemo hoc in ipsis improbavit: quin & *Lutherus in art.* 10. *smalcald.* urget, quòd jura affirmant, ordinatos ab hæreticis verè ordinatos, & illam ordinationem non debere mutari.

6. Hac sententia firmiùs tueri possumus ordinationem *Lutheri* & aliorum, qui in *Papatu* ordinati fuerunt, ordinationem, contra calumnias *Romanensium*, qui subinde clamant, nos non habere ministros legitimè ordinatos. Nam nolentes volentes fateri coguntur, illos in *Papatu* veram ordinationem accepisse, illamque characterem indelebilem impressisse, unde concludere possumus, ordinationis illius vigorem semper manere: id quod clarissimis verbis docetur in *jure Canon. dist.* 1. *q.* 1. *quod quidam*, ubi dicitur, *quòd qui à catholica ecclesia deficiunt, nihilominus ordinem retineant, non modò actu primo, verùm etiam actu secundo, quoad baptismi collationem.* Et *Gretserus* in *Luthero Academico* scribit: *gradus sacerdotis imprimit indelebilem characterem, quo fit, ut quis sacerdos maneat, quamdiu character manet, id est in perpetuum.* Iterata verò ordinatio ministerium *Lutheri* & aliorum infirmare potiùs videretur, multisque disputationibus locum præberet.

7. Si necessariò iteranda est eorum ordinatio, qui in *Papatu* ordinati sunt, dubitandum esset de omni eorum ministerio, inprimis autem de baptismo ab ipsis administrato, & inde dependente hominum æterna salute: unde scrupulus injiceretur iis, qui ab ipsis baptisati sunt, an fuerit verus & salutaris baptismus, quæ sola ratio sufficeret, ne ordinatos in *Papatu*, post suum ad ecclesiam nostram accessum iterum ordinaremus.

Objiciunt autem, qui contrarium sentiunt, 1. *Personam ordinantis*, qui non fuit pastor ecclesiæ, sed lupus, qui oves aliis pascendas committere non potuit, 2. *doctrinam corruptam*, ad quam propagandam ordinatus fuit, nimirum ad missificandum, ad communicandum sub una specie, ad ungendum moribundos, & alias idolomanias exercendas. *Objectio* 1. *à persona ordinantis.* 2. *à doctrina corrupta.*

Resp. distinguendum hîc est inter officia eorum, qui in *Papatu* alios ordinarunt. *Quædam enim fecerunt, ut lupi & mancipia Papæ*, qualia sunt, quæ in objectione commemorantur, & reliqua omnia, quæ à *Papa, ut Papa,* *Resp.*

*Papa*, mandata, & mera hominum inventa sunt; *quædam ut ordinarii ecclesiæ ministri*, quatenus cum præceptis divinis consentiunt, ut, cùm infantes baptisant, ministros alios ordinant, conjuges copulant, mortuos sepeliunt &c.

In his officiis opera Dei ab operibus hominum distinguenda sunt. Hæc à ministris Antichristi fiunt, quia absque mandato Dei fiunt: illa ipsi Deo sunt adscribenda, qui etiam per corruptum ministerium opera sua expedire solet: quemadmodum in ecclesia Judaica, etiam idololatrici sacerdotes ipsi Deo gignebant filios & filias *Ezech.* 16, 20. & per corruptissimum ministerium *Pharisæorum* circumcidebat, sacerdotes ordinabat, & similia faciebat, licet ipsi *Pharisæi*, cùm ex proprio loquerentur, genimina viperarum essent, suisque traditionibus mandata DEI tollerent, *Matth.* 3. *v.* 7. *cap.* 15. *v.* 3.

*An Lutherus tantùm ad Missas, ungendum ægrotos & ad communicandum sub una specie ordinatus fuerit? Neg.*

Sic quòd *Lutherus* in *Papatu* ordinatus fuit, id à ministerio ordinario habuit, quòd autem ad missas & alias abominationes ordinabatur, id erat à ministerio corrupto, quod cum ordinario concurrebat: ideò cùm *Lutherus* tandem impuritatem illam doctrinæ, & abominationes papales animadverteret, reliquit eas, ut feces impurii ministerii, ordinationem autem ut officium ordinarii ministerii retinuit.

Neque verò tantùm ad Missam & alias abominationes *Papales* pro pagandas, sed & ad docendum verbum Dei ordinatus fuit: dum autem pretiosum à vili distinxit, & relictis abominationibus *Papalibus*, verbum Dei rectè docuit, ordinatione novâ opus non habuit, sed ordinatione in *Papatu* accepta tum demum rectè usus fuit.

Idem esto judicium de aliis olim in *Papatu* ordinatis, & postea ad agnitionem veritatis conversis: de quibus plura vide in *Phosphoro veri Catholicismi lib.* 3. *cap.* 11. *pag.* 138. *& seqq.*

## CASUS VII.

### *Quid verò statuendum de iis, qui hodie à Papatu, & aliis hæresibus prorsus alieni sunt, possuntnè bona cum conscientia ordinationem petere à Pontificia aut hæretica ecclesia?*

RESP. Horum alia est ratio. Postquam enim errores alicujus ecclesiæ agnoverunt, fas non est, ut quoquo modo ejus sacra amplius approbent: hoc enim esset *jugum trahere cum infidelibus* quod *Apostolus* expresè prohibuit 2. *Corinth.* 6. *vers.* 14.

Et quorsum opus est ordinationem petere à *Pontificiis*, aut aliis hæreticis, cùm eam in ecclesia orthodoxa impetrare possis? certum est quòd

quòd episcopi *Papales* nemini sacros ordines conferant, qui sit puræ doctrinæ addictus, nisi eam abjuret: ideò nec quisquam sacros ordines ab ipsis petere potest, nisi qui se de mutatione religionis suæ suspectum reddere velit.

Scimus episcopos *Papales* esse lupos & vastatores ecclesiarū, qui ergò sciens & volens à talibus ordinari petit, idem facit, ac si à lupo curam ovium sibi committi postulet.

Cavere jubemur *Pseudoprophetas*, & à *Romana Babylone* exire *Matth.* 7. *v.*15. *Apoc.*18.*v.*4. & quisquam adeò demens sit, ut ad ipsos se conferat, & ministerium in ecclesia orthodoxa sibi ab eis committi posse, credat?

Quænam causa esse potest, ut quis à *Papistico* aliquo suffraganeo potiùs, quàm ab orthodoxo aliquo ministerio ordinari petat?

Qui ordinat, hostis est acerrimus, & persecutor ecclesiæ illius, cujus tu fortè minister es: traditiones hominum, quas verbo Dei æquiparat, te propagare jubet, te non contradicente; examen insuper adhibet planè ridiculum, quod *Pontificale Romanum p.*3. nobis ob oculos ponit, his verbis; *in sacerdote promovendo sufficiēs literatura requiritur: sciat Grammaticam, præsertim si sit secularis, quia illis cura animarum committi solet, quæ sine literis exerceri non potest: examinentur etiam de natalibus, quia illegitimi sine dispensatione Apostolica ad sacros ordines promoveri nō possunt, ad minores tamen possunt ex dispensatione sui episcopi ordinarij: Discutiendi etiam sunt de integritate membrorum, ne sit in eis debilitas, deformitas vel IMPOTENTIA, palpata considerata & tota numerata eorum facie, oculis, auribus, naribus, manibus & digitis eorum, ac pedibus, si opus fuerit, discalceatis, ne fortè sint lignei, & deniq; toto corpore considerato, ne sint gibbosi, torti, vel nimis claudi.*

Nihil hîc audis de examine Scripturæ, nihil de cognitione articulorum fidei, nihil de requisitis aliis, quæ *Paulus* episcopo 1. *Tim.* 3. præscripsit.

Ritus quoque adhibet episcopus in ipsa ordinatione satis mirificos. Duo episcopi tenent evangeliorum codicem super caput & cervicem sive humeros ejus, capiti ejus imponitur mitra, datur ei annulus, baculus, chirotecæ: & hæc substantialia ordinationis vocat *Durand. lib.* 3. *ration. divin. offic. cap.*11.

Hæc omnia partim superstitiosa, partim ridicula approbare cogitur is, qui à *Pontificijs* ordinationem petit: quis autem hoc bona cum conscientia facere potest?

Proinde talis ordinatio pro nulla habenda, imò pœnâ dignus est, qui ecclesiæ orthodoxæ curam sibi demandatam habet, & ab hostibus ecclesiæ, quos probè novit, sciens ac volens confirmationem petit, quæ per χειροτονίαν usitatam dari solet.

Neque excusat, quòd talis ordinatio cum protestatione suscipitur, *Exceptio vana.*

Fffff ordi-

ordinandum nimirum non *papisticas* traditiones, sed dogmata scripturæ sacræ consona nihilominùs propositurum esse: nam protestatio hæc facto est contraria; quia ipsa ordinatio *Papistica* est pars doctrinæ *Papisticæ*, imò sacramentum istius ecclesiæ, quem errorem talis ordinandus suo silentio, sciens ac volens approbat.

Quam ob causam præstat, hujusmodi ordinationem penitus rescindere, quàm protestationem istam frivolam attendere: id quod in agro *Megalopurgico* ante aliquot 20. annos factum est, & in locum *Papisticæ* ordinationis, orthodoxis ecclesiis usitata substituta fuit, uti legimus in consilio *Theologorum Rostochiensium*, quod *Anno* 1601. ad mãdatum principis sui de tali casu ediderunt: quod legitur in *volum. 1. part. 2. Consilior. M. Dedekenni fol.* 495. *seqq.*

## CASUS IIX.

### *Num quis ad ordinationem admitti potest, qui nondum ad certum aliquod officium ecclesiasticum vocatus est?*

Resp. Minimè: nam *ordinatio est vocationis confirmatio*: deficiente ergò vocatione, locum nondum habere potest ordinatio, quę non debet esse sine titulo, ut habetur *in jure Canonico dist. 70. cap ab episcopis.*

Neque satis est, ut quis à teneris sacras didicerit literas, animumque habeat inserviendi ecclesiæ, quocunque eum ire jusserit Dominus, sed ad certam aliquam ecclesiam eum priùs vocatum esse oportet.

Soli Apostoli docere poterant, quocunq; pervenerant: ipsi verò ministerium docendi committebant tantum aliis, per impositionem manuum, qui jam per suffragia certæ alicujus ecclesiæ ad docendum fuerant electi.

Hinc in *Concilio Carthaginensi* cautum fuit *can. 6.* ne quis absolutè ordinetur, nisi ad certam & specialem ecclesiam.

Meritò igitur reprehensionem incurrit consuetudo ecclesiæ *Genevensis*, ubi aliqui in Theologiâ instituti mittuntur in *Galliam* ecclesiis præficiendi, licet à nullâ ecclesiâ adhuc sint vocati. Nam ecclesia nulla potestatem habet mittendi ministros ad aliam, quæ in vocationem ejus non consentit, ne quis detur invitis.

Vide *D. Chemnitium part. 3. L. C. loco de eccles. cap.* 4. Plura ad ordinationem ministrorum pertinentia, annotavi in lib. de *institut. ministror. cap.* 8 progredimur ad alia.

## CAPUT VII.

### *De Casibus conscientiæ circa officium ministrorum verbi concionatorium.*

#### PROOEMIUM.

QVi ad ministerium verbi legitimè vocati atq; ordinati sunt, semper memores sint officii sui, cujus causâ vocationem atq; ordinationem acceperunt.

*Officium ministrorũ verbi in quatuor rebus consistit.*

Officium autem ipsorum in quatuor membris consistit: 1. *In propagatione veræ doctrinæ*: 2. *In administratione rectâ sacramentorũ*: 3. *In usurpatione clavium*; 4. *In conservatione boni ordinis ac disciplinæ in ecclesia.*

Circa singula multa moveri possunt, in quibus juniores ministri informatione opus habent, ne quid contra conscientiam faciant: sed cùm in aliorum libris prolixè tractentur, nos præcipua eligemus; de quibus nunc ordine σὺν θεῷ acturi sumus, & in hoc quidem capite ea explicabimus dubia, quæ circa conciones habendas occurrunt.

*Quid hoc in capite agendum?*

Hoc enim caput officii ministerialis unum est, è præcipuis, ideò *Augustinus* epist. 59. quæ est ad *Paulinũ*, *pastores & doctores apud Paulum pro uno & eodem sumi scribit Eph. 4. ut intelligant pastores ad officium suum pertinere doctrinam.*

## CASUS I.

### *Num minister ecclesiæ doctrinam ad præscriptum sui magistratus bona cum conscientia conformare potest?*

RESP. Unica norma doctrinæ est verbum DEI, in quo omne Dei consilium est revelatum *Act.* 20 *v.* 27. & quidquid hominem Dei perfectum reddere potest, contentum, 2. *Tim.* 3, 17. Ideò *D. Petrus* hortatur: *qui loquitur, loquatur eloquentia Dei* 1. *Pet.* 4. *v.* 11.

Fieri tamen potest, ut pius Magistratus, certam docendi formam ecclesiis suarum regionum præscribat, non ex cerebro suo haustam, sed ex Scriptura petitam, & à viris doctis ac religiosis collectam atq; approbatam, eum in finem, ut inter tot hæreses, quarum quælibet ad Scripturam provocat, certum dicendi genus habeatur, & forma sanorum verborum observetur.

Et hæc doctrina comprehensa est in libellis publicis, quos vocant symbolicos, quia sunt quasi symbolum & tessera doctrinæ, quæ istis in ecclesiis publicè sonat.

Tales libros magistratus potest doctoribus in ecclesiis & scholis suarum regionum commendare, & ut ad eorum præscriptum conciones forment, mandare.

Ita in *Concilio Niceno* à patribus

*Concilij* sub nutu pientissimi *Imperatoris Constantini* symbolum, quod à loco vocatur, *Nicenum*, conscriptum fuit, de quo *Athanasius in epistola ad Epictetum* scribit: *quæ in synodo à patribus secundum sacras Scripturas exposita est fides, sufficiens est ad omnem destructionem impietatis hæreticæ, & ad confirmationem piæ in Christo fidei.*

**Symbolum Nicenum.**

**Augustana Confessio.**

Hujusmodi liber symbolicus nostri seculi est *Augustana Confessio* invariata anno Christi 1530. *Augustæ Vindelicorum Carolo V. Imperatori* exhibita; & liber *Christianæ Concordiæ* ab orthodoxis Theologis, jussu religiosissimi principis *Augusti, Electoris Saxoniæ* conscriptus, qui, quia sacræ scripturæ ex asse est conformis, & errores multorum, qui se *Augustanæ Confessionis* socios nominant, è latibulis suis producit, docentibus in ecclesia præ cæteris commendatus esse debet, non quidem ut judex sed ut testis doctrinæ in Scriptura comprehensæ & rectè explicatæ infallibilis. Ita enim *Augustinus* distinguit inter sacram scripturam, & alia scripta Theologica, *epist. 19. ad Hieron. Ego solis eis scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum autorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam: alios autem ita lego ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserint, sed quia mihi per illos Canonicos autores, quòd à verò non abhorrent, persuadere potuerunt.*

**Formula Concordiæ.**

Idipsum etiam *Formula Concordiæ* de se ipsa statuit, in *præfat. de compendiaria regula &c.*

Commemorata illa symbola & alia scripta, quorum paulò antè mentionem fecimus, (scripta *Patrum, symbola* tria, *Apostolicum, Nicenum, Athanasianum, Augustana Confessio, ejusdem Apologia, articuli Smalcaldici, uterque Catechismus Lutheri*) non obtinent autoritatem judicis: hæc enim dignitas solis sacris literis debetur: sed duntaxat pro religione nostra testimonium dicunt, eamque explicant, ut manifestum fiat, in quâ sententiâ sacras literas acceperint, easque quomodo interpretatæ sint ecclesiæ illæ, quæ tum erant, & quibus rationibus dogmata cum sacrâ scripturâ pugnantia rejecerint, atque condemnaverint.

Alia ratio est, cùm magistratus falsæ religioni vel penitus addictus, vel quodammodo de ea suspectus, libellos ecclesiæ obtrudit, in quibus doctrina Christiana flexiloquis & ambiguis verbis proponitur, & tamen docentes in ecclesiis & scholis ad eos, tanquam ad normam aliquam doctrinæ obligare vult, tunc ministri ecclesiæ parere non tenentur, sed scriptum illud ad normam sacræ Scripturæ examinare, & errores illos solidis argumentis ostendere, & ne quid contra Scripturam docere cogantur, petere debent.

Quo pacto olim, cùm à *Carolo V. Imperatore* libellus *Interim* ecclesiis

**Libellus Interim.**

ſiis evangelicis obtruderetur, Theologi multi maſculè contradixerunt, etiam cum vitæ periculo, aut muneris ſui diſpendio, quanquam non pauci ex puſillanimitate nimiâ in mandatum *Cæſaris* conſentirent, non ſine ſcrupulo conſcientiæ.

Perinde enim eſt, ſive doctrinam apertè falſam, ſive ambiguam & cothurno ſimilem auditoribus proponas.

Hîc ergò locum habeat illud *Apoſtoli: jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris Epheſ.* 4,14.

## CASUS II.

### *Num ad interdictum magiſtratus politici miniſter eccleſiæ ab antitheſi & condemnatione falſorum doctorum ac doctrinæ in concionibus, ſalva pietate abſtinere poteſt?*

RESP. Reperias inter politicos non paucos, qui ne quidem ἀντίθεσιν doctrinæ veræ ferre pro concione poſſunt, exiſtimantes diſputationibus de religione frenum injiciendum eſſe, vel ſaltem eas ad ſcholas remittendas, ad populum non pertinere, planè ſicut olim *Valentinus Urſacius, Germinius, Auxentius, Gajus* & *Demophilus* in *ſynodo Ariminenſi* poſtularunt, ne ſingulorum ſententiæ inpoſterum curioſiùs inveſtigentur, ne diſſidia & ſeditiones moverentur, referente *Sozomeno lib.* 4. *hiſt.c.* 17.

*Varia variorum opiniones.*

Alii antitheſin quidem permittunt, quin & adamantinum clavum veræ concordiæ nominant, quæ vox eſt *Victorini Strigelij*: ſed nec doctores falſæ doctrinæ nominatim pro concione refutari, neque doctrinam ipſorum condemnari, ferre poſſunt. Ita olim in *eccleſiis Orientalibus* petitum fuit, ut de filii Dei divinitate orthodoxa doctrina proponeretur integrè, & contraria doctrina refutaretur, ſuppreſſo nomine *Arij* aut *Arianorum*, cui petitioni multi obtemperarunt, referente *Philippo in prælectionibus Torgenſibus anno* 1552. & tempore interimiſtico non defuerunt, quibus ira *Cæſaris* erat formidabilis, qui ſuaſerunt, *Papam, Epiſcopos, Monachos, Miſſam* & ſimilia non eſſe pro concione expreſsè nominanda, multò minùs damnanda.

*Calviniani* nihil minùs ferre poſſunt, quàm doctorum ſuorum nomina exprimi, cùm doctrinam eorum refutamus, aut doctrinæ *Calviniſticæ* condemnationem, ut inter cætera apparet ex *admonitione Neoſtadienſium, quam Formulæ Concordiæ* oppoſuerunt, *cap.* 7. & ex *Pelargi antitheſibus num.* 31. unde ſæpiùs factum quòd magiſtratum contra doctores eccleſiæ inflammarunt, & mandata inhibitoria impetrarunt



Digitized by Google

ſtrarunt: quibus orthodoxi pio zelo maſculè ſe oppoſuerunt: nec ſine cauſa.

*Rationes, quod antitheſin nemo intermittere debeat.*

Primùm enim antitheſin veræ doctrinæ nemo intermittere poteſt, qui veri eccleſiæ miniſtri officium, ritè facere cupit: nam Scriptura utilis eſt etiam ad ἔλεγχον ſeu refutationem falſæ doctrinæ 2. *Tim.* 3, 16. & inter officia epiſcopi, id eſt, eccleſiæ miniſtri pertinet etiam *τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*, *Tit.*1. *v.*9. diſcernere pretioſum à vili *Ier.*15. *v.*19. mundum ab immundo *Ezech.*22,26.

Qui ergò miniſtris eccleſiæ antitheſin tractare prohibet, is bonam partem miniſterii eccleſiaſtici tollit. Etſi enim accuratior controverſiarum tractatio potiſſimùm ad ſcholas pertinet: neceſſe tamen eſt, ut quilibet pro captu ſuorum auditorum falſam doctrinam refutet, ut & ſimpliciores non tantùm fundamenta ſanæ doctrinæ teneant, ſed & errores adverſariorum refellere pro ſuo modulo diſcant, ne ſi planè hoſpites hoc in genere eſſent, decipiantur.

Idcircò *Paulus Romanos* rogat, ut obſervent eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam ipſi didicerunt, faciunt, & ab illis declinent *Rom.*16.*v.*17. quod certè abſque aliquo guſtu falſæ doctrinæ fieri non poteſt.

*Quomodo officium elenchticũ candidè & abſq; calumnia tractandum?*

Ut autem officium hoc elenchticum candidè & abſque calumnia, (quæ Theologum non decet) fieri poſſit, neceſſe eſt, ut non quibuslibet rumoribus fidamus, ſed adverſariorum errores ex libris ipſorum perſpectos habeamus, aliàs & nos & alios non ſine rubore decipiemus.

Multum errant hoc in genere *Calviniani*, qui doctrinam noſtram damnant, neque lectam neque intellectam. Quo in genere egregium ſpecimen edidit *Iohannes Sturmius, Orator Argentinenſis*, qui fatetur ſe librum *Concordiæ* non legiſſe, nec vidiſſe unquam, in *Antipappo* 1. *pag.* 30. *in velitatione ſua p.* 3. & tamen in *Antipappo* 4. peſſima quæque de illo libro egeſſit. Doctrinam noſtram de manducatione orali & indignorum, vocat duos pilos caudæ equinæ. *Quemadmodum* (inquit) *duo nigri pili, ex pulcerrima equina cauda evulſi ad ſpecioſam formam equi nihil pertinent: ita & doctrina de manducatione orali corporis Chriſti & de impiorum manducatione nihil prorſus conducit ad inſtitutionem cœnæ Domini.* Doctrinam de majeſtate carnis Chriſti, dianam mammatam, nympham πανταγούσιον, novam in eccleſia meretriculam, Sphingem atque Chymæram nominat, in quâ ſint omnia *Marcionis, & Valentini, & Ary & Eutychis & Neſtory & Sabelly* falſa & inania dogmata. Tam leviter certè de doctrina adverſariorum nondum cognita non judicamus. Scimus enim illud *Siracide c.*11. *v.*7. *priusquam interroges, cognoſcas, ne vituperes quenquam, & cùm interrogaveris, corripe juſtè: priusquam audias, ne reſpondeas verbum.*

In antitheſi doctrinæ etiam obſervetur,

vetur, ne quid fiat ex odio personæ, sed omnia ex amore veritatis, ad quã errantes, si fieri potest, reducendi sunt, juxta sententiam *Chrysostomi in homil. de anathem. dogmata impia ab hæreticis profecta arguere & anathematizare oportet, homini autem parcendum, & pro salute ejus orandum.*

In refutatione etiam pax cum sale miscenda, hoc est, mansuetudo cum pio zelo temperanda est. Nam *Apostolus Paulus* vult quidem ministrum ecclesiæ mãsuetum esse ad omnes 2. *Tim.* 2. *v.* 24. vult autem etiam ἐπιστομίζειν seductores *Tit.* 1, 10. quemadmodum Christus ipse mansuetissim⁹ ille hominum *Pharisæos* appellat *hypocritas, Matth.* 23, 12, 14, 16. *stultos & cæcos Matt.* 23. *v.* 17. *Paulus Pseudoapostolos* vocat *operarios dolosos* 2. *Cor.* 11, 13. *inimicos crucis Christi Phil.* 3, 18.

A conviciis igitur ita abstinẽdum est, ne extinguatur zelus pro domo Domini. Nam ut *Augustinus* scribit *epist.* 148. ad *Valerium: nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & lætius & hominibus acceptabilius episcopi aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè atq; adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserabilius & tristius, & damnabilius.* His igitur de causis & hoc modo antithesis pro concione tractanda est.

*Doctrinæ falsæ pro cõcione etiam condemnari potest & quomodo?*

Deinde doctrinæ legitimè refutatæ etiã condemnatio fieri potest pro concione: quâ voce non intelligimus *Rhadamantéam* sententiam, quâ errantes magistratui politico persequendi, mactandi, trucidandi, excarnificandi traduntur, quemadmodum *Sturmius in Antipappis* interpretatur, sed censuram ecclesiasticam doctrinæ impiæ, & qui eam afferũt, quâ ex scriptura cõvicti, quòd ecclesiam turbent, & alios seducant, indigni judicantur, qui audiantur ampliùs, ejusq; pœnæ rei, quam Deus malitiosis verbi sui depravatoribus minatur *Psal.* 59, 13. 14.

Et hac damnatione non tanguntur ecclesiæ integræ: *sæpè enim* (juxta *Hieronymi verbum ep.* 61. *ad Pammach.*) *aliud populi audiunt, aliud prædicant sacerdotes*: sed condemnantur hæresiarchæ, & qui eis pertinaciter adhærent, monstratæque veritati non cedunt, quemadmodum *Paulus* turbatores ecclesiæ *Galaticæ* damnavit, ecclesiam autem amavit, & optimè ei precatus fuit *Gal.* 1, 7, 8. 6, 18. quin & aliquos in ea fratres agnovit *Galat.* 6. *v.* 1. quo pacto etiam *Formula Concordiæ* mentem suam de condemnationibus explicuit *in præfatione.*

Tertiò quòd in antithesi & condemnatione falsorum dogmatum propugnatores nominatim perstringendi sint, fundamenta habemus satis firma 1. *mandatum Dei est*, ut *qui populum idololatria seducunt, inquirantur Deut.* 13. 12. ut *pseudoprophetæ caveantur Matth.* 7, 25.

*Rationes, quòd falsi doctores nominatim perstringendi.*

2. Mandatum Apostoli est, ut, *qui dissensiones & offendicula pariunt, observentur Rom.* 16, 17. ut, *qui resistant veritati, corripiantur* 2. *Tim.* 2, 25.

2. *Tim.*

2. *Tim.* 4, 1. *ſeqq.* in quibus locis omnibus, non tam doctrinæ erroneæ, quàm falſorum doctorum reprehenſio præcipitur.

3. Quo pacto *Moſes* reſtitit publicè *Aaroni* ob idololatriam *Exod.* 32, 21. *Elias Baalitis* 1. *Reg.* 18, 17. *Eſaias* ſacerdotibus Domini *Eſa.* 56, 10, 11. *Jeremias Hananiæ*, *Achabo filio Colia & Zedekiæ* filio *Maaſiæ* pſeudoprophetis *Ierem.* 23, 13, 15. 29, 8, 21. *Chriſtus Phariſæis* & *ſcribis Matth.* 7, 15, 15, 14. *Ioh.* 10, 8. *Paulus pſeudoapoſtolis* 2. *Cor.* 11, 13. *Phil.* 3, 18. & nominatim *Hymenæo & Phileto* 1. *Tim.* 1, 20. *Petrus pſeudodoctoribus* 2. *Pet.* 2, 1.

Ad hoc exemplum *Patres in Conciliis* nominatim anathematizarunt *Arium, Eutychen, Macedonium, Pelagium*, & alios hæreticos, & ſi qui orthodoxi idem facere noluerunt, his anathema dixerunt, ut habet *Can.* 11, 13. *Concilii Conſtantinopolitani quinti*: & *Auguſtinus* omnes à rectâ fide abducentes anathemate feriit *li.* 3. *cont. lit. Petiliani cap.* 6. Et cur non liceat nominare eos, quorum doctrinam eſſe falſam ſcimus? quomodo enim aliàs ab auditoribus caveri poſſunt?

4. Quæ cum ita ſint, ſequitur quarto loco, magiſtratum non docere, ut condemnationes iſtas doctrinæ falſæ & doctorum falſorum inhibeat, hoc enim eſt fideles eccleſiæ miniſtros in officio elenchtico impedire, quæ res nunquam fuit impunita, ut teſtatur exemplum *Achabi* reſiſtentis hoc in genere Prophetæ *Micha* 1. *Reg.* 20, 23. populi *Iudaici* redarguentis *Eſaiam & Ieremiam* arguentis pſeudoprophetas *Eſa.* 30, 10. *ſeqq. Ier.* 23, 34.

5. Inhibitio officii elenchtici etiam impiam doctrinam propagat: nã tacentibus canibus, qui vigilare debebant pro ovili Domini, facilis eſt acceſſus lupo ad oves.

6. Speciem inſuper habet Epicureiſmi, quaſi una religio non ſit melior alterâ. Si enim dogma aliquod habemus pro erroneo, cur non illud publicè redargui & damnari permittimus?

7. Et tandem non procul abeſt ab ἀλλοτριοεπισκοπῇ, non enim eſt magiſtratus, præſcribere miniſtris eccleſiæ, quid docere, quid refutare, quando loqui, quando ſilere debeãt. Nam, ut *Ambroſius ad Imperatorem Theodoſium* dixit *lib.* 5. *epiſt.* 29. *neque imperiale eſt, libertatem docendi denegare, neq; ſacerdotale, quod ſentiat, non dicere.*

8. Proinde miniſtri verbi mandatis illis inhibitoriis parêre, non tenentur, quia manifeſtè eſt contra verbum Dei, cui plus obedire debẽt, quàm hominibus: quemadmodum, cùm à *Pontificibus* & ſenioribus populi prædicatio evangelii de Chriſto ipſis prohiberetur, obtemperare noluerunt, dicentes: *an juſtum ſit in conſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum judicare: non enim poſſumus, quæ vidimus aut audivimus, non loqui Actor.* 4. *v.* 19.

Quæ ab adverſariis objiciuntur, non ſunt magni momenti, & refutata *Objectiones alibi refutatæ.*

Digitized by Google

tata reperiuntur *in diſput. de anathematis m.c.5.theſ.84.& ſeqq.*

## CASUS III.

### *Si errantes in doctrina pro concione nominatim refutare licet: an non etiam peccantes in moribus nominatim perſtringere fas eſt?*

Neg. RESp. Etſi vitia auditorum in concionib. graviter caſtiganda ſunt, nam & hæc eſt pars officii elenchtici, cujus autor eſt ipſe Spiritus S. *qui mundum arguit de peccato Ioh.16.* non tamen fas eſt, quenquam in moribus delinquentem nominatim perſtringere, aut ita coloribus ſuis depingere, ut quilibet digito quaſi notare ipſum poſſit: id quod ut maximè ſcandaloſum in *Coſtitutionibus Electoral.* noſtratum eccleſiarum eſt prohibitum.

Neq; enim vel Chriſtus vel Prophetæ vel Apoſtoli hoc fecerunt, licet pſeudodoctores etiam nominatim refutarint.

*Diſtrimen inter errores in doctrina & peccata morum, quintuplex:*

Magnum enim eſt diſcrimen inter errores in doctrinâ & inter peccata morum. (1.) In erroribus doctrinalibus agitur de totius eccleſiæ ſalute, ne ſeducatur: in peccatis morum agitur tantùm de peccantium converſione.

(2.) Peccata morum incurrunt in ſenſus externos, & diu occultari non poſſunt: error in doctrinâ ſæpenumero diu latet, & ut cancer ſerpit 2. *Tim.2,17.*

(3.) Peccata morum tantùm exemplo nocent: errores in doctrinâ datâ operâ ſparguntur, & ad alios per inſtitutionis viam propagantur.

(4.) Hæreticus docet malè credere: improbus non docet alios malè vivere.

(5.) Hæreticus malè credendo facit etiam malè vivere; *nam male vivitur, ſi de Deo non benè creditur,* inquit *Auguſtinus lib.5.de civ.Dei ca.10.* improbus verò exemplo tantùm vitæ ſuæ nocet.

Accuratiore ergò animadverſione opus eſt in hæreticos, quàm in eos, qui improbè vivunt: unde etiam eſt diverſitas in elencho.

## CASUS IV.

### *Num miniſter eccleſiæ officium elenchticum bona cum conſcientia prorſus intermittere poteſt.*

*Neg. Quia miniſtri eccleſiæ ſunt:*

RESp. Nullo modo. Quemadmodum enim ſcriptura *utilis eſt ad arguendum & corripiendum 2. Tim. 3.v.16.* ita miniſtrum eccleſiæ oportet *potentem eſſe exhortari in doctrinâ ſana, & contradicentes arguere Tit.1. v.10.*

*1. paſtores.* Sunt enim *paſtores ovium*, ergò oviculas ſuas ita paſcant, ut, quod infirmum eſt, corroborent, ægro-

 tum

tum ſanent, confractum cõſolident, quod propulſum eſt, reducant, quod periit, requirant *Ezech.* 34, 4.

2. architecti. *Architecti ſunt in domo Dei*, 1. *Cor.* 3. *v.* 10. ergò non tantùm ædificent, ſed & iis qui vel falsâ doctrina, vel corruptis moribus ædificata deſtruunt, reſiſtant, & deſtructa inſtaurent. *Qualis enim eſt hæc ædificatio*, inquit *B. Lutherus, in cap.* 5. *epiſt.* 1. *Petri, congerere lapides, & ut ab aliis deſtruantur, permittere.*

3. ſpeculatores. Epiſcopi *ſpeculatores ſunt Ezech.* 3, *v.* 17, 33, 17. ergò animadvertãt eos, qui impie vivunt, & impietatem ſuã eis annuncient, aliàs *ſanguinem illorum Deus è manibus ipſorum requiret Ezech* 3. *v.* 17. *ſeqq.*

4. quia Deus hoc precepit. Eam ob cauſam Deus ipſe injunxit miniſtris verbi *Eſa.* 58. *v.* 1. *clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.*

5. quia malè audiunt muti iſti paſtores. Malè a. audiunt Prophetę, *qui ſunt quaſi vulpes in deſerto, non adſcendunt ex adverſo, neq; opponunt murum pro domo Iſrael, ut ſtarent in prælio in die domini Ezec.* 13. *v.* 4. *qui decipiunt populũ dicentes: Pax, & non eſt pax verſ.* 10. *qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas verſ.* 8. *qui violant Dominum ad populum, propter pugillũ hordei & fragmen panis, ut interficerẽt animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt v.* 19.

Diverſa peccantiũ genera. Sunt autem diverſa hominum vitia, quidam enim *ex imbecillitate carnis* peccant, & correctionem facilè admittunt, hi leniter tractandi ſunt, & cum manſuetudine ſpiritus juxta monitum Apoſtoli: *ſervum Domini nõ oportet litigare, ſed manſuetum eſſe* 2. *Tim.* 2, 24. & iterum: *ſi quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujusmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis Gal.* 6. 1. In quam ſententiam ſcribit *Chryſoſt. in homil.* 1. *de incomprehenſibili natura DEI: non animo irato agamus, ſed modeſtè, & amicè, & humanè diſputemus: nihil enim manſuetudine validius, nihil modeſtiâ efficacius. D. Paulus* etiam rationem haberi vult ſexus & ætatis: *ſeniorem* (inquit) *ne increpaveris, ſed obſecra, ut patrem: juvenes, ut fratres, anus, ut matres, juvenculas, ut ſorores in omni caſtitate,* 1 *Tim.* 5, 1.

*Quidam autem ſcandaloſè & enormiter peccant, & in peccando obſtinati ſunt*, unde fit, ut vitia creſcant, cum periculo ſalutis; hic aſperitate opus eſt, etiam abſque diſcrimine ætatis; nam, ut *Gregorius* loquitur *lib.* 7. *epiſt.* 1. *ubi ſenior juvenibus ad interitum exemplum præbet, ibi diſtrictâ increpatione feriendus eſt.* Hinc eſt illud *Apoſtoli: peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant* 1. *Tim.* 5, 20. & *Cyprian.* ſcribit *in ſerm. de lapſis: pertinacium hominum tolerare moleſtiam non eſt amare hominem; ſed accidere, ſi quis peccatores & impios in malitiâ foveat, & obſequiis decipientibus ſalſat, ſicut medicus imperitus, qui gravia vulnera parcente manu contrectat.*

In hoc officio Elenchtico cavenda ſunt

Quidam

*vendum in officio hoc elenchtico: Reſp. tria. 1. vindicta privata fugienda.*

da ſunt (1) *ne vindicta quæratur privata*, ſed emendatio delinquentis & averſio ſcandali. In omni enim pœnâ videndum eſt, aut, ut is qui punitur, emendetur, aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat, aut ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant, monente *Senecâ lib. 1. de clemen. cap. 21.*

*2. Gradus Admonitionum adhibendi.*

(2) Antequam vitium alicujus pro concione taxetur, *præmittantur gradus admonitionum*, ut *Chriſtus* voluit *Matth.* 18, hoc eſt, delinquens primùm privatim delicti ſui admoneatur: ſi hoc non curat, adhibeatur unus & alter ex miniſterio, & repetatur admonitio: ſi neque hac ratione emendatur, dicatur eccleſiæ, h. e. publicè reprehendatur, ſi fortè pudore ſuffuſus ad frugem redire voluerit.

*3. Nemo nominatim perſtringendus.*

(3) Præterea nemo delinquentium pro concione nominatim perſtringendus, aut ita depingendus, ut quilibet intelligere poſſit, quis notetur: id quod in *Conſtitut. Electoral. art. 3. general.* expreſsè interdictum eſt.

De his omnibus plura vide in *Juſtit. miniſt. c. 16 p. 169 ſeqq*

## CASUS V.

### *Num miniſter eccleſiæ ob conciones vehementiores coram politico magiſtratu in jus vocari poteſt?*

RESP. Pius Zelus in arguendis vitiis etiam publicè pro concione extingui non debet, modò miniſter eccleſiæ maneat in generalibus, ſine expreſsâ perſonarum delinquentium nominatione aut deſcriptione. Non enim decet miniſtros verbi *canes eſſe mutos Eſa. 5*, 10. aut *ſpeculatores cæcos, de quorum manu Deus ſanguinem impii in peccatis ſuis morientis requiſiturus eſt Ezech. 3. v. 18.* ſed *clama*, inquit Dominus, *ne ceſſes, exalta vocem tuam, & annuncia populo ſcelera eorum Eſa. 58. v. 1.* & Apoſtoli *Pauli* verbum eſt: *increpa eos durè Tit. 1. v. 3.*

*Miniſter eccleſiæ debet manere in generalibus increpationibus.*

Quòd ſi quis auditorum generalis hujus increpationis applicationē ad ſe facit, efficacia verbi hinc agnoſcenda eſt, quod *vivum eſt & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens usq; ad diviſionem animæ ac ſpiritus Hebr. 4. 12.* eamq; efficaciam habet tam in piis, qui per hoc medium emendantur, ut factum eſt in auditoribus *D. Petri Actor. 2. v. 37.* quàm in impiis, quod auditoribus *D. Stephani* contigit *Act. 7. v. 54.*

Si quis propterea putat ſe à miniſtro injuriâ affectum eſſe, quem eo nomine coram magiſtratu in jus vocare non dubitat, miniſter ad comparendum & reſpondendum adigi non poteſt, partim, quia magiſtratus in talibus, quæ ad officium miniſtri pertinent, competens judex non eſt; partim, quia miniſter non ſuam, ſed Chriſti cauſam pro concione egit, cujus legatione fungitur, & per quem Deus ipſe exhortari dicitur 2. *Cor.* 5 *v.* 20. ideò Chriſtus Apoſtolis, & eorum in mini-



Digitized by Google

ſterio ſucceſſoribus dixit: *qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit Luc.* 10. *v.*16. cùm eo ergò tranſigant, qui admonitionum adeò ſunt impatientes.

Si verò contingat, (uti ſæpè fit) ut miniſter habeat ζῆλον ἄζηλον, & ex affectibus privatis nimis ad ſpeciem inclinet, & absque antegreſſis gradibus admonitionum in perſonam aliquam invehatur, vel nominatim, vel per colores vivos: in eo quidem peccavit, & correptione dignus eſt: ſed cognitio cauſæ non pertinet ad magiſtratum politicum, quod ſine contemtu miniſterii non fieret: ſed referatur negotium ad miniſterium, aut pro gravitate exceſſus ad Conſiſtorium, ut puniatur exceſſus, & miniſterio ſua nihilominus autoritas relinquatur.

## CASUS VI.

### *Num etiam magiſtratus pro concione arguendus eſt?*

RESp. Multi ſunt, qui hoc ferre non poſſunt, vocant crimen læſæ majeſtatis, & ſeditionem, quâ ſubditi ad contemtum magiſtratus commoventur.

Sed cogitandum eſſet, etiam magiſtratum eſſe ex hominibus ſumtum, qui labi, errare decipiq; poſſunt: viciſſim non ſunt homines, qui in miniſterio cum ipſis agunt, ſed Spiritus Sancti eſt *arguere mundum de peccato Joh.* 16.*v.* 8. qui per os miniſtrorum in mundo contemtorum agit cum aliis. Major autem eſt majeſtas Spiritus Sancti, quam potentiſſimorum regum atque principum, crimen ergo læſæ majeſtatis divinæ committunt, qui nihil durius in magiſtratum, ſed merè placentia audire volunt.

Fidelis ergo miniſter eccleſiæ magiſtratui etiam, qui bona pars eccleſiæ eſt, hoc in genere, ſi opùs fuerit, parcere non poteſt.

Tendat autem hæc correptio non in magiſtratum, quatenus talis, ita enim in ipſam DEI ordinationem tenderet, quam nemo hominum convellere, aut in contemtum apud alios ducere debet: ſed in vitia magiſtratus, quæ ſæpe numero in hoc ordine hominum magis ſunt enormia, quàm in aliis juxta uſitatum verſiculum:

*Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.*

Vitia autem illa magiſtratus ſunt duorum generum: Quædam in magiſtratu ſunt, ut in homine, quæ habent cum aliis communia, ut homicidium, adulterium, helluationes & ſimilia, ea, quin pro concione taxanda ſint, nemo negare poteſt, niſi quis exiſtimare velit, magiſtratum habere privilegium contra legem Dei liberè peccandi. Ita Nathan arguit Davidem ob adulterium & homicidium 2. *Sam.* 12. Johannes Baptiſta Herodem ob inceſtum

*Vitia magiſtratus duorum ſunt generum.*

ceſtum *Matth.* 14. 4. Alia ſunt in ipſis vitia, quæ contra officium magiſtratus perpetrantur, ut durities & tyrannis. Et hic iterum diſtinctione opus eſt. Rectè enim dicitur: *tyrannis multa ſunt condonanda.* Interdum tyrannis & durities eſt manifeſta, quando videlicet exactiones populi fiunt, & nova onera imponuntur, ſine modo, & ſine publicâ neceſſitate, quo pacto Pharao duriter tractabat Iſraelitas in Ægypto, Nebucadneſar eoſdem in captivitate Babylonicâ, aut cùm magiſtratus bona ſubditorum ſub ſpecie recti injuſtè ad ſe rapit, ut Achab Vineam Nabothi 1. Reg. 21. v. 15. & ut nobiles quidam faciunt, qui frumentum ſubditis pro exiguo precio extorquent, cereviſiam malè coctam ipſis obtrudunt, bona eorum venalia faciunt, & quæ ſunt hujus generis alia. Talis durities, tyrannis & injuſtitia aperta per miniſterium verbi eſt taxanda, quemadmodum Moſes Pharaonem, Eſaias & Jeremias Nebucadneſarem, Elias Achabum, ob ſimilia flagitia reprehendit. Aliter ſe habet, cùm publicæ incidunt calamitates, ubi magiſtratus non ſine ſubſidiis ſubditorum Rempubl. juvare poteſt. Ibi ſi novæ contributiones à populo petantur, non reprehendendus eſt magiſtratus ſed miniſter verbi monere debet populum de differentiis temporum. Quædam enim ætas eſt aurea, quædam etiam terrea, quædam floret & populo grata eſt, quædame tiam inareſcit, & populo du-

*Differentia temporũ.*

ra fit, ſub Davide & Salomone floridus fuit eccleſiæ ſtatus, ſub Achabo non item. Peccata populi hujus infelicitatis cauſa ſunt, cui etiam magiſtratus involvitur.

Quemadmodum ergò calamitas magiſtratus beneficentiâ ſubditorum ſublevanda eſt, præſertim, cum id ad Reipubl. commodum vergit: ita viciſſim rapacitas & injuſtitia magiſtratus, non eſt ſilentio prætereunda, ſed præ cæteris arguenda in concionibus, quemadmodum Prophetæ plerumque, (inprimis Habacuc cap. 1.) principum vitia graviter arguerunt.

Unde Lutherus ſcribit *in comment. in Hebræos tom. 3. Ienenſ. Germ. fol. 2, 30. a. nemo magis eſt in culpa, quod tanta injuſtitia eſt in terris, quã magiſtratus, cùm officii ſui ſit, punire injuſtitiam, quod ille non modo non facit, ſed & ipſe iniquitate ſubditos premit, quæ iniquitas à capite fluit in membra, hoc non ferre poteſt Deus: ideò tempore captivitatis Babylonicæ Nabuzaradan dux bellicus Nebucadnezaris regem Iudæorum & magnates ejus abduxit in Babylonem, ſed de pauperibus terræ reliquit vinitores, & agricolas* 2. Reg. 25. v. 12.

Cavendum tamen hoc in genere, ne elencho iſto magiſtratus reverentia & obſequium, quæ magiſtratui debentur, imminuantur: ideò vitia iſta quidem taxentur, ſed cum commonefactione ad populũ, ne propterea obſequium magiſtratui debitum detrectent, ſed ipſos quoque homines eſſe agnoſcant, pro



Digitized by Google

pro ipsorum emendatione orent, & onus suum patienter ferant: idque propter Deum, cujus loco magistratus, etiam non omninò optimus, ipsis est præfectus: quemadmodum D. Petrus jubet obedire servos heris suis non tantùm bonis & modestis, sed & distortis seu morosis 1 *Pet.* 2. *v.* 18.

De cæteris, quæ ad conciones utiliter & ad ædificationem auditorum formandas pertinent, sufficienter egi *in instit. ministror. cap.* 13. 14. *& seqq.* quibus hic repetendis supersedeo.

## CAPUT IIX.

## *De Casibus Conscientiæ circa administrationem baptismi.*

### PROOEMIUM.

Alterum officium ministerii ecclesiastici concernit administrationem baptismi, cujus quò major est necessitas, (siquidem sacramentum initiationis est & janua ad gratiam) eò plura hîc occurrunt, in quibus multa circumspectione opus.

*Quid hic agendum?* De plerisque nunc agimus, & adjuti Spiritus Sancti gratia conscientiam ministri muniemus.

* *
*

### CASUS I.

### *An Baptismus à ministro ebrio administratus pro vero ac legitimo est habendus & tali ministro condonandum?*

Resp. Sacramenta magnâ cum devotione ac reverentiâ tractanda esse, nullum est dubium. Quemadmodum ergò minister ecclesiæ semper sobrietati studere debet, quæ propterea etiam inter requisita episcopi ponitur. 1. *Tim.* 3, 2. ita inprimis sobriè ad tractanda Sacramenta accedat, ne & scandalum inevitabile & occasionem periculosis quæstionibus præbeat. *Minister ecclesiæ sobrietati studere debet.*

Si autem accidat, (uti interdum fit) ut minister ebrius infantem aliquem baptisaverit, videndum est ante omnia, an in substantialibus baptismi aliquid mutaverit, h. e. an verâ & naturali aquâ in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptisarit, & tunc non est, cur de veritate baptismi hujus dubitetur. Nam virtus Sacramenti non dependet à dignitate, intentione, aut devotione ministri, sed ab institutione Christi, quæ etiam à malis ministris observari potest.

Sin verò præ ebrietate minister nesciat, quid loquatur, adeò, ut neque verba institutionis integrè, aut satis clarè pronunciet, ac adstantes

Digitized by Google

ſtantes ſe verba illa percepiſſe negét, adeoq; an infans rectè ſit baptiſatus dubitent, in tali caſu infans pro non baptiſato habendus eſt, quia perinde eſt, aliquid non eſſe factum, & non eſſe legitimè, juxta Chriſti inſtitutionem, factum.

Ideò abſq; ullo ſcrupulo aut metu iterati baptiſmatis infans miniſtro ſobrio ad baptiſandum offerendus eſt, quia juxta regulam Leonis: *non poteſt dici iteratum, quod neſcitur eſſe factum.*

Eodem modo Beatus Lutherus de Baptiſmo mulierum, judicavit, ſi pręſubito terrore & conſternatione animi in extremo neceſſitatis gradu ignorent, quid dixerint aut fecerint, cum baptiſarent infantem, & poſtea infans ſupervixerit, ſine omni morâ ad baptiſmũ ordinarii miniſtri promovendus eſt. Nam res ardua eſt cujuslibet hominis baptiſmus, de quo non eſt dubitandum, an quis eum juxta inſtitutionem Chriſti acceperit.

Paſtor autem ille ebrius ad cognitionem Conſiſtorii meritò puniendus eſt, ſeverâ correptione, ſi ſemel in vitium ebrietatis inciderit & de hoc ſuo lapſu ſeriò pœnituerit. Sin verò habitum ebrietatis ſibi contraxerit, & inde evidens illud ſcandalum in adminiſtratione dederit, occaſionemque iſti dubio de baptiſmo infantis præbuerit, vel ab officio removendus eſt, vel, ſi ſpes emendationis fuerit, in alium locum transferendus, aut etiam pro re nata cuſtodiâ paſtorali mulctandus erit.

## CASUS II.

### *Quid ſentiendum de baptiſmo, quem miniſter non in nomine trium expreſſè poſitarum perſonarum SS. Trinitatis, ſed, tantùm in nomine Trinitatis aut Chriſti adminiſtravit?*

Reſp. Ea baptiſmi formula retinenda eſt, quam Chriſtus ipſe in verbis inſtitutionis expreſſit: *Baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, nõ propter vim aliquam magicam, quæ nulla eſt in verbis, ſed propter autoritatem Chriſti, qui ſervare juſſit diſcipulos omnia, quæ præcepit *ipſis Matth.* 28, 20. *Neg.*

Fieri tamen poteſt, ut quis tantùm in nomine Trinitatis aut Chriſti baptiſet: hujusmodi baptiſmum Pontificii pro vero non habent. Ita enim ſcribit *Bellarmin. lib.* 1. *de baptiſ. cap.* 3. *certum eſt baptiſmum aut abſolute aut ſub conditione repetendum, ſi detur in nomine Chriſti, aut alterius cujusvis perſonæ, ſine expreſſione aliarum.* Similia habet *Gregor. de Valentiâ tom.* 4. *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *& alij, qui in* 4. *ſentent. diſp.* 3. ſcripſerunt.

Alii perinde eſſe putant quâ quis formulâ utatur, quemadmodum *Zvvingl. in l. de vera & falsâ relig.* ſcribit loco de baptiſmo *nõ eſſe neceſſariam*

Digitized by Google

*ſariã ullam certam verborum formã in baptiſmo.* Et huc quidam accommodant verba *Pauli Rom.6.v.3.* ubi ſcribit *nos in mortem Chriſti baptiſatos eſſe:* & Apoſtoli nomine Chriſti baptiſaſſe ſcribuntur *Actor. 2. v. 38. 10.v.48.19.v.5. Gnoſtici baptiſabant in nomine ignoti patris, in veritate matris omnium, & in nomine deſcendentis Ieſu,* referente Irenæo, *lib.1. cap.18.*

Cataphryges & Paulianiſtæ non baptiſabant nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, ideò iterum baptiſari jubentur in Conſil. Nicæno *can. 19. & Laodic.can.8.* Noſtra ſententia eſt, in praxi baptiſmi à formulâ Chriſti in inſtitutione præſcripta recedendum minimè eſſe; ideò quibusdam Arianis vitio fertur, quòd baptiſarũt in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto apud *Niceph.lib.13.c.35.* & Eunomianis, quod baptiſarunt, non in nomine trium perſonarum, ſed in mortem Chriſti, referente *Socrate lib.5 hiſt.eccleſ.ca.24.*

*Bernhardus* etiam docet *epiſt.340. ad Henricum,* ratum ſibi videri baptiſmum; quem quidam contulit, ex imperitia in nomine Dei ac Sanctæ veræ crucis, *& Ambroſ. lib. 1. de Spiritu S. cap. 3. putat* ſufficere ad baptiſmum, invocationem unius perſonæ divinæ tantùm, ac præſertim Chriſti. Quæ omnia ſalvâ pietate approbari nequeunt, ob cauſam ſuprà indicatam.

Si quis ergò in baptiſando verbis inſtitutionis non utatur, ſed prorſus alienis, eum non verum adminiſtraſſe baptiſmum ſtatuimus, quia ſacroſanctæ Trinitatis, quæ altera pars eſſentialis eſt baptiſmi, nullam vel tacitè vel expreſsè mentionem feciſſet.

Si quis autem vel in nomine Chriſti, vel in nomine Trinitatis baptiſarit, is quidem graviter peccaret, & pœnâ dignus eſſet, quòd formulam Chriſti mutavit, ſive id temerè, ſive ex imperitiâ factum fuerit: ipſum tamen baptiſmum verum eſſe concedimus, quia in ſenſu verborum inſtitutionis nihil mutavit, ſiquidem æquipollentes Phraſes ſunt, baptiſatũ eſſe in nomine Patris, Filii ac Spiritus Sancti, & baptiſatum eſſe in nomine Trinitatis, vel in nomine Chriſti, vel in mortem Chriſti.

Proinde talis baptiſmus repetendus non eſt, ſive abſolutè, ſive cum conditione, quia quoad ſenſum in verbis inſtitutionis nihil mutatum fuit, licet praxis à præcepto Chriſti & conſuetudine Apoſtolorum receſſerit, quo nomine talis temerarius miniſter puniendus.

*Objectio ſolvitur ex Rõ 6.v.3. Act.2.v. 38.c.10.v. 48.c.19. v.5.*

Quòd autem in mortem Chriſti baptiſari dicimur, & Apoſtoli in nomine Chriſti baptiſaſſe leguntur in locis ſuprà laudatis, id non exprimit formulam baptiſandi, ſed hiſtoricè tantùm refertur, Chriſtianos in fidem, doctrinam & confeſſionem Chriſti baptiſatos eſſe. Et hoc ſenſu B. Lutherus ſcripſit *in lib. de captivitate Babylonicâ tit. de baptiſmo, quocũq; modo tradatur baptiſm⁹, modò*

*modo non in nomine hominis, sed in nomine Dei tradatur, verè salvum facit.* Ubi non vult, ut quilibet formula baptisandi utatur, quæ sibi placet, (quemadmodum Romanenses interpretantur) sed ne talis baptismus propter temeritatem ministri pro invalido habeatur, quia quoad sensum in substantialibus nihil mutatur.

Ita Brentius etiam *in suo Cathechismo cap. de baptis.* scribit *verum esse baptismum, si minister post recitatum à catechumeno Symbolū fidei ita diceret: audivi jam ex te confessionem fidei tua, quòd credas in Deum Patrē, Filiū, & Spiritum Sanctū: in hanc igitur cōfessionem intingo te in aquam, ut hoc signaculo certus sis, te esse insertum Christo, vade in pace:* monet tamen, ut forma ecclesiæ usitata servetur, quemadmodum *Bellarm. l. d.* annotavit.

## CASUS III.

*In formula precum, quæ baptismo præmittuntur, mentio fit peccatorum ab ipso baptisando perpetratorum,* **und die er selbst darzu gethan hat:** *quæritur an minister ecclesiæ illa verba in baptismo infantum omittere possit, cum infantes actualiter peccare non videantur?*

RESP. Verba ista à quibusdam omittuntur, & quanquam in constitutionibus ecclesiasticis, unde sumta sunt, precatiuncula illa ponitur, in quibusdam tamen ad marginem hæc nota habetur, quòd in baptismo adultorum tantùm ista verba sint attendenda, ut in primis ex Agenda ecclesiarum Wurtenbergicarum pag. 21. patet & in nostræ Wittebergensis ecclesiæ Agendâ hæc verba in parenthesi leguntur, neque apud nos in baptismo infantum usurpantur. Ratio est: quia multi nullum in infantibus agnoscunt peccatum actuale: unde etiam communiter propter peccatum originale mori dicuntur, quia ab Apostolo Paulo scribitur: *regnasse mortem etiam in eos, qui non peccaverunt ad similitudinem prævaricationis Adæ, Rom. 6. v. 14.* hoc est, etiam in infantes, qui non actualiter peccarunt.

Non tamen errant, qui in baptismo infantum istis verbis utuntur. Non enim omni actuali peccato infantes carent. Sed distinguendum est, inter actionem προαιρετικὴν, quæ cum deliberato proposito est conjuncta, & inter eam, quæ peccato originis est propria, quam φυσικὴν nominare posses, quia à naturâ corruptâ oritur, & tanquam effectus vitiosus à peccato originali, tanquam à causa prava, profluit. Actuale peccatum, quod ex proæresi & destinato proposito fit, non est in infantibus, quia destituuntur adhuc usu rationis; quam ob causam etiam *malum & bonum non intelligere, discrimen dextræ & sinistræ ignorare dicuntur* *An infantes omni actuali peccato careant? Neg.*

*Deut.* 1. *v.* 39. *Jon.* 4. *v.* 11. Actuale autem peccatum, quale in peccato originis esse solet, cujus radix nunquam otiosa est, sed semper actiones vitiosas gignit, infantibus, licet insciis, inesse negari non debet. Ejus enim indicium est ira, impatientia, reluctatio in bono, fastidium, & similes pravi motus, quibus infantes etiam ante annos discretionis sunt obnoxii.

*Indicia actualis peccati in infantibus.*

Et huc respexerunt veteres, potissimum, qui verba illa, vnd er selbst darzu gethan hat / precibus baptismalibus inservierunt.

Deinde respiciunt ista verba etiam ad actum proæreticum, qui in adultis post baptismum sequitur. Non enim in baptismo tantùm peccati originalis fit remissio, sed omnium, quibus homo omni vitæ suæ tempore pollutus esse potest: ideò *baptismus stipulatio bonæ conscientiæ* cum Deo appellatur 1. *Petr.* 3. *v.* 21. quia nullum est peccatum, quod nos in conscientia angere possit, cujus remissio non sit facta in baptismo.

His de causis verba illius precationis retinere potiùs, quàm omittere præstaret, sed obtinuit apud plerosque inveterata consuetudo, ut omittantur, ea verò nemini legem facere potest.

* * *

## CASUS IV.

### *Num minister ecclesiæ ditioribus parentibus gratificari salva conscientia potest, si forte liberos suos, vino generoso, aut aqua rosata, baptisari petant?*

RESP. Patres substantiales hujus sacramenti nequaquam sunt mutandæ: non enim oportet nos sapientiores esse Christo, qui regenerationis sacramentum aquâ fieri voluit *Johan.* 3. *v.* 5. *nisi quis ex aqua & spiritu renatus fuerit, regnum cælorum non ingredietur*: neque meliores, quia ipse etiam aquâ *Jordanis* æquè ac alii baptisari voluit *Matth.* 3. *v.* 16. Jam verò constat, aquam esse partem alteram substantialem baptismi, & quidem aquam fontanam aut fluvialem, prout eam Deus condidit, absque mixtura herbarum aut aliorum liquorum.

*Neg.*

Eam ergò nemo mutare audeat, sed cujuscunque sortis aut conditionis sit, eâ contentus esse debet ob has rationes: 1. quia *Johannes*, quem primum omnium Deus baptisare jussit, *baptisavit aquâ*, *Matth.* 3. *vers.* 11. *Marc.* 1. *v.* 8. *Luc.* 3. *vers.* 16. *Johan.* 1. *v.* 26. & ne quis putet, solas aquas *Jordanis* esse ad baptismum consecratas, notetur, quòd baptisaria

*Quod nemo aquam in baptismo mutare debeat.*

Digitized by Google

tarit *Johannes* etiam in *Enon* propè *Salem*, ubi aquæ erant multæ *Johan.* 3.*v*.23.

(2.) *Apostoli* non nisi simplici aquâ baptisarunt, *Act*.8.*v*.36.10.*v*.47.

(3.) Christus ipse aquâ *Jordanis* baptisatus fuit, & hoc modo aquas omnes ad salutarem baptismum consecravit *Matth*.3.*v*.16. Ecquis ergò non tali aquâ, quâ Christus baptisatus est, baptisari malit, quam aquâ peculiariter ab homine confectâ.

(4.) Baptismus, ratione etymi, nihil aliud est, quàm immersio seu intinctus in aquam; reliquæ significationes sunt metaphoricæ, ut est baptismus crucis, *Matth*.20.*vers*.22. baptismus flaminis seu Spiritus Sancti & ignis, *Luc*.3.*v*.16. baptismus nubis, 1.*Cor*.10.*v*.1.

(5.) Baptismus lavacrum aquæ vocatur, & simpliciter aqua, *Ephes*.5. *v*.26. *Joh*.3.*v* 5.

(6) *S. Patres* etiam elementum aquæ minimè mutandum esse censuerunt in baptismo: vide *Augustinum tract*.15.& 80.*in Johan. Ambros. lib*.1.*de initiandis cap*.4. & *Lutherus* noster scribit in concione *Dessavia* habita *tom*.7. *Jen. Germ.* *esto persona sit impia & incredula, dummodo institutionem Christi inviolatam servet, & non vino, cerevisiâ, lixivio vel aliâ quapiam re, sed aquâ cũ adjuncto Dei verbo utatur; tunc est & vocatur sacrum baptisma.*

*Usus elenchticus.* Contra institutionem ergo Christi faciunt (1.) qui alio liquore quàm aquâ, baptisant, quemadmodum *Beza ad Thomam Tilium scribit epist*.2. *desit aqua, & tamen baptismus alicujus differri cum ædificatione non possit, ego certè quovis alio liquore non minùs ritè, quàm aquâ baptisarim*: & ex *Pontificiis* aliqui, ut *Guido de monte Rocherii*, *Richardus Toletus lib*. 2. *de cas. consc. cap*.18 *Valentia tom*.4.*disp*.4.*q*.1. lixivio aut jusculo carnium baptisari posse censent.

*Contra Bezam sunt Calvin. l*.4. *inst. c* 16. §. 16. *Ursin. in disp. de sacram. in genere, Bucanus de baptis loc*.41.

(2.) Qui aquâ in vigiliis Paschæ & Pentecostes consecrata, & certis ritibus parata, tantùm baptisandum esse statuunt, ut est in *Catech. Romano p*.308. *Sed per Christi baptismũ omnes aquæ consecratæ sunt*, inquit *Augustinus serm*.37. *de temp.* & Apostoli non consecratam aquam, sed naturalem, prout eam ad manum habere poterant, ad baptismum adhibuerunt, ideò *Eunuchus* veniens ad fluvium, dixit *Philippo*: *ecce aqua, quid prohibet me baptisari? Act*.8.*v*.36.

Et hæc fuit consuetudo ecclesiæ primitivæ, de quâ *Justinus Martyr* scribit *apolog*.2. pro Christianis: *credentes catechumenos eò adduci, ubi est aqua, quâ loti regenerantur.*

(3.) Qui aquâ medicatâ infantes suos intingi petunt: quibus minimè gratificandum est, quia hoc ex fastu saltem fit, quasi infantes ex nobili stemmate geniti melioris hoc in genere sint conditionis, quam alii, cùm tamen meminisse debeant parentes, quòd ideò baptisentur liberi, quia æquè ac alii naturâ sint immundi, ac filii iræ, quia in peccatis concepti: quæ omnia minister



Digitized by Google

ecclesiæ ipsis inculcare, & à singularitate ista eos dehortari debet, ne in gratiam hominum, quidquam contra institutionem Christi fiat.

## CASUS V.

### *Quid faciendum ecclesiæ ministro, si parentes justo diutiùs baptismum liberorum differant?*

*Calvinianorum errores de baptismo.*

RESP. *Calviniani* hoc parùm curant, quia baptismum non usque adeo necessarium esse putant, neque pro medio ordinario conferendæ fidei & regenerationis habent. Liberos enim piorum parentum sanctos esse dicunt in utero, & in fœdere natos, de quâ vide præ cæteris *Calvinum lib. 4. inst. cap. 15. §. 17.* effectus baptismi, hoc est, salutem à baptismo dependere negant, quia nolunt sacramentis alligatam esse gratiæ præsentiam & efficaciam, ut *Cinglius docet in confess. ad Carol. V. art. 7. & Beza cũ sociis in colloq. Mompelg. p. 434.* electos insuper tantùm regenerari docent in baptismo, reliquos non item, etiamsi millies baptisentur, ut *Beza dicit in colloq. Mompelg. p. 496.*

Et hæc doctrina est in causa, quod *VVolff. Musculus in L. C.* loco de baptismo *fol. 338.* invehitur in eos, qui cum infantibus suis festinant ad baptismum, ubi, si seculi mores paterentur, ipsi non displiceret *Nazianzeni* sententia, (uti scribit) qui consuluit, ut parvulorum baptismus differatur in annum usque tertium.

*Probatur baptismum esse simpliciter necessarium.*

Sed orthodoxæ ecclesiæ fides est, baptismum esse simpliciter necessarium, adeò, ut quis sine periculo salutis æternæ eum negligere non possit. Omnes enim *naturâ sumus filij iræ Ephes. 2. v. 3.* in peccatis *concepti & nati, Psal. 51. v. 7.* cùm autem in regnum Dei nihil immundi ingrediatur, ideò *lavacro regenerationis* opus est, quemadmodum *Paulus* baptismum nominat, *Tit. 3. v. 5.*

Hinc est gravissima adseveratio Salvatoris nostri: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non ingredietur regnum cœlorum Ioh. 3.* Unde firmiter concludimus, quamdiu infantes nondum baptisati sunt, tamdiu filii iræ, & extra gratiam sunt, extorres à regno cœlorum, in quod ordinariè per baptismum recipiuntur.

Rectissimè ergo faciunt, qui infantes, quàm primùm fieri potest, ad baptismum promovent. Graviter è contra peccant, qui baptismum infantum suorum de die in diem procrastinant, qui si interim absque baptismo moriuntur, vix à contemtu baptismi se parentes liberare possunt: is enim pompæ suæ, quam dilatione illâ petunt, cedere cogitur, quod nullo modo excusari potest.

Quæ omnia ecclesiæ minister ipsis exaggerare, & baptismum infantum urgere debet, quia certum in

Scri-

Scripturâ fundamentum habet. Cõfidunt quidem nonnulli parentes baptismo laicorum, quòd nimirum infans, si maximè lethali morbo subitò corripiatur, à quovis etiam privato in hoc casu necessitatis baptisari queat. Sed dubito, an hic talis sit necessitatis casus, quem parentes inutili suâ procrastinatione causati sunt. Satis enim valuit infans, cùm in lucem prodiret, cur non statim baptisari curarunt? Hic est propriè necessitatis casus, quem Deus ipse, non autem negligentia parentum fecit.

Resp. ad Gen. 17. Alii innituntur promissioni divinæ *Gen.* 17. *ero Deus tuus & seminis tui post te*, existimantes liberos suos esse filios promissionis, & in fœdere etiam ante baptismum, ideo defectũ baptismi nihil eis nocere posse.

Sed promissio loquitur non de *carnali semine Abrahami*, aliàs nemo nostrum, (qui non sumus ex carne Abrahami) ad illam promissionem pertineret: sed *de semine spirituali* quales sunt credentes, juxta authenticam explicationem *D. Pauli Gal.* 3. *v.* 7. *qui ex fide sunt, ij sunt filij Abraha, & v.* 9. *qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abrahamo.*

Ut ergo benedictionis hujus infantes nostri participes fiant, baptismo opus est, per quem fidem accipiunt, & in fœdus Dei recipiuntur.

Nihil ergo habent parentes, quo istam coram Deo procrastinationem in re tam gravi excusent. Solus casus necessitatis, quem Deus fecit per subitam mortem infantis in utero matris, aut paulo post partum, excusat privationem baptismi, extra quem ordinationi Dei quilibet, quàm citissimè fieri potest, se submittere debet: quâ in re pars officii ministerialis est, rogare, hortari, & urgere parentes, ne propter privatum aliquem honorem, lucrum aut commodum, sibi & infanti suo periculum inevitabile concilient.

## CASUS VI.

### *Quid si infans in ista baptismi dilatione moreretur, quid de salute ejus sentiendum? & quomodo cum parentibus agendum?*

RESP. Duo hic quæruntur, 1. *de infantibus.* 2. *de eorum parentib.*

Quod infantes hujusmodi attinet. *Pontificij* nonnulli eos, qui non sunt baptisati, perire ajunt, ut patet ex *Lombard. lib.* 4. *dist.* 1. *lit. L.* & quanquam facultas *Parisiensis* ad ista verba adscripsit: *hic magister non tenetur.* *Bellarminus* tamen eandem defendit *lib.* 6. *de amiss. grat. c.* 2. sed contradicentem habet *Gersonem in serm. de nativit. virg. Mar. & Gabr. Bielem in* 4. *sent. dist.* 4. *q.* 2. *art.* 3. *Cajetanum in p.* 3. *Thom. ad quæst* 68. *art.* 11. & plures alios. *Vide supra lib.* 2 *cap.* 11. *Cas.* 3.

Horum sententiam etiam nos sequimur, & infantes ante baptismum mortuos, etiamsi baptismo ex negligentia parentum privati fuerint *Probatur infantes ante baptismum mortuos, non*

*non eſſe dãnandos.* rint, damnare non poſſumus: nam ex parte infantum nullus fuit contemtus: ſed nuda privatio, & ſi maximè ex parte parentum aliquis contemtus, aut ad minimum incuria aliqua acceſſerit; habet tamen & hîc locum illud *Propheta*: *filius non portabit iniquitatem patris*, *Ezechiel.* 18. *Jer.* 31.

Infantes illi jam in utero matris per preces parentum & eccleſiæ, Deo fuerunt oblati, nec per ipſos ſtetit, ut ſatis maturè poſt partum ſtatim baptiſati fuiſſent, cur ergò illis ſalutem denegaremus? Deus utique in ipſis extraordinariè fidem accendere potuit, æquè ac in *Iohanne Baptiſtâ*.

Proinde, quemadmodum infantes illos, qui in deſerto abſque circumciſione perierunt, nemo damnat, ita nec infantes illos, licet parentum culpâ neglectos, damnare volumus.

Et quemadmodum impietas parentum non nocet liberis, qui non eadem impiorum parentum veſtigia premunt: ita nec negligentia iſta parentum, liberis vix dum in lucem editis, fraudi eſſe poteſt.

Quemadmodum etiam de ſalute infantum, qui in ipſo partu à ſceleratis matribus interficiuntur, dubitare fas non eſt: ita nec de iis, qui per negligentiam parentum baptiſmo privantur. Utrobique enim nulla penès tenellum infantulum culpa reſidet: ideò ſperamus abundantiſſimam Dei miſericordiam, ſe etiam ſuper hos infantulos effundere, ne defectus in parentibus ipſis imputetur.

Parentes autem quod attinet, qui procraſtinatione ſuâ baptiſmum infantum ſuorum impediunt, diverſas habere poſſunt cauſas, cur baptiſmum infantum differant. Interdum *tanta eſt matris ægritudo*, ut domeſtici omnes infantes ferè obliviſcantur, ita ut per diem unum atque alterum in baptiſmo non cogitent. Hæc quidem magna eſt negligentia, ſed inter peccata ignorantiæ & infirmitatis referenda: quæ matribus quidem imputari non debet, ſed adſtantibus potiùs, qui monendi ſunt, ut alio tempore ita curent matris valetudinem, ne ſalutem infantis æternam negligant. Interdum *exſpectatur tempus in eccleſia hujuſmodi actibus deſtinatum*, & ſi infans juſtam habet valetudinem, ſubitò autem concidat, (ut fieri poteſt) ibi excuſatio locum habet: ſiquidem nemo privato auſu tempus baptiſmi ordinarium mutare debet, niſi evidens periculum mortis ſubſit: ſed omnia potiùs in eccleſiâ ordine facienda. Interdum differtur baptiſmus ad dies aliquot, *tantum propter peregrinos patrinos*, *vel quia quæ ad pompam & convivium baptiſmale ſpectant, nondum ſatis ſunt parata*. Ab his graviſſimè, imò dupliciter peccatur, quia in re tanti momenti minus neceſſaria maximè neceſſariis præferunt, & eo tempore, ubi matres omnium maximè primæ maledictionis de doloribus partus memores eſſe debebant, de ſuperbia & luxu ſunt nimium curioſæ, de infantis ſalute parùm ſollicitæ. Ideò mori malunt liberos ſuos, quàm iſtum intermit-

*Cauſæ poſſunt eſſe varia, cur parentes baptiſmum differant.*

Digitized by Google

termittere laxum. Et hic iterum differentia matrum est. Quædam enim sunt *pusillanimes*, quæ magis ex consuetudine, quàm ex seriò animi proposito, in istam procrastinationem baptismi consenserunt, ac proinde ob mortem infantis maximè anguntur, hæ spiritu mansuetudinis tractandæ, de salute infantis certiorandæ, & ne deinceps in tam periculosam consuetudinem consentiant, monendæ sunt: quædam autem sunt *contumaces*, quæ consuetudinem istam excusant, & infantis salutem parùm curant, apud has acrimoniâ aliquâ opus est, ut intelligant, quàm graviter peccarint *in Deum*, ad quem non satis properarunt in offerendis ipsi liberis suis: *in infantem*, fructum uteri sui, cujus baptismum ob caussas leviculas, impedierunt: *in seipsos*, quòd officio piorum parentum non satisfecerint, sibique ipsis scrupulos injecerint, de infantis sui salute, & diabolicis tentationibus bipatentes portas aperuerint.

Proinde monendi sunt, ut peccatum suum non extenuent, sed seriò agnoscant, ac deplorent, remissionem ejus per fidem in Christum petant, & deinceps, in hujusmodi procrastinationem baptismi nunquam amplius consentiant, sed potiùs apud alios etiam eam, quantum in se est, impediant, cùm, quanto cum periculo sit conjuncta, jam intelligant.

## CASUS VII.

### *Num baptisandi sunt infantes illorum parentum, qui non sunt nostræ religionis, & tamen à nobis baptismum suorum infantum petunt?*

RESP. Nonnulli intempestivum hac in parte zelum habent, & sine probabili ratione tales infantes à baptismo arcent, donec parentes nostram religionem profiteantur.

Sed hic modus convertendi alios est *Papisticus*, *Papistæ* enim (uti notum est) his artibus evangelicos parentes ad suam ecclesiam compellũt.

Verisimilior & tutior est illa sententia, quæ statuit, ejusmodi parentibus, qui à nostris ecclesiis baptismum suorum infantum petunt, etiamsi religionis nostræ non sint, petitionem hanc denegandam non esse. Aff. 1. Quia indicium est, quòd religionem nostram non contemnant, dum sacris nostris uti non verentur, & sic è numero sunt docilium, de quorum reditu ad gremium nostræ ecclesiæ nondum est desperatum.

2. Quia minister ecclesiæ omnes baptisare tenetur in ecclesia sua natos, quin & infidelium liberos, si in nostrâ fuerint potestate, ut in sequenti quæstione docebimus.

3. Quia

3. Quia infantes non possunt præstare culpam parentum, cum falsa doctrina nondum depravarit intellectum eorum.

4. Denegatio baptismi est species excommunicationis, quæ in infantem cadere non potest.

5. Exclusio infantis à baptismo parentes adhuc dociles à religione nostrâ prorsus alienos reddere potest, cùm quærentibus eam interclusam videant.

His de causis admittendos esse censeo vel *Calvinianorum*, vel etiam *Pontificiorum* parentum infantes ad baptismum nostrum, modo illi nihil in ritibus usitatis ecclesiæ nostræ, multo minus in substantialibus baptismi immutari postulent. In his enim adversariis veritatis, *ne ad horam quidem cedendum est Gal.2.v.5.*

*Objectio solvitur.* Sed objiciunt aliqui, non possunt tales parentes interesse nostro baptismo, nec orare pro infante, quia non habent veram fidem. Sed falsum hoc est: nihil enim eos à baptismo nostro arcet, cui etiam pessimi hæretici interesse possunt: sicut enim hæresis baptisantis nihil officit vero baptismo, modo hæresis non impingat in substantiam hujus sacramenti, ita neque error parentis ad baptismum infantis sui adstantis.

2. Non est necessaria parentis præsentia, arceatur potiùs ille, quàm infans à baptismo.

3. Neque defectus fidei in ipso nocet baptisando, quia non in fidem parentis, sed suam baptisatur infans, quam ejus loco profitentur patrini.

4. Si parentis preces non sunt satis firmæ, eo validiùs precetur ecclesia cui infans in actu baptismali jam adjungitur.

Summa, habeat hic locum illud Christi: *qui est mecum, is non est contra me, Luc.11,23.* cùm ergo infantes illi non sint contra nos, cur ergo eos non nobiscum esse patiamur? fieri potest, ut cum adoleverint, eo libentiùs ecclesiis nostris se adjungant, cui communione baptismi in infantia fuerunt uniti.

## CASUS IIX.

### *Num minister ecclesiæ infantes infidelium parentum baptisare tenetur?*

RESP. Infideles parentes sunt, qui extra ecclesiam vivunt, ut *Iudæi & Turcæ.* De horum liberis quidam nullam prorsus curam suscipiunt, quia *1.Corinth.5,13.* scriptum sit: *quid attinet de his, qui foris sunt, judicare.* *Infideles parentes qui?*

Alii promiscuè & absque discrimine omnes infidelium parentum liberos baptisandos & ad baptismum recipiendos esse docent, moti illo Apostolico dicto: *vobis facta est promissio, & filiis vestris, & omnibus, qui longè sunt Actor. 2. v.39.* ubi hi, qui longè sunt opponuntur iis, qui sunt propè, hoc est, gentiles *Iudæis*, seu extranei civibus ecclesiæ.

Sed

Sed neutra sententia vera est. Nam impium prorsus est, nullam de *Iudaeorum & Turcarum* salute curam habere, cùm omnium piorum votum cum *Nazianzeno* esse debeat: *utinam nemo pereat!* & *Apostolicum* praeceptum est: *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei Galat.* 6.10.

*Resp. ad dictum Paulinum. 1 Cor. 5.*

Quod autem *Pauli* dictum 1.*Cor.* 5. attinet, nihil habet illud de jure ecclesiastico, vel de communione verbi & sacramentorum, quàm latè ea se extendat, sed de conversatione politicâ agit. Nam cùm *Paulus* monuisset *Corinthios*, ne miscerentur manifestè sceleratis, hoc *Corinthij* ita accipiebant, quasi omnium promiscuè sceleratorum communionem fugere debeant, quod fieri vix poterat, cùm in ea viverent civitate, cuius incolę adhuc multi erant gentiles. *Paulus* igitur explicat mentem suam, quod nimirum tantùm de civibus ecclesiae loquatur, qui Christiani esse volunt, & tamen multis Ethnicis deteriores vivant: hos fugere debebant. Eos autem qui foris sunt, ait, se hoc in genere non admodum curare, & posse *Corinthios* cum istis pro re natâ in rebus civilibus conversari. Nihil ergò hoc ad baptismum, quasi infidelium liberis planè sit denegatus.

Altera quoque sententia locum simpliciter habere non potest. Etsi enim omnes, qui ex carne nati sunt, renascentia opus habét; & *Apostolis* injunctum sit, ut baptisent omnes gentes *Matth.* 28. nuspiam tamen legitur, quod gentiles ad baptismũ coacti, aut ipsorum liberi parentibus erepti, & ad baptismum rapti fuerint, neq; hoc ullibi praeceptum est: neque etiam hoc ex verbis *Petri*, quae ex *Act.* 2. afferuntur, colligi potest: sed ibi jus ad promissionem Dei etiam gentilibus, qui à longè sunt, conceditur, quo tamen potiri nequeunt, nisi eos Dominus advocaverit, uti expressè additur.

*Vera sententia proponitur quinq; Aphorismis.*

Vera igitur sententia haec est: (1.) à baptismo infidelium liberi nullo Dei praecepto sunt exclusi, propius tamen ad illud jus habent liberi fidelium, tanquam in ecclesiâ nati, de quibus Apostolus dicit: *si radix sancta, etiã rami, Rom.* 11.*v.*16. & *filij vestri sancti sunt* 1.*Cor.*7.*v.*14. hoc est, accessum habent ad baptismum, qui thesaurus est ecclesiae.

(2.) Cùm adhuc in potestate parentum suorũ sunt, extra familiam nostram, nondum baptisari possunt, quia tunc nondum advocavit eos Dominus.

(3.) Cùm in potestatem nostram venerunt, sive jure belli, sive per emtionem, aut donationem, aut per captivitatem, aut quocunque alio modo legitimo, & sic pars familiae nostrae facti, tunc non tantùm liberi infidelium, sed & parentes baptisandi sunt: quemadmodum *Abrahã* non tantùm eos, qui ex sanguine suo nati, sed & emtitios, qui non erant de stirpe ejus, circumcidit *Genes.*17.*v.*12. id quod praxis ecclesiae omnium temporum probat, & ab

*Augustino* confirmatur, qui *lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 12. scribit: *filiis infidelium etiam præstatur gratia* (baptismi) *cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocunque pervenerint.*

(4.) Discrimen inter adultos & infantes infidelium tenendum est. *Adulti* priùs in articulis doctrinæ Christianæ rectè instituendi sunt, ut publicam confessionem ante baptismum edere possint, eius doctrinæ, in quam baptisantur. *Infantes* tam diu exspectare non tenentur, donec doctrinam Christianam addidicerint; sed ut nostri infantes, ita & ipsi, etiam in infantia sua baptisandi sunt in fidem ecclesiæ propter periculum mortis, & quia ipsi doctrinâ aut vitâ perversâ obicem Spiritui Sancto in baptismo operanti, ponere non possunt; si tamen infans valetudinis sit satis firmæ, utile est, ut priùs in principiis doctrinæ Christianæ instituatur, quàm ad baptismum afferatur.

(5.) Si parentes infantis captivi fuerint, tentanda ante omnia conversio ipsorum, & tunc unà cum infante ipsi quoque baptisandi sunt: si parentes fidem Christianam accipere nolint, tunc & invitis ipsis infantem eripere & baptisare fas est, quia non sunt ampliùs proprij juris, sed unà cum infante in nostram redacti potestatem.

Contrarium statuunt Calviniani, sed absque ratione: vide *Bezam in quæst. & resp. q.* 118. & 120.

Exempla baptisatorum *Iudæorum & Turcarum*, & qui processus fuerit observatus, vide in volum. *consilior. M. Dedekenni tom.* 1. *fol.* 85. *seqq.*

Huc pertinent alij quidam casus, de baptismo suppositiorum, monstrorum, amentium, campanarum, & similium, sed de his vide *institut. ministrorum verbi cap.* 21. Hîc ad aliâ pergo.

## CASVS IX.

### *Quid faciendum, si baptisato à laico, qui post baptismum supervixerit, forte scrupulus oboriatur, an etiam rectè sit baptisatus?*

RESP. Quod etiam laici in casu extremæ necessitatis baptisare possint, & persona hæc baptisantis baptismum vitiare nequeat, suprà probavimus *cap.* 5. *cas.* 9.

Ne cui autem hac de re scrupulus oriatur, constitutio ecclesiastica harum regionum certum præscripsit modum, quomodo hujusmodi baptismus sit confirmandus, si supervixerit infans, non est opus iteratione baptismi, sed infans ad templum portandus, & qui interfuerũt baptismo infantis, interrogandi sunt, an sciant, infantem illum ritè baptisatum esse, & quibus verbis eum baptisarint: quòd si responderint, se præmissa invocatione nominis

nis divini baptisasse in *nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti*, tunc non est opus ut minister ecclesiæ eum rebaptiset, sed repetitis precibus, eum in catalogum verorum civium illius ecclesiæ recipiat.

De quibus omnibus vide in *constitut. Electoral. tit.* **von der Noth-Tauffe** *fol. 11. seqq.*

## CASUS X.

### *Quomodo minister ecclesiæ succurrere debet adflictis conscientiis, si qui forte dubitent, an unquam fuerint baptisati, cùm tamen baptisati sint?*

*Quilibet de baptismo suo debet esse certissimus.*

RESp. Summum ecclesiæ bonum est baptismus, in quo adoptamur in filios Dei, & in hæreditatem regni cœlorum adsciscimur: ideò nihil magis necessarium est, quàm ut unusquisque de baptismo suo sit quàm certissimus.

In eum finem, & patrini tanquam testes baptismi adhibentur, & nomina baptisatorum catalogo certo, quem habet æditurus, adscribuntur.

Fieri autem potest, ut neque patrini, neque minister, qui baptisavit, ampliùs sint in vivis, neque catalogus baptisatorum habeatur, neque quisquam ampliùs præstò sit, qui de baptismo alicujus testari possit: ibi certè non feriatur *Satan*, sed suis aculeatis spiculis angit hominem, ut de baptismo & salute sua dubitare incipiat, imò, quòd baptisatus sit, sibi haud facilè persuaderi patitur.

*Dubitationem de baptismo duo tollunt.*

His verò tentationibus maligni spiritus duo potissimum opponi possunt, quæ dubitationem istam tollunt. Primum est *fiducia in Deum*, quâ talis homo Deum adhuc patrem, & Christum fratrem suum nominare potest, licet fide fiat languidâ, item, quòd non contemnit sed amat verbum, quòd salutis est cupidus, quòd scintillas pietatis in animo suo sentit. Hæc omnia sunt à Spiritu sancto, sine quo nemo *Christum vocare potest Dominum 1. Corint. 12. vers. 3.* Spiritus autem sanctus est tantùm in renatis, in quibus obsignat gratiam Dei, fidem ac salutem æternam, quin & *testimonium dat spiritui nostro, quod simus filij Dei Rom. 8. v. 16.* Ex his ergò motibus Spiritus sancti colligere possumus nos baptisatos, & per baptismum in gratiam à Deo receptos esse: quia non baptisati nec motus illos sentiunt, nec Spiritum sanctum in se habitantem habent.

Alterum est, *nomen proprium*, quod cuilibet in suo baptismo impositum fuit, quo admoneri debet in adultâ ætate, se libro vitæ inscriptum, & viti Iesu Christo insertum fuisse. Vnde enim nomen suum haberet, si baptisatus non fuisset? cùm moris non sit, alibi, quàm in baptismo nomina dare liberis.

Hac de re memorabilem histo-

riam recitat *Cyriacus Spangenbergius* de *Catharina* priore, uxore Domini *Clementis Schavij Diaconi ad S. Andreæ islebij*, ea jam in agone mortis cõstituta, cùm exquisitis sacræ Scripturæ dictis se probè erigere posset, tandem ex instinctu Satanæ de baptismo suo dubitare cœpit, siquidem nemo prorsùs superstes erat, qui de baptismo eius testificari posset, parentibus enim admodum juvencula, ut & patrinis omnibus orbata erat. Ministri ecclesiæ diligenter pro ipsa orabant, & tandem quodnam esset nomen eius, quærebant: quod cum indicasset, ipsi continuè nomen hoc urserunt, contendentes, quia proprium haberet nomen, & ex familia pia & honesta oriunda esset, etiam in medio Christianorum nata, credendum omninò esse, eam etiam baptisatam esse: quod solatium adeò penetravit cor eius, ut de baptismo suo dubitare desineret, & è tentationib⁹ eluctata placidè in Domino obdormiret.

## CAPUT IX.

## *De Casibus conscientiæ circa administrationem SS. cœnæ.*

### PROOEMIUM.

VErus sacramenti cœnæ usus consistit in δόσει καὶ λήψει, seu in exhibitione & acceptione corporis ac sanguinis Dominici.

Hinc duorum generum homines sunt circa hoc sacramentum occupati, primùm *ministri distribuentes*, deinde *reliqui communicantes*.

*Duorum generum homines circa cœnā sunt occupati.*

Vtrobique fideli instructione opus est, ne sacramentum hoc indignè tractetur.

De communicantibus suprà egimus *lib.2.cap.12.* hîc de ministris distribuentibus agendum est.

*Quid hoc loco agendum?*

Quæ ergò circa hos in hoc actu incidere possint dubia, hoc capite, volente Domino, videbimus.

### CASVS I.

### *Num minister ecclesiæ notoriè sceleratum & impœnitentem, vel vi, vel precibus adactus, ad communionem S. cœnæ bona cum conscientia admittere potest?*

RESP. Si scelera impœnitentium adhuc occulta sunt, ita tamen, ut rumor aliquam de iis suspicionem moverit, propter illa nemo statim à S. cœna arcendus est, sed hîc gradus admonitionum priùs adhibendi.

Quòd si quis scelerum istorum nondum apertè reus, neque satis convictus aut confessus fuerit, admittendus utique est, ne tam pretioso animæ suæ thesauro per nos defraudetur; admonendus tamen seriò,

seriò, ut quocunque modo fieri poterit, suspicionem istam à se amoliatur. Hic enim locum habet πολυθρύλλητον illud: *de occultis non judicat ecclesia.*

Si scelera nota quidem sunt, sed soli pastori, nondum habenda sunt pro notoriis, ideò tales scelerati non sunt simpliciter ab usu S. cœnæ arcendi: sed si accedere voluerint, diligenter à pastore monendi sunt de periculo, &c, ut seriò resipiscant, hortandi, media quoque quibus ad veram resipiscentiam adduci queant, monstranda.

Si verò non paruerint, sed inter cæteros communicantes accesserint, non statim arcendi, sed tolerandi sunt, quia scelus adhuc occultum est, pastor quidem illud novit, sed non debet revelare sibi à delinquente in confessione aut sub sigillo confessionis concredita: ideò in tali casu tractat eum meritò ut occultum peccatorem.

Exaggerare autem debet ei privatim hoc delictum, & ut sibi caveat ab irâ Dei, qui delictum suum alio modo aperire potest, monere. Si verò scelus aliquod, putà, scortatio, adulterium, homicidium aut simile in ecclesia, publicè notum fuerit, neque ab autore ejus negetur, neq; signa pœnitentiæ ulla appareant, & tamen sceleratus iste ad cœnam sacram se admitti petat, bonâ cum conscientia admitti non potest propter has rationes: (1.) Quia Christus in sua institutione nunquam intendit, aut voluit, ut impœnitẽtes, quatenus tales, ad hanc sacram mensam admittantur, quia sacramenta aut conferunt aut cõfirmant fidem, quod in impœnitentibus, quatenus sunt tales, non fit. Nemo autem in hac sacrâ actione contra intentionem Christi quidquã facere debet, ne quid frustrà, & contra Christum fecisse videatur.

*Rationes, quòd notoriè sceleratus impœnitens non admittendus.*

(2.) Quia admittendi sunt tantùm, *qui probare semetipsos possunt* **1. Cor. 11. v. 28.** quam ob causam infantes ab hoc sacramento excluduntur. Impœnitentes autem se minimè probant, aliàs non essent tales, cùm probatio vera cum serio dolore ob admissum peccatum, verâ fide in Christum, & proposito emendationis semper conjuncta sit.

(3.) Ministrorum verbi officium est, cavere, ne quis auditorum sibi judicium & damnationem æternam contrahat. Iam verò Apostolus *Paulus* clarè testatur, indignos & impœnitentes peccatores sibi judicium manducare, & corporis sanguinisque Christi reos fieri, *si indignè ad sacrã Domini mensam accesserint* **1. Cor. 11. v. 29.** Quomodo ergò eos salvâ pietate, salvâ conscientiâ, salvo officio suo admittere possunt? Hoc enim modo non tantùm impœnitentem in sua impietate confirmarent, sed & ipsi corporis ac sanguinis Christi rei fierent, dum impœnitentem peccatorem in malo suo proposito non impediunt.

(4.) Generalis est prohibitio Christi: *ne sanctum detur canibus* *Mat. 7. v. 6.* quod sanè fit, si sacer ille

Iiiii 3 cibus

cibus à scientibus detur impœnitentibus.

(5.) Vult Christus reconciliationem antecedere huic sacræ actioni *Matth.5.v.25.* in impœnitentibus autem nulla præcedere potest reconciliatio, neque cum ecclesia, neque cum proximo: quomodo enim reconciliationem quærant, qui nunquam seriò peccati sui dolore tacti fuerunt?

(6.) Qui impœnitentes ad sacram cœnam admittit, mendax est in facie Dei, & tam seipsum, quàm communicantem decipit. S. cœna enim est confirmatio fidei, & absolutionis à peccatis: & dum distribuit eam minister, perinde facit, ac si communicanti diceret: *en tibi certum pignus acceptæ remissionis peccatorum*: & tamen scit remissa peccata impœnitenti non esse: annunciat gratiam Dei ei, qui adhuc sub irâ est. Hoc est *vivificare eos, qui debebant mori, quod qui faciunt, sub maledicto sunt Ezech.13. v.18.*

(7.) Officium ministri est, non tantùm absolvente, sed & ligante clave uti, juxta datam sibi potestatem *Ioh.* 20,23. & indicare peccatoribus iniquitatem eorum: quod minimè faciunt, qui impœnitentes ad usum cœnæ sacræ admittunt. Sed hi alienorum peccatorum se participes reddunt, & pœnas incurrunt, quas Dominus eis minatur *Ezech.3. v.18.* si, *dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaveris ei, neq; locutus fueris, ut avertatur à via sua impia & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

(8.) De impœnitentibus dicit *Paulus 1.Corinth.5.v.11.* si is, *qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumite*: multò minus talẽ ad sacram Domini mensam vult admitti; quia longè arctior est communicatio convivarum sancti hujus epuli, quàm vulgaris alicuius convivij.

(9.) In 2.*Thess.*3,6. scribit Apostolus: *denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* Inordinatè ambulare, est impiè & contra ordinationem verbi divini vivere. Si ergò à communione cum talibus etiam in civili conversatione quilibet abstinere debet, quantò magis ministrum ecclesiæ cavere oportet, ne in communione sacra illis se admisceat? *nulla certè est conventio Christi ad Belial, nulla pars fideli cum infideli 2.Cor.6,15.*

(10.) Huc accedunt testimonia & exempla sanctorum patrum & episcoporum, qui etiam graviter hortati sunt ministros ecclesiæ, ne quempiam impiorum, quos impœnitentes norint, ad sacram cœnam admittant.

*Chrysostomus homil.83.in Matt. vitam & sanguinem se profundere malle,* scribit, *quàm ad Domini mensam indignos admittere;* & *homil.60. ad pop.*

*Antio-*

*Antiochen.* hortatur ecclesiæ ministros: *non parva, inquit, vobis imminet ultio, si quem cujuspiam conscium nequitiæ hujus mensæ participem concedatis: sanguis ejus de manibus vestris exquiretur.*

*Cyprian. serm.* 5. qui est de lapsis graviter invehitur in eos, qui irascũtur, sibi ob impœnitentiam suam sacram cœnam denegari: *tumens animus,* inquit, *& superbus, nec quia victus est, fractus est, jacens stantibus, & integris vulneratus minatur, & quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur. Atq; ô tuã nimiã, furiose, dementiam! irasceris ei qui abs te avertere irã Dei nititur; ei minaris, qui pro te Domini misericordiam deprecatur; qui vulnus tuũ sentit, sed ipse non sentis, qui pro te lacrymas fundit, quos ipse forsitan non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas: & cùm sis ipse implacabilis ad antistites DEI, putas circa te Dominũ posse placari?* &c. Idem *Cyprianus libr. 3. epist. 15.* cùm quidem tempore persecutionis fidem abnegarent, & nihilominus absque pœnitentiâ sacram cœnam peterent, reprehendit sacerdotes, qui eam ipsis porrigebant: *ante actam pœnitentiam,* inquiens, *& ante exomologesin gravissimi delicti factam, Eucharistiam dare,* id est, *sanctum Domini corpus prophanare audent, cùm scriptum:* qui *ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

*Augustinus libr. 2. contra lit. Parmen.* eum, qui impœnitentem vel ab aliquo gradu honoris vel ab ipsa communione sacramentorum removet, cum dilectione corrigendi, non cum odio persequendi, plenissimum officium non solùm castissimæ innocentiæ, sed etiam diligentissimæ severitatis implevisse, scribit.

Sic *Athanasius Imperatorem Theodosium* alioquin pium satis, ob cædẽ *Thessalonicæ* ad instinctum suorum consiliariorum factam, à communione sacra arcuit.

Ejusdem etiam sententiæ est *D. Lutherus in cap. 3 Ioelis, quòd si pastori constat,* ait, *de notorio aliquo peccato, omninò hoc tenetur facere, ne tales ad Eucharistiam admittat, nisi pœnitentiam agant, hoc est, peccare desinant, & vera confessione ostendant, se damnare & odisse peccata. Praecedere tamen debet pia & gravis admonitio. Magistratus autem hac in parte, si non facit officium suũ, & publica scandala gravi animadversione nõ premit, gravissime peccat. Quod si etiam illud addit, ut ecclesiasticam censuram impediat, & scandalis patrocinetur, prorsus ex DEI servo in mancipium Satanæ degenerat.*

His de causis minister ecclesiæ impœnitentes ad sacram cœnam admittere non debet, etiamsi odiũ mundi, ipsiusque etiam magistratus incurrat: cùm *enim DEO magis sit obediendum, quàm hominibus,* nullius hominis ira tanta esse debet, cujus metus iræ divinæ metũ in no-

bis

bis extinguat, & nos contra officiũ aut conscientiam nostram aliquid facere aut permittere cogat.

Cùm verò facilè fieri possit, ut minister ecclesiæ incautus ex præcipitantia judicij repellat à communione eum, de cujus impœnitentia sibi nondum exactè constat, ideò in *constitut. ecclesiasticis nostri Electoratus* cautum est, ut ejusmodi personas, quas sacrâ mensâ indignos putant, ad Consistorium suum referant, idque maturè, antequam sacram communionem petant, & ad ejus cognitionem delinquens vel admittendus est, vel removendus: proprio autem & privato ausu, & in ipso actu communionis hoc nemini permittitur. Vide *Constit. Electorat. eccles. in generalibus art.* 10. *fol.* 307.

*Objectio ab exemplo Judæ sumta solvitur.* Defendunt autem aliqui admissionem impœnitentium ad sacram cœnam exemplo *Judæ* proditoris, cui Christus etiam probè conscius istius sceleris sacram cœnam dedit. Vbi non est opus negare *Judam* actioni cœnæ interfuisse, contrarium enim satis liquet ex verbis Christi: *ecce manus tradentis me mecum est in mensa Luc.* 22, 21. *Augustinus tract.* 59. *in Johannem* scribit, *manducasse Judam panem Domini contra Dominum.*

Concedimus igitur *Judam* primæ cœnæ interfuisse, & æquè ac Apostolos cæteros, corpus Domini manducasse. Sed hoc nihil obstat sententiæ nostræ. Nam factum illud *Judæ* proditorium nondum tunc temporis erat notorium: nemo enim in ecclesia sciebat illud, præter solum Christum: *Pontifices & Pharisæi* quidem etiam sciebant: quia cum Iuda de mercede iniquitatis jam convenerant: sed nihil hi ad ecclesiam: *Apostolis* prorsus erat incognitum: neque *Judas* ipse factum hoc fatebatur, sed adhuc dissimulabat: neque simpliciter à Christo admittebatur, sed prævià admonitione seriâ: quæ omnia minimè applicari possunt ad nostrum casum, ubi agitur de tali scelerato homine, qui fatetur scelus suum, eoque nomine notus est omnibus, & tamen sacram cœnam sibi dari petit, ne indignus nomine Christiano habeatur.

Talis etiamsi magnæ sit autoritatis, quin & magistratus ipse, qui se ministrum ecclesiæ cogere posse putat, à perceptione sacramenti excludendus est, donec seriam egerit pœnitentiam, ob causas suprà indicatas.

Eadem est ratio eorum, qui *Papismo, Calvinismo*, aut similibus erroribus in doctrinâ pertinaciter adhærent, & meliora docentes audire nolunt, qui hac pertinacitate sua seipsos ab usurpatione sacræ cœnæ excluserunt.

* * * *
*

CASVS

Digitized by Google

## CASUS II.

*Num agoniſantibus, qui ſenſuum & rationis uſum ferè omnem, per vehementiam morbi amiſerunt, ita, ut quid ſecum agatur, non intelligant, ſacra cœna eſt porrigenda?*

REſp. Qui in ultimo vitæ ſuæ agone ſacram cœnam petunt, in duplici ſunt differentia. Aut enim ſunt *planè impij*, qui durante valetudine verbum & Sacramēta contempſerunt, & jam moribundi ſacram Euchariſtiam ſibi dari petunt, tantùm, quia metuūt ſepulturam aſini, ſi abſque ea hinc diſceſſerint. His ut impœnitentibus non eſt ſtatim gratificandum, multum enim requiritur operæ; ut ad veram peccatorum ſuorū agnitionem & ſeriam pœnitentiam adducantur. Hi ergò, ut impœnitentes ſacramentorum cōtemtores, relinquendi ſunt judicio Dei, ne ſanctum detur canibus, nec ex ſacramēto opus operatum fiat, nullo cum diſcrimine dignorum vel indignorum. Quidam verò ſunt *ſancti & pij homines*, qui, dum valerent, verbum Dei diligenter audierunt, ſacra cœna reverenter uſi ſunt, & vitam ſuam ſanctè inſtituerunt, quantum in imperfectione ſua fieri potuit. Et hi dum in agone conſtituti ſunt, iterum duorū ſunt generum. *Nonnulli ita ſunt infirmi, ut quidem parum loqui & intelligere poſſint*, per morbū etiam ita debilitatā eſt eorum memoria, ut parū de iis, quæ cum ipſis aguntur, retineant: *interim tamē paucis verbis aut geſtibus deſiderium ſuum erga hoc ſacroſanctum epulum ſignificant*. His ſuccurrendum eſt ſedulò, & ſi vel nutu ſaltem de ſuo deſiderio teſtentur, & ad ea, quæ ipſis præleguntur, annuāt, his ſacra cœna deneganda non eſt: nā & geſtus externi ſunt indicium interioris deſiderii ac devotionis, quemadmodum nec mutis aut ſurdis, ſi geſtibus aliquam ſui ſancti deſiderii teſtificationem edant, ea nō negatur, ut ſupra *lib.* 2. *cap.* 12. *caſ.* 12. probavimus. Imò ſi quis adhuc rectè valens peteret, ut miniſter ſibi agoniſanti, dum linguæ uſum non amplius habet, abſolutionem acclamaret, non renuendum eſſet, quia externum illud deſiderium & devotio, eſt inſtar prolixæ confeſſionis, ſi præſertim ejus priſtina pietas & religionis devotio omnibus nota fuerit. *Nonnulli autem per morbum ita ſunt debilitati, ut neq; ratio neq; ſenſus externi ſuum faciunt ampliùs officium*, neque enim audiunt, neque intelligunt, quid ipſis dicatur, neque ſignum aliquod contritionis aut fidei edunt, neque etiam hoſtiam aut vinum aſſumtum retinere poſſunt, ſine periculo ejectionis: his ſacra cœna dari non poteſt, ſed vel expectandum, donec meliuſculè habeant, aut ita relin-

3. Quia infantes non possunt præstare culpam parentum, cum falsa doctrina nondum depravarit intellectum eorum.

4. Denegatio baptismi est species excommunicationis, quæ in infantem cadere non potest.

5. Exclusio infantis à baptismo parentes adhuc dociles à religione nostrâ prorsus alienos reddere potest, cùm quærentibus eam interclusam videant.

His de causis admittendos esse censeo vel *Calvinianorum*, vel etiam *Pontificiorum* parentum infantes ad baptismum nostrum, modo illi nihil in ritibus usitatis ecclesiæ nostræ, multo minus in substantialibus baptismi immutari postulent. In his enim adversariis veritatis, *ne ad horam quidem cedendum est Gal. 2. v. 5.*

*Objectio solvitur.* Sed objiciunt aliqui, non possunt tales parentes interesse nostro baptismo, nec orare pro infante, quia non habent veram fidem. Sed falsum hoc est: nihil enim eos à baptismo nostro arcet, cui etiam pessimi hæretici interesse possunt: sicut enim hæresis baptisantis nihil officit vero baptismo, modo hæresis non impingat in substantiam hujus sacramenti, ita neque error parentis ad baptismum infantis sui adstantis.

2. Non est necessaria parentis præsentia, arceatur potiùs ille, quàm infans à baptismo.

3. Neque defectus fidei in ipso nocet baptisando, quia non in fidem parentis, sed suam baptisatur infans, quam ejus loco profitentur patrini.

4. Si parentis preces non sunt satis firmæ, eo validiùs precetur ecclesia cui infans in actu baptismali jam adjungitur.

Summa, habeat hic locum illud Christi: *qui est mecum, is non est contra me, Luc. 11, 23.* cùm ergo infantes illi non sint contra nos, cur ergo eos non nobiscum esse patiamur? fieri potest, ut cum adoleverint, eo libentiùs ecclesiis nostris se adjungant, cui communione baptismi in infantia fuerunt uniti.

## CASUS IIX.

### *Num minister ecclesiæ infantes infidelium parentum baptisare tenetur?*

RESP. Infideles parentes sunt, qui extra ecclesiam vivunt, ut *Iudæi & Turcæ.* De horum liberis quidam nullam prorsus curam suscipiunt, quia 1. *Corinth. 5, 13.* scriptum sit: *quid attinet de his, qui foris sunt, judicare.* *Infideles parentis qui?*

Alii promiscuè & absque discrimine omnes infidelium parentum liberos baptisandos & ad baptismum rapiendos esse docent, moti illo Apostolico dicto: *vobis facta est promissio, & filiis vestris, & omnibus, qui longè sunt Actor. 2. v. 39.* ubi hi, qui longè sunt opponuntur iis, qui sunt propè, hoc est, gentiles *Iudæis*, seu extranei civibus ecclesiæ.

Sed

Sed neutra sententia vera est. Nam impium prorsus est, nullam de *Judæorum & Turcarum* salute curam habere, cùm omnium piorum votum cum *Nazianzeno* esse debeat: *utinam nemo pereat!* & *Apostolicum* præceptum est: *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei Galat.* 6.10.

*Resp. ad dictum Paulinum. 1 Cor. 5.*

Quod autem *Pauli* dictum 1.*Cor.* 5. attinet, nihil habet illud de jure ecclesiastico, vel de communione verbi & sacramentorum, quàm latè ea se extendat, sed de conversatione politicâ agit. Nam cùm *Paulus* monuisset *Corinthios*, ne miscerentur manifestè sceleratis, hoc *Corinthij* ita accipiebant, quasi omnium promiscuè sceleratorum communionem fugere debeant, quod fieri vix poterat, cùm in ea viverent civitate, cujus incolę adhuc multi erant gentiles. *Paulus* igitur explicat mentem suam, quod nimirum tantùm de civibus ecclesiæ loquatur, qui Christiani esse volunt, & tamen multis Ethnicis deteriores vivant: hos fugere debebant. Eos autem qui foris sunt, ait, se hoc in genere non admodum curare, & posse *Corinthios* cum istis pro re natâ in rebus civilibus conversari. Nihil ergò hoc ad baptismum, quasi infidelium liberis planè sit denegatus.

Altera quoque sententia locum simpliciter habere non potest. Etsi enim omnes, qui ex carne nati sunt, renascentia opus habēt; & *Apostolis* injunctum sit, ut baptisent omnes gentes *Matth.* 28. nuspiam tamen legitur, quod gentiles ad baptismũ coacti, aut ipsorum liberi parentibus erepti, & ad baptismum rapti fuerint, neq; hoc ullibi præceptum est: neque etiam hoc ex verbis *Petri*, quæ ex *Act.*2. afferuntur, colligi potest: sed ibi jus ad promissionem Dei etiam gentilibus, qui à longè sunt, conceditur, quo tamen potiri nequeunt, nisi eos Dominus advocaverit, uti expressè additur.

*Vera sententia proponitur quinq; Aphorismis.*

Vera igitur sententia hæc est: (1.) à baptismo infidelium liberi nullo Dei præcepto sunt exclusi, propius tamen ad illud jus habent liberi fidelium, tanquam in ecclesiâ nati, de quibus Apostolus dicit: *si radix sancta, etiã rami, Rom.*11.*v.*16. & *filij vestri sancti sunt* 1.*Cor*.7.*v*.14. hoc est, accessum habent ad baptismum, qui thesaurus est ecclesiæ.

(2.) Cùm adhuc in potestate parentum suorũ sunt, extra familiam nostram, nondum baptisari possunt, quia tunc nondum advocavit eos Dominus.

(3.) Cùm in potestatem nostram venerunt, sive jure belli, sive per emtionem, aut donationem, aut per captivitatem, aut quocunque alio modo legitimo, & sic pars familiæ nostræ facti, tunc non tantùm liberi infidelium, sed & parentes baptisandi sunt: quemadmodum *Abrahã* non tantùm eos, qui ex sanguine suo nati, sed & emtitios, qui non erant de stirpe ejus, circumcidit *Genes.*17.*v.*12. id quod praxis ecclesiæ omnium temporum probat, & ab

*Augustino* confirmatur, qui *lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 12. scribit: *filiis infidelium etiam præstatur gratia* (baptismi) *cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocunque pervenerint.*

(4.) Discrimen inter adultos & infantes infidelium tenendum est. *Adulti* priùs in articulis doctrinæ Christianæ rectè instituendi sunt, ut publicam confessionem ante baptismum edere possint, eius doctrinæ, in quam baptisantur. *Infantes* tam diu exspectare non tenentur, donec doctrinam Christianam addidicerint; sed ut nostri infantes, ita & ipsi, etiam in infantia sua baptisandi sunt in fidem ecclesiæ propter periculum mortis, & quia ipsi doctrinâ aut vitâ perversâ obicem Spiritui Sancto in baptismo operanti, ponere non possunt; si tamen infans valetudinis sit satis firmæ, utile est, ut priùs in principiis doctrinæ Christianæ instituatur, quàm ad baptismum afferatur.

(5.) Si parentes infantis captivi fuerint, tentanda ante omnia conversio ipsorum, & tunc unà cum infante ipsi quoque baptisandi sunt: si parentes fidem Christianam accipere nolint, tunc & invitis ipsis infantem eripere & baptisare fas est, quia non sunt ampliùs proprij juris, sed unà cum infante in nostram redacti potestatem.

Contrarium statuunt Calviniani, sed absque ratione: vide *Bezam in quæst. & resp. q.* 118. & 120.

Exempla baptisatorum *Iudæorum & Turcarum*, & qui processus fuerit observatus, vide in volum. *consilior. M. Dedekenni tom.* 1. *fol.* 85. *seqq.*

Huc pertinent alij quidam casus, de baptismo suppositiorum, monstrorum, amentium, campanarum, & similium, sed de his vide *institut. ministrorum verbi cap.* 21. Hîc ad aliâ pergo.

## CASUS IX.

### *Quid faciendum, si baptisato à laico, qui post baptismum supervixerit, forte scrupulus oboriatur, an etiam rectè sit baptisatus?*

RESp. Quod etiam laici in casu extremæ necessitatis baptisare possint, & persona hæc baptisantis baptismum vitiare nequeat, suprà probavimus *cap.* 5. *cas.* 9.

Ne cui autem hac de re scrupulus oriatur, constitutio ecclesiastica harum regionum certum præscripsit modum, quomodo hujusmodi baptismus sit confirmandus, si supervixerit infans, non est opus iteratione baptismi, sed infans ad templum portandus, & qui interfuerũt baptismo infantis, interrogandi sunt, an sciant, infantem illum ritè baptisatum esse, & quibus verbis eum baptisarint: quòd si responderint, se præmissa invocatione nomi-

nis

nis divini baptisasse in nomine *Patris, Filij & Spiritus Sancti*, tunc non est opus ut minister ecclesiæ eum rebaptiset, sed repetitis precibus, eum in catalogum verorum civium illius ecclesiæ recipiat.

De quibus omnibus vide in *constitut. Electoral. tit.* **von der Noth-Tauffe** *fol.11. seqq.*

## CASUS X.

### *Quomodo minister ecclesiæ succurrere debet afflictis conscientiis, si qui forte dubitent, an unquam fuerint baptisati, cùm tamen baptisati sint?*

*Quilibet de baptismo suo debet esse certissimus.*

RESP. Summum ecclesiæ bonum est baptismus, in quo adoptamur in filios Dei, & in hæreditatem regni cœlorum adsciscimur: ideò nihil magis necessarium est, quàm ut unusquisque de baptismo suo sit quàm certissimus.

In eum finem, & patrini tanquam testes baptismi adhibentur, & nomina baptisatorum catalogo certo, quem habet æditituus, adscribuntur.

Fieri autem potest, ut neque patrini, neque minister, qui baptisavit, amplius sint in vivis, neque catalogus baptisatorum habeatur, neque quisquam ampliùs præstò sit, qui de baptismo alicujus testari possit: ibi certè non feriatur *Satan*, sed suis aculeatis spiculis angit hominem, ut de baptismo & salute sua dubitare incipiat, imò, quòd baptisatus sit, sibi haud facilè persuaderi patitur.

*Dubitationem de baptismo dua tollunt.*

His verò tentationibus maligni spiritus duo potissimum opponi possunt, quæ dubitationem istam tollunt. Primum est *fiducia in Deum*, quâ talis homo Deum adhuc patrem, & Christum fratrem suum nominare potest, licet fide fiat languidâ, item, quòd non contemnit sed amat verbum, quòd salutis est cupidus, quòd scintillas pietatis in animo suo sentit. Hæc omnia sunt à Spiritu sancto, sine quo nemo *Christum vocare potest Dominum 1. Corint. 12. vers. 3.* Spiritus autem sanctus est tantùm in renatis, in quibus obsignat gratiam Dei, fidem ac salutem æternam, quin & *testimonium dat spiritui nostro, quod simus filij Dei Rom. 8. v. 16.* Ex his ergò motibus Spiritus sancti colligere possumus nos baptisatos, & per baptismum in gratiam à Deo receptos esse: quia non baptisati nec motus illos sentiunt, nec Spiritum sanctum in se habitantem habent.

Alterum est, *nomen proprium*, quod cuilibet in suo baptismo impositum fuit, quo admoneri debet in adultâ ætate, se libro vitæ inscriptum, & viti Iesu Christo insertum fuisse. Vnde enim nomen suum haberet, si baptisatus non fuisset? cùm moris non sit, alibi, quàm in baptismo nomina dare liberis.

Hac de re memorabilem histo-

riam recitat *Cyriacus Spangenbergius* de *Catharina* priore, uxore Domini *Clementis Schavij Diaconi ad S. Andreæ islebij*, ea jam in agone mortis cõstituta, cùm exquisitis sacræ Scripturæ dictis se probè erigere posset, tandem ex instinctu Satanæ de baptismo suo dubitare cœpit, siquidem nemo prorsus superstes erat, qui de baptismo eius testificari posset, parentibus enim admodum juvencula, ut & patrinis omnibus orbata erat. Ministri ecclesiæ diligenter pro ipsa orabant, & tandem quodnam esset nomen eius, quærebant: quod cum indicasset, ipsi continuè nomen hoc urserunt, contendentes, quia proprium haberet nomen, & ex familia pia & honesta oriunda esset, etiam in medio Christianorum nata, credendum omninò esse, eam etiam baptisatam esse: quod solatium adeò penetravit cor eius, ut de baptismo suo dubitare desineret, & è tentationib⁹ eluctata placidè in Domino obdormiret.

## CAPUT IX.

### *De Casibus conscientiæ circa administrationem SS. cœnæ.*

### PROOEMIUM.

VErus sacramenti cœnæ usus consistit in ἀδόσει καὶ λήψει, seu in exhibitione & acceptione corporis ac sanguinis Dominici.

Hinc duorum generum homines sunt circa hoc sacramentum occupati, primùm *ministri distribuentes*, deinde *reliqui communicantes*.

*Duorum generum homines circa cœnã sunt occupati.*

Vtrobique fideli instructione opus est, ne sacramentum hoc indignè tractetur.

De communicantibus suprà egimus *lib. 2. cap. 12.* hîc de ministris distribuentibus agendum est.

*Quid hoc loco agendum?*

Quæ ergò circa hos in hoc actu incidere possint dubia, hoc capite, volente Domino, videbimus.

### CASVS I.

### *Num minister ecclesiæ notoriè sceleratum & impœnitentem, vel vi, vel precibus adactus, ad communionem S. cœnæ bona cum conscientia admittere potest?*

RESP. Si scelera impœnitentium adhuc occulta sunt, ita tamen, ut rumor aliquam de iis suspicionem moverit, propter illa nemo statim à S. cœna arcendus est, sed hîc gradus admonitionum priùs adhibendi.

Quòd si quis scelerum istorum nondum apertè reus, neque satis convictus aut confessus fuerit, admittendus utique est, ne tam pretioso animæ suæ thesauro per nos defraudetur; admonendus tamen seriò,

seriò, ut quocunque modo fieri poterit, suspicionem istam à se amoliatur. Hic enim locum habet πολυθρύλητον illud: *de occultis non judicat ecclesia.*

Si scelera nota quidem sunt, sed soli pastori, nondum habenda sunt pro notoriis, ideò tales scelerati non sunt simpliciter ab usu S. cœnæ arcendi: sed si accedere voluerint, diligenter à pastore monendi sunt de periculo, &, ut seriò resipiscant, hortandi, media quoque quibus ad veram resipiscentiam adduci queant, monstranda.

Si verò non paruerint, sed inter cæteros communicantes accesserint, non statim arcendi, sed tolerandi sunt, quia scelus adhuc occultum est, pastor quidem illud novit, sed non debet revelare sibi à delinquente in confessione aut sub sigillo confessionis concredita: ideò in tali casu tractat eum meritò ut occultum peccatorem.

Exaggerare autem debet ei privatim hoc delictum, & ut sibi caveat ab irâ Dei, qui delictum suum alio modo aperire potest, monere. Si verò scelus aliquod, putà, scortatio, adulterium, homicidium aut simile in ecclesia, publicè notum fuerit, neque ab autore ejus negetur, neq; signa pœnitentiæ ulla appareant, & tamen sceleratus iste ad cœnam sacram se admitti petat, bonâ cum conscientia admitti non potest propter has rationes: (1.) Quia Christus in sua institutione nunquam intendit, aut voluit, ut impœnitẽtes, quatenus tales, ad hanc sacram mẽsam admittantur, quia sacramenta aut conferunt aut cõfirmant fidem, quod in impœnitentibus, quatenus sunt tales, non fit. Nemo autem in hac sacrâ actione contra intentionem Christi quidquã facere debet, ne quid frustrà, & contra Christum fecisse videatur.

*Rationes, quòd notoriè sceleratus impœnitens non admittendus:*

(2.) Quia admittendi sunt tantùm, *qui probare semetipsos possunt* 1.*Cor*.11.*v*.28. quam ob causam infantes ab hoc sacramento excluduntur. Impœnitentes autem se minimè probant; aliàs non essent tales, cùm probatio vera cum serio dolore ob admissum peccatum, verâ fide in Christum, & proposito emendationis semper conjuncta sit.

(3.) Ministrorum verbi officium est, cavere, ne quis auditorum sibi judicium & damnationem æternam contrahat. Iam verò Apostolus *Paulus* clarè testatur, indignos & impœnitentes peccatores sibi judicium manducare, & corporis sanguinisque Christi reos fieri, *si indignè ad sacrã Domini mensam accesserint* 1.*Cor*.11.*v*.29. Quomodo ergò eos salvâ pietate, salvâ conscientiâ, salvo officio suo admittere possunt? Hoc enim modo non tantùm impœnitentem in sua impietate confirmarent, sed & ipsi corporis ac sanguinis Christi rei fierent, dum impœnitentem peccatorem in malo suo proposito non impediunt.

(4.) Generalis est prohibitio Christi: *ne sanctum detur canibus* *Mat*.7.*v*.6. quod sanè fit, si sacer ille

cibus à scientibus detur impœnitentibus.

(5.) Vult Christus reconciliationem antecedere huic sacræ actioni *Matth.5.v.25.* in impœnitentibus autem nulla præcedere potest reconciliatio, neque cum ecclesia, neque cum proximo: quomodo enim reconciliationem quærant, qui nunquam seriò peccati sui dolore tacti fuerunt?

(6.) Qui impœnitentes ad sacram cœnam admittit, mendax est in facie Dei, & tam seipsum, quàm communicantem decipit. S. cœna enim est confirmatio fidei, & absolutionis à peccatis: & dum distribuit eam minister, perinde facit, ac si communicanti diceret: *en tibi certum pignus acceptæ remissionis peccatorum*: & tamen scit remissa peccata impœnitenti non esse: annunciat gratiam Dei ei, qui adhuc sub irâ est. Hoc est *vivificare eos, qui debebant mori, quod qui faciunt, sub maledicto sunt Ezech.13. v.18.*

(7.) Officium ministri est, non tantùm absolvente, sed & ligante clave uti, juxta datam sibi potestatem *Ioh.* 20,23. & indicare peccatoribus iniquitatem eorum: quod minimè faciunt, qui impœnitentes ad usum cœnæ sacræ admittunt. Sed hi alienorum peccatorum se participes reddunt, & pœnas incurrunt, quas Dominus eis minatur *Ezech.3. v.18.* si, *dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaveris ei, neq; locutus fueris, ut avertatur à via sua impia & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram:*

(8.) De impœnitentibus dicit *Paulus* 1.*Corinth.5.v.11.* si is, *qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumite*: multò minus talẽ ad sacram Domini mensam vult admitti; quia longè arctior est communicatio convivarum sancti hujus epuli, quàm vulgaris alicuius convivij.

(9.) In 2.*Thess.*3,6. scribit Apostolus: *denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* Inordinatè ambulare, est impiè & contra ordinationem verbi divini vivere. Si ergò à communione cum talibus etiam in civili conversatione quilibet abstinere debet, quantò magis ministrum ecclesiæ cavere oportet, ne in communione sacra illis se admisceat? *nulla certè est conventio Christi ad Belial; nulla pars fideli cum infideli 2.Cor.6,15.*

(10.) Huc accedunt testimonia & exempla sanctorum patrum & episcoporum, qui etiam graviter hortati sunt ministros ecclesiæ, ne quempiam impiorum, quos impœnitentes norint, ad sacram cœnam admittant.

*Chrysostomus homil.83. in Matt. vitam & sanguinem se profundere malle,* scribit, *quàm ad Domini mensam indignos admittere*; & *homil.60. ad pop. Antio-*

*Antiochen.* hortatur ecclesiæ ministros: *non parva, inquit, vobis imminet ultio, si quem cujuspiam conscium nequitia hujus mensa participem concedatis: sanguis ejus de manibus vestris exquiretur.*

*Cyprian. serm.* 5. qui est de lapsis graviter invehitur in eos, qui irascũtur, sibi ob impœnitentiam suam sacram cœnam denegari: *tumens animus,* inquit, *& superbus, nec quia victus est, fractus est, jacens stantibus, & integris vulneratus minatur, & quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur. Atq; ô tuã nimiã, furiose, dementiam! irasceris ei, qui abs te avertere irã Dei nititur; ei minaris, qui pro te Domini misericordiam deprecatur; qui vulnus tuũ sentit, sed ipse non sentis, qui pro te lacrymas fundit, quos ipse forsitan non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas: & cùm sis ipse implacabilis ad antistites DEI, putas circa te Dominũ posse placari?* &c. Idem *Cyprianus libr.* 3. *epist.* 15. cùm quidem tempore persecutionis fidem abnegarent, & nihilominus absque pœnitentiâ sacram cœnam peterent, reprehendit sacerdotes, qui eam ipsis porrigebant: *ante actam pœnitentiam,* inquiens, *& ante exomologesin gravissimi delicti factam, Eucharistiam dare,* id est, *sanctum Domini corpus prophanare audent, cùm scriptum:* qui ederit panem, *aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

*Augustinus libr.* 2. *contra lit. Parmen.* eum, qui impœnitentem vel ab aliquo gradu honoris vel ab ipsa communione sacramentorum removet, cum dilectione corrigendi, non cum odio persequendi, plenissimum officium non solùm castissimæ innocentiæ, sed etiam diligentissimæ severitatis implevisse, scribit.

Sic *Athanasius Imperatorem Theodosium* alioquin pium satis, ob cædẽ *Thessalonica* ad instinctum suorum consiliariorum factam, à communione sacra arcuit.

Ejusdem etiam sententiæ est *D. Lutherus in cap.* 3 *Ioelis, quòd si pastori constat,* ait, *de notorio aliquo peccato, omninò hoc tenetur facere, ne tales ad Eucharistiam admittat, nisi pœnitentiam agant, hoc est, peccare desinant, & vera confessione ostendant, se damnare & odisse peccata. Præcedere tamen debet pia & gravis admonitio. Magistratus autem hac in parte, si non facit officium suũ, & publica scandala gravi animadversione nõ premit, gravissime peccat. Quod si etiam illud addit, ut ecclesiasticam censuram impediat, & scandalis patrocinetur, prorsus ex DEI servo in mancipium Satanæ degenerat.*

His de causis minister ecclesiæ impœnitentes ad sacram cœnam admittere non debet, etiamsi odiũ mundi, ipsiusque etiam magistratus incurrat: cùm *enim DEO magis sit obediendum, quàm hominibus,* nullius hominis ira tanta esse debet, cujus metus iræ divinæ metũ in nobis

bis extinguat, & nos contra officiũ aut conscientiam nostram aliquid facere aut permittere cogat.

Cùm verò facilè fieri possit, ut minister ecclesiæ incautus ex præcipitantia judicij repellat à communione eum, de cujus impœnitentia sibi nondum exactè constat, ideò in *constitut. ecclesiasticis nostri Electoratus* cautum est, ut ejusmodi personas, quas sacrâ mensâ indignos putant, ad Consistorium suum referant, idque maturè, antequam sacram communionem petant, & ad ejus cognitionem delinquens vel admittendus est, vel removendus: proprio autem & privato ausu, & in ipso actu communionis hoc nemini permittitur. Vide *Constit. Electorat. eccles. in generalibus art.* 10. *fol.* 307.

*Objectio ab exemplo Iudæ sumta solvitur.*

Defendunt autem aliqui admissionem impœnitentium ad sacram cœnam exemplo *Judæ* proditoris, cui Christus etiam probè conscius istius sceleris sacram cœnam dedit. Vbi non est opus negare *Iudam* actioni cœnæ interfuisse, contrarium enim satis liquet ex verbis Christi: *ecce manus tradentis me mecum est in mensa Luc.* 22, 21. *Augustinus tract.* 59. *in Johannem* scribit, *manducasse Iudam panem Domini contra Dominum.*

Concedimus igitur *Iudam* primæ cœnæ interfuisse, & æquè ac Apostolos cæteros, corpus Domini manducasse. Sed hoc nihil obstat sententiæ nostræ. Nam factum illud *Iudæ* proditorium nondum tunc temporis erat notorium: nemo enim in ecclesia sciebat illud, præter solum Christum: *Pontifices & Pharisæi* quidem etiam sciebant: quia cum Iuda de mercede iniquitatis jam convenerant: sed nihil hi ad ecclesiam: *Apostolis* prorsus erat incognitum: neque *Iudas* ipse factum hoc fatebatur, sed adhuc dissimulabat: neque simpliciter à Christo admittebatur, sed prævia admonitione seriâ: quæ omnia minimè applicari possunt ad nostrum casum, ubi agitur de tali scelerato homine, qui fatetur scelus suum, eoque nomine notus est omnibus, & tamen sacram cœnam sibi dari petit, ne indignus nomine Christiano habeatur.

Talis etiamsi magnæ sit autoritatis, quin & magistratus ipse, qui se ministrum ecclesiæ cogere posse putat, à perceptione sacramenti excludendus est, donec seriam egerit pœnitentiam, ob causas suprà indicatas.

Eadem est ratio eorum, qui *Papismo, Calvinismo,* aut similibus erroribus in doctrinâ pertinaciter adhærent, & meliora docentes audire nolunt, qui hac pertinacitate sua seipsos ab usurpatione sacræ cœnæ excluserunt.

******

CASVS

## CASUS II.

### *Num agoniſantibus, qui ſenſuum & rationis uſum ferè omnem, per vehementiam morbi amiſerunt, ita, ut quid ſecum agatur, non intelligant, ſacra cœna eſt porrigenda?*

RESP. Qui in ultimo vitæ ſuæ agone ſacram cœnam petunt, in duplici ſunt differentia. Aut enim ſunt *planè impy*, qui durante valetudine verbum & Sacramēta contemſerunt, & jam moribundi ſacram Euchariſtiam ſibi dari petunt, tantùm, quia metuūt ſepulturam aſini, ſi absque ea hinc diſceſſerint. His ut impœnitentibus non eſt ſtatim gratificandum, multum enim requiritur operæ; ut ad veram peccatorum ſuorū agnitionem & ſeriam pœnitentiam adducantur. Hi ergò, ut impœnitentes ſacramentorum cōtemtores, relinquendi ſunt judicio Dei, ne ſanctum detur canibus, nec ex ſacramēto opus operatum fiat, nullo cum diſcrimine dignorum vel indignorum. Quidam verò ſunt *ſancti & pij homines*, qui, dum valerent, verbum Dei diligenter audierunt, ſacra cœna reverenter uſi ſunt, & vitam ſuam ſanctè inſtituerunt, quantum in imperfectione ſua fieri potuit. Et hi dum in agone conſtituti ſunt, iterum duorū ſunt generum. *Nonnulli ita ſunt infirmi, ut quidem parum loqui & intelligere poſſint*, per morbū etiam ita debilitatā eſt eorum memoria, ut parū de iis, quæ cum ipſis aguntur, retineant: *interim tamē paucis verbis aut geſtibus deſiderium ſuum erga hoc ſacroſanctum epulum ſignificant*. His ſuccurrendum eſt ſedulò, & ſi vel nutu ſaltem de ſuo deſiderio teſtentur, & ad ea, quæ ipſis prælegentur, annuāt, his ſacra cœna deneganda non eſt: nā & geſtus externi ſunt indicium interioris deſiderii ac devotionis, quemadmodum nec mutis aut ſurdis, ſi geſtibus aliquam ſui ſancti deſiderii teſtificationem edant, ea nō negatur, ut ſupra *lib. 2. cap. 12. caſ. 12.* probavimus. Imò ſi quis adhuc rectè valens peteret, ut miniſter ſibi agoniſanti, dum linguæ uſum non amplius habet, abſolutionem acclamaret, non renuendum eſſet, quia externum illud deſiderium & devotio, eſt inſtar prolixæ confeſſionis, ſi præſertim ejus priſtina pietas & religionis devotio omnibus nota fuerit. *Nonnulli autem per morbum ita ſunt debilitati, ut neq; ratio neq; ſenſus externi ſuum faciunt ampliùs officium*, neque enim audiunt, neque intelligunt, quid ipſis dicatur, neque ſignum aliquod contritionis aut fidei edunt, neque etiam hoſtiam aut vinum aſſumtum retinere poſſunt, ſine periculo ejectionis: his ſacra cœna dari non poteſt, ſed vel expectandum, donec meliuſculè habeant, aut ita relin-

quendi ſunt, & de illis uſurpandum illud *Auguſtini: crede & manducaſti*, quemadmodum de abſtemiis ſuprà docuimus *lib. 2. cap. 12. caſ.* 11. Rationes hujus aſſertionis hæ ſunt: (1.) Quia in ſacra communione fieri debet *commemoratio* mortis Dominicæ, ut *Apoſtolus* docet 1. *Cor.* 11, 24. Ea verò in tali communione fieri nō poteſt, cùm moribundus nihil hac de re intelligat.

*Probatur, nō eſſe porrigendam cœnam iis, qui uſu rationis & ſenſuum penitus deſtituti.*

(2.) In communione ſacra fieri debet *probatio communicantis.* Sed & illa in tali communione deficit. Quid enim is ſeipſum probet, qui quid ſecum agatur, cum ignariſſimis ignorat?

(3.) Ad ſacram communionem pio cum deſiderio hujus ſanctiſſimæ menſæ accedere debemus; in tali verò communione nullum indicium pii deſiderii apparet, ſed cum moribundo, tãquam cum mortuo agitur, non ſine profanatione ſacramenti.

(4.) Metuendum, ne ex tali communione opus operatum fiat, quaſi nuda uſurpatio ſacramenti ſufficiat ad ſalutem, ſine bono motu utentis, id quod in *Pontificiis* reprehendere ſolemus.

(5.) Securitatem quoq; aleret in impiis, & opinionem illam confirmaret, perinde eſſe, quicquid ab homine credatur vel agatur, ſiquidem omnes in ultimo agone tandem pretioſiſſimi hujus theſauri participes fieri poſſent.

Quapropter quilibet miniſter eccleſiæ monere debet ſuos, ne rem tã ſanctam differãt in ultimum vitæ ſuæ momentum, ſed hoc ἐφόδιον maturè ſibi comparent, dum adhuc integræ mentis ſunt, & pia cum devotione mēſæ Domini aſſidere poſſunt: ſi autem ſubitâ præoccupentur morte, de ſalute ſua nihilominus, etiam abſque uſu euchariſtiæ, certi ſint, *cujus non privatio, ſed contemtus nocet.*

## CASUS III.

### *Num ſacroſancta cœna danda eſt iis, qui per illius uſum ſuam probare volunt in re aliqua innocentiam?*

RESP. Morem hunc purgandi ſe de criminibus per celebrationē Miſſæ ac cœnæ uſurpationem, *Pontificii* invenerunt circa annum Chriſti 868. Nam ut ex *Sigeberto* annotarunt *Magdeburgenſes centur.* 9. *fol.* 247. finitis ceremoniis miſſæ, ſummus pontifex *Lotharium* regem invitat ad menſam Chriſti, acceptoque in manus corpore & ſanguine Domini, ita eum alloquitur: *ſi te innoxium recognoſcis, à prohibito atque interdicto tibi à Nicolao adulterii ſcelere, & hoc fixâ mente ſtatutum habes, ut nunquam diebus vitæ tuæ Valdradæ pellici tuæ, dudum à te repudiatæ, miſcearis nefario concubitu, fiducialiter accede, & ſacramentum ſalutis æternæ tibi ad remiſſionem peccatorum profuturum,*

*turum, percipe. Si autem tua te conſcientia accuſat, & letali vulnere ſauciatum proclamat, aut iterum redire mẽte tua diſponis in mœchia volutabro, nequaquã ſumere præſumas, ne fortè ad judicium & condemnationem tibi adveniat, quod fidelibus ad remedium præparavit divina providentia.*

Ad imitationem iſtius facti *Synodus Wormatienſ. cap.* 15. ſic inquit: *ſæpè contingit, ut in monaſteriis furta perpetrentur: & qui hæc committant, ignorentur. Idcircò ſtatuimus, ut quãdo ipſi fratres de talibus ſe expurgare debeant, miſſa ab abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe abbas præceperit, præſentibus fratribus, & ſic in ultima miſſæ celebratione pro expurgatione ſua corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti percipiant, quatenus ſe ita inde innocentes oſtendant*, quæ verba *conſilij* repetuntur in jure *Canonico in decret. cauſa* 2. *q.* 5. *c.* 23. *ſæpe contingit.*

Eadem *Synodus cap.* 10. epiſcopos aut presbyteros de cæde aut adulterio, aut furto, aut alio maleficio accuſatos, jubet ſeſe purgare miſſæ cælebratione & communione.

De *Gregorio VII. Papa Rom.* refert *Iohan. Stumpſius l.* 2. *c.* 24. quòd per ſumtionem hoſtiæ conſecratæ probare voluerit, ſe non in ſedem Papalẽ invaſiſſe, ſed legitimè electũ fuiſſe.

Audiuntur etiamnum interdum hujusmodi ſermones vulgi: *ſacra utar Euchariſtia in teſtimoniũ mea innocẽtiæ*: Jch will das Sacrament darauff nehmen/ daß ichs nicht gethan habe/ &c. quæ ut multa alia ſine dubio ſunt *Papiſtica* iſtius conſuetudinis reliquiæ.

Cùm ergò miniſter ſcit, aliquem in hunc finem accedere, & hujusmodi probationem ſuæ innocentiæ inſtituere, hunc in confeſſione examinare, & inventâ rei veritate, ab hoc inſtituto dehortari, nec ad uſum cœnæ admittere debet. *Ratio negativæ ſententiæ.*

In hunc enim finem ſacramentum hoc non eſt inſtitutum, *fidei confirmatio eſt, non innocentiæ teſtificatio*: neque fit cum commemoratione mortis Domini, neque beneficia Chriſti ſatis expenduntur, ſed externum duntaxat aliquod commodum reſpicitur.

Proinde hæc prava conſuetudo vulgi graviter pro concione culpanda eſt, tanquam inexcuſabilis levitas & temeritas, quæ non in honorem Chriſti, ſed in profanationem ſacratiſſimi ſui ſacramenti cedit.

Nam cùm eum finem Chriſtus in ſua inſtitutione neque expreſsè, neque tacitè poſuerit, additio fit ad verbum, quæ prohibita eſt *Deut.* 4. *v.* 2. 12, 22. & meminiſſe debemus; *nobis non eſſe ſapiendum ultra id, quod ſcriptum eſt Rom.* 12. *v.* 3. 1. *Cor.* 4. *v.* 6.

Prohibuit Chriſtus jurare vel per cœlum, vel per terram, vel per templum &c. *Matth* 5. putasnè juramentum vel atteſtationem iſtam per ſacramentum ſui corporis ipſi placere poſſe?

Neq; etiam talis probatio innocentiæ quidquam habet roboris, ſiqui-

ſiquidem multi indignè accedunt, qui ex ſacra hac Domini menſa pallium nequitiæ faciunt, quorum nequitiam Deus aliquando manifeſtabit, *quando aperientur etiam occulta cordium* 1. Cor. 4. v. 5.

Viderunt hoc *Romanenſes*: ideò canonem iſtum *Concilij Wormatienſis* abrogatum fuiſſe ſcribit *Barth. Carranza in ſumma Concil. pag.* 388. & *Thomas part. 3. quæſt.* 80. *art.* 6. *ad* 3. abrogationem iſtam refert ad *Stephanum Papam*, addita ratione, *quia hoc eſſet tentare Deum*, unde infert: *nullo modo corpus Chriſti debet dari alicui ſuſpecto de crimine, quaſi ad examinationem.*

## CASUS IV.

### *Quomodo miniſter eccleſiæ agere debet cum iis, qui per annos aliquot, vel alioquin ſatis diu ab uſu ſacræ cœnæ abſtinuerunt?*

RESP. Repetiuntur non pauci, qui ſe abſque jactura pietatis aut ſalutis æternæ à ſacra Domini menſa abſtinere poſſe putant, modò aliàs verbum Dei ament ac audiant, diligenter orent, ac vitam ſuam, quoad ejus fieri poteſt, rectè inſtituant.

*R. 1. privatim ſunt erudiendi, quod uſus*

Ad hæc omnia miniſter eccleſiæ ſilere certè non poteſt, ſed quia ſitientiſſimum ipſum ſalutis ſuorum eſſe oportet: primùm privatim ipſos admonere debet, quòd Sacramentorum uſus non ſit ἀδιάφορος, ſed divinitùs inſtitutùs, ſiquidem Chriſtus non tantùm vult nos audire verbum, ſed etiam uti Cœna, quemadmodum in inſtitutione hujus ſacramenti mandat: *hoc facite in mei commemorationem*: cui mandato qui non obtemperat, non eſt ex ovibus Chriſti: de his enim ipſe dixit: *oves meæ audiunt vocem meam Iohan.* 10. *verſ.* 27.

*Cœnæ non ſit ἀδιάφορος: ſed ἀναγκαῖος.*

Ita *Paulus* loco Chriſti nobis injungit: *probet homo ſeipſum, & ſic de pane hoc edat, & de calice bibat*, 1 *Cor.* 11, 28. non relinquit hoc in poteſtate noſtra, ſed edere ac bibere jubet.

Deinde morbum ſuum eis oſtendat, quàm profundè in peccatis hæreant, quàm omninò non ſeipſos extrahere inde poſſint, quàm infirma ſit caro noſtra in credendo promiſſionibus Dei, quæ in verbo proponuntur, quibus omnibus Deus per uſum ſacræ cœnæ mederi voluit.

*2. Peccati gravitas eſt oſtendenda.*

Qui ergò ab ea abſtinet, is morbi ſui gravitatem nondum agnovit, aliàs medicinam majori cum deſiderio quæreret.

Tertiò doceat, quàm periculoſum aliis det ſcandalum, dum exiſtimant ſufficere ad pietatem auditum verbi, preces, & ſtudium honeſtæ vitæ. Hoc enim ſuo exemplo aliis ſimiles inſtillare poſſent cogitationes, eaque ratione brevi nemo uſurpaturus eſſet S. cœnam, cùm

*3. Scandalum, quod dant aliis, eſt exaggerandum.*

tamen

tamen D. Paulus velit, *ut usq; ad ultimum Chriſti adventum in eccleſia uſurpetur*, 1. Cor. 11, 26.

*4. Omnes Chriſti ordinationes ſervandas eſſe, inculcandum.*

Quartò inculcet eis, non ſufficere ad veram pietatem reliquas cultus divini partes, niſi etiam S. cœnæ uſus crebro acceſſerit: nam & audire verbum, & uti ſacramentis, utrumque divinitùs eſt inſtitutum, & ſi non auditores tantùm, ſed & factores verbi eſſe volumus, omnes Chriſti ordinationes fideliter ſunt obſervandæ. *Scienti autem bonum facere, & non facienti, peccatum eſt ei* Iac. 4, 17.

*5. Quanto periculo ſuam animam exponat, explicandum.*

Quintò fideliter urgeat, quantoperè ſibi talis contemtor ſacramenti, noceat, dum ſemetipſum ſalutari remedio, pabuloque animæ ſuæ, ut & firmiſſimo robore adverſus tela Satanæ privat. Nam, ut rectè ſcripſit *Haymo ſuper Pſ. 22. non ſolùm Dominico corpore à vitiis mundamur, & virtutibus replemur; ſed etiam contra omnē perſequutionem ſuſtentamur*, & *Chryſoſtomus homil. 45. in Iohan. ut leones flammā ſpirantes: ſic ab hac menſa diſcedimus terribiles effecti diabolo*; & *homil. 24. in prior. ad Corinth. ipſa menſa animæ noſtræ vis eſt, nervi mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, ſpes, ſalus, lux, vita noſtra: ſi hinc hoc ſacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia ſanctum aſcendemus veſtibulum, tanquam aureis quibuſdā veſtibus undiq; contecti.* Hæc omnia vel ignorant, vel non expendunt, vel ſimul contemnunt, qui Sacramenti hujus uſum contemnunt, cum æterno animarum ſuarum detrimento: quæ ſemper & feriò eis ſunt inculcanda.

*6. Quòd ſe ex Chriſtianorum conſortio excludant, addendum &c.*

Denique indicandum eis eſt, quòd his moribus ſe ex omni conſortio verorum Chriſtianorum eliminent, cujus inter alios uſus ſignum eſt extremum, communio ſacramentorum: quòd animadverſionem pii magiſtratus incurrant, qui contemtores Sacramentorum ſine metu iræ divinæ in Repub. ſua tolerare nequit: quòd denique eccleſiaſticam quoque cenſuram non effugient, & tandem honeſta ſepultura privabunt.

Quid enim faciat is inter eos, qui corpore & ſanguine Domini paſti jam in dormitoriis ſuis lætam reſurrectionem ad gloriam expectant, qui tàm præclaro pignore animæ ſuæ vel omninò non, vel rarò ſatis, uſus fuit?

*Exceptio ſolvitur.*

Si quis dixerit, eos duntaxat eſſe Sacramentorum contemtores, qui contemtim de illis ſentiant, loquantur, aut blaſphement etiam: is vehementer fallitur. Nam & hoc eſt contemnere, cùm quis uti non vult iis, quæ in ſalutem ſuam divinitùs ſunt ordinata. Idcircò *B. Lutherus in præfatione Catechiſmi* minoris eos ſimpliciter contemtoribus Sacramentorum adnumerat, *qui eo ad minimū ter aut quater quotannis non utuntur.* Quod enim datâ operâ negligitur, & non uſurpatur, illud eo ipſo contemnitur.

## CASUS V.

### *Num quis eccleſiæ miniſter eos, qui ad eccleſiam ſuam non pertinent, ſed ordinarios ſuos paſtores habent, in ſua eccleſia ad ſacram Domini menſam admittere debet?*

RESP. Qui paſtorum alienorum operam in uſu Sacrorum expetunt, in multiplici ſunt differentia. Primùm, *quidam ſedibus ſuis expulſi*, in peregrinis locis hoſpitantur, & ſic neceſſitate adacti ſuos deſerunt paſtores: his non eſt denegandum miniſterium verbi & Sacramentorum in eccleſiis illis, ad quas confugiunt: modò ſint eccleſiis noſtris in fide conformes. Omnes enim ſumus membra unius myſtici corporis: ergò nobis invicem alimenta denegare non debemus.

*1. Quia omnes ſumus membra unius myſtici corporis.*

Hoc eſt, quod *D. Iohannes* in ſua *epiſtola ad Gajum* ſcripſit, *v. 5. cariſſime, fideliter facis, quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos: teſtimonium reddiderunt caritati tuæ in conſpectu eccleſiæ, quos benefacies, deducens digne Deo: pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergò debemus ſuſcipere ejuſmodi, ut cooperatores veritatis.*

*2. Quia ſi eſurientibus corporibus panis non negandus, multò minus animabus deſiderantibus cibus animæ.*

Magnum certè peccatum eſt, eſurientibus negare panem, de quo *Ieremias* conqueritur *Thren. 4, 4. adhæſit lingua lactantis ad palatum ejus inſitu: parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*: longè gravius ſcelus eſt, denegare pabulum animæ, anxiè deſiderantibus.

*3. à pœna comminatione, quâ Deus minatur iis qui lautè vivunt preſſa eccleſia.*

Graviſſimas minatur Deus pœnas iis, qui lautè vivunt, & non *patiuntur ob contritionem Ioſeph*, *Amos* 6. Hoc etiam ad eos pertinet, apud quos verbum Dei opulenter habitat, & tamen aliis exulantibus micas divini iſtius beneficii denegant, ne fortè apud eos, qui expulerunt, periculum aliquod ſibi creent, cùm tamen Deus fortè propter peregrinos illos eccleſias ſuas tantisper conſervet, ut Halcyonia aliqua ſuarum animarum habeant.

*4. Quia amicè advocare debemus timidos ad noſtros cœtus.*

Quin & miſeros illos ad noſtros cœtus ſeſe aggregare metuentes, amicè advocare debemus, quandoquidem ſponſa Chriſti, ſeu eccleſia in *Apoc.* 22, 17. alios invitat, ubi ſpiritus & ſponſa dicunt: *veni, & qui audit, dicit, veni: & qui ſitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*: multò magis cum gaudio accipere debemus eos, qui ſponte veniunt, communionem ſacrorum noſtrorum expetunt.

*5. Ab exemplo Chriſti.*

Ita Chriſtus *neminem ad ſe venientem ejecit*, *Ioh. 6. v. 37.* in perſecutione *Herodis* ſeceſſit unà cum Apoſtolis in locum deſertum propè *Bethſaidam*, quod *cum agnoviſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum, & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, Luc. 9. v. 11.*

*6. Pauli.*

Apoſtolus *Paulus debitorem ſe vocat Græcorum pariter & barbarorum*, *Rom.* 1, 14. h.e. omnium, qui miniſte-

rio

ſio ſuo indigent, quia *Deus tam Græcorum quam Judæorum Deus ſit, Rom. 3. verſ. 29.*

7. Optati Milevitani. Huc pertinet *Optati Milevitani* dictum, quod ex *lib. 2. cont. Parmenianum* citatur in *cent. 1. Magdeburg. cap. 2. fol. 14. concedite Deo, ut hortus ejus ſit longè lateq; diffuſus. Quid illi negatis Orientis & Septentrionis, & jam Occidētis provinciarum omnium & innumerabilium populorum Chriſtianos?*

8. Eugenij. Sub perſecutione *Hunerici Eugenio epiſcopo* mādato regis edicitur, ut non tantùm ipſe à publico docendi munere abſtineat, ſed & quos cujuscunq; ſexus homines *Vandalico* habitu inditos, templum ingredi conſpiciat, inde expellat. Verum pius ille vir reſponſum tale dedit, quod & illius perſonæ maximè fuit decorum, & miniſterio honorificum: *domus Dei*, inquit, *omnibus patet, quis ingredi volentes inde exiget?* referentibus *centuriatorum Magdeburgenſ.* autoribus *cent. 5 cap. 3. fol. 62.*

His rationibus & exemplis permoti eccleſiæ miniſtri iis, qui aliunde expulſi ſuis ſe adjungunt ſacris, ea denegare non debent, etiamſi ab impio fortè magiſtratu prohibitum fuerit: *nam & in his Deo magis obedire oportet, quàm hominibus.*

Deinde, cùm in aliqua Republ. plures ſunt parochiæ, in religione diſcrepātes, & fortè is, qui ad *Pontificium* paſtorem, aut ſimilem hæreticum ſpectabat, poſt agnitam veritatem evangelii à paſtore orthodoxo communionem ſacram peteret, etiamſi ad parochiā ejus non pertinet, non tamen repellēdus eſt à communione ſacrorum, ſed tanquam ovis perdita & inventa cum gaudio excipiendus: quia jam non ampliùs ad *Pontificiam*, ſed ad orthodoxam eccleſiam referendus eſt.

Quòd ſi à paſtore orthodoxo tanquam alienus rejiceretur, culpâ paſtoris in ſalute ſua impediretur, & ipſius idolomania, in quâ hactenus vixit, confirmaretur, quod nullatenus excuſari poteſt.

Tertiò, ſi quis in itinere infirmâ valetudine obrueretur, ejus curam loci illius paſtor æquè tenetur habere ac ſuorum, quia hîc non eſt contemtus aliquis ordinarii ſui miniſtri, ſed *neceſſitas, quæ non habet legem.*

Quo in caſu tamen paſtorem circumſpectum eſſe, & de confeſſione ac anteactâ vitâ diligenter inquirere decet, ne ſanctum detur canibus.

Quartò, ſi quis fortè paſtor cuidā ex auditoribus ſuis, ex odio, aut cupiditate vindictæ, aut quacunque ſimili de cauſa, S. cœnam antea denegaſſet, & auditor metuat, ne jam denuò id accidat, tunc ab alio quodam paſtore ſacram cœnā petere poſſet, ſi priùs paſtor criminis illius reus à miniſterio vel conſiſtorio ad quod negotium illud pertinet, fuerit cognitus, nec dum adduci queat, ut deinceps confitentem illum admittat. Nam vehementia ac injuria ordinarii paſtoris ſaluti auditoris fraudi eſſe minimè debet.

Quin-

Quintò, ſi miniſter alicujus eccleſiæ notoriè ſceleratus & impurus fuerit, adulter aut homicida, cum ſcandalo blaſphemus & perjurus, qui dudum non modò remotionis pœnam, ſed & gravius ſupplicium meritus fuiſſet, eamq; ob cauſam vel pius patronus vel aliquis alius auditorum ſacram cœnam accipere horreat, paſtor alienus eum nõ ſtatim admittat, ſed cognitionem hujus cauſæ ad cõſiſtorium referat, penes quod poteſtas eſt judicãdi & permittendi, quicquid pro ratione circumſtantiarum eccleſiæ illi utile eſſe intellexerit.

Etſi enim efficacia Sacramenti nõ pendet ab impietate miniſtri; non tamen cuivis datum eſt, ad tàm notoriè ſceleratum miniſtrum debitâ cũ reverentia ac devotione accedere, ipſiq; animæ ſuæ ſalutem committere, cùm is propriæ animæ curam planè non habeat.

Deniquè ſunt alii, qui neglecto paſtore ſuo ordinario, alieni operâ in auſcultatione verbi aut uſu Sacramentorum utuntur, tantùm ex odio inſatiabili ergà paſtorem ordinarium, aliàs pium & inculpatum ſatis, ſed quia fortè ad nutum omnium vivere non poteſt, ſed cum aliquo in lite vivit.

Hunc peregrinus paſtor ſuis ovibus bona cum conſcientia adjungere, aut in ſua eccleſia ad ſacroſãctam cœnam admittere nõ poteſt, ſed potiùs ad ordinarium ſuum paſtorem remittere, & quàm graviter hoc ſuo contemtu peccet, cum mãſuetudine docere debet, ob ſequentes rationes:

(1.) Quia nemo lites inter paſtorem & oviculas ſuas alere, ſed potiùs præſcindere debet, & adhortari, auditorem præſertim contumacem; aut odium deponat, & cum paſtore ſuo reconciliationem admittat; idq; cuilibet fratri in nos delinquenti, nedum paſtori noſtro debemus, juxta admonitionem Chriſti *Matth.* 5, 24.

(2.) Quilibet eccleſiæ miniſter uni duntaxat eccleſiæ datus eſt, pro qua ſola etiam aliquando rationem redditurus eſt. Eam diligenter curet, alias ſuis paſtoribus relinquat, juxta admonitionem *Pauli: attẽdite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit epiſcopos Act.* 20, 28. & *Petrus: attendite gregi, qui vobis commiſſus eſt,* 1. *Pet.* 5, 2.

(3.) Πολυπραγμοσύνη ergò & ἀλλοτριοεπισκοπὴ eſſet in ſcriptura prohibita, ſi quis aliorum paſtorum oviculas ad ſe traheret, aut connivẽtia ſua faceret, ut ad verbum aliquod aſperius paſtorem ſuum ordinarium relinquerent, ſiquidem tàm facilè ab alio admittantur, id quod in certiſſimum miniſterii contemtum vergeret. Memores ergò hîc ſint paſtores ſinguli regulæ Chriſti: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris Matth.* 7. & in concilio *Arelatenſi* cautum eſt *ca.* 17. *ne quis epiſcoporum alium epiſcopum conculcet.*

(4.) Novit peregrinus paſtor quanto ſcelere ſe obſtringat is, qui paſtorem ſuum pertinaciter odit, præſertim innocentem: eos autem, qui

qui pertinaciter alios odiunt, & non pœnitent, ad sacram cœnam admittere nemo salvâ pietate potest, nisi eum sciens ac volens in reatum judicii ac damnationis æternæ præcipitare velit.

(5.) Præcepit Deus ecclesiæ ministris, ut quilibet quemlibet suorum auditorum, si impius fuerit, dehortetur ab impietate suâ, *secus se sanguinem animæ impiæ de manu ministri requisiturum Ezech.* 3, 18. Dum autem pastor alienꝰ impium aliquem ex odio sui pastoris ordinarii ad se transfugam admiserit, vehementer metuendum, ne peregrinus pastor reum se faciat illius pœnæ, quæ alias ministro ordinario, si suo in officio negligens esset, debebatur. Quapropter non tàm facilis sit, ad querelas transfugarum, quos libentius ad ordinarium suum remittere, quàm se periculo judicii divini exponere debet.

(6.) Accedunt deniq; testimonia antiquitatis. In *Concilio Carthagin. III.* habetur decretum *cap.* 20. ut à nullo episcopo usurpentur plebes alienæ, nec aliquis episcoporum supergrediatur in diœcesi suum collegam.

In *concilio Elbertino canon.* 58. vult, ut episcopi ad sacra sua peregrinum non admittant, sine literis communicatoriis, quas formatas vocant, & literæ hæ examinentur, an omnia rectè habeant. *Verisimile enim est,* (inquit *Osiander* in notis ad hunc canonem *cētur. 4. epitom. hist. eccles. f.* 159) *quosdam, ut se disciplinæ ecclesiasticæ eximerent, falsas & confictas epistolas ad alia loca attulisse, & ibidem subreptitiè communicasse.*

In hanc sententiam non pauca habet *Cyprianus li. 1. epist. 6. sine spe sunt, & perditionem maximam in indignatione Dei adquirunt, qui schismata faciunt, & relicto episcopo, alium sibi foris pseudoepiscopum constituunt.* Et iterum *epist.* 5. *singulis pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat unusquisq; & gubernet, rationem sui actus Domino reddat. Oportet eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere.* Cum his omnibus consentiunt *Generalia constit. Elect. Saxon. art. 8. fol.* 504.

## CASUS VI.

### *Quid faciendum in pagis tempore pestis, ubi pastor nullum habet collegam, quomodo sacra cœna danda est infectis, ne fortè tota ecclesia ex metu pastoris inficiatur?*

RESP. Pastores absq; metu oviculàrum suarum curam habere debent: sunt enim in viis vocationis suæ, & sub umbrâ alarum divinarum tuti esse possunt. Sed *propter populum cautè agere debent*, ne quis ex intempestivo metu, saltem ex conspectu pastoris terreatur.

Ideò monendus est populus, ut maturè se præparent ad mortem, & sacram cœnam accipiant, dum adhuc sani sunt, ne postea tempore morbi propter unum hominem tota ecclesia in periculum conjiciatur.

*An pastor paganus tẽpore pestis elemẽta cõsecrata, per aliũ ad ægrotũ mittere possit? Neg.*

Si quis autem ægrotet, & ministri ecclesiæ opem imploret, ea denegãda ipsi non est: sed de modo hîc quæritur. Sunt qui existimant, pastorem elementa, h.e. panem & vinum consecrata, per alium ad ægrotum mittere posse, eoq; in genere provocant ad exemplum *Serapionis*, qui moribundus ad ministrum misit, & ab eo sacram cœnam petiit, minister tunc etiam decumbens, exhibuit puero, qui se accersitum venerat, modicum eucharistiæ ad sedem afferendum, referente *Eusebio lib.6.cap.44.*

*Vide Centur. Magdeburg.3.cap.6.f.133.a.*

Sed hoc minimè probari potest: quia res hæc speciem habet inclusionis *Papisticæ*; ex Sacramento facit opus operatum, quasi nemo, nisi percepto Sacramento in Domino mori posset, & ægrotus, præsertim in pagis, ubi sunt rudiores, etiã perceptis elementis consecratis, solatio destitueretur, absente ministro, quin &, annon nudum panem & vinum accepisset, in dubio relinqueretur, aliis etiã occasio præberetur, ut accessum ad sacram cœnam contemtim haberent, eamq; sibi domum mitti postularent, & quia Satan est astutus tentator, cogitationes illas, quasi ægrotus non accepisset verum sacramentum, sed illud prophanasset potiùs, suggerere posset.

Ad *Serapionis* exemplum respondeo, *non exemplis, sed legibus*, in re præsertim tàm seria, *judicandum esse*. Ideò exemplo illi à *Patribus* contradictum fuit, inprimis ab *Origene homil. in Leviticum.*

*D. Chemnitius part.2.exam.fol.93.* excusat hoc factum per consuetudinem illius temporis, ubi ægroti eâ ratione à communione hæreticorũ separari voluerunt, sed addit: ***morem illum nec ante tempora Serapionis, nec post illa tempora ubique & ab omnibus observatum fuisse.***

*Consilium hoc in casu pro pastore.*

Igitur magis consultum est, ut pastor ipse visitet ægrotum, eumque ex gurgustio suo in Solem apricum deportari jubeat, ipseq; eminus adversus ventum ægrum confitentem audiat, sacram cœnam porrigat, & reliqua ad hunc actum pertinentia exsequatur, ita minus periculi infectionis erit.

Si in aliis pagis fidei suæ commissis infectio fuerit, non est, ut ipse statim eò se conferat, ne propter paucos aliquos, totus cœtus, in eo loco, ubi habitat, incidat in periculum: sed operam det, ut per catecheten aliquem, qui inter infectos habitat, singulis sabbathis ex Scripturâ, aut *Postillâ ecclesiasticâ Lutheri* plebi aliquid prælegatur, ne omni exercitio verbi divini destituantur.

Sacramenti cœnæ non est tanta necessitas, ut in isto periculo pestis propter

propter unum atque alterum infirmum alibi locorum cœtus integer periculo infectionis committatur.

Erudiendi igitur sunt maturè auditores, ut dum adhuc sani sunt, & extra periculum constituti, sacro hoc evodio utantur: sin autem periculoso morbo præoccupentur, fratribus suis parcant, & hic necessitatis casum esse agnoscant, ubi etiam absque usu hujus Sacramenti beatè mori possunt. Nam & hoc in casu fides eis instar manducationis est, juxta vulgatum illud *Augustini: crede, & manducasti.*

Qui ergò sine damno aliorum S. cœnam habere possunt, non negligant eam: qui autem in extremo necessitatis casu (ad quem etiam referimus illud tempus, cùm absq; detrimento proximi usurpari nequit) eâ privantur, non propterea desperent, siquidem *non privatio, sed contemtus Sacramenti damnat.*

## CASUS VII.

### *Potestne minister verbi sibi ipsi sacram porrigere cœnam?*

*Distinguitur.* RESP. Ad quæstionem hanc non simpliciter responderi potest, sed cum distinctione subjecti. Aut enim agitur de ministris seu sacerdotibus *Papalibus*, qui in privatis *missis* soli communicant, spectante populo, ad quem fructum aliquem ex privatâ unius communione redundare putant. Et hanc privatam unius personæ communionem quæ fit in missis privatis, institutioni Christi consentire dicunt in *concilio Tridentino sess. 3. sub Iulio III. cap. 8. can. 90.*

Sed rectiùs cum *Luthero* statuimus *ex artic. 2. Smalcald. articulorum part. 2.* seipsum communicare esse persuasionem humanam, destitutam verbo Dei, incertam & non necessariam.

Nam quod *Chemnitius* rectè observavit, talis communio sacerdotis non congruit cum descriptione *Pauli* 1. *Cor.* 11. dicit enim: non posse celebrari cœnam Dominicam, si quisquam ἴδιον δεῖπνον, privatam, propriam, seu peculiarem cœnam, quæ cum nemine ipsi communis sit, præoccupet.

Aut agitur de ministris in loco solitario, qui collegis & vicinis pastoribus destituuntur, à quibus Sacramentum accipere possunt. Hi in defectu isto, cùm alios communicant, etiam de eodem pane edere, & de eodem calice bibere possunt: id enim contra substantiam institutionis Dominicæ non est; & non nisi tempore necessitatis usurpatur, & quidem à tali personâ, quæ est in ministerio ordinariè constituta, in qua δόσις & λῆψις ad hoc Sacramentum necessaria, etiam ab unâ personâ diverso respectu fieri potest, quemadmodum etiam in aliis actibus sacris & prophanis fieri solet.

Aut denique agitur de ministris, qui collegas aut vicinos pastores habent. Et hi vicissim discrimen admittunt. Aut enim talis minister non ampliùs fungitur officio ecclesiastico, sed vel depositus est, vel ipse se abdicavit, & jam vivit, ut privatus: & hic nullo modo Sacramenta administrare potest, ne quidem aliis, nedum sibi ipsi, quia vocatio ejus ad ministerium expiravit. Aut vivit in illius ecclesiæ ministerio, ubi jam per longam consuetudinem invaluit, ut quis in communione aliorum ipse quoque de pane consecrato edat, & de vino consecrato bibat, ibi etsi melius esset, ut à collegâ aut vicino suo sacram cœnam acciperet, tamen, ne immutando morem, in sese non malum scandaliset infirmos, absque scrupulo morem ecclesiæ retinere potest: præsertim, cùm mos ille non sit institutioni Christi contrarius, qui nusquam præcepit aut voluit, ut semper sint in administratione personæ duæ, una porrigens, altera accipiens.

In iis autem rebus, quæ non sunt contra mandatum aut voluntatem Dei, nemini est scrupulus faciendus.

Restant deniqùe, qui in ecclesiis vivunt, ubi collegæ sunt plures aut vicini pastores, neque unquam mos ille communicandi semetipsum invaluit: ibi nemo hoc audeat, sed alium quærat cui confiteatur, à quo absolvatur, & Sacramentum cœnæ accipiat. Nemo enim seipsum absolvere potest à peccatis, quæ res communionem sacram antecedit, neque scandalisandi sunt istâ novitate infirmi: neque quispiam in tentationibus se sufficienter consolari potest: sed hîc opus est ministerio tanquam officinâ Spiritus sancti, qui per verbum suorum ministrorum efficax esse solet.

Quemadmodum ergò medicus, licet doctrinâ & experientiâ excellens, etiam in morbo suo, non suum tantùm sequitur judicium, sed ab alio medico medicinam accipit: ita Theologus etiam doctissimus ab alio ecclesiæ ministro, si quem habere potest, sacram cœnam petere potiùs, quàm sibi ipsi porrigere debet, ne ministerium Spiritus sancti ipse facto suo contemnere videatur.

## CASUS VIII.

### *Quid statuendum de illo ecclesiæ ministro, qui fortè in consecratione, quam vocant, unam verborum institutionis partem omittit?*

RESP. Factum hoc à quibusdam excusatur tunc, cùm non ex incuriâ fit, sed ex nimiâ attentione ministri quasi alio rapti, & nescientis, quid dixerit aut fecerit. Usitata enim regula est, *pro peccato non habendum esse, ad quod voluntas facientis non accesserit.*

Sed

Sed parum roboris est in hac excusatione. Nam in omnibus actionibus, etiam iis, quæ religionem concernunt, debita moderatio affectuum adhibenda est. Quemadmodum ergò nimius erga legem Dei zelus in *Iudæis Roman.* 10.*v.*2.& nimia erga *Iudæos* observantia in *Petro Galat.* 2,*v.*12. reprehenditur: ita & nimia attentio culpanda est in tractatione rerum sacrarum: non enim attentio debet nos reddere attonitos, ut ignoremus, quid vel agamus vel loquamur in rebus divinis.

Hæc autem est vera attentio, quæ rem divinam probè expendit, & magnâ cum reverentiâ tractat.

Deinde axioma illud, *non est peccatum, quod non habet voluntatis consensum*, in rebus politicis fortè valet, ubi *cogitationis pœnam nemo luit*, in rebus autem spiritualibus, & inprimis in dispensatione mysteriorum Dei locum non habet. Nam etiam peccata ignorantiæ & juventutis puniuntur in Scripturâ *Lev.*4.*vers.*1. *Num.*15.*v.*22. *Psal.*19.*v.*15: 25, 7: qui ergò aliter dispensat Sacramentum, quàm à Christo est institutum, certè graviter peccat, sive per incuriam, sive per attentionem nimiam hoc fecerit: sin verò voluntas insuper & destinatum propositum accesserit, peccatum gravius erit, & majori pœna dignum.

*Rationes, quòd omissio partis alicujus verborum*

Sic omissio partis alicujus verborum institutionis in ipso actu eucharistiæ grave est peccatum, & pœnâ dignum 1. quia violatur institutio Christi, cujus bona pars sunt ista verba.

*institutionis gravissimum peccatum.*

2. Altera pars elementorum sacramentalium non consecratur, h. e. à vulgari usu non segregatur, nec est vehiculum partis cœlestis, sed manet nudum elementum.

3. Dispensatio Sacramenti non est actio privata, ubi error facilè ac absque scandalo corrigi potest, sed publica ad totam ecclesiam pertinens, quæ eodem in loco ad preces & usum Sacramenti convenit, quare non sine maximo scandalo coram eâ aliquid aliter tractatur, quàm par est.

4. Factum hoc vel inexcusabilis est temeritatis, vel levissimæ oscitantiæ. In dispensatione verò sacramentorum non tantùm communicantium, sed & dispensantium religiosa attentio requiritur.

Quæ cùm ita sint, dubium nullum est, quin talis pastor gravi pœnâ dignus sit: ante omnia culpam suam confiteatur Deo, cujus Sacramentum prophanavit, deinde ecclesiæ, quam non leviter offendit, tertiò veniam à Deo & ecclesiâ petat; quartò vel obedientiâ pastorali, vel etiam, si sæpiùs hoc fecerit, totali remotione puniatur.

Ecclesia autem monenda est, ne factum hoc toti imputent ministerio, hominis animum ad offendicula varia pronum esse; idcircò majori cum assiduitate ac fervore pro ministris suis orent, ne quoquo modo in verbo aut in facto auditores offendant. *Tantum enim doctor*

*ecclesiæ ædificat, quantum precibus ecclesia juvatur.*

## CAPUT X.

## *De Casibus Conscientiæ circa usum clavium ecclesiæ.*

### PROOEMIUM.

CLaves ecclesiæ nihil aliud sunt, quàm potestas illa, quam Dominus concessit ministris suis in ecclesiâ, ad benedicendum aut maledicendum hominibus. *DEUS enim est, qui proponit populo suo vitam & mortem, benedictionem & maledictionem Deut 30.v.19.* idque fit per ministerium.

Et quemadmodum duo sunt contrarii effectus ministerii, benedictio nimirum & maledictio: ita & geminæ sunt claves, una *solvens*, altera *ligans*, quas Christus non solùm Apostolis suis commisit, *Iohan.20.v.23*; sed & toti ecclesiæ, *Matth.18.v.18.* quæ illud jus suum exequitur per ministros verbi.

*Ecclesia est Christi sponsa, uxor & materfamilias.*

Est enim ecclesia Christi sponsa *Ioh.3.v.24.* & uxor *Psal.45.v.10.* & in ejus domo materfamilias *Psal.68.v.13.* quemadmodum ergò claves à domino domus dantur matrifamilias, sic etiam Christus Dominus domus suæ, quæ est ecclesia, dedit claves suæ sponsæ, quæ committit eas ministris suis, qui vocantur *œconomi seu dispensatores mysteriorum Dei 1.Cor.4.v.1.*

Sine his clavibus non patet aditus ad regnum cœlorum, in quod quidem per baptismum recepti sumus, sed per peccatum cœlum iterum occludimus, quod, pœnitentibus peccatoribus per clavem solventem aperitur, & infernus clauditur, impœnitentibus per clavem ligantem magisque cœlum claudiditur, & infernus aperitur, denunciando eis iram Dei peccatis suis debitam.

Ideò claves ecclesiæ propter peccatores sunt nec negligendæ, quasi quis etiam absque illis cum DEO reconciliari queat: si enim ita esset, frustra ecclesiæ datæ essent.

Hinc *Augustinus* scribit *homil.49: nemo sibi dicat: occultè ago, apud Deũ ago. Ergò sine causâ dictũ est: quæ solveritis in terrâ, soluta erunt in cœlo? ergò sine causâ sunt claves datæ ecclesiæ Dei? frustramus ecclesiam, frustramus verba Christi.*

Ad has claves pertinet *confessio peccatorum & absolutio*, item quælibet *pœna ecclesiastica*, & inprimis *excommunicatio*: quæ omnia etiam non carent dubiis: de quibus nunc, volente Domino, dicendum erit.

* * *

CASUS

## CASUS I.

### *Habentnè ministri ecclesiæ potestatem clavium αὐτοκρατορικὴν seu absolutam, clavibus illis pro arbitrio utendi?*

Neg. RESP. Nullo modo: sed potestas illa ministerialis est, ad mandata Domini restricta, quâ scilicet pœnitentibus peccata remittere, impœnitentibus retinere debent. Nā clavis illa potestatis præsupponit clavem scientiæ, discretionis atq; pietatis, ne aperiantur claudenda, aut claudantur aperienda.

Potestas illa ministris data est à Christo, qui habet *clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit*, *Apoc.* 3. *v.* 7. ergò ad nutum & mandatum Christi est exercenda.

Dominus enim domus dat claves domus œconomo, non ut intromittat, aut excludat pro suo arbitrio, sed ad mandatum sui heri: ita & veri mysteriorum divinorum œconomi nihil hoc in genere faciunt citra præscriptum Christi, qui est *Dominus domus suæ*, *Hebr.* 3. *v.* 6. Christi autem voluntas est, solvere pœnitentes, iisque regnum cœlorum aperire; ligare verò impœnitentes, iisque cœlum claudere.

Et quando claves ita juxta præscriptum Domini ab œconomis usurpantur, tunc actio ista rata est in cœlis sicut scriptum est: *quæcunque ligaveritis super terram, erunt etiam ligata in cœlis: & quæcunque solveritis super terram, erunt & soluta in cœlo* *Matth.* 18. *vers.* 18. de quibus verbis *Augustinus scribit in lib.* 50. *homiliarum homil.* 50 *ea certiora esse, quàm omnia regum aut principum edicta ac diplomata.*

Longè aliter in *Papatu* de potestate clavium docetur: ibi enim episcopis tribuitur potestas αὐτοκρατορικὴ, seu ut *Bellarminus* loquitur, autoritas judiciaria solvendi & ligādi, non ad præscriptum Christi, sed ad nutum & arbitrium *Pontificis Romani*: unde fit, quòd indulgentiæ vendūtur precio etiam impœnitentibus, in gradibus prohibitis permittitur matrimonium, quod tamen ad potestatem clavium non pertinet, subditis juramenta relaxantur, quibus obstricti sunt magistratibus, fulmen excōmunicationis vibratur, absq; ecclesiæ consensu, maximè in eos, qui avaritiæ & injustitiæ episcoporum *Papalium* & ipsius *Papæ* resistunt, & uno verbo pro absolutâ potestate, quam sibi sumunt, ligandi & solvendi pro lubitu, thesauros cœli claudunt & recludunt, refragante ecclesiâ & Deo ipso in cœlis: ideò nemo piorum credit, quòd talis clavium usus in cœlis ratus habeatur, qui declarationi DEI factę in verbo planè est cōtrarius. *Pontificii defendunt αὐτοκρατορικὴν potestatem clavium.*

Habent autem Romanenses hujus suæ αὐτοκρατορείας prætextum in ratiunculis quibusdā, quas proponit *Bellar-*

*Bellarminus lib. 3. de pœnitent. ca. 2.* ad quas paucis respondendum est.

*Rationes Bellarmini discutiuntur.*

Primam petit ex dictis, *Matthæi 16. v. 19. Matth 18. v. 18. Ioh 20. v. 23.* ubi potestas clavium, hoc est, ligandi & solvendi datur à Christo *D. Petro* & reliquis Apostolis. *Clavium autem usus est non tantùm denunciare, fores esse clausas & apertas, sed reverà eas claudere, aut aperire. Ministrorũ ergò ecclesiæ est, non tantùm denunciare, cœlos esse clausos aut apertos, sed pro potestate datâ à Christo, illos verè claudere & aperire.*

*Resp. Plus est in conclusione quàm poterat elici ex præmissis. In dictis ipsis cõceditur ministris ecclesiæ potestas clavium; Bellarminus inde vult absolutam probare potestatem, de qua ne gry in textu.*

Respon. in locis adductis conceditur utique ministris ecclesiæ potestas clavium, sed nõ absoluta, verùm ad nutum & voluntatem Christi determinata, qui verè pœnitentes vult à peccatis absolvi, impœnitentium autem & securorum peccata ligari. Solutio autem à peccatis nihil aliud est, quam annunciatio gratiæ Dei, in verbo pœnitentibus, hoc est, contritis & in Christum credentibus, promissa: quemadmodum ligatio est denunciatio iræ & pœnarum, quas minatur Deus in verbo impœnitentibus. Ita enim explicatur clavis solvens & ligans, de remissione ac retentione peccatorum, *Ioh. 20. v 23.* Et hæc annunciatio non est nudus verborum sonus, absque effectu: sed quibus ista denunciatur, reverà vel intromittuntur in cœlum, ideò efficacem consolationem in cordibus suis inde percipiunt; vel inde excluduntur, ideò terrores conscientiæ sentiunt, & Deum iratum semper habent, donec pœnitentiam agant. Verba enim Christi non fallunt: *quæcunque ligaveritis aut solveritis in terrâ, ligata & soluta erunt in cœlis. Tunc autem sententia sacerdotis approbatur judicio Dei, cùm ita procedit, ut eorũ, quos absolvit vel excõmunicat, merita non contradicant* inquit *Lombardus li. 4. dist. 18. sect. 4. & tunc vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitriũ sequitur judicis,* ait *Gregor. hom. 26. in Evangel.*

*2. Objectio Bellarmini.*

Deinde *Bellarminus* multa ex dictis laudatis congerit, ex quibus colligit, *quòd sacerdotes potestatem judiciariam habeant, quia jubentur non tantùm solvere, verum etiam retinere: retinere autem est remittere nolle, & sacerdotum esse, remittere peccata iis, quos absolvendos judicaverint; ipsos extinguere ac dissolvere peccata, sicut flatus extinguit ignem & dissipat nebulas: ideò Christus in sufflando Apostolis potestatem clavium dedit.*

*Resp. eadẽ oberrat chorda, & bis ad eundem lapidẽ impingit. Aliud est potestas ministerialis, quæ est ecclesiæ ministris: alia est absoluta & principalis, quæ non est ecclesiæ ministri.*

Sed hæc nihil faciunt ad probandum potestatem absolutam & αὐτοκρατορικὴν. Non negamus ministris ecclesiæ datam esse potestatem judiciariam, sed tantùm *ministerialem*. Nam sententia super pios ac impios jam dicta est in Scripturâ: *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur, &c. Si autem averterit se justus à justitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerit, nõ recordabuntur in prævaricatione, quâ prævaricatꝰ est, & in*

peccato

*peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur, Ezech.* 18, 21. 24. Hujus sententiæ non est *autor* minister ecclesiæ, sed *promulgator* & quasi *executor*, quemadmodum judex non est autor sententiæ contra adulteros & homicidas latæ: ea enim jam in legibus extat, sed tantum minister ejus & executor, qui non pro suo arbitrio & absolutâ potestate, sed secundum dictamen legum judicat.

*Exceptio Bellarmini solvitur.*

Nihil aliud vult corona illa *S. Patrum*, quos magno numero l. d. citat *Bellarminus*. Nullus eorum absolutam potestatem dat ministris verbi statuendi de peccatoribus quidlibet pro lubitu, sed prout in verbo jam decisum est. Remittunt enim aut retinent peccatum, ut ministri, non ut Domini ecclesiæ Sententiam Domini sui in verbo latam peccatoribus annunciant, & sic Christus per ipsos solvit aut ligat.

*Exceptio alia Bellarmini solvitur.*

Neque hęc ipsorum potestas contemnenda est, ut *Bellarminus* de ea satis contemtim loquitur: *annunciare peccata, ait, fidelibus remitti, infidelibus retineri non magna res est, id enim quilibet facere potest, qui modo Evangelium legere noverit, non solùm sacerdotes, sed etiam laici, nec tantùm Catholici, sed etiam heretici, quin etiam ipsi dæmones.*

Sed hæc injuriosa sunt in ministerium verbi, cujus officium est annunciare remissionem peccatorum pœnitentibus, & retentionem impœnitentibus: quæ sanè res est maximi momenti: hanc enim potestatem dedit Deus hominibus, ut & Pharisæi agnoscunt *Matth.* 9. sed non promiscuè omnibus, non hæreticis, non laicis, multò minus dæmonibus, sed discipulis suis, Apostolis, & Apostolorum successoribus tantùm, *Ioh.* 20, 23. Quemadmodum ergò legere possunt omnes verbum, qui legere didicerunt, sed non omnium est illud publicè prædicare: ita quòd pœnitentibus remissa, impœnitentibus autem retenta sint peccata, legere quidem quilibet potest in Scriptura, sed peccatoribus annunciare & applicare, non est cujusvis, sed ordinario modo Deus id commisit iis, quos œconomos mysteriorum suorum esse voluit.

Tertiò ita ratiocinatur *Bellarminus: si non essent sacerdotes judices, nec verè peccata remitterent, sed solum annunciarēt, esse remissa, nemo periret ex eo solùm, quòd sacerdotem reconciliantem habere non posset, qui enim credit, jam habet remissionem, etiam si nemo sit, qui id verbis protestetur.* Sed *Augustin. in ep.* 180. *ad Honoratum* apertè scribit: *aliquos reconciliari cupientes, & proinde credentes in Christum, in æternum perire, quod ante moriantur, quàm a sacerdote absolvi potuerint.* 3. *Objectio Bellarmini.*

Resp. Verissima est Christi sententia: *qui credit in filium, habet vitam æternam, qui non credit, jam judicatus est, Ioh.* 3. Habet ergò homo fidelis vi horum verborum remissionem peccatorum, etiamsi sacerdotem habere non posset, qui eum à peccatis absolveret, & verba ista annunciaret, ut fit in casu necessitatis, ubi *Resp.*

Mmmmm mini-

minister haberi non potest: *non enim dependet remissio peccatorum à sono verborum, quem minister addit, sed à virtute Christi, qui mentiri nescit.* Si quis verò ministerium contemneret, & se nihilominus salvari posse putaret, etiamsi eum non audiret, is sine dubio periret, non quidem propter defectum illorum verborum, quæ minister ecclesiæ peccatori annunciat, sed propter contemtum ministerii, qui in ipsum Christum redundat, sicut scriptum est: *qui vos spernit, me spernit, Luc.* 10,16.

*Augustinus* in loco laudato agit de necessitate ministerii *sine quo magnũ exitium sequi*, ait, *eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati*; non quasi minister demum regeneret aut liget, siquidem Deus ipse jamdudum impœnitentes ligavit, & pœnitentes solvit in verbo, sed quia Deus in applicatione hujus actus divini operâ ministri utitur, quâ certè carere non possumus, quamdiu Deus ordinario modo in rebus salutis nobiscum agit: quid autem aliàs in casu necessitatis & extra ordinem faciat, alibi docetur: *nam ministerij ecclesiastici necessitas non est simplex & absoluta, sed ad voluntatem Dei determinata.*

4. Objectio Bellarmini. Quarta ratio *Bellarmini* hæc est: *si sacerdos non aliter peccata remitteret, quàm annunciando promissiones divinas, certè frustra ac ridiculè absolverentur surdi, & ij, qui ob vim morbi sensibus sunt destituti.*

Resp. Quomodo cum surdis, mutis & mente captis agendum sit, cum desiderium reconciliationes cum Deo in ipsis apparet, supra docuimus *lib. 2. cap. 12. & in cap. 10. comment. ad Rom. part. 2. q. 5.* Operatio certè ministri ordinaria in talibus locum non habet, neque etiam per illorum paucorum defectum effectus ministerii, qui in quamplurimis aliis locum invenit, tollitur. Sed per verbum, quod legere & meditari possunt, vel solvuntur vel ligantur, prout cor ipsorum comparatum est. In verbo enim Deus ipsis etiam ad cor loquitur, modò non contemnant id, quod cum aliis ordinario modo agitur. Ideò *Augustin.* eos, qui sunt desperati, ut ipse loquitur, h. e. per vim morbi extra se positi, non per confessionem sacerdotalem, (ut *Bellarm.* putat) sed per baptismum, dum intra se pœnitentes jacent, reconciliandos esse statuit.

Addit autem, si ab illa desperatione recreati potuerint vivere, *aut facient, quod statuerant, aut edocti obtemperabunt, aut de contemtoribus fiet, quod fieri etiã de baptisatis talibus debet lib. 1. de adulterin. conjugiis c.* 28.

Quinta ratio *Bellarmini* est, quia *si absolutio esset annũciatio remissionis peccatorum, esset vel temeraria, vel superflua. Aut n. minister ista verba: remissa tibi sunt peccata tua, absolutè pronunciat, aut ex hypothesi, si credas.* Objectio Bellarmini.

Si absolutè, *temerariè pronunciat: quia ignorat, an is, qui reconciliationem petit, sit verè pœnitens: & si maximè aliquo modo id minister sciret, melius tamen novit ipse pœnitens, proinde non eget annunciatione illâ ministri, qua*

*quæ nihil ei addere potest certitudinis.*

Resp. *Si ex hypothesi, non potest talis absolutio certum reddere pœnitentem, cum ex incerta conditione dependeat.*

Resp. Neutrum dilemmatis membrum adeò firmum est, ut nullam contradictionem admittat. Nam minister verbi scit, *si non infallibili scientia* (quia καρδιογνώστης non est,) *tamen probabiliter*, confitentem verè pœnitere, ac proinde absque verâ fide non esse, aliàs ipsum ad confessionem non admitteret.

Et nihil refert, quod ipse pœnitens id meliùs scit, quàm minister, siquidem quilibet cordis sui scrutator esse potest, ministri tamen officium est, pœnitentibus hoc Evangelium, quod peccata ipsi sint remissa, annunciare, & fidem ejus confirmare, quæ aliàs variis tentationibus est exposita.

Deinde si maximè annunciatio illa PER, *si credis*, conditionaliter fieret, non tamen esset frustranea: quia pœnitens omnium optimè certus est de sua fide & pœnitentia, ideoque annunciationem illam sibi facilè applicare, & sub illa universali: (*quicunque verè pœnitentiam agit, remissionem peccatorum suorum impetrat:*) se quoque subsumere potest: sed de formula absolutionis posteà dicentur plura.

6. Objectio Bellarmini. Postrema ratio *Bellarmini* hæc est: *si absolutio non est actus judicialis, sed simplex annunciatio divinæ promissionis, quæ in Evangelio scripto extat, non minus absolvere poterit laicus, imò etiã fœmina aut puer, aut infidelis quispiã, aut diabolus, vel etiam psittacus, si doceatur ea verba, quàm sacerdos.*

Resp. Resp. Non negamus absolutionem esse actum judicialem, sed non talem, in quo absoluta potestas judicandi quidlibet, aut quomodolibet: sed judicium hoc agitur secundum præscriptum legum, juxta quod vel absolvunt vel condemnant.

Quemadmodum ergò leges civiles legi possunt ab omnibus, non tamen omnes publicè pronunciant sententiam, verùm is duntaxat, qui ordine judex est constitutus: ita sententiam peccatorum vel absolutoriam vel damnatoriam omnes legunt in verbo, sed is solum publicè promulgat, qui legatione fungitur pro Christo.

Deinde distinguendum est inter *jus ecclesiæ & ejus executionem. Ius* annunciandi remissionem peccatorum contritis corde, *est omnium*, ideò in casu necessitatis, vel in defectu ministrorum ordinariorum, quilibet proximum afflictum & tentatum consolari potest, remissione suorũ peccatorũ: publicè autem non licet, nam *executio* illius *juris*, quæ fit publicè, *solùm* est *penes ecclesiæ ministros ordinarios*, quibus solis Deus prædicationem verbi, administrationem Sacramentorum, & potestatem clavium commisit. *Distinguitur inter jus ecclesiæ & executionẽ illius.*

Denique valdè contemtim sentit *Bellarminus* de efficacia verbi; quasi verba illa, *remissa tibi sunt peccata tua*, ad pœnitentem aliquem peccatorem à ministro ecclesiæ

Mmmmm 2 dicta.

dicta, plus ponderis non habeant, ac si à psittaco aut ab homine infideli, aut etiam à diabolo dicantur. Magna scilicet est hæc reverentia erga ministros verbi, ad quos Dominus dicit in persona *Ieremiæ: ecce, dedi verba mea in ore tuo, Ier. 1. vers. 10.* & per *Esaiam: Spiritus meus, qui in te est, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, Esa. 59. v. 21.* verba certè quæ loquitur minister ratione officii, non sunt verba hominis, sed verè verba Dei, ut Apostolus docet, 1. *Th. ss. 2. v. 13.* quod de verbis psittaci, aut infidelium, multò minus de verbis diaboli dicere sine blasphemiâ nemo potest.

Experiuntur etiam afflictissimi peccatores penetrantissimam vim absolutionis à ministro dictæ, quam sciunt ejusdem esse valoris, ac si ex ore Christi audiretur juxta authenticam Christi: *qui vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16.*

Discussis igitur omnibus, quæ *Bellarminus* ad probandam αὐτοκρατορίαν sacerdotum in absolvendo vel ligando attulit, concludimus, ministros ecclesiæ habere quidem potestatem clavium, sed non absolutam, & pro lubitu suo usurpandam, sed ad legem ac præscriptum verbi divini determinatam, quod verè contritos, & evangelio fidem habentes, cum proposito emendandi vitam, absolvit; impœnitentes autem & securos damnat.

* * *

## CASUS I.

*Estne confessio privata, quæ fit sacerdoti, & vulgò auricularis appellatur, necessaria accessuro ad sacram cœnam, ita, ut qui non confessi fuerint, sacrâ communione privari queant?*

RESP. Confessionis vox est πολύσημος: sed ea, de qua hic agimus, est *spontanea peccatorum testificatio,* eaque triplex. *Confessio est triplex*

Nam fit 1. *Deo,* vel in occulto cordium nostrorum, sicut *David Psalm. 32. v. 5. peccatum meum,* inquit, *tibi confitebor,* & publicanus *Luc. 8. v. 13.* & *Iohannes: si confiteamur ei peccata nostra, 1. Iohan. 1. vers. 9.* vel publicè in communi confessione ecclesiæ, quo pacto sancti sua & totius ecclesiæ peccata confitebantur, *Esdr. 9. & Dan. 9.* & in nostris ecclesiis finitâ concione. Talis confessio simpliciter est necessaria, in vera pœnitentiâ. *1. quæ fit Deo, hæc est simpliciter necessaria.*

Novit *quidem omnia Deus, sed expectat vocem tuam, ut non puniat, sed ut ignoscat. Non vult, ut insultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat: præveni accusatorem tuum: si te ipse accusaveris, accusatorem tuum non timebis,* inquit *Ambrosius lib. 2. de pœn. cap. 7.*

Hinc apud Prophetam dicitur: *dic tu*

*dic tu iniquitates prior, ut justificeris, Esa.43.v 27. & Salomon Prov 28.v. 13.qui abscondit scelera,non dirigetur, qui autem confessus fuerit,& reliquerit ea,misericordiam consequetur.*

*2. Quæ fit proximo & hæc est summè necessaria.*

(2.) Fit *proximo*, quem offendimus,de quâ *Iac.5.v.16:confitemini invicem peccata vestra.* Hæc quoque est necessaria,quia sine reconciliatione cum proximo nulla fieri potest reconciliatio cum Deo, quod Christus docet *Matth 5 v.24:18.v.35.*

*3. Quæ fit ministro ecclesiæ, quæ non est absolutè necessaria, ut probatur exemplo latronis, & eorum, qui inter hostes veritatis, e. g. Turcos vivunt,neque ministerio uti sui possunt, & quia caret Dei mandato.*

(3.) Fit *ministerio ecclesiæ* loco Dei constituto, quemadmodum *Saul* confitebatur peccata sua *Samueli* Prophetæ 1.*Sam.15 vers.24. David Nathani 2.Sam.12.v.13.* Aliàs vocatur ἐξομολόγησις ex *Actor.19.vers.17.* ubi multi credentium dicuntur ἐξομολογούμενοι, *confitentes & annunciantes facta seu peccata sua.*

Hujus confessionis non est absoluta necessitas, aliàs sine ea nemo remissionem peccatorum impetrare posset, cùm tamen & latro in cruce, & multi,qui ministrum verbi habere non potuerunt, absque tali confessione beatè mortui sint.

Malè ergò facit *Papa*, qui confessionem ecclesiæ obtrudit, ut necessariam ad salutem, jure divino,& qui hoc negaverit, eum anathemate ferit.in *Concil. Trident. sess. 4. sub Iul. can.6.*

*Lutherus* autem argumentis evincit, ad confessionem neminem esse cogendum tanquam necessariam, *in libell. de confess.tom.1. Ienens. germ.fol. 514.* sed liberam eam relinquit ecclesiæ, & usurpandam urgente necessitate conscientiæ suæ, non mandato *Papæ*: se quoque aliquoties ad sacram cœnam accessisse scribit, sine præmissâ confessione privatâ, ne sibi ipsi necessitatem aliquam faciat, sæpè autem confessione usum, propter solatium, quod ex absolutione ministri hauritur, *in instruct.visitator. tom.7. Ien.germ.fol. 10.b.*

*Causæ multæ sunt, cur in ecclesia retineatur confessio illa.*

Etsi autem non est absoluta necessitas confessionis,quia caret mandato Dei : sunt tamen causæ non leves, ob quas *Augustana confessio art.11.* eam retinendam esse suadet, licet hoc ex libertate fiat, quia(1.) sublata confessione, tollitur etiam absolutio : hæc enim duo correlata sunt : eâque ratione maxima pars solatii, quo indigent territæ conscientiæ,simul aufertur. Magnum enim est solatium audire ex ore ministri loco Christi absolutionem à peccatis, & specialem applicationem gratiæ,quæ aliàs in verbo annunciatur omnibus.

(2.) Occasionem præbet pastori agendi cum communicantibus seorsim & in specie, ut territæ conscientiæ erigantur, impœnitentes verò, & in singularibus peccatis deprehensi corrigantur, & ad seriam pœnitentiam reducantur. Non enim absque judicio clavibus ecclesiæ utendum est.

(3.) Non minorem præbet occasionem confessio ista ad explorandos profectus, præsertim rudiorum in articulis fidei, & inprimis, an de sacrâ cœnâ rectè sint instituti, & si

Mmmmm 3 quis

quis defectus occurrit, ut rectiùs informentur.

(4.) Inservit etiam cognitioni dignitatis aut indignitatis communicantium, an rectè præparati accesserint, siquidem certum sit, eos, qui se non probaverint, indignè de hoc sancto epulo manducaturos esse.

(5.) His de causis *Lutherus* quoque magnifecit confessionem, eaque libenter usus fuit, uti constat, ex *tom. 2. Ien. Germ fol. 89 & tom. 6. Ien. fol. 110. 364. 621. in artic. Smalcald. part. 3. art. 8.* scribit: *nequaquam in ecclesia confessio & absolutio abolenda, præsertim propter teneras & pavidas conscientias, ac propter juventutem indomitam & petulantem, ut audiatur, examinetur, & instituatur in doctrina Christiana. in epist. ad Francof. anno 33.* scribit: *si mille & iterum mille mundi essent, mallem omnia amittere, quàm minimam hujus rei particulam aboleri permittere*, &c.

Et propter has insignes utilitates etiamnum in ecclesiis nostris pro libertate ecclesiæ retinetur, nec sine temeraria, & maximè scandalosâ singularitate, ab eo, qui apud nos sacrâ cœnâ uti voluerit, negligeretur, id quod contra μωρσοφίαν nonnullorum *Calvinianorum* notandum est, qui confessionem istam privatam, ut *Papisticam* explodunt, hoc ipso testificantes, quod *Augustanæ Confessioni*, quæ eam expressè admittit, seriò non sint addicti.

Nostrum est, meminisse, quod & ea, quæ sunt in sese indifferentia, in aliqua tamen ecclesia antiquitùs usitata, non sint temerè convellenda. Ut enim cuilibet in Repub. vivendum est, secundum leges cujusque loci: ita & secundum cujuslibet ecclesiæ consuetudinem cives ecclesiæ agere oportet: nam ut *Augustin. epist. 119. ad Januar.* scribit; *mutatio ritus, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

## CASUS III.

### *An in confessione privata specialis omnium ac singulorum peccatorum enumeratio est necessaria?*

RESP. Ita docent *Romanenses*, qui omnium ac singulorum peccatorum mortalium, quæ post districtum examen in memoriam veniunt, ab omnibus, qui ad annos discretionis venerunt: in aures sacerdotis narrationem exigunt, eamque ex jure divino necessariam docent, & meritoriam faciunt, quâ peccata expientur, quæ summa est doctrinæ hac de re in *in Concilio Trid sess. 14. & 15. & in jure Canonico de pœnitent. c. omnis utriusq; sexus, contenta, & à Bellarm. lib. 3. de pœnitent.* repetitæ; & hanc confessionem vocant sacramentalem. **Neg.**

[*Bellarmin. lib. 3. de pœnitent. cap. 9. necessarium est, inquit, ut sigillatim peccata omnia sacerdotibus detegantur.*]

Nostra

Digitized by Google

Rationes. Nostra verò sententia est: hujusmodi confessionem nullo modo esse necessariam, nedum de jure divino. (1.) Est enim omnium peccatorum mortalium enumeratio impossibilis, præsertim si juxta omnes circumstancias facienda uti methodus confessionis *pag. 116.* exigit.

[ *Quis, quid, ubi, per, quos, quoties, cur, quomodo, quando, peccasti dices, ut sit confessio vera.* ]

Sunt enim multa occultâ delictâ *Psal. 40. v. 8.* super numerum arenæ maris: unde *B. David* exclamat: *delicta quis intelligit? ab occultis munda me, Domine, Psal. 19 v. 13.*

(2.) Non habet mandatum Dei, sine quo nihil conscientiis imponi debet: quin potiùs exempla reperiuntur in *Scriptura* eorum, quibus absque enumeratione speciali suorum peccatorum ea remissa sunt, ut publicâni *Luc. 18. vers. 13.* paralytici *Matth 9. v. 2.* mulieris peccatricis, *Luc. 7. v. 48.*

(3.) Nullum invenitur in Scriptura vestigium hujusmodi specialis confessionis, sed *Apostoli* ita absolverunt à peccatis, sicuti Christus, quia non aliter missi fuerunt à Christo; quàm ut ipse à Patre, *Iohan. 20. vers. 21.*

(4.) Evangelium transformat in legem, quia talis confessio est carnificina conscientiæ, nam cor contritum & solatio indigum tenet, & afflictis afflictionem addit. Quæ res movit *Iohannem Geilerium* aliàs Keisersberger dictum, gravem ac sanctum Theologum, ut libellum ederet linguâ Germanicâ, cui titulum fecit, von der Beichtwehre / referente *Beato Rhenano in præfatione in lib. Tertulliani de pœnitentia pag. 545.*

(5.) Multa affert incommoda. Facit hypocritas, qui fatentur peccata sua, & tamen in corde suo hanc confessionis speciem oderunt: aperit arcana, quæ non sine scandalo audiuntur, non revelata neminem offendissent, ipsos etiam sacerdotes facit peccatores, quando cum delectatione audiunt, quæ castas aures offendunt.

(6.) In primitiva ecclesia usitata non fuit, quod non negatur in jure *Canonico, ubi dist. 5. de pœnitent. C. in pœnitentia*, hæc leguntur: *plures religiosi etiam confessionem secretam non necessariam esse censuerunt, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus & alij Patres Græci.*

(7.) Aliqui ex priscis doctoribus confessionem istam aliquandiu usitatam abrogarunt: quod de *Nectario Episcopo Constantinopolitano* refert *Socrates lib. 5. histor. eccles. cap. 9. & Sozom lib. 7. cap. 16.* cui rei occasionem dedit flagitium diaconi in templo cum nobili fœmina commissum.

(8.) In jure canonico confessio specialis negatur esse meritoria. Ita enim legitur *distinct. 1. de pœnitent. c. qui natus: cùm ante confessionem sumus resuscitati per gratiam, & filij lucis fa-*

*cis facti, evidentissimè apparet, quòd solà cordis cõtritione, sine cõfessione oris peccatum remittitur. Et c. omnis: confessio sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis acceptæ.* Et *c. quidam Deo: confessio, quæ fit Deo soli, quod est justorum, purgat peccata: ea verò, quæ sacerdoti fit, docet, qualiter purgentur peccata.*

(9.) Non omnes ecclesiæ agnoverunt hujusmodi confessionem. In *Iure canonico capitulo* proximè laudato *Theodorus Cantuariensis Episcopus* dicit: *quidam Deo solummodò confiteri debere dicunt, ut Græci. Glossator. dist. 5. c. in pœnitentia,* negat *eam esse ex Veteri vel Novo Testamento, sed ex autoritate ecclesiæ*: non ergò est juris divini. *Erasmus in cap. 19. Actor.* scribit: *vel hinc colligi potest, fuisse & antiquitus nonnullam confessionẽ malè actæ vitæ, sed apertam opinor, & in genere, quam nec ipsam legimus exactam abs quoquam. Cæterùm quæ nunc recepta est clancularia, quæ in aurem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata, quæ solent apud episcopos fieri, si quis scrupulus urgeret animum.*

Concludimus igitur, auricularem illam recitationem peccatorum omnium ac singulorum non esse necessariam verè pœnitenti, & à nemine exigendam: satis est, si quis in genere fateatur, seriò se contra legem Dei multifariam peccasse: quod si singulare aliquod peccatum ipsum angat in conscientia, nihil prohibet, quin aperiendo illud ecclesiæ ministro cor suum exoneret, & consolationem petat, sed ut hoc fiat, à nemine morosè exigendum est.

## CASUS IV.

### *Habetne minister verbi potestatem imponendi satisfactionem confitenti?*

Resp. Etiam hoc in ecclesiis *Romanensium* usitatum est, qui multa disputant de satisfactionibus spontè adsumtis vel adjunctis à sacerdote: quæ disputationes videantur apud *Bellarminum lib. 4. de pœnitent.* Neg.

De satisfactionibus sponte assumtis hîc non agimus, sed tantum de iis, quas sacerdos pœnitenti injungit post confessionem: eamque tertiam partem pœnitentiæ constituunt, de qua *Bellar.* agit *l. 4. de pœnit. c. 5.*

Concedimus autem, veram pœnitentiam etiam fructus salutares sequi oportere *Matth. 3. v. 8.* qui satisfactio quædam & compensatio quodammodo pro peccatis nominari possunt, non quasi peccata ullo modo expient, aut in judicio Dei satisfaciant, sed quia seriæ emendationis sunt indicia.

In potestate verò ministri non est, satisfactiones aliquas imponere pœnitentibus (1.) quia per Christum jam abundè satisfactum est pro peccatis & peccatorum pœnis, sicut ipse dicit: *servire me fecisti in peccatis* Rationes.



Digitized by Google

*catis tuis Esa.* 43. *v.* 24. *& castigatio super ipsum est. Esa.* 53.

(2.) Christus ministros ecclesiæ jussit absolvere credentes à peccatis, nuspiam autem voluit, ut certam ac definitam singulorum peccatorum persolutionem vel pecunia, vel operibus satisfactoriis à pœnitentibus exigant.

(3.) Fit hac ratione confusio officii legalis & evangelici. Nam absolutio à peccatis ad evangelium pertinet, unde verè pœnitentes consolationem hauriunt, impositio satisfactionis ad legem, per quam solatium impeditur, & cor pœnitens denuò contristatur.

(4.) Absolutio merè est gratuita, ad quam nihil facit satisfactionis injunctio. Si enim per satisfactionem intelligas bona opera divinitùs præcepta, ea sponte sequuntur post absolutionem in verè pœnitentibus, non est opus, ut judicialiter imponantur: sufficit admonitio, ut hi, quorum jam remissa sunt peccata, deinceps peccare desinant, & fructus ferant dignos pœnitentiâ: sin verò ridicula instituantur opera, ut abstinentia à caseo & butyro, peregrinatio ad certa loca, quæ fit nudis pedibus, & similia *Pontificiis* sacerdotibus probè nota, pro nihilo habenda sunt, tanquam absolutionis actu tam gravi & sancto prorsus indigna.

(5.) Satisfactiones injunctæ aut pacem ac tranquillitatem conscientiæ tollunt, aut hypocrisin pariunt. Qui enim seriò satisfacere volunt, semper in dubio relinquuntur, an reatum pœnæ debitè compensarint, & sic sibi ipsis nunquam satisfacient. Alii in levibus satisfactiunculis acquiescent, quas, quia sacerdos imposuit, sufficere putant ad tollendum omnem reatum, eaque ratione seipsos multum fallunt.

Opponit *Bellarminus* pro satisfactionibus injunctis 1. dictum Christi *Matth.* 18, 18. ubi dantur claves ad solvendum & ligandum sacerdotibus: *ut igitur* (inquit) *à culpa pœnitentes absolvunt; ita quoque possunt, ac debent eosdem ad certa pœnitentiæ opera alligare.* *Objectiones Bellarmini pro satisfactionibus injunctis.*

Sed hæc objectio nullius est momenti: imò sententiam *Iesuitæ* prorsus evertit. Si enim pœnitentes à peccatis sunt soluti, cur ergò injunctis satisfactionibus denuò ligantur? nuspiam certè *Christus & Apostoli* pœnitentibus, quos à peccatis absolverunt, opera satisfactoria injunxerunt; Christus paralytico dixit: *confide, fili, remissa tibi sunt peccata tua Matth.* 9, 12. alios cum pace à se dimisit, non pœnis quibusdam afflixit: discipulos verò in nomine suo pœnitentiam ac remissionem peccatorum annunciare, nullas autem satisfactiones imponere jussit *Luc.* 24. *v.* 47.

2. Urget *Bellarminus* exempla patrum, qui passim satisfactiones hujusmodi prædicant.

Sed non diffitemur, patres aliquos in commendationibus satisfactionum sæpè nimios esse, præsertim in homiliis, ubi rhetoricari



Digitized by Google

ipsis libuit: multùm tamen differunt ipsorum satisfactiones à satisfactionibus *Pontificiis*: illæ satisfaciebant tantùm ecclesiæ, quæ pars erat disciplinæ ecclesiasticæ, quod *Augustinus* fatetur *in enchir cap*. 63. hæ verò etiam dicuntur satisfacere Deo pro peccatis ac eorum pœnis. Illæ requirebant opera bona etiam in lege Dei præcepta: hæc opera sæpè ridicula, & ab hominibus inventa, ut cilicium, jejunium in discrimine ciborum, peregrinationes, rosaria & similia. Illæ hoc fine exigebantur, ut constaret de vera & seria pœnitentia, ut scandalum ecclesiæ averteretur, ut reliqui à scandalosis factis hac severitate arcerentur: hæ verò ad tribunal Dei referuntur, ut antea dixi. Illæ imponebantur ante absolutionem: hæ sequuntur: & quæ sunt alia discrimina, quæ vide apud *D. Chemnit. part. 2. exam. Concil. Trident*. cap. de satisfact.

Propter has ergo causas ministri ecclesiæ non tenentur satisfactionibus onerare pœnitentes, monere eos sufficit, ut veræ emendationis signa edant, & fructus dignos pœnitentia faciant. Si quod verò enormius scelus in aliquo reperiant, erga hunc ante absolutionem ecclesiasticam disciplinam usurpent, de qua postea plura.

## CASUS V.

### *Num minister ecclesiæ à confitente aliquid honorarii loco (vulgò* Beichtpfenning/ *appellant) accipere potest?*

RESP. Etsi in quibusdam locis hoc planè non permittitur: nihil tamen in se habet impietatis aut injustitiæ. A nemine enim exigitur, ut debitum, nemini etiam illud deneganti propterea succensetur: sed sponte oblatum accipitur, non ut absolutionis pretium, sed ut qualiscunque compensatio laborum in ministerio, & ut signum gratitudinis auditorum erga pastorem suum.

Generalis enim regula est Apostoli: *qui catechisatur verbo, ei qui se catechisat, communicet in omnibus bonis Galat*. 6, 6. & decet auditores, doctoribus suis de honesta prospicere sustentatione. *Dignus enim est operarius mercede sua Luc*. 10, 7. *& Dominus ordinavit*, inquit *Paulus, ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant* 1. *Cor*. 9, 14.

Si stipendia ministrorum ordinaria ita essent comparata, ut inde cum suis necessaria habere possent alimenta, non opus esset istis accessoriis.

Et si maximè minister istis carere posset: ipsa tamen pietas auditorum hanc gratæ mentis significationem, & erga

& erga ministerium observantiam requireret. Non enim frustrà præcepit olim Dominus, *ne quis coram sacerdote vacuus compareret, nec Levitam desereret Deut.* 12, 19. *& Salomonis* præceptum est: *honora Dominum de substantia tua, & de primitiis omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt, Prov.* 3, 9.

Sic & *Melchisedech*, licet opulentus satis, ab *Abraham* tamen accepit decimas, ut sacerdos Domini *Genes.* 14. & Christus, qui aliunde vivere potuisset, non aspernabatur, *Luc.* 8, 3.

Vitent autem pastores turpem illam πλεονεξίαν à D. *Petro prohibitam* 1. *Petr.* 5, 2. non præferant ditiores pauperioribus in audiendis confessionibus, ob nummum confessionarium, non indignentur iis, qui dare vel non possunt, vel non volunt: non invideant symmistis, si fortè plus à confitentibus acceperint, & summatim, nihil faciant turpis lucri gratia, sed omnia ex animo. Hæc enim vitia nonnullorum ministrorum faciunt, ut calumniatores de toto actu confessionis malè sentiunt, cujus egregium specimen edidit *Amandus Polanus in sylloge thesium part.* 1. *disput.* 10. *thes.* 20. seq. *sed vitia personæ unius vel alterius non sunt imputanda rei in se licitæ ac honestæ.*

*Objectio ex Matt.* 10, 5

Quæ objiciuntur ab adversariis, non sunt magni momenti. Prætendunt illud *Matt.* 10, 5. *gratis accepistis, gratis date.*

*Resp.*

Sed agitur ibi de miraculis, quæ non pro pecunia vendere, sed gratis aliis, in primis cum ægrotis, communicare debebant: aliàs mercedem pro labore ipsis non negavit, quia edere ipsos jussit, quidquid apponebatur *Luc.* 10, 7.

*2. Objectio ex Osea* 4, 8

Objiciunt illud Oseæ cap. 4, 8. *peccata populi mei comedent*: in quæ verba hunc in modum commentatur *Paræus*: *ulcera populi, hoc est, scelera tangere nec volunt nec audent. Non volunt, quia populi peccata lucrosa sunt*, Es gibt gute Beichtpfenninge: *non audent, quia populum jam pridem in peccatis reddiderunt obstinatum.*

*Resp.*

Sed hoc nihil ad rem. Reprehendit Propheta avaritiam sacerdotum, qui pretium absolutionis à peccatis exigebant à suis auditoribus, eoque deficiente, neminem absolvebant: quod nostri non faciunt: neminem enim ad dandum aliquid adigunt, à paucissimis aliquid accipiunt, & quidem tum demum, quum jam ipsis absolutionem à peccatis annunciarunt.

*3. Objectio ex 2. Reg.* 5.

Oggerunt insuper exemplum *Gehasi*, cui malè cessit, quòd munera à *Naamano Syro*, (quem *Elisæus* à lepra sanarat,) acceperat 2. *Reg.* 5 & *Simonis magi*, qui dona Spiritus Sancti pretio emere voluit *Act.* 8.

*Resp.*

Sed nihil ad ecclesias nostras vel *Giezi vel Simon magus*. Nemo enim nostrorum auditorum adeò rudis est in doctrinâ catecheticâ, ut putet se remissionem peccatorum aut dona Spiritus Sancti pretio emere posse, quod *Simon Magus* audebat: neque quispiam pastorum munera exigit à quoquam, ut *Elisæi* famulus.

*Simplex munerum acceptio prohibita est nemini.*

Desinant ergò adversarii his exemplis nostris ecclesiis molesti esse. Simplex munerum acceptio nemini prohibita est, nam & *Samuel* 1. *Samuel.* 12. & Christus ipse *Luc.* 8. munera acceperunt: & Dominus præcepit honorare ministerium non verbis tantùm, sed & muneribus *Deut.* 12, 19. *Galat.* 6, 6. Sacerdotes olim etiam in templis sua capiebant munera, portiones victimarum & similia donaria; & in primitiva ecclesia fideles afferebant agapas ad communionem Sacræ Cœnæ, in usum pauperum & ministerii.

Frustrà ergò liberalitas fidelium erga ministerium carpitur, præsertim in hoc ferreo seculo, ubi gratitudo auditorum excitanda potiùs, quàm extinguenda foret.

## CASUS VI.

### *Quomodo confessionarius pro diversitate confitentium hanc sui officii partem administrare debet?*

*Peccatores non sunt unius generis, qui ad confessionem accedunt.*

RESp. Ad confessionarium conferunt se homines peccatis onusti tanquam ægroti ad medicum: ut autem non est omnium ægrotorum eadem cura, ita nec omnium peccatorum.

Quidam sunt *manifesti peccatores*, qui peccata sua non celant, sed ideò se sistunt sacerdoti, ut ea confiteantur, & perturbatæ conscientiæ solatium quærant. Hi, quia jam ante satis territi & contriti sunt, non diutiùs minis legis sunt excruciandi, sed potius spiritu mansuetudinis excipiendi, & dictis evangelicis erigendi.

*Quomodo peccatoribus manifestis, qui contrito sunt corde, succurrendum?*

Quam ad rem adhibere possunt promissiones universales gratiæ divinæ *Ezech.* 18, 32. 33, 11. *Mich.* 7, 18. 1. *Tim.* 2, 4. 2. *Pet.* 3, 9. meritum Christi universale *Matth.* 18, 11. *Luc.* 9, 56. *Iohan.* 3, 16. 1. *Timoth.* 1, 15. 1. *Ioh.* 1, 7. 1. *Ioh.* 2, 2. & passim alibi.

Huc etiam referenda sunt exempla eorum, qui enormium flagitiorum adepti sunt remissionem, ut Aaron *Exod.* 32. David 2. *Sam.* 12. Manasses 2. *Paral.* 34. Petrus *Matth.* 26. Maria Magdalena *Luc.* 7. latro in cruce *Luc.* 22. Paulus 1. *Tim.* 1. & c. quæ omnia quilibet ad suos confitentes pro ratione delictorum applicare noverit.

Si verò *alicujus peccatum notorium quidem est per rumorem, nondum tamen confessum*; is verò, qui in suspicione est, nihilominus absolutionem à peccatis petat: tunc placidè quidem audiendus est, etsi ipsemet nullam istius delicti mentionem in confessione facit: confessionarius ei rumorem in memoriam vocare, & sine affectu inquirere debet, quomodo se habeat, an ejus se conscium in conscientia teneat, & ne quid horum reticeat, rogare. Si fatetur delictum, deque eo serio dolet, deinceps se ab eo abstenturum promittit, tunc ut peccator pœnitens beni-

benignis ulnis excipiendus, à peccato isto absolvendus, & ut deinceps illud caveat, fraternè monendus est. Sin verò non tantùm neget factum, sed & se prolixè excuset, non quidem ad confessionem facti cogendus est, vel denegatione absolutionis, vel aliis modis: minister enim ecclesiæ non est tortor conscientiæ: circumstantiæ tamen facti ipsi sunt exponendæ, & quòd hîc in facie Dei constitutus καρδιογνώστην illum fallere nequeat, admonendus, ac proinde, ut se confessione ingenuâ ab onere conscientiæ liberet, rogandus, cum commonefactione, quantum sit peccatum, Deum velle fallere, qui corda scrutatur & renes, quique populo suo delicta sua neganti & pallianti omnem suam iram minatus est 2. *Reg.* 17, 9. quodque hujusmodi scelerum suorum palliatores nec successum ullum habituri sint *Prov.* 28, 13. neque sacramento cœnæ dignè uti queant, sed corporis ac sanguinis Christi rei fiant 1. *Cor.* 11, 27.

Quòd si hujusmodi admonitionibus nihil proficitur, sed persona factum istud, de quo, licet constans rumor est, pertinaciter diffitetur: negotium hoc committendum Deo, & petenti absolutio non est neganda: suo tempore, si ita Deo visum fuerit, veritas manifestior fieri poterit per alia media. *Potestas clavium data non est ad inquirenda delicta arcana, sed ad corrigenda manifesta.*

## CASUS VII.

### *Num minister ecclesiæ scelera capitalia in confeßione sibi concredita magistratui aut aliis aperire tenetur, ut puniantur?*

RESP. Minimè. Nam quæ in confessione ministro ecclesiæ quasi in aurem dicuntur, instar arcanissimi depositi habenda sunt: quia fit confessio non homini, sed Deo: neque instituitur in actu confessionis inquisitio judicialis arcanorum, sed conscientiis consulitur, quæ mole peccatorum confessione sua se exonerant, & efficax solatium quærunt. *Neg.*

Etsi ergò magistratus à ministro ecclesiæ exigat, quidnam in confessione audierit, non tamen ea, quæ sibi sunt sub sigillo confessionis commissa, revelare debet.

Neq; enim confessionarius est minister magistratus, per quem hominum delicta resciscat, sed minister Dei est, cujus etiam personam agit in actu confessionis.

Præterea, si qua persona occultè adhuc peccavit, & illibatæ famæ est, non decet ministrum ecclesiæ famā ejus lædere, etiamsi in confessione delictum ejus resciscat: satis est eam hortari ad seriam pœnitentiam, & emendationem vitæ. Hinc in jure canonico sancitum est, ut sacerdos



Digitized by Google

deponatur, qui peccata pœnitentis publicare præsumit *dist. 6. de pœnit. c. 2. sacerdos &c.*

Plura vide hac de re in *Pastorali Lutheri tit.* vom Beichten/ *pag.* 267. *& in constit. Elector. art. 7.*

## CASUS VIII.

### *Num quis quacunque de causa facilè confessionarium mutare, & alius ecclesiæ minister alienum confitentem recipere, audire & absolvere potest?*

*Neg.* RESP. Quemadmodum ipsa confessio privata in sese res est ἀδιάφορος: ita etiam mutatio confessionarii est indifferens: omnes enim ecclesiæ ministri idem habent officium, eandemque potestatem clavium.

Etsi verò omnia hoc in genere licent; non tamen omnia ædificant. Incidere possunt causæ sonticæ, cur quis mutet confessionarium, quem semel elegit; præsertim cum novus ille etiam est minister legitimè vocatus ejusdem ecclesiæ; ut cùm mutatur domicilium, & ex uno districtu ecclesiæ transfertur in alium; ubi sicuti quis se sacris illius districtus atque templi adjungit, ita etiam pastori illius templi, relicto priori domicilio ac templo, confiteri potest: vel cùm minister aliquis cum aditore litigat, & planè implacabilis est, ita ut ipsum confitentem audire nolit; ibi necessaria est mutatio.

Aliàs postquam jam certi alicujus confessionarii electio facta est, in hujusmodi mutatione nemo nimiùm facilis esse debet: Primùm, quia ea res non est absque scandalo, neque absque periculo confusionis. Omnia autem in ecclesia ordine ac decenter fieri oportet: ideò quælibet oviculæ suum quærere debent pastorem, nec promiscuè hodie huic, cras alteri adhærere, quod ad minimum suspicionem alicujus dissidii inter ministrum & auditorem movere potest.

2. Impeditur officium ministri: quomodo enim quis specialem curam habere potest illius auditoris, qui tàm leviter mutat animæ suæ medicum: pastoris est novisse oviculas suas: notitia verò eorum exigua est, qui hodie huic, cras alteri pastori se adjungunt.

3. Turbatur minister in munere suo, quasi auditores suos tractare nesciat.

Quòd si fit mutatio confessionarii, ob lites & contentiones cum ipso, mutatio ista non caret magno peccato. Si enim seria facta est reconciliatio inter partes dissidentes, mutatio non habebit locum; sin verò non est facta reconciliatio, à nullo ecclesiæ ministro fieri potest absolutio, quia impertiretur ea indignis.

In tali ergò casu inprimis nemo alieni

alieni pastoris confitentes audiat, sed ad suum pastorem eos remittat, cum commonefactione, quanto quis peccato se obstricturus sit, & quantâ suspicione residui rancoris laboraturus, si pastorem suum ordinarium relinquat, & tamen cum ipso reconciliatus videri malit.

Si ergò lites sunt ex causa aliqua privata, reconciliationem petere, & condonare lædenti jubeatur: si ex causa publica, quia fortè severiùs ob peccata sua pro concione fuerit tractatus, admoneatur, quod non cum pastore, ut homine, sed cum ipso spiritu sancto litiget: ejus enim est arguere mundum de peccato, quanto autem cum periculo spiritui sancto resistatur, neminem piorum latet.

## CASUS IX.

### *An, & quomodo excommunicatio in ecclesia exercenda est, ne conscientiis scrupulus injiciatur?*

RESP. Ad clavem ligantem pertinet excommunicatio, græcis ἀφορισμὸς seu ἀνάθημα: quæ pœna est ecclesiastica omnium severissima, quâ, qui in doctrinâ pertinaciter errant, vel cum scandalo enormiter peccant, nullamque correctionem admittunt, nec ullam emendationis spem præbent, vel ab usu sacræ cœnæ, & officio patrinorum separantur, & hæc vocatur *excommunicatio minor*, vel etiam prorsus ab ecclesia aliqua particulari & ab omni conversatione piorum excluduntur, & hæc vocatur *excommunicatio major*.

*Excommunicatio duplex, major & minor.*

In *excommunicatione minore* homini flagitioso & impœnitenti privatim vel in templo, vel in domo indicatur, indignum eum judicari, qui sacris illius ecclesiæ utatur, donec vel errorem vel peccatum suum agnoscat, vitamque seriò emendet. In *excommunicatione* verò *majore* publicè pro suggesto nominatur is, qui pœnâ istâ severiore dignus censetur, ei ira ac indignatio Dei annunciatur, in nomine Christi & ecclesiæ significatur, hunc impœnitentem hominem Satanæ traditum, & tanquam membrum putridum ab ecclesia abscissum, piorum conversatione non esse dignum, proinde vitandum ipsum esse, donec manifesta pœnitentiæ signa ediderit.

Est ergò excommunicatio, pœna non cujusvis peccati, sed vel erroris in doctrinâ pertinacis, vel alterius flagitii enormis: ut adulterii, homicidii, avaritiæ vel usuræ & similium, in quibus nullum veræ pœnitentiæ signum apparet.

Meritò retinetur in ecclesia, quia Christus ejus vestigia nobis monstravit *Matth.* 18, 15. *si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si autem te non audie-*

Digitized by Google

*audierit, adhibe tecum unum adhuc vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos; dic ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi ut Ethnicus aut publicanus* h. e. sit ab omni consortio vestro segregatus. Ita *Paulus* excommunicavit incestuosum Corinthium 1. *Cor.* 5, 4. *Hymenæum & Alexandrum* 1. *Timoth.* 1, 20. ecclesiis etiam hanc severitatem commendavit: si *quis non obedit* (inquit) *sermoni nostro, per epistolam hanc judicate, & ne commercium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur* 2. *Thessal.* 3, 14. & iterum: *hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem devita, sciens, quòd eversus sit, qui ejusmodi est, & peccet* αὐτοκατάκριτος *Tit.* 3, 10.

In primitiva ecclesia religiosus fuit usus excommunicationis. Ita excommunicavit *Ambrosius* Imperatorem *Theodosium*, apud *Theodoretum lib.* 5. *cap.* 18. *scribam itidem Stilliconis* teste *Paulino in vita Ambrosii*, *Fabianus Episcopus Romanus Philippum Imperatorem*, teste *Eusebio lib.* 6. *hist. eccles. cap.* 34. *Innocentius Arcadium* unà cum conjuge *Eudoxia*, uti habetur in jure *canonico dist.* 96. *can. duo sunt.*

Et quòd etiamnum in ecclesiis nostris excommunicatio sit usurpanda, multis in locis suasit *Lutherus*, inprimis *tom. 6. germ. Ienensi* vom Christlichen Bann/ & in *concionibus de excommunicatione tom.* 5. *germ. Ienensi &c.*

Quemadmodum autem excommunicatio tantùm est notorii peccati, in quo nulla adhuc pœnitentiæ signa apparent: ita jus excommunicandi non est penes quemvis privatum, sive ex ordine sit ecclesiastico, sive politico. Non enim quilibet minister verbi proprio motu & absque causæ cognitione severissimam hanc disciplinam attentare debet, ne quid ex odio aut vindictæ cupiditate, (uti interdum fit) in re tanti momenti facere videatur. Sed hoc jus pertinet ad totam ecclesiam: ubi quidem primæ partes sunt ministerii, sed ne quid ex tyrannide, aut privato fiat affectu, necesse est, ut reliquorum ordinum ecclesiæ consensus accedat, quemadmodum *Paulus* non solus incestuosum *Corinthium* excommunicavit, sed *judicavi*, inquit, *eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu tradere Satanæ in interitum carnis &c.* 1. *Cor.* 5, 4. & 2. *Cor.* 2, 6. hanc excommunicationem vocat ἐπιτιμίαν ὑπὸ τῶν πλειόνων, *objurgationem, quæ fit à multis.*

*Ius excommunicandi alique pertinet ad totam ecclesiam.*

Processus ergò in excommunicando hic observetur. *Primum* peccata notoria, puta, hæresis, blasphemia, avaritia, ebrietas, adulterium & similia, quæ jam à magistratu politico punita fuerunt, sed absque emendatione peccantium, pro concione objurgentur in genere, tanquam talia, propter quæ venit ira Dei super homines: quæ est pars officii elenchtici, quod Dominus ministris ecclesiæ injunxit *Esa.* 58. *v.* 2. *Ezech.* 3, 33. *Tit.* 1, 11. *&c.* pertinetque ad clavem ligantem, quam Chri-

*Processus in excommunicando quinam sit observandus?*

Chriſtus diſcipulis ſuis concredidit *Iohan.* 20, 23. & qui hac clave feritur, non contemnat eam, ut rem leviculam, ſed à Deo ſe percuſſum ſciat; proinde pœnitentiam agat, ut iram Dei à ſe avertat.

Si quis verò pertinaciter in peccatis iſtis perſiſtat, omnesque commonefactiones miniſtri ſusque deque habeat, eum privatim ad ſe vocet miniſter, & delictum ejus exaggeret, quamque graviter illud contemptu objurgationum auxerit, indicet: ſi nihil efficit, referat rem ad Superintendentem, qui adjuncto uno vel altero ex miniſterio delinquentem denuò ad emendationem vitæ hortetur: quòd ſi nec ſic reſipiſcit, tunc ad tempus, donec emendationis ſigna appareant, à communione Sacræ Cœnæ, ab officio patrinorum, ab aliis ſacris muneribus arceatur: num fortè pudore ſuffuſus reſipiſcere velit. Si nondum aliquid efficitur, referat Superintendens ad conſiſtorium, aut ad conſeſſum totius miniſterii, adhibitis quibuſdam ſenioribus populi, coram quo delinquens iterum audiatur, delictum ejus à Superintendente exaggeretur, &, ut illud agnoſcat, & peccare deſinat, moneatur. Quòd ſi neque hoc judicium eccleſiæ audierit, tunc publica ſententia totius conſeſſus excommunicationis pœnâ dignus pronuncietur.

Poſteà ſententiæ hujus executio fiat à Superintendente vel paſtore, cui conſiſtorium hoc demandaverit. Is per Magiſtratum politicum ſtatuto die hominem flagitioſum in certo templi loco collocari curet, ipſe verò pro ſuggeſto eccleſiæ ſignificet, hunc hominem aliquoties monitum in notorio delicto, (quod nominatim exprimendum eſt) pertinaciter perſeverare: quod cum non ſine magno eccleſiæ ſcandalo, nec ſine præſentisſimo iræ divinæ periculo fiat, concluſum eſſe in conſeſſu publico eorum, qui ad hanc rem deputati fuerint, ut talis à communione eccleſiæ tanquam membrum putridum ejiciatur, ab uſu cœnæ Dominicæ, ab officio patrinorum, à nuptiis & omni converſatione honeſtorum hominum pellatur, donec delictum ſuum agnoſcat, ſeriamque pœnitentiam agat: idcircò eccleſiam moneri, ut à tali homine, tanquam morbido membro prorſus abſtineant, ad nullum commercium eum admittant, ſed pro membro abſciſſo habeant. Quo facto excommunicatus per æditaum è templo ducatur, & res ſuas ſibi habere jubeatur.

Quod ſanè ſpectaculum non pro deridiculo haberi debet, ſed quia eſt ſeverisſima eccleſiæ diſciplina, magno cum terrore adſpiciatur, debitaque cum συμπαθείᾳ pro miſero illo oretur, ut Deus eum ad peccati agnitionem reducat, ſeriamque in ipſo pœnitentiam operetur, ut ſpiritus ejus integer ſervetur. Non enim adhibetur hæc ſeveritas in interitum animæ, ſed potiùs ſalus animæ quæritur, quemadmodum *Paulus* de inceſtuoſo *Corinthio* ſcribit: *judicavi*

*dicavi hujuſmodi tradere Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini Jeſu* 1. *Cor.* 5, 5. eamque ob cauſam excommunicatus, etſi ab uſu ſacrorum & à commercio cum ſanctis excluſus eſt, ab auditu tamen verbi non eſt prorſus arcendus, ſed monendus potiùs, ut concionibus libenter interſit, tanquam ordinario medio ſuæ converſionis, & ſi hoc ea in eccleſia particulari, à quâ excommunicatus eſt, absque ſcandalo fieri poterit, peculiaris ei locus, ubi verbum audiat, aſſignetur, & finitâ concione per æditumm iterum è templo educatur, vel ſi ſcandalum metuendum, alia in eccleſia particulari ſecuriùs ad auditum verbi admitti poteſt, modo non prorſus ab auſcultatione concionum pellatur. Nam verbum Dei liberè audiri debet ab omnibus, etiam iis, quibus uſu Sacramentorum eſt interdictum, imo excommunicati plus cæteris diligenti auſcultatione verbi prædicati indigent, tanquam organo converſionis: quod eſt judicium *B. Lutheri in ſerm. de excommunicatione.*

*Excommunicatus ab auditu verbi divini non prorſus eſt arcendus.*

*De converſatione excommunicati cum aliis piis.*

Quod ad converſationem excommunicati cum aliis piis attinet, ejus prohibitio latius ſe extendere non debet, quàm caritas Chriſtiana permittit. Idcircò à familiari quidem commercio cum excommunicatis abſtinendum eſt, ne vel diſciplinam eccleſiaſticam contemnere, vel alienorum peccatorum participes fieri videamur; ideò interdictum nobis eſt, ne commiſceamur eis 1. *Corinth.* 5, 9. 2. *Theſſ.* 3, 15. ſed animum benevolum erga ipſos deponere non debemus, ſed compati eorum miſeriæ, adhortari & ſolari ipſos, & pro converſione eorum orare, adeoque in omnibus nos ſalutis ipſorum cupidos exhibere.

*Excommunicatio non tollit politicam converſationem.*

Neq; etiam excommunicatio tollit politicam converſationem, contractus & commercia cum excommunicato, quemadmodum in *Papatu* juramenta ſubditorum, obedientia liberorum relaxatur, excommunicato magiſtratu aut parente. Sed quia excommunicatio tangit tantùm ſceleratum, non autem amicos aut conſanguineos ejus, ideò ſubditi magiſtratui, liberi parentibus, uxor marito, licet excommunicato, obſequium debent, operaque eorum uti poſſunt, quoties neceſſitas poſtulat. Neque enim excommunicatio operatur divortium eorum, quos Deus & natura conjunxit; ſed ſeparationem tantùm ab eccleſia aliqua particulari in rebus eccleſiaſticis, donec vera pœnitentia ſequatur.

Quam ob cauſam *Auguſtinus epiſt.* 75. reprehendit *Auxilium*, juvenem epiſcopum, quod *Claſſicianum* virum militarem cum omni domo ſua anathematis ſententia ferierit: non enim debere anathematizari pro patris peccato filium, aut pro mariti uxorem, aut pro Domini ſervum. *Spiritualis pœna animas obligat,* inquit, *de quibus dictum eſt: anima patris mea eſt, & anima filij mea eſt, anima quæ peccaverit, ipſa morietur.*

CASUS

## CASUS X.

### *Num propter notoria quædam ſcelera, quæ à majori parte eccleſiæ patrantur, tota eccleſia ſimul excommunicationis fulmine ferienda eſt?*

Reſp. In *Papatu* quidem hoc non infrequenter fit, ubi fulmina papalia in eccleſias omnes, quæ pro hæreticis habentur, abſque diſcrimine incolarum ſeducentium & ſeductorum vibrantur.

Sed rectè judicantes minimè conſultum putant, ut propter errores aut peccata etiam enormia & notoria tota eccleſia excommunicetur.

*Primùm* enim infantes ad minimum, & ſimpliciores, à peccatis illis ſunt immunes, propter quos parcendum eſt integræ eccleſiæ, ne tam ſeverâ diſciplinâ notentur innocentes: ſiquidem Deus ipſe *Abrahamo* promiſit, ſi vel decem juſtos apud impuros *Sodomitas* invenerit, ſe parſurum toti civitati propter illos decem *Gen.* 18, 32.

*Deinde* Chriſtus noluit, zizania evelli, ſed creſcere jubet inter triticum, *in uno agro, ne evulſis illis triticum ſimul evellatur Matth.* 13, 29. Quod *Auguſtinus* ad hoc negotium applicat, docens non eſſe excommunicandas integras eccleſias, ne innocentes impuris ſemper mixti, ſimul iſto fulmine tangantur *in reſponſ. ad liter. Parmen. lib.* 3. *cap.* 2.

*Tertiò*, idem *Auguſtinus* loco dicto, ne quidem unum hominem anathemate dignum excommunicandum eſſe putat, ſi periculum ſchiſmatis ſubſit: multò minus integræ eccleſiæ ſunt excommunicandæ, ſi ſchiſmatis periculum metuatur. De integris autem eccleſiis *Auguſtinus* ibidem ſcribit: *cùm idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus*, & paulò poſt: *ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt: nam conſilia ſeparationis & inania ſunt & pernicioſa atque ſacrilega, quia & impiè & ſuperbè fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos.* Sententia ergò *Auguſtini* eſt, in publicis multorum ſceleribus, cùm excommunicatio ſine ſchiſmate fieri nequit, ingemiſcendum potiùs eſſe ob notoria illa delicta, quibus Satan quamplures involvit, quàm excommunicationis fulmine in totam graſſandum eccleſiam.

Ubi *quarto loco* accedit exemplum eccleſiæ Græcæ, quæ à Latina excommunicatione percuſſa, nunquam ad ſocietatem eccleſiæ rediit, ſed mutuis anathematiſmis ſemetipſos invaſerunt, cùm longè melius fuiſſet, eas in unitate retentas eſſe. Ad quod periculum vitandum *Irenæus* monuit *Victorem*, ne cunctas eccle-

ſias Dei in celebrando paſchate antiquæ conſuetudinis traditionem retinentes damnaret, ne ab unitate eccleſiæ ſcinderentur: in quam ſententiam exempla aliorum adduxit, qui iſto in capite diſſentientes pacem tamen mutuò retinuerunt. *Vide Euſebium lib. 5. hiſt. eccl. 26.*

## CASUS XI.

### *Quid agendum cum excommunicatis pœnitentiam agentibus; & quomodo in eccleſiam recipiendi ſunt?*

RESP. Suprà diximus, finem excommunicationis non eſſe interitum, ſed converſionem peccatoris: idcircò *Paulus* de inceſtuoſo excommunicato ſcribit: *ſufficit ei objurgatio hæc, quæ fit à pluribus 2. Corinth. 2, verſ. 6.* & hortatur *Corinthios, ut condonent ei, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur. verſ 7.* additque *ſe quoque ei jam condonaſſe, in perſona Chriſti, ne occupetur à Satana verſ. 10.* Suadet ergò hujuſmodi hominis reſtitutionem in integrum, ſeu receptionem in eccleſiam.

*Gradus quinq; antiquitas obſervavit in recipiendo excommunicato.*

Eo verò in genere antiquitus multi obſervabantur gradus, quorum quinque ſtatuuntur in *Synodo Antiochena.*

*Primus* vocabatur πρόσκλαυσις. Cogebantur enim recipiendi ſtare veſtibus nigris extra portas templi per aliquot dies, petentes ab ingredientibus, ut pro ſe orarent.

*Secundus* erat ἀκρόασις, cùm intra templi limina intromiſſi ſtabãt in certo loco, poſt catechumenos, ut intereſſent auſcultationi verbi.

*Tertius* fuit ὑπόπτωσις, quando pœnitentes in conſpectum eccleſiæ ducebantur.

*Quartus* σύστασις, quando jam ſtabant cum fidelibus.

*Quintus* μέθεξις, cùm unà cum aliis ad ſacram communionem admittebantur. De ſimili proceſſu lege *hiſtoriam Tripartitam lib. 9. c. 35.*

Hodie, ubi multis modis laxata eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritas; paulò aliter in recipiendis pœnitentibus proceditur, quâ de re conſulatur conſtitutio eccleſiaſtica *Electoratus Saxonici artic. general. II. fol. 320.*

*Summa eorum, quæ hodie cum excommunicato recipiendo in eccleſiam peragũtur.*

Summa hæc eſt: cùm manifeſta pœnitentiæ ſigna apparent, paſtor hoc indicat miniſterio: ad quod vocatus excommunicatus delictum ſuum ingenuè fatetur, juſtè ſe punitum agnoſcit, abſolutionem & reſtitutionem ſubmiſsè petit, & propoſitum emendandi vitam publicamque deprecationem ſeriò promittit.

Quo facto, paſtor excommunicatum aliqua die Dominica ad templum vocat, ibique in peculiari loco genibus incumbit, tanquam publicè deprecaturus.

Paſtor populo ſignificat, hominem antea ab eccleſia reciſum ſeriò agnoſcere ac deprecari delictum, & ut in eccleſiæ gremium recipiatur, humi-

humiliter petere. Cùm ergò conſiſtorium judicarit, ipſum recipiendum eſſe, hortari ſe populum, ut pœnitenti huic peccatori ignoſcant, ac ſerò pro ipſo orent, ut Deus inprimis in gratiam ipſum recipiat, & nobis procul eſſe jubeat.

Poſtea paſtor excommunicato conſuetam confesſionis formulam prælegit, à peccatis abſolvit, & ad ſacram σύναξιν unà cum aliis communicantibus, admittit.

His omnibus autem concionem ad hunc actum aptam, præmittit, partim legalem de irâ Dei contra atrociter delinquentes, & in peccatis pertinaciter perſeverantes; partim evangelicam, de gratuitâ remiſſione peccatorum miſericordiaque Dei, omnibus ſeriò pœnitentibus exſpectandâ.

Denique cum literis teſtimonialibus ad ſuos dimittendus eſt, & ſeriò admonendus, ne diſciplinam hanc eccleſiæ contemnat, ſed Deum timeat, & inordinatè vivere deſinat, ne ſeveriorem ipſius Dei animadverſionem incurrat.

## CAPUT XI.

## *De Caſibus conſcientiæ circa decorum ac ordinem in eccleſia.*

### PROOEMIUM.

AD officium eccleſiæ miniſtri pertinet etiam decentem obſervare ordinem in rebus ſacris: quæ enim ſuo loco atque tempore fiunt, benè fiunt, quam ob cauſam D. *Paulus* monuit: ut omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν *fiant in eccleſia* 1. *Cor.* 14. *v.* 40. *decorè atque ordine.* Decorum opponitur levitati; ordo confuſioni. Nulla levitas, nulla confuſio ferenda eſt in domo Dei, cujus œconomus eſt miniſter verbi. *Ordo*, inquit *Gregor. Nazianzen. orat.* 26. *omnia conſtituit & colligavit: ordo cœleſtia & terreſtria continet: ordo in iis, quæ ratione & animo intelliguntur, locum habet: ordo in iis, quæ ſenſibus percipiuntur; ordo in angelis, ordo in aſtrorum motu, magnitudine, mutuâ relatione & ſplendore &c. Ordo in eccleſiis quoque conſtituit, ut alij oves ſint, alij paſtores, alij præſint, alij ſubſint, ac pareant: alius velut caput ſit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum ad totius eccleſiæ concinnitatem ac utilitatem, vel inferius, vel præſtantius.*

Spectat autem hic ordo potisſimum ad ritus eccleſiæ in officiis ſacris, in quibus nullum debet eſſe ſcandalum, nulla confuſio.

Circa hanc partem muneris eccleſiaſtici etiam unum, atque alterum occurrit dubium, de quo nunc, annuente Domino, breviter agam.

## CASUS I.

### *Poteſtne quilibet eccleſiæ miniſter pro arbitrio mutare ceremonias eccleſiæ ſuæ?*

Negatur. RESp. Cultus divinus non poteſt eſſe ſine ceremoniis, licet ceremoniæ non ſint pars cultus, ſed tantum ejus quædam adminicula ac ornamenta, ut cùm pro concione alba uſurpatur veſtis vel omittitur: in adminiſtratione baptiſmi vel aſperſio fit, vel immerſio; in uſu cœnæ Dominicæ panis vel frangitur vel non frangitur; hoſtiæ, quas vocant, adhibentur, vel panis in alia forma; cantiones in lingua germanica vel latina, in muſica figurali vel chorali, fiunt, & hujus generis alia multa. De quibus *Auguſtini* regula eſt obſervanda in *epiſt.* 119. *ad Ianuar. ut quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolùm non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum ſit.*

Regula Auguſtini de ritibus & ceremoniis.

Invenias autem paſtores aliquos, qui ſibi laudi ducunt, & partem ſuæ autoritatis in eo ponunt, ſi mutent in eccleſia ſua ea, quæ antiquitùs fuerunt uſitata, novosq; ritus introducant, vel quia alibi eos in uſu eſſe ſciunt, vel quia ipſi etiam aliquid novi inveniſſe videri volunt.

Hos graviter peccare ſic probo: Primùm, non ſunt domini, ſed miniſtri eccleſiæ, juxta illud Apoſtoli 2. *Cor.* 3. *non dominamur fidei veſtræ*: ideò penes ipſos non eſt, novis & inuſitatis ritibus novum imponere jugum eccleſiæ. Probatur, peccare eos, qui pro arbitrio ceremonias mutant.

Deinde, quod omnes tangit, ab omnibus etiam meritò curatur. Si ergò in ritibus, quibus tota uti debet eccleſia, aliquid mutandum eſſe cenſet, merito fit hoc cum omnium ordinum eccleſiæ conſenſu.

Præterea, quæ ſemel toti placuerunt eccleſiæ, & diu quietè uſurpata ſunt, non ſine temeritate ab uno mutantur, cùm incertum ſit, utrum mutatio illa pari cum tranquillitate tolerari queat: nam juxta πολυθρύλητον illud: *omnis mutatio eſt periculoſa.*

Adde, quòd ſubita iſta mutatio unius hominis inſtinctu facta, non caret ſcandalo. Nam, ut *Auguſtinus* loquitur *epiſt.* 118. *ad Ianuar. ipſa mutatio conſuetudinis etiam, quæ utilitate adjuvat, novitate perturbat: quæ utilis non eſt perturbatione infructuoſa, conſequenter noxia eſt.*

Quapropter quæ contra bonos mores, aut contra fidem non ſunt, nemo quis emendare facilè auſit: ſed quod in eccleſia aliqua invenerit, id retineat: omnis enim novitas eſt ſuſpecta.

Ubi albarum veſtium uſus eſt pro concione, iis ipſe etiam utatur

tur miniſter, qui recens acceſſit: ſic & de hoſtiarum uſu, de cantu chorali aut figurali, de cereis in uſu S. cœnæ & ſimilibus, quæ nihil habent vel impietatis, vel ſcandali. *Totum hoc genus* (inquit *Auguſtinus l. d.*) *liberas habet obſervationes, nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit eccleſiam, ad quamcunque devenerit.*

Fieri tamen poteſt, ut mutatio nonnullorum rituum ſit neceſſaria (1.) cùm ritus manifeſta impietate laborat, ut eſt imaginum & ſtatuarum religioſa veneratio, proceſſiones cum ſacramento, roſaria & ſimilia.

(2.) Cùm ritus cum articulis fidei, aut cùm ordinatione Dei pugnat, ut fit in miſſæ ſacrificio, & mutatione ſymbolorum ſacramentalium.

(3.) Cùm ritus eſt ſuperſtitioſus, qualis eſt conſecratio ciborum, aquarum, cereorum, quæ nihil habet utilitatis, ſuperſtitionis autem, & ex parte impietatis plurimum.

(4.) Cùm ritus pugnat cum libertate Chriſtiana, quod fit, cum id, quod per ſe eſt indifferens, tamen obtruditur ut neceſſarium, quod nullo modo mutari queat, hoc enim eſt contra naturam rituum, qui licet non ſint temerè variandi, in ſeſe tamen ſunt liberæ obſervationis, qui, cùm ex re eccleſiæ videtur, & omnium ordinum conſenſus acceſſerit mutari poſſunt.

(5.) Cùm ritus conſcientiam noſtram aut proximi lædant aut onerant, uti fit, quando ritus ſpeciem quandam præ ſe ferunt, aut quibus (ad fugiendam perſecutionem) ſimulatur, quaſi noſtra religio à Pontifi. is non multum diſtaret, aut certè quaſi animus noſter ab ea non multum abhorreret.

In his omnibus fidelis eccleſiæ miniſter auditores ſuos diligenter inſtruere, & quàm multis modis mutatio talium rituum neceſſaria ſit & utilis, monere, & ut omnes ordines de abrogatione aut mutatione cogitent, hortari debet: ipſe verò ſolus & privato auſu hoc non faciat: nam ſi ex ſolidis fundamentis egerit, applauſores ſuæ ſentētiæ, qui in abrogationem conſentiant, facilè inveniet.

## CASUS II.

### *An ad mandatum magiſtratus miniſter eccleſiæ in mutationem aut introductionem alicujus ritus eccleſiaſtici ſtatim conſentire debet?*

RESp. Quemadmodum miniſter verbi in ceremoniis eccleſiaſticis proprio motu nihil mutare poteſt: ita nec magiſtratus ſolus, aut cū paucis aliis, eccleſiæ ritus novos, præſertim impios & ſuperſtitioſos, obtrudere debet. Nam magiſtratus etiam non eſt Dominus eccleſiæ, ſed membrum, & per verbum æ-

què

que regitur, ac alii: ideò orthodoxi ſemper reſtiterunt tali magiſtratui, qui eccleſiam mandatis ſuis alligare voluit, ad id, quod conſcientiis oneroſum fuit, & ſpeciem colluſionis habuit, quemadmodum pii olim *Conſtantio*, *Valenti*, *Licinio*, & ſimilibus contradixerunt, quod & patrum noſtrorum memoria, tempore *Interimiſtico* piè & ſalutariter factum eſt.

Probè hoc intellexerunt pii reges in populo Dei, *Ioſua*, *David*, *Salomon*, *Ioſaphat* & ſimiles, qui reformationem eccleſiæ ſuſcipientes, non præſcripſerunt ipſi pro imperio, quidquid ſibi videbatur, ſed comitia coegerunt, & cum conſilio ac conſenſu ſtatuum omnium, quod è re eccleſiæ fuit, concluſerunt, ut conſtat ex *Ioſ.* 24. 1. *Paral.* 14, 26. 2. *Sam.* 7. 1. *Paral.* 18. 2. *paral.* 30. & 34.

E contra non deſunt exempla illorum principum, qui, cùm pro lubitu ceremonias, non ſine ſcandalo populi, mutarent, graviſſimas incurrerunt pœnas, quemadmodum exemplum *Gedeonis* teſtatur, facientis ephod lineum, & inſtituentis cultum privatum in domo paterna *Iud.* 8. *Saulis*, qui ſacrificabat contra interdictum prophetæ *Samuelis* 1. *Sam.* 15. *Oziæ* regis, qui thura incendebat contra prohibitionem ſacerdotum 2. *Paral.* 26. *Achazi*, qui remoto altari Domini, altare *Damaſcenum* in locum ejus ſubſtituit, & veneratus eſt, non ſine ſpecie idololatriæ 2. *Reg.* 16, 14. 15. *Ieroboami* eligentis ſacerdotes ex contemtiſſimis populi, & inſtituentis feſtum hactenus inauditum 1. *Reg.* 12. Hi omnes propter hæc facinora graviter puniti fuerunt: in quas pœnas eos ſtudium novitatis & αὐθαδείας conjecit.

Quam ob cauſam, utile & penè neceſſarium eſt, ut, cùm mutatio aliqua rituum ſuſcipienda eſt, id neque à ſolo miniſterio, neque à ſolo magiſtratu attentetur, ſed convocatis eccleſiæ ordinibus deliberationes ea de re inſtituantur, quemadmodum Apoſtoli ipſi, piique Imperatores, *Conſtantinus Magnus*, uterque *Theodoſius*, *Martianus*, *Carolus Magnus*, & ſimiles in religionis negotiis *Synodos* convocarunt, minimè autem pro imperio conſcientiis per novitates iſtas laqueum injecerunt.

Viciſſim autem, cùm decreta *Concilij Tridentini*, quæ & religionis & ceremoniarum immutationem *Germaniæ* obtrudere volebant, publicarentur, *Electores*, principes ac ordines imperii *Auguſtanam confeſſionem* amplexi, publico ſcripto ſe oppoſuerunt Anno 1563. indicatis graviſſimis rationibus, cur concilium illud neque agnoſcere neque adire velint.

Si verò magiſtratus per abuſum autoritatis ſuæ novos ritus violenter introducat, nemo eos ſervare tenetur: ſed innovationes iſtæ humiliter recuſandæ, & reipſa teſtificandum eſt: *nos Deo magis, quàm hominibus obedire oportere* *Act.* 4, 5.

CASUS

## CASUS III.

### *Num in gratiam adversariorum aliquid in usitatis ritibus immutari bona cum conscientia potest, si fortè tranquillitas ecclesiæ prætendatur?*

RESP. Multum agitata fuit olim hæc quæstio tempore *Interimistico*, ubi *Carol.V.* Imperator quasdam ceremonias jam pridem in *Augustana Confessionis* ecclesiis abrogatas, redintegrari voluit: quo in genere *Cæsari* nonnulli parendum esse rati sunt, dummodò religionem in aliis doctrinæ Christianæ capitibus salvam & incolumem relinqueret: quæ aliàs facilè jacturam pateretur, si non pareretur. Quæstionem enim esse tantumde ritibus, in sese indifferentibus, de lineâ veste, de cereis, de abstinentia à carnibus, de usu salis in baptismo, de festis & similibus, in quibus satis esse putabant cedere adversariis, præsertim *Cæsari* jubenti, quàm totam religionem periclitari.

Alii verò huic opinioni masculè se opposuerunt, suadentes, etiam in his adiaphoris ne minimum quidem cedendum esse, quia non sit quæstio tantùm de adiaphoris istis, sed de præcipuo fidei articulo, videl. de libertate Christianâ, quæ ne quidem in adiaphoris jugum imponit conscientiis. Neque etiam quæstio est de meris adiaphoris, sed sub hoc nomine etiam multi articuli fidei, (in quibus salvâ pietate nemo orthodoxorum adversariis cedere potest) continebantur, ut de *justificatione, de restitutione Missæ*, *de septem sacramentis*, & similibus: ubi sanè multi meticulosiores, metuentes iram *Cæsaris*, nimium concedebant, ut acta *synodica Lipsiæ* anno 1559. edita testantur; quæ res postea occasionem præbuit scandalosæ συγχύσεως inter Theologos *Augustanæ Confessionis*, ubi multi pro libertate Christiana contra impiam illam nonnullorum meticulosorum concessionem, rationibus solidis decertarunt.

Renovata fuit postea hæc disputatio tempore *Calvinismi*, ubi ceremoniæ multæ à *Calvinianis* abrogabantur, *ut exorcismus, hostiarum usus, imagines in templis*, & similes, & ut alii, salvis articulis fidei in hujusmodi abrogationem consentirent, postulabatur.

Unde jam quæstio est in genere tam à *Pontificiis*, quàm à *Calvinianis* mota: *an tempore persecutionis & edendæ confessionis in mutatione rituum usitatorum cedendum sit adversariis?*

Quæstionem hanc tractat *Formula concordiæ*, inque partem negantem concedit in epitome, his verbis: *credimus, docemus, ac confitemur, quod temporibus persequutionum, quando perspicua & constans confessio à nobis exigitur hostibus evangelij in rebus adiaphoris non sit cedendum.*

*Rationes.* Rationes hujus assertionis hæ sunt, (1.) *ad mandata DEI nihil est addendum Deut.* 12. Ea verò Deus mandavit, quæ sunt necessaria: ritus ecclesiæ non sunt necessarii. Si ergò ritus alicujus abrogatio vel usurpatio urgetur tanquam necessaria, tunc fit additio ad mandatum Dei in verbo prohibita: ac proinde obligare me non potest, neque concedi in eo quidquam debet.

(2.) Repugnat hæc concessio libertati Christianæ, ex quâ, qui ritus alicujus immutationem urget tanquam necessariam, jugum servitutis facit, monet autem Apostolus *Paulus Galat.* 5, 1: *quâ libertate Christus vos liberavit, in eâ, state, & nolite iterum jugo servitutis subjici:* & hanc admonitionem ipsemet exemplo suo comprobavit. Nam cùm falsi fratres urgerent circumcisionem *Titi*, ad explorandam libertatem, quam habebat in Christo, ut eum in servitutem redigerent, *ne ad horam cedere voluit Galat.* 2. *vers.* 4. etiamsi antè *Timotheum* circumcidisset: *Act.* 16. *v.* 3.

(3.) Authentica est Apostoli *Pauli* 2. *Corinth.* 6, 14. *nolite jugum trahere cum infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum injustitiâ? & Eph.* 5, 11. *nolite commercium trahere cum infrugiferis operibus tenebrarum, sed potius arguite.* Hoc autem faciunt, quicunque hostibus & persecutoribus veritatis, sive in abrogandis ceremoniis, sive in recipiendis jam dudum abrogatis, quocunque modo cedunt.

(4.) Cessio illa in abrogandis piis ceremoniis, aut in recipiendis jamdudum abrogatis, pugnat cum veritate evangelicâ, in quâ nos stare jubet Apost. *Galat.* 5, 1. Nam conscientias non in suâ libertate reliquit, sed turpi jugo servitutis onerat, & cum simulatione conjuncta est, dum in gratiam adversariorum fit, qui, dum sub illâ larvâ meliorationis impiam doctrinam in ecclesiam invehere moliuntur, cessione illa non parùm adjuvantur.

(5.) Cessio ista pugnat etiam cum confessione doctrinæ orthodoxæ, quæ ab omnibus requiritur. Nam dum cedunt adversariis Evangelii, nemo facilè intelligit, utrum cum adversariis, in religione consentiant nec ne? Christus autem requirit à suis apertam coram hominibus confessionem *Matth.* 10, 32.

(6.) Qui cedunt hoc in genere adversariis, eos hoc ipso in impietate sua confirmant, & ad persecutionem ecclesiæ animosiores reddunt, cùm è contra, si animosè postulato ipsorum restitissent, malum hoc avertere potuissent.

(7.) Cessio ista non caret suspicione collusionis, præsertim apud simpliciores, qui eâ magnopere offenduntur, & dubitare de religione ipsa incipiunt. *Væ autem illi, per quem veniunt scandala Matth.* 18, 7.

(8.) Accedit denique autoritas *Lutheri*, qui eodem modo de hac quæstione disserit *tom.* 3. *Ienens. pag.* 523. suoque exemplo nostram sententiam:

zentiam probavit. Nam cùm elevationem panis in celebratione S. Eucharistiæ aliquandiu in gratiam infirmorum retinuisset, & jam de abrogando hoc ritu cogitaret, *Carolostadio* interim & aliis *sacramentariis* contra hunc ritum tumultuantibus nequidem ad horam cedere voluit, sed ritum illum diutiùs retinuit, ne in gratiam adversariorum conscientiis, in re liberâ, jugum imposuisse videatur. Nam etiam ea, quæ naturâ suâ sunt liberæ observationis, in statu confessionis, cum ab adversariis eorum mutatio postulatur, fiunt necessaria, quod *Paulus* exemplo circumcisionis probavit. Timotheum enim circumcidit, cùm infirmi ob ejus circumcisionem intermissam offenderentur *Act.* 16. *Titum* verò non circumcidit, cum falsi fratres circumcisionem veluti necessariam urgerent *Galat.* 2, 3. *seqq.*

## CASUS IV.

### *Num quis de omnimoda rituum conformitate in omnibus ac singulis ecclesiis admodum laborare debet?*

RESP. Uniformitas rituum in ecclesiâ diversimodè à quibusdam urgetur. A *Pontificiis* quidem, tanquam necessarium medium conservandi ordinem in ecclesiâ, imo, ut quædam quasi nota ecclesiæ veræ. Ita enim scribit *Bellarminus lib.* 2. *de sacram. effectu. cap.* 31. *si libera esset ceremoniarum observatio, nullo modo fieri posset, ut aliquis ordo & uniformitas in ecclesiâ servaretur.* Et paulo post: *Epiphanius,* (inquit,) *in fine librorum contra hæres. recensuit ceremonias ecclesiæ, ut indicaret, quasdam veluti notas, quibus ecclesia ab omnibus sectis discernitur.*

*Pontificij uniformita temrituum quasi quandam notā veræ ecclesiæ faciunt.*

Ab aliis verò existimatur uniformitatem rituum in omnibus ecclesiis particularibus valdè conducere ad consensum in doctrinâ contestandum.

Sed frustra utrobique de conformitate omnium ceremoniarum in omni ecclesia laboratur. Distinguendum enim hîc est, inter ceremonias *divinas & humanas.* Divinæ sunt, quæ à Christo & Apostolis originem habent, præsertim circa Sacramenta, ubi quædam sunt à Christo mandatæ, ut, quòd jubet baptisare aquâ, quod jubet manducare panem, & bibere vinum, addere preces, & similia, quæ ex verbis institutionis nota sunt. Et hæ *ceremoniæ* vocantur *necessariæ & substantiales* in administratione Sacramentorum, ideò mutari non possunt, sed in omnibus ecclesiis uniformiter sunt retinendæ, quia sunt in institutione præscriptæ. Quædam autem habent scripturæ testimonium, quod in primitivâ ecclesiâ Apostolorū fuerint usurpatæ, ut

*Probatur, frustrà laborari de conformitate omnium ceremoniarum in omni ecclesia.*

*Distinguendum hîc inter ceremonias divinas & humanas.*

*Divinæ, quæ sunt necessariæ & substantiales in omnibus ecclesiis, uniformiter retinendæ.*

*Quæ habēt testimoniū Apostolorū*

*etiam retinenda.*

tæ, ut explicationes doctrinæ Sacramentorum, exhortationes, preces, gratiarum actiones, &c. Illæ etiam retinendæ sunt, ita tamen ut ipsi doctrinæ sint conformes. Non enim sunt Sacramenta muta spectacula, sed instituta, ut fidem confirment, & promissionem clariùs proponant.

*Humanæ ceremoniæ si verbis fiunt, retinẽtur, quando consentiũt verba sacris literis: si fiant gestib. etiã libere retinentur quando nihil habent impietatis.*

*Humanæ* ceremoniæ iterum duorum sunt generum: *quædam à viris piis & religiosis superioribus additæ sunt*, & constant vel *verbis* vel *gestibus externis*. Ceremoniæ *verborum* retinentur, cùm verba Scripturæ sunt conformia, ut cùm in baptismo adhibetur exorcismus, abrenunciatur per patrinos Satanæ, fit interrogatio & responsio, confessio fidei, &c. Ceremoniæ *gestuum* retinentur, sed prout fert natura adiaphororum omnium, liberè, & cùm nihil habent impietatis, nec sunt otiosi lusus, sed inserviunt ordini ac decoro ecclesiæ, utilemque habent commonefactionem, & ædificationem populi: *quædam autem ex papatu suam habent originem, & superstitiosæ sunt*, interdum etiam impiæ, quibus Sacramenta planè in aliam transformantur actionem, ut fit in *Missâ Papisticâ*: Huc pertinet cereus paschalis, comestio salis, commixtio aquæ cum vino, consecratio aquæ baptismalis, unguenti, cerei, & hujus generis alia multa, quæ neque mandatum neque exemplum in S. Scripturâ habent, quæque non tantùm, ut significationes aut commonefactiones rerum utilium adhibent:

*Ceremoniæ humanæ impiæ, superstitiosæ, & Papales ex eccl. sunt eliminãdæ.*

verùm etiam efficaciam aliquam peculiarem eis tribuunt. Tales ceremoniæ, licet earum aliquæ testimonium antiquitatis habere videantur, propter superstitionem tamen ac impietatem, in quam hodie degenerarunt, ex ecclesiis eliminandæ sunt, cum alioquin *ritus ecclesiæ paucos, honestos & utiles esse oporteat*.

*Ritus ecclesiæ sint pauci, honesti, fructuosi.*

Fiat autem hæc emendatio rituum *liberè* quidem, sed non *licenter*, hoc est, non à quolibet privato, nec à pastore, aut magistratu solo, sed consentientibus omnibus ecclesiæ ordinibus, propter periculum schismatis: informetur etiam ecclesia pro concione de causis emendationis, ne quid temerè factum videatur.

*Neq; necessarium neq; utile est, laborare de uniformitate rituũ in omnib. ecclesiis.*

Ut autem uniformitas humanorum rituum omnibus in ecclesiis instituatur, de eo non est laborandum, cum res ea neque necessaria sit, neque utilis. Unitas enim ecclesiæ non consistit in unitate rituum, sed *fidei & spiritus Eph.* 4, 3. Neque damnatæ sunt unquam ecclesiæ ob diversitatem ceremoniarum: sed liberæ fuerunt harum observationes, quædam *abrogatæ*, quædam *omissæ*, ut prægustatio lactis, mellis & vini &c. item, quod aliqui jejunant sabbatho, aliqui non jejunant, quòd aliqui communicant quotidiè corpori ac sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt, & si quid aliud hujusmodi animadverti potest.

Totum hoc genus liberas habet observationes, neque disciplina ulla

ulla in his est melior gravi prudentique Christiano, quàm, ut eo modo agat, quo viderit agere ecclesiam ad quamcunque fortè venerit. *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum*, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum, quemadmodum *Augustinus* ea de re loquitur *epist.* 118. *ad Januar.*

Adde, quòd hæc conformitas rituum *Papismum* sapit; eam enim *Bellarminus* loco suprà laudato urget, tanquam notam ecclesiæ veræ: sed absque ullâ causâ. Verissimum potiùs esse statuimus, eam convellere articulum de libertate Christianâ, cujus pars aliqua est, ne patiamur nobis jugum imponi rebus alioquin indifferentibus, adeò, ut nobis non amplius libera in eis disponendi potestas relinquatur.

*Conformitas illa, si nimis urgeatur, convellit articulum de libertate Christiana potius, quàm ut ecclesiam veram ceu nota stabiliat.*

Et quorsum opus est de necessariâ ceremoniarum in omnibus ecclesiis conformitate laborare, cum ceremoniæ omnes sint hominum inventum, (de humanis enim ritibus hic agimus) neque ad salutem, neque ad cultum Dei necessariæ, & præterea naturâ suâ mutabiles, sæpeque ob diversam ecclesiæ conditionem atque statum mutatæ.

Hinc *Aug. Conf. art.* 7. satis esse statuit ad veram ecclesiæ unitatem, consentire de doctrinâ Evangelii, & administratione Sacramentorum: neque necesse est, ubique similes esse traditiones humanas, sive ritus aut ceremonias ab hominibus institutas.

Et *Formula concordiæ art.* 10. scribit: *credimus, docemus, ac confitemur, quod ecclesia alia aliam damnare non debeat, propterea, quòd hæc vel illa plus minusve externarum ceremoniarum, quas Dominus non instituit, observet, si modò in doctrinâ, ejusque articulis omnibus, & in vero Sacramentorum usu inter eas sit consensus. Hoc enim vetus & verum dictum est: dissonantia jejunij non dissolvit consonantiam fidei.*

## CASUS V.

### *Num minister ecclesiæ falsæ religioni addictos, si in errore suo mortui fuerint, honestis ceremoniis æquè ac alios orthodoxos, ad sepulcrum comitari potest?*

RESP. Ad ordinem in ecclesiâ pertinet etiam sepultura hominum, cujus cura potissimum est penes ministerium. Etsi verò juxta *Augustini* verbum *lib.* 1. *de civit. DEI c.* 12: *curatio funerum, conditio sepulturæ, & pompa exequiarum magis sunt solatia vivorum, quam mortuorum subsidia*: honesta tamen sepultura testimonium est defunctorum, quòd fuerint veræ ecclesiæ nostræ membra, in unitate fidei nobis conjuncta, & eandem in Christo resurrectionem ad vitam æternam nobiscum expectantia? in quem finem

olim patriarchæ & pii reges ad patres suos colligi expetierunt, cum quibus in unitate fidei vixerant.

Inde sequitur, quòd, qui confessores veræ doctrinæ, quæ in ecclesiis nostris sonat, non sunt, sed potius hostes ejus, & persecutores, honestè etiam apud nostros non sint sepeliendi.

*Distinguendum hic inter seducentes & seductos.*

Ubi tamen discrimen faciendum est, inter *simpliciter errantes & seductos*, qui errorem suum privatim fovent, parati cedere meliora docentibus, qui cum mansuetudine tolerandi sunt, & si in sua simplicitate hinc discedunt, honestâ sepulturâ non privandi. *Quis enim tu es, qui servum alienum judicas? Domino suo stat aut cadit Rom.* 14. *v.* 4. *Qui vero* inter nos habitant, & *errores suos non tantùm pertinaciter defendunt, verùm etiam* vel per cuniculos, vel per apertam audaciam *alios seducunt*, & schismata faciunt; hi quemadmodum viventes adhuc à nostrarum ecclesiarum consortio seipsos segregarunt, ac proinde vitari jubentur *Rom.* 16. *v.* 17. *Act.* 20, 30. ita post mortem etiam meritò nullum inter ipsos locum inveniunt, sed sepultura asini afficiendi sunt.

*Sepultura asini quinā afficiendi, & qualis ea sit, describitur.*

Hoc probatur 1. ex Scripturâ, ubi Deus ipse inter sepulturam piorum ac impiorum distinguit. Populo idololatrico minatur Dominus *Ier.* 16. *v.* 4. *mortibus ægrotationum morientur, non plangentur, & non sepelientur & in sterquilinium super faciem terræ erunt, & gladio & fame consumentur, & erit cadaver eorum in escam volatilibus cæli & bestiis terræ. Achabo & Iezabeli Baalitarum* cultoribus inhonesta sepultura prædicitur 1. *Reg.* 21, 23, 24. & impletur 2. *Reg.* 9, 33. Idem accidit *Ioackimo Ierem.* 22. *v.* 18. de impio rege *Ioramo* legitur 2. *Paral.* 21, 19. *seqq.* quòd, cum incederet in viis pessimis idololatrici regis *Achab*, soceri sui, *fœdo mortis genere obierit, & in civitate David sepultus quidem fuerit, sed non in sepulcro regum, neque fecerit ei populus secundum morem combustionis, exequias, sicut fecerat majoribus ejus.* Sic & *Iason Pontifex* apostaticus nudus & extorris in *Ægypto* terrâ peregrinâ periit 2. *Mach.* 5. *v.* 9.

Deinde memorat Scriptura, quomodo Deus, ut justus judex, idololatrarum ossa ex sepulcris suis erui & comburi jusserit, quemadmodum de pio rege *Iosia* prædicitur, 1. *Reg.* 13, 2 quòd ossa *idololatrarum ex sepulcris suis sit eruturus, & super altare combusturus, sicut & factum est* 2. *Reg.* 23, 16. Ad quod exemplum hæretici *Almerici* ossa è sepulcris eruta, & in fimetis hinc inde dispersa fuerunt, ut legitur apud *Vincentium lib.* 29. *c.* 107. quanquam in *Papatu* multis hoc in genere, sub prætextu hæreticorum, injuria facta fuerit.

Tertiò censuerunt sancti Patres, honestam sepulturam impiorũ cedere in majus ipsorum detrimentum. Nam ut *Gregorius* loquitur: *quos peccata gravia deprimunt, ad majorem cumulum damnationis potiùs, quam ad solutionem corpora eorum in ecclesiis ponuntur; & Augustin. quibus*

peccata

*peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem adjuvari non possunt. Quia quos peccata graviora deprimunt, si in sacris locis sepeliri se faciunt, restat, ut de sua præsumtione adcentur, quia eos sacra loca non liberant: sed de culpa temeritatis accusant.*

Adde, quod non sine aliorum scandalo pertinacibus & præfractis hæreticis honesta sepultura eo in loco, ubi constantes orthodoxæ veritatis confessores siti sunt, concederetur. Ecquis enim tandem non religiones omnes promiscuè haberet, si, quidquid tandem aliquis crediderit, veris Christianis etiam post mortem adjungeretur?

Non ergò sine justis rationibus ac exemplis contumacibus religionis orthodoxæ hostibus, & aliorum seductoribus honesta sepultura inter nostros denegatur: id quod etiam ad ordinem in ecclesiâ observandum pertinet.

## CAPUT XII.

## *De Casibus Conscientiæ circa Magistratum politicum.*

### PROOEMIUM.

SEcunda Hierarchia concernit *magistratum politicum*, qui etiamsi in multis cum ministerio convenit, in plerisque tamen differat, propter fori diversitatem: quorum unum agit de rebus *spiritualibus*, alterum de *civilibus*.

Est autem magistratus una ex antiquissimis Dei ordinationibus, quæ, si homo in statu integritatis perstitisset, jam tum locum suum habuisset. Etsi enim tunc non nisi erant duo homines in mundo, qui propter angustiam suæ familiæ potestate politicâ non indigebant: si tamen humana societas in isto statu fuisset aucta, propter ordinem in omni societate necessarium, opus fuisset aliquo capite, cui reliqui homines sine ulla molestia, amica quadam consociatione fuissent subjecti, quemadmodum inter angelos etiam ordo est archangelorum & angelorum, & inter conjuges in statu innocentiæ maritus fuisset caput uxoris, sine omni despotica dominatione, aut servili subjectione. *An si homo in statu integritatis mansisset, magistratus locum habuisset? Aff.*

Quemadmodum autem non cujusvis est, magistratum gerere; neque enim omnibus datum est, vel debito more modoque imperare aliis, vel molestias subditorum omnes devorare; unde vulgo dicitur: *magistratus ostendit virum*: ita praxis hujus muneris non caret difficultate, quam experiuntur ii, qui stadium hoc illibatâ conscientia percurrere volunt.

De his ergò, quæ conscientiam magistratus & subditorum munire possunt, hoc in capite, volente Domino, acturi sumus.

CASUS

## CASUS I.

## *Num quis bona cum conscientia magistratum politicum gerere potest?*

*Aff Ratio 1. à Deo.*

RESP. Omninò, ob rationes sequentes (1.) quia Deus ipsemet se autorem & conservatorem hujus ordinis agnoscit, dum non solum regum & principum titulos sibi tribui permittit, ut 1. *Paral.* 29, 12. 1.*Tim.* 6, 15. & passim alibi: sed & imperium magistratus sibi attribuit *Prov.* 8, 15. *per me reges regnant. Rom.* 13, 1: *non est magistratus, nisi à Deo. Sap.* 6, 3. *audite reges. à Domino vobis datum est judicium*: insuper etiam, ut magistratus constituantur, mandat *Deut.* 16. *v.*18. *Exod.* 18. *v.*21.

*2. à divini nominis cū Magistratu communicatione.*

(2.) Quia augustissimum suum nomen cum magistratu communicat: *dixi, vos dij estis, Psal.* 82, 6. quod in rem Deo displicentem minimè quadrat.

*3. à summa necessitate.*

(3.) Quia summa sequitur ἀταξία ex defectu magistratus. Sicut scriptum est *Prov.* 11, 14. *ubi non est gubernator, corruet populus*: & cùm tempore judicum non esset res in populo Dei, *quilibet faciebat, quod rectum esset in oculis suis Iud.* 17, 6. 21, 25.

*4. à magistratus utilitate.*

(4.) Sine magistratu neque ecclesia, neque ministerium servaretur purum, ideò Deus conservat magistratum & ordinem politicum, ut ecclesia tranquilla habeat Halcyonia, unde etiam vocantur *reges nutritii ecclesiæ Esa.* 49. *v.* 23.

*5. à contrario damno ecclesiæ & societatis civilis.*

(5.) Sine magistratu nulla floreret ecclesia, nullæ vigerent leges, & ut in magno flumine pisces minores devorantur à majoribus: ita in mundo, qui potentior esset, supprimeret infirmiorem.

*6. à distinctionis dominiorum & trãquillitatis publicæ commoditate.*

(6.) Sine magistratu nulla maneret dominiorum distinctio, nulla tranquillitas publica: ideò *Beatus Lutherus* scripsit *in cap.* 2. *Gen. politica est necessarium naturæ corruptæ remedium*: & *Paulus* pro omni magistratu nos orare jubet, *ut sub eo vitam quietam ac tranquillam agamus* 1. *Timoth.* 2. *v.* 2.

*7. à laude scripturarum præstita magistratui.*

(7.) Testatur etiam Scriptura ad viros sanctos & gloriosos pertinere eos, qui dominati sunt in *potestatibus suis; & imperarunt in populo Sir.* 44. *v.* 3.

*8. ab exemplis.*

(8.) Ut nihil dicam de exemplis hominum sanctorum, qui reges, principes, duces atque judices fuerunt, ut Abraham, *Genes.* 14. *vers.* 14. Joseph *Gen.* 41. *vers.* 43. *cap.* 42. *vers.* 6. 45. *vers.* 8. Moses *Exod.* 7. *vers.* 1. Josua *Ios.* 1. *vers.* 5. David 1. *Sam.* 16. *vers.* 13. Salomon 1. *Paral.* 29. *v.* 5. & sic de cæteris, quos & *epistola ad Hebr. cap.* 13. commendat.

Certum ergò est, magistratum esse & officium sanctum, piis concessum, Reipub. necessarium, & divinitus ordinatum.

Sed quo quid sanctius & utilius est, eò ferè plures habet adversarios. Ita & magistratus contradicentes habet *Anabaptistas*, *Photinianos*, Weige-

*Weigelianos*, etiam in hunc usq; diē. Quorum aliqui non quidem negant, necessitatem magistratus inter Christianos, sed officium magistrat⁹, hoc est, bella gerere, causas decidere, sontes gladio ferire, judicia publica habere, & similia, nemini Christianorum concedunt: alii autem magistratum ipsum, ut inventum humanum traducunt: cum enim hominem naturâ ad dominandum proniorem videant, quàm ad obediendum, multaque in magistratu sint vitia, ut tyrannis, fastus, ambitio, violētia, avaritia, immisericordia, putant magistratum non ex Deo esse, sed ex diabolo.

Sed *hic semper vitia magistratus distinguenda sunt ab officio*, optimæ namq; rei semper est abusus pessim⁹. Etsi ergò tyrannis & alia *vitia magistratus nō sint à DEO, magistratus tamen, etiam tyrannicus à DEO est*, qui etiam malos principes regnare sinit ob peccata populi, sicut dicit apud Prophetam: ***dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione meâ*** *Ose*.13.

*An Magistratus tā, tum per permissionē sit à Deo? Neg.*

Alii existimant magistratum esse quidem à Deo, sed tantum per permissionem, sicut nullum malum est in civitate sine Deo, sed permittente, & puniente peccata hominum: quibus cogitationib. opponendum est illud Apostoli *Rom*.13. *v*.2. *quæ potestates sunt, à Deo ordinatæ sunt*, Deus ergò jussit, ordinavit, & constituit hominem, quæ autem ordinata sunt à Deo, minus rectè dicuntur, tantùm permissa: quia permissio tantum notat aliquod indultum, ordinatio verò etiam mādatum includit: permissio est eorum quæ displicent, & improbantur, sicut Deus peccata permittere dicitur, quæ neque vult nec approbat: ordinatio verò est eorum, quæ cum voluntate & approbatione fiunt.

Quæ omnia magistratum vehementer confirmant, quod sit in genere vitæ Deo placente, & utili, cum Deus nihil ordinet, quod non approbet & generi humano conducere sciat.

## CASUS II.

### *Num credendum est, potestatem magistratus politici dependere à Pontifice Rom. tanquam Dei in terris vicario?*

RESP. Si ductum sacrarum literarum sequimur, facilis est hujus quæstionis decisio. Ea enim nullō jota ostendit, *Papam* habere potestatem in principes seculares; ergo nec potestas eorum à *Papa* dependet. Nam ut præclarè docet *Bernhardus lib*.1. *de considerat. ad Eugen*. Papam: *ecclesiastica & politica potestas ita jure divino distincta sunt & separata, ut utraque suis terminis conclusa, in alterius fines invadere suo jure nequeat, neutrique in alteram imperium sit*. *Neg.*

Qqqqq In *Pa*-

Digitized by Google

In *Papatu* autem hæc quæstio diversas invenit opiniones, quæ nihil aliud effecerunt, quàm ut eam fecerint dubiam, perplexam & incertam. Una est *Canonistarum*, qui vel ex nimio & cæco erga sedem Petri, ut putabant, amore, vel ex studio gratitudinis erga beneficia *Pontificum*, quibus se affectos norãt, vel etiam, quia majora aut similia ambiebant, Numini suo terreno adulantes, *Pontifici Romano* plenissimam potestatem etiam in politicis, in summa mundi capita, principes, duces, reges, ipsum deniq; *imperatorem* & omnia regna mundi tribuerunt, ita ut ipse, velut totius mũdi Dominus, regna & principatus, cui & quando voluerit, dare vel auferre possit, quãvis nemo sciat caussam, cur ita faciat: forsitan secundum illud: *hæc omnia dabo tibi, si coram me procideris Matthæi* 4.

*Canonistarũ opinio de potestate Papæ.*

Opinionem hanc foverunt *Alvarus Pelagius lib.* 1. *de planctu eccl. cap.* 13. *Panormitanus in cap. Novit. de judiciis, Sylvester in summâ de peccatis, verbo Papa* §. 2. *quos omnes recenset Bellarminus initio lib.* 5. *de Papâ.*

His adjunxerunt se novitii aliqui, inter quos excellit præ cæteris *Franciscus Bozius* cõgregationis oratoriæ presbyter, qui & plures in illam sententiam autores affert *lib.* 1. *de temporal. ecclesiæ monarchiâ & jurisdictione cap.* 2. is per universum tractatum suum cõtendit: omnem vim regiam, omniumque rerum, quæ in terris sunt potestatem atque dominium datum esse *Romano Pontifici* jure divino: eidẽ etiam cõpetere potestatem temporalem in reges infideles, de jure, etiamsi non de facto fiat, ex vitio hominum, *lib.* 3. *c.* 14. *& lib.* 5. *c.* 18.

Longè autem antiquior est hic error Canonistis. In eo enim etiam olim *Henricus Segusianus Cardinalis Hostiensis*, qui referente *Guil. Barclajo de potestate Papæ in princip. Christ. cap.* 1. novâ hac & inauditâ opinione, *Bonifacium IIX.* hominem per se quidem gloriæ avidum, veluti novis ambitionum facibus non multò pòst supra modum videtur accendisse.

Legitur etiam in sanctionibus *Bonifacij IIX.* quòd gladius temporalis sit sub spirituali, quia *Paulus* dixerit *Rom.* 13. *non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt, non autem ordinatæ essent, nisi gladius esset sub gladio.* Vide in *Clementinis li.* 21. *tit.* 8 *de majoritat. in extravag. Bonif. IIX. c. unam sanctam.*

Quemadmodum autem hæc opinio *Papas* multos fecit turgidos & sanguinarios, ita plurimum nocuit multis imperatoribus, regibus, ac principibus, quos illa, quam *Papæ* sibi finxit, potestas sedibus suis ejecit, subditos à juramento fidelitatis solvit, & in extremas miserias prostravit: vicissim autem sedi *Papali* per multorum ab istâ tyrannide defectionem non parum detrimenti attulit; unde *Barclaius in præfat. libelli dicti, ad Papam Clementem VIII.* scripsit: *vide, pater sanctissime, quàm non expediat ecclesiæ istud imperium vendi-*

*Pontificiorum plurimi refutarunt hanc Canonistarũ erroneam opinionem.*

*vendicare, quod veluti Seiani equus proprios dominos pervertit.* Et ad evertendam istam opinionem duas adhibet machinas *cap.3.* una est, quia *Petrus* & cæteri Apostoli tunc temporis nullum habebant jus in quemvis privatum subditum, nedum in magistratum, quin potiùs ipsi magistratui etiam ethnico subditi fuerunt: Christus enim non venit, naturæ aut gentium jura tollere; aut quemquam temporali rerum suarum dominio excutere, fas autem non est, *Papam* nunc habere majorem potestatem in principes politicos Christianos, quàm tunc *Petrum* in quemvis privatum. Altera ratio est, quia nemo ex antiquissimis hujus potestatis *Papalis* mentionem fecit: multò minùs *Paparum* ullus antiquis temporibus, quàmvis non minus, quàm alii, zelo & studio ecclesiæ gubernandæ flagrans, eâ potestate usus fuit erga imperatores hæreticos, cujus tamen rei occasiones commodissimas frequenter habuissent: quin potiùs, ut quisque doctrinâ & sanctitate magis excelluit: ita Imperatorem submissiùs observans ejus subditum & servum se esse professus est, quemadmodum *Gregorius Magnus Mauritii Imperatoris* famulum se nominavit, *lib.2.epist.61.in dict.11.*

*Bellarminus* inprimis prolixus est, in hujus erroris refutatione. Primùm docet, *cap. 2. lib. 5. de R.P.* Papam non esse Dominum totius orbis (1) autoritate *Iohann de Turrecrematâ, Francisci victoria &c.* 2. quia Papa non potest judicare infideles, juxta dictum Apostoli 1. *Cor. 5. quid ad me de his, qui foris sunt, judicare?* 3. quia infideles principes sunt veri & supremi principes suorum regnorum.

4. Quia dominium non fundatur in gratiâ aut fide, sed in libero arbitrio & ratione, nec descendit ex jure divino, sed ex jure gentium. Deinde docet c. 3. Papam non esse Dominum totius orbis Christiani. 1. Quia nihil eâ de re constat ex Scripturis, nec ex Apostolorum traditione. 2. Quia Christus non venit destruere aut auferre regna eorum, quibus divinitus data sunt, sed potius ea perficit, quando videlicet rex aliquis infidelis fit Christianus. 3. Quia episcopi non sunt Domini urbium, quarum sunt episcopi: quod autem Papa est in ecclesia universâ, id est quilibet episcopus in particulari. 4. Adduxit testimonia aliquot Pontificum, qui opinioni isti contradicunt, ut *Leonis, Gelasii, Gregorii Magni, Alexandri III. Innocentii III. &c.* Tertiò docet *cap. 4.* Papam non habere ullam merè temporalem jurisdictionem directè jure divino, quia ipse Christus non fuit rex temporalis: multò minus Papa, præsertim cum hic non omnem habeat potestatem, quam habuit Christus, ut homo mortalis.

His argumentis ipsi *Pontificii* everterunt primam opinionem de potestate *Papæ* temporali, quæ fuit *Canonistarum.*



Digitized by Google

Altera est nonnullorum Theologorum, quos magno numero recenset *Bellarminus lib. 5. cap. 1.* & inter hos ipse quoque nomen suum profitetur. Est autem hæc: quòd Papa, etsi non habeat merè temporalem potestatem directè, tamen habeat eam indirectè in ordine ad bonum spirituale, disponendi de temporalibus rebus omnibus Christianorum: quemadmodum caro & spiritus in homine sunt duæ quasi Respub. habentes diversos actus & objecta, caro subest, spiritus præest: & quamquam spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere omnes suas actiones, sicut in brutis exercet: tamen quando eæ officiunt fini ipsius spiritus, tunc spiritus carni imperat, eamque castigat, & si opus est, indicit jejunia, afflictiones, etiam cum detrimento aliquo & debilitatione ipsius corporis, cogit linguam, ne loquatur, oculos, ne videant: hanc suam, (quam Theologorum vocat) sententiam his ferè verbis proponit *Bellarminus cap. 6.* & probare laborat *c. 7. & 8.*

Sed quanquam eam sic satis probasse videatur: *Barclajus* tamen eam multis solidissimis rationibus impugnavit, & *Bellarmini* argumentis respondit *à cap. 5 lib. sui.* usque ad finem, ubi 1. ostendit, indirectam illam potestatem *Papæ* iisdem argumentis refutari posse, quibus *Bellarminus* se directam expugnasse judicat. Ejus enim præcipua contra directam potestatem conclusio hæc est *c. 3. Vel potest summus Pontifex auferre à regibus & Imperatoribus potestatem ipsorum, tanquam summus ipse rex & Imperator, aut non potest.*

*Si potest, ergò est major Christo.*

*Si non potest, ergò non habet verè potestatem regiam.*

Nihil refert, quin de indirectâ illâ potestate Papæ idem concludam, nam Τò directè & indirectè non in facultate judicandi, sed tantùm in modo acquirendi temporalem potestatem discrimen facit.

(2.) Rationibus *Bellarmini*, quinque, quibus indirectam *Papæ* potestatem in temporalibus probare conatur, prolixè respondet *Barclajus.* Rationi primæ *cap.* 13: 14. 15. 16. secundæ *cap.* 17. 18. 19. tertiæ *cap.* 20. 21. 22, 23. quartæ, *cap.* 24. quintæ 25.

Ad hoc ergò eruditissimum scriptum *Barclai* auditores remitto, & non deerit eis solida etiam secundæ opinionis refutatio.

Tertia denique sententia est nonnullorum in *Papatu* politicorum, qui *Papæ* summam quidem concedunt potestatem in spiritualibus, sed nullam prorsus in temporalibus, inter quos fuit olim *Occam* monachus *Franciscanus*, & *Marlius Patavinus in Defensore pacis*, hodie autem prædictus *Gul. Barclaius & socii in Galliâ*, ut & Theologi ac Politici *Veneti*, quibus, quoad negationem potestatis temporalis ex asse subscribimus, etiamsi in spiritualibus quoque Papæ nullam in ecclesiæ potestatem αὐτοκρατορικὴν relinqua- *Opinio quorundam Politicorũ in Papatu.*

Digitized by Google

linquamus de quo alibi. Bellarminus quidem hæresin vocat, dicere, *Pontificem Romanum* nullam ex jure divino potestatem habere temporalem, nec posse ullo modo imperare principibus secularibus, nedum eos regnis, & principatu privare, etsi illi privari alioquin mereantur.

*Probatur Pontificem Romanum nullam habere ex jure divino potestatem temporalem imperandi principibus secularib9, vel eos regnis & principatibus suis ejiciendi aut privandi.*

Sed hæc ipsa assertio, quam iste habet pro hæreticâ, solidis innititur fundamentis. (1) si hæretica est illa sententia, hæreticum ergo sit etiam illud *Christi*: *reges gentium dominantur, vos autem non sic Luc.* 22. quo directam illam & indirectam potestatem *Papæ* super principes seculares in temporalibus, directissimè refutat.

(2.) Reges atque principes suam potestatem à solo Deo habent secundum illud Apostoli *Rom.* 13, 1. *non est potestas, nisi à Deo.* Ergò fas non est *Pontifici Romano*, sive directè sive indirectè, potestatem illam & imperium, quod reges atque principes divinitùs habent, humanâ auferre audaciâ, aut ad alios transferre.

(3.) *Papa*, si maximè Christi vicarius esset, magis tamen aliquid non posset, quàm quod à Christo tanquam homine mortali accepit. Eo vero respectu ne quidem Christus vel ipse regnum habuit mundanum, vel Imperatores aut magistratus etiam alios, licet Ethnicos & potestate suâ abutentes sedibus suis ejecit, sed ipsemet magistratui subditus, tributum solvit *Matth.* 17. *Cæsariq́, quod Cæsaris est, dare jussit, & quæ sunt Dei, Deo, Matth.* 22, 21. Cui sanè argumento multum tribuit *Bellarminus* in refutatione potestatis directæ *c.* 3. cur idem contra indirectam non valeat, nihil obstat.

(4.) Nullus est hujusmodi temporariæ potestatis *Pontificum* neque usus, neque exemplum, neque mentio, annis circiter mille in ecclesiâ, cùm interim multi principes Christiani impiè satis viverent. Verisimile autem non est, priscos pontifices ecclesiæ non fideliter præ fuisse, sequitur potiùs, eos hanc potestatem ad se non pertinere, agnovisse. Sequentibus autem temporibus, cùm ex superstitione, *Papa* tanquam successor *Petri*, & vicarius Christi nimium honoraretur, tantaque ei sanctitas tribueretur, quasi nec dicto, nec facto errare posset, (quam ad rem adulationes *Canonistarum*, quæ immodicis suis laudibus pulpamentum quærebant, multum fecere) *Papæ* animosiores facti, magno superbiæ typho affectabant id, quod ei vulgus sponte dabat, & principes regna sua relinquere malebant, quam *Pontificem* iratum, & fulmine excommunicationis in inobedientes intonantem, infensum habere, unde omnia intestinis seditionibus, publicoque incendio facile repleri potuissent. Habuerunt ergò *Pontifices* quidam postremis seculis temporalem illam potestatem in principem seculares, quam nemo ipsis dedit, sed ipsi sibi rapuerunt, & quam nulli superiorum temporum *Pontifices* affectarunt, aut u-

usurparunt. (5.) Tota antiquitas semper censuit, reges solo Deo minores esse, solum Deum judicem habere, legibus humanis solutos, nullisque pœnis temporalibus plecti aut coërceri posse. Sic *Tertullianus* scribit *in apol. advers. gentes: sentiunt* (imperatores) *Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes Deos, & super omnes homines.* Sic *Ambros. de Davide adultero, in lib. cui titulus, Apologia Davidis: rex utiq; erat, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculis delictorum. Neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate.* Hæc omnia falsa essent, si ipsorum potestas à *Papâ Romana* dependeret: haberent enim aliquem post Deum superiorem, qui ipsos & cogere & legum suarum vinculis pro libitu subigere posset.

(6.) Adde, quòd nonnulli Pontifices fatentur: regem politicum non habere superiorem in temporalibus, ut est in *jure Canonico cap. per venerabilem, qui filii sunt legitimi.* Unde ergò est illa potestas, quam sibi *Pontifices* hodie in magistratum politicum usurpant? nam quod dicunt, hoc tantùm indirectè fieri, rei nihil adimit, sed tantùm eam modificat: nam & qui indirectè potestate temporali in principes utitur, is superioritatem aliquam in eos sibi arrogat.

His de causis jam olim contra istum *Papalis* ambitionis τῦφον feliciter pugnatum fuit: concludimus ergo potestatem majestatemque magistratus minimè à *Papâ* dependere, ita ut ad ejus nutum vivere, credere, regere, teneatur: quòd si excommunicationis pœnam fulminet, hodie per Dei gratiam aperti sunt hominum oculi, ut fictitia illa fulgura nemo curet: si subditos homagio fidelitatis liberet, & in magistratum suum armet, tanta est vis præcepti divini de honorandis regibus, ut qui conscientiam habent, magistratui suo debitum obsequium promtè præstent, & manifestum illud juris naturalis & divini mandatum exequantur; quod *Barclaius c. 27.* exemplis *Regum Gallorum à Pontificis* fulmine percussorum, luculenter ostendit.

## CASUS III.

*Num magistratus infidelis, aut hæreticus imperare potest Christianis ac orthodoxis subditis?*

Resp. Omninò: modò sit legitimè constitutus, *omnis enim magistratus est à Deo, Rom. 13. v. 1.* & cū olim *Israelitæ* inciderent in potestatem gentilium regum, dicit Scriptura: *tradidit eos Deus in manus gentium, quæ diripuerunt eos, & vendidit eos in manibus hostium suorum, qui habita-* 45.

*habitabant per gyrum. Iud.* 2,14. Sic erant *Israelitæ* in manu *Chusan Risathaim* regis *Mesopotamiæ Iud.* 3. *vers.* 8. in manu *Iabin* regis *Canaan Iud.* 6. *v.* 1. in manu *Midianitarum Iud.* 11,7. in manu *Nabuchodonosoris Ier.* 27. *v.* 6. *pro cujus salute ipsos orare jussit Dominus Ierem.* 29,7.

Sub initium Novi Testamenti Christiani tantùm Ethnicos habebant magistratus, & tamen eis obsequium & reverentiam, tributum, & vectigal præstare, quin & preces pro ipsis fundere jubebantur *Matth.* 22,21. *Rom.* 13,4. 1. *Pet.* 2,13. 1. *Tim.* 2. *v.* 1,2.

Post *Apostolorum* tempora etiam ecclesia reges infideles & hæreticos ecclesiam Dei destruere conantes, submissè pertulit, *nõ tantùm propter iram, sed & propter conscientiam*, hoc est non tantùm, quia viribus infirmi resistere eis non potuerunt, sed & quia Deum honorem & obsequium erga quemvis magistratum requirere sciebant. *Constantium & Iulianum* ejus successorem, *Valentem* & hujus generis alios tolerarunt *Imperatores*, etiamsi tunc Christiani satis haberent roboris eos repellendi, tantùm, quia magistratus erant, cui si quis resistit, eum ordinationi Dei resistere sciebant.

Si ergò quis sub jugo *Turcici* tyranni, aut sub magistratu *Pontificio* aut alterius sectæ vivit, non detrectet obsequium in iis, quæ non impugnant religionem aut fidem Christi: si verò religionem violenter impugnet, & subditos ad hæresin aut infidelitatem suam pertrahere velit, nemo quidem subditorum eam in rem consentiat, propterea tamen magistratui non renunciet, sed in omnibus aliis, quæ non sunt contra pietatem ac honestatem, se lubens subjiciat, orans pro eo, ut Deus etiam in religionis negotio flectat ejus animum, ne quid durius eo nomine in subditos statuat.

*Pontificiorũ errores hic examinantur.*

Longè aliter hac de re docetur in Papatu. Nam *Bellarminus lib.* 5. *de R.P. cap.* 7. scribit: *non licet Christianis tolerare regem infidelem aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresin aut infidelitatem.*

Alii, inprimis *Iesuita Mariana, in lib. de rege, & Ribadeneira in lib. de principe,* docent, reges suâ opinione hæreticos, non modò non tolerandos, sed & quoquo modo, per vim aut fraudem è medio tollendos esse, si videlicet ob politicum eorum dominatum periclitetur salus animarũ, turbetur ecclesia, ejusq; jura violentur: quam ipsorum doctrinam praxis, inprimis in *Galliâ & Angliâ*, hactenus confirmavit.

Duo ergò statuunt contra assertionem nostram: 1. magistratum infidelem aut hæreticum Christianis imperare non posse, quia eum tolerandum negant. 2. talem magistratum etiam, quia obest regno *Papæ*, cruentis cædibus è medio auferendum esse.

Utrum-

*Respondetur ad objectiones Pontificiorum.*

Utrumque (quod mireris) ex Scripturâ confirmare audent. Ad probationem primæ assertionis affert *Bellarminus* argumenta sequentia.

1. *Ex Deuteron. cap.* 17. ubi prohibetur populus *eligere regem*, *qui non sit de fratribus suis*, id est, *non Iudæum*, *ne videlicet pertrahat Iudæos ad idololatriam. Ergò (inquit) etiam Christiani prohibentur eligere regem non Christianum.*

Respon 1. Nihil hoc contra nos. Nam si de liberâ electione per suffragia agitur, utiq; semper præferendus est rex fidelis infideli; modò reliquis donis ad regnum necessariis, instructus sit: quia religionis unitas animos magistratus & subditorum omnium maximè & firmissimè ligat; disparitas autem multarum suspicionum, simultatum & diffidentiæ occasio est. Si autem magistratus ad aliquem à verâ religione alienum, jure suspicionis juxta leges fundamentales & pacta conventa defertur, nemo propter religionis diversitatem jure suo fraudandus est, cum ecclesia non aboleat politias aut jura humana, in quam sententiam pedibus it *Thomas* 2. *secundæ. q.* 10. *art.* 10.

*Exceptio Bellarmini ad hanc responsionẽ diluitur.*

Sed ait *Bellarminus*: *ejusdem periculi est ac damni eligere non Christianum, & non deponere non-Christianum, si ille conetur populum avertere fide.*

Resp. Non est idem jus, ubi idem est periculum ac damnum: nam sive per latronem, sive per injustam sententiam magistratus injuriam acceperis, idem est damnum, non tamen idem jus. Nam in latronem aut invasorem manifestâ vi irruere licet; in magistratum autem injustum non item, propter officii, quod gerit, eminentiam. Etsi ergo idem metuẽdum est periculum & damnum, si magistratus infidelis aut hæreticus jam electus non deponatur, ac si nõ eligatur, periculum nimirum seductionis ad hæresin aut infidelitatem, non tamen sequitur magistratum hæreticum jam electum deponendum esse; quia ex justis causis eligi potuit, vel ob jus successionis, quod ei disparitas religionis non abrogat, vel ob consensum procerum imperii, qui ejusmodi virtutes in ipso observarunt, quæ Reipublic. utiles sunt, non obstante impia ejus religione, quia imperium ejus non fundatum est in gratia aut fide, sed in libero arbitrio aut ratione, ut *Bellarminus* suprà dixerat: Si mutationem aut abrogationem veræ religionis tentaverit, propterea non deponendus, sed precibus ei resistendum, & si nihil proficitur, aperta veritatis confessione martyrii corona quærenda erit. Ita enim olim in primitiva ecclesia Christiani minimè deposuerunt *Neronem*, *Diocletianum*, *Decium*, *Iulianum Apostatã*, *Valentem Arianum*, & similes, qui etiam suppliciis exquisitis subditos ad religionem suam vel Ethnicam vel

Digitized by Google

vel hæreticam cogere volebant: sed patienter eos tolerabant, pro tranquillitate imperii orabant, & martyria patienter sufferebant.

Regerit *Bellarminus, quòd Christiani Imperatores non deposuerunt, factũ fuisse ob defectum virium: nam, quod alioquin potuissent, patere ex 1. Cor. 6. ubi Paulus jubet constitui novos judices à Christianis temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram judice Christi persecutore.*

*Alia exceptio confutatur.*

Resp. 1. Frustrà exprobratur primis Christianis, defectus virium. Nam in causa bona non tam ad vires hominum, quàm Dei respiciendum est, qui per paucos æquè juvare potest, ac per multos. Et credibile est, Deum ipsum milites suos, non odio vel ambitione, sed solo ecclesiam sartam tectamque servandi studio in id bellum incumbentes, facili victoria ornaturum, si pium fuisset armis adversus legitimum principem decertare.

Quod *Julianum* inprimis attinet, facillimum fuisset ipsum à militibus coerceri, qui exercitum habebat ex meris constantem Christianis, ut est apud *Ruffin. lib. 2. histor. eccles. c. 1. Socrat. lib. 3. c. 22. Theodor. lib. 4. cap. 1.* Ergò ista exceptio *Bellarminiana* nulla est.

Quod *Apostoli* locum attinet, revocat is duntaxat Christianos à temeritate litigandi corã magistratu Ethnico, cùm id fieri potuisset etiam coram fratribus, ut arbitris: magistratum autem Ethnicum propterea deponere minimè jubet: ipse enim docuit, ordinationi Dei, qualem etiam Ethnicum magistratum agnoscit, resistendum non esse *Roman. 13, 2.* Quem in sensum locum istum interpretatur *Lyra: Apostolus,* inquit, *nõ prohibet hic fideles sub principibus infidelibus constitutos comparere coram eis, quando vocantur: hoc enim esset contra subjectionẽ, quæ principibus debetur: sed prohibet, ne voluntariè recurrant ad judices infideles, in illis negotiis, quæ determinari possunt per fideles.*

Hæc de primo argumento *Bellarmini,* quo probare voluit, regem infidelem aut hæreticum à Christianis deponendum esse.

2. Alterum petit ex ratione, ut putat. *Tolerare regem,* inquit, *hæreticum aut infidelem conantem pertrahere homines ad suam sectã, est exponere religionẽ evidentissimo periculo: qualis enim est rector civitatis, tales sunt inhabitantes eam: quemadmodum, cùm Ieroboam idololatra fuit, maxima etiã regni pars continuò idola colere cœpit 1. Reg. 12. At non tenentur Christiani, imò non debent, cum evidenti periculo religionis, tolerare regem infidelem. Nam quando jus divinum & humanum pugnãt, debet servari jus divinũ, omisso humano: de jure autem divino est, servare veram fidem & religionem, quæ una tantùm est, non multa: de jure autem humano est, quod hunc aut illũ habeamus regem.*

*2. Objectio Bellarmini convellitur & refellitur.*

Resp. Concedimus, religionem veram periculo exponendam non esse, negamus autem, quòd per id, quòd rex hæreticus aut infidelis,

qui conatur homines ad suam pertrahere sectam, toleratur, religio nostra periculo per se exponatur: sed periclitatur saltem religio, sine culpâ populi, qui nullum iustum evitandi hoc periculum habet remedium, cùm penes ipsum non sit electio regis, sed inciderunt in electos. Quòd si hìc aliqua penes populum esset culpa, eadem etiam resideret penes priscos illos Christianos, qui sub *Domitiano*, *Iuliano*, *Valente* & similibus Imperatoribus vixerunt, quos magnâ cum patientiâ tolerarunt, & nemo tamen eos hoc nomine accusavit, quasi religionem veram ista sua patientissima tolerantia periculo exposuerint. Tunc autem periculo exponitur religio vera, cùm populus, nullo cogente iure, necessitate nulla postulante, regem aut magistratum sibi præficit hæreticum & infidelem, quod nemo piorum unquam fecit.

Porrò quòd in hoc argumento *Bellarminus* jus divinum humano opponit, non quidem impugnamus: sed cum hac additione; dum regem hæreticum jam ex electione aut successione, id est, ex jure humano habemus, nostrum est, ei de jure divino parere, licet aliquid contra religionem veram molienti refragari queamus, imò debeamus.

3. *Objectio Bellarmini redarguitur.* Tertium *Bellarmini argumentum est: si conjunx fidelis liber est ab obligatione manendi cum conjuge infideli, quando ille non vult manere cum conjuge Christiana; Ergò & populus fidelis liberari potest à jugo regis infidelis & pertrahentis ad infidelitatem.* Antecedens patet ex 1. *Cor.* 7, 15.

Resp. Exemplum hoc non ferit scopum: quæstio est, an populus fidelis infidelem aut hæreticum magistratum ad hæresin seducere molientem deponere possit? *Apostolus* verò docet, quòd fidelis conjunx ab infideli marito deserta, sit libera ab eius jugo: quæ duo esse diversissima per se liquet. Aliàs non negamus populum fidelem liberari posse à jugo infidelis magistratus, non autem necesse est, ut ipse magistratum talem deponat, aut obsequium ei omne deroget; sed fieri potest ista liberatio vel per mortẽ, vel per conversionem magistratus, aut per aliũ aliquem modum Deo haud difficilẽ. Minimè ergò probavit *Bellarminus* assertionem suam, hæreticum videlicet aut infidelem magistratum à Christianis tolerandum non esse.

Ex hoc primo errore fluit alter, videlicet magistratum hæreticum non modò non tolerandum, sed & à Christianis tollendum esse: quo in genere *Jesuitæ* sæpenumero magnã impenderunt operam, auferendo per sicarios suos, reges atque principes, quos ecclesiæ *Romanopapisticæ* obsistere videbant. Negant hoc nonnulli, à se fieri: alii v. etiam quasi bene factũ, ex Scripturis sacris egregium hoc facinus defendere audẽt.

*Bellarminus* provocat ad exemplũ *Oziæ regis*, 2. *Paral.* 28. quem sacerdotes lepra percussum templo ejecerunt, regno privarunt, & filio successionem indulserunt.

Parti-

Parricidium *Henrici III.* regis *Galliarum* factum an.1589. 11.Sept. comparant cum facto *Eleasaridis*, h.e. *Phinea* sacerdotis conficientis *Zambri & Chasbi* in fornicatione deprehensos, *Num.*25,8. & *Juditha* interficientis *Holofernem Judith.*13.

*Mariana lib.*1.*c.*6. affert exemplum *Ehud*, qui *Eglonem* regem *Moabitarum* pugione in ventrem confixo peremit *Iud.*3. alii exemplum *Iaelis* interimentis *Sissaram Iud.* 4. *Samuelis* regem *Agagū* 1.*Sam.*15. *Iojada*, necantis *Athaliam* reginā, 2.*Reg.*11. & *Elia* interficientis *Baalitas* 1. *Reg.* 18 & qui eiusmodi regibus hæreticis parcit, eos Deo rationem reddere cogi, aiunt, sicut *Saulem* parcendo *Regi Agag* 1. *Sam.* 15. & *Achab* parcendo regi *Benhadad* 1. *Reg.* 20.

Verùm enimverò, turpissimus hîc est abusus Scripturæ, homine Christiano prorsus indignus. Nam, quia *Romanenses* in plerisque *Pontificem* suū conformant ad pontificem Veteris Testamenti, mōstrent, ubinam *Pontifex Iudaicus* sibi talem potestatem sive jus vitæ necisque in judices aut reges populi sui sumserit?

*Oziam* quidem leprâ percussum sacerdotes è templo eiecerunt 2.*Paral.*26. sed rex ille leprâ divinitùs & miraculosè percutitur, propter officium sacerdotale à se cōtra legem Dei usurpatum; leprosum autem sacerdotes è templo eiiciebant, per legem divinam, de leprosis à reliquo populo secludendis *Levit.* 23,3. Depositio ergò illa facta est à Deo, non à *Pontifice*, non propter hæresin, sed propter ambitionem & invasionem in aliud officium: id quod cum cædibus regiis *Iesuitarum* nihil habet commercii.

*Phinea* factum oriebatur ex speciali mandato Dei, quo iniunxit tunc temporis *Israelitis*, ut quisque interficeret proximum suū, qui sese adiunxerat *Baal Peor* idolo *Moabitarum Num.*25, 5. quale mandatum speciale, etiam antea contra cultores vituli aurei promulgaverat *Exod.*32, 27. Quæ verò *Iudæis* ex singulari privilegio ac mandato cōcedebantur, hodie à nemine in exemplum trahenda sunt, quemadmodum nec spolia *Ægypti*, nec immolatio *Isaaci* ad imitationem sunt proposita. Vulgò dicitur: *heroica & specialia facta non faciunt legem.*

Ex eodem fundamento respondendum est ad exemplum *Ehud*, qui expressum habuit verbum ad interficiendum regem *Moabiticum Iud.*3, 19, 20. eaq; cæde peractâ statim additur: *tradidit Dominus Moabitas, inimicos nostros in manus nostras, v.* 28. Monstrent *Iesuita* tale verbum Domini de interficiendis principibus, sua opinione hæreticis, & dicemus nos; Dominum tradidisse eos in ipsorum manus.

*Jaelem* quoque peculiariter excitavit Dominus contra *Sisseram*, sicut alios heroas contra *Chananaos*, quorum terram populo suo iam pridem promiserat, qui propterea *Salvatores populi* appellabantur. Sicut ergò ex homicidio *Mosis Exod.* 2. non possum concludere, homicidia

promiscuè esse licita: ita ex singularibus istorum heroum factis non licet colligere cædem principum hæreticorum esse licitam.

Eadem est ratio *Samuelis* occidentis regem *Amalekitarum*. *Amalekitas* enim occidi Deus ter jusserat, *Exod*.17,14.*Deut*.25,17.1.*Sam*.15.*v*.3. 18. in quo postremo loco *Sauli* præceperat Dominus: *nunc ergò vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus, ne parcas ei*,&c.

Ex lege quoq; speciali, de interficiendis idololatris, & seductorib⁹ ad idololatriam *Deut*.13. jussu summi *Pontificis* interfecta est idololatrica *Athalia* & impii *Baalitæ*.

Quæ omnia cùm non simpliciter omnes tangant, sed eos tantùm, qui intra urbes *Iudæorum* habitant, malè trahuntur ad cædes Pontificias.

Concludimus igitur, cuiuslibet quidem episcopi officium esse, cavere, ne magistratus falsam religionem foveat, & in provinciis suis promoveat, sed si quid secus factũ fuerit à magistratu, non armis carnalibus, sed gladio Spiritus in ipsum animadvertat. Nullum enim ius habet potestas spiritualis in temporalem, eam tollendi aut evacuandi, sed utraque potestas ad conservationem politiæ ecclesiasticæ necessaria est: quemadmodum duo brachia ad integritatem unius corporis pertinent, ubi tamen neutrum in alterum jus habet illud lædendi, frangendi, aut etiam prorsus à corpore resecandi.

Vnde sequitur eos maximâ iniuriâ afficere magistratum, qui eius potestatem ita subiiciunt potestati *Papali*, ut hæc in illam pro libitu grassari queat: id quod eorum est, quos Scriptura vocat *contemtores majestatum* 2.*Petr*.2,10.

## CASVS IV.

### *Num magistratui facere licet, quidquid libet, quia vulgò à politicis dicitur solutus esse legibus?*

RESp. Tritum est illud politicorũ axioma: *princeps est solutus legibus*; quo etiam utitur *Ambrosius in apologia David*, ubi de *Davide* adultero loquitur: *rex quidem erat, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculis delictorum*: sed non ab omnibus rectè fuit intellectum.

Quidam enim principem aut regem legibus ita solutum esse putant, ut ipsi omnia pro voluntate sua gerere liceat, quasi perinde sit, sive factum principis cum honestate congruat, sive non congruat. Et hoc pacto *reges Persarum* ita legibus soluti fuerunt, ut quidquid eis libuerit, etiam licuerit, quemadmodum *Herodotus li.3.refert de Cambyse*, quòd is ducturus propriam sororem in uxorem, interrogarit magos suos, *an licitum esset, sororem ducere in uxorẽ*, responderunt magi, *de hoc quidem se legem non habere, illud tamen se in legibus*

*gibus Persarum invenire, regi licere, quod liberet.*

*Sigonius* in genere regium imperium legibus solutum dixit *lib.* 1. *de Repub.Heb.cap.*5. & regem vocavit, qui omnia ex voluntate gerit. In cujus rei probationem affert locum ex 1.*Sam.*8,11. *hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq́; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorũ, & messores segetum, & fabros armorum ac curruum suorum: filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas: agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.*

*Objectio ex 1.Sa.8,11.*

*Locus Samuelis recte explicatur.*

Sed hæc non est sententia axiomatis politici, neque ea in historia *Samuelis* innuitur. Ibi enim, ut ex *vers.*3.& 19. constat, non describuntur jura majestatis, sed quomodo reges jure suo soleant abuti, indicatur. Deus enim ridet insanientis populi *Israelitici* furorem, qui rejecto Dei imperio, quod per judices inter ipsos administrabat, regem optabat, cujus mores etiam inconditissimos perferre necessum esset habiturus, neque jugum semel impositum facilè excussurus.

Atque hanc interpretationem verba primùm in fontibus Hebraicis æquivoca reddunt probabilem. In Hebræo enim habetur *Misbath hammelech*. LXX. reddunt δικαίωμα βασιλέως des Königes Recht/ vocabulum *misbath* etiam de eo, quod injustissimum est, sed pro justo habetur, usurpatur, ut jus adulteratum *Ezech.*16,38. ita & hic jus regis appellatur, quidquid regi justum videbitur, etsi in sese sit injustum.

Deinde accedit populi responsio, qui sine summa impietate non potuisset negare, jura à Deo regi præscripta. Negavit ergò tales futuros esse regum mores, idque ab exemplo reliquarum gentiũ voluit confirmare, & ostendere, quàm commodè vivatur sub regibus, eamque commoditatem, (quæ est pacis tempore clemens judicium, in bello subditorum tutela) omnibus propositis difficultatibus longè superiorem esse.

Cùm ergò princeps solutus esse legibus dicitur, consideratur ut princeps; nam ut homo, obligatur utique legibus Dei & naturæ, verùm ut princeps, vivit quidem legibus, sed non obligatur. Vivere autem legibus politicis, non est oppositum ei, quod est esse legibus obligatum: imò solutum esse legibus, & obligatum esse legibus, hæc duo opponuntur.

Princeps igitur, quà princeps, vivit legibus à se vel antecessorib. suis politicè constitutis; & in tyrannidē degenerat, si legibus non vivit. Verissimum enim est, quod *Ambrosius ad Valentinianum Imperatorē* scripsit *epist.*32. *cùm leges præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi: siquidem naturalis æquitas postulat, ut idem jus omnibus ex æquo reddatur, quia diversitas juris in eadem Repub. parit discordiam;*

*discordia evertit Rempubl. ideò necessarium est, principem eodem uti jure, quod in alios statuit*, sicuti monuit & *Valerius Maximus lib. 8. memor. 6.*

Si dixeris principem ideò esse exlegem, quia multis fruitur privilegiis, quæ reliquis subditis nequaquam competunt, scire debemus, quòd hic considerentur jura principis, ex quibus quilibet principum æstimatur, & distant illa jura à privilegiis, quæ sunt jura singularia, atq; tantùm ex certis causis, tanquam præcipuorum meritorum prærogativæ principibus reservantur, quo respectu *Justinianus Imperator l. fin. de patern. proscript.* dixit: *qui suis consiliis, suisq; laborib. pro toto orbe terrarum die noctuq; laborāt, quare non habeant dignā sua prærogativa fortunā?* princeps ergò non in omnibus est privilegiatus, sed tantùm in aliquibus peculiari jure utitur, in cæteris vivit jure communi.

Etsi autem princeps *secundum leges vivere* tenetur; non tamen ipse *legibus obligatus est*, sed solutus: aliàs nulla respublica consistere posset. Certum enim est, à nemine posse legum sanctiones mutari, quàm ab eo, qui legibus solutus est; nam qui sub lege est, & eidem obligatus, ab observantia legis recedere nequit, aut novam legem, veteri abrogatâ promulgare, cùm non habeat legum condendarū facultatem. Certum & hoc est, leges sancitas respicere Reipubl. salutem, atque hanc pro temporum & circumstantiarū varietatibus insigniter variare, ac proinde leges temporibus esse obnoxias, unde lex una civiliter sancita vix reperitur, quæ sit omnibus temporibus accommodata.

Quæ in pace lata sunt, plerumque non valent in bello, & quæ in bello valent, vix locum habent tempore pacis. Vt ergò leges pro salute Reipubl. mutari possint, necesse est principem solutum esse legibus; quæ & non alia est politici illius axiomatis sententia. Ita apud *Dionem* 58. legimus, quòd senatus *Romanus Octavium Augustum* omni legum necessitate solverit, ut verè cum plenâ potestate, perfecteque sui juris, legibusque solutus agere aut non agere omnia posset, suo pro arbitrio.

Summa ergò responsionis hæc est, *princeps ut homo, seu ethicè consideratus est sub lege, quin & ipse sibi lex est, & quod subditis præscribit, ipse primus observat: sed princeps, ut princeps, seu politicè consideratus, est solutus legibus, ut ipse pro salute Reipub. leges ferre aut mutare possit.*

## CASVS V.

### *Num magistratus causas subditorum in judicio audire decidereque debet, etiam instituto ordinario processu?*

RESp. Negant hoc *Anabaptistæ & Photiniani*, propter verba Christi:

sti: *ei, qui tecum in judicio vult contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium Matt.*5.*v*.40.& propter illud *Apostoli: si vos judicabitis mundum, indigni estis, qui de minimo judicetis?* item: *omninò delictum est, quòd judicia habetis inter vos: quare nõ magis injuriã accipitis, quare non magis fraudem patimini?* 1.*Cor*.7,2.7.

Patrum aliqui etiam judiciis forensibus Christianorum iniquiores fuerunt, quorum testimonia citat *D. Chemnitius part.*2.*L.C. loco de vindicta fol. mihi* 146. *seqq.*

*Affirmativa subscribitur.* Nostra verò est sententia, præcipuum esse officium magistratus politici, audire ac dignoscere causas subditorum in judicio, quia est defensio justa, quam subditorum bonis, famæ & existimationi debet. Quemadmodum ergò legitimam defensionem contra illatam iniuriã à magistratu petere licet, ita & petere fas est, ut causam nostram cognoscat, & nos iusta decisione à calumniis & iniuriis liberet.

*Rationes.* Scriptura clarè docet, iudicium politici magistratus non esse hominum, sed Dei 2.*Paral*.19,6. & Deum ipsum in congregatione deorum, seu in medio iudicum stare, & causas diiudicare. Præcepit etiam, ut controvertentes causas suas ad iudicium ferant *Deut*. 25, 1. & ambo coram Domino stent in conspectu iudicum *Deut*.19,17.

Et ne quis talia ad Iudaicum tantùm populum pertinere dicat, notandum, quòd Deus in octavo præcepto legis moralis prohibuerit falsa testimonia, quæ ad iudicia forensia pertinent: & in Novo Testamento sunt exempla eorum, qui etiam coram ethnico magistratu causam suam peregerunt, ut Christus ipse coram *Pilato Iohan*.18.*v*.23. *Paulus Actor*.25.*v*.8. accusatoribus suis respondet, *Actor*.13.*vers*.10. implorat contra insidias *Iudæorum*, defensionem publicæ potestatis, quin & ad *Romanum Cæsarem* appellationem instituit *Act*.25,10.

Quæ exempla docent, omnia remedia iuris, hoc est, defensiones, exceptiones, appellationes & similia rectè posse usurpari etiam à Christianis.

Huic doctrinæ non sunt opponenda verba Christi, *qui vult tecum in judicio contendere*, &c. non enim improbant actiones forenses, sed opposita sunt privatæ vindictæ, & commendant patientiam Christianam. Vult enim docere Christus suos, ne propter res terrenas nimis sint contentiosi, sed si viderint, se etiam operâ magistratus non posse res suas tueri, amittant potiùs adhuc plura, quàm, ut iniuriam sibi illatam ipsi ulciscantur. Non ergò prohibet uti iudiciis & legitima defensione magistratus, sed in defectu iustitiæ, iniuriarum potiùs patientes, quàm vindictæ cupidos nos esse voluit. *Respondetur ad opposita ab anabaptistis & Photinianis. Ad locum Matth.*5. *v.*40.

Locus *Apostoli Pauli* etiam nihil obstat nostræ sententiæ. *Apostolus* enim non simpliciter prohibet iudicia politici magistratus, quibus ipse quoque usus est, & magistratum Dei mini- *Ad dictum* 1.*Cor.*6. *v.*2,7.

ministrum vocat *tibi in bonum Rom.* 13,3. hoc est, tuum in commodum, ut habeas legitimam tui defensionem: sed erat aliquid aliud, propter quod *Corinthios* reprehendebat 1. quòd temerè alij alios injuriâ afficiebant, & sic parti læsæ occasionem præbebant litigandi cum fratre. 2. quòd pars offensa injuriarum erat impatiens, omniaque etiam levicula statim ad judicem ordinarium deferebat, cùm tamen Christianos mutua deceret condonatio, ex præcepto Christi: *remittite, & remittetur vobis Luc.* 6,37. 3. quòd lites inter se exortas statim ad Ethnicum magistratum deferebant, cùm satius fuisset, & nomine Christiano dignius, si inter se constituissent arbitros, qui rem componerent. Suadet igitur, ut potius à publicis litibus abstineant, & inter se privatim transigant, quàm ut delicta Christianorum coram judicio ethnici magistratus revelent, & se ludibrio infidelium exponant. Non ergò *Paulus* jus litigandi coram magistratu tollit, sed privilegium Christianorum urget, cujus illud cedere debebat, de quo potiùs remittere aliquid Christiani deberent, quàm nomen Christianorum ludibrio exponere apud infideles.

In quam sententiam verba illa exponit *Thomas*: *Apostolus* (inquit) *non prohibet, quin fideles sub infidelibus principibus constituti, eorum judicio compareant, si vocentur: hoc enim esset contra subjectionem, quæ debetur principibus: sed prohibet, quòd fideles non eligant voluntariè infidelium judiciū.* Et *Lyra*: *Apostolus non prohibet hic fideles sub principibus infidelibus constitutos comparere coram iis, quando vocantur: hoc enim esset contra subjectionem, quæ principibus debetur: sed prohibet, ne voluntariè recurrant ad judices infideles in negotiis illis, quæ determinari possunt per fideles.*

Concludimus ergò, licere magistratui, imò bonam partem officii sui esse, audire & dijudicare causas subditorum in judicio: sed non permittat odiosas rixas controvertentium, nec prorogationem processus immodicam, sed operam det, ut omnia, sine odio, aut convitiis partium, sine sumtu etiam nimio, quoad eius fieri potest, quàm citissimè componantur.

## CASVS VI.

### *An judex condemnare potest reum per testes legitimè convictum alicujus sceleris, quem tamen ipse certò novit innocentem.*

RESP. Quæstionem hanc tractant non tantum *Iurisconsulti*, sed & Theologi, inprimis *Pontificij*, ut videre est apud *Thomam*, 2. *secundæ quæst.* 67. *Lessium lib.* 2. *de instit. & jure cap.* 9. *dub.* 10. *Azorium lib.* 2. *institut. moral. c.* 17. *quæst.* 8. *&c.* & ex nostris apud *D. Gerhardum L. C. de magistratu tom.* 6. *th.* 221.

Diversæ

*Diversæ opiniones recensentur.* Diversæ autem sunt opiniones. Quidam existimant, simpliciter juxta acta & probata judicandum esse, etiamsi conscientia judicis cōtradicat, quia non judicat, ut persona privata, sed ut publica, ergò non debet sequi privatam, sed publicam scientiam.

Alii negant judicem juxta acta publica tutò judicare posse, contradicente sua cōscientia: ideò suadent in hoc casu omnia ipsi media tentanda esse, ut liberet accusatum, vel impediendo actionem, vel sæpius examinando testes, sicubi fortè varient. Si in his rationib. nihil effecerit judex, jubent eum rem remittere ad superiorem judicem, aut etiam personā judicis deponere, & testis assumere officium apud superiorem, etiamsi unico suo testimonio parùm efficiat, tantùm, ut conscientiam suam liberet.

Alii distinguunt inter causas *criminales & civiles*: in illis putant juxta conscientiam, in his juxta acta & probata pronunciandum esse, in quā sententia est *Lessius l.d.*

Alii distinguunt inter judicem *inferiorem* à quo fieri potest appellatio: & inter *superiorem* à quo appellare non licet. Illum dicunt secundum acta publica tantùm judicare debere.

Ut ergò certi quid de positā quæstione dicam, sciendum est 1. *quæ dicantur acta publica* seu acta & probata, 2. *quid intelligatur per conscientiam.*

*Quid intelligatur* *Acta publica* non sunt qualitercunque producta testimonia, etiam cum veritate pugnantia, & ad decipiendum judicem accommodata: sed verissimę probationes, quibus etiam conscientia judicis assentiri cogitur. Sunt enim acta illa nihil aliud, quàm assertiones veritatis: quæ contra veritatem sunt, nomine tenus saltem acta & probata appellantur. *his per acta publica.*

*Quid per conscientiā judicis?* *Conscientia judicis* est, non privata aliqua opinio in favorem vel odium rei, ex rumoribus vanis, aut præjudicio, aut etiam corruptione adversarii concepta: sed certa scientia, qua ex *αὐτοψίᾳ* aut aliis irreprobabilibus mediis judici de veritate constat. Et hæc scientia, quemadmodum veritas una est, ita & ipsa unica est, adeoque perperam inter scientiam judicis *privatam & publicam* à quibusdam distinguitur, quā distinctione etiam *Azorius* loco suprà laudato utitur.

*Judex indistinctè in omnibus controversiis secundum conscientiā suā respondere debet.* His ita præsuppositis, dico: judicem distinctè in omnibus cōtroversiis secundum conscientiam suam respondere ac decernere debere. 1. quia clari juris divini est: *insontem & justum non occides, quia aversor impium Exod. 23,7.* Si verò judex ex infallibilibus argumentis innocentiam accusati sciret, & tamen, quia acta ipsum reum facerent, condemnaret, is insontem & justum occideret. Fieri enim potest, ut accusatus falsis testimoniis, aut incuria sui advocati prægravatus fuerit, quæ certè judex conscientiæ suæ anteponere non debet.

2. Nemo contra veritatem sibi certò compertam statuere debet, inprimis judex, qui debet esse vir bonus & veritatis amans, *Exod.* 18, 21. aliter autem dicere, quàm scias, est mendacium, ut docet *Aristot. lib.* 4. *Eth. Nicom. cap.* 7.

3. Finis judiciorum est veritas ac justitia: si verò judex aliter decideret, quàm in conscientia sua compertum habet, tantùm, quia acta aliter habent, finem illum judicii minimè assequeretur.

4. Ideò probationes instituuntur in judicio, ut judex de veritate rectè informetur; si verò probationes certæ suæ scientiæ non correspondent, sequi eas non tenetur, quia hac ratione corrumperetur magis, quàm informaretur.

5. Juris naturalis est, secundum ipsius rei veritatem judicare; juris gentium autem est, secundum acta: jam verò *jus gentium derogare nihil potest juri naturali.*

6. *Pilatus* secundùm deposita testium, quorum testimonium falsum esse sciebat, judicans & condemnans Christum ab omnib. pro injusto judice habetur: si enim secundum conscientiam suam judicare voluisset, Christum absolvere debuisset. De similibus idem est judicium.

Ex his fundamentis arbitramur tutius esse judici, non semper sequi in dicenda sententia, acta publica: sed tum demum, quando acta exploratissimæ suæ scientiæ respondent.

Objicitur dictum *Ambrosii ex serm.* 20. *in Psal.* 118. *bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges & jura pronunciat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum aut meditatũ domo defert: sed sicut audit, ita judicat, & sicut se habet negotij natura, decernit, obsequitur legibus, non adversatur, examinat merita causa, non mutat.*

Sed nihil aliud vult *Ambrosius*, quàm judicem nihil ad suum arbitrium decidere debere, sed prout leges & jura requirunt; hoc est, *secundum veritatem.* Sed veritas non semper reperitur in actis publicis: ideò nihil pro arbitrio suo facit, si exactissimam suam de ista re scientiam cum actis & probatis confert, & secundum veritatem, quam perspectissimam habet, non autem secundum affectus suos aut præconceptas opiniones, judicium dirigat.

## CASUS VII.

### *Quænam in genere sunt observanda magistratui in judicio ne peccet?*

RESP. Apostolus *Paulus Rom* 13. *v.* 4. magistratui gladium tribuit, quem non sine causa portat. Duplex autem gladius magistratus est, unus *judicij* alter *belli*. *Magistratus duplicem habet gladium, judicij & belli.*

*Gladium judicij* usurpat tempore pacis ac tranquillitatis publicæ, ut jus

ut jus & justitia conservetur, unicuiq; suum tribuatur, leges in vigore serventur, & quæcunq; alter alteri privatim infert damna, legitimè amoliantur.

Eadem ad rem publicis judiciis opus est, in quibus magistratus summus, post Deum, judex est, sive hoc judicium ipsemet, sive per delegatos administret.

Quo in genere, ut omnia rectè atque ordine fiant, semper sint judicibus in conspectu verba *Iosaphati* ad judices suos: *videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcunq; judicaveritis, ad vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non enim est apud Deum Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerũ* 2. *Paral.* 19, 6, 7.

Deinde quatuor specialiter sunt hîc necessaria. (1) *Autoritas in judice*, quem oportet habere potestatem in eos, quorum causas cognoscere vult, & in causas ipsorum. Potestatem habet *in personas*, si illæ suæ jurisdictioni sunt subjectæ; *in causas*, si illæ à judicio suo non sint exemtæ.

*Iudicium usurpatum quid?* Qui hanc autoritatem non habet, injuriam facit tum partibus, quarum causæ se ingerit, tum judici legitimo, cujus jus sibi usurpat, unde & *judicium usurpatum* dicitur, cujus sententia est irrita, & omnis actio nulla & inefficax.

Sex autem modis alter alteri subjectus est, ita, ut ab eo judicari queat, (1) *Ratione potestatis ordinariæ*, ut subditus suo regi; (2.) *Ratione potestatis delegatæ*, ut subditus proregi, aut consuli, aut alteri cuidam inferiori magistratui: ideò *Petrus subditos esse vult omni humanæ creaturæ, propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus, tanquã ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem autem bonorum* 1. *Petr.* 2. *vers.* 14. (3.) *Ratione compromissi*, cùm partes ex communi consensu se subjiciunt alteri, sive ut judici aliorum, sive ut arbitro. (4.) *Ratione delicti in alieno loco perpetrati*, locus enim facinoris, facit etiam locum judicii atque actionis. (5.) *Ratione contractus, domicilii aut rei*, de quâ contra possessorem agitur, ubi competens judex est in loco contractus aut domicilii. (6.) *Ratione injuriæ subdito alicujus principis illatæ.* Si enim superior ejus, qui injuriam fecit, interpellatus vindicare eam nolit, poterit id facere princeps ejus, qui injuriam accepit. Quicunque ergò magistratus his sex modis jus non habet in alterum, eius causam quoque in judicio suo audire & cognoscere non potest: & si aliquid de facto tentet, tota actio irritari potest.

2. Necessaria est *delatio causæ ad judicem, seu accusatio*, unde vulgò dicitur: *ubi non est actor, ibi non est judex*. Interdum tamen requirit utilitas Reipub. & miserabilium personarum necessitas, ut & salus subditorum, ut ex officio judex inquisitionem instituat, ubi vel species

mali vel rumor vulgi est instar accusatoris.

3. Necessaria est *certitudo in cognitione causæ*: non enim ex præconcepta opinione, non ex vulgi rumoribus, aut suspicione, multò minus ex odio aut favore dicenda est sententia, sed ex plena totius negotii cognitione, juxta illud *Sirac. c.* 11, *v.* 8. *priusquam audias, ne respondeas verbum.* Si secus fit, temerarium est judicium, cujus usitatè tres constituuntur gradus, videlicet cùm homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit: cùm pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis: cùm judex ex suspicione procedit, ad aliquē condemnandum.

*Judicium temerariū tres habet gradus.*

4. Necessaria est ad judicem legitimum *justitia in ipso actu judicij*; & hæc quàm plurima requirit: (1.) ut utraque pars audiatur. 2. Secundum leges judicetur. 3. Malitiosa litium dilatio, quæ non fit sine dispendio sumtuum, prohibeatur. 4. Ad compositionem amicabilem partes non vi compellantur, si tamen litigantes ipsi ad eam rem promti fuerint, judex non impediat, sed potiùs juvet. 5. Non permittat judex, ut homines contemtibiles in judicio à potentioribus convitiis proscindantur, in quem finem, si actor sibi fortè metuat ab accusati violentiâ, judex accusatum ad dandam cautionem de non offendendo compellere potest. 6. Nihil faciat turpis lucri aut privatæ vindictæ causâ, sed omnia ex animo, & propter sanctam justitiam, ut violentia avertatur ab oppressis, & cuique quod suum est, tribuatur, citra respectum personarum; puniantur pauperes, non quia pauperes sunt, & facilè opprimi queunt, sed quia mali & facinorosi, absolvantur ac defendantur divites, non quia divites sunt, sed quia innocentes, & justam causam habent.

Huc pertinent admonitiones scripturæ ad judices: *judicent populum justo judicio. Deut.* 16, 18. *judicate egeno & pupillo, humilem & pauperem justificate Psal.* 82, 3. *qui verò justificat impium, & condemnat justum, abominabilis est uterq; apud Deum Prov.* 17 *v.* 15. *Væ enim qui justificatis impium pro muneribus, & justitiā justi aufertis ab eo Esa.* 5, 23. *&c.*

## CASUS IIX.

### *Num judex eum ad juramentum adigere vel admittere potest, quem falsum juraturum, aut quod juravit, non servaturum novit?*

RESP. Ad juramentum nemo se temerè offerre debet: si autem à judice exigatur, nemo illud denegare potest, modò sciat, se non pejerare; quia juramentum finis est omnis controversiæ.

Fieri tamen potest, ut judex certis ex indiciis sciat, aliquem falsum jura-

juraturum, aut quæ juravit non præstiturum, tunc judex omnia media alia indagandæ veritatis quærere potiùs, quàm talem ad juramentum admittere debet; ne sciens & volens consentiat in perjurium.

Quòd si verò negotium nullâ ratione aliâ, quàm per juramentum componi queat, eo in casu admittere potest, cum præcedente sufficiente admonitione de cavendo perjurio.

Quod si jurans peieravit, omnis perjurii culpa penes ipsum residebit, qui falsum jurat: propter ejus enim levitatem officium judicis, aut compositio litis cessare non debet.

## CASUS IX.

### *An judex bona cum conscientia accipere potest munera?*

*Munera sunt quadruplicia.* RESP. Munera, quæ dari possunt judici, quadruplicia sunt. 1. *Salarium*, 2. *expensæ*, 3. *sportulæ* & 4. *donariæ*.

*1. Salariū.* *Salarium* judex ordinarius petere & accipere potest, sed non à partibus litigantibus, verùm à magistratu, aut ex fisco publico. *Dignus enim est operarius mercede sua; & nemo propriis stipendiis militat.*

*2. Expensæ.* *Expensas* etiam accipit à partibus litigantibus, si in earum utilitatem peregrè proficiscitur: sumtus enim itineris meritò impenditus, cujus causâ iter susceptum fuit. Qui verò in loco suæ habitationis judicat, nullæ ei debentur expensæ, nisi probaverit, se propter commodum litigantium, evidens damnum in studiis aut re familiari perpessum: *æquum enim est, ut qui sensit commodum, etiam incommodum ferat.*

*3. Sportulæ.* *Sportulæ* sunt, quæ extra ordinarium salarium dantur judici à partibus, pro recessibus, pro sigillo, pro studio sententiæ & similibus, de quibus bonam partem accipiunt notarii & scribæ. Quæ si sint moderatæ, bonâ cùm conscientiâ accipiuntur, præsertim, ubi ordinaria salaria alioquin sunt tenuia: idque fit ex inveteratâ consuetudine loci, aut ex actibus ab ordinario judice præscriptis.

*4. Donariæ.* *Donaria* sunt, quæ judici privatim offeruntur, ad promovendam causam: Ea à nemine sunt exigenda: in oblatis verò accipiendis magna adhibenda est cautio. *Ante judicium accipi non debent*, ne quis sententiam vendidisse, hoc est, non secundùm veritatem, sed ex affectu pronunciasse videatur donariis corruptus, quâ de re Dominus in lege dicit: *non accipies personam aut munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorū Deut.* 16, 19. & iterū: *maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis Deut.* 27, 25. & apud *Esaiam* reprehenduntur principes populi, *quòd omnes diligant munera Esa.* 1, 23. & *væ, qui justificatis impium pro muneribꝰ, & justitiam justi aufertis ab eo*

*Esa.* 5, 23. & noti sunt usitati versiculi, qui habentur in glossa capituli, quatuor modis *cap.* 11. *quæst.* 3.

*Quatuor ista, timor, odium, dilectio, census,*
*sæpè solent hominum rectos pervertere sensus.*

Si verò *post judicium* & latam sententiam *aliquid honorarii loco*, & pro adhibito studio in promovendo negotio, judici offeratur; *tanquam grati animi significatio, tutò potest accipi*, modò non ad debitum exigatur, nec, si nihil detur, ægrè feratur. Semper enim opera danda est judici, ut cum *Samuele* dicere possit: *loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum, num quemquam calumniatus fuerim, num oppresserim aliquem, num de manu ejus munus acceperim? & contemnam illud hodie, eiq́; restituam* 1. *Sam.* 12, 3.

## CASUS X.

### *Quæ sunt observanda magistratui bella gerenti, ut bonam retineat conscientiam?*

Resp. Præsuppono hîc, licere magistratui Christiano bella gerere, quod alibi contra *Anabaptistas* veteres & recentiores demonstratum fuit.

*Magistratui licet bella gerere.* Nobis hîc sufficit meminisse, *gladium belli* etiam magistratui à Deo datum esse *in commodum seu defensionem bonorum, & in vindictam malorum, Rom.* 13, 4. & pertinent bella ad vindictam publicam, quam Deus ipse per magistratum politicum exercet, vel ad propulsandam vim injustam, vel ad compescendos rebelles subditos, vel etiam ad puniendos grassatores: ideò ritè militantes ipsemet gladium usurpare jubet *Exod.* 23. 7. *manusq́; eorum ad prælium docet Psal.* 143, 1.

Cùm autem bella sint in sese severissima pœna Dei, quâ visitat peccata populi, ideò ex permissione Dei multa quoque secum trahunt vitia, ut avaritiam, furta, rapinas injustas, vagas libidines, blasphemias, incendia & devastationes regionum, cum innumeris aliis. *Bella multa secum trahunt vitia.*

Ideò operæ pretium est, annotare cautiones observandas tam magistratui, qui bellum indicit, quàm reliquis, qui ei serviunt, ut militia bona geratur cum conscientia.

[*Ad justum bellum tria requirit Thom.* 2, 2. *q.* 40. *art.* 1. *autoritatem indicentis, justam causam & rectam intentionem.*]

Primùm omnium videat magistratus, ut *jurisdictio ejus indicēdi bellum sit fundata*: nam si inferior magistratus indicit bellū superiori offensivè, non est bellum, sed seditio.

*Deinde causam belli justam habeat.* De justa belli causa per remotionē ita disserit *Francisc. de victoria relect.* 6. *q.* 2. *causa justa belli non est diver-*

*diversitas religionis: nam neque Iudæos neque gentiles licet bello aggredi, ut fidem Christianam suscipiant: non est justa causa belli amplificatio imperij: non enim licet ad bona temporalia homines occidere: neque justa causa belli est, propria gloria aut commodum principis privatum: nec qualibet injuria bello vindicanda est, ne pœna modus excedat delictum.*

*Quænam sint justæ belli offensivi causæ?* De justis autem belli causis omniũ optimè ex scriptura judicari potest, ubi talia bellorum justorũ exempla occurrunt. *Omne bellum est species publicæ vindictæ.* Vindicta autẽ est peccatorum vel *primæ* vel *secũdæ tabulæ.*

In *prima tabula* justa belli causa erat olim *idololatria & manifesta blasphemia*, ob quam magistrat⁹ bellum indicere poterat, ne fortè doceant gentes populum Dei abominationes istas *Deut.* 13,12.20,18. Sed hæc causa pertinebat tantùm ad rẽpubl. Hebræorum, sicuti dicitur Deut 13. *si in una urbium tuarum exercetur idololatria*, & Judæi aliàs speciale mandatum habebant extirpandi gentes idololatricas *Deut.* 7,1 *seqq.*

In *secunda tabula* justa belli causa occurrit (1.) *Violatio pacti*, ita *Iosaphat* regi *Moabitarum* recedenti à pacto, bellum intulit 2. *Reg.* 3,7. (2.) *Violatio juris gentium, & notoria contumelia*, quam ob causam *David* bello persecutus est regem *Ammonitarum*, quia contumelia affecerat legatos ejus 2. *Samuel.* 10,4 (3.) *Raptus violentus seu invasio*, sicuti *David* bellum gerebat contra filium *Saulis* affectantem regnum 2. *Sam.* 3, 1. *seqq.* (4.) *Libertas patriæ*, quò pertinent bella *Davidis* contra *Philistinos* (5.) *Auxilium hostibus latum*, quâ de causa *David* bellũ movit contra *Syros* 2. *Sam.* 8, 5. (6.) *Neglecta vindicta contra facinus notorium*: quam ob causam bellum gerebatur cum *Benjamitis Judic.* 20. Et hæ sunt causæ belli *offensivi*.

*Exemplum belli defensivi.* *Defensivi* autem belli exemplum suppeditat *Abraham*, qui ad liberandum *Lothum* bellum prodiit contra quinque reges *Genes.* 14. *vers.* 14. *Machabæi*, qui pugnabant pro lege Domini, pro animabus, pro uxoribus ac liberis suis contra multitudinem contumacem & superbam 1. *Mach.* 3,20. Hoc ergò secundum est, magistratui bella gerenti observandum.

Tertiò videat magistratus, ut belli sui justum habeat: finem & rectam intentionem, quæ directa est ad pacem ac tranquillitatem: nam propter pacem suscipitur bellum. Et ut *Augustinus epist.* 207. loquitur: *pacem habere voluntatis est, bellum autem debet esse necessitatis, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur, ut bellum exerceatur: sed bellum geritur, ut pax acquiratur.*

*Prava intentio gerendi belli quænam?* Prava autem intentio est, quando cupiditate nocendi, crudelitate ulciscendi, feritate rebellandi, libidine dominandi, aliisque pravis affectibus bellum infertur ac geritur. Nemo ergò quærat occasionem bellandi, nemo lacessat alterum, sed pacem

pacem, quoad ejus fieri poteſt, habeat cum omnibus: laceſſitus etiam ſit pacificus, & omnia priùs tētet, quàm ad arma veniat, nihilque aliud, quàm pacem & tranquillitatem publicam quærat.

Quartò videat magiſtratus, ut & bellum juſtum, juſtè, rectè & legitimè geratur. Nam quemadmodū ſæpenumero in judicio cauſa bona malè agēdo perditur: ita victoria in bello etiam juſto interdum amittitur, dū nō rectâ ratione geritur, quod teſtatur exemplum *Iſraelitarum Ioſ.* 7, 4.

*Recta ratio gerēdi bella ſeptem involvit.* Recta autem ratio gerendi bellum hæc eſt: (1.) Familiam ducat *pietas*, ut initium belli fiat ab invocatione, quâ juſta belli cauſa Deo ſignificetur, & victoria ab ipſo petatur: quā ob cauſam Deus etiam ſacerdotem intereſſe voluit exercitui *Deut.* 20, 2. exempla extant 2. *Paral.* 20, 3. *Exod.* 17, 11. *Eſa.* 37, 15. 1. *Macc.* 3, 44 *&c.*

(2.) Cum pietate conjuncta ſit vera *humilitas*, ne ſuperbiamus ob potentiam & multitudinem populi, ſicut undecim tribus *Iſraelitica*, quæ propterea in bello juſtiſſimo contra *Benjamitas* aliquoties ſuccubuerūt.

(3.) Non tolerentur in exercitu notoria flagitia, furta, rapinæ, vagæ libidines, blaſphemiæ in Deum, & ſimilia, propter quæ venit ira Dei ſuper homines, & inprimis ſubtrahitur benedictio militantibus, ut docet exemplum *Iſraelitarum Ioſ.* 7. *v.* 12. *Num.* 4, 24.

(4.) Accedat *integritas animi*, ne gerantur bella ex vitioſa cupiditate, aut temerariâ iracundiâ: hoc enim eſt bella velle, contra quos *David* orat: *diſſipa gentes, quæ bella volunt Pſal.* 68, 31. non ſæviatur in arbores & ſata *Deut.* 20. *verſ.* 19. non opprimantur innocentes iniquis expilationibus, juxta illud: *contenti eſtote ſtipendiis veſtris Luc.* 3. *v.* 14. neque etiam quilibet à magiſtratu ad pugnādum cogatur: nam in lege remittitur militia novellis ſponſis, ædificantibus, timidis *Deut.* 20 *v.* 7. 8.

(5.) Vera adſit *fortitudo animi*, ne paveſcat cor ducum, unde facilè molleſcere poteſt cor reliquorum militum *Deut.* 20, 3.

(6.) Victoria quoque non quæratur in robore aut multitudine exercitus, ſed ſolùm à Domino, qui *æquè juvare poteſt per paucos, ac per plures* 1. *Sam.* 14, 6. *& equus quidem paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit Prov.* 21, 31.

(7.) Denique poſt impetratam victoriam, gratiæ agantur Deo, qui manus militum præliari docuit, quemadmodum *Moſes* ædificavit Domino altare poſt pugnam cum *Amalecitis Exod.* 17. *v.* 15. & *Debora* victoriam contra *Siſſeram* peculiari cantico prædicavit *Iud.* 5.

CASUS

CASUS XI.

## *Quid faciendum ſubditis, ſi à magiſtratu militare jubeantur, dum adhuc juſta belli cauſa non omnibus conſtat?*

RESP. Ad juſtum bellum juſtam requiri cauſam, antea diximus. Cùm ergò bellum gerẽdum eſt, cauſa ejus à ſapientibus & conſcientioſis viris, qui nihil ex irâ, odio, aut cupiditate faciunt, diligenter examinãda eſt ad mandatum magiſtratus: vulgares verò milites ad conſilium nõ vocati, examinare cauſas non tenentur, ſed hos aquieſcere decet in ſuperiorum, tanquã partis melioris judicio, non enim expedit, ſubditos quos vis in arcana principum inquirere.

Dum ergò ſubditus de cauſa belli dubitat, à principe autem aliàs non malo ad bellandum vocatur, parere tenetur, quia ſatis eſt, principem & eos, quos in conſilium adhibuit, noſſe bellum hoc non eſſe injuſtum.

In hoc caſu vult *Auguſtinus* parere ſubditum etiam regi iniquè agenti: *vir juſtus*, inquit, ſi *forte ſub rege homine etiam ſacrilego militet, rectè poteſt, illo jubente, bellare, civicæ pacis ordinem ſervans cui, quod jubetur, vel non eſſe cõtra DEI præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt, ita, ut fortaſſe reum regem faciat iniquitas* [illegible] *lib. 22. cont. Fauſt. Manich cap. 75.*

Fieri autem poteſt, ut ſubditus certò ſciat, bellum, quod ſuſcipitur, injuſtum eſſe, & contra hanc claram ſuam ſcientiam militare non debet: ſemper enim injuſte facit, qui bellum injuſtum gerit, aut gerendo illi inſervit.

Quòd ſi de injuſtitia belli ei non certò conſtat, in conſcientia tamen dubius eſt, an rectè faciat, ſatius eſt, ſi à bello tali abſtineat, quàm conſcientiæ jugum imponat: *quidquid enim non eſt ex fide, peccatum eſt Rom.* 14. *verſ.* 23.

Plura de bello vide apud *Jodocum Lorichiũ in theſauro Theol. novo, voce bellum, &, an inferior magiſtratus bellum gerere debeat adverſus ſuperiorẽ,* vide in *comment. meo in epiſtolam ad Roman. cap. 13. part. 1. quæſt. 3.* nos hic compendium dicendi facimus.

CASUS XII.

## *Num in bello juſto mortem inferre, aut alio modo nocere licet innocentibus?*

RESP. Innocentes perſonæ in bello ſunt parvuli, mulieres, decrepiti ſenes, ſimplices agricolæ, pacifici hoſpites, & peregrini, & omnes clerici, niſi proba-

*Innocentes perſonæ in bello quæ?*

Ttttt tum

tum fuerit, eos quoquo modo hosti suppetias tulisse: Lex enim DEI generalis est: *insontem & justum non occides Exod.* 23. *v.* 7. & populo suo præcepit, ut, cùm civitatem aliquam cœperint, parcant gladio mulieribus, infantibus, jumentis & cæteris, quæ in civitate sunt *Deut.* 20. *v.* 14. Ecquis enim jure potest sævire in innocentes, qui nullo modo nos læserunt.

*Interdū in justo bello non potest ratio haberi innocentum.*

Fieri tamen potest, ut interdum in justo bello innocentum illorum ratio haberi nequeat, ut 1. cum in arce aut castello aliquo sunt aliqui innocentes, propter hos oppugnatio castelli, si justa ejus causa sit, intermitti nequit: dum ergò quidam innocentes petuntur, id per accidens, & præter intentionem oppugnatorum fit, qui propterea sunt excusati. Si verò in loco aliquo plures sint innocētes, propter hos intermittenda esset oppugnatio paucorum, ne in suspicionem crudelitatis incurratur.

2. Cùm innocentum bona, arma, & machinæ inservire videntur hosti contra eos, à quibus justè impugnantur, licitum est, etiam innocentum bona & arma eripere, modò vitæ ipsorum parcatur, fas enim est imminuere vires hostium, quocunque id modo fieri potest, ut pax & tranquillitas, qui est legitimi belli finis, recuperetur.

## CASUS XIII.

### *Suntnè etiam ecclesiasticæ personæ sub jurisdictione politici magistratus?*

*Aff.*

*Potestas est duplex: spiritualis & tēporalis.*

RESP. Omninò: Duplex enim est potestas *spiritualis & temporalis, ecclesiastica & politica,* quarum altera *episcoporum* est, altera *regum.*

Reges subditi sunt episcopis in spiritualibus; episcopi regibus in temporalibus: sub episcoporum autem nomine intelliguntur omnes clerici.

*Quod clerici sint sub potestate magistrat⁹ politici probatur.*

Quòd autem clerici sint sub potestate magistratus politici, clarissimis verbis testatur Apost. *Paulus*: *omnis anima*, inquiens, *potestatibus sublimioribus subjecta sit. Roman.* 13. *v.* 1. In quæ verba hunc in modum commentatur *Chrysostomus*: *ut ostenderet: quòd omnibus ista præcipiantur, & sacerdotibus & monachis, non secularibus tantum, statim initio manifestum hoc fecit, sic dicens: omnis anima potestatibus supereminentioribus subdita sit, etiamsi sit Apostolus, etiamsi Evangelista, etiamsi propheta, sive quisquis tandem fuerit: neq; enim pietatem subvertit ista subjectio.*

Deinde *Salomon* suo exemplo docet, magistratum potestatem habere in temporalibus etiam in sacerdotes, ipsumque Pontificem. Nam cum summus Pōtifex *Abiathar* perduel-

Digitized by Google

duellioni *Adoniæ* consensisset, declaravit, eum esse virum mortis, & ab officio deposuit 1. *Reg.* 2. *v.* 27.

*Exceptiones Bellarmini solvuntur.*

*Bellarminus* quidem contendit, *Salomonem hoc, non ut regem fecisse, sed ut Prophetam & executorem justitiæ divinæ lib. 2. de Rom. Pontif. c.* 29.

Sed nulla est hujus interpretationis ratio, nulla uspiam istius Propheticæ executionis fit mentio, sed ad potestatem suam regiam id ipse refert: *vivit Dominus, inquiens, qui firmavit me, & collocavit me super solium David patris mei v.* 24.

Regerit idem *Bellarminus, in veteri Testamento summa potestas fuit temporalis, in novo spiritualis, quia in veteri Testamento promissiones tantùm sunt temporales, in Novo autem spirituales & æternæ.*

Sed & hoc falsum est. Nam in utroque testamento potestas temporalis & spiritualis, in suo manebat circulo, ut neque temporalis potestas sacerdotalem jurisdictionem, neque spiritualis temporalem invaderet.

Tertiò, privilegia clericorum, quibus ex indultu politicorum magistratuum fruuntur, arguunt, quòd magistratus jus in ipsos habeat, quia communi auxilio & mero jure munitis exemtisque nullo privilegio vel extraordinario auxilio opus est.

Adde quod Christus ipse politico magistratui subjici voluit, etiamsi esset doctor ecclesiæ suæ, idq; tam in realibus, quia tributum dedit *Matth.* 17. quàm in personalibus, quia coram *Pilato* judicatus fuit, quem & potestatem divinitùs super se habere dixit *Ioh* 19.

*Magistratum noster jus suum in clericos exequitur per consistoria ecclesiastica.*

Notandum autem est, quòd in ecclesiis evangelicis magistratus jus suum in clericos exsequitur per consistoria ecclesiastica in reverentiam ministerii, nisi fortè fuerint criminalia, ubi persona clerici non attenditur, sed ut laicus coram magistratu accusatur, & pro re natâ punitur.

Contra hanc doctrinam sunt *Romanenses*, qui clericos omnes à jurisdictione judicum secularium exemtos esse statuunt, tam in criminalibus, quàm in civilibus, ut constat ex *Concil. Trid. sess.* 23. *c.* 20. *de reform. & ex dist.* 96 & 11. aliisq; quam plurimis locis.

Sed *Bellarminus* ipse fatetur *lib.* 1. *de cler. cap.* 28. exemtionem istam jure humano introductam esse, non divino, & nullum posse proferri Dei verbum, quo ista exemtio confirmetur: quod & verissimum est: imo verbum Apostoli *Pauli* expressè contrarium habet, quo omnem animam potestatibus sublimioribus subjectam esse docet *Rom.* 13, 1. Et jã olim legibus imperialibus constitutum & observatũ est, ut clerici de civilibus responderent apud judices seculares, & ab iisdẽ condemnarentur, si rei criminis essent inventi, ut habet *Novella ut clerici* 83. § *si tamen*, quod autem postea in reverentiã ministerii exemti sunt, id ab imperatoribus factum, & eo ipso certum est judiciũ, quòd penes magistratũ politicum potestas judicandi clericos in civilibus ac criminalibus fuerit;

quod latiùs deduxit *Guil. Barclaius de potest. Papæ in princ. Christ. c. 15.*

## CASUS XIV.

### *Si clerici sunt sub potestate magistratus politici, ergòne etiam tenentur solvere magistratui vectigalia ac tributa?*

RESP. Distinguendum est inter *personas* & inter *bona clericorum*. *Personæ* sunt exemtæ à contributionibus, quibus alii cives onerantur: quia stipendia ipsorum aliàs vix sufficiunt ad necessaria alimenta. De stipendiis autem suis tanquam alimentis necessariis, tributum dare non tenentur: idcircò *Num.* 18. legitur, Deum tradidisse sacerdotibus decimas, ut ipsi ei in altari servirent: de decimis ergò illis, quæ dabantur pro eo, quod altari inserviebant, nullum solvebant tributum, quia dabantur in alimenta.

Si autem extrema cogat necessitas, dum forte exhaustus fiscus est, & periculum ab hoste imminet, tunc quilibet intelligit, se æquè egere defensione, ac alios, proinde de suo etiam aliquid in commune conferre haud gravabitur. *Necessitas enim non habet legem, nec curat privilegium.*

*Bona clericorum* sunt duplicia aut *privata*, ut domus, ager, vinea, quæ quilibet in suum & suorum usum comparavit: aut *publica & communia* quæ ad totum collegium pertinent, ut sunt prædia, agri reditusque alii totius conventus, collegii, aut ærarii ecclesiastici.

De *privatis* bonis meritò solvuntur tributa, quia respectu eorum clerici æquè cives sunt Reipub. ac alii, eademque bona tandem in hæreditatem liberorum transeunt: proinde professores eadem cum aliis onera meritò ferunt.

Quoad *bona communia*, ea à tributis sunt exemta; quia nullius personæ sunt propria, & ad communem sustentationem clericorum pertinent. Ideò *Ioseph* cùm totam *Ægypti* terram obligasset, & tributariam fecisset, sacerdotum terram excepit, quam voluit esse liberam *Genes.* 47. *vers.* 22. & cum solverentur tributa regi *Persarum*, excepti sunt sacerdotes ac *Levitæ*, ut legitur 1. *Esdr.* 4, 27.

## CAPUT XV.

### *Num leges à magistratu politico latæ conscientias subditorum obligant?*

RESP. Hic non est in quæstione, an magistratus habeat jus in conscientias subditorum: hoc enim penes solum Deum est, qui ut corda renesque scrutatur; ita solus etiam conscientias cogere potest: is unus est *legislator, qui servare potest & perdere Iac.* 4, 12. sed hoc quæritur, an *Status controversiæ.*

tur, an subditi leges à magistratu latas scientes volentesque transgredi queant, etiamsi à nemine vel culpentur vel puniantur, à solâ tamen conscientiâ redarguantur?

Hoc modo proposita quæstio decisionem habet in authenticâ Apostoli *Pauli* Rom. 13, 5: *necessitate subditi estote, non solùm propter iram*, (seu metum pœnæ,) *sed & propter conscientiam*, ut ea sana & inviolata relinquatur: & in illo altero v. 2, 4: *magistratus est Dei minister, qui potestati ejus resistit, Dei ordinationi resistit.*

*Additur distinctio.* Sed hic distinctione opus est, partim *quoad leges*, partim *quoad obligationem earum.*

Si leges fuerint impiæ, ducentes ad ea, quæ sunt contra veram religionem, pietatem & bonos mores, conscientiam minime obligant: *oportet enim Deo plus obedire, quàm hominibus Act* 5, 29. Si leges sunt manifestæ omnibus, ita ut & sensus legis neminem lateat, earum transgressio non fit sine vulnere conscientiæ: speciem enim habet contemtus; & legum, & ipsius magistratus: sin verò aliquis talem legem latam fuisse, aut hunc ejus sensum invincibiliter ignoraverit, talis ignorantia excusat, & transgressor in conscientiâ suâ propterea non obstringitur. Si leges gravissima quædam, ad statum Reip. & tranquillitatem publicam pertinentia, perceperint, ea omnino conscientiam obligant, quia cum jure naturæ conveniunt, & jus naturæ cum divino, quod citra controversiam obligat conscientiam, coincidit. Sin verò leges contineant aliqua tenuiora, ordinem forte aut decorem in Repub. spectantia; si qui eas transgrederentur cum publico scandalo, sine dubio conscientiam violarent: si verò sine evidenti aliquo scandalo fieret, transgressio, non violarent.

Quod obligationem attinet, (1.) *quædam leges obligant simpliciter*, adeò ut nullo modo vel respectu ab earundem præscripto recedere liceat, ut leges naturales & divinæ; *quædam verò ex hypothesi*, quatenus violatio earum fit ex contemtu, lucri causâ nec sine scandalo. (2.) Quædam obligatio est *directa*, cùm lex immediatè est à Deo, quædam *indirecta*, cùm lex non quidem immediatè à Deo est, sed tantùm à personâ tali, cui Deus potestatem leges ferendi dedit. Huic enim obedientia debetur propter Deum cujus ordinationi resistit, qui tali personæ, tanquam vicario Dei resistit.

Constat ex his, quomodo leges civilium magistratuum in conscientiâ obligare dicantur, non directè respectu ipsius magistratus, sed Dei ratione, qui vult, ut ministros & vicarios suos in omni vitæ genere reverenter habeamus.

Plura de hac quæstione vide apud *D. Meisnerum lib. 4. de ll. sect. 1. q. 11. & D. Gerhardum L. C. tom. 6. de magistratu politico. art. 1. th. 267. seqq.*

## CASUS XVI.

### *Num magistratus bona cum conscientia jus venandi solus usurpare potest, adeò ut à lios, qui hoc jus invadunt, puniendi potestatem habeat?*

*Aff.* *Jus venandi primùm fuit commune.*

RESP. Deus in primâ creatione pisces, volucres & bestias terræ subiecit homini, sine ullâ distinctione honoris aut dignitatis, sicut scriptum est *Gen.* 1,28: *dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Et hoc dominium fuit pars secundaria imaginis divinæ, ad quam homo fuit conditus, quod, licet valde imminutum, mansit etiam post lapsum, ut constat ex *Gen.* 9,3.

Hinc etiam venationes fuerunt primùm communes, quas quilibet pro lubitu, non tantùm in suo, sed & in alieno territorio instituebat, quemadmodum *Esau, Gen.* 27,5. & etiamnum hodie apud *Turcas,* & alios quosdam populos cuicunque liberum est, in suo fundo venari.

Sed cùm humanum genus multiplicaretur, ut nonnulli in reges atque principes eligerentur, cesserunt quædam *vel præmii vel recreationis* gratiâ ex dominio communi in usum proprium, quæ usitatè *regalia* vocantur, ut sunt vectigalium, salinarum, aliarumque rerum proventus, quò etiam pertinent venationes, quæ exercentur in saltibus & nemoribus, tanquam in locis publicis, ad principem pertinentibus. Unde scribit *Cranzius in lib.* 3. *metrop. cap.* 36. *quòd antiquitus observatus fuit honor summis principibus, & illis venatio cervorum & sublimium ferarum propria competat.* Nemo ergò illis uti ausus fuit, nisi ex concessione principis, aut superioris, cuius est benè meritis aliquid de peculiaribus suis juribus concedere.

*Regalia.*

Triplici ergò jure privilegium venandi cessit principibus: 1. *jure compensationis,* quia populus id, quo ipse quoque uti poterat, lubens cessit principi, in compensationem laborum ac vigiliarum, quas princeps habet pro populo. 2. *jure occupationis:* nam dum alii jure suo non sunt usi, vel quia non potuerunt, vel quia non curarunt, vel quia sumptus impendere non potuerunt, principes & optimates populi usi sunt, & sic quæ usu omnibus communis fuit venatio, propria facta est occupantis. 3. *jure præscriptionis.* Nam quod penes principes ab antiquissimis temporibus, etiam in populo Dei, jus venandi fuerit, ex historiâ *Salomonis* constat, cujus mensa regia ferinâ fuit semper instructissima 1. *Reg.* 4. *v.* 23. quò pertinet id, quod Dominus de rege *Nebucadnesare* dicit: *bestias terræ dedi ei, ut serviant illi Ierem.* 27. *v.* 6: 28. *v.* 14. *& Daniel: bestias agri & volucres cœli dedit Deus in manu regis Dan.* 2. *vers.* 38.

*Privilegiũ venandi tripliciju re cessit principibus*

Possunt

Digitized by Google

*Cautiones observãdæ, secundum quas reges & principes jure suo venandi uti possunt.*

Possunt ergò magistratus superiores, hoc est, reges atque principes, & qui partem aliquam de iis participãt, hoc jure suo uti, (neque enim Christianorum est, sua principibus eripere regalia) sed observatis certis cautionibus.

1. *Fiat venatio legitimas ob causas*, videlicet (1.) honestæ recreationis causâ (2.) ad minuendas noxias bestias, ut homines & sata terræ sint in tuto (3.) ad parandum victum mensis principum, sicut in aulâ *Salomonis factum* 1. *Reg.* 4. *&c.* perniciosa autem est venatio, quę fit cum pernicie subditorum.

2. *Ne sint in venatione nimiy cum neglectu justitiæ*, cum gemitu viduarum ac orphanorum, quorum causæ non cognoscuntur, cum pernicie totius Reipub.

3. *Feras multiplicari non permittant*, *cum maximo satorum detrimento.*

4. *Venationes justo tempore instituant*, non sub concione, à quâ non tãtùm ipsi magnates, sed & quàm plurimi subditorum, quorum operâ in venatione indigent, abstrahuntur.

5. *Fiant venationes absque damno subditorum*, non conculcentur segetes, & subditorum lacrymis principum pascãtur voluptates: sed si quid detrimenti cuiquam etiam ab invitis factum fuerit, illud justâ compensatione resarciatur: quod religiosissimum principem ac *Electorem Saxoniæ Fridericum III.* fecisse scribit *Lutherus in cap.* 25. *Genes. fol.* 339. *ita venabatur*, inquit, *ut nemini obesset, pluribus prodesset magis: si quando vel exiguum damnum datum intelligebat, solvebat id duplo. Sæpe etiam rusticis aliquos modios frumenti distribuebat, ut esset, quod feræ depascerent: id dignum est bono & laudato principe &c.*

Hæ regulæ moderari debent venationes principum.

Quod autem pœnas attinet, in temeratores saltuum, aut eos, qui feras invito principe debellant, de his certi quid statuant *Jurisconsulti.*

*De pœnis eorum, qui jura venãdi invitis principib⁹ invadunt.*

In genere dicimus (1.) non carere specie furti, si quis ea, quæ ex rationibus suprà laudatis principis sunt, invito principe, ad se rapit: proinde gravem pœnam effugere non potest. (2.) videndum an hoc factum sit ex ignorantiâ, an ex contemtu magistratus; an semel atque iterum; an ex proposito, an fortuitò: hæ enim & similes circumstantiæ minuunt vel augent factum, (3.) piis principibus laudabilius & conscientiis tutius est, pœnam illam non facere capitalem, sed si maximè leges civiles eam talem esse jubeant, per ἐπιείκειαν tamen eam mitigare, & in mulctam pecuniariam, aut carceris immutare convenit, hominis enim ad imaginem DEI conditi vita longè præstantior est, quàm mille cervi aut lepores.

Plura de venatione vide apud *Dominicum à Soto lib.* 4. *de just. ac jure q.* 6. *art.* 4. *Azorium part.* 3. *moral. li.* 5. *cap.*

*cap.16.D.Gerhard.L.C.tom.6.cap.7.th.419 seqq.Lutherum in cap. 25. Genes. Lorichium in thesauro Theol. nova, voce sera.*

## CASUS XVIII.

### *An pius magistratus bona cum conscientia in republ. ferre potest lupanaria?*

*Lupanaria quid?* Resp. Lupanaria sunt loca publica, ubi meretrices & prostibula corpore suo impunè quæstû faciunt. Ita dicũtur à meretricibus, quæ apud *Unde dicta.* *Romanos* appellabantur lupæ, ut est apud *Livium, qui 1.dec.lib.1.post princip. Laurentiam* vulgato corpore lupam inter pastores vocatam scribit: & apud *Plautum in Epidico act.8 sc.3.* lupa opponitur virgini : *devertunt mores,* inquit, *virgini longè ac lupa.*

Vocabant etiam *Romani* lupanar *Summænium,* quasi submæniũ, quia ferè sub mœnib⁹ esset, undè sunt *summæniana uxores* apud *Martialem lib. 3.epigr.40.& lib.12.epigr.32.* quæ corpora sua prostituebant.

Apud Græcos hæc loca varia sortiebantur nomina. Dicebantur *caleria, Celosta, Casalvia, Casauria,* quia meretrices, quæ hæc loca inhabitabant, dicebantur *Casalvæ & Casauræ, Casorides & Casoritæ,* ut annotavit *Tiraquellus ad cap.18.lib.4. Alexandri ab Alexandro genial.dierum.*

Hujusmodi impura loca tolerabantur passim apud gentes, quæ vel scortari non putabant vitium adolescenti, vel publicam hujus flagitii professionem loco pœnæ habebant; inter Christianos autem talia ne quidem audiri debẽt, juxta monitum Apostoli: *fornicatio autem & omnis immundities, aut avaritia nec nominetur inter vos, sicut decet inter sanctos Eph. 5.vers.3.* Ideò rectè facit pius magistratus, quòd neq; prostibula & lupas istas, neque lupanaria aut diversoria earum in repub. tolerat. *Probatur, quòd magistratus non debeat lupanaria tolerare.*

Nam (1) quæ manifestè sunt contra legem Dei, nec foveri, nec promoveri debent : scortationem autem & adulteria contra legem Dei esse, indubitatæ veritatis est : proinde non sine maximâ impietate iis, qui hoc faciunt, domicilia conceduntur, in quibus talia impunè patrant.

(2) Lupanaria pro certâ pecuniâ, (quam vectigal lactis den Milchzell vocant) elocantur, quæ à prostibulis solvitur magistratui, & communi fisco infertur. Jam verò non tantùm Deus in lege olim præcepit : *ne offeras mercedem prostibuli in domum Domini Dei tui Deut.23.v.14.* sed & leges civiles sanciunt, ut si quis inhonestos quæstus habuerit, eos restituere cogatur, ne honesta interpretatio non honesto quęstu lucrum possessori faciat, ut est *in ff. de petit. hæreditar.l.si possessor.*

(3) Leges civiles infamem dicunt mulierem, quæ seipsam prostituit,

ſtituir, & cum etiam, qui particeps eſt lucri. Ideò etiam *Iuſtinianus Imperator* meretrices vult prorſus eliminatas è civitatibus, in *authent.tit. de honoribus.*

(4.) Omne fomentum libidinum è conſpectu Chriſtianorum procul eſt removendum: per lupanaria autem certè libido incenditur, multique ad hoc peccatum alliciuntur, qui de eo aliàs ne quidem cogitaſſent. *Quis enim poteſt fovere carbones in ſinu ſuo, ut non ardeat? Prov.6.v.27.* quæ verba citans *Ambroſ.in Pſ.*119. addit: *quis exiſtimet, meretrices foveri poſſe in civitate, ut juvenes non ſcortentur?*

(5.) Sancti patres etiam abhorruerunt à lupanaribus. *Tertullianus* ea coram Deo execrabilia dicit; *Auguſtinus* vocat latibula fœditatis, & turpia loca *lib.*14. *de civitat. Dei cap.*18.*& lib.*18.*c.*21.

*Papa Romanus & clerici Pontificij lupanaria tolerant.*

Quæ cùm ita ſint, miranda eſt improbitas *Romani Pontificis* & totius *cleri papiſtici*, qui publica lupanaria in ampliſſimis civitatibus, quin & in ipsâ urbe *Româ* tolerant, quas ædes ſæpenumero non procul ab *eccleſiis* habent, ad iurisdictionē epiſcoporum aut prælatorum *Papalium* ſpectantes, uſque adeò *auri ſacra fames* eſt, & *bonus lucri odor ex re qualibet.*

*Ieſuitarum rationes, quibus defendere ſolent lupanaria.*

Et quanquam non deſunt inter cordatiores *Pontificios*, quibus ea res diſplicere videtur: *Ieſuitæ* tamen defendere lupanaria audent ſequētibus ratiunculis:

1\. 1. *quia inter duo mala minus eſt eligendum: tolerari lupanaria, ut parcatur honeſtis matronis.*

*Reſp.* Reſp. *Non ſunt facienda mala, ut eveniat bonum Rom.*3. quod de omni malo culpæ verum eſt, in quo nil prorſus quocunque etiam fine permittendum eſt. Nam, ut hoc de ſuo mihi largiatur *Auguſtinus ex lib. cōtr. mendac. cap.*9. *non committamus minora, ne alij majora committant, lato limite, imò nullo limite, ſed convulſis & remotis omnibus terminis infinito ſpacio cuncta intrabunt, & regnabunt peccata.* Sunt alii modi, quibus ſpurcorum hominum violentia ab honeſtis matronis arceri poteſt. Non tolerentur pigri ventres in repub. carcere & inediâ coerceatur ipſorum laſcivia, adulterium iuxta leges puniatur, & non erit, cur honeſtæ matronæ ſibi ab ipſis metuant.

*Exceptio ſolvitur.*

Sed dicunt, *Deum ipſum, ne ſequerentur graviora mala, permiſiſſe Iudæis libellum repudij.*

Verùm Deus facti ſui ſine dubio iuſtas habuit rationes, quas inveſtigare noſtrum non eſt. Non ergò videndum quid DEVS fecerit, ſed, quid nos facere iuſſerit: nobis enim, non ſibi legem dedit.

(2.) Adducunt quædam ex legibus civilibus quibus lupanaria conceduntur. 2.

*Reſp.* Reſp. Sed etiamſi mille leges citentur; nobis tamen maioris oportet autoritatis eſſe verbum DEI. Nam ut *Hieronymus ſcribit in Epitaphio Fabiolæ: non tam ſtudioſè jactanda ſunt jura civilia: alia ſcribit Papinianus;*

*nus;alia Paulus.* Nos supra eiusmodi allegatis opposuimus authenticam *Justiniani* de meretricibus in civitate non ferendis.

3. (3.) *Si tolerentur*, inquiunt, *meretrices, aliqua spes esset conversionis earum (Christus enim dicit ad Pharisæos: meretrices & publicani vos præcedent in regno Dei, Matth. 21. v. 31.*

Resp. Resp. Sed malè hinc infertur: ergò toleranda sunt lupanaria. Tolerentur sanè meretrices, sed non ut in sumtuosis ædibus habitent, non illustri pompâ in publicum prodeant, multò minus, ut in peccatis suis pergant, tales enim meretrices non habent locum, nedum præcedunt alios in regno Dei: sed peccare desinant, seriò resipiscant, abjecto omni corporis ornatu, habitu pœnitentium in publicum prodeant, sacris cœtibus se adjungant, verbum divinum studiosè audiant: hoc modo fortè in viam revocari queunt.

4. (4) *Tempore Salomonis* (inquiunt) *duæ erant meretrices in unâ domo 1. Reg. 3.*

Resp. Resp. Sed inde colligi non potest, quòd *Salomon* toleraverit lupanaria, nec probari potest domum illam fuisse lupanar; neque hîc quæritur, *quid factum sit, sed quid fieri debuerit.* Deus jam olim prohibuit, meretrices esse in suo populo: lex illa unà cum aliis disciplinæ partibus collapsa fuit tempore *Salomonis*, quod sapiens rex statim emendare non potuit: neque tamen fas est concludere, ubi sunt meretrices: ibi etiam esse lupanaria.

(5) Afferunt denique locum ex *Augustino*, qui *lib. 2. de ordine cap. 4.* scribit: *aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus: constitue matronarum loco, labe & dedecore dehonestaveris.*

Resp. Sed *Augustinus* ibi non jubet meretrices unà cum lupanaribus in civitate ponere, sed ubi jam sunt, eas etiam ordinem pro suo modulo absolvere docet, quemadmodum ea etiam, quæ sunt noxia aut deformia, ad ordinem pertinent in corpore aut repub. aliquâ. Resp.

Deinde etiam prohibet, ne, ubi sunt, in locum matronarum substituantur, sed in loco vilissimo relinquantur, quæ omnia nos minimè feriunt, qui contra lupanaria pugnamus, quæ *Augustinus* quoque improbat, ut suprà audivimus: proinde sententiam illam potiùs invertimus: *Ale meretrices in civitate, & omnia implebis libidinibus.*

Magistratus ergò Deum timens, quibuscunque modis mediisque potest, hæc inutilia terræ pecora unà cum lustris ipsorum à finibus suæ reipub. arcebit. Absit enim à pietate verorum Christianorum, vel speciem mali habere, vel quocunque modo occasionem mali præbere: timeant potius omnes *væ illud Salvatoris*, quod *in omnes scandala dantes*, magnâ severitate evibravit *Matth. 18, 7.*

* * *

CAP.

CAPUT XIII.

## *De Casibus Conscientiæ circa conjugium, & officia conjugum.*

### PROOEMIVM.

*Quid contineat status œconomicus?* Tertia hierarchia complectitur *statum œconomicum*, qui latè se diffundit, ad conjuges, ad parentes & liberos, ad dominos & servos, ad fratres ac sorores, & denique ad omnes, qui in communi vitâ mutuas sibi invicem præstant operas.

Multa hîc occurrunt, quibus conscientia lædi potest, si non justa adhibeatur moderatio in agendo. Proinde non abs re facturi sumus, si, quæ in istis omnibus incidunt, dubia excutiamus, & conscientias muniamus.

Initium autem facimus hoc in capite à coniugio, quod est fundamentum familiæ, sicuti familia fundamentum est reipub. & collegiorum omnium, quæ nihil aliud sunt, *Collegia & res publica quid sint?* quàm *legitima trium pluriumve personarum ejusdem conditionis sociationes*, definiente, *Bodino, lib. 3. de repub. cap. 7.*

Quæ ergò circa conjugium & conjuges occurrunt dubia, paucis hoc capite, juvante Domino, expediemus.

*****

CASUS I.

### *Num puriorem conscientiam habent, qui in cœlibatu vivunt, quàm, qui in conjugio?*

RESP. Affirmativam tenere nefas esse est omnes eos, qui conjugium opus carnis nominant, & in conjugio vivere, idem esse putant, ac in carne vivere, quemadmodum *Papa Siricius* olim voluit, *dist. 82. cap. proposuisti*, ubi verba *Pauli Rom 8: qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, ad conjugium traxit: vel qui virginitatem meritoriam faciunt, & quidem centuplo plus, quàm matrimonium, ut tempore *Hieronymi* ex de re doctum fuit. *Resp. Neg.* *Papæ Siricij opinio quod conjugium sit opus carnis.*

Abutuntur insuper verbis *Pauli*: *bonum est homini mulierem non tangere 1. Cor. 7, 1. & si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt, qui sunt hujusmodi v. 28. &, qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit v. 38.* *Alia objectio.*

Hinc in *Papatu* sacerdotes cœlibatum putant puriorem matrimonio, & ex voto cœlibatus opus perfectionis faciunt. In *concilio quoque Tridentino* anathemate percusserūt eos, qui negaverint, melius ac beatius esse, manere in virginitate aut cœlibatu, quàm jungi matrimonio: *sess. 8. can. 10.*

*Patres quidam coniugio iniquiores fuerũt, & eorum rationes.* Patres etiam nonnulli coniugio iniquiores fuerunt, & cœlibatum longè prætulerunt. *Tertullianus* cõsuetudinem coniugalem communem cõtumeliam vocat. *Tertulliani argumentum.* Eius etiam hoc est argumentum: *qui videt mulierem ad concupiscendam eam, adulterium committit coram Deo; ergo magis qui videt ad ducendam; & maximè, qui ducit, coram Deo adulterium committit.* *Hieronymi argumentum.* *Hieronymus* ita argumẽtatur: *si bonum est mulierem non tangere, ergo malum erit, eam tangere, nihil enim bono contrarium, nisi malum.* Ejusdem dicterium est; *nuptiæ terram, virginitas cœlum implet.*

Vt a. nostram, hoc est Scripturæ sententiam hac de re exponamus, distinguendum primùm est, inter virginitatem & cœlibatũ, quæ duo plerunq; in *papatu* confunduntur. *Matrimonio non opponitur virginitas, sed cœlibatus.* Non virginitas, sed cœlibatus opponitur matrimonio: nam virginitas complectitur castitatem & munditiem, quæ etiam in conjugio esse potest: non enim consistit in solâ abstinentiâ à muliere; sed vel in abstinentiâ, vel in moderato legitimæ uxoris usu.

*An cœlibatus quoad puritatem præferẽdus sit cõjugio?* Cùm autem cœlibatus confertur cum matrimonio quoad puritatem, exactè dicere non possumus quid statuendum sit. Vtrumque enim est ex rebus indifferentibus; potest in cœlibatu castitas servari ab iis, quibus datum est, potest etiã in coniugio: interim donum continentiæ seu virginitatis ita commendandum est, ne detrahatur cõiugio, quod est singularis Dei ordinatio, non tantum in progenerationem prolis, sed & in remedium libidinis instituta 1. *Cor.* 7. *v.* 1.

Quam ob causam dicimus, eos, qui in coniugio castè vivunt, puriorem habere conscientiam, quàm qui extra illud impurum fovent cœlibatum. Qui v. donum continentiæ habent, uti eo possunt: sed propterea non glorientur de aliquâ perfectione, omnia enim sunt dona DEI, cœlibatus & coniugium, quæ non nisi tempore tentationis probantur, ut *Augustin.* docet *de virginit. c.* 44.

Cœlibatus neminem commendat coram Deo, neque coniugium, sed animus castus & mundus, quem qui habet, æquè Deo gratus est, sive in coniugio, sive in cœlibatu vivat: nullus status est meritorius: nam & sancti reperiuntur coniuges & beatæ virgines.

*Paulus* utrumque absque peccato esse censet, *si acceperis uxorẽ*, inquit, *non peccasti: & si nupserit virgo, non peccavit*, 1. *Cor.* 7, 28. vicissim autem: *si quis suam servet virginem*, inquit, *benefacit v.* 37. quòd si vero in virginitate seu cœlibatu flammæ libidinis accesserint, *melius esse* censet, *nubere, quàm uri v.* 9.

Coniugium ergò pro statu impuro non habet, *neq; vivere in carne Paulo* idem est, ac *vivere in conjugio*, sed carnalibus desideriis teneri, & opera carnis facere, quæ Deus nec voluit, nec instituit, nec approbavit, quod de coniugio, quæ Dei ordinatio est, dici non potest. *Quid Paulus Rom. 8. nominet vivere in carne?*

Meritum,

…atis, neque cœlibatui, neque conjugio accepta ferenda est; sed solis laboribus ac passionibus Christi, in quas multis modis blasphemus & injurius est, qui vel cœlibatum, vel conjugium eligit, ut aliquid apud Deum mereatur: hunc enim horum vitæ generum finem ignorat universa Scriptura.

*Quomodo illud Pauli intelligendum: bonū est mulierem non tangere 1. Cor.7. v.1? bonum interdum idē est, atq; utile & conducibile.*

Quæ ex Apostolo *Paulo* allegantur, ad rem non pertinent. Dicit ille, *bonum esse, mulierem non tangere*, non quasi malum sit, uxorem non ducere, sed quia tum temporis, ob præsentem necessitatem, ut *v.26.* loquitur, non expediebat.

τὸ καλὸν bonum ibidem non est idem ac honestum, aliàs uxorem ducere, inhonestum foret, contra expressum *Apostoli* textum, τίμιος ὁ γάμος, *honorabile est conjugium Heb.* 13,4: sed idem est, ac utile & conducibile, in v.35. vocatur συμφέρον, eoque in significatu τὸ καλὸν etiam alibi usurpatur *Psal.*118 8. *Matt.*26, 24. *Luc.*10,24. Aliàs *Paulus* statim addit v.2. *propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, & unaquæq; virum suum.*

Eodem modo eos qui matrimonium contrahunt *tribulationem habere*, & eas, quæ non nubant, *melius facere*, scribit, videlicet *propter præsentem necessitatem, propter metum persecutionum & periculorum, propter fugam & exilia*, quibus illo tempore exposita erat ecclesia.

Præfertur ergò à Paulo cœlibatus conjugio, non quòd esset meri-peram exposuerunt aliqui, sed propter fines quosdam utiles, ut, quòd cœlibes tempore persecutionis sunt ad toleranda exilia liberiores *v.26.* quòd delitiæ conjugales in persecutionibus valdè breves sint & transitoriæ *v.29. seqq.* quodque cœlibes liberiùs vacare possunt rebus divinis, quàm conjuges, qui sunt rebus domesticis implicati, *v.32. & 33.*

Patres quod attinet, negari non potest, quòd eorum aliqui conjugio iniquiores fuerint, & textu Apostolico abusi cœlibatum propter præstantius meritum conjugio prætulerint; sed nec fecere hoc omnes, neque ipsorum judicium Scripturæ præferendum, & aliqui eorum, qui prætulerunt virginitatē conjugio, gravissimè et virginum superbiam efferentium se contra conjugatos, reprehenderunt quod imprimis *August. in lib. de virginitate* fecit: in cujus *c.26.* concluditur: *ipsam vitam æternam, & ipsum regnum cælorum communiter, & ex æquo dari omnibus, & conjugibus & virginibus, qui fide gratis propter redemtionem Christi justificantur.*

## CASUS II.

## *Num ministri verbi bonâ cum conscientia in conjugio vivere possunt?*

RESp. Notum est, in *Papatu* sacerdotes ad cœlibatum cogi, & si cœlibes adhuc sint, conjugium *Aff.*

ipsis non permitti, vel si conjuges fuerint, ad sacros ordines admissos, conjugibus suis uti prohiberi; ideò non initiantur prius, quàm uxor perpetuam castitatem voverit, ut patet ex *Extravagante de clericis conjugatis c. sanè, & dist. 32. can. seriatim.* post ordines verò sacros nemini uxorem ducere permittitur.

Verùm jampridem ostenderunt nostri impiam esse hanc prohibitionem, quæ conscientiis laqueum injicit, & multis impuritatibus occasionem præbet.

Etsi ergò ministris ecclesiæ non simpliciter necessarium est conjugium, & siquidem multi in nostro ministerio reperiuntur cœlibes & vidui: qui enim donum continentiæ habent, isto suo dono frui possunt, juxta monitum Christi: *qui potest capere, capiat:* liberum tamen cuivis esse statuimus, qui in ministerio vivit, matrimonio uti, quo opere nihil facit, quo conscientia ejus vulnerari queat.

*1. ratio, quia conjugium est ordinatio Dei.*

Primùm enim conjugium est ordinatio Dei sancta & religiosa, in statu innocentiæ facta, *Gen.* 1 v. 28. & post lapsum confirmata *Gen.* 8. v. 17. 19 v. 1. à quâ nemo est exclusus ullo Dei mandato, qui modò per naturam ad conjugium aptus est. Ubi autem Deus nullam in suis sanctionibus exceptionem facit, ibi & nos neminem excludere oportet.

*2. quia ministri ecclesiæ æquè opus habent remedio libidinis, ac alij homines.*

2. D. Apostolus conjugium constituit remedium libidinis 1. *Cor.* 7, 2. *propter fornicationem*, inquiens, *unusquisque propriam suam uxorem habeat.* Quod præceptum ex corruptione naturæ nostræ ortum est, cui æquè obnoxij sunt ministri ecclesiæ, ac alij homines: ubi enim idem est morbus, ibi eadem adhiberi potest medicina.

*3. quia sanctissimi in V. & N.T. viri in conjugio vixerunt.*

3. Negari non potest, quòd Patriarchæ, Prophetæ, summi Pontifices, sacerdotes & Levitæ, Apostoli quoque fuerint conjugati, quin & liberis dederunt operam, & tamen officium suum sacrum hoc opere minimè contaminarunt. Patriarcha *Enoch* ambulavit cum Deo, genuit filios & filias, & vivus raptus fuit à Deo *Gen.* 5. v. 22. 24. *Ezechiel* habuit uxorem *Ezech.* 24. v. 16. Summus Pontifex erat maritus, & operam dedit liberis, & tamen quotidiè adstitit altari in templo Domini ut constat ex *Exod.* 29. v. 38. *Num.* 28. v. 7. Levitici sacerdotes ex præscripto ducebant uxores virgines, non scorta, aut repudiatas. *Levit.* 21. 7. *Petrus* habuit uxorem, cujus socrus suæ mentio fit *Matth.* 8, 14. & annotarunt ecclesiasticæ historiæ scriptores, *Petrum* uxorem suam, cum ad martyrium duceretur, gravibus verbis adhortatum esse ad constantiam: *memineris, ò mea, tui Domini:* vide *Euseb. lib. 3. hist. eccl. cap. 30.* & *Nicephorum lib. 2. cap. 44.* *Paulum* etiam habuisse uxorem scribit *Clemens Alexand. lib.* στρωμάτ. & ante hunc *Ignatius epist.* 6. & postea *Eusebius lib. 3. hist. c. 30.* Ipse certè scribit, se potestatem habere circumducendi uxorem sororem 1. Cor. 9, 5. *Philippus* etiam, qui fuit unus ex septem

primis

quâ septem suscepit filias *Act.*21.9.

*4. quia episcopus debet esse unius uxoris vir.*

4. Adde quod Apostolus *Paulus* inter requisita boni episcopi posuit, ut sit unius uxoris vir, 1.*Tim.*3.*v.*1. *Tit.*1.*v.*6. quæ verba, ut *Lutherus in proposit. de digamiâ* scripsit, *negativè accipienda sunt, non positivè*, ita ut nõ teneatur episcopus habere unam, sed teneatur non habere plures fœminas, unâ cum uxore. Sic de diaconis dixit *v.*12: *sint unius uxoris viri.* Cùm ergo conjugium inter requisita ministrorum verbi ponatur, interdictum certè eis esse non potest.

*5. quia episcopus debet domui & familiæ suæ benè præesse.*

5. Præterea vult Apostolus episcopos habere filios benè educatos, domum & familiam, cui ipsi benè præsint: *qui enim domui suæ præesse nescit*, inquit, *quomodo ecclesiam DEI curabit?* 1.*Tim.*3.5.12. ergò conjugiũ eiusque usum, durante ipsorum ministerio, non prohibuit.

*6. quia Paulus, eum, qui maritatus est, requirit episcopum.*

6. *In epistolâ ad Titum c.*1,6. talem requirit episcopum, non qui fuerit tantùm, sed qui sit unius uxoris vir: in quem locum *Theophyl.* scribit, *vel eum, qui uxorem habeat, in episcopum suscipit: nam adeò honorabile est conjugium, ut vel ex eo possit ad sanctam illam episcopatus sedem adscendi.*

*7. quia prohibitio cõjugij est doctrina dæmoniorum.*

7. *In* 1.*Tim.*4.1. prohibitionem conjugij doctrinam dæmoniorum vocat, perstringens eos, qui conjugium vel omnibus, vel certo hominum ordini interdicunt, etiam iis, qui continere non valent, idque propter singularem sanctimoniam, & castitatis speciem, quam præ cæteris affectant, licet impurissimi: fieri, nemo negare potest. Hi enim conjugium vocant contaminationem carnis seu opus carnis, & clericis suis promiscuas potiùs libidines, quàm unam legitimam conjugem permittunt.

*8. quia jus Pontificiũ episcopos olim honestè conjuges fuisse testatur.*

8. Ex jure Pontificio constat, episcopos & presbyteros olim honestè conjuges fuisse, conjugibusq; usos. *can. Osius: & can. undecunque dist.*56. *& Gregor. de Valentiâ cap.*2. *de cœlibatu ex concil. Ancyrano can* 10. allegat; licuisse aliquando diaconis ex dispensatione matrimonium contrahere, post ordinationem; Idem *Valentinianus* refert, *Gregorium* subdiaconis *Siciliæ* concessisse uti uxoribus ante ordinationem ductis.

*9. quia pauci præditi sunt dono continentiæ.*

9. Qui donum continentiæ non habent, absque peccato occultarum ustionum, extra conjugium difficulter vivere possunt. Est enim continentia singulare Dei donum paucis concessum, ut constat ex *Sap.* 8,21. *Matth.*16,11. 1.*Cor.*7,7. Cùm autem in ministerio sacro vera castitas & sanctimonia sit necessaria, præstat conjugio uti, quàm libidines sentire, quemadmodum & Apostol. *Paulus melius* esse suadet *nubere, quàm uri* 1.*Cor.*7,9. *Est autem etiam in usu legitimi conjugij vera castitas*, ut *Paphnutius in concilio Niceno* clamavit contra eos, qui legem de cœlibatu sacerdotum fecerant, & colligi potest ex 1. *Tim.*2. *v. ult.* 1.*Thess.*4.4. 1.*Tim.*4.5. *Heb.*13,4.

Ex his fundamentis, (pluribus enim recensendis supersedeo) ec-

clesiæ

clesiæ minister animum suum solidare potest, quòd in ducendâ uxore non peccet, modò fiat in Domino.

Quæ à *Pontificiis* opponuntur, non sunt magni momenti, & passim alibi refutantur. Memorabile autem est, quòd cœlibatum suum iuris divini esse negant, & legem tantum ecclesiasticam vocant in *Concil. Trident. sess.* 24. *can.* 9. & tamen ex iure divino, hoc est, ex Scripturâ veteris & novi Testamenti pro eodem decertare audent.

Responsiones ad argumenta *Bellarmini, Pistorij* & aliorum, vide, si placet, *disp.* 18. *art. Smalcald. th.* 84. *& seqq.*

## CASVS III.

*Possuntnè post obitum coniugis iterari nuptiæ, inprimis à ministro ecclesiæ, quem Paulus vult unius uxoris virum esse 1. Tim. 3?*

RESP. Iteratæ nuptiæ sunt, cùm post obitum prioris coniugis, aut post separationem legitimè factam matrimonium contrahitur cum alterâ.

Tales nuptias damnarunt olim *Montanistæ* promiscuè in omnibus, licet ipsorum patriarcha *Montanus* duas simul uxores haberet in coniugio, *Priscillam & Maximillam,* teste *Nicephoro lib.* 4. *c.* 22.

*Opiniones* Alij non quidem damnarunt, dissuaserunt tamen, ac si quid incontinentiæ & impuritatis haberent, ut *Epiphan. hær.* 48. *August. de bono vidui. c.* 7. *variæ variorum.*

Alij iteratas nuptias ad minimum sacerdotibus interdixerunt, ut *Ambros. libr.* 1. *de officiis cap.* 50. *& Augustin. de bono coniugali c.* 18. *Hieronymus ad Gerontiam*, & hodie ex *Pontificiis Bellarminus lib.* 1. *de cleric. cap.* 23. *& Benedictus Iustinian. super cap.* 3. *prior ad Tim.* scribit; *secundas nuptias tum dignitati, tum sanctitati sacerdotij repugnare, eò, quòd parum pudici animi sit indicium.*

Docendum igitur 1. in genere iteratas nuptias post obitum prioris coniugis cuilibet esse concessas. 2. eas in specie etiam ministris ecclesiæ esse licitas. *Probatur, iteratas nuptias post obitum prioris coniugis cuilibet esse concessas.*

Prius membrum quod attinet, expresè docet Apostolus *Paulus* de iunioribus viduis: *volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias esse* 1. *Timoth.* 5. *v.* 14. quæ verba non tantùm suadent, sed & imperant viduis nuptias secundas, propter donum continentiæ paucis datum.

Deinde Apostolus *Paulus* docet, vinculum coniugale tantùm durare usque ad mortem alterius coniugis, per eam vero illud rumpi, & coniugem superstitem à priore coniuge liberam esse, ita, ut si post mortem coningis sit cum altero viro, non sit adultera *Rom.* 7, 2. 1. *Cor.* 7. *v.* 39.

Accedit postea consensus etiam eorum, qui aliàs secundis nuptiis interdum infensiores sunt. Ita enim scribit

scribit *Hieronymus in epist.* 11. *ad Gerontiam: Paulum* 1. *Tim.* 5, 14. *secunda, & si necesse esset, etiam tertia aperire matrimonia incōtinentibus, ut abstrahat à Satana.* Similia habet *Epiphan. hær.* 49. *Ambros. in* 1. *Cor.* 7. *Augustin. de fide ad Petrum cap.* 3. *sub fin.*

*Probatur ministris ecclesiæ licitas esse secundas nuptias.*

Posterius membrum quod attinet, nulla est ratio, quæ ministris ecclesiæ post obitum prioris conjugis vota secunda interdicere possit. *Paulus* quidem unius uxoris virum esse vult episcopum, non quasi mortuâ priore conjuge, aliam ducere nō debeat: sed prohibetur polygamia, ubi plures simul habentur conjuges. Vivebant enim inter Christianos *Iudæi*, qui ex inveterata consuetudine repudiatâ uxore priore, aliam superinducebant: quos quidem tunc tolerabat Apostolus, sed ad Christianismum conversos ad ministerium non admittebat: horum respectu *Paulus* voluit episcopum unius uxoris virum esse. Ut autem post obitum primæ uxoris, altera, vel etiam tertia ducatur, non prohibet. Ita exponunt locum Apostolicum de bigamis uno tempore, *Theodoretus in comm. in c.* 1. *ad Titum, & Hieronymus epist.* 83. *ad Oceanum.*

*Abraham* sanctissimus erat Patriarcha, & tamen alteram duxit uxorem, inviolato suo patriarchatu. Et si *propter debilitatem naturæ, opus habuerit quis, post obitū prioris uxoris, etiam alteram ducere*, ut *Epiphanius hær.* 48. loquitur, ratio hæc etiam in sacerdote militabit, qui ejusmodi debilitati etiam est obnoxius, cui per matrimonium succurrendum est.

Impudicitiæ speciem habere dicuntur iteratæ nuptiæ: conjugium verò semper est impudicitiæ remedium, si quis eo rectè utatur.

*Paulus* expressè scribit, mulierem post obitum mariti non esse adulteram, si nubat alteri viro, *Roman.* 7, 3. eadem est ratio viri: ergò in tali conjugio non potest esse species impudicitiæ; nisi dicere velis, conjugium cum prima uxore esse ordinationem Dei, cum secunda aut tertia non item.

Sed hæc sufficere existimo, quæ conscientiam in tali casu satis confirmare possunt.

## CASUS IV.

### *Quid si mulier impotentem aut diu ægrotantem haberet maritum, numquid, si continere ipsa non valeret, alteri viro se adjungere posset?*

*Dist. De impotentia.*

RESP. Impotentia & morbus conjugis diuturnus finem conjugii impedit, ideoque eos, qui se impotentes sciunt, & morbo tali laborant, qui finem conjugii impediat, abstinere à conjugio præstaret, quam sanas & ad conjugium aptas decipere, & jugo intolerabili involvere. Quod si verò inter tales personas

matrimonium jam consummatum fuerit, ob impotentiam naturalem, quæ ab initio & ante nuptias adfuit, separatio fieri potest, quâ declaratur, quòd inter has personas nullum fuerit conjugium, quia conjuges illi non potuerunt fieri una caro, ideò *Lutherus in lib. de vita conjug. tom. 2. Ien. Germ.* scribit, *hanc unicam esse, veram & probabilem rationem separandi conjuges.*

Oportet autem veram esse impotentiam ab utroque conjuge confessam, & per juramentum etiam, si opus fuerit, comprobatam, ne fortè ex tædio alterius conjugis, aut ex mutuo pacto prætendatur, ideò olim in *jure canonico causa 27. quæst. 1. cap. decreta Gregorius* statuit, ut uterque conjugum septima manu propinquorum jurejurando dicat, quòd nunquam per commixtionem carnis conjuncti una caro effecti fuissent, tunc mulier secundas nuptias poterit contrahere, vir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat sine spe conjugii.

Quod si autem impotentia post nuptias demum supervenerit, vel ex maleficio, vel ex alio aliquo casu, ea non statim separat conjuges, quia progressu temporis corrigi potest: ideo in separatione propter impotentiam plerumque biennium aut triennium exspectari solet, aut medicorum judicium requiritur: interea parti sanæ non licet se commiscere cum alio, sed donum continentiæ à Deo tanquam in casu necessitatis petere, & pro restitutione partis impotentis rogare debet: quo in genere officium fidelis conjugis, qui infirmitatis sui conjugis patienter ferre potest, præstabit. Si verò aliquis aut aliqua contraxisset cum impotente, de cujus impotentia ipsi probè constiterit, etiamsi vir uxori conjugaliter cohabitare non possit, separari tamen non debent, sed habeat vir mulierem, ut sororem; & mulier virum, ut fratrem, ut est in *jure canonico de frigidis & maleficiatis cap. consultationis.*

Citatur dictum aliquod *Lutheri ex captiv. Babylonica*, quo ægrè solent nobis facere *Romanenses*: quia suadet ibi *Lutherus*, si mulier impotentem habuerit maritum, ut cum consensu viri alteri misceatur, vel si vir consentire nollet, contracto matrimonio cum altero aufugiat in locum remotum. *Objectio Pontificiorū solvitur*

Sed hæc verba hodie non leguntur in *Luthero*, scribit autem vir Dei *in lib. de vita conjugali tom. 2. Ien. Ger. fol. 147. b. 148. a.* sibi à quibusdam objectum fuisse, quasi docuisset, mulierem, cui maritus in opere conjugali satisfacere non posset, ad alium se conferre debere. Sed vocat mendacium, & perversionem verborum suorum: ita verò se scripsisse ait: si mulier ad conjugium apta impotentem maritum nacta, nec tamen adustionibus libera esset, à marito suo postulare debere, quia ab ipso fuerit decepta, nec verum inter ipsos sit conjugium, ut con-

Digitized by Google

concedat sibi se conjungere cum alio viro, ex quo suscipiat liberos, mariti sui nomine, ne hæreditas perveniat ad alios: maritum quoque annuere debere, sin minùs, tunc demum suadet, ut clam ab ipso mulier discedat in loca peregrina, & ibi cum alio matrimonium contrahat.

Hoc fuit *Lutheri* consilium, primis illis annis, ubi vigebat adhuc *Papæ* potestas, quæ in causa erat, quòd non nisi longis processibus, & magnis sumptibus matrimonii talis dissolutio, cujus causa justa erat impotentia naturalis, impetrari poterat.

Et habuit pro se exemplum *Augustini*, à cujus partibus non libenter secessit. Is ad quæstionem, *an in casu desperatæ sterilitatis, cum consensu cõjugis, liceat ex alia prolem suscipere*, modestè *respondet in lib. de bono conjug. cap. 15. planè uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filij nascantur unius commixtione ac semine, alterius autem jure & potestate, apud antiquos patres fas erat; utrum & nunc fas sit, non temere dixerim.*

Fuit ergò consilium istud *Lutheri* privatum, quo cùm postea aliqui abuterentur, neglexit illud, sicut expressè scribit *in lib. de vita conjug.* Solchen Rath hab ich zu der Zeit geben/da ich noch schew war: eamque ob causam consilium istud in tomis eius hodie non ampliùs legitur. Quod ergò *Luthero* ipsi postea displicuit, nobis hodie immeritò objicitur. Hæc de impotentia.

Eadem ferè ratio est morborum. *De morbis.* Si enim morbus est naturalis impediens matrimonium, cui conjunx etiam ante nuptias fuit obnoxius, graviter peccat, qui tali morbo affectus conjugem ducit, hoc enim est spontè decipere innocẽtem, quæ propterea separationem petere potest, si morbus planè sit incurabilis, ipsáque sine cohabitatione viri vivere non possit. Sin verò ante nuptias alterutri conjugum de eiusmodi infirmitate alterius conjugis constitisset, cum patientia ferat crucem suam, quam defugere noluit, cùm potuisset: volenti enim non fit injuria. Si verò stante matrimonio demum morbus aliquis gravissimus & diuturnus conjugem obruat, ibi nullum habet locum separatio; sed patienter tolerandum est, quod Deus imposuit. Communes enim sunt conjugii calamitates, ut *Iurisconsultus* loquitur, *nihil tam humanum est, quàm in fortuitis casibus mulieris maritum & uxorem viri participem esse.*

Malè ergò fecit *Gregorius III. Papa dist. 32. q. 7. c. quod proposuisti*: qui marito, cujus uxor diuturna infirmitate laborat, cum aliâ contrahere permisit: quam sanctionem *Gratianus in jure canonico* sacris canonibus, imò Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ penitùs adversam appellat.

## CASUS V.

### *Num post legitimum divortium pars innocens bona cum conscientia ad secunda vota transire potest?*

*Affirm. Causa divortij.*

RESP. Legitimi divortii causam esse *adulterium*, testis est Christus *Matth.* 19, 9. alii plures addunt, ut desertionem, sævitiem, suspicionẽ veneficii, infidelitatem, & quæ sunt hujus generis, de quibus hîc non est dicendi locus, vide *Bezam in lib. de repud. ac divort. p.* 231.

*Canonistarum & modernorum Pontificiorum error.*

Quando autem legitimè factum est divortium, sunt, qui negant, parti innocenti nuptias secundas concedendas esse, sed eam in perpetuis flammis tentationum relinquunt. Faciunt hoc Canonistæ, ut patet ex *causa* 32. *q.* 7. *cap. quod Deus*, & *c.* 33. *q.* 2. *c.* 22.

Consentiunt hodierni *Pontificij*: *Bellarm. lib.* 1. *de matrim. cap.* 16. *Gregor. de Valent. tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 1. *de matrimon. secundum se punct.* 7. *Pererius disput.* 1. *in cap.* 7. *Rom. num.* 4. inprimis autem *Concil. Trident. sess.* 24. *can.* 7.

Si tamen incestuosum fuerit adulterium, etiam *Canonistæ* parti innocenti alteras concedunt nuptias, *caus.* 32. *q.* 7. referente *Beza de repudio & divort. pag.* 164.

*Augustinus* interdum parti innocenti nuptias secundas planè denegat, ut in *lib. de serm. Domini in monte c.* 25. & *in lib. de bono conjugali c.* 7. interdum ea de re dubitat, ut *in lib. de fide & bon. oper. cap.* 19. *in ipsis divinis sententiis*, inquit, *ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamẽ habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.*

*Patres quidã hic quoque hallucinati sunt.*

Nuptias secundas parti innocenti denegarunt etiam alii *patres, ut Origenes in cap.* 18. *Matth. Hieronym. ep.* 147. *ad Amandum, Ambros. in cap.* 16. *Lucæ* &c. quo suo rigore conjuges magis absterrere voluerunt à divortiis, & hortari ad mutuam reconciliationem.

Et hanc suam sententiam quibusdam muniverunt scripturis, ideò *Origen. l. d.* scripsit *permitti quidem aliquam nubere, viro priori vivente, sed hoc esse contra Scripturam.*

*Objectio 1. ex Rom. 7. 3.*

Produxerunt autem primùm locum Apostoli *Pauli ex cap.* 7. *ad Rom. vers.* 3. ubi scribitur: *mulierem, si vivente viro, fuerit cum alio, adulteram vocari.*

*Resp.*

Sed Apostolus eo in loco agit de conjugio in se considerato, extra casum divortii. Loquitur enim de individuo nexu conjugum, quorum nulla debet fieri separatio, dum vivunt, cùm autem per legitimam causam separati sunt, concedit parti innocenti nuptias cum alio 1. *Cor.* 7. *v.* 15. exemplo conjugii inter dispares in fide personas, ubi ex præcepto Domini desertam personam eximit à lege

à lege prioris matrimonii, etiam superstite personâ deserente.

2. Objectio ex 1. Cor. 7. v. 10.

Opposuerunt deinde locum ex 1. *Cor.* 7, 10. *iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Resp.

Sed hîc agitur de iis casibus, quibus ex præcepto Domini dimissio conjugis non est licita, ut si propter simultates aut liticulas aliquas conjuges statim dissiliant, ibi *Paulus* verum divortium non agnoscit, ideò in hoc casu parti discedenti aliud matrimonium non permittit; propter adulterium autem discessio est licita, ut Christus docet, *Matth.* 19, 9. Ergò si propter adulterium facta est discessio, persona discedens non tenetur manere innupta: jam enim vinculum connubiale æquè solutum est per adulterium, ac per mortem.

Plures objectiones enumerantur.

Alia quæ objicere solent, ut de individuo nexu conjugum ex *Matth.* 19, 8. de obligatione uxoris, quamdiu vir ejus vivit ex 1. *Cor.* 7, 39. de muliere devinctâ viro, quamdiu vivit ex *Rom.* 7, 2. 3. de incommodis, quæ ex nuptiis secundis, vivente adultero sequuntur, de charactere indelebili, qui in sacramento matrimonii, ut loquuntur, inprimitur, & per divortium non deletur, refutata reperiuntur in libello *Bezæ de repudiis ac divortiis p.* 157. *seqq.*

Optandum autem esset, magistratum suum facere officium, & procedere cum adultero juxta leges, quæ adulterium capitale faciunt *Levit.* 20, 10. ita quæstionibus ejusmodi opus haud fuisset. Dum verò multa adulteria manent impunita, consulendum est conscientiis, quòd videlicet pars innocens, & legitimè ab adultero aut adulterâ liberata, non peccet, si etiam vivente adultero aut adultera, alias contrahat nuptias.

Probatur, quod pars innocens nō peccat hoc in casu ad secundas nuptias transiens.

Primùm igitur hanc sententiam, quæ nostris in consistoriis retinetur, confirmat, quòd nisi parti innocenti aliæ concederentur nuptiæ, ea propterea in summum periculum conjicerentur, *vel perpetuæ ustionis*, quæ turbat preces, & alia pietatis exercitia, *vel fornicationis*, quæ adjunctum habet reatum æternæ maledictionis, atque sic nocentis pœnam luere iniquè cogeretur.

Divortium duo complectitur.

Deinde adulter aut adultera civiliter mortua est: quemadmodum ergò mors naturalis, conjugi superstiti secundas nuptias relinquit liberas: ita adulterium partem innocentem à vinculo conjugii ita absolvit, ut ei potestatem ducendi conjugem aliam non prohibeat.

Tertiò divortium duo complectitur, *dimissionem conjugis*, & *potestatem contrahendi cum altero vel altera*, quemadmodum olim repudiata alteri nubere poterat, modò non post mortem alterius mariti nubat priori, *Deut.* 24, 2. *Ierem.* 3, 1. *Lev.* 21. v. 7. *Ezech. cap.* 44. v. 22. Unde & in veteri formula repudii, quam *Iudæi* dare solebant repudiatis, potestas dabatur nubendi cuilibet

viro, ita, ut nemo prohibere possit.

Deniq; cùm Christus dicit *Matt.* 5. *mœchari eum, qui extra causam fornicationis aliam duxerit,* è contrario sensu nos colligere jubet, non mœchari eum, qui in causa fornicationis conjugem legitimè dimisit, & aliam duxit.

His de causis ecclesiæ nostræ parti innocenti post separationem iteratas nuptias permittunt, quas *Origenes excusat homil.* 7. *in Matt. Ambros.* marito innocenti concedit in 1. *Corinth.* 7. *Hieronymus* contractum tale matrimonium non dissolvit, in *epist. ad Amandum*, *Augustinus, an qui in tali casu adulteram duxerit, adulter factus sit*, dubitat, qui tamen patres omnes huic sententiæ aliàs iniquiores visi fuerunt.

## CASUS VI.

### *Numquid inter conjuges, post commissum adulterium, reconciliatio locum habere potest?*

RESP. Sunt qui existimant, teneri maritum adulteram uxorem, si resipiscat, in gratiam recipere; ubi eadem est ratio adulteri mariti: in quá sententia præ cæteris est *Augustinus in libris de adulterinis conjugiis*, quam his tuentur rationibus: ajunt: *Rationes affirmantiū.*

1. Velle Apostolum, ut uxor viro reconcilietur, ergò idem quoque flagitat à viro.

2. Christus adulteræ ignovit *Iohan.* 8. ergò & maritus ignoscere debet.

3. Deus ecclesiam spirituale adulterium committentem sæpè in gratiam recipit, imò blandè ad se invitat, *Ier.* 3. *v.* 1.

4. *David* uxorem suam *Michol*, quamvis alteri nupserit, repetiit, quia illa non ex propria voluntate, sed ex patris metu novas nuptias inierat.

5. Provocant ad autoritatem *Basilij*, quem in *epist. ad Amphiloch.* 1. *can* 9. & 21. sanciviſſe ajunt, retinendos esse à mulieribus maritos, etiam adulteros, & cum scortis sese volutantes, adeò, ut ea quidem, quæ marito ob eam causam dimisso ad alium virum transierit, adultera sit, quæ verò cum viro quopiam sic ab uxore dimisso, cohabitet, non itidem adultera censeatur.

Sunt vicissim alii, qui existimant, non debere aliquem mulierem adulteram, (eadem est ratio viri) in domo sua retinere. Nam *Salomon* dicit *Prov.* 18, 22. *qui tenet adulteram stultus est & insipiens*: & *Chrysostomus*; *sicut crudelis est, & iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus & iniquus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen uxoris.* *Rationes negantium.*

Prior sententia nimis videtur dura, cujus rationes refutavit *Beza de repud. & divort. p.* 177. posterior est probabilior.

Si

Si autem cum adultero procederetur secundum legem Dei, non opus esset hisce difficultatibus.

Non autem negamus, in tali casu tentandum esse diligenter reconciliationem, an pars innocens delinquenti præsertim ex infirmitate, remittere, eamque in gratiam recipere velit? Sin verò divortium petat, concedendum ei est, quia adulter vel adultera non est ampliùs una caro cum suo conjuge, dum jam una facta est caro cum altero, cum quo se illicitè conjunxit: & sic quemadmodum per legitimum matrimonium fit personarum conjunctio, ita per adulterium natura sua fit conjugum separatio, cùm in conjugio non nisi duo tantùm esse debeant in carne una.

## CASUS VII.

### *Quid faciendum conjugi desertæ, ut bonam retineat conscientiam?*

*Desertio est duplex: 1. Voluntaria.*

RESP. Desertionem *Lutherus* adulterio æquat, & legitimam divortii causam facit in *lib. de cauſ. matrimon. tom. 5. Jen. Germ. fol. 255.* Duplex autem est desertio, una est *voluntaria*, quæ fit cum consensu alterius conjugis, ut si quis cum consensu uxoris, militatum aut negogiatum abeat in oras peregrinas, cum animo revertendi. Hæc propriè loquendo non est desertio, sed tantùm discessio aliquam honestam ob causam, ad tempus instituta, ubi inter conjuges absentes adhuc viget amor conjugalis: ideò uxor absente marito fida manere, rem familiarem fideliter administrare, pro felici eius reditu orare, & ab omni specie mali interim abstinere debet. Altera desertio est *malitiosa*, cùm quis datâ operâ, vel clàm vel palàm ab uxore, ipsâ invitâ & reluctante discedit, ne animum redeundi habet. *2. Malitiosa.*

*Quinam pertineant ad genus malitiosæ desertionis.*

Huiusmodi desertores sunt 1. *Milites*, qui etiamsi cum conjugis consensu militatum abierunt, sed per annos complures hinc inde vagantur, nullam ampliùs conjugis curam habent, ne semel quidem per literas, aut per alios internuncios eam salutant, ita, ut ex certis indiciis constet, eos omnem maritalem, erga uxorem, amorem deposuisse.

2. *Milites mercenarii*, qui invitis conjugibus abierunt in militiam, nec animum revertendi habent, interim cum aliis mulieribus nimis suspectè vivunt.

3. *Temerarii peregrinatores*, qui absque justa causa in terras peregrinas abeunt, cōjuges & liberos domi absque omni maritali affectu relinquunt: hi si inter peregrinos in diuturnam captivitatem incidant, pro desertoribus etiam habentur in *Novella 117. cap. 11.*

4. Qui *uxoribus suis debitum conjugale*, etiam posthabitis omnibus admo-

admonitionibus pastorum & amicorum pertinacissimè *denegant*, pro desertoribus habeantur *a Luthero in lib. de vita conjugali*.

5. Qui *nimis crudeliter in uxores sæviunt*, & nullis mediis se emendari patiuntur, malitiosis desertoribus æquiparantur. Perinde enim est, sive à conjuge discedas, sive eam ita tractes, ut te quàm longissimè discessisse optet: utrobique enim maritalis affectus extinguitur.

Taliter ergò deserta in ordinario judicio solutionem à desertore marito petere potest.

*Leges præscribunt certos annos, quibus parti desertæ exspectandum.*

Sed ibi non nimiùm festinandum est. Leges certos præscribunt annos, quibus exspectandum est, si desertor peregrè abest, sed non semper æquales, interdum triennium, interdum septennium, interdum etiam decennium: nihil enim certi hîc præscribi potest, ob casuum varietatem.

Judicis ergò circumspecti officium est, ut pro circumstantiarum diversitate tempus divortii vel brevius vel longius constituat. Si uxor fuerit *morosa & importuna*, quæ pravis moribus marito fortè occasionem discedendi dederit: vel si fuerit *vetula*, in qua non sit periculum vehementiorum ustionum; ea diutiùs expectare, & ubinam sit maritus, diligenter inquirere, & reconciliationem petere debet. Si verò testimonium *probitatis* habeat, & *juvencula* sit, ei minor annorum numerus dari solet.

*Desertor per edictum in tribus diversis territoriis citatur, antequam parti desertæ alteri nubat.*

Postea per edictum desertor in tribus diversis territoriis citatur, qui ubi emanserit, pro derelicto vel mortuo habetur; & desertæ personæ potestas alii nubendi per sententiam conceditur, præsertim, si ipsam interim, absente marito, honestè vixisse compertum fuerit. Nam si maximè maritus adhuc vixerit, quod tamen & mulier & judex ignorat: tamen quia citatus non comparuit, pro adultero habetur, cui uxori suæ amplius cohabitare nunquam propositum fuit.

## Casus IIX.

### *Quid si verò desertor tandem redeat, & uxorem suam, quæ interim alteri nupsit, repetat, quomodo tunc consulendum conscientiis?*

Resp. Distinctione hîc opus est: 1. Inter matrimonium *incoatum & consummatum*. Si matrimonium tantùm fuerit incoatum per sponsalia, & superveniat maritus prior ex peregrinis oris, uxor cum desertore marito reconciliari, & ad eum, relicto novo sponso, redire debet. Nondum enim solutum est vinculum conjugii prioris, dum desertor redit, & veniam petit, fortè etiam justas diuturnæ emansionis causas habere potest. In *consummato* verò matrimonio cum alio marito, videndum

dum est, quâ de causa prior maritus tamdiu emanserit, etiamsi citat⁹ fuerit. Si fortè absque dolo malo, Reipub. aut negotiationis suæ causa abfuerit, retēto interim affectu maritali in conjugem, & docere possit, citationem in notitiam suam non pervenisse, mulier quoq; absq; magistrat⁹ autoritate & consensu cum alio contraxerit, tunc existimāt Theologi pariter & Jurisconsulti, uxorem teneri, ut relicto novo marito priori illi cohabitet, etiamsi ex posteriore etiā liberos susceperit: quæ est sentētia *Lutheri in lib. de caus. matrim. tom. 5. Ien. ger. f.* 250. ubi suadet, conjugem repugnantem in tali casu à magistratu etiā ad cohabitandum priori marito adigendā esse. In eādem sententiam scribit *Leo* 1. *epist.* 77. *ad Nicetam: si viri post lōgam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum conjugum perseverant, ut eas cupiant redire in suum consortium, omittēdum est, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit,* (posteri⁹ matrimonium videlicet cū alio viro) *& restituendum, quod fides poscit,* (fides nimirum prioris matrimonii) *Sin autem aliqua mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut maluerint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortium, meritò sunt notāda, ita ut ecclesiastica communione priventur, quòd de re excusabili contaminationem criminis elegerint, ostendentes sibimet per suam incontinentiam placuisse, quod justa remissio poterat expiare.*

Quòd si verò maritus sine honesta & probabili causa, malitiosè discesserit, neq; legitimè citat⁹ comparuerit, uxor verò interim ab ipso judicialiter absoluta, & aliud conjugiū ei cōcessum fuerit, etiamsi postea redeat maritus desertor, & uxorem suam repetat, audiendus non est, sed pro meritis puniendus, &, pro re nata, in exilium, quod sibi invita conjuge elegerat, ejiciendus.

## CASUS IX.

### *Num conjugium in gradu aliquo prohibito ex inscitia consummatum, pro legitimo habendum est, ita, ut rescindi nequeat?*

RESP. Quinam sint gradus prohibiti, & quomodo distinguantur, alibi docetur: hìc tantùm consulere studemus conscientiis, si qui fortè imprudenter & inscitè in gradu aliquo prohibito matrimonium contraxerit.

Atque hìc distinguendum est inter *gradus jure divino & jure positivo prohibitos.* Qui *divinitùs* sunt prohibiti, leguntur *Lev.* 28. & 20. & usitatè his versiculis includuntur: *Gradus divino jure prohibiti.*

*Nata, soror, neptis, matertera, fratris & uxor,*
*& patrui conjunx, mater, privigna, noverca,*

Yyyyy *uxorisq;*

*uxorisq; soror, privigni nata, nurusq;*
*atque soror patris conjungi lege vetantur.*

*Duæ regulæ de gradibus divino jure prohibitis.*

De his gradibus duæ observandæ sunt regulę. 1. non tantùm illæ personæ prohibentur, quæ in Levitico expressè nominantur, sed & omnes, qui in eodem pari seu æquali gradu sunt. 2. Prohibitiones intelligendæ sunt de cognationibus, sive ex matrimonio, sive ex fornicatione ortæ sint.

*Iure positivo* plures adduntur gradus: ibi enim prohibentur etiam conjugia consobrinorum seu patruelium, & qui adhuc inferioris gradus sunt, usque ad gradum tertium lineæ inæqualis, qui in nostro *Electoratu Saxonico* ultimus est prohibitus.

Quando ergò matrimonium contractum est in gradu aliquo, jure divino prohibito, exempli gratia, si quis patrui sui uxorem, aut uxoris defunctæ sororem duxisset, tum matrimonium illud incestuosum est, & non tam conjugium legitimum, quam impurum contagium appellandum, quod nulla dispensatione palliandum, sed jure optimo rescindendum est, & contrahentes, etiamsi inscii hoc fecerint, graviter à magistratu puniendi sunt. Nam contra jus divinum nihil attentare debet humana dispensatio, cùm magistratus inferior, in legibus superioris magistratus, nihil disponere possit. *Nihil cuiquam largiri potest humana indulgentia, ubi intercedit & legem tribuit divina præscriptio*, inquit *Cyprianus epist.* 4.

Cùm verò matrimonium in gradu aliquo humanitus seu jure positivo prohibito contractum fuerit, ibi non statim ad dissolutionem illorum conjugum properandum est. In legibus enim humanis dispensatio fieri potest ab iis, qui dederunt eas: eam quærant conjuges, culpam agnoscāt & deprecentur, pœnas quoque ob illam sive levitatem sive incuriam ipsis debitam patienter ferant, & sic indulgeri potest tale matrimonium, præsertim in gradibus à prohibitione divina remotioribus.

Quicunque ergò animum suum ad nuptias applicat, primùm omniū videat, ne incestuosis nuptiis se polluat, nec contra leges quidquam faciat: idcircò consulat prudentes & harum rerum gnaros, ita & molestias & ignominiam multam evitabit.

## CASUS X.

### *Numquid prohibitionibus graduum à magistratu factis æquè parendum est, ac prohibitionibus legis divinæ?*

RESP. Quòd pius magistratus gradibus in lege divina prohibitis plures addidit, non ideò factum, quasi leges Mosaicæ sint imperfectæ

aut

aut insufficientes, vel quasi illa legis divinæ prohibitio sit in N. T. abrogata, vel quasi magistratus politicus sapientior sit Deo, adeoque meliùs norit, quinam in conjugio sint copulandi: nulla harum vel similium rationum hic locum habet. Sed quia magistratus est custos utriusque tabulæ, ideo plures etiam gradus prohibere voluit, quàm in lege prohibentur, ut eo longiùs homines à gradibus jure divino prohibitis arceantur. Qui enim à tertio gradu à magistratu prohibito abstinet, is etiam à gradu secundo in lege divina prohibito abstinebit.

*Cur magistratus pius plures gradus prohibere voluerit.*

Parendum ergò est hujusmodi ordinationi per magistratus, non tantùm *propter pœnam vitandam*, sed & *propter conscientiam*: nihil enim habet alienum à pietate; sed eam potiùs promovet, dum ad incestuosas nuptias viam præscindit, quas quilibet piorum, quoad ejus fieri potest, vitare debet.

Discrimen tamen est inter *transgressionem prohibitionum divinarum & humanarum*. Qui in gradu aliquo divinitùs prohibito matrimonium contrahit, *incestum committit*: qui in gradu à magistratu prohibito hoc facit, non quidem incestum committit, *illicitas tamen nuptias contrahit*. Hic dispensationem impetrare potest: ille non item, sed simpliciter conjugium incestuosum dissolvendum est, ne conscientia in perpetuis impuritatibus relinquatur.

## CASUS XI.

### *Quænam sunt mutua piorum conjugum officia, quibus Dei & hominum favorem demereri possunt?*

RESP. Ea sunt diversorum generum; non incommodè autem in tres classes dispesci possunt. Sunt enim officia conjugum mutua in *choro*, in *domo*, & in *thoro*.

*Tres classes officiorum conjugum.*

In *choro* mutuas sibi invicem debent preces, sicut *Isaac* oravit pro *Rebecca* uxore sua, cùm esset sterilis *Gen.* 25, 21. exhortationes ad pietatem, & institutionem in vera religione 1. *Pet.* 3, 1.

*Officia cōjugum in choro.*

In *domo* mutuas sibi invicem debent operas in cura rei familiaris, in educatione liberorum, in verâ concordiâ, in mansuetudine & tolerantiâ infirmitatum.

*Officia cōjugum in domo.*

In *thoro* mutuam sibi debent *εὔνοιαν* in opere conjugali, juxta præceptum Apostoli: *uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro* 1. *Cor.* 7. *vers.* 3. quo in genere tamen etiam justa adhibenda est moderatio, ne quis abutatur uxore tanquam meretrice, sed ita cum ea jungatur, ut in conjugio manere possit castitas. Ideò *Paulus* hortatur 1. Thessal. 4. v. 4. *sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione ac honore, non in passione*

*Officia cōjugum in thoro.*

*sione desiderij, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Tempus est amplexandi, tempus est etiam abstinendi ab amplexibus Eccles.* 3. *vers.* 5. ut tempore precum, ideò *Paulus* scribit: *nolite fraudare invicem, nisi ad tempus, ut vacetis orationi,* 1. *Corinth.* 7. *vers.* 5 Item tempore luctus, tempore muliebris menstrui, ubi conjunctio conjugum carnalis peculiari lege est interdicta *Levit.* 18. *vers.* 19. 20, 18.

In his omnibus pii conjuges videbunt non tantùm, quid liceat, sed & quid honestum sit, & cum verâ castitate stare possit.

*Uxor adjutorium viri.* Respectu horum officiorum, quæ conjuges sibi invicem debent, uxor vocatur *adjutorium viri Genes.* 2. *vers.* 18. adjutorium videlicet in precibus, in generatione & educatione sobolis, in re familiari, in regenda domo, in amore conjugali, in omnibus denique virtutibus, quibus se honesti conjuges commendabiles reddere, & typum Christi ac ecclesiæ suæ in spirituali connubio facere possunt.

## CAPUT XIV.

## *De Casibus Conscientiæ circa officia parentum ac liberorum.*

### PROOEMIUM.

PEculiaris conjugii fructus sunt liberi: nam *connubia sunt propter filios,* inquit *Augustinus in quæst. V. & N. T. quæst.* 49. & ex Dei benedictione conjuges fiunt parentes, qui unà cum liberis primam familiæ partem constituunt.

Inter hos quotidiana est conversatio, ubi multa incidunt, quæ, si non rectè gerantur, conscientiam lædere possunt.

De his nunc, volente Deo, acturi sumus.

### CASUS I.

### *Quodnam est officium parentum, circa alimenta liberorum?*

RESp. Tria sunt, quæ parentes liberis debent. *Alimenta* necessaria: 2. *Institutionem* in rectâ fide, religione, & moribus, quò etiam pertinet disciplina domestica *Prov.* 22, 15. 23, 13. 3. *curam & studium, ut in honesto vitæ genere* pro conditione personæ filius collocetur.

*Tria debent parentes liberis. 1. Alimenta. 2. Institutionem. 3. Collocationem in honestum vitæ genus.*

*Alimenta* parentes debent liberis jure naturali: est enim naturalis propensio patris in sobolem, ne destituat eum iis, sine quibus vivere non potest: unde & feræ suis fœtibus de alimentis prospiciunt. Huc pertinent dicta scripturæ: *quis est ex vobis homo, quem si petierit filius panem, numquid lapidē ei dabit? Matth.* 7, 9. parentes debent *thesaurizare liberis*

2. *Cor.*

2. *Cor.* 12, 14. & *qui domesticis non providet, infidelis est deterior* 1. *Tim.* 5, 8. vide etiam *Sir.* 30, 12.

Debentur autem alimenta 1. *Infantibus*, donec adoleverint, & seipsos sustentare potuerint, 2. *Adultioribus*, sed ad seipsos sustentandum ineptis, ut sunt, mente capti, ægroti, mutili ac manci, qui hoc respectu ab infantibus parum distant. 3. Etiam ignavis, qui parentum incuria nihil didicerunt, quo seipsos alere possent. Qualem enim quisq; suum vult esse, ita est; & non fit injuria parentibus, si pigros illos ventres alere cogantur, quos ipsi ad labores nunquam assueverunt.

Filio prodigo, & citra culpam parentum ignavo, non quidem jure alimenta debet parens, ne ipsum in improbitate sua confirmet: si tamen ad extremam egestatem fuerit redactus, neq; aliunde habeat, unde vivat, æquitas naturalis postulat, suppeditare necessaria, ne culpâ parentis pereat.

*Quid per alimenta intelligatur?*

Intelligunt autem jura atq; canones nomine alimentorũ omnia, quæ pertinent. 1 ad cibum & potum. 2 ad vestitum & lectum. 3. ad habitationem: 4. ad medicinas: sine his enim neque vivimus, neque valetudinem afflictam instaurare valemus. 5. sumtus & impensas ad studia literarum, & ad gradus magisterii & doctoratus, qui ex studiis sequuntur. 6. sumtus ad militiam, si eos aliunde habere non potest. 7. sumtus ad nuptias. In his omnibus parentes jure naturali obstricti sunt succurrere liberis pro viribus suarum facultatum, ultra quas obligari nequeunt: neque liberi de his aliquid communi hæreditati restituere tenentur, etjamsi possint, quia donatio à patre filio facta ob studium literarum vel armatæ militiæ est licita. Quòd si est in facultate parentum, æquitas naturalis postulat, ut reliquis liberis justam compensationem faciant, ut concordia servetur inter hæredes.

Oportet autem alimenta esse talia, quæ personam filii respectu ætatis, nobilitatis, professionis vitæ, moris & consuetudinis patriæ, decent. Nam crescente ætate pluribus opus est alimentis: studiosis alendi sunt magistri, militibus equi, & sic de cæteris: in quibus omnibus ultra facultates parentes aggravari non possunt.

Occurrunt tamen interdum causæ, ob quas parentibus licet liberis alimenta recusare. In jure *civili, in authent. ut cum de appellat. cognosce. §. causas autem*, quatuordecim recensentur causæ. 1. Si filius in parentes manus injecerit. 2. Cùm filius gravi ac turpi contumelia parentes afficit. 3. Cùm filius parentes gravioris alicujus criminis accusaverit, nisi fortè patris flagitium sit contra communem patriæ vel principis salutem. 4. Cùm filius maleficis se adjungit, & unà cum illis maleficia tractat. 5. Cum vitæ parentum veneno & alia quavis arte insidiatur. 6 Cùm filius novercæ aut concubinæ patris se immiscuerit. 7. Si parentes à filio in judicium delati,

 mali

Digitized by Google

mali aliquid, quod sit alicujus ponderis, sustinuerint. 8. Si alterutrum ex parentibus inclusum esse contigerit, & filius requisitus ab eo, in sua eum noluerit fidejussione recipere, vel pro persona vel pro debito, in quantum qui petitur, probatur esse idoneus. 9. Si liberorum aliquis prohibuerit aliquem suorum parentum condere testamentum, jure potest illum non tantùm alimentis privare, sed etiam exhæredare. 10. Si contra voluntatem parentum filius se mimis vel arenariis associarit, & in hac professione permanserit, nisi quando parentes ejusdem professionis essent. 11. Si alicui ex parentibus volenti suæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem secundum facultates suas præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam elegerit. 12. Si alteruter parens furiosus fuerit, & filius ejus curam neglexerit. 13. Si filius patrem aut matrem captivam non redemerit. 14. Si liberi à religione Christianâ defecerint.

His de causis jura negant alimenta liberis; si aliunde sustentari possint, aliàs in summa egestate fas non est parenti liberis extrema necessitate laborantibus alimenta denegare.

## CASUS II.

*Num pater alimenta debet spurio, seu filio ex concubitu humanis ac divinis legibus prohibito, suscepto?*

RESP. Leges civiles adimunt spuriis alimenta, cum aliunde ali possint: ut habet *authent ex complexu c. de incest. nupt. & authent. licet patric. de natural. liber.*

De *jure canonico* autem pater debet alimenta etiam spuriis, ut constat ex *c. cùm haberet, de eo, qui duxit in uxorem, quam polluit per adulterium.*

Et hoc est æquitatis naturalis: neque enim fas est patrem bis peccare, semel suscipiendo sobolem ex illicito complexu; deinde sobolem sic conceptam fame necare. Ideò etiam in consistoriis tali patri injungitur, ut spurio suo alimenta præstet, donec spurius seipsum honestè alere possit.

## CASUS III.

*Peccantnè matres, quæ liberos suos proprio lacte non alunt?*

RESP. Si justâ de causâ hoc faciant, non peccant: justa autem-

tem causa est (1.) *Imbecillitas matris*, cùm vel defectus est in uberibus, vel corpus matris ita at enuatum, ut vix sine vitæ dispendio lac præbere possit; (2.) *Inopia matris*, ita ut non habeat, unde sibi victum sufficiētem procuret. (3.) *Nobilitas matris*, cùm adeò illustris est familiæ, ut dedecori ipsi esset, si contra receptam consuetudinem talium personarum liberos proprio lacte nutriat.

Addunt *Pontificij* etiam hanc causam, quando mortuo viro, vel divortio facto, mulier est in monasterium ingressa, ut vitæ studeat religiosæ. Sed nugæ sunt.

Nos priores duas causas pro maximè probabilibus habemus, præsertim si nutrices loco matrum haberi queant probæ notę. Extra eas nō suademus, ut mater infantem suū alteri fœminæ lactandum tradat. Providētia enim Dei fecit cum ipso partu alimoniæ copiam nasci; cujus non est usus alius, quàm nutriendis liberis: & ideò duo data sunt ubera matrib⁹, ut si mater uno partu gemellos edidisset, uterque haberet alimenti sui fontem, ut *Plutarchus loquitur in opusc. de liberis educandis*.

Verisimile etiam judicant sapientes, matres illas non magno complecti amore liberos, quos mox post partum abjiciunt, & proprio lacte alere detrectant.

Adde, quòd periculum sit malæ educationis, si infantes in luxuriosas & protervas incidant nutrices, quarum mores unà cum lacte sugunt. Quemadmodū enim si ovium lacte hædi, aut caprarum agni alerentur, constat, fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem: ita ad mores infantum formandos multum facit ingenium & proprietas lactis, ut *Phavorinus* Philosophus apud *Gellium* ea de re disputat *lib. 12. noct. cap. 1.* quæ unica ratio sufficere debebat illustribus matronis, ne sobolis sui lactationem vulgaribus fœminis committerent.

Ad hæc omnia accedunt exempla scripturæ, ubi legitur, non tantùm *Saram* suum lactasse *Isaacum Genes. 21. v. 7.* sed & matrem illam Domini, quâ nulla unquam nobilior aut illustrior fuit, *Iesulum suum Luc. 11. v. 27.*

Sed consuetudo hodie invaluit, ut etiam mediocris fortunæ homines dedecus esse putent, si propriorum liberorum sint nutrices: quæ an non, quantum in ipsis est, contra naturam & consuetudinem sanctarum matronarum faciant, sæpè etiam liberis morbos & mores corruptos insciæ concilient, ipsis cogitandum relinquo.

Plures casus de alimentis vide apud *Azorium tom. 2. institut. moral. lib. 2. cap. 4. & 5.* pergimus ad institutionem.

CASUS

## CASUS IV.

### *Num parentes orthodoxi liberos suos bona cum conscientia scholis Iesuitarum aut Calvinianorum committere possunt?*

Negatur. RESP. *Iesuitas & Calvinianos* hîc conjungimus, quia unus & idem utrobiq; spirat spiritus. In horũ scholis multi existimant ipsam habitare sapientiam, eamq; ob causam liberos suos his magistris educandos committunt, nõ quidem, ut in ipsorum religione informentur, sed tantum, sicut ipsi quidem prætendunt, ut in linguis ac artibus rectè instituantur, quod apud ipsos longè feliciùs fieri, quàm in scholis nostris, persuasi sunt.

Sed vehementer falluntur, quod tandem experientia, quæ stultorum est magistra, testatur; dum liberi peregrinis opinionib. imbuti domum redeunt. Nam sacris ipsorum quotidiè interesse coguntur, libris quoque ad humaniores literas, & liberales artes pertinentibus utuntur, qui exẽplis Theologicis referti sunt, quibus errores nil tale animadvertentes imbibunt. Parentum autem piorum est, quocunq; modo possunt, cavere, ne venenum falsæ doctrinæ liberis propinetur. *Nihil est perniciosius malo libro*, inquit *Erasmus*; quemadmodum n. venenum saccaro imbutum & libentiùs bibitur & difficiliùs egeritur: ita & falsa doctrina eloquentiæ flosculis ornata faciliùs recipitur & tenaciùs retinetur.

Deinde omnium piorum est, à falsâ doctrinâ verbis & factis abhorrere: non ergò sufficit, *Papismum aut Calvinismum* verbis abjurare, & interim scholas istorum, quin & doctores ipsos ita amare, ut & sobolem tuã eis erudiendam tradas. Quid hoc aliud est, quam se *Israelitam* profiteri, & tamen *Molocho* liberos immolare? quod impii *Reges Achab & Manasse* fecerunt 2. *Reg.* 16. 21. graviterque in populo *Israelitico* reprehenditur *Ier.* 17. & 19.

Tertiò, multùm prædicatur *Iesuitarum* inprimis solertia & felicitas in erudiendâ juventute. Etsi verò non pauca exempla in contrarium afferri queunt, eorum videlicet, qui felici ingenio præditi, tamen in scholis *Iesuitarum* parùm profecerunt: interim tamen, si maximè omnes evaderent doctissimi, eruditio tantùm ipsorum subsistit plerunq; in studiis linguarum & artium; de Christo autem, qui omnis sapientiæ fons, caput & origo est, nihil recti sciunt, in malitiâ autem, in subdolâ versutiâ, in fallaciis deceptionũ, in insidiis magni nominis viris struendis, in pejerando, & aliis nefariis artibus satis, proficiunt: quod damnum illud qualecunque eruditionis lucrum multis modis superat.

Præ-

Digitized by Google

Præterea, si maximè in erroribus &malis artibus datâ opera non informarentur *Iesuitarum & Calvinianorũ* discipuli: ipsa tamen cõversatio cum ipsis nescio quid latẽtis efficaciæ habet, ut, quemadmodum claud⁹ claudo cohabitãs claudicare discit; ita & mores horum magistrorũ per ipsam cohabitationem attricentur: quemadmodum *Iulianus Apostata* traditus disciplinæ sophistarum *Libanij & Maximi*, ab iis ita seductus fuit, ut diabolus incarnatus videretur.

Deniq, notum est, quàm graviter præceptum sit, ut exeamus à *Romanâ Babylone Apocal.*18.*v.*4. cur ergò liberi in ipsum quasi gremium meretricis istius *Babylonicæ* ponuntur, dum egregiis illis pręceptoribus traduntur?

Quemadmodum ergo Deus olim noluit connubia populum suum cõtrahere cum *Ammonitis, Moabitis & aliis Palæstinæ populis Deut.* 7. 3. ita credendum est, ipsum etiam institutionem liberorũ nostrorum in scholis *Iesuitarum aut Calvinianorum* improbare, quia par est utrobique seductionis periculum.

## CASUS V.

### *Habentnè parentes in liberos jus vitæ & necis?*

Neg. RESP. Ad patriam potestatem, quam Deus dedit parentibus in liberos, pertinet scire, quibus limitibus ea potestas sit circumscripta. In gentilitate parẽtes pro gravitate delicti etiam in vitam liberorum grassari poterant, hic enim patriæ potestatis apud *Romanos* non postremus effectus erat: sed hoc & contra Scripturam est, & contra placita sapientiorum Ethnicorum.

*Salomon* scribit: *ad interficiendum filium tuum, ne eleves animam tuam Prov.*19.*v.*18. & iterum: *noli te subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur Prov.*23.*v.*13. Ergò ita percutiendus est, ne moriatur.

Apostolus *Paulus* præcipit, ne liberos ad iram irritemus, hoc est, non severitate nimia erga eos utamur, nec nimis durâ tractatione animos eorum à nobis abalienemus. *Ephes.*6.*v.*4.

Parentes in *Ægypto*, qui filios dedissent neci, morte haud mulctabantur, verum triduum integrum ac trinoctium sese affligtare cogebantur ad defuncti cadaver; quia justum minus censebant interfici eum, qui vitæ extitisset autor, referente *Cælio Rhodig. lib.* 11. *lection. antiqu. cap.* 21.

Habet quidem pater in liberos imperium, sed istud magis in pietate, quàm in atrocitate consistere debet, ut *Marcianus ICtus* respondet in *lib.* 5. *ad l. Pompeij de parricid.*

Non quidem parens rationem reddere tenetur liberis de imperii sui causis, sicut maritus solet atque debet de iisdem cum thori sociâ communicare: eam enim ex con-

ventione sibi habet subditam, liberi autem naturâ subsunt, parentibus, quibus non pro qualitate alicujus conventionis, sed per omnia obtemperare debent, juxta præceptum Apostoli *Col. 3. vers.* 20. pietate tamen liberi ad obsequium sunt trahēdi, ut liberi statuant, quòd pietas paterni nominis consilium capiat liberis saluberrimum Ideo loco dicto *vers.* 21. addit Apostolus: *nolite ad indignationem provocare liberos, ne fiant animo pusillo.*

*Exceptio solvitur.*

Videtur autem Deus parentibus in populo suo jus vitæ & necis concessisse in liberos, dum *Deut.* 21. *v.* 20. parentibus permittit actionem instituere contra filium immorigerum, in judicio seniorum, à quibus condemnatus, morti tradebatur, lapidibus obruendus.

Sed nil hoc facit ad fovendam istā tyrannidem gentilium. Nam Dominus parentibus non permittebat occisionem liberorum propriâ autoritate, sed voluit, ut querelam contra filium rebellem ad judices deferrēt, neq; ad solas parentum querimonias & accusationes sententiam ferrent, sed cognitionem causæ præcedere, & non nisi convictum capitis supplicio, non à parentibus, sed à judicibus per ipsorum ministros, affici voluit. Apud *Romanos* autem ipsi parentes, pro suo arbitrio liberos trucidare poterant, ubi multis injuria fiebat, cum pater iracundior affectibus suis in odium filii incēdebatur, vel etiam novercalibus instigationibus affectum paternum erga filium planè exuebat.

Constat ex his, parentes etsi magnum habeant imperium in liberos suos: non tamen illud extendere sese ad vitam liberorum, quæ vel planè tollitur ab eis manifesta violētiâ, vel læditur, aut acerba redditur per diras ac imprecationes parentum, quæ non raro suum assequūtur effectum; cujus rei vide exempla apud *Camerar. in part.* 1. *horar. succisiv. cap.* 86. Deus autem solus habet jus in vitam hominum, quod magistratus nullus parentibus concedere, nec ipsius ministris in puniendis rebellibus uti potest, quia manifestè pugnat cum pietate.

## CASUS VI.

### *Quousque se extendit liberorum obsequium erga parentes?*

RESP. Præceptum Apostoli *Pauli* generale est: *filij, obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino Col.* 3. *v.* 20. sed universalis hæc limitatè accipienda est, quemadmodum *Eph.* 6. *v.* 1. explicat; *filij obedite parentibus vestris in Domino*, id est: in iis quæ grata sunt Domino: quia multa sunt, in quibus liberi non possunt obedire parentibus: qualia sunt (1.) *quæcunque manifestè sunt contra Deum aut contra jus naturæ*, ut cùm parentes jubent liberos

*In quibus rebus liberi non possint obedire parētibus?*

beros servire idolis, falsam amplecti religionem, furari, occidere alios: in his rectè renuunt liberi parentibus obsequium, quia Deo magis obedire oportet, quàm hominibus. Ideò Christus parentes negligi jubet, si quid contra Deum à liberis exigunt: hoc enim est *odisse patrem & matrem Luc. 14. v. 26.* cùm quis ea, quæ parentes contra Dei mandata injungunt, susque deque habet: & cùm parentes olim liberos ad idololatriam aut ἐθελοθρησκείαν abducerent, revocavit eos Dominus *Ezech. 20, 18, 19: in præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodite, ne in idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, & judicia mea custodite, ac facite ea.* Hinc est illud *Augustini in Psal. 70. conc. 1: in eâ re solâ filius non debet obedire patri suo, si aliquid pater ipsius jusserit contra Dominum Deum ipsius; neque enim debet irasci pater, quando sic ei proponitur Deus. Ibi enim hoc jubet pater, quod contra Dominum non sit, si audiendus est, quomodo Deus, quia obedire patri jussit Deus.*

*Quid sit odisse patrē & matrem in evangelio?*

(2.) Non tenentur semper obedire parentibus liberi *in rebus naturâ suâ adiaphoris*, ut in ducenda uxore, in ingrediendo hoc vel illo vitæ genere, in capessendis honoribus & similibus; in quibus multa impedimenta intervenire possunt, quo minùs absolutè patri obediat.

In his tamen nihil affectatè, sed omnia cum debitâ modestiâ agenda sunt, ut parentis animus in sententiam filii solidis potiùs argumentis, quàm simplici tergiversatione pelliciatur.

In reliquis autem omnibus, quæ non sunt contra Deum, aut bonos mores, liberi obstricti sunt parentibus: ubi morosa tergiversatio sub maledictum cadit, quod transgressoribus quarti præcepti metuendum.

## CASUS VII.

### *Num etiam spurii honorare tenentur parentes suos?*

RESP. Spurium hîc vocamus omnem illegitimè natum, sive ex concubitu certâ legis pœnâ damnato, ut ex incestu, stupro, adulterio, sive ex concubitu aliàs illicito, etiamsi legis pœnâ non damnato. Ejusmodi liberi magnâ quidam injuriâ afficiuntur à parentibus, propter ipsos enim infames fiunt, ad officia publica ferè sunt inhabiles, juxta legem *Deut. 23, 2: non ingredietur mamzer, hoc est, ex scorto natus in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem*, bonis paternis bonâ parte privantur, in honesto vitæ genere ægrè tolerantur, in quibus omnibus, quod parentes intriverunt, ipsis exedendum est. Eam ob causam excusati videntur, si maximè debitum honorem talibus parentibus non præstent. Nam & *Siracides* scribit: *de patre impio queruntur* *Ass.*

*runtur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio Sir.* 42. *v.* 10. & in legibus XII. tabularum una est: *è meretrice natus patrem non alito.*

Sed propter generale præceptũ: *honora patrem & matrem*, satius est, ut & spurii se submittant parentibus suis, & tanquam iis, à quibus post Deum vitam habent naturalem, omnem honorem exhibeant. Non enim præcipit Dominus, tales vel tales parentes esse honorandos: sed quemadmodum morosis etiam parentibus obtemperandum est, *Sir.* 3. *v.* 9: ita & parentes, quanquam ex illicito concubitu tales, honorandi sunt, quia parentes sunt, quorum delictum Dei præceptum tollere non potest. Ita *Salomon* matri suæ *Bethsaba*, quæ quidem eum legitimè concepit, antea tamen adulterium commisit, ad se venienti assurexit, eamque veneratus in solio regio ad dexteram suam collocavit 1. *Reg.* 2. *v.* 19. docens eos etiam parentes, qui infamiâ aliquâ laborant, despiciendos à liberis minimè esse, sed quia parentes sunt, honore prosequendos.

## CASUS IIX.

### *Num liberi consensum parentum in contrahendo matrimonio necessariò requirere teneantur?*

RESP. De hac quæstione variè disputatur, præsertim in *Papatu*, ubi omnis fermè reverentia liberorum erga parentes per canones *Papisticos* sublata est. *Ass.*

Quidam censent, filium, cùm ad ætatem maturam pervenerit, jus & facultatem habere liberam nuptias contrahendi sine aliorum consensu, sed hoc locum habere scribit *Azorius part.* 2. *instit. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *q.* 6. cùm filius non ducit in uxorẽ fœminam vilem & abjectam, & cũ puella non nubit viro se indigno. *Variæ opiniones.*

Alii statuunt, filiam, etiamsi vidua sit, & extra patriam potestatem absque patris nutu & voluntate nubere non posse, nisi annum ætatis vigesimum quintum excesserit. Et huc accommodant *L. in conjunctione C. de nuptiis*, ubi dicitur: *in conjunctione filiarum in sacris positarum, patris expectetur arbitrium. Sed si sui juris puella sit intra quintum & vigesimum annum constituta, ipsius quoque assensus exploretur. Si patris auxilio destituta, matris & propinquorũ, & ipsius quoq; adulta requiratur judicium.*

Alii parentum consensum in nuptiis præsertim filiæ, non quidem necessitatis, honestatis tamen esse ajunt, ut filia in re tantâ patris voluntati pareat: & ita interpretantur leges in jure civili de parentum consensu in contrahendis liberorum nuptiis, ut est *l.* 2. *ff. de ritu nuptiar. & L. in sponsalibus* 1. §. 1. *ff. de sponsal. & instit. de nupt.*

Alii has leges in jure *canonico* abrogatas dicunt, statuentes eas cum matri-

matrimonii libertate pugnare: Quò pertinet *canon* ille *Concil. Tridentini, sess. 24. can. 9. in decreto de reformat. matrim.* ubi anathematis pœnâ percutiuntur, qui quovis modo, directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogunt, quò minus liberè matrimonium contrahant: Et in *decreto de matrimoniis clandestinis*, anathemate feriuntur, qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita reddere posse.

*Bellarminus* quæstionem hanc tractat *lib. 1. de matrimonii sacramento c. 19.* ubi statuit, filiorum consensum, etiamsi solus sit, ad matrimonium firmum ac ratum efficiendum, sufficere, nec posse à parentibus aut magistratu ejusmodi matrimonium irritari: peccare tamen filios, si absque justâ & rationabili causâ, parentibus insciis vel invitis, matrimonia contrahunt.

*Azorius loco suprà allegato* statuit ubi mos & consuetudo, vel lex patriæ est, ut filii matrimonium non contrahant inconsultis parentibus, servanda est, & peccatum erit, matrimonium aliter contrahere, eò, quòd consuetudo vel lex patriæ negligatur, & quòd parentibus insciis ac minimè consultis ad nuptias transierint se indignas, cuiusmodi sunt, quæ non decent eorum parentes, cognatos & familiam: vel quæ parituræ sunt lites, dissidia, inimicitias, odia, vel aliquod certè alicujus momenti malum. In nostris verò ecclesiis magno consensu docetur, consensum parentum in contrahendo matrimonio esse necessarium, adeò ut parens suo dissensu, si justas ejus causas habuerit, matrimonium contractum, sed nondum consummatum, rescindere, vel si consummatum fuerit, filium immorigerum parte hæreditatis suæ privare possit, ut habet constitut. ecclesiastica huius *Electoratus tit.* von Ehesachen *f. 99.* Per parentes a intelligimus non tantùm patrem & matrem, sed & avum & aviam, in defectu patris aut matris.

*Probatur, consensum parentum in contrahendo matrimonio esse necessarium.*

Oportet autem parentes ad consentiendum esse idoneos. *Quidam enim consentire non possunt*, ut furiosi, ac mente capti, ut & captivi, aut in locis peregrinis degentes, ita ut de ipsis, ubi sint, non constet. De mente captis & furiosis res est expedita: hi enim nullius sunt consilii capaces. De iis qui peregrè absunt, sanciunt leges, ut exspectent liberi eorum reditum per triennium: si interea non redierint, sufficit tacitus eorum consensus, quemadmodum *Ioseph & Tobias* ob distantiam locorum sine parentum consensu nuptias contraxerunt, quæ tamen postea parentibus minimè displicuerunt. *Quidam consentire nolunt ob avaritiam* ne dotem filiæ dare, aut filio honestas nuptias parare cogantur. De talibus parentibus hîc non est quæstio, sed de parentibus vivis & sanâ mente præditis, præsentibus, & liberis optimè cupientibus. Talium

lium parentum consensus in nuptiis liberorum necessarius est: id quod multis probari potest: nos præcipua saltem argumenta hic assignabimus: quæ vel maximè conscientiis satisfacere possunt.

*1. Ratio, quia Deus honorare jussit patrem & matrem.* (1) Jussit Deus honorare patrē ac matrem, qui honor non tantùm reverentiam, sed & obsequium liberorum postulat, ut parentes in re tam seriâ, qualis est conjugium, consulant, & consulentibus obediant: ideò *Paulus* vult liberos *obedire parentibus per omnia Col. 3 vers. 20.* quæ scilicet non sunt contra Deum, uti supra audivimus.

*2. quia præcipit lex divina parentibus, ut prospiciant liberis de honesto conjugio.* (2) Extant expressæ leges, quibus parentibus præcipitur, ut ipsi liberis suis de conjugio prospiciant: *non accipies filio tuo uxorem de filiabus eorum Exod. 34. v. 16. filiam tuā non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo Deut. 7. v. 30. date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris, Deuter. 29. v. 6. trade filiam, & grande opus feceris, & viro sensato trade illam Sir. 7 v. 27. qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit 1 Cor. 7. vers. 38.*

*3. quia pater habet potestatem impediendi nuptias filiæ ab alio stupratæ.* (3) Patri conceditur potestas impediendi nuptias filiæ ab alio stupratæ. *Si enim dare eam noluerit,* (stupratori) *dabit stuprator pecuniā juxta modum dotis Exod. 22. vers. 17.* Si ergò pater dissensu suo irritas potest reddere nuptias stupratæ filiæ, quantò magis sponsalia impedire potest, dum res adhuc est integra?

*4. quia habentur multa hujus rei laudabilia exempla.* (4) Neque desunt exempla parentum, qui liberos suos elocarunt. *Agar* accepit filio suo *Ismaeli* uxorem de terrâ *Ægypti Genes. 21. v. 21. Abraham* ablegavit servum *Eleazarum* ad conciliandas filio nuptias *Genes. 24. v. 3. Bathuel* despondet *Isaaco* filiam suam *v. 57. Isaacus Iacobum* nuptiarum causâ mittit in *Mesopotamiam Genes. 29. vers. 19. Iudas* dedit uxorem primogenito *Her. Genes. 38. v. 7.* idem legitur de *Calebo Iud. 1. vers. 11.* de Abesan Jud. 12. v. 9. *de Raguele Tob. 8. vers. 15.* Habemus etiam exempla, quòd liberi petierunt à parentibus consensum ad nuptias. *Samson* ad parentes dicit: *vidi mulierem in Thimnata, quā, quæso, ut accipiatis mihi uxorem Iud. 14. v. 3. Thamar* filia *Davidis* dispositionem de conjugio suo ad parentis arbitrium remittit, *2. Samuel. 13. vers. 3.* angelus consuluit *Tobiæ*, ut à patre *Raguele* uxorem petat *Tob. 6. v. 13. &c.*

*5. quia pater votum filii potest facere irritum, in quod non consensit.* (5) Pater votum filii irritum reddere potest, quod suo non approbavit consensu *Num. 30. vers. 6.* ergò etiam promissionem matrimonialem filii suo non approbatam consensu, adeoque sequitur, ejus consensum in contrahendo matrimonio necessarium esse.

*6. quia & saniores Ethnici hoc agnoverunt.* (6) Cum hac veritate consentiunt etiam Ethnici saniores, ex quibus *Ambrosius lib. 1. de Adamo c. ult.* citat vers⁹ *Euripidis, in Andromache,* qui etiam laudantur in *jure canonico c. honorantur 32. quæst. 2.* ubi *Hermione* filia *Helenæ* ad *Oresten*, qui eam ambiebat dixit: *nuptiarum*

*mea-*

*mearum pater meus curā subibit: hoc enim non est meum.* Talis est sententia *Gellij lib. 2. noct. attic. cap. 7. in ejusmodi omnium rerum generibus patri parendum est, velut si uxorem ducere imperet, aut causas pro reis dicere.*

*7. quia hoc volūt leges civiles.*

(7) Consentiunt etiam leges civiles, quæ, ut *Beza* loquitur *de repud. & divort. de necessitate consensus paterni notiores sunt, quam ut ignorari, clariores, quàm ut obscurari, sanctiores, quā ut aboleri possint.* Leges illas magno studio collegit *Dn. D. Gerhardus tom. 6. L. c. pag. 128. 129.*

*8 quia consentiūt canones juris Pontificij.*

(8) Consentiunt insuper canones *Juris Pontificij, ut c. honorantur 32. quæst. 2.* consulitur puella non de spōsalibus, ubi judicium exspectat parentum, non enim est virginalis pudoris, eligere maritum: sed jam desponsata de perfectionis die consulitur, &c Ex *Leone citantur c. non omnis causa & quæst. eadem* hæc verba: *paterno arbitrio fæmina juncta viris carent culpâ, causa 36 quæst. 2. c. apud omnipotentem*, citantur hæc verba ex *Gregorio: cùm rapta patriæ potestati fuerit restituta, & raptor sua rapina pœnitentiam egerit, cùm voluntas parentum utriusq; in unum convenerit, non prohibentur adinvicem copulari.*

Pluribus argumentis recensendis supersedeo: necessitas consensus paterni in nuptiis liberorū ex his, quæ diximus satis deducta est. Ubi quod de patre dictum fuit, etiam de matre accipiendum est, quidquid etiam hic objiciant *ICti* de imbecillitate sexus, & affectuum impetu in matribus. Nā jus divinum docet, honorandam æquè esse matrem ac patrem *Exod. 20. vers. 12.* unde postea Scriptura, cùm de honore parentum agitur, patrem ac matrem semper conjungit, ut *Deuter. 27. vers. 16. Proverb. 19. vers. 26. 20, 20. Ephes. 6. vers. 2. &c.* Liberi certè æquè sunt matris atque patris: imò matri plurimas peperêre molestias in ipso partu, in lactatione, in educatione, quod senior *Tobias* inculcat filio suo *Tob. 4. vers. 3.* cur ergò liberi matribus suis eum non deferant honorem, ut in conjugio contrahendo, quo transferuntur in alienam familiam, ipsam quoque consulant: & quis ausit matribus invitis liberos, qui peculium eorum sunt, eripere?

*An etiam consensus matris sit necessarium ad contrahendum matrimonium? Aff.*

Hinc in scripturâ leguntur exempla matrum, quæ vel liberos suos elocarunt, vel eâ in re in consilium fuerunt adhibitæ, ut *Hagar Gen. 21. v. 21. Rebecca* de conjugio *Iacobi* cōsultat cum marito *Gen. 27. v. 46. Simson*, qui propositum suum de ducendâ *fæminâ Philistæâ* æquè aperuit matri, ac patri *Iud. 14. 2. Clytemnestra* apud *Euripidem in Iphigen: egone (inquit) quos peperi liberos, non elocem?* Consentiunt etiam jura civilia, de quibus consule *Basil. Monnerum in lib. de conjug. clandestin. & constitutio Electoralis Saxonica* sponsalia absque matris consensu contracta, irrita pronuncianda esse statuit, *tit.* von Ehesachen *pag. 110.*

Quod

Digitized by Google

*Objectio solvitur.* Quod autem in quibusdam scripturæ locis tantùm patris fit mentio in hac materiâ, ut *Exod.* 22, 17. *si pater virginis dare noluerit, &c. Num.* 30, 6. *si cognoverit pater votum filiæ, & contradixerit, &c.* eo non excluditur consensus matris, sed patris tantùm consensus imprimis requiritur. Si enim pater à matre in nuptiis liberorum dissenserit, sine dubio patris cõsensus prævalebit, quia maritus est dominus uxoris, uxor verò ὕπανδρος *Genes.* 3, 16. *Rom.* 7, 2.

Etsi verò parentes sponsalia contra eorũ consensum inita rescindere, & nuptias liberorum impedire possunt, necesse tamen est, ut causarum matrimonialium judicibus rationes suæ tergiversationis indicẽt satis justas, ne liberis occasio ad nuptias minùs castas præbeatur, multi enim sunt, qui ex merâ avaritiâ, vel ex solâ morositate nuptias impediunt, etiãsi de consensu rogati: hi primùm ab agnatis, deinde etiam à ministerio, monendi sunt, parentum esse officiũ liberis suis de honesto matrimonio prospicere *Exod.* 34, 16. *Deut.* 7. *v.* 3. *Ierem.* 29, 6. si neminem horum audiunt, à causarum matrimonialium judicibus de causis suæ denegationis inquirendum est: quas si non invenerint justas, ipsi judices loco parentum illorum ἄστοργοι sint, & conjugium petitum liberis, modo aliàs omnia salva sint, permittant: quod est consilium *Lutheri* in libello von Ehesachen / *tom.* 5. *Ien. Germ. fol.* 254. & cõsentit *jus civile l. capite ff. de vitâ nupt.* Si verò clandestina desponsatio inter liberos minorẽnes facta fuerit, præter parentum consensum: hæc unica causa sufficit ad irritandum tale matrimonium, quòd liberi neglecto honore parentum rem tantã fuerint aggressi: neq; ad allegãdas plures sui dissensus rationes parentes cogi possunt. Minorẽnis autẽ est adolescens, qui annum ætatis vigesimum, puella, quæ annum ætatis decimum octavum non excessit, interprete *D. Chytræo in epist. cap.* 18. *Levit.* *Quinam sint minorennes.*

## CASUS IX.

### *Num liberis ad secunda vota transeuntibus, parentum consensus ad hujusmodi nuptias est necessarius?*

RESP. JCti hoc in genere à Theologis discrepãt. Nam juxta illos filius emancipatus absque consensu patris uxorem ducere potest: filia verò emancipata, sed nondum 25. annũ ætatis egressa, sine patris cõsensu nubere non potest. Si verò filia 25. annũ excessit, suo arbitrio eam absque patris consensu, nubere permittunt, nõ tantùm primo, verùm etiam iterato matrimonio. *Aff.*

Theologi verò urgentes præceptum de honorandis parentibus, quod semper durat, existimant, consensum parentis semper in iterato etiam conjugio necessarium

Digitized by Google

rium esse, quia obsequium etiam parentibus hoc in casu debitum nunquam desinit, quamdiu parentes sunt superstites: & oportet conjuges in conscientiâ suâ certos esse, quòd conjugium eorum juxta voluntatem Dei sit initum, quale est eorum, qui consilium parentum non spreverunt.

Ideò in *constit. Elector. Saxon. cap.* **von Ehesachen** sancitur, sine ullo discrimine ætatis, sexus, aut conditionis consensum parentum in nuptiis liberorum esse necessarium. Ratio est, quia hîc non quæritur, quid in foro judicii contentiosi obtineri possit inter homines, sed quid in foro conscientiæ contra tentationes consistere possit: ubi satiùs est, ut liberi cujuscunque generis, ætatis, aut conditionis parentum suorum consilio in re tam magni momenti obtemperent, quàm conscientiam qualibuscunque ratiunculis, quæ in contrarium obverti possent, onerent.

## CASUS X.

### *Num relevat liberos, si fortè insciis parentibus, sed interposito juramento, matrimonium alicui promiserint?*

Neg. RESP. Manifesti juris est, *juramenta temeraria rescindenda esse*, juxta usitata dicteria: *in malè promissis rescinde fidem: in impio voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias: impia est promissio, quæ scelere adimpletur: neque enim juramenta debent esse vincula iniquitatis.*

Quòd autem tale juramentum, de quo in proposito casu agitur, sit temerarium, inde constat, quia est de re ejusmodi, quæ mandato & voluntati Dei repugnat. Juris enim divini est, ut hactenus ostendimus, in contrahendis nuptiis necessariò requirere consensum parentum.

Proinde consultum videtur, ut modis omnibus tentetur parentum animus, ut etiamnum in tales nuptias consentiant, modò persona quæ ambitur, sit honesta, & ita comparata, ne sit dedecori familiæ parentum: sin verò consensus iste impetrari nullo modo potest, tutius est, impiè & contra jus divinum jurata rescindere, quàm præceptum quartum violare: præsertim in re tali, ubi cæcus amoris impetus potius, quàm justa ratio aliquem in certam aliquam personam impellit. Multùm tamen valet interventus juramenti, ad movendum animos parentum, ut etiamnum in tale conjugium faciliùs consentiant. Præstat enim ad ea, quæ omninò non sunt ad nutum nostrum connivere, quàm conscientiis laqueum perjurii nectere.

## CASUS XI.

### *Si pater & mater simul egeant, & filius alterutrum tantùm alere possit, an patri potiùs, an matri subvenire debet?*

RESP. Communis est Theologorum sententia, patrem in hoc casu præferendum esse matri. Etsi enim mater plus laborum ac onerum in partu & educatione filii sustinuit: potior tamen est autoritas patris, qui est præcipua filii causa, & caput familiæ. Ita habet *Thomas 22.q. 26.& 50.*

Etsi verò pater ob causas dictas prærogativam aliquam habeat præ matre, pietas tamen filii requirit, ut & egenæ matris rationem habeat, & potiùs alimenta ita dividat, ne mater patre suâ defraudetur, quia scriptura, cùm parentes liberis commendat, patrem ac matrem plerumque conjungit, ut suprà audivimus.

## CASUS XII.

### *Licetne filiis aliquando officia pietatis denegare parentibus?*

Heg. RESP. Liberorum est semper honorare parentes, in quocunque vitæ genere aut conditione vivant. Respectus enim inter parentes & liberos nullo casu tollitur, vi quarti præcepti quod Deus nondum abrogavit.

Quapropter graviter peccant liberi, qui ad honores & dignitates in publicis officiis evecti contemnunt parentes tenuioris fortunæ, obliti, quòd ab ipsis suam habeant originem: quam ingratitudinem Deus plerumque pari contemtu suo tempore punire solet.

Hæc est admonitio *Siracidæ cap. 3. 15. si defecerit sensu pater veniam da, & ne spernas eum in virtute tuâ*: verachte ihn nicht / ob du gleich geschickter bist.

Fieri tamen potest, ut pater sit hostis patriæ, aut criminis læsæ majestatis reus, tunc ex vi statutorum civilium patri à filio in officio majestatis constituto *officia civilia* negantur: *officia* autem *naturalia*, seu τὰ φιλόστοργα nunquam negari possunt, quia hæc dependent à στοργαῖς, seu igniculis implantantis, qui vi quarti præcepti liberis commendantur.

Quæ cum ita sint, impiè docetur in *Papatu*, eos qui monasterium ingressi sunt, & religionem, uti vocant, professi, parentes suos abnegare debere: quo quidem in genere non parum ipsis profuit *Hieronymi* superstitiosus amor in monachatum. Is enim ad *Heliodorum*, cui vitam solitariam persuadere volebat, scripsit: *licet sparso crine & scissis vestib. ubera, quibus te nutrierat mater, ostendat: licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexilla.*

*& rucis evola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.*

Sed *Erasmus* de hac *epistola* judicat, eam non satis maturo judicio, & ex affectu tantum erga sodalem elaboratum esse. Quin & ipse *Hieronymus* de illa scribit ad *Nepotianum*, se illam scripsisse adolescentulum & pene puerum, & in ea pro ætate tunc lusisse, & calentibus adhuc Rhetorum studiis atque doctrinis, quædam scholastico flore depinxisse.

Doctrina ipsa, quam tractat, nullam pietatem sapit, & contra Apostolum est, qui vult liberos vicem rependere parentibus, 1. *Tim*, 5, 4. & quemvis prospicere suis, v. 8. semperque locum habet illud *Prov*. 30. 17. *parentes spernens à corvis comedetur*.

*Objectio 1. Pontificiorũ ex Deut. 33. 9.* Objiciunt verba Domini *Deut*. 33, 9. *qui dixit patri suo & matri suæ: nescio vos, &c. hi custodierunt eloquium tuum, &c.*

*Resp.* Sed non agitur ibi de honore parentibus debito: sed vel de verâ religione, vel de jussibus verè divinis quæ sectari decet, relictis omnibus, quæ vel parentes vel cognati objicere possunt: in his enim plus est obediendum Deo quam hominibus.

Addunt ex N. T. verba Christi *Matth*. 10, 37. *filius, qui amat patrem suum plus quam me, non est me dignus.*

Sed & hic honor parentibus debitus non interdicitur liberis, sed si parentes aliquid contra Christum præceperint liberis, ibi parentum honori Dei cultum & obsequium prævalere docetur.

## CASUS XIII.

### *An filio fas est, parentem in jus vocare, & coram judice accusare?*

*Neg.* RESP. Etiam leges civiles hoc non permittunt filio, qui nimis apertè pugnaret cum honore ac reverentia, quam liberi parentibus debent: quam etiam, perferendo parentum injurias, declarare debent, juxta illud: *in opere, sermone & animi patientiâ honora patrem tuum, Sir*. 3. v. 9. & si injuriam à proximo illatam eidem condonare ex caritate Christiana jubemur: multò magis parentibus hoc in genere parcere pietas requirit.

Proinde præstat ejusmodi liberos contra parentes lite contendere volentes à primo limine judicii arcere, quàm scandalosas contentiones cum genitore, cui nunquam satis præstare possunt gratiæ, permittere.

*Duo tamen sunt casus, ubi conceditur.* Ajunt tamen in duabus causis licere liberis parentes ad judices deferre, vel 1. quando parens esset patriæ sive reipublicæ hostis, vel proditor. 2. si principi necem aut interitum minaretur, ut si arma caperet contra patriam, & in eam, aut principem tanquam juratus hostis irrueret: & huc afferunt illud *Ciceronis ex lib*. 3. *offic*. *si perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet filius saluti patris*, quà de re vide *Azorium part*. 2. *instit. moral. lib*. 2. *c*. 2.

Majoris autem fortè pietatis esset, etiam in his criminibus aliis actionem permittere, quam accusatione nostrâ parentis verenda revelare. *Ne glorieris,* inquit *Sirac. cap. 3. v. 12. 13. in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, sed confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.*

## CAPUT XV.

## *De Casibus Conscientiæ circa officia fratrum, sororum ac propinquorum?*

### PROOEMIUM.

*Frater unde derivetur.* Frater dicitur quasi *ferè alter*, ut loquitur *P. Nigidius* apud *Gelliū lib. 13. noct. cap. 10.* nonnulli derivant à à Græco φρά̣τωρ, quod significat contubernalem, quia fratres in una domo, quasi in eodem contubernio educantur. Vid. *Scal. de causis lat. ling. cap. 26.*

*πολυσημία vocabuli fratris in scripturis observanda* In Scriptura hæc vox multipliciter usurpatur (1) pro iis, qui ex iisdem parentibus nati sunt, ut *Jacob & Esau.*

(2.) Pro cognatis, consanguineis aut etiam affinibus, ut cognati Christi vocantur ejus fratres ac sorores, *Matth. 12.*

(3.) Pro ejusdem gentis hominibus, quo pacto *Iudæi* vocantur fratres *Pauli Rom 9.* & milites qui ex tribu *Benjamin* veniebant ad præscriptum *Davidem,* fratres *Saulis* appellantur 1. *Paral.* 12. hoc est, contribules.

(4) Pro iis, qui sunt ejusdem religionis, quemadmodum Christiani omnes inter se sunt fratres & sorores 1. *Cor. 5. v. 11.*

(5.) Omnes homines inter se dicuntur fratres, quia unum patrem habent in cœlis, ut in verbis *David: reduc tecum fratres tuos 2. Sam.* 15, 20. vide etiam 1. *Reg. 20. v. 32. 33. Iohan.* 6, 15.

(6.) Pro iis, qui quacunque societate aut vinculo sibi invicem sunt conjuncti, aliàs in aliquo sibi invicem similes, quemadmodum *Proverb.* 18, 9. dicitur: *qui mollis est & dissolutus in opere, frater est sua opera dissipantis.*

(7) Unaquæque res alteri ratione aliquâ conjuncta, frater & soror ejus vocatur, ut *Exod. 26. vers. 3 quinque cortinæ erant conjunctæ, mulier ad sororem suam,* id est, altera ad alteram.

Hîc de fratribus & sororibus naturalibus sermo est, qui, quia ex iisdem parentibus sunt, arctissimo vinculo sunt conjuncti, & officiis pietatis, præ cæteris obstricti: quæ ipsorum concordia & societas Deo inprimis grata est, juxta illud *Psalmi 133. v. 1. ecce quàm bonum & jucundum, fratres habitare in unum.*

Quæ ad illustranda eorum officia pertinent, hoc in capite paucis exponam, quantum Deus dederit.

CASUS I.

*Num frater indigenti fratri aut sorori necessaria debet alimenta?*

RESP. Si frater aut soror ad extremam redacti fuerint paupertatem, nemo dubitat, quin reliqui fratres & sorores ei de necessariis alimentis prospicere teneantur. Ad hoc enim cuilibet proximo nostro ad inopiam redacto obstricti sumus.

Hoc autem in eo valet casu, cùm quis præter suam culpam ad inopiam redactus fuerit, lurcones enim & prodigi ad rastrum & aratrum remittendi sunt, ne fratrum lenitate ac beneficentiâ abutantur.

Si verò frater paupertate quidem aliquo casu prematur, honesti tamen sit generis, honestè etiam vivat, tenentur reliqui fratres ipsum honestè & pro conditione sui generis sustentare, quibus reluctantibus magistratus eis injungere potest, ne per egestatem fratris familiæ suæ maculam inurant.

Ex quo fundamento æquum etiam judicatur, ut frater sorori de honestâ dote prospiciat, quia ea instar alimenti est.

Ad alimenta quoque pertinent sumtus ad honestas artes addiscendas, quæ conditioni alicujus conveniunt: ad quos suppeditandos fratres etiam tenentur pro modulo suarum facultatum, & cum conditione refusionis, si egenus frater ex benedictione DEI ad eas facultates, quæ refusione sufficiunt, pervenerit.

Ita *Joseph* honestè aluit fratres tempore famis *Genes.45.& 44.& David* etiam in exilio rationem habuit fratrum suorum, & omnis domus patris eius, cùm descenderent ad ipsum in desertum, à *Saule* è patria expulsi, *1.Sam.22,1.*

De hac materia vide plura in *jure civili l. cum plures §. cum tutor. ff. de administrat. tutor. & l. non omnis c. de administratione tutorum.*

CASUS II.

*Num frater alimenta debet fratri à patre exhæredato?*

RESP. Communiter existimamus, fratrem ad hoc teneri, sive pater jure sive injuriâ filium ab hæreditate excluserit. Nam æquitatis naturalis est, filio etiam exhæredita- *Affirm.* to alimenta tamen necessaria non denegare: quod si parentes facere nolint, eorum loco fratres aut sorores tenentur, donec exclusi ab hæreditate tantùm ipsi laboribus honestis adquisiverint, quantum ad honestam sui sustentationem sufficerit.

Si verò exhæreditatus omninò

 dege-

degener sit & desperatus, præstat eum cum filio prodigo ad siliquas & porcos ablegare, ut discat sapere: neque enim debent opera misericordię fomentum esse iniquitatis.

## CASUS III.

## *Num fratres & sorores debent alimenta spuriis, hoc est, fratribus aut sororibus ex illegitimo connubio natis?*

*Affir. Spurij ab hæreditate paterna ex cluduntur.*

RESp. Quòd spurii ab hæreditate paterna sint exclusi, indubitati juris est, & comprobatur exemplo *Iephte*, cujus fratres ejecerant ipsum domo paternâ dicentes: *hæres in domo patris nostri esse non potes, quia de altera matre natus es, Iudic.*11. *v.*22. Alimenta tamen necessaria frater fratri aut sorori spuriæ debet, ut est *in c.cùm haberet, de eo,qui duxit, quam polluit per adulterium*, & in his etiam dotem, quia dos ad alimenta pertinet.

Intelliguntur autem alimenta ad sustentationem vitæ necessaria: quæ verò non sunt simpliciter necessaria, ea soror spuria aliunde habere poeest, ideò necesse non est, ut à reliquis fratribus aut sororibus suppeditentur.

* * *

## CAPUT IV.

## *Quænam officia debentur propinquis seu cognatis?*

*Distinctio inter cognatos & propinquos.*

RESp. *D. Lucas* in historia de nativitate *Iohannis*, distinguit propinquos à cognatis: illos vocat περιοίκους, hos συγγενεῖς Luc. 1. vers. 58. cum utrisque sancta alatur concordia.

*Tria enim sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes, Sir.*25,2.

*Regula Christi.*

In conversatione cum proximis observemus regulam CHRISTI: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, Matth.*7. & ipsius Dei: *diligas proximum tuum sicut teipsum, Lev.* 19.

In conversatione cum cognatis, debemus ascendentibus honorem, parentibus debitum, collateralibus officia fratrum ac sororum, descendentibus officia, quæ à parentibus debentur liberis, ut ex *Azorio* notavit *Alstedius in Theol. casuum c.*17. §.6.

* * *

CAPUT

## CAPUT XVI.

## *De Casibus Conscientiæ circa officia dominorum ac servorum.*

### PROOEMIUM.

*Quomodo differant servi, famuli & operarij?*

SErvi atque famuli hodie plerumque promiscuè usurpantur. Differunt autem *servi*, *famuli*, & *operarij*.

*Servi* fermè idem sunt, ac mancipia, atque originem habent à bello, in quo capti & servati, mancipia & servi dicebantur, quò respicit *Horatius lib.1.epist.16.*

*Vendere cum possis captivum, occidere noli.*

*Famuli* sunt liberi homines, quorum operæ & obsequia stipendio conducuntur ad tempus.

*Operarij* sunt, qui suas operas locant ad certum genus operis faciendum.

In hos omnes imperium habent domini, ideo *Petrus* hortatur servos, ut subditi sint in omni timore Domini, *non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis 1. Pet.2. v.18.*

*Servitium unde originem traxerit?*

Originem huius imperii referunt aliqui ad *Chamum* revelantem verenda patris, ob quod scelus à patre maledictus fuit, & servituti addictus *Gen.9,25*; unde *Ambrosius* scripsit *in lib de Elia & jejunio c.5. non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset.*

*Plinius* originem refert ad *Lacedæmonios*, quos servitium invenisse scribit *l.7.nat. histor. c.56.* nempe in populis *Græciæ*, inter quos servitia per multam ætatem ignorata fuisse testatur *Herodotus lib.7.*

Occurrunt autem etiam circa officia dominorum aut servorum quædam dubia, de quibus hoc in capite paucissimis, annuente supremo Domino, acturi sumus.

### CASUS I.

### *Quæ sunt servorum officia, ut bonâ cum conscientia vivere possint?*

REsp. Vulgò dicitur: *tot esse hostes, quot servos*: tales autem facit partim dominorum austeritas, partim servorum propria malitia.

Operæ pretium ergò est nosse servos, quomodo sese erga dominos suos gerere debeant, ut Deum propitium & bonam conscientiam retineant.

Primum omnium Deum timeant, tanquam supremum Dominum, cui hero omnem suarum actionum rationem debent. *1. Officium servorum; timor Dei.*

Deinde sorte suâ contenti sint, nec aliis meliorem fortunam invideant se verò in servili sua conditione Deo æquè gratos esse sciant, ac dominos suos: si non pertæsi suæ sortis, quæ sui sunt muneris, fideliter faciant. Unde *D. Paul.* hortatur, *2. αὐτάρκεια; sorte sua contentum esse.*

tur, *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: servus vocatus es? non sit tibi curæ*, 1. *Cor.* 7, 21.

*3. honor dominorum.* Tertiò, dominos suos non despiciant, sed honore potiùs prosequantur etiamsi non usque adeò commodi, sed aliquando morosi fuerint, juxta monitum *D. Petri* 1. *Petr.* 2. *v.* 18. *subditi estote in timore Domini, non tantum modestis, sed etiam dyscolis.*

*4. Obedientia.* Quartò servorum est, omnia herorum suorum jussa ac mandata, si non sint contra Deum & conscientiam; fideliter exequi, juxta præceptum Apostolicum: *servi, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sicut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus Eph.* 6. *v.* 6. *Col.* 3. *v.* 22.

*5. Fidelitas in præcavendis v. cavendis heri damnis.* Quintò servus nullum damnum vel ipse inferat bonis herilibus, vel ab aliis inferre patiatur, sed si quod imminere videt, maturè indicet. Rebus enim herilibus æquè ac propriis attendere fas est.

*6. in rebus illicitis obedientia detrectatio.* Sextò, servus in rebus illicitis non obligatur hero: si verò in utilitatem domini sui peccaverit, vel per usurarios contractus, vel per homicidium aut latrocinium, unà cum hero pro qualitate delicti plectitur. His enim in rebus, quæ contra justitiam sunt, obsequium hero debitum frustra prætenditur.

Septimò, servi non patiantur se ab heris suis abstrahi à cultu divino, aut ad peccata allici: quòd si tam iniquos habeant dominos, mutare eos debent: quòd si fortè ob lucellum aliquod mutare nolint, pro impœnitentibus meritò habentur. Saulus enim animæ, quantivis pretii lucris longè præferenda est. Solent autem plerumque servi mores imitari dominorum suorum, sicut scriptum est: *secundum judicem populi, sic & ministri ejus Sirac.* 10. *v.* 2. *vini frequentatio, & peccatorum detestatio.*

## CASUS II.

### *Quæ sunt officia dominorum erga servos?*

Resp. *Primùm* omnium domini cogitent, se à Deo in istam stationem collocatos esse, cui etiam omnium suarum actionum rationem aliquando reddituri sunt. *1. Cogitatio, quòd habeant superiorem se Dominum Deum.*

Deinde studeant Domini præ omnibus aliis, Christianis virtutibus, inprimis *pietati in Deum & æquitati erga proximum*, quia suos non tantùm præceptis, sed etiam exemplo regere debent, & ad ipsos quoque pertinet, quod ministris ecclesiæ in specie præscripsit Apostolus: *exemplum esto fidelibus in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate,* 1. *Timoth.* 4. *v.* 12. *& in omnibus exemplum te præbe bonorum operum Tit.* 2. *vers.* 7. *2. Pietas erga Deum, æquitas erga proximum.*

Tertiò servos suos in verâ pietate erudiri curent, quæcunque autem contra- *3. informatio in pieta-te.*

contra pietatem sunt, in ipsis severè puniant. Si *quis enim domesticorum curam non habeat, fidem negavit, & infideli est deterior 1. Timoth. 5, 8.* quæ non tantùm in curâ corporis, sed animæ potissimum locum habet.

4. *Alimenta, tutela & defensio.* *Quartò* domini servis debent necessaria alimenta, tutelam ac defensioné: *dignus enim est operarius mercede sua Matth. 10. v. 10.* & *Siracides* hortatur *cap. 33. v. 31. si tibi est servus, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem, sic eum tracta, &c.*

5. *Sanitatis cura.* Quintò servi ægrotantis etiam curam habere debet dominus, ut convalescat: quomodo enim Deus illam immisericordiam, quam nonnulli in servos ægrotos exercent, punire soleat, illustri in exemplo docetur 1. *Sam.* 20, 11.

6. *Mansuetudo & clementia.* Sextò domini mansuetudine & clementiâ tractare debent servos, juxta monitum Apostoli: *vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quòd & illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum Ephes. 6. 9. Seneca* etiam monet *libr. 6. epist. 47. clementer cum servis vivendum esse, ne alioquin eveniat, quod in proverbio jactatur, totidem esse hostes quot servos.*

7. *Sobrietas,* Septimò, ut domini officio suo laudabiliter perfungantur, sint inprimis *sobrij*, ne obliviscantur sapientiam, & mansuetudinem; sint *Alacritas,* *vigilantes*, ne quid mali familiæ per *Humilitas,* eorum incuriam accidat; sint *humiles*, ne dignitas domini eos efferat: quò pertinet exhortatio *Siracidæ*: *quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiã &c. Sir. 3. vers. 20.* sint *graves*, ne autoritatem *Gravitas.* prostituant apud servos, nam incompositio morum externorum distortum indicat animum, iuxta illud *Siracid. cap. 19. v. 26. ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus: amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.*

8. *Correptio.* Octavò, dominus servum, quem malis moribus corruptum esse novit, verbis, minis, & verberibus coercere debet, iuxta illud *Salomonis*: *flagellum equo, camus asino, & virga in dorso imprudentium Prov. 26 3.*

Si his mediis non emendatur, domo eum expellere debet, nisi fermè eum extra domum suam licentius victurum verisimiliter crediderit.

## CASUS III.

### *Habentnè domini in servos jus vitæ & necis?*

*Neg.* RESP. *Romani* veteres in servos & mancipia, quæ in bello erant servati & manu capti, jure gentium, hoc est, eo iure, quod multarum gentium usus approbabat, imperium vitæ & necis habebant: ideò in servos suos non quantum liceret, sed quantum liberet, potestatem exercebant.

Hoc ius ICti postea contra na-

turam esse rectè judicabant, quia domini servis, tanquam pecoribus dominabantur: quam ob causam postea per *constitutiones Imperatorum* correctum atque emendatum fuit: inprimis autem constitutione *Antonij Imperatoris*, is qui sine causa servum occidebat suum, eadem pœna afficiebatur, quâ is, qui alienum, aut alium hominem interfecerat.

Quin & interdictum fuit, ne heri durius in servos suos agerent, aut supra modum inhumaniter eos tractarent: aliàs servis contra ipsos coram judice agere licebat.

Et hæc omnia legi divinæ sunt consentanea. Nam & *Paulus* duritiem illam dominorum in servos prohibet, *Ephes.6,9.* & quo quis alteri, etiam quoad domesticam conversationem est familiarior, eò gravior est injuria ei illata. Sunt enim domestici unius corporis membra, quæ mutuam inter se invicem scissuram, quantum fieri potest, evitare debent.

## CASVS IV.

### *Num dominus servi sui delictum præstare, & propter illud puniri potest?*

*Aff. si potuerit illud impedire & nõ impediderit,*

RESp. Generalis regula est: *quoties dominus servi peccatum commodè impedire potest, & non facit, ipse obligatur ex delicto servi*: multò magis hoc vult, quando servus jussu & autoritate sui domini delinquit, aut in eo officio, & ministerio, quod jussu domini præstat & obit, ut si fortè in commodum aut mandatum Domini fiat usurarius, aut fur, aut latro, meritò dominus unà cum servo punitur.

*aut si ipsius consensu & jussu peccarit.*

Ita enim olim sanxit Deus: *si bos jam pridem cornupeta fuerit, & dominus ejus, monitus tamen, eum non occluserit, & is virum aut mulierem occiderit, & bovem lapidandum, & dominum ejus occidendum esse; aut si pretium fuerit impositum, danaum, quidquid pro anima interfecti fuerit postulatum. Exod.21.v.19.*

Si bovis huiusmodi culpam dominus præstare tenetur, quantò magis servi probrosi, quem dominus in commodum suum ad res illicitas, alterique noxias, instigare & informare potest.

Si verò servi insciis aut invitis dominis peccaverint, nemo pro altero, sed quilibet pro se pœnam luit.

## CASVS V.

### *Quomodo domini gerere se debent erga servos respectu mercedis?*

RESp. Extra controversiam est, dominos servis suam debere merce-

Digitized by Google

mercedem, quàm ei pactus est; si pactus nullam est, tamen solvere tenetur tantundem, quantum pro more patriæ alij solvunt, *dignus enim est operarius mercede sua Matth.* 10.

*Quibus nulla debeatur merces?*

Sunt tamen quibus nulla debetur merces, *qui* (1.) *se administrandũ offerunt*, non spe mercedis alicujus, sed beneficij & promotionis, quam hoc modo quærunt.

(2.) *Qui tantùm benevolentiam dominorum* istâ subjectione *quærunt*.

(3.) Qui alios non indigentes opera sua rogant, ut se famulitio suo adjungant, his præter victum & amictum nihil debetur.

(4.) Qui denique in aulis principum honestè educantur & erudiuntur, his educatio & institutio est instar mercedis.

Si verò servus pro certo pretio ad certum tempus conductus fuerit, & interim ad menses aliquot ægrotet, nihil ei detrahendum est de mercede, quia casus fortuiti sunt excepti: siquidem per ministrum illum non stat, quò minus operas debitas tempore toto, quò se pactum extendit, faciat.

## CAPUT XVII.

### *De Casibus Conscientiæ circa conversationem cum proximo.*

### PROOEMIVM.

*Quinam sit noster proximus?*

QVis sit noster proximus, non rectè judicatur ab omnibus. Quidam dicunt: *proximus egomet mihi*, ideò neminem alium curant, sed sibi tantùm vivunt, aliorum rebus nec secundis, nec adversis moventur.

Alij consanguineos suos tantùm pro proximis habent, quibus solis benefaciunt.

Alii amicos tantùm suos & benefactores proximum vocant, de quo benè mereri student, quia habent illi, quod retribuant, pauperum verò & eorum, à quibus iniuria fortè affecti sunt, curam non habent.

Sed Christus in parabola de eo, qui inter latrones cecidit, *Luc.* 10. docet omnem hominem, qui ope & subsidio nostro indiget, proximum nostrum esse, sive amicus sit, sive inimicus noster, sive cognatus sive alienus.

Cùm ergò homo sit ζῶον πολιτικόν, quem Deus ita condidit, ut non sibi tantùm vivat, & domi suæ desideat, sed & cùm aliis converſetur, instructione opus est, ne talis conversatio fiat vitiosa, quæ uni atque alteri cedat in peccatum.

Quæ ergò hîc occurrunt dubia, hoc postremo capite, volente Domino persequemur.

***



Digitized by Google

## CASUS I.

*Cùm inter proximos nostros etiam referantur inimici, quæritur an illi etiam à nobis sint diligendi? Ratio dubitandi est, quia Philosophi docent, amicos diligendos, & odio habendos inimicos, & in Scriptura Ioab dux militiæ Davidi velut exprobrando dicit: diligis odientes te, & odio habes diligentes te 2. Samuel 19. v. 6.*

*Quid sit dilectio proximi?*

RESP. Dilectio proximi est talis amor, quo benè volumus alicui propter ipsum, hoc est, sine emolumento & commodo nostro. Et hujus amoris objectum fecerunt etiam Ethnici hominem, sive amicus sit, sive inimicus. Est enim hominis officium, ut diligat alium, tanquam hominem, hoc est, ejusdem naturæ humanæ consortem; qualem amorem vocarunt benignitatem, benevolentiam & humanitatem.

Quando autem dicunt diligendos esse amicos, & odio habendos inimicos, hoc volunt, non esse diligendos inimicos secundum id, quòd sint nobis contrarij & adversi, sed quatenus homines sunt, & eorundem bonorum nobiscum consortes: quo sensu etiam *Ioab Davidi* vitio vertebat, quòd *Absolonis* filij degeneri fatum adeò lugebat, quia coram imperitâ plebe, scelus in filio approbare videbatur, cùm tamen justum Dei judicium in ipso agnoscere potiùs deberet.

Sed his non obstantibus, Christus jubet nos diligere inimicos, & eo ipso discriminat Christianos ab Ethnicis, quòd hi tantùm benefactores, illi etiam inimicos suos diligunt *Matth. 5. Luc. 6.*

*Tria in inimicis possũt considerari.*

Sciendum autem est in inimicis tria considerari posse: 1. Quòd inimici nostri sunt, quatenus nobis malè volunt ac nocent: & hoc in illis non est diligendum, aliàs peccatum diligeretur. 2. Quòd homines sunt & nostræ naturæ consortes: & hoc jure naturali in illis amare compellimur. 3. Quòd homines sunt, & divinæ gratiæ, vitæque æternæ, quam Christus omnibus adquisivit, capaces: atque hoc postremo respectu Christus vult inimicos à nobis diligi, quemadmodum pater cœlestis bonis ac malis, tanquam operi manuum suarum, cui vitam ac salutem nequaquam invidet, benefacit.

Etsi ergò vitia in persona inimici non probamus, quin & odio ea habemus, ipsum tamen inimicum amare tenemur, juxta tritum illud: **der Person Freund / der Sachē Feind /** idque partim *naturali amore*, ut amicum nostrum, & ejusdem nobiscum naturæ consortem; partim *superna-*

turali

*turali amore*, tanquam amicum divinum, eiusdem gratiæ Dei, & vitæ æternæ capacem, quam DEUS ei æquè atque nobis daturus est, si resipiscat.

## CASUS II.

### *Potestnè aliquis bona cùm conscientia optare proximo suo malum, aut in adflictionibus ejus lætari?*

Neg. RESP. De imprecationibus, quæ fiunt proximo, suo loco diximus: vide *suprà lib.2.cap.7.cas.8.*

De gaudio verò super afflictione proximi, nota sunt dicteria sapientum in Scriptura: *noli deridere tristem & afflictũ, est enim qui humiliat & exaltat*, inquit *Sirac. cap.7,12. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas*, inquit *Salomon*, *& in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam Proverb.24,17. qui ruina alterius lætatur, non erit impunitus Prov.17,5. & qui derident alios, hos ultio expectat, ut leo, & qui lætantur afflictionibus bonorum, in laqueo capientur, & dolor cordis exedet eos, Sir.27.v.32.*

Hæc omnia opposita sunt τῇ ἐπιχαιρεκακίᾳ, quæ non quærit commodum aliquod proximi, sed ignominiam.

Sed quemadmodum castigamus alios, quos in potestate nostra habemus, ut emendentur: ita & optare possumus impiis ac inimicis nostris aliquid mali, *non quatenus malum est*, *sed quatenus eis cedit in bonum*, seu quatenus emendationi eorum inservit. Limitatio.

Quo sensu *David* dixit *Ps.91,7,8. cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis: ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorũ videbis:* quibus verbis notatur lætitia piorum vel *ob justitiam DEI* justè punientis sceleratos, vel *ob ejusdem misericordiam*, qui hoc modo sceleratos ad frugem reducit.

In eundem sensum scribit *Gregorius lib.22. moral.cap.11. evenire plerumq; solet, ut non amissa caritate, & inimici ruina nos lætificet, & rursum ejus gloria sine invidiæ culpa contristet, cùm & ruente eo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque injustè opprimi formidamus.*

Quemadmodum ergò inimici nostri potentia aut felicitas nos contristat, non ut bonum quid, sed ut malum, quia ille bonis illis suis contra nos abutitur: ita malum eius nos exhilarat, non ut malum, sed quatenus conducit eis ad bonum, quia *vexatio dat intellectum, Esa.28,29.* & castigatio in eis operatur resipiscentiam.

* * * * *

## CASVS III.

## *Num quis bona cum conscientia inimicum suum à communi beneficio excludere potest?*

*Quid sit commune beneficiũ?*

RESp. Commune beneficium voco, de quo amici pariter & inimici participant, ut cùm eleemosyna distribuitur, aut aliud quoddam beneficium confertur, cùm preces pro aliis fiunt, aut liberatio ex communi carcere.

Hîc quæritur, *an in his inimicus præteriri queat?* ubi distinguendum est inter *personam publicam & privatam*. *Publica persona* in iis, quæ ut talis persona, ceu magistratus, judex &c. communiter in alios confert, inimicum suum præterire potest, si eum hac ipsa præteritione ob delictum aliquod secundum jura punit. Sic dum alios è carcere dimittit, inimicum retinere potest, non ut talem, sed ut gravius delinquentem.

Si verò extra judicium, tanquam *privatus* agit, eodem jure fruitur inimicus cùm amico: ubi tamen cavendum, ne sub prætextu judicij publici privata in inimicũ vindicta exerceatur.

*Privatæ* personæ in communibus beneficiis inimicum excludere non possunt, qui enim pro omnibus orat, eleemosynam dat omnibus, defendit omnes, &c. si inimicum suũ excluderet, προσωπολήπτης fieret, & à suspicione vindictæ privatæ liberare se non posset.

## CASVS IV.

## *Num quis inimicum obvium absque peccato salutare non potest?*

RESp. Disputant scholastici, neminem ad salutandum inimicum occurrentem cogi posse, & ICti nonnulli contendentem cum altero in foro, cum inimico suo loqui aut salutare eum prohibent, unde persuasi sunt nonnulli etiam ex Christianis, etiamsi ad sacram Cœnam accedentes inimicum juxta se in eodem sancto opere viderint, eumque salutare noluerint, minime peccare. *Neg.*

Sed major nobis esse debet regula Christi de diligendis inimicis, & de benefactis etiam erga eum, qui odit nos *Matth.* 5.

Neque est, quòd dicas, te amare proximum in animo tuo, licet verbis & signis externis amorem illum non exprimas: Nam *sermo est character animi*, & nisi hypocrita esse velis, nemo tibi, istis moribus, fidem habebit.

Proinde si verè diligis inimicum, salutare eum etiam non gravaberis, juxta exemplum *Davidis*, qui infensissimũ hostem *Saulum* in ipsa perte-

Digitized by Google

persecutione humaniter allocutus est, etiamsi eum in manibus suis haberet, & ad lædendum eum à suis instigaretur, 1. *Sam.* 24. *v.* 10. 26. *v.* 8, 9, 18.

Inprimis autem inhumanitas ista aliena sit ab iis, qui de una mensa benedicta participant, & de uno pane edunt, de uno calice bibunt, una hora; hi non nisi reconciliati cùm proximo ad hoc sacrum officium accedere debent, aliàs indignè de benedicto pane ac calice participabunt & judicium sibi accipient.

Viderint ergò tales advocati, qui istam inhumanitatem clientibus suis persuadent, in quem nam labyrinthum eos coniiciant, ex quo nũquam eos extrahere possunt.

Tu potiùs vince malum bono, & ut tranquillo animo ad sacram & tremendam istam mensam accedere possis, inimicum tuum saluta: quis scit, an non hac ratione eum commoveas, ut omnem iram ac rancoris affectum deponat, & tu humanitate tua tibi eum devincias: quòd sanè saluberrimum & bono Christiano dignissimum est officium, quod *Paulus* carbones *igneos super caput inimici colligere vocat Rom.* 12. *v.* 20.

## CASUS V.

### *Quomodo mutua cum proximo reconciliatio instituenda est?*

RESP. Reconciliatio cum proximo necessaria est: ideò Christus ita nos peccatorum nostrorum remissionẽ à Deo petere jubet, quemadmodũ nos remittimus proximo *Matth.* 6. & alibi dicit: *remittite, & remittetur vobis Luc.* 6. & iterũ: *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habeat aliquid contra te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tum veniens offeres munus tuum Matth.* 5. *Reconciliatio cum proximo necessaria est.*

Præsupponit autem reconciliatio offensionem: si alterutra pars tantũ alteram offenderit, ea ad reconciliationem sola tenetur, quæ si offensus præstò est, accedere eum, & ab eo veniam petere tenetur, vi verborum Christi *Matt.* 5. neq; quispiam absolvitur, nisi satisfecerit alteri, quem læsit. Si verò absens fuerit & compellari nequeat, sufficit interna animi reconciliatio, vel apud alios testificatio, quòd ad petendum veniam paratus fuerit.

Quòd si vero offensio fuerit mutua, is, qui prior offenderit, reconciliationis initium facere quidem debet, modò omnia sint paria, quoad personas, aut gravitatem delicti: aliàs qui posteriùs offendit, prior tamen reconciliationem quærere debet, si delictum ejus est gravius, aut persona offensa conditionis longè dignioris.

Hæc quidem ita disputantur: sed qui Deum & proximũ ex animo diligit, discrimen horum strictè non attendit, sed etiamsi in offensione

poste-

posterior, & conditione nobilior sit, initium tamen reconciliationis facere non gravatur, si altera pars sit ad reconciliationem aliquantò difficilior: quâ in re imitatur patrem cœlestem qui nobilissimus omniũ est, & neminem ostendit, offensus autem à nobis semper reconciliationis initium facit, quin & ut reconciliemur ei, hortatur 2. *Cor.* 5. *vers.* 19.

## CASUS VI.

### *An & quomodo fas est, proximo irasci, ne ira mihi noceat, & ut illicita ira à me pellatur?*

*Ira quid sit?*

RESP. *Ira est affectus animi, quâ quis vult alteri malum ex vindicta.*

*Quotuplex?*

Eaque duplex est, *justa & injusta*. *Iustam* esse aliquando iram, docet admonitio *Psal.* 4. *v.* 5. *Eph.* 4, 26. ubi *irasci* jubemur, *ita, ut non peccemus*: ergò datur aliqua ira, in quâ minimè peccatur.

*Ira justa quæ sit?*

Ea autem est ira justa, quæ (1.) justam habet causam, justa autem causa est, si qua fiunt contra Deum, vel idololatria vel blasphemia, vel studiosa mandatorum DEI transgressione, quemadmodum *Moses* irascebatur *Aaroni* fratri, cùm vitulum aureum conflasset, & populo, tanquam Deum, qui ipsos ex Ægypto d[illegible]xerit, propo[illegible] *Exod.* 32, 19. & *Phineas* ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenderet in castris *Num.* 25. 8. & *David* ob incestum filij *Ammonis* 2. *Sam.* 13. *v.* 20, 21. & *Elias* contra *Baalitas* 1. *Reg.* 19. *v.* 14.

(2.) Quæ non ex subito prorumpit impetu, sed ex præeunte consilio & deliberatione concipitur.

(3.) Quæ ex sanctis affectibus accenditur, videlicet ex studio virtutis, ex amore Dei, & mandatorum eius.

(4.) Quæ non fertur in personã hominis, sed ejus vitium, quo violavit decalogum.

(5.) Quæ non violat caritatem proximi: ita enim irascendum est proximo, ne excedamus modum, ne officiorum caritatis, quæ debemus etiam inimicis nostris, obliviscamur, sed ea etiam his, quibus justa de causa irascebamur, præstemus.

(6.) Quæ non quærit perniciem, sed bonum eius, cui irascimus.

*Ira injusta seu illicita quænam?*

Iram illicitam vocat *Suidas* ἀχαριστότατον πάθος, *ingratissimum affectum*, alij *insaniam brevemq; furorem.*

*Quinq; species iræ injustæ.*

Eius quinque faciunt species (1.) quando quis appetit punire aliquẽ qui nihil est promeritus.

(2.) Cùm quis appetit punire aliquem, plusquam meruit.

(3.) Cùm appetit aliquem puniri absque iusto ordine, nimirùm ab eo, qui non potest iure punire.

(4.) Cùm quis appetit punire absque

absque debito fine, hoc est, non ad tuendum bonum, aut culpam puniendam, sed ob finem alium.

(5.) Cùm appetit puniri absq; debito modo, si videlicet immodicè quis irascatur, ita, ut blasphemet Deum, aut maledicat proximo, aut etiam extremè indigenti non succurrat.

His addere possumus, præcipitantiam & temeritatem in irascendo; causam irascendi non sufficientem, quæ non spectat Dei gloriam, sed propriam vindictam; excessum iræ, etiamsi causa justa sit, cum quo conjuncta est blasphemia, rixa, convitium, & alia, quæ lædunt caritatem proximi.

*Resp. 1. propter Deum.* Hujusmodi iram vitare debemus tum *propter Deum*, tum *propter proximum*, tum etiam *propter nos ipsos*.

*Propter Deum*, quia (1.) ira Deo magnoperè displicet, turbat hospitium ejus: & diabolo in corde iracundo sedem ponit: ideò hortatur Apostolus *Paulus*, *ne contristemus Spiritum S. in nobis Eph.* 4, 30. imaginem Dei dissipat, quæ per tranquillitatem in nobis conservatur: templum Dei, quod sumus nos, incendit; Dei officium invadit, dum homo iracundus de sui vindictâ cogitat: *mihi autem vindicta, inquit Dominus, ego retribuam Rom.* 12, 19. *Deut.* 32, 35.

(2.) Deus iracundiam expressè prohibuit *Lev.* 19, 18. *non quæras ultionem, nec memor sis injuriæ civium tuorum, & Eliu apud Iobum* 36, 18. *non te superet ira, ut aliquem opprimas, & Eccles.* 11, 10. *aufer iram à corde tuo*, & *Jacob.* 1, 19. *sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram, & Rom.* 12. *ignoro vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* Quæ omnia Scripturæ dicta pro divinis mandatis habenda sunt.

(3.) Deus etiam iram pro homicidio habet, & in judicio suo tanquam homicidium punit, quia *ira viri non facit quæ sunt justa coram Deo Iac.* 1, 19. idcircò Christus dicit: *qui irascitur fratri, reus erit judicio Matth.* 5. *vers.* 23.

Deinde fugienda est ira *propter proximum*, cui multipliciter nocet. *2. Propter proximum.* Nam vir iracundus molestus utique & gravis est aliis, juxta illud *Prov.* 27. *vers.* 3. *grave est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior est:* tollit omnem amicitiam: nam *spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Prov.* 18, 14. ideo *noli amicus esse homini iracundo Prov.* 22, 24. tollit concordiam, quia *vir iracundus provocat rixas, qui autem patiens est, mitigat suscitatas Prov.* 15, 18. obliviscitur reconciliationis cum proximo, ob quam *Paulus* vult, ne *solem occidere patiamur super nostram iram Ephes.* 4. *v.* 26.

Denique fieri hoc debet *propter nos ipsos*. *3. Propter nos ipsos.* Nam ira nocet valetudini & vitæ juxta illud *Eccles.* 30, 26. *Zelus & iracundia minuunt dies*, nocet bonis & fortunis: nam *objurgatio & iracundia annihilabunt substantiam Eccles.* 20. impedit preces, in quibus tollendæ sunt *manus puræ absque iracundia* 1. *Tim.* 2, 8. impedit misericordiam, quia *ira non habet misericor-*



Digitized by Google

*diam* Proverb. 22. ad peccata procliviores reddit: nam *qui ad indignandum facilis est, ad peccata est proclivior* Proverb. 29, 22. ex viro sapiente facit stolidum, nam ut & Ethnicus ille dixit: *Ira furor brevis est*: & Salomon: *ira in sinu stulti requiescit* Eccl. 7, 10. & *fatuum statim indicat iracundia* Prov. 12, 16.

*Remedia iræ.*

Remedia iræ consistunt partim in *cogitationibus*, partim in *actionibus* hominis.

*Cogitare* debemus 1. De *Deo*, quod omnia, quæ nos turbare & ad iracundiam commovere possunt, à Deo sunt, qui nullas in nos injurias permittit, nisi propter nostrum emolumentum, quemadmodum *David* maledicta *Simei* ad Deum suo modo referebat 2. Sam. 16, 10. imitatores Dei nos esse oportet, qui est *lenis & longanimis* Exod. 34, 6. Deus quotidie remittit nobis debita nostra, & vult ut ad suum exemplum & nos remittamus aliis: vindictam scriptura homini prohibet, & soli Deo vendicat Roman. 12, 17. Deuter. 32. v. 25. Christus quoque injuriarum patientissimus fuit, ad cujus exemplum nos remittit D. Petrus 1. Pet. 2. vers. 2.

2. Cogitemus *de proximo nostro*, quanta sit fragilitas hominum, propter quam ei ignoscendum: quòd intentionem ejus, ut & circumstantias facti non tam exactè scire valeamus: quòd similem mansuetudinem, quam ipsi præstamus, ab ipso quoque expectemus.

3. Cogitemus etiam *de nobis ipsis*, quòd proximi mansuetudine in re simili indigeamus; quòd per iram valetudini & honori nostro, quin & animæ & famæ incommodemus: quòd per iram in Satanæ captivitatem incidamus, & spiritum sanctum amittamus, cujus fructus est mansuetudo & patientia Galat. 5, 21. quòd denique vitam nostram lædamus, nam *virum stultum interficiet iracundia* Iob. 5, 2.

*Quæ agenda?*

Actiones quoque mederi possunt iræ hominis, cùm videlicet iræ in prima statim ebullitione resistitur juxta *Pauli* monitum: *Sol non occidat super iram vestram* Eph. 4, 26. Ira enim venenum est, quod, quàm primum bibitum fuerit, evomendum est. Vir pius ad iracundiam incitatus prius *orationem Dominicam* precetur, antequam bilem in alium effundat: non multum conversetur cum eo, cui irascitur, donec ira efferbuerit: procul sit à contentionibus, quæ sunt occasiones irascendi: irascatur homo sibi ipsi potiùs, quàm aliis, quòd hos affectus unà cum peccatis aliis in se edomare nequeat: oret inprimis, ne hoc peccatum in se incrementum sumat.

His remediis adhibitis absque peccato irascetur, & sui ipsius victor de affectibus suis triumphum reportabit: quæ victoria est omnium nobilissima.

CASVS

Digitized by Google

## CASUS VII.

### *Licetnè interdum invidere proximo, & quomodo invidiæ illicitæ resistendum?*

*Invidia quid sit?* RESP. *Invidia est tristitia de aliorum bono quatenus nostrum bonum impedire aut imminuere videtur.*

*Quotuplex* Ejus duas species constituit *Beraldus in summa virtutum & vitiorum tom. 2. part. pag* 282. videlicet *exultationem in adversis proximi, & tristitiam in prosperis.*

Sed prior species ad ἐπιχαιρεκακίαν pertinet, quæ peculiare vitium constituit. Invidia autem semper est dolor ac tristitia ob res proximi secundas: eaque *licita* est & *illicita*.

*Resp. licita & illicita.*

*Licita & ejus species.* *Invidia licita* est, & absque peccato. 1. Cùm tristor ob bonum alterius, quatenus ab eo mihi imminet malum. 2. & quatenus illud mihi deest, quod tamen habere desidero, sive alius habeat, sive non. 3. quando is, qui bonum illud habet, eo est indignus. In his enim casibus non adest verum objectum invidiæ videlicet virtus, ideò invidia illicita esse non potest.

*Illicita & ejus species.* *Illicita invidia* est, cùm vel benè meritis laudem suam, vel piis felicitatem suam invideo, tantùm, quia impedit aut imminuit meam gloriam aut felicitatem, aut aliud quoddam commodum.

*Remedia ad invid. & illicitam evitandam.* Huic malo mederi possumus, considerantes (1.) quàm graviter Deus aversetur invidos, quia ipsi adversantur Deo, non agnoscentes dona ejus in aliis. Ideò ponitur invidia inter opera carnis, quæ hominem è regno Dei excludunt *Galat.* 5. *vers.* 21.

(2.) Quòd invidia creberrimè prohibeatur in Scriptura, *sicut in die honeste ambulemus, non in contentione & æmulatione Rom.* 13, 13. *Petrus* omnem *invidiam deponere* jubet 1. *Pet.* 2. *v.* 1. *noli æmulari in malignantibus Psal.* 37, 1. *ne æmularis impios, quoniam non habent spem mali, & lucerna impiorum extinguetur Prov.* 24, 19.

(3.) Quòd invidia pessimè audit in scriptura, *cum invidia tabescente iter non habebo Sap* 6, 21. *ubi zelus & contentio ibi inconstantia, & omne opus pravum Iac.* 3, 16.

(4.) Quòd invidia pugnat cum *caritate*, quæ non *æmulatur.* 1. *Cor.* 12. *v.* 4.

(5.) Quòd invidus nemini magis nocet, quàm sibi ipsi, macerat enim se inanibus curis, proximique rebus marcescit opimis. *putredo ossium invidia,* inquit *Salomon Prov.* 14. *v* 30 qua *tabescit invidus Psal.* 111. *v.* 10. *stultus enim complicat manus suas, & comedit carnes suas Eccl.* 4. *v.* 5. Hinc *Paulus* monet, *ne invicem invideamus, ac mordentes & comedentes ab invicem consumamur Gal.* 5, 26. 15.

## CASUS VIII.

### *Num quis bona cum conſcientia vitæ periculo ſe exponere poteſt, ut ſervet vitam amici?*

*Negat.*

RESP. Multi olim in eo præcipuam partem veræ amicitiæ poſuerunt, ſi quis pro amico moriatur, neceſſitate aut ſalute amici ita poſtulante.

Talis erat amicitia *Damonis & Pythiæ*, Philoſophorum *Pythagoræorum*, ut unus pro altero mori deſideraret ſub tyranno *Dionyſio*, referente *Lactantio lib. 5. inſtitut. divinar. cap.* 18.

Idem de *Pylade & Oreſte* refert *Cicero in orat. pro Lælio*, de *Pomponio & Lectorio*, ut etiam de *Volumnio & M. Lucilio*, *Valer. Maximus lib. 4. c. 7.*

Chriſtus etiam hoc pro ſigno perfectiſſimæ amicitiæ habet. Nam *majorem caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ioh.* 15, 13. & D. *Iohannes ſcribit: in hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere Ioh.* 3, 16.

*Mors pro amico perfectiſſimũ quidem eſt ſignum veri amoris,*

Principio igitur ſciendum, mortem pro fratre eſſe quidem perfectiſſimum ſignum veri amoris in proximum, quo Chriſtus loco laudato ſuum in nos amorem ardentiſſimum probavit. ſed habemus nos mandatum nullum, ut moriamur pro aliorum ſalute: imò ſi hoc in judicio fieret, & alter alterius ſupplicium in ſe reciperet, expreſsè prohibitum eſt, *Deut.* 24, 16. *non occidentur patres pro filiis, non filii pro patribus: ſed unusquisque pro peccato ſuo morietur.* & *Ezech.* 18, 20. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii, juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impij ſuper eum erit.*

*Nullum autem habemus mãdatum, ut moriamur pro aliorũ ſalute.*

Quòd autem D. *Iohannes* ſcribit, nos debere pro nobis invicem animas ponere, non niſi promtitudinem illam notat, quam quilibet habere debet erga proximum ſuum, *promtitudinem* videlicet *inſerviendi et etiam cum ſuo periculo*, etiamſi non pro ipſo moriatur.

*Reſp. ad dictum 1. Ioh. 3. v. 16.*

Nam *anima* in Scriptura non ſignificat tantum vitam, ſed & fortunas, honorem & quæcunque nobis in hac vita cara eſſe poſſunt, ut in illo dicto Chriſti: *qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Ioh.* 15, 25.

Exempla illa Ethnicorum negari quidem nequeunt, ſed non ab omnibus probata fuerunt. *Carneades* certè Philoſophus ſtultum eſſe dixit, pro altero mori, quæ ſtultitia majorem reprehenſionem meretur, quando id fit tantùm ob gloriam propriam, uti plerunque ab illis factum fuit.

*Reſp. ad exempla Ethnicorũ.*

Sciendum autem licitum eſſe vitam pro alio fundere tribus in caſibus

bus (1.) cùm is, pro quo fundimus, est persona publica, in cujus salute Reipub. salus sita est, ut imperator, aut princeps, qui si de vita periclitetur in bello, aut seditione, rectè facit subditorum aliquis, qui expositione corporis sui ipsum servat: id quod *Mauritio Duci Saxoniæ* accidit anno 1542. qui adolescens 21. annorum in bello *Turcico* è castris, uno saltem comitatus famulo nobili, cui nomen *Ribischius*, in *Turcas* incidit, cum quibus manus conseruit, & equo confosso, in terram effusus fuit. Ibi famulus corpore toto superincumbens, jacentem protexit, & tantisper illos demoratus est atque sustinuit, donec equites supervenerunt, qui principem eriperent, itaque vitam ei servavit: ipse verò acceptis multis vulneribus in castra relatus, non multò post interiit, referente *Sleidano l.* 15. *hist. sub initium.*

(2.) Cùm quis pro salute totius alicujus populi vitam periculo exponit, ut fit in duellis, quo pacto *David* in pugna cum *Goliathe*, & *Ionathan* contra *Philistinos*, fecerunt 1. *Sam.* 14, 12 *seqq.* 1. *Sam.* 17, 49. Nam bonum publicum semper anteferendum est privato, quemadmodum aliquis manum aut brachium exponit periculo, ut parcatur capiti, ex quo totius corporis sanitas dependet.

(3.) Cùm quis vitam corporalem periculo exponit propter alterius vitam spiritualem, ut si quis tempore pestis præsto est infectis, consolando eos, & sacrum animæ pabulum exhibendo; vel si quis docet populum fidei suæ commissum etiam cum periculo persecutionis, ne ille pabulo animæ destituatur: aut si quis adulteram ab adulterio dehortetur, etiamsi mortem ei minetur adulter. Quam dehortationem, qui officii ratione ad curam animæ alterius obstricti sunt, non tantùm lege caritatis, sed & per conscientiam suam instituere tenentur, quemadmodum *Iohannes Baptista* incestum *Herodis* publicè notabat, etiamsi capitis periculo se exponeret *Matth.* 14, 5. *seqq.*

Quibus autem id mandatum non est, hi non quidem peccant, si alios etiam cum periculo dehortentur à vitiis: hoc enim mutuæ caritatis esse, docet Apostolus *Galat.* 6, 1. caveant tamen, ne ex luxurie affectuum temeritatis pœnam incurrant.

## CASUS IX.

### *Quænam sunt observanda circa eleemosynas, quas debemus proximo?*

RESp. Certum est, eleemosynæ largitionem esse juris divini, quod abique vulnere conscientiæ vitare non possumus. Ita enim Dominus in lege mandavit: *si unus de fratribus tuis ad paupertatem devenerit, non obturabis cor tuum, nec contrahes* *Eleemosynæ dandæ sunt.*

Cccccc 3

*trahes manum tuam, sed aperies eam pauperi Deut. 15, 7. 8. & iterum: frange esurienti panem tuum Isai. 58, 7.* Sic Christus *benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes Luc. 6, 35.* Sic Paulus ad Timotheum scribit: *divitibus hujus seculi præcipe, facilè tribuere & communicare 1. Timoth. 6, 18. & epistola ad Hebræos: beneficentiæ & communionis nolite oblivisci. Heb. 13, 16.*

Testatur etiam Christus, multos in novissimo die in ignem æternum missum iri propter intermissam eleemosynam *Matth. 25.* quin & omnis Dei dilectio negatur ei, qui proximo opera misericordiæ negat *1. Ioh. 3, 17 Iac. 2, 15.* & *Augustini* dictum est: *si non pavisti, occidisti.*

Ad eleemosynam autem duo requiruntur 1. persona *dans*, 2. *accipiens.*

Quod dantem attinet, oportet eum habere (1.) Justum dominium ejus, quod dare vult in eleemosynam: nam de rebus malè partis malè datur: ideò Deus olim acceptare noluit mercedem canis aut prostibuli *Deut. 23, 18.* De alienis etiam nihil dari potest pauperibus, nisi ab iis, quibus est bonorum alienorum administratio concredita, ut sunt quæstores, œconomi, tutores, curatores &c. qui de bonis suorum principalium vulgares eleemosynas dare possunt, quos & alii dant communiter, inter quos vivunt.

(2.) Danda est eleemosyna ex superfluitate bonorum, hoc est, cùm quid superest, quoad servandam vitam, & ad decentem & honestum statum nostrum & nostrorum tuendum non opus habemus. Ita enim dandum est, *ut aliis sit relaxatio, nobis autem detrimentum 2. Cor. 8, 13.*

(3.) Danda est eleemosyna non coactè, non tristi, sed hilari vultu, non cum exprobratione, sed ita, ut sinistra ignoret, quid fecerit dextra. *Hilarem enim datorem amat Deus Sir. 35, 11. 2. Cor. 9, 8.*

(4.) Eleemosynæ fiant non animo hypocritico, & inanis gloriæ tantum causa, quales erant eleemosynæ *Pharisæorum,* quas reprehendit Christus *Matth. 5. & Luc. 6.* sed simplici animo, tantùm propter mandatum Dei, & ad sublevandam proximi indigentiam.

(5.) Eleemosynæ non sint nimiæ, quæ ipsum etiam dantem ad paupertatem redigant: ideò hortatur *Salomon: fontes tui deriventur foras, sed tu maneas Dominus eorum Prov. 5, 17.*

Quod accipientem attinet, oportet eum esse egentem, & necessitate laborantem: nam divitibus, aut necessaria vitæ habentibus eleemosyna non datur.

*Necessitas, propter quam eleemosyna danda.*

Necessitas autem illa, propter quam eleemosyna danda, triplex esse potest: aut enim est *extrema necessitas*, aut *gravis*, aut *communis & ordinaria.*

*1. Extrema. 2. Communis. 3. Ordinaria.*

*Extremam* appellant, cùm quis probabile mortis periculum incurrit: *gravem* cum quis indiget, quo suæ personæ vel suorum decentem conditionem aut statum conservet, *communem & ordinariam*, quæ ubiq; & passim occurrit, qualis est mendicantium

cantium & vulgarium pauperum, qui aluntur in nosocomiis aut Xenodochiis, aut alii, qui vestitu, cibo, potuque indigent.

Jam si quæritur, *quibusnam danda sit eleemosyna*, volunt nonnulli Scholastici, iis tantùm dandam esse, qui extrema necessitate laborant: qui autem in gravi necessitate sunt constituti, iis non esse dandam eleemosynam, sed mutuum: quam disputationem vide apud *Azorium part. 2. instit. moral. lib. 12. cap. 7.* & apud *Iodocum Lorichium in Thesauro novo Theolog. voce eleemosyna* 6. 9.

Non autem opus est ambagibus. Danda est eleemosyna omnibus egentibus, quantum ad vitæ sustentationem sufficit; ideò *esurienti panem frangere* jubemur *Esa.* 58. neque necesse est, ut unus suppeditet solus, quantum ad sustentationem pauperis alicujus sufficit, sed junctis aliorum operis id fiat: ita enim uni danda est, ut & in usum aliorum pauperum aliquid supersit.

Ut autem aliquis necessaria ad statum & conditionem suam ex eleemosynis conquirat, ad id non sunt necessariæ eleemosynæ omnium, sed sufficit consulere ei tantùm illos, quos vel vitæ genere, vel consanguinitate aliqua attingit. Ad hoc enim omnes non sunt obstricti lege caritatis, quæ tantum sufficientem sustentationem pauperum requirit, ne vel fame vel nuditate pereant.

## CASUS V.

## *Quis est observandus ordo in dandis eleemosynis?*

RESP. Eleemosyna est fructus caritatis Christianæ. Caritas autem est ordinata, & incipit à seipsa. Fieri potest, ut & parentes ad paupertatem redigantur, liberis florentibus: ab illis ergò meritò fit initium, quorum *eleemosyna non erit in oblivione Sir.* 3, 15.

*Inter parentes primum habet locum pater*, qui prior etiam juvandus, quàm mater.

Deinde sequuntur *liberi*, quibus priùs debentur eleemosynæ, quàm uxori, licet extremè indigenti.

Postea sequuntur, *fratres, sorores, & alij sanguine nobis propius conjuncti. Qui enim suorum curam non habent, deteriores sunt Ethnicis* 1. *Tim.* 5, 8.

Huc pertinent etiam *domestici*, & quicunque nobis aliqua ratione conjuncti sunt: hi priùs eleemosynis juvandi sunt, quàm extranei: ut & *debitor* potius juvare debet *creditorem* ad paupertatem redactum, quàm alium, nisi ipse quoque extrema necessitate laboret.

Denique sequuntur *extranei*, inter quos tamen prærogativam habent *religionis nostræ socij*, quemadmodum scriptum est: *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes; maximè*

*maximè autem ad domesticos fidei Gal.* 6. v. 10.

Ad *extraneos* pertinent etiam *mali*, & beneficiis nostris indigni: his quoque egentibus non est deneganda eleemosyna, quia vult Christus *nos diligere etiam inimicos. Matth.* 5. quin imò, si malus in extrema sit necessitate, juvandus etiam est à nobis præ cæteris, quia hoc in genere magis ad indigentiam, quàm indignitatem ejus respiciendum est.

Etsi autem necesse non est, in aliorum indigentiam operosè inquirere; si tamen ea in oculos incurrat, & ineptitudo ejus ad labores publicè nota sit, pro tali habeatur, qui nostro egeat auxilio: sin verò malitiosè paupertatem simulat, cùm laboribus victum adquirere possit, tunc ad dandum ei nemo obligatur: neq; enim liberalitas nostra aliorum confirmare debet nequitiam. Plura *de validis mendicantibus* vide *suprà lib. 4. cap. 4. cas. 9.*

## CASUS XI.

### *Si debitor ac creditor extrema necessitate pariter laborarent, num debitor jure teneretur ad reddendum creditori, quod debet, & penes se adhuc habet?*

Neg. RESP. Quæstio hæc ventilatur inter scholasticos, ubi quidam distinguunt *inter res*, quæ creditori debentur, quæ *vel usu consumuntur*, ut panis aut cibus alius: vel *non consumuntur*, ut equus, navis aut simile quid.

*Prioris generis res*, ut panis in extrema fame, *retineri potest* à debitore, modò animum habeat restituendi æquivalens aliquid, cùm poterit: *posterioris generis res*, exempli gratiâ, equum aut navigium, quod creditor ad fugam indiget, *statim restituere tenetur*, quia creditor equi aut navigii dominium habet, aliàs perinde esset, ac si debitor creditorem equi aut navigii possessione privaret.

Alii absque distinctione debitorem non teneri, inquiunt, ad restituendam rem commodatam etiam in extrema necessitate, quia (1.) in extrema necessitate omnia sint communia, quoad usum, ut *est in l. 2. §. cum in eadem ff. ad legem Rhodiam, de jactu.*

(2.) Quia in communi periculo melior est conditio possidentis. Proinde etiamsi res commodato à creditore fuerit accepta, in extrema tamen necessitate usu facta est communis, & sine peccato à debitore possidente usurpari potest.

Quæ ratio probabilis esse videtur: nam *caritas incipit à seipsa*, & nemo unquam proprium suum corpus odio habuit: si quis verò in extremo periculo constitutus re præsenti licet aliunde acceptâ ad servandam vitam non uteretur, sibiipsi injuriam facere videretur. Et hoc valet,

Digitized by Google

valet, sive res sit talis, quæ usu consumi potest, sive non.

Quòd si verò debitor è periculo eluctatus, & locupletior factus fuerit, tunc non tantùm rem acceptam creditori restituere, si non eandem numero, æquivalentem tamen in pretio: sed & loco gratitudinis aliquid superaddere tenetur, quia vita hominis omnia terrena bona superat.

## CASUS XII.

*Num, qui mutuum dedit pauperi, præceptum eleemosynæ implevit, si quod mutuum dedit, sibi restitui postulet?*

*Misericordia & eleemosyna differűt ut latius & angustius.*

RESp. Misericordiæ præceptum à præcepto eleemosynæ distinctũ est, tanquam latius & angustius. *Omnis enim eleemosyna est species misericordiæ, sed non omnis misericordia est eleemosyna. Misericordiæ* præceptum est Syr. 4. v. 2. *animam esurientem ne despexeris*: præceptum *eleemosynæ*: *frange esurienti panem tuum Esa.* 58. ad opera *misericordiæ* pertinet mutuum tempore necessitatis, etiam cum obligatione restitutionis, de quo scriptum est *Syr.* 29. *v.* 2. *mutuum da proximo tuo, & in tempore necessitatis illius, & iterum, redde proximo in tempore suo. Eleemosyna* simpliciter datur gratis, sine spe restitutionis, de quo Christus dicit *Luc.* 6. *v.* 35. *mutuũ date, nihil inde sperantes*; sufficit interdum *mutuum* dare pauperi non simpliciter, sed hoc loco ac tempore, tãtum indigenti, vel artes & vires habenti, aliquid deinceps comparandi, & tunc ad restitutionem tenetur, nisi creditor ei remiserit: & tunc creditor etiam repetendo commodatum misericors dici potest, sed eleemosynam non dedit. *Eleemosyna* enim est officium merè gratuitum, quod debetur simpliciter indigẽti, nec quidquam vel jam vel postea habenti, unde quod accepit, reddat.

*Septem opera misericordiæ corporalia.*

Adde quòd vulgò *septem* numerantur *opera misericordiæ corporalia*, quæ hoc versiculo comprehenduntur:

*visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

*Sex opera misericordiæ spiritualia.*

& *sex* alia *spiritualia*, hoc versiculo contenta:

*consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.*

*Misericordia* extendit se ad utriusque generis opera; *eleemosyna* tantum pertinet ad corporalia: *misericordes* ergò sunt, qui hominem quà corpus, quà animam juvant: *eleemosynæ* autem præcepto satisfaciunt ii etiam, qui pauperem in corporalibus tantùm sublevant.



Digitized by Google

## CASUS XIII.

### *Num dives tenetur debitum, quod pauper suæ sustentationis gratia contraxit, solvere, dum pauper non est solvendo?*

Neg. RESp. Eleemosynæ debentur pauperi, tanquam alimentum, dum eget, postea non ampliùs. Nemo ergò tenetur simpliciter ad solvendum debita pauperis: sed si pauper est adhuc solvendo, si non jam, tamen futuro tempore, cùm per vires corporis, & artem, quam didicit, tantum sibi comparare queat, quantum ad solutionem sufficit, alius pro ipso solvere non tenetur: sed si planè non habet, unde vel jam vel in posterum solvat, ditiores utique ex lege caritatis ei succurrere tenentur.

Hîc verò præstat creditorem hanc ei gratiam præstare, & vel expectare, donec facultatem solvendi accipiat, vel quod solvere non potest, ei gratis remittere, quod est opus eleemosynæ, Deo gratissimum: de quo scriptum est: *perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem Sir. 29, 13.*

## CASUS XIV.

### *Num avarus, qui ita tenax est, ut de suis bonis non ausit decerpere, quantum ad sui sustentationem sufficit, aliorum ope sublevandus est?*

RESp. Distinguendum est inter homines tenaces: *quidam ex varitia sit malitiâ* tales sunt, qui nunquam satis habent, ideò nec præsentibus uti norunt, ne cumulus minuatur: his tam deest, quod habent, quàm, quod non habent: & horum avaritia hoc modo punitur divinitus, quòd non audent bonis suis uti, de quo *Salomon* scribit *Eccl. 6. v. 12. est alíud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines: vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas & miseria magna est.* *Neg. si avaritia sit ex malitia.*

His, etiamsi revera pauperrimi sint, & fame laborent, non succurrendum est aliorum eleemosynis, quia scientes & volentes sunt tales, hoc nomine in Deum ingratissimi, quòd ex divitiis suis mammonam faciunt, cui serviunt: in quâ impietate nostrâ beneficentiâ non sunt confir-

confirmandi: esuriant potius, ut bonis suis uti frui discant.

*Quidam autem ex morbo animi tenaces sunt*, uti fit interdum apud melancholicos, qui se nihil habere, unde vivant, persuasi sunt; quidquid possident, aliorum esse putant. His ex condolentiâ succurrendum est, sicut aliis infirmitate animi laborantibus, donec ad se reversi melius sapere discant.

## CASUS XV.

### *Num eleemosynæ tantus est effectus, qui extendat se ad spiritualia, ita, ut credendum sit, eleemosynis redimi nos à peccatis & salvari?*

Neg.

RESP. Refert *Augustinus lib.* 21. *de civ. Dei cap.* 22. & 26. fuisse, qui existimarunt, eos tantùm condēnandos esse, qui eleemosynas nullas dederunt, quia scriptum sit *Iac.* 2. *v.* 13. *judicium absque misericordiâ ei, qui non fecit misericordiam*: eos autem, qui dant eleemosynas, quamvis magnis peccatis teneantur, in quibus usque ad finem vitæ perseverant, aut damnandos non esse, aut non in æternum puniendos: quem errorem in *cap.* 16. prolixè refutat, quemadmodum etiam *Gregorius libro duodecimo moral. cap.* 14. *lib.* 19. *c.* 20. &c.

Pontificio-rum opinio.

*Pontificii* eleemosynam sine pœnitentiâ quidem nemini prodesse ad salutem statuunt, cùm pœnitentiâ tamen conjunctam, seu ex fide & caritate profectam, & peccata expiare, & viam ad salutem aperire, hoc est, meritoriam ac satisfactoriam esse docent, ut videri potest apud *Bellarminum lib.* 3. *de bonis operibus in part. cap.* 4. *lib.* 4. *de pœnitent. cap.* 8.

Patrum quorundā dicteria de eleemosyna effectibus spiritualib.

Patres nonnulli eleemosynæ fructus tribuunt spirituales, expiandi peccata, ut *Ambr. serm.* 30. *de eleemos. vide ergò*, inquit, *quæ sit eleemosynæ gratia, quod una & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum.* Similia habet *Hieron. in Psal.* 133. *Cyrill. lib.* 2. *in Lev. Chrys. hom.* 5. *in Gen.*

Dicta quædam hic quoq; objici solent, ut Dan. 4. 24. Luc. 11. 4. Prov. 16. 6. Sir. 3. 34. Tob. 4. 11.

Scriptura quoque quibusdam in locis remissionem peccatorum eleemosynis adscribere videtur, ut cùm *Daniel* ad *Nebucadnesarem* dicit: *peccata tua eleemosynis redime Dan.* 4, 24. & Christus: *date eleemosynam, & omnia munda erunt vobis Luc.* 11. 4. & *Salomon Prov.* 16, 6: *misericordiâ & veritate redimitur iniquitas*, & *Sir.* 3, 34: *ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*, & *Tob.* 4, 11: *eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Expiatio peccatorū, liberatio à morte & inferno, salutis æternæ acquisitio, est opus solius Christi.

Verùm enimverò expiatio peccatorum, liberatio à morte & potestate Satanæ, in solidum est opus Christi, qui de se dicit *Esa.* 43. *v.* 25. *servire me fecisti in peccatis tuis, laborē mihi præbuisti in iniquitatibus tuis: ego, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorū*



non

*non recordabor*. Nullum bonum opus est tam præclarum, quod hunc effectum attingere possit: & quantum ex propriis operibus ad satisfactionem pro peccatis additur, tantum merito Christi adimitur.

Eleemosynæ igitur neque justificant peccatorem, neque peccata redimunt, neque pro iis satisfaciunt, sed sunt fructus hominis jam justificati, qui facit opera digna pœnitentiâ.

*Resp. ad Dan. 4, 24.* Sic *Daniel* regi *Nebucadnesari* impio & injusto, qui expilatione subditorum peccaverat, persuadet pœnitentiam, quam operibus misericordiæ erga eos, quibus injuriam fecerat, declarare, & sic *peccata sua abrumpere*, ut habent fontes, debebat, quod fit, cùm in locum expilationum, opera beneficentiæ regiæ succedunt.

*Ad Luc. 11. v. 4.* Christus in allegato loco agit cū *Pharisæis*, qui munditiem nescio quam quærebant in externâ lotione calicum, patinarum & similium vasorum: ipse vero suadet, ut mundent interiora per veram pœnitentiam, rapinas suas & avaritiam, (avari enim erant *Luc.* 16.) per eleemosynam compensent, & sic mundæ erunt omnes ipsorum possessiones, cibus, potus, patinæ, & quibuscunque demum rebus utebantur.

*Ad Prov. 16. vers. 6. Tob. 4. v. 11 Sir. 3. v. 14* In reliquis dictis *Salomonis, Siracida & Tobiæ* non agitur de expiatione peccatorum, nec de æternâ morte: ad hæc enim duo satisfactiones operum nostrorum referendas non esse *Bellarm.* ipse fatetur *lib. 1. de indulg. cap. 7.* sed agitur de liberatione à pœnis temporalibus, de quibus fatemur, quòd beneficentia erga pauperes extinguantur, sicut ignis aquâ extingui solet, quemadmodum in *Psal.* 41. *v.* 1. promittitur: *beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem, liberabit eum Dominus in die malâ, conservabit eum in vitâ & opem ei feret, super lecto doloris ejus.* Id autem facit Deus non quasi eleemosyna habeat vim expiatoriam, sed propter paternam Dei beneficentiam, cui placuit liberâ bonitate, hunc in modum fidelium suorum opera remunerari.

Sententias *Patrum* quod attinet, notum est, ipsos de satisfactionibus operum nostrorum per hyperbolen sæpè loqui, præsertim in sermonibus ad populum: idque *cohortatoriè potius, quam verè*, sicut *Chrysostomus* loquitur: proinde interpretanda sunt eorum dicta, ita, ut cum analogia fidei consentiant: interdum etiam non ipsius culpæ expiationem, sed tantùm liberationem à pœnis temporalibus eleemosynis tribuit, ut apparet ex illo dicto *Cypriani lib. 4. epist. 2. ad Antonianum*, ubi ad illa verba: *eleemosyna à morte liberat*, addit: *non utique ab illâ morte, quam semel Christi sanguis extinxit, & à quâ nos salutaris baptismi, & redemtoris nostri gratia liberavit; sed ab eâ, quæ per delicta postmodum serpit*: quæ verba citantur etiā in jure *Gratiani dist. 1. de pœnit. c. miror autē.* Et hæc de eleemosynis sufficiant. *Ad dicta Patrum.*

CASUS

## CASUS XVI

### *Quomodo correptio proximi peccantis instituenda est, ut proximus corrigatur?*

RESP. Correptio fraterna pertinet ad opera misericordiæ spiritualia, & à quibusdam eleemosyna spiritualis appellatur.

*Necessitas correptionis fraternæ.* Magna ejus est *necessitas*. Quemadmodum enim proximi necessitatem corporalem, paupertatem, captivitatem & alia vitæ pericula ope nostrâ sublevare tenemur: ita ad corrigenda ejus peccata, quibus animæ periculum incurrit, ex lege caritatis obstringimur. Idq; Christus à suis requisivit *Matth.* 18, 15. *si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, &c.* Qui locus etiamsi communiter de privatis offensis exponatur, quia dicitur, *si peccaverit IN TE frater*: generaliter tamen in nos peccare dicuntur, qui non sine scandalo vel in Deum vel in fratres peccant: qui si non corriperentur, nunquam ipsi peccati sui gravitatem agnoscerent, atque sic in peccatis suis facilè perire possent.

Huc pertinet dictum *Sirac.* 19. *v.* 13. *corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat, non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere.*

*Quinq; hic observãda* Ut autem ista correptio rectè, & cum fructu instituatur, quinque explicanda sunt: 1. *quinam corrigere debeant alios?* 2. *quinam sint corrigendi?* 3. *quotuplex sit correctio?* *quomodo instituenda?* 5. *in quem finem?*

*1. quinam corrigere debeant alios?* Quod primum attinet, omnes simpliciter Christiani corrigere tenentur proximum peccantem, inprimis autem superiores, eos, in quibus aliquam officii ratione potestatem habent, ut magistratus subditos, minister ecclesiæ auditores, parentes liberos, præceptores discipulos: de superioribus nullum est dubium: quod autem etiam inferiores ad hoc officium sint obligati, inde patet, quod officia caritatis Christianæ omnibus sunt communia. Sicut ergò inferior superiorem suum solari potest & erigere in afflictionibus: ita quoque dehortari potest à peccato, ne pereat anima ejus. Quin & peccator peccatorem alium corrigere potest, qui nondum amisit judicium rationis, ideoque etsi in peccatis ipse sit, potest tamen de aliorum peccatis verè judicare, etiam sine scandalo aliorum, & sine sui ipsius condemnatione.

*2. Quinam sint corrigendi?* Deinde personæ corrigendæ sunt peccatores, præsertim scandalosi, sine respectu dignitatis sexus aut ætatis: ubi enim morbus est communis, ibi etiam communi opus est medicinâ: idcircò etiam superior ab inferiori potest corripi, & senior à juniore, maritus ab uxore, observato tamen debito more ac modo, de quo postea.

*3. Quotu-* Tertiò correptio fieri potest du-

*plex sit correptio?* pliciter: 1. *simplici reprehensione* peccantium, 2. *denunciatione facti apud alios*, præsertim apud superiorem, aut etiam apud ecclesiam totam.

De *simplici reprehensione* loquitur *D. Iacobus cap. 6. v. 20: fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum: scire debet, qui converti fecerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum: & D. Paulus Gal. 6. v. 1: si quis praoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite, in spiritu lenitatis.*

De *denunciatione* habemus præceptum Christi *Matth. 18. v. 17: si non audierit, dic ecclesia*: & exemplum *Iosephi*, referentis delicta fratrum ad parentem *Gen. 37. v. 2.* domesticorum *Chloes*, referentium vitia *Corinthiorum* Apostolum *Paulum 1. Cor. 1. v. 11.* & denique *Mardochai* denunciantis facinus proditorum *Ahasvero regi Esth. 2. v. 22.* Notus est etiam versiculus *Catonis*:

*quod nosti haud rectè factum, nolito tacere,*
*ne videare malus.*

*4. Quomodo correptio sit instituenda?* Quartò in corripiendo fratre cum fructu, multa sunt accuratè observanda:

(1.) *Respectu persona corripienda.* Si fuerit superior, correptio (1.) magnâ cum humilitate & reeverentiâ facienda, ne sibi imperium aliquod in superiorem inferior affectasse videatur: (2) fiat potiùs per modum obsecrationis, quàm reprehensionis, nisi fortè per superioris delictum fides ac religio vera periclitari videatur; ibi enim etiam duriusculè cum taliter peccante agi potest, quo refer exemplum *Pauli 1. Tim. 5. v. 1. 2.* (3) fiat primum clam & occultè, ne superioris autoritas imminuatur.

(2.) *Respectu corripientis*, qui si ipse peccator est, priùs deponat ipse peccatum suum, magnâque cum mansuetudine peccatorem alium tractet, ne ipsi insultare videatur, & notam temeritatis incurrat: inprimis autem caveat, ne in eodem delicto, quod carpit in alio, deprehendatur;

*Turpe enim est doctori, cum culpa redarguit ipsum.*

(3.) *Respectu peccati*, quod corrigendum est. Nemo enim corripiendus est, ex meris suspicionibus, aut rumoribus vulgi, sed de peccato certi quid constare oportet: *non omni verbo credas*, ait *Sirac. 19. versic. 16.*

Peccata insuper sunt vel *manifesta*, vel occulta.

*Publica* peccata priùs præcedentibus admonitionibus aliquoties privatim, corripienda sunt, si nihil proficitur, publicè etiam sunt redarguenda, præsertim à superioribus, quia plures talibus peccatis sunt perturbati. Hoc fit ex præcepto Christi: *peccantem in te fratrem corripe inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es & fratrē tuū: si te nō audierit, adhibe adhuc unum vel duos, quod si nō audierit te, dic ecclesia Matt. 18. v. 16. 17.* Sic *Paulus* scribit: *peccantes co-*

Digitized by Google

*tes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant,* 1. *Tim.* 5. *v.* 20.

*Occulta* peccata, de quibus nulla est suspicio, non sunt scrupulosè inquirẽda etiam à superioribus, & subditus non tenetur respondere inquirenti de occultis. Occulta confessa si vergunt in totiꝰ Reipub. aut multorum proximorum, aut etiam in alicujus eximii & eminentis viri detrimẽtũ, ut est proditio civitatis, hæreseos occulta propagatio, & simile quid, primum secretò sunt corripienda: si hoc modò peccantes non emendantur, confestim superiori denuncientur, aut aliis, quibus creatur periculum, quemadmodum *Mardochæus* proditores & sicarios *Abasveri* aperiebat regi *Esth.* 2. *v.* 22. & cognatus *Pauli* seditionem cõtra ipsum susceptam denunciabat tribuno *Act.* 23. *vers.* 17. Si occulta delicta nocent tãtum delinquenti, is propterea clam corripiendus est, ne fama ejus lædatur: si verò non est spes ulla melioris vitæ, indicetur etiam superioribus, ut pudefiat, & peccare desinat: satius enim est hoc in casu consulere conscientiæ proximi, quàm famæ.

(4.) *Respectu aliarum circumstantiarum*, loci præsertim atq; temporis, ne corripiãtur ebrii aut iracundi, dum adhuc tales sunt: nam ebrietas homini aufert mentem, ne percipiat quid secum agatur, & *ira furor brevis est*: multique importunè moniti aut correpti deteriores facti sunt.

5 *In quem finem instituenda correptio.* Postremo loco, finis correptionis fraternæ sit legitimus, nõ diffamatio proximi, nõ delectatio in ejus lapsu, non insultatio, multò minus interitus ejus: sed correctio vitæ & evitatio æternæ damnationis. Ideò prius quidem Zelus, sed & misericordia & συμπάθεια in corripiente requiritur, qui ex proximi periculo cautior fieri debet: secũdùm illud: *Felix, quem faciunt aliena pericula cautũ*: ideò *Paulus* fratrẽ à nobis *spiritu lenitatis vult instrui, ita, ne & nos tentemur Gal.* 6 *v.* 1. id quod senex ille fecit, qui cùm audisset, peccasse quendam ex fratribus, amarissimè flebat inquiens, *ille hodie, ego cras*, referente *Bernhardo serm.* 2. *in pascha*: quo in loco sanctus ille monachus tria requirit corporis membra in eo, qui correpturus est fratrem: *mentem, linguam, manum. In mente sit compassio affectuum; Zelus rectitudinis, & discretio spiritus. In linguâ sit modestia in increpando, copia in exhortando, & efficacia in persuadendo; in manu sit continentia in carne, misericordia in fratre, patientia in pietate.*

## CASUS XVII.

### *Quomodo humanitati erga proximum absque læsione conscientiæ studere possumus?*

*Humanitatis nomina varia. Humanitas* Resp. Humanitas aliàs vocatur *comitas, affabilitas, benevolẽtia & familiaritas*, græcis φιλανθρωπία, & est una ex virtutibus homiliticis, q̃ in con-

*ad omnes se extendit: amicitia tantum ad notos & familiares pertinet.*

conversatione cum hominibus modum observat, ne quemquam vel sermone vel facto offendat, sed potiùs, ut quoslibet honestè delectet.

Objectum ejus est actio & oratio in familiari conversatione.

Qui ergò hac virtute rectè vult uti, operam dare debet, ne vel in sermone vel in actione proximum offendat, id quod tam in excessu, quàm in defectu fieri potest.

*Contraria vitia in excessu,*

In excessu quidem, cùm omnibus, quibus non decebat, & quando non decebat, nimis affabiles & faciles nos reddimus: idq; duplici de causâ fieri potest; aut enim tantùm delectandi gratiâ id facimus, ut videamur placidi & amabiles omnibus, quod vitium *assentatio* dicitur, aut facimus id lucri gratiâ, quod inde nos consecuturos speramus, idque nominatur *adulatio*.

*assentatio, & adulatio.*

Utrumq; vitium cum mendacio conjunctum est, omnibus enim placere in solidum est impossibile: ideò necesse est, ut assentatores, quò omnium favorem sibi comparent, sæpè reprehendenda suaviter collaudent, atq; ita eos, quibus placere student, in sceleribus confirment, unde rectissimè dixit *Comicus*: *assentatores non venire, ut arrideant, sed ut arrodant*.

Adulatores verò conjunctam habent avaritiam; ideò enim in omnibus applaudunt proximo, ut suam non modo cutem curent, sed & aliena bona adulationis suæ præmium veluti prædam accipiant.

*Contrarium vitium in defectu est morositas.*

In defectu verò pugnat cum humanitate, morositas, quæ duriter alloquitur alios, & fastidiosè audit, difficulter officia præstat, aut certè id sine omni suavitate aut benevolentiæ significatione facit.

Inter hæc duo extrema, media incedit humanitas, neque *omnibus*, & *ubique*, neq; *nulli* & *nunquam* placere studens: magis tamen accedit ad virtutem assentatio, quàm morositas: quia ibi actus humanitatis est, quamvis vitiosus, qui tamen corrigi potest. In adulatione autem nihil prorsus humanitatis occurrit.

*Regula observãda in exercenda humanitate erga proximũ, ne peccemus.*

Quicunq; ergò absq; peccato humanus esse vult erga proximum, has observet regulas: (1.) Nec omnibus placere cupiat, nec ipse omnia probet, sed utrinque quantum honestas patitur, præstet.

(2.) Aliter converfetur cum hominibus in dignitatis gradu constitutis, aliter cum vulgo.

(3.) Eos quibuscum conversatur, non semper delectare studeat; sed si delectatio cum turpitudine sit conjuncta, nonnihil offendat potiùs proximum, quàm turpiter delectet.

(4.) Benevolentiam singularem ostendat sermone & gestu, loquendo, audiendo, serenitate vultus, suavitate morum, libenter salutando, & obvios blandè alloquendo.

[*Trajanus ob nimiam humanitatem reprehensus, dixit: talem se esse erga privatum, qualem sibi privatus Imperatorem optaret.*]

(5.) O-

Digitized by Google

(5.) Omnem offensionis occasionem vitet; in *oratione & dictione*. In *oratione* autem offendit exilitas vocis, murmur, inconstantia, raucedo, screatus, vitiosus halitus, &c. in *actione* offendit corporis mot⁹ scurrilis, ridicula gesticulatio, levitas & similia. Quo nomine laudat *Cicero in 2. offic.* institutum *Philippi Macedonis, Antipatri & Antigoni* successorum *Philippi*, qui per epistolas filiis suis illa humanitatis προσχειμένα cōmendarūt, ut nimirum oratione benignâ animos multitudinis sibi benevolos redderent, militesque appellando blandis sermonibus delinirent.

Diligenter autem cavendum est, ne hæc omnia fiant *quæstus gratiâ*, quod adulatorum est, nec solius *delectationis ergò*, quod est assentatorum: sed *propter unicam honestatem communis societatis*, quod virtutis proprium est.

## CASUS XIIX.

### *Num interdum in aliorum commodum mentiri licet?*

RESP. Sermonem hominis dirigit veritas, quæ & *quando*, & *ubi*, & *qua* & *quomodo* dicere oporteat, docet. Cum veritate pugnat mendacium, quando nimirum vel *plus* vel *minus*, quàm res ipsa postulat, vel quàm in mente habuimus, proferimus.

*Mendacii triplex.*

Mendacium autem ratione culpæ triplex est: *perniciosum, jocosum & officiosum*: *perniciosum*, quia proximo damnum infert, ab omnib. pro peccato habetur: *jocosum* pro mendacio fermè non habetur, quia falsitas audientem non diu latet: de *officioso* verò hîc quæritur, *an illud licitum sit, & sine peccato fieri possit*, cū tale sit mendacium, quo vel nobis, vel proximo prodesse studemus.

*An mēdacii officiosum sit licitū & absque peccato fieri possit*

Sunt qui negant, Christiano ullum mendacium, ne officiosum quidem esse licitum, quia in *Psalm. 5,7.* scriptum est: *perdes omnes, qui loquūtur mendacium*, & Christus *Iohan. 8. 44. diabolum autorem mendacij* nominat.

*Augustinus* simpliciter *omne mendacium peccatū* appellat *in enchirid. ad Laurent. c. 18. & 22. & in lib. de mēdacio ad Consent. c. 14.* clariùs adhuc scribit: *nullo pacto, nullo fine, nullâ dispēsatione humanâ vel divinâ licitum mendacium dici posse, & c. 3.* dicit: *nullum esse mendacium, quod non sit veritati cōtrarium.* Existimat enim mendacium tantùm falsam significationem vocis esse, cum intentione fallendi, ut in *c. 14. lib. de mendacio* loquitur.

*Resp. In negotiis religionis nullo possumus uti mendacio absq; peccato: in reb. autem politicis officiosa quæ dicuntur*

Sed in *religionis negotiis* hoc quidem obtinere potest, ubi ne quidem jocando mentiri licet, neq; per mendacia veritas est stabilienda, nam *absque mendacio consummatur verbum legis Sir. 34, 8.* In *rebus* autem *politicis* ad mendacium propriè sic dictum non sufficit intentio sola fallendi: sed & requiritur privata mentiendi

 cupidi-

*mendacia non omninò illicita.*

cupiditas ex ingenii levitate, aut ex instinctu Satanæ profecta, quò fit, ut mendacium dirigatur ad contumeliam Dei, ad proprium mentientis commodum, & detrimentum proximi.

Quapropter simulationes, hyperbolæ, stratagemata & similia in rebus ad commodum proximi spectātibus, quas palam agere tutum non est, non mendaciis, sed calliditati potius sunt adscribenda.

Unde *Cicero in officiis*, illud tantum mendacii genus damnat, *cùm quis emolumenti sui causâ id facit*: & *Plato, viro bono Reipub. causâ mentiri licere* scribit, & *Lactantius lib. 1. instit. c. 4.* expressè definit, *mendacium illorum tantùm esse, qui opes appetunt & lucrum desiderant.*

Quocirca excusantur ab isto vitio sanctissimi illi homines, qui ob honestum finem, simulatione aut calliditate potius aliquâ honestâ usi sunt: quo in censu sunt nutrices illæ *Ægyptiacæ Exod. 1. Rebecca Gen. 22. Jehu 2. Reg. 10, 17.* & alii, quos honesta illa simulatio non modò sceleris non arguit, sed & interdum commendare solet.

Verùm hîc abrumpo, & de casibus conscientiæ satis dictum judico.

*JESVS CHRISTVS, cujus sanguis conscientias nostras emundat ab operibus mortuis, ad serviendum DEO vivo, dirigat omnes sermones & actiones nostras, servet nos sanctos & immaculatos in diem illum magnum adventus sui ultimi, ut digni habeamur effugere mala omnia, quæ tunc futura sunt, & stare coram filio hominis: cui sit laus, honor, gloria, & imperium sempiternum.*

AMEN.

INDEX

# INDEX PRIMUS DICTORUM S. SCRIPTURÆ, AB AUTHORE partim allegatorum, partim explicatorum.

Hoc monendus es, Lector; Ubi tres numeri conjuncti, priorem caput, alterum versum capitis, tertium paginam operis: Ubi autem saltem duo combinati priorem versum, posteriorem paginam denotate.

---

## GENESIS.


1.1.81
2.91
3.81
7.80
14.80
26.79
28.717.886.894
31.108.426
2.105.351
3.351.590
7.106
17.115.501
24.717
25.639
18.908
3.1.426.462
4.548
5.86.
7.641
9.79
15.622
16.920
17.688
19.147
21.635
22.79
4.1.84
7.31
8.426.502
24.84
5.101.219
22.894
24.894
7.8.375
8.17.894
21.108.217
9.1.717
3.886
6.3.115.262
25.191.927
11.5.79
7.79
12.1.326
8.270
11.462
20.168
13.5.696
6.696
14.13.70
14.664.856.879
18.724
20.835
22.243.250
15.4.84
12.603
13.489.603
16.9.403
17.5.797
6.84
7.294.295.350
10.292
12.801

25.84
18.1.894
2.76
10.98
12.98
17.413
19.145
27.123.503
32.843
29.1.894
10.403
11.400
15.413
19.686
24.79
26.447
20.*tot.f.*603
13.81
21.7.911
21.918.919.
23.246
22.16.242.571
23.16.697.711
24.2.250
3.548.626.918
7.402
14.605
15.605
57.918
65.641
25.2.145
21.907
26.11.214
31.249
27.5.886
34.513
46.919
28.*tot.*603.
12.603
21.207
29.*tot.*603
17.603
19.918
30.1.128
43.698
31.*tot.*603
7.81
29.411
35.954
38.170
32.2.418
3.402
28.411
33.19.697.711
35.6.170.
25.686
36.24.105
37.5.603
2.950
25.31
38.7.918
28.84
39.6.642
8.170
40.*tot.*603
41.*tot.ibid.*
43.856
42.6.856
15.240.246
21.31
43.*tot.*925
22.1.
44.*tot.*925
8.594
10.594
45.5.507
8.856
46.26.84
47.16.711
22.884
29.250.625
48.14.769
15.411.
16 411.
49.1.581.
10.722
11.113
22.80
50.5.250


## EXODUS.


1.5.84
19.954
22.298
2.*tot.*868
3.*tot.*498
14.94
4.3.762
6.447
11.79.339
24.294
25.766
6.8.79
7.1.856
*tot.*440.447
9.447
10.531
8.*s.v.*440.443.447
15.126
18.111.560
9.*s.v.*102
23.559
12.8.333
12.447
19.70
26.146
29.399.
14.15.124.174
31.140

16.29.351.367
17.11.880
14.868
15.880
18.*f.v.*724
21.856.874
20.2.78.129
4.78
5.101.103
8.269
9.348.
10.244.348.350.
354
12.919
17.262.
23.78.129.353
24.198.270
21.6.350
7.248
15.214
19.930
22.663.665
3.663
11.242
17.918.920
18.531.534.536.
537.547.568.
25.699.707
26.707
27.707
23.2.18.
7.874.878.882
20.404.406
26.215.
24.*f.v.*476
18.752
25.8.270
26.3.924.
28.*f.v.*635
29.*f.v.*724
2.232.
10.769
38.894
31.2.717
3.91
13.364
14.362
15.364
34.353
35.353
32.*f.v.*836
5.129
21.784
27.868
33.2.402
19.936
23.75
34.6.77.938
7.101.103
14.78
16.918.920
24.270
35.3.351
40.*f.v.*724.

## LEVITICUS.

1.4.769
4.1.821
6.1.*ad*8.512
8.*f.v.*724
9.712
10.722
11.1.357
3.278
13.3.868
16.29.650
31.650
17.7.424.426
18.*f.v.*905
19.582.908.
19.*f.v.*927
4.78
12.262
14.937
19.150.164
20.324
23.*ad*26.353
26.602.605
28.651.
31.463.536
36.708.711
20.*f.v.*905
6.463.536.565
7.901
10.901
18.908
23.537
27.568.571.602
21.7.894.
22.70
23.2.131
7.359
27.649
29.382
38.352
24.12.*ad*23.365
25.14.698
32.698
35.699
36.699
50.350
26.1.78.
25.453
27.367.
36.22.
27.2.208
8.213

## NUMERI.

4.23.720

24.880
25.720
5.19.625
6.s.v.206
8.10.769
12.6.91.603
14.21.242
15.s.v.353
22.821
35.353.364
16.8.9.10.722
46.183
18.s.v.884
22.8.580
32.414
23.s.v.533.536
25.4.686
5.867
8.867.936
27.8.697
28.7.894
9.356
30.3.206
4.248.259.
6.210.236.248.
918.
7.210.
13.210.248
14.649
32.18.697.

DEUTRONOMIUM.

1.39.794
4.2.48.811
6.216
7.216
10.123.
15.748
16.78
5.353
27.141
6.s.v.1[illegible]4
1.141
4.81
5.122.140
7.146
13.129.178.242
7.1.879
3.913.920
14.215.232
30.918
8.3.467
9.10.6
10.s.v.233
19.835
20.120.242
11.22.121
12.s.v.850
19.836
22.811
32.178
13.s.v.879
1.422.442.602
2.433.441.436
3.436.450
12.784.879
13.449
16.155
15.4.230.748
7.&8.942
16.16.552
18.856.876
19.877
17.s.v.864
4.178
11.157.
18.145
18.1.&2.447
10.533.536.544
546. 590. 605
609
11.186.463.618
22.422
1[illegible].6.306
15.661
17.871
20.2.880
3.880
7.&8.880
14.882
18.879
19.4.880
21.17.695
18.365
20.914
23.133
31.216
22.s.v.345
5.636
9.150.164
23.365
23.16.212
18.13.713.888
942
19.698.699
20.154.699
21.209.225.239
31.698
24.2.901
6.103
14.716
16.113.940
25.1.871
13.&15.708
17.868
27.16.919
17.697
25.877
26.141.257
28.15.


Digitized by Google

28.15.153
21.&22.450
65.22
29.6.918
28.158
30.19.240.246
822
32.2.915
8.694
17.424
25.938
35.637.937
40.242
33.1.581
9.923

LIB. JOSUÆ.

1.5.856
7.145
2.1.70
4.21.146
5.3.76
5.298
7.4.880
12.880
14.&18.607
20.607.661
21.607
9.3.70
10.260
18.260
10.*s.v.*447
12.447
17.260
13.*s.v.*694
24.*s.v.*848
2.246
14.145

LIB. JUDICUM.

1.11.918
2.1.2.3.403
14.863
3.8.863
19.20.867
4.*s.v.*867
5.*s.v.*880
6.1.863
12.413
13.523
14.414
17.762
7.2.662
14.605
8.*s.v.*848
2.712
10.7.863
11.22.926
29.215
31.32.33.213
36.214
37.214.215
39.215
40.215
12.9.918
13.*s.v.*415
2.919
3.413
5.528
15.16.410
14. 3. ad 7. 642. 918
15.2.642
16.19.686
30.528
17.*s.v.*166
6.856
20.*s.v.*879
26.370
21.25.856
26.174

RUTH.

4.6.697

LIB. I. SAM.

1.*s.v.*724
10.194
11.206.221
13.125
15.174
21.124
2.10.124
4.*s.v.*724
7.3.145
6.368
17.764
8.3.869
11.869
19.869
9.3.642
10.10.579
23.642
12.*s.v.*836
2.28
3.878
23.144.321
14.6.316.880
9.605
12.941
14.662
24.368.625
42.608
15.*s.v.*346. 848. 867.868.
3.868
14.418
18.868

24.829
16.ſ.v.349.474
7.195.439
12.642
13.856
14.118.426
23.492
26.316
17.ſ.v.657
49.941
18.10.424
19.13.638
20.262
33.720
20.3.504
11.929
21.ſ.v.168.262
11.72
13.636
22.1.925
24.ſ.v.664
10.935
25.ſ.v.28.
3.78
22.23.259
37.492
26.ſ.v.664
8.9.18.935
28.ſ.v.463
6.609
7.609
8.609
9.609
11.609
14.426
17.433
19.609
20.444
30.12.370
31.358
4.520
6.502

## LIB. II. SAMUEL.

1.12.370
2.23.502
3.1.879
27.502
35.370
55.369
6.12.145
7.ſ.v.848
13.248
23.81
8.5.879
11.145
10.4.879
11.2.3.4.642.70.
12.ſ.v.346.676.788.836
13.29.98
16.368
17.ad 20.370
18.298
23.298
13.3.918
10.& 21.936
15.20.924
25.174
26.124
31.192
16.4.697
7.120
10.938
17.23.492.527
18.14.502
19.4.207
6.932
23.259
29.697
20.19.697
21.1.260
ſ.v.629
3.697
23.2.91
3.91
24.ſ.v.427
19.447
21.697

## LIB. I. REGUM.

1.3.4.642
2.2.642
4.240
9.259
19.916
24.883
27.145.883
3.ſ.v.603
4.ſ.v.887
23.887
6.1.145
8.ſ.v.624
1.145
22.194
46.102.217
11.5.686
16.129
17.129
32.129
12.ſ.v.848
28.129
13.2.854
15.12.145
16.11.527
17.18.19.790
18.ſ.v.286.287.532.867
17.784
21.150
26.129.181
28.651



Digitized by Google

19.ſ.v.636
4. 128. 182. 194.
496.519
5.403
8.752
11.464
14.936
18.139
20.ſ.v.867
23.784
32.&33.924.
37.655
21.15.789
23.&24.929
22.ſ.v.429.436
21.526
22.418.424.427

LIB. II. REGUM.

C.1.3.403
5.447
6.565
2.2.3.790
4.246
14.&15.656
3.7.879
15.578
4.23.355
38.765
5.ſ.v.282.835
1.70
2.170
18.160.286
6.ſ.v.623
15.402
18.400.547
7.6.400
9.30.644
33.643
10.17.954.
11.ſ.v.867.149
12.9.748
14.6.114
16.14.&15.884
21.912
24.150
17.ſ.v.565.262
9.837
33.378
18.ſ.v.520
19.35.399.403
20.2.194
11.447
21.ſ.v.565
23.ſ.v.629
2.145
16.854
25.ſ.v.369
12.789

I. PARALIP.

C.12.ſ.v.924
8.596
13.12.145
14.ſ.v.848.
16.4.145
16.194.
18.ſ.v.848
21.ſ.v.427
1.419.429
23.4.145
24.8.196
28.9.120
29.5.856. v.12.856. v.14. p.716.

II. PARALIP.

C.6.20.198.
7.3.197
14.3.ad 5.145
15.1 120.v.2.p.143
8.145
17.6.145
19.4.145
6.871.875
7.875.
20.3.888
5.197
12.121
13.189
18.197
20.121
22.197.
21.10.170
19.854
26.ſ.v.848.866.867
18.502
30.ſ.v.848
32.31.508
34.ſ.v.836.848.145
36.ſ.v.262.

LIB. I. ESD.

C.3.7.576
11.197
4.12.70
27.884
52.420
8.21.371
9.ſ.v.828
6.174
9.29

LIB. NEHEMIÆ. ſive II. Eſdræ.

C.5.7.ad 11.700.713
8.10.&12.360
13.16.&17.361.
18.353.

III. ESDRÆ.

C.8.77.512

IV. ESDRÆ.

C.4.52.433.575

TOBIAS.

C.2.12.498
3.ſ.v.429
10.366.369.370
4.3.236.
11.947.948
6.ſ.v.460
4.403
13.518
17.455.120
8.3.400
15.918
12.ſ.v.485
12.408.409

JUDITH.

C.5.24.512
8.6.368.392
10.498
10.3.644
13.ſ.v.867
20.402

ESTHER.

C.2.7.642
10.72
12.647
22.950.951
4.16.368.369.370.
392
17.368
8.5.288
21.368

11.ſ.v.603
2.603
14.16.644

LIB. JOBI.

1.ſ.v.70.415.548.560
6.426
7.427
9.402
12.560
21.125.299
2.ſ.v.70
5.459
3.3.519.529
13.298
5.1.412
2.938
7.ſ.v.603
15.128.492.520
8.14.111
9.28.25.516
10.ſ.v.107
8.105.106.266
11.8.99
12.4.81
9.106
10.106
14.102
15.15.102
16.20.4
19.ſ.v.107
21.7.101
22.127
27.6.11.25
28.24.1.0
26.559
31.1.639
21.96
14.673
33.4.91.105

36.7.597
38.21.590
22.559
25.559
23.28.559
41.24.564
25.407
42.3.119

PSALM.

Pſal.1.ſ.v.282
2.146.278
2.ſ.v.488.489
7.83
10.145
11.25
13.669
4.ſ.v.490
5.936
7.689
5.6.108
7.953
6.11.191
7.10.439
12.108
8.3.63.184
9.10.520
13.ſ.v.127
1.497
14.1.1
15.4.262
5.698
15.700
16.ſ.v.622
11.123.492
18.506
18.1.67
5.759
12.669
35.159

# INDEX I. DICTORUM SCRIPTURÆ.


19.1.67
9.269
13. 187. 213. 821. 831
14.514
21.1.16
22.10.297
26.205
24.7.145
25.1.174
6.95
7.821
26.5.3081
6.174
27.1.122
4.355
28.7.669
30.6.690
31.f.v.658
16.493
32.5.29.828
6.187.508
33.6.81.91
4.516
34.f.v.612.623
3.278
6.124
8.402
9.669
11.687
35.1.191
13.174.366.392
36.7.110
37.f.v.276.514
1.939
3.4.5.121.684
16.710
35. 36. 102. 139. 680
21.704

39.5.503
6.123
10.506
11.&12.493
41.1.948
42.f.v.128
1.166.280
2.199
3.199.227
5.355
45.9.113
10.821
46.1.179
49.8.86
12.105
50.7.269
14.209.239
15.125.188
51.f.v.292.297
6.84.101
12.14.2
19.174
52.1.1
55.f.v.276
18.201
23.288.489.500 690
56.f.v.127
10.497
12.122
57.8.174
58.f.v.544
4.542
11.192
59.6.192
9.268
13.&14.783
61.6.687
62.7.& 8.523
9.139.174
10.139

11.277.494.695
66.13 &14.280
68.5.113
13.822
20 125
21.125
31.880
69.10.526.
11.392
24.153
36.67
72.18.440
73.3.101
16.103
17.103
26.122
27.120
75.1.69
9.493
76.11.103
12.327
77.f.v.494
4.492
12.209
78.49.450.561
82.3.876
6.856
83.7.192
84.11.283
85.f.v.269
86.17.507
90.8.831
10.499
12.503
91.f.v.623
1.460
7.& 8.933
11.402.461
92.3.102
94.2.191
95.1.355


Ffffff 2 8.91

8.91
96.5.456
29.191
98.2.540
100.2.269
101.4.145
102.s.v.521
103.s.v.400.
8.&9.96
13.96
104.492
4.399
15.331.752
106.1.197
33.457
37.652
107.18.450
109.s.v.192
6.621
24.392
110.19.80
111.10.939
112.1.696
3.694
7.694
113.9.447
114.7.81
115.3.98
116.10.671
13.125
15.506
118.s.v.197
4.893
6.179
8.138
17.507
119.5.24
9.24.672
11.278
31.120

50.269
59.278
62.201
82.497
136.526
164.201
168.493
121.5.171
122.1.355.360
4.198
127.3.296
128.1.687
2.687
130.7.523
132.1.206
2.206
133.1.924
135.12.697
139.3.4
7.91
13.297
15.106
140.s.v.563.
143.1.878
145.3.99
16.687
18.179.299
147.19.69
20.69
148.1.67
149.2.81
150.1.176


PROV. SALOMON.


C.3.5.669
9.715.836
24.601
4.23.26
5.1.687
16.715

17.715.942.
6.s.v.111.
10.533.
117.597.
24.687
27.889.
7.5.687
10.644
8.15.
22.48
10.s.v.710.
7.176
10.597
22.687.694.
11.1.708
14.856
12.11.698
16.682.938
18.ad 25.492.
14.17.526
30.939
15.13.22.
15.21.506.672.
18.682.937
26.509
27.710
16.2.488
9.488
6.947.948
30.597
33.608
17.5.933
15.856
22.491
24.596.695.
18.9.924
14.516
22.902
19.18.913
26.919




Digitized by Google

20.10.708
14.754
20.919
23.708
21.4.597
13.173
31.880
22.f.v.938
2.493.694
15.908
24.938
23.13.908.913
27.686
29.685.
24.3.698
8.651.654
11.287.939.664
17.933
19.939
26.3.929
4.73.
27.1.583.
3.937
28.1.22.80.
8.698.700
13.514.837
14.25.
29.22.937
30.8.698
17.237.923
31.6.492
11.140
14.711

## ECCLESIASTES.

2.19.585
3.f.v.492
1.592
4.498
5.908
4.5.939
10.523
5.3.207.232.739
6.600
12.946
17.717
7.10.938
14.493
21.102. 173. 188.
217
23.1.3.5.8
8.f.v.492
1.596
7.582.
8.591
9.11.592
12.502
14.690
15.690
10.4.592
14.582
11.4.592
7.501
9.689
10.937
14.493

## CANTICUM CANticorum.

2.3.122
5.122
9.240

## LIBER SAPIENT.

1.4.25.118
8.4
2.12.277
3.1.127.185.609.612
13.215
22.681
4.21.27
6.1.939.
2.939
3.856
7.23.91
8.1.110
21.895
11.3.688
21.111
22.708
12.1.91
15.524
18.96
13.3.642
5.65.67
14.3.110
22.512
17.f.v.624
10.11.1.10.22.25.
18.22

## SIRACIDES.

C.1 12.489
13.489
36.224
2.1.128.317
8.489
9.489
14.527
21.94
3.9.664.916.923.
12.923
13.923
15.922
20.929
34.947.948
4.2.945
5.1.174.406
5.406
6.34.269

7.12.933
15.173
16.147.688.717
27.918
40.689
9.6.686
8.645.686
9.686
10.f.v.108
2.146.928
31.623
11.3.111
7.782
8.876
14 694
27.689
13.1.170
30.1.
14.2.1
12.501
15.14.109
15.109
21.109.391
22.108
17.26.14
18.17.716
23.204
30.677
19.13.949
16.950
26.929
27.649
20.f.v.937
13.716
23.22
32.735
22.33.213
23.2.1
3.512
9.248
28.123
25.2 927
26.22.642
28.710
27.1.698
2.698.710
25.597
32.933
28.3.659
4.659
9.512
29.1.716
2.945
11.707
13.946
30.495
30.12.908
22.488.690.
25.490.690
26.937
31.5.709
10.110
24.801
32.491
36.491
32.11.244
33.6.348
7.348
11.717
28 461
29.688
31.929
34.1.600
6.604
8.448.953
16.621
24.713
25.677
35.11.716
14.716
18.942
37.f.v.642
33.451
34.685
38.15.450
20.491
26.717
40.f.v.491
29.750
41.4.501.
5.501
42.10.916
43.1.65.68
44.f.v.176
3.856
49.1 504
50.22.675


---

ESAIAS.


C.1.2.4
11.379
15.27.173.180.651
16.174
18.19
23.877
2.3.269
3.1.270
16.647
5.5.404
8.708
10.787
20.158
28.877.878
6.1.76
2.193
3.400
8.91
9.91
10.292
13.152




Digitized by Google

7.9.669
8.2.306
19.463.618
20.269.423.670
9.s.v.84
4.112
11.2.91
4.91
13.21.424.619
22.619
19.14.424
16.240
18.242.244
22.13.277
23.s.v.600
26.20.630
28.7.685
16.121.670
19.933
29.3.542
13.746
19.275
30.s.v.570
10.274.784
15.121.492
34.14.532
37.15.880
38.14.119
40.2.741
13 91
15.123
18.77
26.67
28.106
41.7.216
23.51.433.448
573.582
42.s.v.137
43.1.316
2.316
24.823
25.95.947
27.829
44.25.582
28.145
47.12.544.582
48.12.179.410
16.81
22.25
49.s.v.622
6.112
23.121.759.856
50.8.22
9.622
53.s.v.832
5.111
11.62
54.5.80
7.523
8.523
10.314
13.268
23.194
55.5.111
56.4.358
7.198
10.774.784
11.784
57.11.405
15.494
16.96
20.22.491
21.25
58.s.v.945.943.716
1.786.787
2.840
3.394.396
5 366.651
6.366 379
7. 379. 642.694.
13.356. 942.
59.2.27
5.111
21.828
60.7.759
61.1.93.752
2.752
62.10.243
63.s.v.178
3.114
7.81
8.81
9.81
10.81.93.96
16.179
64.5.96
16.450
65.16.242.244
24.188
66.3.379
24.22


JEREMIAS.


C.1.5.297
10.48.812
2.27.129
3.1.ad 12.316.901.902
12.96
4.2.183
4.272
5.7.244
22.123
6.16.493
7.s.v.9 2
16.183
8.1.630
6.592
9.s.v.912
24.77
10.s.v.555
2.581.391.605

13.559
11.14.183
12.1.101.183
2.101
15.19.782
16.4.854
17.5.157.138.139.179
9.439
15.ad 19.526
21.351
27.353
20.14.128.519.550
22.18.854
23.5.112
6.89
13 784
15.784
21.753
23.100
34.784
25.11.498
27.6.863.886
9.602
28.14.886
26.6.920
7.183.192
8.784
18.158
21.784
23.405
31.f.v.798
20.97
32.9.711.697
10.661
33.14.112
38.9.287
44.25.112
49.19.145
50.11.698
51.14.242

THRENI.

C.3.24.121
33 690
65. 22
4.4.814

BARUCH.

C.6.9.ad.11.129
31.129

EZECHIEL.

C.3.17.786
18.817
33.840
7.f.v.710.715
19.276.678
8.3.399
13.4.786
6 533
18 786.806
19.33.806
14.14.183
16.38.869
18.f.v.525.798
7.ad 27.700.707
10.513
14.517
16.262
19.103
20.103.113 940
21. 510. 825. 512. 513
22.510.825
24.528 825
32.523.836
33.511
20.f.v.233
18.19.915
47.365
21.21.607
22.8.353
12.700
26.782
24.26.894
33.11.242.511 513.514 517.836
12.513
15.714.715
17.786
34 4.786
23.112
36.7.251
44.22.901
45.10.708

DANIEL.

C. 2.f.v.603
38 887
3.f.v.399
4.24.948
30.557
5.30 498
6.f.v.623
6.642
10.194.199
11.200
18.369
22.399.447
7.f.v. 77
9.76
10.400
13.603
8.f.v.434
9.f.v.828
3.366
4.76
5.29.174
6.174
7.123

17.79
24.112
20.ſ.v.427.429
2.371
3.366.368.369.
392
13.401.426
14.421
12.ſ.v.400
14.ſ.v.170
35.399

OSEAS.

C.1.6.112
7.80
2.19.96
3.4.ad 6.152
4.8.835
11.520.685
8.6.111
12.4.411
7.708
13.ſ.v.857

JOEL.

C.1.20.80
2.12.ad 17.144.368
15.& 16.370
22.409
28.421.603

AMOS.

C.3.6.559
4.2.242
5.11.& 12.279
6.ſ.v.814
7.12.496
8.5.708
11.270

ABDIAS.

C.un.4.9.11

JONAS.

C.1.7.608
2.5.368
4.8.528.181
11.794

MICHEAS.

C.5.2.84
6.11.708
7.7.121
18.836
19.524

HABACUC.

1.ſ.v.789
11.81
13.101
2.ſ.v.669
3.498
4.293
6.708
9.708
19.648
3.3.81.

SOPHONIAS.

C.1.5.244
7.715
18.276.678
2.11.435
3.ſ.v.710

AGGÆUS.

C.2.9.694
18.559

ZACHARIAS.

C.1.9.414
12.408.409
2.8.80
11.275
3.1.424
2.451
5.3.262
4.262
7.5.366.369
8.17.262
9.9.112
12.7.65
13.5.424

MALACHIAS.

C.1.6.123
11.199
2.7.273
3.5.262
5.6.94

LIB. I. MACCA-
bæorum.

C.1.51.298
61.766
64.298.304
2.41.355
3.20.880
44.880
47.366
7.ſ.v.262
8.ſ.v.496

LIB. II MACCA-
bæorum.

C.1.14.94
4.ſ.v.262
5.ſ.v.496
9.854

9.854
6.10.304.766
11.6.405
12.42.186
15.s.v.603
23.& 24.405

MATTHÆUS.

C.1.s.v.603
20.403.413
21.86.111
2.1.531
s.v.603.v.13.403
16.298
39.449
3.6.346
7.776
8.832
9.98
11.794
16.81.93.794.795
17.81.114
20.399
4.s.v.409.526.548.551
858
7.424
10.424.178.313.
424
31.400.426
36.313
23.313
5.s.v.944.631.658.659.
811.902.932.934.
942.934
4.500
6.518
8.517
11.687
17.26.279
23.325.321.957
24.173.285.321.
325.816.829
25.509.806
34.244
35.245.246
36.691.635
39.662
40.871
44.190.191
6.s.v. 479. 492. 716.
935
5.199
6.199
7.153.201.204
14.285
16.&17.366.379.
395
20.494
21.123
24.160
31.648.678.687
33.276
7.s.v.753.370.927
6.805
7.189
9.700
12.701
15.45.344.777.
783
22.442
25.783
26.120
8.s.v.189.468
2.180
8.123
14.894
28.467
29.457
31.451.559
32.430
9.s.v.825
1.170
2.831
15.369
16.369
30.73
10.s.v.507
5.835
8.737
10.929
17.496
18.73
22.72.503
23.287.495
24.496
28.124.126
29.111.124
30.450
32.496.850
37.923
38.520.931
11.s.v.520
21.71
24.71
12.s.v.427.924
1.355.359
5.359
28.91
31.184
32.56.184
13.29.843
27.424
43.688
45.711
49.401
14.4.789
5.941
7.259.264
9.264
26.609

15.s.v.

15.ſ.v.178
3.161.776.
11.385
13.178
14.784
22.136.430.466
27.123.
16.3.588.
11.895
19.824
20.242
23.231
24.520
26.27.710
17.ſ.v.861.883
14.430
15.467
21.366.484.633
18.ſ.v.98.323.386.787
164
7.756.850.890
11.86.111.836
14.298
15.839.949
16.950
17.950
18.822.824.834
19.180.188.199
298
20.304
21.299
22.299
35.829
19.ſ.v.330.695
3.55
6.228
8.901
9.900.901
11.181.232
13.63
14.292
21.694
29.283.497
20.21.172.181.
22.795
28.113.
21.5.112
9.ad15.197
16.63
31.890
22.ſ.v.159
5.276
17.55.616
21.861.862
23.55.140
34.55
42.55
23.1.774
12.14.16.17.783
24.23
24.ſ.v.504.691
24.441.442.447
44.502
25.ſ.v. 426.718.942
11.378
14.711
26.735
41.426
26.ſ.v.98.836
4.459
9.230
24.893
38.29
39.174.175.194
199
52.722
53.98.
60.378
63.319
27.ſ.v.603
25.153
52.175
53.246
63.625
28.ſ.v.70.98.289.752
801
2.400
19.82.91.917
20.100.791

## MARCUS.

C.1.8.794
2.1.170
27.355
3.28.242
29.184
4.20.277
5.7.625
6.20.740
7.ſ.v.233
8.231
36.73
9.ſ.v.499
18.467
10.ſ.v.330
13.292
15.63
16.769
11.25.194
26.285
29.55
13.32.420
14.711
16.ſ.v.70.298.612
2.351
14.378
16.289.290.292
516.528.669
17.441.481
5.66



Digitized by Google

18.770

---

LUCAS.

C.1.ſ.v.296.112.403.
13.413
26.413
31.86
34.55
35.93
37.97
44.117
58.926
68.91
70.48
2.ſ.v.403.522
9.400
11.128
29.128
37.189.368
3.14.880
16.794.795
4.ſ.v.548
5.6.146
25.506
6.ſ.v.658.932.935.942.
21.500
24.694
28.182
30.716
31.702
37.872
35.704.716.942. 945
38.711
7.ſ.v.506 836
48.831
78.244
8.ſ.v.271.428.836
3.836
6.274
7.276
8.274
12.427
15.277
18.271
9.11.814
13.722
56.86.836
62.720.764
10.ſ.v.931
7.736.834.835
16.20.417.787 828.826
17.468
24.893
42.270.670
11.ſ.v.427.448.619
4.511.948
9.188
11.189
13.762
14.467
20.91
21.424
23.539
24.408.424
26.428
27.911
28.120.147.269
39.713
41.713
12.5.169
10.184
19.276
13.ſ.v.499.
11.450.467
15.356
37.54
14.ſ.v.171
5.356
18.276
24.270
26.915
16.ſ.v.612.619.648
14.276
22.402.403
17.ſ.v.349
26.612
18.1.174.200.498
10.125
11.430. *ad* 13. 194
12.380
13.29 98.831
14.15.16.17.43
27.98
38.136
19 ſ.v.710
8.713
10.112
45.& 46.361.
21.26.487
34.277.590.684
22.ſ.v.836
21.808
24.507
25.722
31.427
41.194
43.400
23.ſ.v.514
30.124
34.182.191
43.290
24.31.547
37.609
47.833
49.93

---

JOHANNES.

C.1.ſ.v.292
1.84.

1.84.562
2.84
5.53
13.116.296.670
14.86
29.512.523
2.*s.v.*498.710
19.199
3.*s.v.*113.290.292.612.
796.826
3.289.292
4.55.86
5.116.117.296.794
795
6.116.217
9.183
16.69.525.836
17.71
18.527
23.795
24.822
30.670
33.671
35.84
36.71.96.516.524
4.*s.v.*479
21.178.199
22.175
23.120.124
24.75
5.*s.a.*499.502
4.399
17.86.105
18.86
21.91
24.186.516
26.94
146
39.48.53.58.
6.15.722.924
16.274
29.55.668
37.814
45.269
50.331
52.85
60.54.55
66.274
7.22.690
24.272
8.*s.v.*902
8.68.
10.722
13.275
31.50.59.331
496
34.359
39.153
44.153.424.425
953
47.269.355.516
51.269.279.507
58.84
9.3.466
31.27.173.180
308
10.*s.v.*303.461
5.286.344
8.784
11.112
18.523
27.269.812
12.24.59
26.100.505
29.413
31.403
40.275
42.274
13.*s.v.*438
2.431
20.278
26.463
27.118
29.230
14.*s.v.*485.93
1.2.505.669
16.93
21.91.122.269
23.27.100.278
26.91.282
15.*s.v.*93
13.940
20.496
25.940
26.82.92.93
16.*s.v.*93.461.501
3.30
8.788.785
13.91
13.91
23.173.180.188
299
24.188
33.623
17.1.194
3.62.669
5.84
8.53
17.53
22.84
24.505
18.23.324.871
19.*s.v.*883
36.335
20.21.717.722
831
22.717.769
23.29.511.806
822.824
825.841

ACTA APOSTOLORUM.

C. 1. 4. 93
5. 93
8. 93
10. 400
13. 270. v. 14. 199
15. 757
16. 91. 757
20. 772
s. v. 608
2. s. v. 801
1. 351
4. 91
5. 70
16. 421
19. 295
23. 115
26. 298
37. 787
38. 290. 292. 300
792
39. 800
4. 3. 91
4. 91
5. 848
6. 55
10. 447
12. 86. 111.
15. 192
19. 192. 784
20. 447
24. 199
25. 83
34. 695
5. s. v. 159. 659
3. 432
4. 208. 695
14. 632
29. 885
6. s. v. 755
1. 757
5. 737
6. 769
8. 441
7. s. v. 176. 755
20. 642
51. 91
53. 56
54. 275. 787
60. 191
8. s. v. 283. 304. 619. 755
835
9. 537
10. 441
19. 399. 551
28. 355
29. 403
36. 795
38. 292
39. 430
9. s. v. 636
17. 769
22. 55
25. 287
32. 175. 695
10. 2. 145
6. 695
22. 399
30. 370
31. 403
33. 271
34. 746
38. 91. 430. 451
43. 27. 112
47. 795
48. 292. 792
12. s. v. 399. 410
5. 199. 287
7. 403
23. 86. 451
13. 1. 496
2. 91. 769. 496. 772
3. 769
8. 537
10. 871
20. ad 27. 391
45. 275
14. s. v. 499
16. 67
17. 65
21. 526. 688
15. 9. 668
21. 161. 280
21. 757
16. s. v. 304. 429. 619. 851
603
3. 850
9. 403.
14. 280. 711
16. 424. 463
25. 199
27. 529
33. 755
17. 10. 273
v. 11. p. 53. 278
v. 16. 694. v. 17. 55
22. 160
23. 66. 160
27. 101. 1
28. 101
34. 168
18. s. v. 755
4. 55
16. & 17. 770.
24. 282
19. s. v. 583. 619
5. 792
8. 55. v. 9. 55. 26
275. 12.

12.632
13.481.625
17.346.770.829
18.567
20.ſ.v.144
7.351
8.270
9.356.502
17.772
19.131
27.779
28.86.284.757.
760.816
30.844
21.9.895
22.16.290.292
23.ſ.v.410
1.7
8.425
13.212
14.212.ad17.146
17.951
24.ſ.v.450
16.21
25.273
25.8.871
10.871
26.10.175
24.273
27.24.403
28.9.421
45.48.91

EPISTOLA PAULI
ad Romanos.
C.1.ſ.v.522.544
3.87
9.243
14.813
16.55

18.66.96
19.65.66
20.66.67
22.652
25.178
28.23
2.4.102.276
14.67.6.21
15.67.1.2.21.22.
65
3.ſ.v.889
3.315
8.538
25.114
29.815
4.ſ.v.176.801
16.671
20.669.671.188.
527
22.668
5.1.27
3.526
9.114
12.108
19.113
6.3.136.314.792
6.650
12.672.677
14.793
23.506
7.ſ.v.515.
2.896.901.920
3.897.900.901
6.131
19.529
24.508
8.ſ.v.493.518.525.677.
891
v.1.p.204.v.3.637
v.12.p.207.v.13

p.117.118.650.v.
14.p.118.v.15.p.
491.500.516
16.30.517.803
17.505.687
18.129.500.505
22.4
25.121
26.194.202
28.279
29.499.688
31.122
34.178.524
35.526
9.ſ.v.924
1.10
7.117
8.117
10.585
13.501
16.503
10.ſ.v.339
2.821
9.72
10.527 2.671
13.409
14.167.178.269.
280.753
15.416
17.63.269.279.
669
11.8.275
16.117.669.801
17.341
25.152.v.26.153
29.517
32.217
12.ſ.v.937
1.120.125.317.393
3.811


6.49.

6.49
11.131.174.592
13.175
14.ad 22.191
17.938
18.284
19.683.937
20.935
13.s.v.228.379.665
1. 717. 856. 858. 861.863.882. 883
2.709.857.865. 885
3.872
4. 125.863.874. 878.885
5.1.885
7.207.716
8.207
13.939
14.651.6
14.s.v.159.234
1.152
4.854
5.348.349
7.522
8.507
14.12
15.373
17.366
18.131
21.384.385
22.71.72
23.660.731.881. 13.384.385. 410
25.13
15.s.v.481
4.512
13.179.410
18.352
6.s.v.461
5.341
17. 151.782.783. 854
27.94

I. AD CORINthios.

C.1.5.669
11.950
13.284
21.69
22.449
2.1.175
3.274
10.91
11.421.439.583
15.273
16.278
3.4.272.284
5.284
10.786
17.658
19.652
21.167.756
37.18
4.1.822
3.2
4.7.680
5.812
6.812
20.51.274
5.s.v.859
1.640
4.840
5.468.472.842
9.842
10.170
11.322.806.924
12.71
13.800
16.301
6.s. v.865
7.324
9.24
10.286.710
11.175.308.316. 517
12.286.v.15.786
17.121
18.686
20.142
23.286
7.1.ad 9.181.892
2.871.872.894
3.907
5.366.907
7.181.231.870 872.895
9.232.747.892. 895
10.901
13.384.157.170
14.117.801
15.866.900
17.723.764
20.150.211.228 523.520.664
21.924
23.231
24.721
26 893
28.892
29.893.896
30.710
31.55.122
33.893
34.232.v.35.p.747
37.892
38.893
39.901


8.61

8.6.81
7.1.13.669
8.377.379.747
10.ad 131.1
13.161.
9.ſ.v.716
5.894.
13.736
14.834
27.650
10.ſ.v.451.461.518
1.795
5.272
6.126.686
8.686
11.673
13.310.458.690.
14.158.163.170.
17.331.
18.71
21.326.344.456.
23.773
31.141
32.344
11.ſ.v.745
1.176.352
4.193
6.641
10.403
16.56
21.327
24.327.810
25.242
26.327.813
27.837.327
28.290.319.320.
328 805.812
29.318.328.805
30.353
33.322
12.ſ.v.423.688
3.803
4.939
6.91
11.91
13.316.317.331
28.417.742
31.449.494
13.4.312
14.1.449
2.195
3.195
5.195.198
8.195
12.195
14.195
15.195
16.195
17.195
21.196
22.196
23.196
32.423
33.708
34.746
38.14
40.349.373.284.
845
15.19.500
31.240.504
47.89
55.506
56.506
16.1.352
2.352.356.749
21.122
20.191

II. ad CORINTHIOS.

C.1.5.477.690
12.1.9.21.27
17.243.264.
20.687.
23.243.
2.6.840.844
7.& 10.844
16.271
17.737
3.ſ.v.154.846
3.91.490
6.691
8.752
17.207
4.ſ.v.438
2.1
4.50.419.424.
429.459
5.275
10.650
17.499.690
5.2.275
10.502.
15.113.536.
19.136.936
20.32.417.524.887
6.ſ.v.170.454.
5.366
9.500
14.150.158.163.
286.318.776.
850
15.479.806
16.100.658
7.10.31.490
8.ſ.v.706
10.230
13.702.942
9.1.ad 12.175
7.207
8.942
11.2.426
3.54.426

13.783.784
14.399.414.416
33.287
12.7.419.431
9.55.93.272.523
14.695.696.702.908
13.5.519

EPISTOLA PAVLI ad Galatas.

1.ſ.v.756.760
7.783
8.169.416.422.423.783
2.ſ.v.161
3.851
4.850
5.800
12.821
20.30
3.ſ.v.161
1.274
2.281
7.117.153.294.295
9.797
27.316
28.292
4.ſ.v.137.390
8.178
9.52
10.201.348.382
15.274
19.152
5.ſ.v.660
1.670.850
11.ad 13.152
12.191
15.939
17.672.676
19.24
20.262.536
21.684.685.938.939
26.939
6.ſ.v.392
1.786.783.941.950.951
6.741.834
10.801.944
18.783

EPIST. PAVLI ad Ephesios.

1.ſ.v.671
4.105
17.91
2.ſ.v.113.426.547
2.406.432.
3.291.796
6.505
12.69
20.48.742
3.ſ.v.622.623
5.91
10.421
12.53.112.173.178
14.178
17.122
20.98.121.671
20.98.121.671
4.ſ.v.138.779
3.852.888
5.150
11.417.742
14.273
17.651
18.23.275
19.23.275
24.108
26.936.937.938
28.230.694.750
30.118.937
6.ſ.v.424.428
1.914
2.919
4.140.717.913
6.928
9.229.910
12.424.426.509
13.432
17.147
18.175.182.200

EPIST. PAVLI AD PHILIPPENSES.

1.ſ.v.502
1.772
6.518
23.128
29.147.274.495.520.526.668.669
2.ſ.v.516.687
3.56.408.661.670
5.680
10.136.194
12.231
13.519
15.172
29.286
3.13.505
18.783.784
19.276
21.688
4.5.276
8.750
11.124
12.696

## EPIST. PAVLI ad Coloſſenſes.

C. 1.6.70
9.53.669
10 53
16.299
2. ſ.v.349.362.390
2.678
9.86.101
14.6
16. 17. 348. 349. 350.375
18.233.410.416
20.377
22.120.377
23.370.377.378
33.652
3. ſ.v. 202.392
1.505
4.500
5.650
16.125.269
17.147
20.914.918
21.226.928
4.2.174.200

## I. AD THESSALOnicenſes.

C.1.2.181
2.5.243
13.278.417.828.
18.431
3.11.748
4.4.895.907
6.708.711
11.718.721
13.526
17.120.122
5.ſ.v.345.479
16.125.146.174
17.200 590
22.385 639.720
25.308
27.625

## II. AD THESSALOnicenſes.

C.1.7.102
8.399
2.9.441.443.447
10.448
12.378.416
3.2.191.668
6.308.806
10.229.732
11.719
12.695
14.840
15.843

## I. AD TIMOtheum.

C.1 5.1.5.672
15.86.112.836
16.512
18.504.5
19.27.7.20.26
20.784.840
2. ſ.v. 525.628.664
1.128
2.119.144.863
4.518.836
5.136.178
8.27.175.194.199. 479. 285.491. 590.682.937.
12.746
20.272
24.783
26.432
v. ult. 895
3.ſ.v. 772.777
1.895.896
2.717.772.790
3.722
4.695.722.763
5.895
8.440
9.27
12.894
16.85.87.119
17.779
4.ſ.v. 672.761
1.27.269.894
2.1.23.27.378.376.
3. 272. 377. 378. 380
5.895
8. 119. 208. 379. 651
12.928
14. 768. 769. 772
5.ſ.v.2.35.706
1.786.950
2.950
4.736.923
8. 228. 237. 522. 695. 702. 716. 908. 923. 929.
9.765. 943
10.176
12.233
14.232.896.897
20.786.951.
21.399
22.769

6.ſ.v.709
4.56
5.275.734.773
6.494
8.696
9.277.677.678.
694.709
14.26
15.94.856
17.232.695.696.
715
18.232.942
20.56

## II. AD TIMOthum.

1.ſ.v.273
3.1.20.145
5.282
6.768.769
7.91
9.105.517
12.518
2.2.856
4.712.722
13.97.151.315.517
17.785
18.1[illegible]
24.786
25.783
3.1.427
8.275
12.102.128.688
1[illegible].275
14.282
15.[illegible]8.282
16.[illegible]8.782.785
4.1.784
2.273
6.507
10.&12.284
14.191

## AD TITVM.

1.ſ.v.772
1.119
3.787
5.762.772
6.772.895
7.717.772
9.782
10.783
11.840
15.22.27.385
2.7.929
3.3.105
5.116.117.163.292.
796
10.151
11.184

## AD HEBRÆOS.

1.1.417
3.402
5.83
6.113
7.216
14.407
2.14.86.115.296.
16.87
3.6.286.823
7.91
14.516
4.2.278
12.276.787
13.216.251
16.179
23.124
5.4.737.753
5.83
12.60
6.ſ.v.499
1.60
2.60
4.184
5.184.505
12.147.176.520
13.242
16.189.240.243.
661
17.189
18.98.189.671
19.121
7.ſ.v.724
5.84
12.349
26.112
9.7.511.513
11.198
12.628
13.513
14.26.27.29.91
113.114.513
22.86.114
24.178
27.501
10.ſ.v.349
14.274
21.27
25.166.184.269.
341.670
26.184
29.184
36.124.129.279.
498
11.ſ.v.856
1.27
3.669
6.52.63.292.472.
668

32.215.528
12.8.520
14.517
47.510
13.1.716
4.379.686.893.
895
7.252.741
16.942
17.176.284
18.21

EPIST. IACOBI.
C.1.ſ.v.173
6.174.179.189
7.125
17.94.180
19.272.937
20.30.681.950
21.272.278
22.278
2.ſ.v.671
10.353.530
11.530
13.937
15.942
19.668
26.670
29.29
3.16.939
4.7.459
8.120
12.13.884
13.&14.p.711
17.813.
5.ſ.v.484.622
12.224
13.124.200.491.
523
16.29.176.182.
829

AD PHILEMO-
nem.
C.un.2.341
7.175

I. PETRI.
C.1.ſ.v.472
3.669
5.669
6.500
14.512
18.112.113
19.522
2.ſ.v.754
1.939.784
2.938
4.425.426
11.278
13.717.863
14.875
17.717
18.790.927.928
19.21
21.683
3.ſ.v.295
1.219.317.907
3.644
11.316
15.171.72.671
21.91.205.282.316.
794
4.1.87
11.779
15.722.771
16.688
17.497.688
18.476
5.ſ.v.424.432.461.764
1.772
2.284.482.816.
835
3.55
5.173
7.489
8.424.427.456
9.459.572

II. PETRI.
C.1.ſ.v.119
1.151
5.6.279
19.53
20.49.423
21.48.91.433.573
2.9.316
10.868
20.21.114
3.ſ.v.525
4.277
9.517.836

I. IOHANNIS.
C.1.112.113.836
8.115.512.524
9.828
2.2.94.514.523
5.178
14.61.263
16.277
27.268
3.ſ.v.622.623.624
2.505.687
5.ad 8.115
8.402.457
14.672
15.659.660
16.940

17.710.942
21.2.7.22.27.520
22.173
4.1.54.273.753
2.54
6.269
7.ad 16.94
10.122
19.122
21.356
5.4.507.626
6.51
7.82.122
10.189.771
14.16.125.180.188
484
16.183
21.286

II. IOHANNIS.

C.un.4.120
10.169.308

III. IOHANNIS.

C.un.ſ.v.262
5.814
15.325
18.325
20.25
21.21.25

EPISTOLA IVDÆ.

C.unicum 6.425
12.731

APOCALYPSIS.

C.2.10.764
3.7.823
15.150
4.8.400
10.123
11.123
5.11.400
8.3.& 4.409
8.ad 13.136
9.ſ.v.429
10.5.& 6.242.250
11.2.602
12.ſ.v.400
9.424
10.26
12.427.457
13.426
20.4.428
14.12.176
13.127.185.507
17.4.647
18.4.164.170.283.302.
777.913
19.ſ.v.403.479
19.179.410
20.8.528
21.27.27
22.ſ.v.403.660
9.179.410
17.814
18.48

# INDEX SECUNDUS PATRUM ET AUTHORUM, QUORUM ſententiæ aut dicta hoc libro allegantur.

A.

*Abbas* Trithemius p.446. 632.
Accurſius pag. 537.
Adamantinus p.595.
*Admonitio* Neoſtadienſium *oppoſita* Formulæ Concordiæ p.781.
*Adrianus* Saravia p.721.
Ælianus p. 444. 692.
*Æneas* Sylvius p. 197.
Agenda Eccleſiarum Würtembergicarum p.793.
Agenda eccleſiæ Wittenbergenſis p. 793
Albumazar p.586
Alenſis p. 12
*Alexander ab* Alexandro p. 245.250. 262.348.376.475.610.619
*Alexander* de Ales p.138.176
*Alvarus* Pelagius p.6.858
*Amandus* Polanus 835
Ambroſius p. 26.49.70.86.97.136. 157. 196. 211. 213. 270. 293. 299. 210. 324.342.377. 384.386.387. 431. 520. 529. 587. 722. 723. 724. 742. 743. 745. 747. 755. 772. 784. 792. 828. 868. 869. 889. 896 897.900.902.874.918.927. 947.
*Ambroſius* Catharinus pag. 294. 701
*Ammianus* Marcellinus p. 570
*Anaſtaſius* Nicænus p.469
Anonymus p. 24
*Andreas* Libavius p.535
*Andreas* Maſius 637
*Andreas* Oſiander p.329
Anshelmus p. 86
*Antonius* Margarita p.154
Apulejus p.532.566 741
Aretius p. 334.336.340
Ariſtoteles p. 143.148. 223. 263. 531. 543. 555. 578. 584. 595. 597. 684. 701. 707. 874.
*Armandus de* Bello Viſu p. 68
Arnobius p. 186
Athanaſius p. 81. 89. 235. 484. 567. 723. 742. 780. 807
Athenæus p. 647
*Augerius* Ferrerius p.542
Auguſtana Confeſſio pag. 175. 36. 780.

780. 829. 853.
Apologia Auguſtanæ Confeſſionis p. 186. 198.
Auguſtinus p. 20. 31. 47. 50. 51. 52. 53. 61. 64. 69. 71. 75. 79. 81. 83. 94. 96. 97. 100. 104. 105. 106. 107. 109. 110. 117. 132. 135. 143. 117. 119. 127. 129. 146. 151. 159. 163. 166. 179. 183. 184. 185. 190. 192. 193. 194. 196. 197. 199. 200. 213. 217. 234. 247. 248. 272. 276. 288. 291. 293. 294. 295. 296. 299. 306. 314. 317. 320. 326. 342. 343. 346. 352. 353. 354. 357. 359. 365. 368. 382. 384. 386. 387. 388. 390. 391. 394. 396. 399. 410. 412. 414. 421. 431. 434. 435. 439. 441. 443. 452. 459. 455. 484. 514. 515. 520. 521. 528. 530. 536. 538. 539. 551. 554. 555. 556. 557. 560. 565. 573. 575. 579. 580. 582. 595. 601. 604. 609. 610. 612. 617. 621. 626. 630. 632. 639. 645. 652. 653. 662. 665. 666. 667. 671. 673. 681. 689. 693. 711. 713. 724. 729. 739. 740. 744. 750. 751. 795. 772. 774. 779. 780. 783. 784. 802. 807. 819. 822. 826. 830. 834. 843. 846. 847. 853. 879. 880. 889. 890. 893. 896. 897. 899. 900. 902. 908. 915. 947. 953. 676.
Avicenna p. 67.
*Autor libri* de decem chordis p. 361.
Aventinus p. 660.

B.

BAlduinus p. 69. 78. 190. 198. 235. 752. 767. 770. 776. 779. 784. 787. 790. 802. 881. 896.
Baldus p. 229. 238. 264. 701.
*Bartholomæus* Carranza p. 812.
Baſilius pag. 90. 109. 136. 186. 197. 200. 235. 395. 396. 565. 581. 653. 673. 715. 746.
*Baſilius* Monnerus p. 919.
*Beatus* Rhenanus p. 831.
Becanus p. 12. 17. 140. 141. 265. 327. 337.
Bellarminus pag. 11. 32. 50. 52. 130. 132. 140. 141. 147. 176. 177. 179. 184. 187. 188. 195. 196. 200. 208. 227. 229. 237. 281. 294. 305. 313. 332. 337. 379. 387. 409. 410. 411. 412. 416. 508. 545. 631. 668. 721. 726. 729. 741. 791. 792. 797. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 832. 833. 851. 853. 858. 859. 860. 861. 863. 883. 896. 900. 917. 947. 948.
*Benedictus* Iuſtinianus pag. 377. 896.
Bernhardus p. 2. 4. 11. 114. 141. 297. 299. 383. 396. 402. 404. 408. 409. 504. 516. 628. 648. 649. 672. 673. 679. 723. 727. 728. 740. 747. 792. 857. 951.
Beroaldus p. 939.
Beroſus p. 536.
Beza pag. 108. 115. 116. 118. 182. 290. 291. 304. 330. 336. 340. 795. 796. 802. 900. 901. 902. 919.
Bidembachius p. 310.
Blilemius p. 57.
Bodinus p. 415. 463. 466. 469. 477. 444. 538. 549. 550. 552. 553. 554. 556. 560. 561. 562. 563. 566. 568. 574. 611. 657. 708. 891.
Bonaventura p. 5. 14. 59. 294.
Bozius p. 621. 858.
Brentius p. 361. 463. 705. 751. 793.
Bruſchius p. 235.
Bucanus p. 307. 330. 334. 770.

Bullin-

Bullingerus 739.
Burius 210.

C.

CÆlestinus p. 161.
Cæsarius 161.
*Cælius* Rhodiginus 376. 531. 534. 556. 635. 641. 913.
Cajetanus 196. 197. 219. 222. 257. 264. 665. 295. 371.
Calvinus 108. 116. 289. 336. 524.
Camerarius 198. 222. 256. 264. 665. 719. 749. 297. 371.
Cardanus 610.
Casaubonus 69. 531.
Cassianus 230. 271. 385. 388. 475. 603.
*Catharina* Senensis 742.
Catechismus Jesuiticus germanus 227. 231.
Catechismus Rakoviensis 85. 90. 696.
Catechismus Romanus 57. 795.
Cato 601. 720. 950.
Cedrenus 557.
Censura Coloniensis 281.
Chemnitius 64. 313. 337. 380. 702. 778. 818. 819. 834. 871.
Chrysostomus 68. 85. 109. 110. 146. 179. 213. 251. 280. 288. 311. 313. 320. 322. 331. 393. 402. 410. 417. 476. 484. 487. 538. 555. 565. 613. 630. 645. 653. 701. 713. 733. 749. 751. 786. 806. 813. 882. 948. 947.
Chytræus 920.
Cicero 10. 12. 67. 143. 196. 250. 258. 262. 256. 577. 585. 599. 664. 666. 693. 765. 923. 940. 953. 954.
*Clemens* Alexandrinus 68. 280. 333. 643. 894.
*Clemens* Romanus 444.
Cocles 598.
Colloquium Ratisbonense 73. 194.
*Concilium* Agathense 210. 442.
Arelatense 162.
Bracarense 203.
Bracarense III. 391.
Cæsar Augustanum 211.
Carthaginense 778.
Carthaginense III. 285. 701. 817.
Carthaginense IV. 245. 338. 478.
Carthaginense VI. 342.
Constantiense 327.
Constantinopolitanum V. 784.
Elibertinum 701. 817.
Forojuliense 61.
Gangrense 237. 260. 371. 636. 745.
Laodicense 202. 511. 640.
Lateranense 706.
Nicænum 162. 701. 780. 895.
Syrmiense 80.
Toletanum 233.
Toletanum IV. 371.
Toletanum VIII. 291.
Tridentinum 32. 177. 195. 338. 627. 768. 771. 829. 830. 883. 896. 900. 917.
Turonicum 203.
*Conradus* Bruuus. 395.
Constitutiones Electorales ecclesiasticæ Saxonicæ 309. 324. 363. 748. 785. 787. 793. 803. 808. 838. 817. 844. 917. 919. 921.
Cordubensis 5.
*Cornelius* Agrippa 535.

*Corpus juris*, & *ll. juris canonici*, & *civilis* &c. 155. 156. 157. 161. 222. 236. 244. 245. 248. 253. 263. 264. 267. 308. 328. 329. 342. 357. 359. 363. 371. 386. 482. 529. 537. 563. 569. 570. 572. 582. 607. 640. 656. 657. 662. 691. 703. 709. 714. 722. 727. 728. 733. 734. 736. 737. 741. 744. 745. 751. 855. 761. 772. 774. 778. 830. 831. 838. 840. 870. 858. 862. 883. 888. 891. 895. 898. 899. 900. 903. 909. 910. 916. 919. 920. 925. 944. 948. 994.

Costerus 131. 228.

Crantzius 131. 728.

Cratippus 578. 581.

Cyprianus p. 32. 165. 319. 346. 364. 414. 428. 458. 474. 486. 645. 648. 659. 743. 744. 757. 786. 807. 837. 906. 948.

*Cyriacus* Spangenbergerus 804.

Cyrillus 94. 135. 136. 154. 175. 176. 318. 351. 407. 947.

D.

Damascenus 88. 90. 105. 109. 136. 162. 193. 199. 339. 436.

*Daniel* Sennertus 536.

Dicæarchus 376.

Diodorus Siculus 148. 262. 263.

Dion. 640. 636. 870.

Dionysius 186. 202. 305. 627.

Dominicus à Soto 887.

Dorotheus 557.

Durandus 5. 59. 186. 626. 627. 777.

E.

Eccius 178. 198. 201.

Egesippus 441. 444.

Epiphanius 132. 235. 376. 390. 557. 721. 750. 765. 896. 897.

Erasmus 68. 445. 567. 618. 692. 743. 747. 832. 912.

Euripides 262. 496. 918. 910.

Eusebius 70. 86. 179. 270. 287. 305. 341. 350. 352. 368. 388. 389. 413. 416. 520. 530. 582. 587. 604. 721. 743. 765. 840. 844. 894.

*Eusebius* Cæsariensis 482.

Eustathius 77. 532.

F.

*Fabius* Incarnatus 163.

Fernere Außführung der Frage/ Ob GOtt ohne das geoffenbarte Wort/etlicher massen warhafftig erkandt werde/ *Collegii Theol. Witteb.* 67.

*Festus* Pompejus 250.

Formula Concordiæ 64. 780. 783. 849. 853.

*Franciscus* de Victoria 878.

*Franciscus* Petrarcha 498.

*Franciscus* Valesius 545.

Froschelius 485.

Fulgentius 513.

Funccius 154.

G.

*Gabriel* Biel. 138. 177. 295. 797.

Galenus 581. 600. 635.

Gaza 555.

Gellius 250. 546. 765. 911. 919. 921.

*Gentianus* Hervetius 333.
Georgius *Abbas* 412.
*Georgius* Cassander 178.
*Georgius* Dedekennus M. 705. 752. 771. 778. 802.
*Georgius* Zeamannus 650.
Gerhardus 336. 340. 705. 752. 872. 885. 888. 919.
Gerson 8. 19. 20. 118. 229. 233. 295. 797.
Gesnerus 705.
Glossa *ordinaria* 12.
Gregorius Magnus 9. 109. 183. 239. 253. 272. 355. 386. 388. 400. 496. 509. 526. 567. 579. 580. 604. 774. 781. 824. 854. 933. 947. 251. 350. 357. 578. 618. 627. 628.
*Gregorius* Ariminensis 294.
*Gregorius* Nyssenus 610. 632.
*Gregorius* Turonensis, *historicus* 251.
*Gregorius* de Valentia 58. 140. 291. 306. 313. 338. 626. 791. 794.
Gretserus 771. 776. 650.
Gropperus 627.
Guido *de monte* Rocherii 794.
*Guilielmus* Barclaius 858. 860. 862. 884.

## H.

Hardingus 197.
Haymo 813.
Hedio 746.
Hermes 67.
Herodotus 263. 601. 655. 868. 927.
Hesiodus 247.
Hieronymus 7. 53. 70. 110. 162. 184. 201. 213. 227. 230. 235. 237. 244. 339. 341. 371. 376. 392. 393. 401. 402. 413. 464. 467. 468. 476. 484. 509. 531. 548. 573. 588. 630. 640. 642. 649. 654. 673. 701. 724. 738. 740. 743. 744. 761. 783. 889. 892. 896. 897. 900. 902. 922. 947.
Hilarius 79. 229. 319.
Hippocrates 531.
*Historia* Gallica 148.
Tripartita 287. 342. 346. 844.
Homerus 22. 250. 585.
Horatius 532. 541. 542. 927.
Hosius *Cardinalis* 56.
Hospinianus 235. 362. 739. 746.
Hostiensis 59.
Hottomannus 228.
Hugo 105. 502.
Hunnius 51. 705.

## I.

*Iacobus* Andreæ 90.
*Iacobus* Billius 504.
*Iacobus* Gretserus 650. 771. 775.
*Iacobus* Heibronnerus 650.
*Ieremias* Drexelius 649.
Ignatius 329. 640. 719. 894.
Innocentius 210. 244.
*Iohannes* Altenstaig. 14.
*Iohannes* à Daventria 228. 229.
*Iohannes* Andreas 59.
*Iohannes* Azorius 12. 18. 59. 62. 130. 138. 157. 183. 203. 205. 209. 211. 212. 214. 217. 255. 338. 372. 381. 382. 383. 386. 388. 574. 222. 226. 236. 238. 246. 252. 256. 261. 707.

713. 728. 729. 872. 887. 912. 916. 917. 923. 943.

*Iohannes* Baptista Porta 550.

*Iohannes* Diaconus 620. 624.

*Iohannes* Driedo 294.

*Iohannes* Fontanus 372.

*Iohannnes* Foxus 602. 422.

*Iohannes Henricus* Allstedius 33. 74. 75. 927.

*Iohannes* Hasenmullerus 636.

*Iohannes* Wierus 415. 451. 463. 466. 467. 469. 470. 478. 480. 483. 484. 532. 535. 550. 568. 554. 557. 610.

*Iohannes* Wolfius 87.

*Iodocus* Lorichius 12. 24. 32. 157. 236. 238. 239. 373. 381. 383. 294. 479. 888. 943.

*Iosephus* 213. 228. 435. 478. 537. 654.

Irenæus 48. 49. 86. 111. 164. 297. 337. 792.

*Isaacus* L. Feguernekius 77.

Isidorus 23. 241.

*Iulius* Sirenius 594.

Iustinianus *Imperator* 136. 245. *&c. Vide Corpus juris.*

Iustinus *Martyr* 85. 313. 351. 355. 82. 85. 95. 197. 795.

*Iunstinus* historicus 259. 601.

K.

KEckermannus 98.

L.

LActantius 69. 119. 120. 152. 410. 437. 522. 547. 701. 940. 954.

Laertius 674. 693.

Lambertus Danæus 348. 414.

Latomus 329.

*Leander* Albertus 445.

Leo 136. 200. 313. 319. 396. 756. 757. 791. 705.

*Leonhardus* Lessius 656. 664. 712. 872.

Lerius 639.

Lipsius 147.

Livius 441. 567. 888.

Lombardus 177. 186. 260. 295. 300. 627. 824.

*Ludovicus* Vives 132. 644.

Lutherus 20. 61. 64. 69. 152. 153. 155. 182. 208. 233. 234. 236. 295. 304. 315. 328. 330. 338. 340. 343. 346. 347. 363. 422. 432. 437. 450. 456. 460. 482. 486. 539. 582. 586. 595. 610. 618. 623. 691. 701. 705. 717. 723. 730. 735. 736. 749. 754. 755. 758. 766. 767. 772. 775. 786. 789. 791. 792. 795. 807. 813. 818. 819. 829. 830. 838. 840. 856. 888. 898. 899. 903. 904. 905. 920. 732.

Lyra 96. 197. 214. 652. 865. 872.

M.

MAcarius 622.

Macrobius 250. 263. 362.

Magdeburg. Centuriar. *autores* 810. 815.

Malleus maleficarum 478. 479.

Manilius 525.

Mariana 863. 867.

Marcianus 913.


*Marcus*

*Marcus* Antonius de Dominis 728
Martialis 4. 692. 888.
Martinius 137.
S. Martinus 414.
*Matthæus* Parisius 230.
*Martinus* Peresius 131.
*Matthæus* Sutlivius 231.
*Matthæus* Wesenbeccius 245.
Maximus 387.
Meisnerus 705. 885.
Melanchthon 340. 466. 781.
*Melchior* Canus 446.
Menander 3.
*Mercurius* Trismegistus 68.
Mornæus 186.
Mosanus 76.
Munsterus 154.
Musculus 289. 306. 340. 796.

N.

NAvarrus 212. 219. 256. 264. 666. 714.
Nazianzenus 65. 90. 135. 316. 596. 801. 845.
Nicephorus 165. 389. 421. 441. 530. 567. 741. 767. 792. 894. 896.
Nicetas 596.
*Nicolaus* Clemangis 742.
*Nicolaus* Remigius 452. 534. 552. 568. 569.

O.

OEcumenius 196.
Olaus Magnus 557.
Onuphrius 270.
Origenes 82. 186. 213. 402. 485. 486. 528. 625. 721. 749. 818. 900. 902.
Osiander 817.
Ostorodus 93.
Ovidius 532. 554. 555.

P.

PAcificatio Passaviensis 149. 167.
Palingenius 742.
Paludanus 222.
Panormitanus *abbas* 59. 267. 656. 736.
Paræus 116. 336. 524. 835.
Paulinus *Poeta* 540. 840.
Paulus ab Eizen 715.
Pausanias 263.
Pazmannus 627.
Penotus 532.
Pererius 586.
Perkinsius 73. 75. 214. 290. 291.
Petrus Cluniacensis 742.
*Petrus* Martyr 98. 761.
*Petrus* Molinæus 111.
*Petrus* Thyræus 415. 466. 468. 472. 612. 479. 486. 625. 627. 629. 631. 633.
Philo 531.
Philostratus 263. 441. 551.
Pighius 66. 295.
Platina 691.
Plato 143. 148. 531. 537. 541. 569. 577. 693. 749. 751. 954.
Plautus 888.
Plinius 116. 199. 263. 332. 339. 376. 441. 444. 531. 534. 536. 541. 546.

553. 563. 575. 583. 584. 589. 600. 606. 610. 5?6. 927. 620. 624. 643.
Plutarchus 143. 249. 806. 610. 636. 647. 652. 678. 686. 911.
Polemon 595.
Polybius 250.
Polydorus Virgilius 201. 228. 652.
Prosper Aquitanicus 475.
Pythagoras 577.

Q.

Quintilianus 533.
Quintus Curtius 525.

R.

Richardus Toletus 795.
Robertus Abbas 602.
Robertus Cocus 632.
*Rudolphus* Gualterus 116.
Ruffinus 865.

S.

Sadeel 289.
*Salomon* Jarchi *Rabbi* 157.
Scaliger 924.
Schopperus 337.
Scotus 5. 563.
*Sebastianus* Boetius 340.
Selneccerus 595.
Selneca 2. 128. 152. 264. 317. 360. 405. 194. 648. 674. 676. 683. 687. 639. 929.
Serarius 184. 215.
Servius 555. 641.
*Severus* Sulpitius 414. 445. 476.
Sidonius 692.
Sigebertus 474.
Sigonius 869.
Sixtus Senensis 195.
Sleidanus 445. 941.
Smalzius 288.
Socrates 17. 165. 201. 352. 389. 610. 721. 757. 758. 792. 831. 865.
Solinus 236.
Sotus 184. 219. 222. 256. 383. 654. 706. 729.
Sozomenus 165. 251. 270. 346. 389. 484. 604. 781. 831.
Sprangerus 477. 563.
Stapletonus 140. 195. 200. 388. 771. 772. 387.
Statius 22.
Strabo 263.
Stumpfius 235. 445. 811.
Sturmius 366. 782.
Suetonius 567. 601. 610. 620.
Suidas 87. 241. 555.
Svvenckfeldius 90.
Sylvester 558.
*Synodus* Antiochena 844.
Arelatensis 387.
Carthaginensis III. 229.
Carthaginensis IV. 745.
Toletana 357.
in Trullo 389.
Wormatiensis 811.
Sybillini *libri* 69.
Szegedinus 77.

T.

Tacitus 441. 570. 701.

Tanne-

Tannerus 73.
Tertullianus 82. 116. 179. 202. 213. 292. 305. 313. 357. 377. 390. 482. 641. 643. 646. 648. 652. 694. 702. 747. 748. 757. 760. 862. 892.
Theodoretus 79. 165. 401. 468. 723. 743. 755. 758. 763. 840. 865. 897. 410.
Theophylactus 196. 441. 458. 895.
Theophrastus Paracelsus 535. 536. 537. 542.
Tholosanus 148. 351.
Thomas 4. 5. 8. 12. 59. 68. 111. 130. 135. 197. 205. 207. 209. 211. 212. 226. 264. 265. 294. 306. 359. 367. 378. 393. 407. 473. 551. 729. 565. 573. 579. 812. 872. 922.
Tibullus 22. 606.
Tiraquellus 641. 888.
Trallianus 541.
Trelcatius 541.
Toletus 32. 33. 141. 332. 374.

V.

*Valentinus* Weigelius 54. 413. 691.
*Valerius* Maximus 250. 441. 520. 570. 555. 602. 605. 870. 940.
*Victorinus* Strigelius 781.
*Vitus* Theodorus 337.
Volaterranus 330.

X.

Xiphilinus 620.

Z.

Zanchius 78. 104. 116. 336. 401. 413. 431.
Zvvinglius 68. 796. 423. 602. 791.

# INDEX TERTIUS RERUM ET VERBORUM

A.

Ablata *injustè restituenda* p. 713.
Abscissio membri, *vide* corpus,
Abstemii, *an uti debeāt cœnâ* 337. *an vinum aqua miscendum, ut ipsi bibere possint in cœna. ibid.*
Abstinentia *est anima jejunii* 369. *est multiplex ibid. ultra diem tertium ab omni cibo abstinere non est virium naturalium* 370. *regulæ de abstinentia* 371. *vide* cibi, *item* prohibitio ciborum, *item* jejunium.
Accidens *aliud est prædicamentale, aliud prædicabile* 95.
Acta publica *quid?* 873.
Actionum *nostrarum finis caritas Dei & proximi* 122.
Adamum *cur Deus non ita condiderit, ut penitus peccare non posset?* 109.
Adhærere Domino *utile* 120.
Adiaphora, *vide* res indifferentes, *item* ritus.
Adjuratio *quid sit? ejus exempla in scripturis* 625.
Adoratio *Trinitatis* 134. *cur nonnunquam jam ad patrem, jam ad filium, jam ad spiritum sanctum dirigatur?* 134. *adoratio humana Christi naturæ* 135. *una adoratio religiosa* 138.
Adulatio 952.
Adulterium, *an inter conjuges post commissum adulterium reconciliatio locum habere possit?* 902.
Ægroti *in itinere facti possunt alieni pastoris opera uti* 815. *ægroti & alii an salvâ conscientiâ possint cœnâ privatis in ædibus uti* 341.
Affectus *quare dicantur perturbationes?* 667. *quatuor affectus principales quomodo sint cohibendi?* 676. 677.
Afflictio corporis spontanea, *an corpus hominis asperiore disciplinâ, ut flagellis, jejunio, cilicio &c. affligi possit & debeat?* 649. *afflictio Papistica nihil habet commune cum Paulinâ* 650. *cur nostrum corpus more Papistico jejuniis macerare & flagellare non debeamus? ibid.*
Agricolarum Astrologia 584.
Alapâ percussus *quomodo se gerere debeat?* 666.
Alearum efformatores *an sint in honesto*

Digitized by Google

*neſto vitæ genere?* 750.

Ambitioni *quomodo reſiſtendum* 680. *quia*.527

Amentes *non poſſunt vavere* 210.

Amiſſas res *per divinationem inquirere an liceat* 593

Amiſſio Sp.S. 118.

Amicus *an poſſit pro altero mori* 940.

Amor *noſter erga Deum non poteſt eſſe perfectus in hac vita* 140

Anabaptiſtarum *errores refutantur* 242. 268. 291. 348. 413. 662. 670. 690. 710. 871. *&c.*

Anagrammatum *vanitas* 575.

Analogia *omnium optima eſt in Cœna, quæ intercedit pani & vino cum corpore & ſanguine Chriſti* 331. *analogia Calvinianorum* 335.

Angelus *eſt nomen officij, ſpiritus naturæ, diſcrimen inter bonos & malos angelos* 399. *bonorum angelorum nomina, potentia, motus activus, poteſtas in ſenſus hominum externos & internos* 400. *bonorum angelorum vis major quàm malorum* 400. *officia ſanctorum angelorum triplicia* 400. *Hebræorum opinio de officiis ſanctorum angelorum reſpectu totius univerſi* 401. *an cuilibet homini certus deſtinatus ſit angelus?* ib. *eleganter angeli à Bernhardo vocantur pædagogi* 402. *quid faciendum, ut ſanctos angelos nobiſcũ retineamus?* 404. *angeli peccatis fugantur ibid. media angelos ſecum retinendi* 500. *virtutes angelorum ſunt nobis imitandæ* 406. *an angeli ſint invocandi.* 409. *an licitum ſit ſanctorum angelorum viſiones & colloquia affectare* 413. *cur in doctrina fidei angelorum viſionibus non ſit indubitato ſtandũ.* 414. *cur Deus hodie per angelos non agat nobiſcum ſicut in V. T. factum.* 417. *cur Deus per homines & nõ per angelos nos hodie informare velit.* p. *ibid. unde quis certus eſſe poſſit quod non tantum ſuggeſtiones cordis ſed & externæ operationes ſint à bono vel malo angelo.* 418. *bonæ cogitationes à bono ſunt angelo.* ibid. *malæ cogitationes à malo ibid. mali tamen in hoc genere nonnunquam imitantur bonos, ibid. an pij ex angelorum revelatione prædicere poſſint futura* 420. *futura contingentia, quæ à libera voluntate pendẽt, ab angelis ne cognoſcũtur quidem citra divinã revelationem ibid. an aliquis angelorum revelationi in interpretatione Scripturæ tuto fidere poſſit?* 422. *angelorum malorum nomina* 424. *vide* diaboli.

Anima *in Scripturis ſæpè ſignificat ea, quæ in hac vita cara nobis eſſe poſſunt.* 949. *differentia inter animam & animum* 667. *præſtantia animi ibid. animus hominis dupliciter excolitur ibid.*

Anni climacterici 583.

Antitheſis *pro concione non intermittenda* 782. 785.

Anthropomorphitarum *error* 75.

Artes liberales *an Chriſtianus ſalvâ conſcientia addiſcere poſſit* 690. *earum utilitas* 692.

Artes ludicras *tractantes an ſint in honeſto vitæ genere.* 705.

Articuli fidei, *eorum ſubſtantia, & diſputationes unde ortæ* 60. *eorum ignorantia ob defectum inſtitutionis*

61. *de articulis fidei non à ſpectris informandi ſumus* 614. *vide* ſcriptura, ſomnia, ſpectra.

Aſſentatio 952.

Aſtrologia *à patribus propter abuſum rejicitur* 586. *aſtrologicæ prædictiones quoad tempeſtates & themata natalitia* 582. *de ſole* 583. *de luna* 584. *de reliquis planetis ibid. de diebus criticis ibid. de annis climaktericis ibid. de agricultura & re œconomica* 584. *calendariographorũ prædictiones cur non ſemper eveniant. ibi. genethliacæ prædictiones nō ſunt neceſſitatis & abſolutæ veritatis, ſed ſaltem probabilitatis* 585. *aſtrologicæ prædictiones non extendunt, ſe ad res ſimpliciter à voluntate noſtra dependentes ibid. an quis ſalva conſcientia ex cœlo & elementorũ obſervatione prognoſtica petere poſſit.* 588. *nubiũ diverſi colores quid prædicãt. ibid. rubedinis matutinæ & veſpertinæ ib. pluviarum* 589. *primæ nivis prædictiones ibid. vide* Dies & *totum cap. 6. lib.* 3.

Attributa *in hominibus & creaturis ſunt qualitates & accidentia, ſed non in Deo* 94.

Avaritia 527. *quomodo ipſi occurrendũ* 677. *an avaro perquam tenaciſſimo aliorum ope ſit ſuccurrendum.* 946.

Auditus verbi divini, *vide* verbum Dei. *auditores verbi divini quales eſſe debeant vide* conciones.

Aurum *cur pallens.* 678.

Αὐθεκαστα 698.

Αὐτόχειρες 529. *cauſæ propter quas homines mortem ſibi inferunt* 520. *ſe ipſum interficere maximum eſt peccatum* 521. *quomodo iis conſulendũ qui ex tædio vitæ manus ſibi inferre cogitant.* 522. *quomodo iis, quibus vulnera conſcientiæ* 523. *quomodo iis, qui ex metu reprobationis æternæ* 524. *quomodo iis qui ex impatientia* 525. *ſi quis melancholia præventus ſibi ipſi manus intuliſſet, an de ſalute ejus actum eſſet.* 527. *quò referendæ virgines pudicitiæ cauſa factæ αὐτόχειρες* 529.

B.

Balnea, *ubi promiſcuè viri & fœminæ lavant, an ſint licita* 638.

Baptiſmus *non eſt accipiendus ab iis, qui ſubſtantiam ejus convellunt* 162. *ſi quis perſuaſus ſit ſe baptiſatum eſſe, cum tamen baptizatus non ſit, an baptiſmus ei conferri debeat.* 15. *aqua potiùs quàm alio liquore baptiſandum* 18. 794. *baptiſmi ſalutaris efficacia & utilitas poteſt per negligentiam & vitam pecuniã ex parte in homine extingui* 62. *qui apud Arianos baptiſati ſunt, pro non baptiſatis habendi* 162. *formula baptiſmi Arianorũ* 162. *baptiſati apud Pontificios aut Calvinianos à noſtris nō rebaptiſantur* 162. 163. 302 *baptiſmus in nomine Patris, Filij, Spiritus S. & B. Mariæ adminiſtratus an eſſet legitimus* 163. *an quis infantẽ ſuũ baptiſandum hæretico offerre debeat. ibid. baptiſmus eſt perpetuũ votum Chriſtianorum* 206. *non eſt per omnia eadem ratio baptiſmi & cœnæ*

cœnæ 289. baptiſmus non eſt abſolutæ neceſſitatis ibid. extra caſum neceſſitatis baptiſmo carere non poſſumus ibid. de fide parvulorum an in baptiſmo conferatur. ibid. 291. baptiſmus infantium abſq; prægnanti cauſa differendus non eſt 293. de infantibus ante baptiſmum mortuis, an de ſalute eorum actum ſit. 294. fontes conſolationum ad parentes circa hunc caſum 295. Deus infantibus ordinarie confert fidem per baptiſmum, extraordinarie modo ſibi cognito 296. de iis qui in Papatu alius ritibus, quam apud orthodoxos fieri ſolet in fidem eccleſiæ papiſticæ baptiſati ſunt, cui tamen in adulta ætate non ſunt addicti, an de veritate baptiſmi ipſis dubitandum ſit. 300 ſubſtantia baptiſmi à ceremoniis diſtinguenda ib. 301. quid ſit ſubſtantia baptiſmi 300. quotuplices ſint ceremoniæ circa baptiſmi adminiſtrationem uſitatæ. ib. ceremoniæ ad integritatem & eſſentiam baptiſmi non ſunt neceſſariæ, ſed pro adiaphoris habendæ 300. quænam ceremonia omnium optima ib. baptiſmi efficacia non pendet ab intentione baptiſantis ib. de parentibus viventibus in eccleſia heterodoxa, utrum liberos ſuos iis miniſtris, à quibus in fide diſſentiunt baptiſandos ſalvâ cõſcientia remitttere poſſint. 301. infantium baptiſmus, ſi fieri poteſt, ab hæreticis non eſt petendus, ſed alibi locorum quærendus, ſi vero non poſſit haberi quomodo procedendum: ib. ab Arianis baptiſmꝰ nõ eſt petendꝰ 302 infantes non ſunt offerendi paſtori heterodoxo, cum orthodoxo haberi poteſt, in defectu vero puri miniſterii cum proteſtatione parens petere poteſt baptiſmum ab hæretico, qui ſubſtantialia baptiſmi retinet ib. de hæreticis recuſantibus baptiſare infantes, donec ad eccleſiæ ſuæ gremium parentes redeant 303. de loco ubi baptiſmus adminiſtrari ſolet 304. de infante à matre præter aliorum præſentiam baptiſato, an in adulta ætate de ſua ſalute infans certus eſſe poſſit. ib. Vide patrini & exorciſmus quomodo homo in adulta ætate baptiſmo ſuo uti poſſit 313 an baptiſmus à miniſtro ebrio adminiſtratus pro vero habendus, & tali miniſtro condonandum. 790. an miniſtro in nomine Chriſti aut Trinitatis baptiſare arbitrariũ ſit 791. an miniſter eccleſiæ illa verba: vnd die er ſelbſt darzu gethan hat, in baptiſmo infantis omittere debeat. 793. an miniſter eccleſiæ ditioribus debeat gratificari, ſi liberos ſuos vino generoſo aut aqua roſata baptiſari petant p. 794. 23. rationes quod nemo aquam in baptiſmo mutare debeat, ib. quid miniſtro eccleſiæ faciendum, ſi parẽtes juſto diutius baptiſmum liberorũ differant. 796. baptiſmus eſt ſimpliciter neceſſarius ib. ſi infans in iſta mora moreretur, an de ejus ſalute deſperandum, & quid cum parentibus agendum, 797. probatur, infantes ante baptiſmum mortuos non damnandos 798. an baptiſandi ſint infantes parentum diverſæ religionis à noſtra illud efflagitantium. 799. an miniſter eccleſiæ infantes infide-

*lium baptisare teneatur.ib quid.faciendum si baptisato a laico in adulta ætate scrupulus oriatur, an etiam recte baptisatus sit.p.802. quomodo minister ecclesiæ succurrere debeat iis, qui dubitant, an unquam fuerint baptisati, cum tamen baptisati sint.803. causæ possunt esse variæ, cur baptismum parentes differant* 798.

Beichtpfennig 384.

Bellum *vide* magistratus, *bella multa secum trahunt vitia* 878. *ad justum bellum tria requiruntur ibid. quænam sint justæ belli causæ.* 879. *exemplum belli offensivi ibid. prava intentio gerendi bella quænam* 880. *recta ratio gerendi bella septem involvit* 889. *quid subditis faciendum, si jubeantur militare à magistratu, causa belli nondum cognita ibid. an in justo bello mortem inferre aut alio modo nocere liceat innocentibus.*881 *vide* innocentes.

Benedictiones Papales 545.

Beneficia *duplicia corporalia & spiritualia* 180. *commune beneficium quid.*934.

Boni angeli *vide* angelus.

Bona conscientia, *quando, quare dicatur bona* 20. *ejus tituli biblici, definitio, officia, elogia ib. distinctio ab hypocrita* 21. *duo media per quæ bona conscientia acquiri & conservari potest* 24.672. *ob quatuor causas studendum bonæ conscientiæ* 26. *amissa bona conscientia amittuntur quinq; thesauri pretiosissimi* 26. *Vide* conscientia.

Bonum *interdum idem est atque utile & conducibile* 893.

Bona fortunæ 693. *an sint bona appellanda.ibid.vide* 715. & divitiæ.

C.

CÆlibatus, *falsa hypothesis de statu perfectionis in cœlibatu* 219. 891.

Calamitas *piorum* 525.

Calendariographi 584.

Calviniani, *eorum errores p.* 75.77. 107. 115. 118. 137.290.330.334. 348.345 669.795.796.849. *Calvinianus minister vel est cryptoCalvinianus vel apertus* 343. *Calviniani apud nos cœna utentes accipiunt verum Sacramentum, nos apud illos non* 344. *cur abstinendum a synaxi Calvinianorum ib.*

Canonici, *an sint in vitæ genere DEO placente* 727. *duorum sunt ordinum,* 728. *quinam regulares* 728 *canonici Papales non sunt legitime vocati* 729 *quid de canonicis August. Confess. addictis sentiendum.* 730. *quomodo talis Canonicus se gerere debeat.* 731. *discrimen inter eos, qui canonicatibus fruuntur ib. an studiosus Theologiæ carens* διὰ ξένου ἐγχειρίδιον *bona conscientia canonicus fieri possit.* 733. *quid olim fuerint collegia canonicorum, & qui vocati canonici, ib. an quis salva conscientiâ canonicatū certa pecuniæ summa emere possit?* 736. *an soli principes, comites, barones, exclusis pauperioribus in canonicatū recipiendi.* 738.

Capit-

Capillorum *colores mutare an liceat, undenam causa an sit licitum.* 642
Captivorum *consolatio* 658.
Caritas 122. *Caritatis debitum* 716.
Caro *& spiritus sibi contrariantur* 508. *carnem castigare Paulo quid sit.* 650. *quomodo caro sit castiganda* 652. *in carne vivere quid.* 872.
Castitas *monachorum* 232.
Castrantes *se castitatis causa libidines augent* 653.
Casus, *ejus ἔτυμον & aquivocatio* 31. casus necessitatis *quis.* 390. 797. casus conscientiæ *quis.* 32. *quid sit casus reservatus & non reservatus apud Pontificios ibid. quomodo hæc distinctio refutanda. ibid. quid proprie per casum conscientiæ intelligẽdum.* 32. *casus conscientiæ quomodo à diversis diversimode distribuantur* 33. *tituli doctrinæ & librorum de casibus conscientiæ scriptorum ibid.*
Catecheseos *præcipua capita* 60. *Catechismi necessitas & utilitas* 61.
Causidicorum *quorundam consilium taxatur* 325.
Census annuus 701. *an sit licitus.* 702 *Vide* mutuum.
Cerei *affuso oleo Papales* 628.
Ceremoniæ *vide* ritus, *item*, res indifferentes.
Chartarum *fabricatores an sint in honesto vitæ genere.* 751.
Chiromantia 535. *& seqq.*
Christiani *à filiis hujus seculi distinguuntur, quod bona gaudeant conscientia* 26. *quomodo quilibet Christianus seorsim debeat habere curã religionis.* 456. *quivis Christianus duplicem vivit vitam* 170.
Christus *est Deus & homo* p. 86. *& seqq. cum ignorantes non sunt absq; peccato* 69. *de duabus naturis.* p. 85. *sunt diversa non adversa ibid summa articuli de persona Christi ibid. unio personalis* 87. *naturarum est ἀδιάστροφος non ἀσυστρόφως* 88. *potest de iis cogitari tanquam partibus compositi unitis in uno toto, non separatis* 89. *de locutionibus quibusdam circa personam Christi ibid.* *ὁλικῶς ἢ ὁλικῶς quo sensu dicatur.* 89. *Christus est redemtor mundi* 111. *habet duplicem ornatũ naturalem & personalem.* 112. *ἀπολύτρωσις nostra per mortem & sanguinem Christi facta est* 113. *cur oportuerit Messiam pati & sanguinem effundere* 114. *unus & idem cultus tribuitur λόγῳ per naturam & carni Christi per unionis personalis gratiam* 135. *solatium ex adoratione carnis Christi* 138.
Cibi *vide* abstinentia, jejunium, prohibitio ciborum, *quatuor dispositiones circa cibos* 375.
Cingari *plerumq; chiromantia* 59?.
Claves ecclesiæ, *an ministri ecclesiæ pro libitu & lubitu suo clavibus uti possint.* 823. *vide* confessio privata: *an minister ecclesiæ habeat potestatẽ imponendi satisfactionem confitenti.* 832. *an minister ecclesiæ scelera capitalia in confessione sibi concredita magistratui aperire teneatur, ut puniatur.* 837. *an quis quacunq; de causa facile confessionarium mutare, & alius ecclesiæ minister alienum confitentem recipere & absolvere possit* 838. *vide* excommunicatio-

Cœna, baptismi & cœnæ non est per omnia eadẽ ratio 289 usus cœnæ non est omnibus nec [illegible] 290. quid sit cœna: 318. ejus usurpatio est pars cultus divini ibid. quid faciendum, ut digni ad cœnam accedamus. ibid. præparatio ad cœnam quid complectatur. 319. 320. 321. quid cũ iis faciendum, qui fortè sentiunt se ad sacram cœnam indignè accessisse. ibid. vide indigni: an enormiter facinorosus non admittendus, nisi publicâ præcedente deprecatione coram ecclesia 323. quomodo facinorosus deprecationem instituere debeat 324. de litigantibus in foro, an dignè cœnam accedant. ibid. nihil arcet à cœna, quam peccatum contra consciẽtiam ib. an habitans inter hæreticos minùs rectè de cœna sentientes sibi-ipsi possit porrigere cœnam. 326. vide laici, communio laicorum sub utraque specie, Magistratus. an in defectu panis & vini, ub alio visibili elemento Sacramentum accipere liceat. 330. vide panis, hostiæ, abstemii, surdi & muti, ægroti, de certis temporibus, quibus nonnulli cœna utuntur 342. an cœna non nisi jejuno stomacho sumenda. 342. an orthodoxus à Calviniano bona cõscientia cœnam petere & accipere possit, vide Calvinianus, item confessio privata. analogia. duorum generum homines circa cœnam sunt occupati 804 an minister ecclesiæ impœnitẽtẽ & notoriè sceleratum ad cœnam admittere debeat. ibid. an agonisantibus, sensus & rationis usu destitutis cœna sit porrigẽda. 809. 810. an cœna iis porrigenda, qui per illius usum suam probare volunt innocentiam. ib. 811. quomodo minister ecclesiæ cũ iis agere debeat, qui justo diutiùs à cœna abstinuerunt. 812. usus cœnæ non est ἀδιάφορος sed ἀναγκαῖος ibid. an minister ecclesiæ eos, qui ad parochiam suam non pertinent, ad S. Cœnam debeat admittere. 814. differentia eorum, qui alienorũ pastorum operam in usurpatione cœnæ expetũt, ibid. exulibus nobiscum hospitantibus non est denegandum ministerium verbi & Sacramentorum ib. qui post agnitã veritatem à Pontificiis vel aliis hæreticis se segregavit, & cœnã a nostratibus expetit, huic non est neganda 815. si quis in itinere subito morbo obrueretur, opera alienis pastoris uti potest ib. si pastor à consistorio reus inventus ex odio aut vindicta nolit admittere suũ auditorem, potest hic alius pastoris opera uti 816, si pastor est notoriè sceleratus, referenda prius res est ad consistoriũ, antequam alieno pastore quis utatur ib. qui ex odio erga pium suũ pastorem eius cœna uti nolunt, gravissimè peccant, nec ab alio sunt admittendi ib. quid pastori in pagis tẽpore pestis faciendum quoad exhibitionem cœnæ, ne tota ecclesia illius loci ex metu pastoris inficiatur. 817. an paganus pastor tempore pestis elementa consecrata ad ægrotum mittere possit. 818. an minister verbi sacram cœnam sibiipsi porrigere possit. 819. quid cum isto ecclesiæ ministro agendum, qui forte in consecratione unam verborum institutionis partẽ omittit

*omittit*, 820. *rationes*, *quod omiſſio partis alicujus de verbis inſtitutionis ſit graviſſimum peccatum* 821.

Cœnobia *primitivæ eccleſiæ laudatiſſima*, 743. *vide* nonnæ. *Cœnobia nonnulla hodie reformata ſunt, in quæ virgines ſalvâ conſcientiâ ſe cōferre poſſunt, ſed certis cum conditionibus* 746.

Cogitationes *bonæ & malæ unde* 418.

Cognati *& propinqui quomodo differunt*. 926. *concordia cum cognatis & propinquis alēda* 926. *officia quæ debētur cognatis & propinquis* 926

Cognitio Dei *naturalis & vera* 64. *eſt languida & imperfecta* 65. *non eſt conceptus idoli, ſed vera Dei* 66.

Collegia *quid* 891.

Commeſſationis *remedia* 684.

Commutatio in voto *quando fieri poſſit*. 239.

Comœdiæ *in ſe non ſunt illicitæ* 637.

Communio laicorum ſub utraque ſpecie *probatur* 327. *Vide* laici, *item* magiſtratus.

Conceptus de Deo 75. *non attingit ejus eſſentiam ſed utcunq; ejus opera & attributa* ibid. *admodum viri antiqui non eſt peccatum* 76. *tres cōceptus de Deo in Scripturis nobis monſtrantur ib.*

Conciones, *concionibus diabolus etiā intereſt* 271. *quomodo cor auditorū in ante & poſt concionem debeat eſſe diſpoſitum ibid.* 272. 273. 275. 276. 277. 278. concionatorum officium. *an ad magiſtratus præſcriptū eccleſiæ doctor doctrinam ſuām conformare debeat*. 779. *an miniſter eccleſiæ ad interdictum magiſtratus à cōdemnatione falſæ doctrinæ & doctorum abſtinere debeat*. 781. *quomodo officium elenchticum candidè & abſq; calumnia tractandum*. 782 *doctrina falſa pro concione condemnari poteſt* 783. *falſi doctores etiam nominatim pro concione perſtringēdi ib. an peccantes in moribus nominatim pro concione taxandi*. 785. *an miniſter eccleſiæ officium elenchticū bona cum conſcientia penitus intermittere poſſit. ib. quid in officio elenchtico cavendum* 787. *an miniſter eccleſiæ propter conciones vehementiores cor ā politico magiſtratu in jus vocari poſſit. ib. miniſter eccleſiæ debet manere in generalibus increpationibus ib. vide* miniſter eccleſiæ *an magiſtratus etiam pro concione arguendus*. 788.

Concomitantia *Pontificiorum in cœna* 378.

Concupiſcentia *an ſit peccatum* 5[illegible]8.

Conditio *eſt vel honeſta & poſſibilis, vel turpis & impoſſibilis* 224. *poſſibilis eſt neceſſaria vel contingens*, *ib.*

Confeſſio fidei *an ſemper ſit edenda coram hominibus*. 71. *cōfeſſio externa cur ſit neceſſaria* 72. *an quibuſdā caſibus omitti poteſt ib. tempus confeſſionis*. 74. Cōfeſſio peccatorum *fit Deo, miniſtro, proximo* 29. *unde eſt triplex* 828. Confeſſio privata *quid ſit* 546. *veteres vocarunt* ἐξομολόγησιν, *multum ipſi tribuerunt, exempla, ib. retinetur in noſtris eccleſiis non ut abſolutè neceſſaria ſed ut commonefactio fructuoſa* ibid. *&* 829. *Cauſa cur retineatur privata confeſſio in noſtris eccleſiis* 829. *an* [illegible]

*con-*

*confeſſione privata enumeratio omnium peccatorum ſit neceſſaria* 830 *vide* claves eccleſiæ: *an miniſtro eccleſiæ honorarium a confitente* (Beichtpfenning) *accipere licitũ.* 835 *quomodo confeſſionarius pro diverſitate confitentium officium ſuũ rectè adminiſtrare poſſit.* ib.

Conjugium *an ſit opus carnis.* 891. *an puriorem conſcientiam habeant, qui in cælibatu vivunt, quàm qui in cõjugio.* ib. *patres quidam conjugio iniquiores fuerunt* 892. *conjugio non opponitur virginitas ſed cælibatus* ib. *an cælibatus quoad puritatẽ præferendus conjugio.* ib. *vide* cælibatus, *an miniſter eccleſiæ bonâ conſcientiâ in conjugio vivere poſſit.* 893. *vide* ſecundæ nuptiæ, impotentia, divortium, morbi, adulterium. *An conjugium in gradu aliquo prohibito ex inſcitia contractum pro legitimo habendum, ita ut reſcindi nequeat* 905. *Vide* graduum prohibitio, *officia conjugum* 907. *tres eorum claſſes.* ibd. vide parentes.

Conſcientia *an ſit.* 1.2.3. *vox conſcientiæ in variis linguis quomodo reddatur* 3. *quare non ſimpliciter ſcientia ſed conſcientia dicatur* ib. *conſcientiæ ſyllogiſmus practicus p.* 3. & 9. *quid ſit* 5. *pertinet ad animam rationalem* 5 *an ſit habitus in ratione exiſtens, an verò actus rationis.* ib. *variæ ſignificationes* 7. *ſextuplex diſcrimen inter conſcientiam & ſynteresin* 7. *in conſcientia triplex eſt applicatio ad opus* 8. *duo actus intellectus concurrunt* ib. *officia* 9. *accõmodant ſe quadrupliciter* ib. *non obligat per ſe ſed ratione legis* ibid. *ejus teſtimonium certiſſimum* ibid. *de quibus teſtetur* 9 *eſt notarius cordis* ibid. *quinq́; ſpecies conſcientiæ* 10. *minus propriè diſtinguitur in bonã & malam* 22. *Vide* bona conſcientia, mala conſcientia, *unde quis ſcire poſſit, quod habeat bonam vel malam conſcientiam* 24 *media per quæ bona conſcientia conſervari & acquiri poteſt ibid* 672. *conſcientia eſt naturale lumen in homine* 30. *per quid vulneretur conſcientia* 28. *conſcientia in ſuo officio impeditur ob quatuor cauſas* 30. *conſcientiâ ſanctificata ſigna* 517. *vide* αὐτόχειρες *examen conſcientiæ* 675. *conſcientiæ judicis quid* 873

Conſecratio *caſei Pontificia* 379. *aliarum rerum* 545

Contractus 697. *in contractibus omnia debent fieri abſq; dolo* 697

Contradictiones *ſunt licita vel illicita* 54. *contradictionem implicãtia non continentur ſub divina potentia* 98. *contradictoria rationis non ſunt opponenda verbo Dei* ib.

Continentiæ *donum Pontificij votarios ſuos a Deo petere jubent* 181

Contritio *in quibus conſiſtat* 29. *vide dolor.*

Creatio 104. *quid ante creationem Deus fecerit.* ibid. *duplex creatio,* ἄμεσος & ἔμμεσος 107. creaturæ *irrationales & inanimata laudant & benedicunt creatorem ſuum non efficienter ſed objectivè* 67.

Credere *aliquid explicitè & implicitè* 60. *credentes duntaxat pertinent ad ſemen Abrahæ* 294

Corpus

Corpus hominis *vide totum c.1.l.4. an quis abſque peccato in gratiam aliorũ corpus propriũ lædere poſſit?* 653. *varij generis homines proprium corpus lædentes* ibid. *qui caſtitatis cauſa ſe caſtrant libidines augẽt ib. an liceat membrum corporis, ut vita conſervetur abſcindere.* 654. *abſciſſio membri ex triplici cauſa provenire poteſt,* ib. *an in ſalutem reipublicæ, aut cujusdã majoris commodi gratia membrum corporis ſit mutilandum.* 655. *de digladiantibus & mutuò ſe vulnerantibus* 656. *vide* digladiationes, duella.

Correptio *proximi quomodo inſtituenda* 949. *neceſſitas* 949. *quinque obſervanda* ibid.

Crux *Chriſti, corona ſpinea &c. fuere inſtrumenta ignominiæ nõ victoriæ* 133. *crucis ſignum an aliquid valeat ad fuganda ſpectra.* 632. *quomodo veteres adhibuerint ſignum crucis.* ibid. *eſt fidei noſtræ confeſſio* 633. *errant hic dupliciter Pontificij* ib.

Cultus Dei *duplex* 120. *internus quid ſit* ib. *ubi reſideat.* ib. *duo ejus actus* ib. *externus quid:* 142. *præſupponit internum* ib. *eſt neceſſarius* ib. *vocatur religio* ib. *vide* religio.

---

D.

DÆmonomagia 52.

Dandum *eſt de bonis noſtris, Deo magiſtratui, liberis, familiæ noſtræ, pauperibus* 715. *quomodo dandum* 716. *vide eleemoſynæ.*

Debitum *caritatis in quibus conſiſtat.* 716. *ſi debitor & creditor æque eſſent pauperrimi, an debitor teneatur reddere creditori, quod penes ſe habet, debitũ* 944. *an dives teneatur debitum ſolvere, quod pauper ſuſtentationis ſuæ gratia contraxit, qui tamen ſolvendo non eſt* 946.

Defenſio *contra vim quomodo debeat fieri.* 662. *vim vi repellere licet,* ib. *vide* moderamen inculpatæ tutelæ. *Contra quem defenſio licita ſit uſurpanda, an filius contra parentem, ſubditus contra principem ita ſe defendere debeat* 664. *an liceat occidere eum, qui vitæ meæ coram judice falſis teſtibus aut fictis criminationibus inſidias ſtruxit* 665. *tria ad legitimam defenſionem neceſſaria* ib. *vide* vulnerare.

Deformitatis *mentis quomodo reſiſtendum* 688.

Deſiderium *duplicis generis* 279.

Devotio *quid ſit.* 120. *tres virtutes complectitur* 121.

Deus *vide* conceptus de Deo 75. *quæ de Deo dicuntur duorum ſunt generum* 52. *cur ſe revelarit formis externis & corporeis,* 76. *ejus ſimplicitas* 94. *ejus attributa cum eſſentia ταὐτὸ ib. accidens non cadit in Deũ* ibid. *attributa & eſſentia ipſius non planè συνώνυμα* 95. *ejus immutabilitas* 96. *ira & miſericordia Deo tribuũtur propriè & verè* ib. *ipſius potentia* 97. *activa eſt non paſſiva* ib. *abſoluta vel modificata* 98. *ejus infinitas* 99. *etſi Deus infinitus eſt, ens tamen actu infinitum producere nequit* ib. *potentia Dei quadrupliciter*

est infinita ib. omnipræsentia ejus ἀδιαστασία & adessentia ib. quatuor gradus præsentiæ Dei apud creaturas 100. omnipræsentia absoluta & modificata ib. omnipræsentia rectè definitur per operationem adessentiæ adjunctā 101. justitia ib. mirabiliter exercetur 102. judicium nostrū de Dei justitia non præcipitandum ib. ejus opera duplicia, interna & externa 104. non fuit ociosus ante creationem, sed multa fecit 105. quomodo septimo die requieverit & quomodo adhuc operetur. ib. fuit in V.T. severior in puniēdis delictis hominum quam in N. 365. an solus futura sciat 447. solus καρδιογνώστης 439. vide verbum Dei 525. Deus non vult officia laicorum & clericorum confundi 721.

Diabolus concionibus interest 271. an sint diaboli. 426. non sunt procul à nobis ib. quo magis appropinquat finis mundi, eò major est ipsorū furor 427. sunt multi 428. inter eos est ordo ib. sunt astutissimi & potentissimi 429 Kirchenteuffel/ Hoffteuffel/ Haußteuffel/ ib. potentia magna 431. diabolus juxta præcepta decalogi depictus 432. prædictionum diabolicarum causæ tres 434. quantum illis tribuendum. 433. diabolus multa prædixit ex scripturarum revelatione 434. naturalia ex suis causis citius cognoscere potest ac alij p. 435. vaticinia diabolica non debemus curare aut avidè affectare 436. an etiam diaboli in cogitationes hominum jus habeant & quomodo p. 438. an diaboli possint edere miracula. 440. 632. quatuor genera mirorum Satanæ operum 442. discernenda à divinis quomodo 447. hodiecim non potest ib. cur DEUS ipsi permittat mira edere opera 448. quid faciendum ne iis seducamur p. 450. an morbi ad diabolum referendi. 450. 451. difficile hoc est dignoscere 451. quid faciendum cum diaboli visibili forma nobiscum conversantur ib. diaboli nullam libentiùs assumunt speciem, quàm hominis ib. vide lares, de studiis & operibus diaboli quibus cognoscendus, etsi non videatur 456. ejus odium erga Deum, & Iesum Christum 457. est autor idololatriæ spectrorum & apparitionum in cœmeteriis 457. adversatur angelis & hominibus ib. quid pio faciendum, ne ex his studiis diaboli seducatur 458. media pugnæ nostræ cum Satana 459. vide obsess. potest invadere hominum corpora 462. invitorum etiam 463. etsi non obsideat corporaliter 463. adventum suum certis signis prænunciat 464. an possit ab aliquo in alterius corpus injici. 468. interdum exit ab obsessis per characteres & verba ad idololatriā confirmandam 477. non est magicis artibus ab obsesso expellendus 478. an plagis ejiciendus p. 482. quid cūtis agendum, qui præter voluntatem à diabolo possidentur ib. sæpenumero sensibus hominum illudit 550. animas interdum cultorum suorū duntaxat ad loca quædam exportat 550. interdum corpora ib. quibus de causis hoc faciat. 552.

Diaconissæ, quæ & quales fuerint in eccle-

eccleſia apoſtolorum 765.

Dies dominicus vide Sabbathum. dies critici 583. an liceat certos dies obſervare, & ex iis de rebus futuris divinare 590. electio vitioſa dierum eſt triplex ibid. opera ſuperſtitioſa quorundã in nocte natalitiâ Chriſti & alios feſtos dies præcedentibus noctibus 591. electio dierum licita triplex 592.

Diffidentia 489.

Digladiationum genera 656.

Dij alieni quid ſint. 129.

Diſciplinæ rigor in primitivâ eccleſiâ fuit ſtrictior 324.

Diſtinctio inter δουλείαν, λατρείαν & ὑπερδουλείαν refutatur 129.

Divinatio quid. 573. ejus objectum ib. per quid fiat. ib. ſpecies ib. an ſimpliciter omnis prohibita. 577. quid de prædictionibus aſtrologicis ſentiendum. 582. vide Aſtrologia an ex dieb⁹ liceat divinare. 583. vide dies an res amiſſas per divinationem magicam inquirere licitum ſit. 593. an ex inſpectione faciei & manuum divinandũ. 595. an ex inſomniis. 599. an ex omnibus monſtris prodigiis & portentis. 605. an ex ſortibus, 606. vide ſors vel ſortilegium.

Divitiæ non reddunt animum hominis tranquillũ 678. cupiditas earũ quomodo coercenda. 676. an bona conſcientia poſſideri queant 693. per ſe non peccatum ſunt 694. an liceat Chriſtianis plura poſſidere bona quã quotidianus uſus poſtulat 696. media diteſcendi legitima 697. divitiæ per uſuras parta an legitimæ. 698. à divitibus penſio ultra ſortem exigi poteſt 699. vide mutuum: minoratio monetæ an ſit legitimum diteſcendi mediũ. 707. an mercatura. 710. quomodo ei conſulendum, qui ob malè parta angitur. 712. uſus legitimus divitiarum 715.

Divortium, an eo facto pars innocens ſecundas poſſit contrahere nuptias. 900. cauſæ divortij ib. quid conjugi deſertæ faciendum. 903. deſertio duplex ib. qui pertineant ad genus malitioſæ deſertionis ibid. quid leges in deſertione hac præſcribant. 904. quid faciendum, ſi deſertor redeat, & uxorem ſuam, quæ interim alteri nupſit, repetere velit. ib.

Doctoribus eccleſiæ in quantum fides habenda. 54. vide miniſtri eccleſiæ: efficacia verbi non pendet à vita docentis 272. judiciũ de verbo doctoris quomodo rectè ſit inſtituendum. 273. doctrinæ falſæ pro concione damnandæ & quomodo. 783. doctores falſi nominatim perſtringendi ibid.

Dolor vide contritio, qui dolorem de peccatis non ſentiunt, aut non recordantur peccatorum, quomodo tractandi p. 514. poteſt id duobus modis contingere ib. dolor ille eſt ſignum diſplicentiæ peccatorum 515.

Domini vide ſervi, officia eorum 928. an habeant in ſervos jus vitæ & necis? 992. an teneantur horum delicta præſtare & propterea puniri 930. mercedem quomodo dare debeant 931.

Dormiens conſcientia quænam 31.

Dubia conſcientia quid, 15. quotuplex ibid. unde fiat. ib.

*Dubiis in rebus ante omnia ad Deum confugiendum* 16.

Dubitantes *de ſua ſalute aut perſeverantia quomodo erigendi*.515. *quod non ſit dubitandum de ea* 671. *duo tollunt dubitationem de baptiſmo* 803.

Duellum *quid ſit*. 657. *an provocatoria duella ſint laudanda*.ibid.*duello digladiantes quomodo peccent ib.*

*Duo actus intellectus in conſcientia concurrunt* 8.

---

E.

EBionitæ 350.

Ebrietatis *remedia* 684.

Eccleſia *quid ſit Pontificiis* 56. *eccleſiæ cathedrales* 733.*eccleſiaſtica hierarchiæ dignitas, inſtitutio, utilitas, neceſſitas* 752. *eccleſia conſtat tribus ordinibus, ſacro, politico & plebejo* p.556.*electio & vocatio miniſtri cõpetit toti eccleſiæ, non ſolis epiſcopis* ibid. *eſt Chriſti ſponſa uxor & materfamilias* 822. *diſtinctio inter jus eccleſiæ & executionem juris* 827. *an conformitas rituum ſit nota eccleſiæ*. 851.

Egrediendi *vox pro generatione interdum in ſcriptura uſurpatur* 84.

Elenchticum *concionatoris officium*, *vide* conciones.

Eleemoſynæ 716.*vide* miſericordia, *an & quomodo ex injuſtè acquiſitâ pecunia dandæ*. 13.628. *duo requiruntur ad eleemoſynam, dans & accipiens* 942. *unde & quomodo danda*.ib. *neceſſitas* ib. *quibus dandum* 943. *quis ordo obſervandus* ibid. *effectus an ſit ſpiritualis, ut ſalus, redemtio à peccatis*. 947. *vide* dandum.

Emauntica *hiſtoria nihil habet commune cum inſtitutione cœnæ* 327.

Empectæ 348.

Enthuſiaſtæ *hodierni refutantur*.181. 420. *vide* Anabaptiſtæ.

Epiſcopi, *ſacerdotes, abbates, prælati, monachi & moniales an abſq; conſenſu ſuperiorũ vovere poſſint*. 210.

Eπιχαιρεκακία *an ſit licita*.933

E[illegible] φιλονεικία 52.

Errantes *duplices: publicè & privatim* 151.*publicè non ſunt gladio arcendi, interdum tamen ut ſeditioſi puniuntur ibid.privatim errantes tamdiu tolerandi quam diu pacatè vivunt*, ibid.

Erronea conſcientia *quid*. 11. *unde oriatur*.*ibid*.*an habeat vim nos ſibi obligandi* 12.

*de vocula* ET *obſervatio* 216.

Ethnicorum πολυθεΐα 51. *cognitio de Deo, vide* cognitio Dei naturalis, *ſalus* 67. *juramenta* 245. *miracula* 441. *Vide* Gentiles.

Eὐχὴ *duo ſignificat* 204.

Examina *publica doctrinæ Catecheticæ admodum utilia* 61.

Excommunicati *an & quomodo vitandi*.17.*an & quomodo excommunicatio in eccleſia retinenda*. 839. *Ius excommunicandi aliquem ad totam eccleſiã pertinet* 840.*proceſſus in excommunicato quinam obſervandus*. ibi. *ab auditu verbi divini non prorſus eſt arcendus* 842.

quo-

quomodo cum eo converſandum ib. excommunicatio non tollit politicã converſationem ib. an propter notoria quædam ſcelera, quæ à majori parte eccleſiæ patrantur, tota eccleſia ſimul excõmunicanda ſit. 843. quomodo excommunicati pœnitentiam agentes in eccleſiæ gremiũ recipiendi. 844. gradus quinq; antiquitas obſervavit in recipiendo excommunicato ib. ſumma eorũ, quæ hodiè cũ excommunicato in eccleſiam recipiendo peraguntur ib.

Expiatio peccatorum eſt ſolius Chriſti 947.

Exorciſmus quid ſit. 312. fuit uſitatus tempore patrum ibid. monet nos potiſſimum de quatuor rebus 313. exorciſtæ in Papatu 478. 633. exorciſtæ qui Papatui valedixerũt, & tamen peculiare donum ejiciendi dæmonia habere creduntur 480. & ſeqq.

Exulum conſolatio 688. exulibus nobiſcum hoſpitantibus non eſt denegandа Cœna 814.

F.

FAciem an ſtibio pingere liceat. 642. faciei inſpectio vide Phyſiognomia.

Feſta an celebrare ſit licitum an potius omnes dies nobis debeant eſſe æquales. 348. cur dies feſti obſervari debeant. ib. cur non dies ſeptimus hodie ſanctificetur. 350. cur ea feſta, quæ à Deo inſtituta non ſunt, à nobis celebrentur. ib. feſta ſanctorum 352. nativitas Chriſti, annunciationis Mariæ, Johannis Baptiſtæ &c. 350. Vide Sabbathum, nundinæ, nuptiæ, dies dominicus.

Fides in quibus conſiſtat. 29. anima fidei fiducia, fiduciæ hujus utilitas 30. 121. tria fides complectitur 53. 668. fides doctoribus eccleſiæ in quãtum habenda. 54. implicita quid. 56. 57. 669. ſanctorum fides habet multas imperfectiones 215. ejus adminicula in prohibita lectione ſcripturarũ 281. fides & patientia duo fulcra Chriſtianiſmi 519. quomodo debeat eſſe comparata. 668. prærogativa, hypocritæ & diaboli qualem habeant? quid ſit ib. an melius per ignorantiã quam notitiã definiatur. 669. an detur per raptus. 669. media impetrandæ fidei ibid. an liberi noſtri ante regenerationem fidem habeant. ib. notæ veræ fidei 670. fidei fulcra duo 671. an homini dubitandum ſit de gratia Dei & remiſſione peccatorum. 671.

Fiducia in creaturam 139. an poſſit ſimul ſtare cum fiducia in Deum. ibi. noſtra fiducia non aliud habet objectum quàm Deũ ib. fiducia in Chriſtum directa dæmones fugat 632.

Finis mundi quò magis appropinquat, eò major eſt furor diabolorum 427.

Fœminæ frequentius operam navant veneficiis, quam viri 534. An rectè faciant, quòd faciem velis & peplis tegunt in publico ne ab aliis adſpiciantur. 640. varij mores variarum nationũ hac in re ib. cum natura ſexui muliebri comã dederit promiſſiorem. 641. an pulchritudinis causâ

*liceat hominis faciem ſtibio pingere, unguentis inungere, colores capillorum mutare* 642. *pulchritudo commendatur imprimis in ſexu muliebri* ib. *mulieres debent tacere in eccleſia* 645. *poſſunt in caſu neceſſitatis baptiſare* 766. *an Lutherus docuerit, in defectu marium fœminas in miniſterium eſſe eligendas.ibi. uxor adjutorium viri* ibid. *fœmellis cur data ſint mammillæ.* 911. *Vide* parentes.

Fractio panis *in Cœna, vide* panis & vinum in cœna.

Fratres *ignorãtiæ* 691. *unde derivetur frater* 924. *πολυωνυμία vocabuli fratris in Scripturis* ibid. *an frater indigẽti fratri aut ſorori debeat neceſſaria alimenta* 925. *an frater alimenta debeat fratri a patre exhæredetato.* 925. *an fratres & ſorores alimenta debeant ſpuriis.* ibid.

Funambuli *an ſint in honeſto vitæ genere* 750.

Furta *latentia an per ſortes inquirere licitum* 607.

Futura *poſſunt diverſimode ſciri & prædici* 433. *eorum cauſæ neceſſariæ ſunt vel contingentes ib.*

G.

GEmitus *ſub cruce* 127.

Generationis *& regenerationis diſcrimen* 292.

Genethliaci *vide* themata natalitia.

Gentiles *in V.T. habuerunt media ſalutis* 70. *& in N.T.ib. qui fiat quod multæ gentes in hunc uſque diem Chriſtum ignorent ibid.*

Genus vitæ *triplex* 717. *an quis extra certum vitæ genus privatim abſque peccato vivere poſſit.* ibid. *an aliquis poſſit ſimul eccleſiaſticam & politicã exercere poteſtatem.* 721.

Geſtus *in precibus ad humilitatem & ſubmiſſionem conformentur* 193. *verus Dei cultus non conſiſtit in geſtibus externis* ib. *varij in ſcriptura* 194. *quinam in precibus adhibendi. ibid.*

Gladius *duplex judicij & belli* 874. *Vide* Papa.

Gradus *admonitionum* 787. *gradus prohibiti in conjugio* 906. *& ſeqq. Vide conjugium.*

Gratiarum actio *pro divinis beneficiis* 125.

H.

HAbere coram facie Dei *quid ſit.* 129.

Hæreditas 697. *in hæreditate omnia debent ſine fraude & legitime fieri ibid.*

Hæreticorum *aut Judæorum ſacris an intereſſe liceat.* 158. *an iis uti urgente neceſſitate.* 161. *miracula* 441. *vide* baptiſmus.

Hexaemeri *ſpacio omnes ſpecies conditæ fuerunt vel in eſſe completo vel in ſuis principiis* 105.

Hierarchiæ *tres* 717.

Homo *præter ſe quinque habet factorum ſuorum teſtes* 4. *omnis peccator* 102.

102. *an ſit creatura propriè dicta.* p. 106. *creatio ejus inciter eum ad agnoſcendam ſui præſtantiã & humilitatis ſtudium* 107. *in homine quatuor potiſſimum ſunt conſideranda* 411.

Honor *hominis læditur verbis vel factis* 666. *an violatorem honoris ad mortem uſque vulnerare liceat.* ibi. *an vir honoratus alapa percuſſus ſtatim repercutere & adverſarium occidere debeat.* 666. *Vide* ambitio.

Hoſtiæ *orbiculares an ſint verus panis.* 333

Humanitas *ad omnes ſe extendit, ejus objectum varia nomina* 952. *regula in exercenda humanitate* ibid.

Hypocriſeos *remedia* 395.

---

## I.

JEjunium *lætitia Pontificiorum* 367. *qui jejunarunt ſe afflixiſſe leguntur* ibid. *duo genera jejuniorum ibid. definitio ibid. curioſæ quæſtiones* ib. *tres ſpecies* ib. *de indicendo jejunio ab eccleſia* 368. *tria improbantur in eccleſiaſticis legibus Pontificiorum quoad jejunia* 369. *vide* abſtinentia. *an jejunium ab eccleſia indictũ obliget in conſcientia, ita ut transgreſſor reatum peccati mortalis cõtrahat.* 371. *an omnes obliget pertinentes ad illam eccleſiam* 373. *quatuor genera à Pontificiis conſtituuntur eorum, qui à jejunio exemti ſunt* ibid. *vide* prohibitio ciborum. *duo loca evertentia jejunia Pontificiorum* 377. *quibus de cauſis à jejunio Pontificio abſtinendum* 380. *eſt merum ludibrium ib. cur à carnib. non à piſcibus abſtinendũ jejunanti.* ibid. *jejunia conſilii* 382. *Lutheranus inter Pontificios an cũ iis jejunare debeat.* 384. *de jejunio ipſorũ quadrageſimali.* 386. 388. 389. *an quis ſibi ipſi imponere poſſit jejuniũ* 391. *varia jejunia in Papatu* ib. *jejunia privata ſunt vel publica* ibi. *privata quæ habeant requiſita* 392. *generalia requiſita veri jejunii* 394. *malitia jejunii* 395. *an è noſtris eccleſiis jejunia ſint ſublata.* 380. *jejunium Deo placens.* 651.

Iephthe *an filiam immolarit* 213. *quomodo Sp. S. fuerit ſuper eum* 215.

Ignominiæ & infamiæ *metus quomodo occurrendum* 687.

Ignorantia *juris & facti* 14. *vincibilis & invincibilis* 13.

Imagines *non ſunt omnes repudiandæ* 77.

Imago Dei *triplex* 77.

Imaginationis *vis* 543.

Impatientibus *ob calamitates quomodo ſuccurrendum.* 525. *ob zelum* 526. *ob ambitionem* ibid. *ob invidiam* 527. *ob avaritiam* ib.

Impiorum *felicitas eſt umbratilis* 102.

Impoſitio manuum 769. *cur Apoſtoli adhibuerint χειροτονίαν* ib.

Impoſſibilia *neminem obligant* 248.

Impotentia *conjugis* 897.

Imprecationes 190. 474.

Impuberes *an rectè in Papatu ad vota monaſtica adigantur.* 211.

Indigni *quinam ſint.* 321

Indurati 275. *requiſita induratorũ* ib.

Infan-

lium baptisare teneatur.ib quid.faciendum si baptisato a laico in adulta ætate scrupulus oriatur,an etiam recte baptisatus sit.p.802. quomodo minister ecclesiæ succurrere debeat iis, qui dubitant, an unquam fuerint baptisati, cum tamen baptisati sint.803. causæ possint esse variæ, cur baptismum parentes differant. 798.

Gevhtpfenning 384.

Bellum vide magistratus, bella multa secum trahunt vitia 878.ad justum bellum tria requiruntur ibid. quanam sint justa belli causa,879. exemplum belli offensivi ibid. prava intentio gerendi bella quænam 880. recta ratio gerendi bella septem involvit 889. quid subditis faciẽdum, si jubeantur militare à magistratu, causa belli nodum cognita ibid. an in justo bello mortem inferre aut alio modo nocere liceat innocentibus.881 vide innocentes.

Benedictiones Papales 545.

Beneficia duplicia corporalia & spiritualia 180. commune beneficium quid.934.

Boni angeli vide angelus.

Bona conscientia, quando,quare dicatur bona 20.ejus tituli biblici,definitio,officia, elogia ib.distinctio ab hypocrita 21. duo media per quæ bona conscientia acquiri & conservari potest 24.672.ob quatuor causas studendum bonæ conscientiæ 26. amissa bona conscientia amittuntur quinq; thesauri pretiosissimi 26. Vide conscientia.

Bonum interdũ idẽ est atque utile & conducibile 893.

Bona fortunæ 693.an sint bona appellanda.ibid.vide 715.& divitiæ.

C.

CÆlibatus, falsa hypothesis de statu perfectionis in cœlibatu 219. 891.

Calamitas piorum 525.

Calendariographi 584.

Calviniani, eorum errores p. 75.77. 107. 115. 118. 137.290.330.334. 348.345.669.795.796.849.

Calvinianus minister vel est crypto-Calvinianus vel apertus 343. Calviniani apud nos cœna utentes accipiunt verum Sacramentum,nos apud illos non 344. cur abstinendum à synaxi Calvinianorum ib.

Canonici,an sint in vitæ genere DEO placente 727. duorum sunt ordinum, 728.quinam regulares 728 canonici Papales non sunt legitimè vocati 729 quid de canonicis August. Confess addictis sentiendum. 730. quomodo talis Canonicus se gerere debeat. 731. discrimen inter eos, qui canonicatibus fruuntur ib. an studiosus Theologiæ carens δυνάμει ἐξηγητικῇ bona conscientia canonicus fieri possit. 733. quid olim fuerint collegia canonicorum, & cur vocati canonici,ib an quis salvâ cõscientiâ canonicatũ certa pecuniæ summa emere possit? 736. an soli principes, comites,barones, exclusis pauperioribus in cãnonicatũ recipiendi.738.

Capil-

Capillorum *colores mutare pulchritudinis cauſa an ſit licitum.* 642.
Captivorum *conſolatio* 688.
Caritas 122. *Caritatis debitum* 716.
Caro *&* *ſpiritus ſibi contrariantur* 508. *carnem caſtigare Paulo quid ſit.* 650. *quomodo caro ſit caſtiganda* 652. *in carne vivere quid* 892.
Caſtitas *monachorum* 232.
Caſtrantes *ſe caſtitatis cauſâ libidines augent* 653.
Caſus, *ejus ἔτυμον & æquivocatio* 31. caſus neceſſitatis *quis.* 390. 797. caſus conſcientiæ *quis.* 32. *quid ſit caſus reſervatus & non reſervatus apud Pontificios: ibid. quomodo hæc diſtinctio refutanda, ibid. quid propriè per caſum conſcientiæ intelligendum.* 32. *caſus conſcientiæ quomodo à diverſis diverſimodè diſtribuantur* 33. *tituli doctrinæ & librorum de caſibus conſcientiæ ſcriptorum ibid.*
Catecheſeos *præcipua capita* 60. *Catechiſmi neceſſitas & utilitas* 61.
Cauſidicorum *quorundam conſilium taxatur* 325.
Cenſus annuus 701. *an ſit licitus.* 702. *Vide* mutuum.
Cerei *affuſo oleo Papales* 628.
Ceremoniæ *vide* ritus, *item*, res indifferentes.
Chartarum *fabricatores an ſint in honeſto vitæ genere.* 751.
Chiromantia 595. *& ſeqq.*
Chriſtiani *à filiis hujus ſeculi diſtinguuntur, quod bona gaudeant conſcientia* 26. *quomodo quilibet Chriſtianus ſeorſim debeat habere curã religionis.* 456. *quivis Chriſtianus duplicem vivit vitam* 170.
Chriſtus *eſt Deus & homo p.* 86. *& ſeqq. eum ignorantes non ſunt abſq; peccato* 69. *de duabus naturis p.* 85. *ſunt diverſæ non adverſæ ibid. ſummæ articuli de perſona Chriſti ibid. unio perſonalis* 87. *naturarum eſt ἀδιάστροφος non ἀδιάσπαστος* 88. *poteſt de iis cogitari tanquam partibus compoſiti unitis in uno toto, non ſeparatis* 89. *de locutionibus quibuſdam circa perſonam Chriſti ibid. σὰρξ ἐθεώθη quo ſenſu dicatur.* 89. *Chriſtus eſt redemtor mundi* 111. *habet duplicem ornatũ naturalem & perſonalem.* 112. *ἀπολύτρωσις noſtra per mortem & ſanguinem Chriſti facta eſt* 113. *cur oportuerit Meſſiam pati & ſanguinem effundere* 114. *unus & idem cultus tribuitur λόγῳ per naturam & carni Chriſti per unionis perſonalis gratiam* 135. *ſolatium ex adoratione carnis Chriſti* 158.
Cibi *vide* abſtinentia, jejunium, prohibitio ciborum, *quatuor diſpoſitiones circa cibos* 375.
Cingari *plerumq; chiromantæ* 598.
Claves eccleſiæ, *an miniſtri eccleſiæ pro libitu & lubitu ſuo clavibus uti poſſint.* 823. *vide* confeſſio privata: *an miniſter eccleſiæ habeat poteſtatẽ imponendi ſatisfactionem confitenti.* 832. *an miniſter eccleſiæ ſcelera capitalia in confeſſione ſibi cõcredita magiſtratui aperire teneatur, ut puniatur.* 837. *an quis quacunq; de cauſa facilè confeſſionarium mutare, & alius eccleſiæ miniſter alienum confitentem recipere & abſolvere poſſit.* 838. *vide* excommunicatio.

**Cœna**, *baptismi & cœna non est per omnia eadē ratio* 289 *usus cœnæ non est omnibus necessarius* 290. *quid sit cœna* 318. *cœnæ usurpatio est pars cultus divini* ibid. *quid faciendum, ut digni ad cœnam accedamus.* ibid. *præparatio ad cœnam quid complectatur.* 319. 320. 321. *quid cū iis faciendum, qui forte sentiunt se ad sacram cœnam indignè accessisse.* ibid. *vide* indigni: *an enormiter facinorosus non admittendus, nisi publicâ præcedente deprecatione coram ecclesia* 323. *quomodo facinorosus deprecationem instituere debeat* 324. *de litigantibus in foro, an dignè cœnam accedant.* ibid. *nihil arcet à cœna, quàm peccatum contra consciētiam* ib. *an habitans inter hæreticos minùs rectè de cœna sentientes sibiipsi possit porrigere cœnam.* 326. *vide* laici, communio laicorum sub utraque specie, Magistratus. *an in defectu panis & vini sub alio visibili elemento Sacramentum accipere liceat.* 330. *vide* panis, hostiæ, abstemii, surdi & muti, ægroti, *de certis temporibus, quibus nonnulli cœna utuntur* 342. *an cœna non nisi jejuno stomacho sumenda.* 342. *an orthodoxus a Calviniano bona cōscientia cœnam petere & accipere possit, vide* Calvinianus, *item* confessio privata, analogia. *duorum generum homines circa cœnam sunt occupati* 804 *an minister ecclesiæ impœnitētē & notoriè sceleratum ad cœnam admittere debeat.* ibid. *an agonisantibus, sensus & rationis usu destitutis cœna sit porrigēda.* 809. 810. *an cœna iis porrigenda, qui per illius usum suam probare volunt innocentiam.* ib. 811. *quomodo minister ecclesiæ cū iis agere debeat, qui justo diutiùs à cœna abstinuerunt.* 812. *usus cœnæ non est ἀδιάφορον sed ἀναγκαῖον.* ibid. *an minister ecclesiæ eos, qui ad parochiam suam non pertinent, ad S. Cœnam debeat admittere.* 814. *differentia eorum, qui alienorū pastorum operam in usurpatione cœnæ expetūt,* ibid. *exulibus nobiscum hospitantibus non est deneganda ministerium verbi & Sacramentorum* ib. *qui post agnitā veritatem a Pontificiis vel aliis hæreticis se segregavit, & cœnā a nostratibus expetit, huic non est neganda* 815. *si quis in itinere subito morbo obrueretur, opera alienæ pastoris uti potest* ib. *si pastor à consistorio reus inventus ex odio aut vindicta nolit admittere suū auditorem, potest hic alius pastoris opera uti* 816, *si pastor est notoriè sceleratus, referenda prius res est ad consistoriū, antequam alieno pastore quis utatur* ib. *qui ex odio erga pium suū pastorem eius cœna uti nolunt, gravissimè peccant, nec ab alio sunt admittendi* ib. *quid pastori in pagis tēpore pestis faciendum quoad exhibitionem cœnæ, ne tota ecclesia illius loci ex metu pastoris inficiatur.* 817. *an paganus pastor tempore pestis elementa consecrata ad ægrotum mittere possit.* 818. *an minister verbi sacram cœnam sibiipsi porrigere possit.* 819. *quid cum ista ecclesia ministro agendum, qui forte in consecratione unam verborum institutionis partē omiserit.*

*omittit*, 820. *rationes, quod omiſſio partis alicujus de verbis inſtitutionis ſit graviſſimum peccatum* 821.

Cœnobia *primitivæ eccleſiæ laudatiſſima*, 743. *vide* nonnæ. *Cœnobia nonnulla hodie reformata ſunt, in quæ virgines ſalvâ conſcientiâ ſe cōferre poſſunt, ſed certis cum conditionibus* 746.

Cogitationes *bonæ & malæ unde* 418.

Cognati *& propinqui quomodo differunt*. 926. *concordia cum cognatis & propinquis alēda* 926. *officia quæ debētur cognatis & propinquis* 926.

Cognitio Dei *naturalis & vera* 64. *eſt languida & imperfecta* 65. *non eſt conceptus idoli, ſed vera Dei* 66.

Collegia *quid* 891.

Commeſſationis *remedia* 684.

Commutatio in voto *quando fieri poſſit*, 239.

Comœdiæ *in ſe non ſunt illicitæ* 637.

Communio laicorum ſub utraque ſpecie *probatur* 327. *Vide* laici, *item* magiſtratus.

Conceptus de Deo 75. *non attingit ejus eſſentiam ſed utcunq; ejus opera & attributa* ibid. *admodum viri antiqui non eſt peccatum* 76. *tres cōceptus de Deo in Scripturis nobis monſtrantur ib.*

Conciones, *concionibus diabolus etiā intereſt* 271. *quomodo cor auditorū in ante & poſt concionem debeat eſſe diſpoſitum ibid.* 272. 273. 275. 276. 277. 278. concionatorum officium. *an ad magiſtratus præſcriptū eccleſiæ doctor doctrinam ſuām conformare debeat.* 779. *an miniſter eccleſiæ ad interdictum magiſtratus à cōdemnatione falſæ doctrinæ & doctorum abſtinere debeat.* 781. *quomodo officium elenchticum candidè & abſq; calumnia tractandum.* 782. *doctrina falſa pro concione condemnari poteſt* 783. *falſi doctores etiam nominatim pro concione perſtringēdi ib. an peccantes in moribus nominatim pro concione taxandi.* 785. *an miniſter eccleſiæ officium elenchticū bona cum conſcientia penitus intermittere poſſit. ib. quid in officio elenchtico cavendum* 787. *an miniſter eccleſiæ propter conciones vehementiores corā politico magiſtratu in jus vocari poſſit. ib. miniſter eccleſiæ debet manere in generalibus increpationibus ib. vide* miniſter eccleſiæ *an magiſtratus etiam pro concione arguendus*, 788.

Concomitantia *Pontificiorum in cœna* 378.

Concupiſcentia *an ſit peccatum* 508.

Conditio *eſt vel honeſta & poſſibilis, vel turpis & impoſſibilis* 224. *poſſibilis eſt neceſſaria vel contingens, ib.*

Confeſſio fidei *an ſemper ſit edenda coram hominibus.* 71. *cōfeſſio externa cur ſit neceſſaria* 72. *an quibuſdā caſibus omitti poteſt ib. tempus confeſſionis* 74. Cōfeſſio peccatorum *fit Deo, miniſtro, proximo* 29. *unde eſt triplex* 828. Confeſſio privata *quid ſit* 546. *veteres vocarunt ἐξομολόγησιν, multum ipſi tribuerunt, exempla, ib. retinetur in noſtris eccleſiis non ut abſolutè neceſſaria ſed ut commonefactio fructuoſa* ibid. & 829. *Cauſæ cur retineantur privata confeſſio in noſtris eccleſiis* 829. *an in* con-

confeſſione privata enumeratio omnium peccatorum ſit neceſſaria 830 vide claves eccleſiæ: an miniſtro eccleſiæ honorarium a confitente (Beichtpfennig) accipere licitũ. 835 quomodo confeſſionarius pro diverſitate confitentium officium ſuũ rectè adminiſtrare poſſit. ib.

Conjugium an ſit opus carnis. 891. an puriorem conſcientiam habeant, qui in cælibatu vivunt, quam qui in cõjugio. ib. patres quidam conjugio iniquiores fuerunt 892. conjugio non opponitur virginitas ſed cælibatus ib. an cælibatus quoad puritatẽ præferendus conjugio. ib. vide cælibatus, an miniſter eccleſiæ bonâ conſcientiâ in conjugio vivere poſſit. 893. vide ſecundæ nuptiæ, impotentia, divortium, morbi, adulterium. An conjugium in gradu aliquo prohibito ex inſcitia contractum pro legitimo habendum, ita ut reſcindi nequeat 905. Vide graduum prohibitio, officia conjugum 907. tres eorum claſſes. ibd. vide parentes.

Conſcientia an ſit. 1. 2. 3. vox conſcientiæ in variis linguis quomodo reddatur 3. quare non ſimpliciter ſcientia ſed conſcientia dicatur ib. conſcientia ſyllogiſmus practicus p. 3. & 9. quid ſit 5. pertinet ad animam rationalem 5. an ſit habitus in ratione exiſtens, an verò actus rationis. ib. variæ ſignificationes 7. ſextuplex diſcrimen inter conſcientiam & ſynteresin 7. in conſcientia triplex eſt applicatio ad opus 8. duo actus intellectus concurrunt ib. officia 9. accõmodant ſe quadruplicitèr ib. non obligat per ſe ſed ratione legis ibid. ejus teſtimonium certiſſimum ibid. de quibus teſtetur 9 eſt notarius cordis ibid. quinq; ſpecies conſcientiæ 10. minùs propriè diſtinguitur in bonã & malam 20. Vide bona conſcientia, mala conſcientia, unde quis ſcire poſſit, quod habeat bonam vel malam conſcientiam 24. media per quæ bona conſcientia conſervari & acquiri poteſt ibid 672. conſcientia eſt naturale lumen in homine 30. per quid vulneretur conſcientia 28. conſcientia in ſuo officio impeditur ob quatuor cauſas 30. conſcientiæ ſanctificatæ ſigna 517. vide αὐτόχειρες examen conſcientiæ 675. conſcientia judicis quid 873

Conſecratio caſei Pontificia 379. aliarum rerum 545

Contractus 697. in contractibus omnia debent fieri abſq; dolo 697

Contradictiones ſunt licitæ vel illicitæ 54. contradictionem implicãtia non continentur ſub divina potentia 98. contradictoria rationis non ſunt opponenda verbo Dei ib.

Continentiæ donum Pontificii votarios ſuos a Deo petere jubent 81

Contritio in quibus conſiſtat 29. vide dolor.

Creatio 104. quid ante creationem Deus fecerit. ibid. duplex creatio, ἄμεσος & ἔμμεσος 107. creaturæ irrationales & inanimatæ laudant & benedicunt creatorem ſuum non efficienter ſed objectivè 67.

Credere aliquid explicitè & implicitè 60. credentes duntaxat pertinent ad ſemen Abrahæ 294

Corpus

Corpus hominis *vide totum c.1.l.4. an quis abſque peccato in gratiam aliorū corpus propriū lædere poſſit?* 653. *varij generis homines proprium corpus lædentes* ibid. *qui caſtitatis cauſa ſe caſtrans libidines auget ib. an liceat membrum corporis, ut vita conſervetur abſcindere.* 654. *abſciſſio membri ex triplici cauſa provenire poteſt,* ib. *an in ſalutem reipublicæ, aut cujuſdā majoris commodi gratia membrum corporis ſit mutilandum.* 655. *de digladiantibus & mutuò ſe vulnerantibus* 656. *vide* digladiationes, duella.

Correptio *proximi quomodo inſtituenda* 949. *neceſſitas* 949. *quinque obſervanda* ibid.

Crux *Chriſti, corona ſpinea* &c. *fuere inſtrumenta ignominiæ nō victoriæ* 133. *crucis ſignum an aliquid valeat ad fuganda ſpectra.* 632. *quomodo veteres adhibuerint ſignum crucis.* ibid. *eſt fidei noſtræ confeſſio* 633. *errant hic dupliciter Pontificij* ib.

Cultus Dei *duplex* 120. *internus quid ſit* ib. *ubi reſideat.* ib. *duo ejus actus* ib. *externus quid:* 142. *præſupponit internum* ib. *eſt neceſſarius* ib. *vocatur religio* ib. *vide* religio.

---

D.

DÆmonomagia 52.

Dandum *eſt de bonis noſtris, Deo magiſtratui, liberis, familiæ noſtræ, pauperibus* 715. *quomodo dandum* 716. *vide eleemoſyna.*

Debitum *caritatis in quibus conſiſtat.* 716. *ſi debitor & creditor æque eſſent pauperrimi, an debitor teneatur reddere creditori, quod penes ſe habet, debitū* 944. *an dives teneatur debitum ſolvere, quod pauper ſuſtentationis ſuæ gratia contraxit, qui tamen ſolvendo non eſt* 946.

Defenſio *contra vim quomodo debeat fieri.* 662. *vim vi repellere licet,* ib. *vide* moderamen inculpatæ tutelæ. *Contra quem defenſio licita ſit uſurpanda, an filius contra parentem, ſubditus contra principem ita ſe defendere debeat* 664. *an liceat occidere eum, qui vitæ meæ coram judice falſis teſtibus aut fictis criminationibus inſidias ſtruxit* 665. *tria ad legitimam defenſionem neceſſaria* ib. *vide* vulnerare.

Deformitatis *metus quomodo reſiſtendum* 688.

Deſiderium *duplicis generis* 279.

Devotio *quid ſit.* 120. *tres virtutes complectitur* 121.

Deus *vide* conceptus de Deo 75. *quæ de Deo dicuntur duorum ſunt generum* 52. *cur ſe revelarit formis externis & corporeis.* 76. *ejus ſimplicitas* 94. *ejus attributa cum eſſentia ταὐτὸ ib. accidens non cadit in Deū* ibid. *attributa & eſſentia ipſius non planè συνώνυμα* 95. *ejus immutabilitas* 96. *ira & miſericordia Deo tribuūtur propriè & verè* ib. *ipſius potentia* 97. *activa eſt, non paſſiva* ib. *abſoluta vel modificata* 98. *ejus infinitas* 99. *etſi Deus infinitus eſt, ens tamen actu infinitum producere nequit* ib. *potentia Dei quadrupliciter*

*est infinita* ib. *omnipræsentia ejus* ἀδιαστάσια *& adessentia ib. quatuor gradus præsentiæ Dei apud creaturas* 100. *omnipræsentia absoluta & modificata* ib. *omnipræsentia rectè definitur per operationem adessentiæ adjunctā* 101. *justitia ib. mirabiliter exercetur* 102. *judicium nostrū de Dei justitia non præcipitandum* ib. *ejus opera duplicia, interna & externa* 104. *non fuit ociosus ante creationem, sed multa fecit* 105. *quomodo septimo die requieverit. & quomodo adhuc operetur. ib. fuit in V.T. severior in puniēdis delictis hominum quam in N.* 365. *an solus futura sciat* 447. *solus* καρδιογνώστης. 439. *vide* verbum Dei 525. *Deus non vult officia laicorum & clericorum confundi* 721.

Diabolus *concionibus interest* 271. *an sint diaboli.* 426. *non sunt procul à nobis ib. quo magis appropinquat finis mundi, eò major est ipsorū furor* 427. *sunt multi* 428. *inter eos est ordo ib. sunt astutissimi & potentissimi* 429 Kirchenteuffel/ Hoffteuffel/ Haußteuffel/ ib. *potentia magna* 431. *diabolus juxta præcepta decalogi depictus* 432. *prædictionum diabolicarum causæ tres* 434. *quantum illis tribuendum.* 433. *diabolus multa prædixit ex scripturarum revelatione* 434. *naturalia ex suis causis citius cognoscere potest ac alij p.* 435. *vaticinia diabolica non debemus curare aut avidè affectare* 436. *an etiam diaboli in cogitationes hominum jus habeant & quomodo p.* 438. *an diaboli possint edere miracula.* 440. 632. *quatuor genera mirorum Satanæ operum* 442. *discernenda à divinis quomodo* 447. *innodecim non potest ib. cur DEVS ipsi permittat mira edere opera* 448. *quid faciendum ne iis seducamur p.* 450. *an morbi ad diabolum referendi.* 450. 451. *difficile hoc est dignoscere* 451. *quid faciendum cum diaboli visibili forma nobiscum conversantur ib. diaboli nullam libentius assumunt speciem, quàm hominis ib. vide* lares, *de studiis & operibus diaboli quibus cognoscendus, etsi non videatur* 456. *ejus odium erga Deum, & iesum Christum* 457. *est autor idololatriæ spectrorum & apparitionum in cœmeteriis* 457. *adversatur angelis & hominibus ib. quid pro faciendum, ne ex his studiis diaboli seducatur* 458. *media pugnæ nostræ cum Satana* 459. *vide* obsess. *potest invadere hominum corpora* 462. *invitorum etiam* 463. *etsi non obsideat corporaliter* 463. *adventum suum certis signis prænunciat* 464. *an possit ab aliquo in alterius corpus injici.* 468. *interdum exit ab obsessis per characteres & verba ad idololatriā confirmandam* 477. *non est magicis artibus ab obsesso expellendus* 478. *an plagis ejiciendus p.* 482. *quid erga iis agendum, qui præter voluntatem à diabolo possidentur* ib. *sæpenumero sensibus hominum illudit* 550. *animas interdum cultorum suorū duntaxat ad loca quædam exportat* 550. *interdum corpora* ib. *quibus de causis hoc faciat.* 552.

Diaconissæ, *quæ & quales fuerint in eccle-*

eccleſia apoſtolorum 765.

Dies dominicus vide Sabbathum. dies critici 583. an liceat certos dies obſervare, & ex iis de rebus futuris divinare 590. electio vitioſa dierum eſt triplex ibid. opera ſuperſtitioſa quorundã in nocte natalitiâ Chriſti & alios feſtos dies præcedentibus noctibus 591. electio dierum licita triplex 592.

Diffidentia 489.

Digladiationum genera 656.

Dij alieni quid ſint. 129.

Diſciplinæ rigor in primitivâ eccleſiâ fuit ſtrictior 324.

Diſtinctio inter δουλείαν, λατρείαν & ὑπερδουλείαν refutatur 129.

Divinatio quid. 573. ejus objectum ib. per quid fiat. ib. ſpecies ib. an ſimpliciter omnis prohibita 577. quid de prædictionibus aſtrologicis ſentiendum. 582. vide Aſtrologia an ex dieb⁹ liceat divinare. 583. vide dies an res amiſſas per divinationem magicam inquirere licitum ſit. 593. an ex inſpectione faciei & manuum divinandũ. 595. an ex inſomniis. 599. an ex omnibus monſtris prodigiis & portentis. 605. an ex ſortibus, 606. vide ſors vel ſortilegium.

Divitiæ non reddunt animum hominis tranquillũ 678. cupiditas earũ quomodo coercenda. 676. an bona conſcientia poſſideri queant 693. per ſe non peccatum ſunt 694. an liceat Chriſtianis plura poſſidere bona quã quotidianus uſus poſtulat 696. media diteſcendi legitima 697. divitiæ per uſuras partæ an legitimæ. 698. à divitibus penſio ultra ſortem exigi poteſt 699. vide mutuum: minoratio monetæ an ſit legitimum diteſcendi mediũ. 707. an mercatura. 710. quomodo ei conſulendum, qui ob male parta angitur. 712. uſus legitimus divitiarum 715.

Divortium, an eo facto pars innocens ſecundas poſſit contrahere nuptias. 900. cauſæ divortij ib. quid conjugi deſertæ faciendum. 903. deſertio duplex ib. qui pertineant ad genus malitioſæ deſertionis ibid. quid leges in deſertione hac præſcribant. 904. quid faciendum, ſi deſertor redeat, & uxorem ſuam, quæ interim alteri nupſit, repetere velit. ib.

Doctoribus eccleſiæ in quantum fides habenda. 54. vide miniſtri eccleſiæ: efficacia verbi non pendet à vita docentis 272. iudiciũ de verbo doctoris quomodo recte ſit inſtituendum. 273. doctrina falſa pro concione damnanda & quomodo. 783. doctores falſi nominatim perſtringendi ibid.

Dolor vide contritio, qui dolorem de peccatis non ſentiunt, aut non recordantur peccatorum, quomodo tractandi p. 514. poteſt id duobus modis contingere ib. dolor ille eſt ſignum diſplicentiæ peccatorum 515.

Domini vide ſervi, officia eorum 928. an habeant in ſervos jus vitæ & necis? 992. an teneantur horum delicta præſtare & propter ea puniri 930. mercedem quomodo dare debeant 931.

Dormiens conſcientia quænam. 31.

Dubia conſcientia quid, 15. quotuplex ibid. unde fiat. ib.

*Dubiis in rebus ante omnia ad Deum confugiendum* 16.

Dubitantes *de ſua ſalute aut perſeverantia quomodo erigendi.*515. *quod non ſit dubitandum de ea* 671. *duo tollunt dubitationem de baptiſmo* 803.

Duellum *quid ſit.* 657. *an provocatoria duella ſint laudanda.*ibid.*duello digladiantes quomodo peccent ib.*

*Duo actus intellectus in conſcientia concurrunt* 8.

---

E.

EBionitæ 350.

Ebrietatis *remedia* 684.

Eccleſia *quid ſit Pontificiis* 56. *eccleſiæ cathedrales* 733.*eccleſiaſtica hierarchiæ dignitas, inſtitutio, utilitas, neceſſitas* 752. *eccleſia conſtat tribus ordinibus . ſacro, politico & plebejo* p.556.*electio & vocatio miniſtri cōpetit toti eccleſiæ, non ſolis epiſcopis* ibid. *eſt Chriſti ſponſa uxor & materfamilias* 822. *diſtinctio inter jus eccleſiæ & executionem juris* 827. *an conformitas rituum ſit nota eccleſiæ.* 851.

Egrediendi *vox pro generatione interdum in ſcriptura uſurpatur* 84.

Elenchticum *concionatoris officium. vide* conciones.

Eleemoſynæ 716.*vide* miſericordia, *an & quomodo ex injuſtè acquiſitâ pecunia danda.* 13.628. *duo requiruntur ad eleemoſynam, dans & accipiens* 942. *unde & quomodo danda.*ib. *neceſſitas* ib. *quibus dandum* 943. *quis ordo obſervandus* ibid. *effectus an ſit ſpiritualis, ut ſalus, redemtio à peccatis.* 947. *vide* dandum.

Emauntica *hiſtoria nihil habet commune cum inſtitutione cœnæ* 327.

Empectæ 348.

Enthuſiaſtæ *hodierni refutantur.* 181. 420. *vide* Anabaptiſtæ.

Epiſcopi, *ſacerdotes, abbates, prælati, monachi & moniales an abſq; conſenſu ſuperiorū vovere poſſint.* 210.

Επιχαιρεκακία *an ſit licita.* 933

Eraſmi φιλονεικία 52.

Errantes *duplices publicè & privatim* 151. *publice non ſunt gladio arcendi, interdum tamen ut ſeditioſi puniuntur ibid. privatim errantes tamdiu tolerandi quam diu pacatè vivunt,* ibid.

Erronea conſcientiâ *quid.* 11. *unde oriatur.ibid.an habeat vim nos ſibi obligandi* 12.

*de vocula* ET *obſervatio* 216.

Ethnicorum πολυθεΐα 51. *cognitio de Deo, vide* cognitio Dei naturalis, *ſalus* 67. *juramenta* 245. *miracula* 441. *Vide* Gentiles.

Ευχὴ *duo ſignificat* 204.

Examina *publica doctrinæ Catecheticæ admodum utilia* 61.

Excommunicati *an & quomodo vitandi.*17.*an & quomodo excommunicatio in eccleſia retinenda.* 839. *Jus excommunicandi aliquem ad totam eccleſiā pertinet* 840.*proceſſus in excommunicato quinam obſervandus.* ibi. *ab auditu verbi divini non prorſus eſt arcendus* 842. quo-

*quomodo cum eo converſandum ib. excommunicatio non tollit politicã converſationem ib. an propter notoria quædam ſcelera, quæ à majori parte eccleſiæ patrantur, tota eccleſia ſimul excõmunicanda ſit.* 843. *quomodo excommunicati pœnitentiam agentes in eccleſiæ gremiũ recipiendi.* 844. *gradus quinq, antiquitas obſervavit in recipiendo excommunicato* ib. *ſumma eorũ, quæ hodiè cũ excommunicato in eccleſiam recipiendo peraguntur ib.*

Expiatio peccatorum *eſt ſolius Chriſti* 947.

Exorciſmus *quid ſit.* 312. *fuit uſitatus tempore patrum* ibid. *monet nos potiſſimum de quatuor rebus* 313. *exorciſtæ in Papatu* 478. 633. *exorciſtæ qui Papatui valedixerũt, & tamen peculiare donum ejiciendi dæmonia habere creduntur* 480. *& ſeqq.*

Exulum *conſolatio* 688. *exulibus nobiſcum hoſpitantibus non eſt deneganda Cœna* 814.

F.

FAciem *an ſtibio pingere liceat.* 642. *faciei inſpectio vide* Phyſiognomia.

Feſta *an celebrare ſit licitum an potius omnes dies nobis debeant eſſe aquales.* 348. *cur dies feſti obſervari debeant.* ib. *cur non dies ſeptimus hodie ſanctificetur.* 350. *cur ea feſta, quæ à Deo inſtituta non ſunt, à nobis celebrentur.* ib. *feſta ſanctorum* 352. *nativitas Chriſti, annunciationis Mariæ, Johannis Baptiſtæ &c.* 350. *Vide* Sabbathum, nundinæ, nuptiæ, dies dominicus.

Fides *in quibus conſiſtat.* 29. *anima fidei fiducia, fiduciæ hujus utilitas* 30. 121. *tria fides complectitur* 53. 668. *fides doctoribus eccleſiæ in quãtum habenda.* 54. *implicita quid.* 56. 57. 669. *ſanctorum fides habet multas imperfectiones* 215. *ejus adminicula in prohibita lectione ſcripturarũ* 281. *fides & patientia duo fulcra Chriſtianiſmi* 519. *quomodo debeat eſſe comparata.* 668. *prærogativa, hypocritæ & diaboli qualem habeant? quid ſit ib. an melius per ignorantiã quàm notitiã definiatur.* 669. *an detur per raptus.* 669. *media impetrandæ fidei ibid. an liberi noſtri ante regenerationem fidem habeant,* ib. *nota veræ fidei* 670. *fidei fulcra duo* 671. *an homini dubitandum ſit de gratia Dei & remiſſione peccatorum.* 671.

Fiducia *in creaturam* 139. *an poſſit ſimul ſtare cum fiducia in Deum.* ibi. *noſtra fiducia non aliud habet objectum quàm Deũ* ib. *fiducia in Chriſtum directa dæmones fugat* 632.

Finis mundi *quò magis appropinquat, eò major eſt furor diabolorum* 427.

Fœminæ *frequentius operam navant veneficiis, quam viri* 534. *An rectè faciant, quòd faciem velis & peplis tegunt in publico ne ab aliis adſpiciantur.* 640. *varij mores variarum nationũ hac in re* ib. *cum natura ſexui muliebri comã dederit promiſſiorem.* 641. *an pulchritudinis causã*

*liceat homini faciem ſtibio pingere, unguesve tingere* [illegible] *capillorum mutare* 6[illegible]2. *pulchritudo commendatur* [illegible] *in ſexu muliebri ib. mulieres debent tacere in eccleſia* 645. *poſſunt in caſu neceſſitatis baptizare* 766. *an Lutherus docuerit, in defectu marium fœminas in miniſterium eſſe eligendas. ibi. uxor adjutorium viri* ibid. *fœmellis cur duæ data ſint mammillæ.* 911. *Vide* parentes.

Fractio panis *in Cœna*, *vide* panis & vinum in cœna.

Fratres *ignorātia* 691. *unde derivetur frater* 924. *πολυωνυμία vocabuli fratris in Scripturis* ibid. *an frater indigēti fratri aut ſorori debeat neceſſaria alimenta* 925. *an frater alimenta debeat fratri à patre exhæredītato.* 925. *an fratres & ſorores alimenta debeant ſpuriis.* ibid.

Funambuli *an ſint in honeſto vitæ genere* 750.

Furta *latentia an per ſortes inquirere licitum* 607.

Futura *poſſunt diverſimode ſciri & prædici* 433. *eorum cauſa neceſſaria ſunt vel contingentes ib.*

G.

GEmitus *ſub cruce* 127.

Generationis *& regenerationis diſcrimen* 292.

Genethliaci *vide* themata natalitia.

Gentiles *in V. T. habuerunt media ſalutis* 70[illegible]. *& in N. T. ib. qui fiat quòd multæ gentes in hunc uſque diem Chriſtum ignorent ibid.*

Genus vitæ *triplex* 717. *an quis extra certum vitæ genus privatim abſque peccato vivere poſſit.* ibid. *an aliquis poſſit ſimul eccleſiaſticam & politicā exercere poteſtatem.* 721.

Geſtus *in precibus ad humilitatem & ſubmiſſionem conformentur* 193. *verus Dei cultus non conſiſtit in geſtibus externis* ib. *varij in ſcriptura* 194. *quinam in precibus adhibendi. ibid.*

Gladius *duplex judicij & belli* 874. *Vide* Papa.

Gradus *admonitionum* 787. *gradus prohibiti in conjugio* 906. *& ſeqq. Vide conjugium.*

Gratiarum actio *pro divinis beneficiis* 125.

H.

HAbere coram facie Dei *quid ſit.* 129.

Hæreditas 697. *in hæreditate omnia debent ſine fraude & legitimè fieri ibid.*

Hæreticorum *aut Judæorum ſacris an intereſſe liceat.* 158. *an iis uti urgente neceſſitate.* 161. *miracula* 441. *vide* baptiſmus.

Hexaemeri *ſpacio omnes ſpecies conditæ fuerunt vel in eſſe completo vel in ſuis principiis* 105.

Hierarchiæ *tres* 717.

Homo *præter ſe quinque habet factorum ſuorum teſtes* 4. *omnis peccator* 102.

102. *an ſit creatura proprie dicta.* p. 106. *creatio ejus incitet eum ad agnoſcendam ſui præſtantiã & humilitatis ſtudium* 107. *in homine quatuor potiſſimum ſunt conſiderãda* 411.

Honor *hominis læditur verbis vel factis* 666. *an violatorem honoris ad mortem uſque vulnerare liceat.* ibi. *an vir honoratus alapa percuſſus ſtatim repercutere & adverſarium occidere debeat.* 666. *Vide* ambitio.

Hoſtiæ *orbiculares an ſint verus panis.* 353

Humanitas *ad omnes ſe extendit, ejus objectum varia nomina* 952. *regulæ in exercenda humanitate* ibid.

Hypocriſeos *remedia* 395.

---

I.

JEjunium *lætitia Pontificiorum* 367. *qui jejunarunt ſe afflixiſſe leguntur* ibid. *duo genera jejuniorum ibid. definitio ibid. curioſæ quæſtiones* ib. *tres ſpecies* ib. *de indicendo jejunio ab eccleſia* 368. *varia improbantur in eccleſiaſticis legibus Pontificiorum quoad jejunia* 369. *vide* abſtinentia. *an jejunium ab eccleſia indictũ obliget in conſcientia, ita ut tranſgreſſor reatum peccati mortalis cõtrahat.* 371. *an omnes obliget pertinentes ad illam eccleſiam* 373. *quatuor genera à Pontificiis conſtituuntur eorum, qui à jejunio exemti ſunt* ibid. *vide* prohibitio ciborum. *duo loca evertentia jejunia Pontificiorum* 377. *quibus de cauſis à jejunio Pontificio abſtinendum* 380. *eſt merum ludibrium* ib. *cur a carnib. non à piſcibus abſtinendũ jejunanti.* ibid. *jejunia conſilij* 382. *Lutheranus inter Pontificios an cũ iis jejunare debeat.* 384. *de jejunio ipſorũ quadrageſimali.* 386. 388. 389. *an quis ſibi ipſi imponere poſſit jejuniũ* 391. *varia jejunia in Papatu* ib. *jejunia privata ſunt vel publica* ibi. *privata quæ habeant requiſita* 392. *generalia requiſita veri jejunij* 394. *malitia jejunij* 395. *an è noſtris eccleſiis jejunia ſint ſublata.* 380. *jejunium Deo placens.* 651.

Iephthe *an filiam immolarit* 213. *quomodo Sp. S. fuerit ſuper eum* 215.

Ignominiæ & infamiæ *metui quomodo occurrendum* 687.

Ignorantia *juris & facti* 714. *vincibilis & invincibilis* 13.

Imagines *non ſunt omnes repudiandæ* 77.

Imago Dei *triplex* 77.

Imaginationis *vis* 543.

Impatientibus *ob calamitates quomodo ſuccurrendum.* 525. *ob zelum* 526. *ob ambitionem* ibid. *ob invidiam* 527. *ob avaritiam* ib.

Impiorum *felicitas eſt umbratilis* 102.

Impoſitio manuum 769. *cur Apoſtoli adhibuerint* χειροθεσίαν ib.

Impoſſibilia *neminem obligant* 248.

Impotentia *conjugis* 897.

Imprecationes 190. 474.

Impuberes *an rectè in Papatu ad vota monaſtica adigantur.* 231.

Indigni *quinam ſint.* 321

Indurati 275. *requiſita induratorũ* ib.

Infan-

Infantes *Chriſtianorum habent cognitionem Dei 63. pro captivis infantibus orandum* ib. *in baptiſmo regenerantur, credunt, recipiunt regnũ Dei, laudant Deum, placent Deo ib. eorum fides aliter ſe habet ac adultorum ibid. infantes extra eccleſiam ſubjacent ordinarie damnationi 71. an in diluvio fuerint ſalvati an damnati 103. non ſanctificantur in utero matris 115. ante baptiſmum morientes 177. non poſſunt vovere 210. vide* baptiſmus. *an omni actuali peccato careant 794. indicia actualis peccati in infantibus. 794*

Infideles parentes 800

Inimici *an ſint à nobis diligendi. 932. in iis tria poſſunt conſiderari 932 an quis inimicum ſuum bona conſcientia à communi beneficio excludere poſſit. 934. an quis inimicum obviũ abſq́ peccato ſalutare non poſſit. 934*

Innocentia *vitæ quomodo acquiratur 901. innocentes perſonæ in bello quæ. 882. interdum in bello juſto non poteſt ratio haberi innocentum ib.*

Inobedientiæ *liberorum pœna 619.*

Inſpectio manuum & faciei 595.

Invidia 527. *quid ſit? quotuplex? licita & ejus ſpecies: illicita & ejus ſpecies: remedia 939.*

Invocatio *Dei 125. Deorum alienorũ, ſanctorum, reliquiarum 129. 130. honorandi ſancti non invocandi 175 178. vide* oratio & preces.

Interpretes Scripturæ *per ſe non ſunt authentici 49. interpretatio ſcripturæ debet eſſe analoga fidei.* ibid.

Iohannes *in utero matris cognovit adeſſe Dominum 64.*

Ira *& miſericordia Deo tribuuntur non impropriè aut metaphoricè ſed propriè & verè 96.*

Iracundiæ *affectus quomodo cohibendus. 681. affectus* ibid. *irati ſtulti* ib. *cauſæ 682. remedia 683. 938. ira quotuplex ſit? quomodo exercenda & temperanda. 936. præcipitantia, temeritas, exceſſus, convitia in iraſcendo cur vitanda ib.*

Iudæi *an tolerandi in repub. Chriſtianorum 152. converſio Judæorum difficilis ſed non impoſſibilis 153. Iudæi ſunt ſub triplici maledictione* ibid. *eorum malitia 154. quomodo converſio promovenda 155. decem caſus, in quibus interdicta Chriſtianis cõmunio cum Iudæis 156. non ſunt occidendi 158. matrimoniũ cum Chriſtianis ipſis non concedendum 156. eorum ſacris an quis intereſſe poſſit. 158.*

Iudex *an poſſit cõdemnare reum quem novit innocentem. 872. magiſtratus judicium licitum 871. judicis officiũ 873. ſecundum conſcientiam decidere debet ib. quæ ipſi obſervanda ne peccet. 874. judicium uſurpatum quid. 875. ſex modis alter alteri ſubjectus eſt, ut ab eo judicari queat ib. ubi nõ eſt actor, ibi non eſt judex ib. judicij temerarij tres gradus 876. an judex male juraturũ ad juramentum admittere poſſit ib. an poſſit bona conſcientia accipere munera. ib. vide* munerum acceptio.

Iuramentum *in ſe eſt res media 13. differt à voto à nuda aſſertione, ab obteſtatione civili 24[?]. quid ſit. ib. tria ad ju-*

*ad juramentum pertinent* 241. *juramentum triplex* 241. *an jurare sit licitum*. 242. 243. *juramentum cõfirmat actum* 243. *an licitum sit jurare per Deum & omnes sanctos*. 244. *Turcæ & ethnici quomodo jurent*. 245. *an juramentum quod fit per falsum Deum, obliget*. 246. *quibus in rebus juramenta admittẽda*. 247. *materia juramenti quæ*. 248. *personæ ad juramentum apta ibid*. 249. *ceremoniæ gentilium* 250. *& Christianorum ib. earum interpretationes* 251. *an tres an duo tantum digiti in juramento erigendi. ib. interpretatio formulæ juramenti* 252. *quomodo verba in juramentis sint accipienda. ib. non debent esse ambigua* 254. *juramenta impedientia bonum publicum aut pietatis officia an obligent. ib. an de re adiaphora præstanda*. 255. *ob finem malum suscepta an obligẽt. ib. de re parvi momenti an obligent* 256. *an vi & metu extorta obligent*. 257. *quæ juramẽta possint rescindi*. 250. *duo vitia juramentorum ib. an dolo & astu elicita obligẽt*. 260. *vide* perjurium *de juramento perjurij* 264. *de relaxatione juramentorum* 265. *de juramentis, quæ in publicis judiciis fiunt, septem observationes* 266. *quãdo sacerdotes admittantur ad juramenta*. 267. *juramẽtum calumniæ quid sit*. 267. *quinq; ad illud requiruntur*, ibid. *vide* judex.

Jurisdictio *ecclesiastica pertinet ad consistoria ecclesiastica, jus patronatus ad magistratum* 767.

Jus *nõ est idem, ubi idem damnũ* 864.

## K.

KAta *vox Hebræa non significat invocare sed nominare, commemorare* 412.

## L.

LAborum *& molestiarum metui quomodo occurrendum*. 688. *laboris assiduitas* 698.

Lacrymæ 628.

Lætitia *quomodo rectè usurpãda* 689.

Laici *debent nosse, quæ ad salutem necessaria sunt* 60. *quomodo se gerere debeant, si lectio Scripturæ ipsis prohibeatur*. 281. *quinam Pontificiis sint Laici*. 327. *vide* communio laicorum sub utraque specie.

Lamia *unde derivetur*. 532.

Lapsus *renatorum sunt duplices* 28. *protoplastorum* 108. *multis modis illum Deus impedit* 109.

Lares domestici *duorum generũ* 453.

Larvæ & mascaradæ 637. 638.

Lex *naturalis majorẽ habet vim, quã leges humanæ* 11. *nulla est, quæ non obliget, quæ non debeat impleri* 140. *ex malis morib. bonæ leges ortæ sunt* 247. *à magistratu politico leges latæ, quomodo obligent conscientiam*. 884. *distinctio legum* 885.

Liberi *an & quomodo non portent iniquitates parentum*. 103. *vide* parentes.

Libidinis *remedia* 685.
Libri *mali noxij* 567.912.
Luciferiani 510.
Lucretia 530.
Lucrum *vide* usura & mutuum.
Luna 582.588. *vide* Astrologia.
Lupanaria *quid* 888. *unde dicta. ibid. magistratus nõ debet ea tolerare.* ib. *Jesuitæ & Pontificij ea defendunt.* 889.
Lusorias *artes exercentes an sint in honesto vitæ genere.* 750. *ludi ejusmodi, qui fiunt non lucri sed animi gratiâ, interdum conceduntur.* 751.
Lutherus *quomodo egerit cum obsessis.* 486. *an de Academiis & scholis minus honestè senserit.* 691. *an docuerit, in defectu marium fœminas in ministerium esse eligendas.* 766. *an tantum ad missas, ungendum ægrotos, communicandum sub una specie missus fuerit.* 776.
Luxus vestium, *vide* vestitus.
λυκανθρωπία 558.

## M.

MAgia *duplex est, legitima & illegitima* 531. *magi vocabulum est origine Persicum, est μάγον ibid. quomodo Ethnici & Hebræi vocent magos.* 531. *quomodo Græci.* ibid. *an vox magi sit origine Græca* 532. *cur dicantur sortilegi, divinatores, incantatores, sagæ, striges, alrumnæ,* Hexen ibi. *quid h. l. intelligatur per magos.* 533.535. *distincta magiæ species* 533. *an liceat magiæ studere aut ea uti* 534.536. *quis fuerit primus autor magiæ. ib. an licitum magicis artib. se à ferro & globis bombardarum immunem facere* 539. *an licitũ per verba morbos curare aut alia efficere.* 541.542. *an benedictiones & cõsecrationes papales sint magicæ* 545. *an licitum se facere ἀφαντον* 546. *an magi & sagæ renunciẽt Deo expressa conventione* 548. *an per diabolum ad conventicula trãsportentur* 549. *cur diabolus hoc faciat* 552. *an magi arte sua homines in bestias convertere possint.* 553. *quomodo fiat.* 555. *an possint tempestates ciere.* 559. *lac furari.* 561. *an magicis artibus diabolo resistendum.* 562. *quid de magica cribri revolutione sentiendum.* 563. *libri magici num comburendi* 567. *magi an capitali supplicio afficiendi* 568. *vide* diabolus, lamia, transformatio. *remedia quibus contra malitiam satanæ & organorum ejus uti possumus* 566.
Magistratus *officium in conservanda & exercenda religione* 144. *non debet mixtum religionis chaos admittere* 148. φιλαργυρία καὶ πλεονεξία *taxatur* 158. *nõ est dominus cõscientiæ* 159. *an magistratus quispiã possit in gratiam tyranni utramq; cœnæ speciem intermittere, si tantùm pura verbi prædicatio ipsi concedatur.* 329. *magistrat⁹ officium in prospiciendo pauperibus* 748. *nõ habet absolutũ jus vocandi ministrum ecclesiæ* 759. *neque potest pro arbitrio eum ab officio removere* 766. *ad eũ pertinet jus patronatus.* 767. *an minister verbi doctrinã suam ad præscriptum*

*scriptum magistratus confirmare debeat*, 779. *an ad ejus interdictum à condemnatione falsè doctrinæ & doctorum abstinere*, 781. *an magistratus pro concione arguendus*. 862 *vitia ejus duorum generum* ibid. *an minister ad ejus mandatum in mutationem ritus cujusdam consentire debeat* 847 *an si homo in statu integritatis mansisset, magistratus locũ habuisset*. 855. *an licitum sit magistratum gerere*. 856. *an sit à Deo tãtum per permissionem*. 858. *an ejus potestas à Papa dependeat*. ibid *vide* Papa. *an magistratus hæreticus sit tollendus an tolerandus*. 863. 867. *an magistratui facere liceat, quod buerit* 868. *an judiciũ administrare debeat. vide* judex *quænam ipsi observanda in judicio, ne peccet* ? 874. *duplicem habet gladium* 875. *quomodo debeat bella gerere*. 878. *vide* bellum. *quid subditis militare jussis faciendum justitia belli nondum cognita*. 881. *an etiam ecclesiasticæ personæ sint sub jurisdictione politici magistratus*. 882. *agit cum iis per consistoria ecclesiastica* 883. *an clerici teneantur solvere magistratui vectigalia & tributa* ibid. *an leges à magistratu latæ conscientiam subditorum obligent* 885. *de jure venandi magistratus* 886. *vide* Venatio. *an magistratus tolerare debeat lupanaria* 889. *vide* lupanaria.

Mala conscientia *quando & cur mala? ejus tituli biblici, definitio* 10. 22. *quatuor officia, dicteria sapientum ibid. species septem* 23. *truculentia* 28. *remedium ibi. vide* conscientia.

Mali angeli *vide angelus, itẽ diabolus.*

Malum *neminem obligat* 14. *inter duo mala minus eligendum* 149.

Male parta 712. *an benè faciat, qui pro rapinis eleemosyna se satisfacere posse putat*. 712. *injustè parta restituenda* ibidem.

Manichæorum *error* 107.

Mandata hominum, *quid sint* 178.

Medici *adhibendi in cura conscientiæ scrupulosæ* 29. *falluntur sæpè in suo de obsessis judicio* 463. *error quorundam* 541. *eorum prognostica ex astris* 583. *vide astrologia.*

Melancholici *cognationem habent cũ obsessis* 486. *non sunt unius generis* 487. *quomodo melancholia præcavenda* 488. *versatur inter duo vitia* ib. *quomodo præsens depellenda*. 490 *ejus damna* 491. *remedium contra varias melancholicas cogitationes* 493. *vide Dolor si quis melancholia præventus sibi ipsi manus intulisset, an de salute ejus penitus desperatum esset* 527.

Mendacium *opponitur veritati* 953. *est triplex* ibid. *an officiosum sit licitum*. ib. *etiam in negotio religionis. tria sunt in omni mendacio* 954.

Mendicantes *an sint in honesto vitæ genere*. 748. 749 *in V. T. & republ. Hebræorum excludebantur* 748. *vide* pauperes, *ethnici non tolerabant eos* 749.

Merces servorum 930. *quibus nulla debetur merces*. ib.

Mercatura *an sit licita* 710.

Metus *est q. motor reliquorũ affectuũ* 687. *quomodo ei resistendum? in re-*

 *bus*

Digitized by Google

*bus externis spiritualibus* ibidem *&* 688. *vide* paupertas, & infamia, *labor*, deformitas, captivi, exules, calamitas, senectus, morbus, mors.

Ministri ecclesiæ *non possunt cum heterodoxis propter communem hostem colludere* 150. *eorum officium in conservanda & exercenda religione pag.* 144 *ministerium privatum quid, quomodo conservandum inter hostes religionis.* 165. *ministris ecclesiæ non defertur juramentum* 249. *vide* doctores, vocatio ad ministerium, conciones, ordinatio, *eorum officium consistit in quatuor rebus* 779. *sunt pastores, architecti, speculatores* 786. *debent sobrietati studere* 790. *loquuntur verba Dei* 828. *vide* baptismus, cœna, claves, ritus, conjugium.

Minorennes *quinam sint?* 920.

Miracula *hæreticorum* 441. *ethnicorũ* 441. *propriè Deo competunt* 442. *divina & diabolica quadrupliciter differunt* 447. *à diabolo eduntur ad confirmationem idololatriæ* 632. *in miraculis Christus nobis proponitur admirandus, non imitandus* 388.

Misericordia *& eleemosyna differunt ut latius & angustius* 945. *septem opera illius corporalia, & sex spiritualia,* ibid.

Missa Pontificia 627. *non ab omnibus pro sacrificio propitiatorio habetur* ibidem.

Moderamen inculpatæ tutelæ 663.

Monachorum *obedientia, paupertas, castitas* 230. *& seqq. an rectè faciat qui relicto cucullo monasticen deserunt.* 235. *an quis bona conscientia in monasterium se conferre possit.* 739. *monasteria veterum laudabilia, hodierna non talia* 740. *monasteria quando cœperint* 744. *vide cœnobia.*

Moniales *vide* nonnæ.

Moneta *est communis mensura æstimationis rerum* 707. *an legitimus descendi modus per minorationem monetæ.* 707.

Monomachia *quantum sit peccatum.* 657. *an monomachi satis ad mortẽ parati, si paulo ante congressum cœna utantur.* 658.

Monstra *à monstrando dicta* 606. *eorum significatio* 606.

Mons pietatis *apud Pontificios* 706.

Morbi *an interdũ sint à diabolo.* 450. *an curãdi per verba & characteres* 541. *remedia* 688. *conjugum* 899.

Morositas 952.

Mortaliter *lapsis in hac vita patet aditus ad regna cœlorum* 511.

Mortem Domini commemorare *quid.* 320.

Mors *non nimiùm timenda* 501. *necessitas & utilitas mortis* ibid. *præparatio* 502. *hora mortis quatuor modis incerta* 502. *conflictus noster cũ morte* 505. *arma ad hanc necessaria* 506. *mori pro amico amoris signum, sed non habemus mandatum* 940.

Mulieres *vide* fœminæ, parentes.

Munera *sunt quadruplicia* 877. *an judex ea accipere debeat.* ibid. *simplex acceptio eorũ non est prohibita* 836.

Mutilatio membri *vide* corpus.

Mutuum *quadruplex* 706. *ejus conditio* 78.

Digitized by Google

*tio* 78. *qui propter solum mutuationis officium cum mutuatarij damno usuram exigit, peccat mortaliter* 699. *differentia inter mutuum & lucrum* 705. *vide pignus. an qui mutuum dedit pauperi, praceptum eleemosyna impleverit, si quod mutuum dedit, sibi restitui postulet.* 945. *vide debitum.*

## N.

NAturalis cognitio *ethnicorum de Deo vera* 64. *est languida & imperfecta* 65. *non est conceptus idoli* 66. *qualis fuerit in ethnicis ibid.* naturalis στοχασμὸς 598.

Nebucadnezar *an verè fuerit in bovem transformatus.* 557.

Necessitas *duplex spiritualis & corporalis* 172. *debiti & coactionis* 207 *non habet legem* 355. *casus necessitatis, vide casus suprà.*

Nivis *prima prognostica* 589.

Nomen Elohim *primò competit Trinitati seu personis simul sumtis: secundario propter essentia identitatẽ cuilibet persona attribuitur* 81.

Nonnæ *quales olim fuerint.* 743. *vide* cœnobia. *prisca non prastiterunt votum cœlibatus ibid. Constantini tempore & paulo post non fuerunt monasteriis inclusa, licebat ipsis tẽpore Cypriani egredi ex cœnobiis, nuptias contrahere ibid. retinebant vestes consuetas, opera earum erant sacra & domestica* 744. *progressu temporis earũ ratio mutata, consecrata fuerunt, capilli ipsis hodie prascinduntur* 745. *alij ritus papales in inauguratione monialis* ibid. *officium hodiernum* ibid. *canunt psalmos ignota sibi lingua* ibid. *an liceat ipsis concionari, ordinare sacerdotes* 746.

*Non omne quod licet honestum est* 247

Novatiani 610.

Nox natalitia *Christi* 591.

Nubium *prognostica* 588.

Nuditas *corporis in se non est inhonesta, sed per lapsum facta scandalosa* 639.

Nundinæ *an salvâ pietate diebus festis institui possint* 361.

Nuptiæ *an die Dominico sint instituenda.* 362.

## O.

OBedientia, *quam Pontificij urgent, quid.* 57. 227. 231. *liberorum erga parentes* 914. *vide* parentes.

Obligare conscientiam *dupliciter sumitur* 372. *obligatio propriè sic dicta duplex est, una generalis, altera specialis ibid.*

Obsessi *qui* 462. *possunt esse ibid.* 467. *signa eorum* 463. *error medicorum* ibid. *obsessio simulata* ibid. *vide* diabolus. *quid requiratur ad obsessum* 463. *signa prognostica quatuor* 664. *demonstrativa ibid. flagitia, qua cõmittunt an ipsis imputanda.* 471. *duorum sunt generum ib.* 472. 482. *an eos possit diabolus privare fide & salute* 472. *an iis deneganda sit cœna,*

*na* 473. *peccata causantia obsessionem* 734. *cur Deus hoc permittat?* 475. *an magicis artibus curandi?* 477. *an exorcismis* 478. *an aliis rebus* 480. *quid cum iis faciendum* 482 *plerumque gemino præditi sunt morbo* 483. *cur preces & jejunia pro iis non statim exaudiantur?* 486. *liberati plerumque in melancholiam incidunt* ibid.

Odisse patrem & matrem quid? 914.

Oeconomicus status *quid contineat?* 891.

Officia conscientiæ *propria* 9. *quadrupliciter se accommodant* ibid.

Officia *voluntaria nobis gratiora & magis honorifica quàm coacta* 109.

Omina 605.

Opera *duplicia, liberalia & servilia* 358.

Opera caritatis *quæ?* 356.

Opiniones *duplices* 15 *opinabilis conscientia* 16. *opinio rerum divinarum* 51. *non licet in rebus fidei saltem opinari* 52. *octo regulæ de rebus opinabilibus observandæ* 17.

Oratio *& precatio quomodo distinguantur?* 195. *tres ejus conditiones* 172. *orantis conditiones* 163. *præparatio ad eam* 174. *vide invocatio DEI, & preces. Oratio pro aliis* 182. *an in oratione pro omnibus intelligantur genera singulorum an singula generum* ibidem. *pro tribus non est orandum* ibid. 184. *pro impiis, aversione pœnarum, pro peccantibus in Spiritum Sanctum quomodo sit orandum* ibid. *pro quotidiana remissione peccatorum* 187. *oratio contra alios* 108. *gestus inter orandũ adhibendi* 193. *vide* gestus. *cur veteres inter orandum versus orientem spectarint?* ibid.

Ordinatio *quid? an sit Sacramentũ?* 768. *in quantum sit necessaria* 768. *an omissa χειροτονία ordinatio sit nulla?* 769. *an ordinationem conferre possit is qui non est ordinatus?* 770. *an in promotione doctorali facultas ordinandi detur doctorando?* ibid. *an ordinatio quæ non fit ab episcopo Papali, sit illegitima* 771. *an nostra sit legitima* 772. *an quivis promiscuè habeat potestatem ordinandi* 773. *an ordinatus ab hæreticis & conversus denuò ordinari debeat?* ibid. *an Lutherus tantùm ad missas, ungendum ægrotos, communicandum sub una specie, ordinatus fuerit?* 776. *an quis aliàs alienus ab hæresibus petere possit ordinationem ab ecclesia hæretica?* ib. *an quis ad ordinationem admitti queat, qui nondum ad certum aliquod officium est vocatus?* 778.

Ordo 845.

Orthodoxi *conversatio & habitatio inter hostes religionis* 169.

---

## P.

PÆdagogorum *officium triplex* 402.

Παιδεία & Ζέφυρ *quid Græcis significent?* 63.

Panis & vinum in cœna, *an mutari possint?* 33.. *panis an ubique & semper debeat esse uniformis?* 332. *quid*

*quid sit ver⁹ & naturalis panis?* 332. *vide* hostiæ, analogia. *Fractio panis an sit necessaria?* 334. *fractio panis à nostratibus non omnimodè rejicitur, sed saltem, quando sub ratione necessitatis urgetur* p. 335.

Papa Romanus *an potestatem habeat dispensandi in votis* 238. *utriusque gladij jus sibi vendicat* 721. *an potestas magistratus politici pendeat à Papâ* 858. *Canonistarum opinio de potestate Papæ* 858. 859. *probatur, Pontificem Romanum nullam habere potestatem temporalem imperandi magistratui politico ex jure divino* 861.

Parentes *an possint reddere liberorum vota irrita* 235. *quorundam ἀστοργία* 62. *vide* baptismus, liberi. *Tria debent liberis* 908. *causæ, propter quas parentibus licet liberis alimenta recusare* 14. *in jure civili recensentur* 909. *an pater debeat alimenta spurio?* 910. *an peccent matres, quæ liberos suos proprio lacte non alunt* ibid. *an parentes liberos Iesuitis aut Calvinianis erudiendos tutò committere possint?* 912. *an parentes in liberos habeāt jus vitæ & necis?* 913. *quousque se extendat liberorum obsequium erga parentes?* 914. *an liberi consensum parentum in contrahendo matrimonio necessariò requirere teneantur* 916. *in secundis etiam nuptiis contrahendis?* 920. *an liberi excusati sint, si insciis fortè parentibus, sed interposito juramento matrimonium alicui promiserint* 921. *si pater & mater simul egeant, & filius alterutrum tantum alere possit, cui subveniendum?* 922. *an filiis liceat quandoque officia pietatis denegare parentibus?* ibid. *an filio licitum sit parentem in jus vocare & coram judice accusare?* 923.

Passio Christi *medetur vulneratæ conscientiæ* 29. *ejus applicatio in quibus consistat?* ibid.

Deus pater *nusquam appellatur æternus pater Domini nostri Iesu Christi* κατὰ τὸ ῥητὸν, *ex aliis tamen textibus per consequentiam hoc probari potest* 83.

Patientia 124. 519. 127. 279. *patientiam duo impediunt* 520.

Patrini *non sunt absolutè ad baptismum necessarij, ritus antiquissim⁹, origo, occasio* 305. *usus* 305. *numerus* 306. *quinam possint obire vicem patrinorum, qui non?* 307. *an recusari possit officium hoc?* 311. *an quis rogatus à diversæ religionis homine patrinorum officium suscipere possit?* 310.

Paulianistarum *error* 162.

Paupertas *monachorum* 230. *remedium contra metum paupertatis* 687. *ordines duo pauperum* 748. *officiū magistratus & subditorū in prospiciendo pauperibus, collectæ pro pauperibus in primitiva ecclesia* 748.

Peccatum *originale & actuale* 103. *unde sit* 108. *non à Deo* ib. *causæ duæ* ibid. *nullum sua natura est veniale* 257. *quo sensu dicatur veniale* ibidem. *contra Decalogum commissa peccata interdum obsessione* punun-

*puniuntur* 474. *vide* tristitia, dolor. *pœna peccatorum* 620. *peccantes in moribus an pro concione nominatim taxandi.* 786. *discrimen quintuplex inter errores in doctrina & peccata morum* ibid. *peccantium diversa genera ibid.* peccatores *non sunt unius generis confessuri* 836. *quomodo peccatorib. manifestis sed pœnitentibus succurrendum* ibid. *peccatum non est, quod non habet voluntatis assensum* 820.

Peccatum contra conscientiam *arcet à cœna* 324.

Peccatum in Spiritum S. *cur vocetur peccatum ad mortem.* 184. *requisita peccati in Spiritum S. ib.*

Pecuniæ *conditio* 700.

Peregrinationes *ad loca sanctorum* 628. *vota earum ad eadem* 212.

Perjurium *quibus in rebus committi possit? quid sit? an in omni perjurio sit mendacium,* 260. *triplex est* ibid. *ad perjurium propriè dictū requiritur propositum malum faciendi* 261. *causæ cur perjurium sit fugiendum.* 262. *de juramento perjurij* 264. *Vide* juramentum.

Perseverantia *ad salutem requiritur* 515. *potest impediri* 516. *roborari* 516.

Pestis *tempore quid ministro ecclesiæ in pagis faciendum quoad cœnæ administrationem.* 817.

Physici *& medici sumunt quædam prognostica ex astris* 583. *vide* astrologia.

Physiognomia 895. *& seqq.*

Photinianorum *errores* 83. 90. 288. 696. 871. *eorum doctrina fructus* φιλονεικία 52. *& desperatio* 510.

Pignus *an liceat accipere, quòd si debitor non reddat justo tempore mutuum; mutuanti fiat proprium.* 706 *scriptura duo requirit circa acceptionem pignoris* ibid.

Pii *etiam interdū anxij sunt corde sed non sicut impij* 25. *quandoque dubitant de justitia Dei* 101. *eorū timor est filialis & cum bona conscientia stare potest* 25. *magnum discrimen inter felicitatem aut calamitatem piorūm & impiorum* 102.

Pluviarum *prognostica* 588.

Pœnitentia *non est differenda usq; ad extremum mortis articulum* 28. *Vide* Dolor.

Pontificii *non sunt fratres sed hostes religionis nostræ* 385. *eorum errores refutantur* 24. 56. 57. 129. 140. 238. 245. 291. 315. 327. 332. 367. 394. 468. 545. 611. 627. 629. 633. 694. 706. 756. 797. 823. 811. 832. 850. 851. 857. 863. 889. 900. 917. 947.

Potentia *duplex activa & passiva* 97.

Potestas *duplex spiritualis & corporalis* 882. *qui sub potestate aliorum sunt, non possunt vovere* 210. *potestas remittēdi peccata omnibus ministris ex æquo est concessa* 32. *quadruplex ejiciendi dæmones* 478.

Præcepta divina *sunt duplicia, affirmativa & negativa* 72.

Præstigiatores *an sit in honesto vitæ genere* 750. *vide* magi.

Præsumtio 488.

Præsagia *vide* divinatio.

Preces *vide* oratio & invocatio Dei. *materia precum* 180. *modus ib.* *exan-*


Digitized by Google

*exauditio fit pro ratione fidei* 184. *pro animabus in purgatorio* 186. 190. *certitudo de exauditione* 188. 189. *quando preces ritè formentur* 188. *qua lingua proponendæ* 195. *cur in nostris ecclesiis festis diebus latina sonet lingua* 198. *locus* 199. *locus nō sanctificat preces, sed preces locum* ibid. *publicæ preces non sunt negligendæ* ib. *tempus* 200. *hora precandi* ibid. *preces* 40. *dierum* 201. *horæ canonicæ* ib. *forma* 202. *cur preces sanctorum formaliter descriptæ.* ib. *nocturnæ vigiliæ* ib. *cogitationes alienæ inter precandum incidentes* p. 203. *preces & jejunia pro obsessis cur non statim exaudiantur* 486. *omni loco preces fiant* 628.

Presbyteri & episcopi *vocabula Scriptura promiscuè usurpat* 772.

Priscillianistarum *error* 71.

Princeps *quomodo sit solutus legibus.* 868.

Privilegium *tria continet* 870.

Prohibitio *ciborum multiplex* 375.

Promissiones Dei *sunt intelligendæ cum exceptione crucis* 102.

Propinqui *vide* cognati.

Prophetissarum *in V.T. & N. quæ ratio.* 766.

Providentia Dei *an se ad omnes res extendat* 110.

Proximus *noster quinam sit.* 931. *dilectio proximi* 932.

Pulchritudo *Dei donum est* 642. *commendatur in utroq; sexu imprimis fœmineo* ib.

Purgatorium *est Platonicum figmentum in sacris literis non fundatum* 627.

Q.

QUæstiones *an, qualis, & quis differunt* 65.

Quinque *species conscientiæ* 10.

*Quod contra bonos mores est, non obligat* 248.

R.

RApinis *non satisfit eleemosynis* p. 713.

Reconciliatio *cum proximo est necessaria & quomodo instituenda* 935

Recta conscientia *quid sit, est in medio posita inter Deum & homines, unde oriatur? ejus fundamenta* 11.

Regalia 886.

Regeneratio *quomodo differat à generatione.* 292.

Relaxatio juramentorum *an sit penes hominem.* 265.

Religio *accipitur dupliciter* 119. *dicitur εὐσέβεια pietas.* ibid. *quomodo distinguatur à Theologia;* ib. *ejus capita duo* 120. *quomodo à superstitione differat.* ib. *vide* cultus Dei. *est publica vel privata* 142. *ejus cura prima habenda ibid. ejus conservatio & exercitium* 144. *pluralitas in una religione* 147. *unitas optanda* 148. *an ij qui diversæ religionis sunt è republ. expellendi.* 151.

Reliquiæ *in Papatu* 130. *an prosint ad fugãda spectra* 629. *earum incertitudo*

*tudo* ib.

Reprobatio *vide* αὐτόχειρες.

Res indifferentes *an poſſint eſſe materia voti* 218. *quid.* 255. *in iis ſequenda cujusq; loci conſuetudo* 386. *vide* ritus.

Reſipiſcentia *debet conjungi cum examine conſcientiæ* 603.

Reſpublica *quid.* 891.

Retractatio votorum 233.

Ritus *non temere mutandi* 770. *ad arbitrium miniſtri eccleſiæ* 846. *ad mandatũ magiſtratus* 847. *in gratiam adverſariorum* 849. *regula Auguſtini de ritibus* 846. *quando mutatio nonnullorum rituum ſit neceſſaria.* 847. *vide* res indifferentes. *de omnimoda omnium rituum conformitate non eſt laborandum anxiè* 851, *ne convellatur libertas Chriſtiana* 853. *conformitas illa non eſt nota eccleſiæ ibid. diſtinctio ceremoniarum* 852. *ritus eccleſiæ ſint pauci, honeſti, fructuoſi* ib. *an miniſter eccleſiæ falſæ religioni addictos, ſi in errore ſuo mortui fuerint, honeſtis ceremoniis ad ſepulchrum comitari poſſit.* 853.

Rubedo *matutina & veſpertina* 588.

---

## S.

SAbbathum *ſanctificare quid.* 351. *ſabbatharii* 350. *obſervatio ſabbathi in N. T. abrogata* ib. *prima ſabbathorũ quid* 351. *ſabbathũ cur ſanctificandum.* 353. *quomodo.* 354. *per quid.* 355. *quomodo prophanetur.* 358. *an per ſtudia, equitationem, piſcationẽ.* ib. *an per ludos, comœdias, concionem? trochum, pilam, palæſtram &c.* 360. *vide* nũdinæ & nuptiæ. *transgreſſores ſabbathi qua pœna afficiẽdi.* 364. *obſervatio ſabbathi eſt clauſula omnium præceptorum primæ tabulæ* 365.

Sacramenta *N. T. duo* 162. *eorum uſurpatio apud hæreticos* ib. *ſunt bona toti eccleſiæ communia* ib. 302. *ſunt notæ eccleſiæ & cõfeſſionis* 164. *ſunt inviſibilis gratiæ viſibilia ſigna* 288. *uſus eorum in N. T. quomodo neceſſarius* 288. *non privatio ſed contemtus damnat* 290.

Sagæ *vide* Magi.

Salus *vide* perſeverantia, dubitatio. *certitudo ſalutis noſtræ quomodo roboranda?* 516.

Samuelis *ſpectrum apparens Sauli an fuerit verus Samuel* 609.

Sancti *honorandi & quomodo.* 132. *vide invocatio. an iis vovere quid liceat.* 208. *peregrinationum vota ad loca ſanctorum* 211.

Sanguinis *effuſio in ſacris literis quænam prohibita* 115.

Satisfactio *Pontificia* 832.

Scriptura S. *eſt principium ſalutis & cognitionis Theologicæ* 48. *certitudo* 49. *interpretum autoritas* ib. *vide* interpretes. *autoritas ſcripturæ* 49. κριτήρια *ſeptem* 50. *adminicula fidei in prohibitione legendæ ſcripturæ* 281. *interpretatio an ab angelis expectanda.* 422.

Scrupuloſa conſcientia *quid. unde dicatur? quomodo differat à dubia? unde oriatur? ſeptem ejus cauſæ.* 18.

modi

*modi duo* 19. *ſeptem ejus remedia* ibid.

Scholæ *ſunt parvæ eccleſiæ* 764.

Secundæ nuptiæ *an miniſtro eccleſiæ conceſſæ* 896. *an & aliis* ibid. *vide* divortium, parentes.

Sepultura 620. *impiorum oſſa de ſepulchris ejicienda Deus prædixit* 854. *ſepultura aſini quinam afficiendi, & quomodo ea in ſcripturis deſcribatur.* 854. *an miniſter eccleſiæ falſæ religioni addictos, ſi in errore ſuo mortui fuerint, honeſtis ceremoniis ad ſepulchrū comitari poſſit.* 853

Senectutis *remedia* 39.

Servi, *famuli, & operarii quomodo differant.* 927. *ſervitium unde originem traxerit.* 927. *quænam ſint officia ſervorum* 927. *vide* Domini. *Servitus triplex, unde opus ſit ſervile* 359.

Simonia *quid* 736.

Signorum *petitio ad V.T. pertinet pag.* 761.

Sol 584. *vide* aſtrologia.

Solitaria *loca* 619.

Somnia *triplicia* 199. *prædictiones* 599 *ὀνειρωγμοὶ* 602. *exempla* 603. 604 *an hodie à Deo expectandæ informationes per ſomnia* 603. *Divina tam bonis quàm malis obtingere poſſunt* 604. *duo indicia divini ibid. non omnia ſignificant ibid.*

Sorores *vide* fratres.

Sors & ſortilegium *dupliciter ſumitur* 606. *ratione finis triplex* ibid. *illicitæ ſortes ibid. licita* 608. *an per ſortes furta latentia inquirenda* 607. *an ſortitio in vocandis eccleſiæ miniſtris adhibenda* 760.

Spectrum *Samuelis an fuerit verus Samuel.* 609. *loca quæ à ſpectris infeſtantur* 610. *an ſint an animæ defunctorum* 611. *vide* purgatorium, ſpiritus. *an informationes ab iis expectandæ.* 614. *duorum ſunt generum ibid. cauſa tumultus eorū* 619 *remedia contra eadem* 621. *cur Deus hoc permittat?* ib. *an ſpectra pellenda ſint angelorum invocatione.* 624. *an adjuratione.* 625. *an precibus pro defunctis, Miſſa, cereis, eleemoſynis, jejuniis &c?* 626. *reliquiis ſanctorum* 629 *ſigno crucis.* 632. *exorciſmis & rebus conſecratis.* 633. *fiducia in Chriſtum directa dæmones fugat* 632.

Spes 121.

Spiritus *generaliter quid.* 398. *nomen naturæ vide* angelus 399. *tria genera ſpirituum apud Pontificios* 612 *alia diviſio eorum* 398.

Spiritus S. *eſt Deus* 90. *eſt perſona à patre & filio diſtincte ſubſiſtens* 91. *ejus operatio in infantibus ante baptiſmum* 115. *amiſſio & operatio* 118 *an tentati & vehementer afflicti habeant Sp S. ib.*

Spurius *vide* fratres, liberj, parentes. *Spurii ab hæreditate paterna excluduntur* 926.

Stare poſt parietem & videre per cancellos *quid ſit.* 405.

Studioſus Theologiæ *carens δυνάμει ἑρμηνευτικῇ an bona conſcientia canonicus fieri poſſit.* 732.

Subditorum *officium in conſervanda & exercenda religione* 145.

Submiſſio *quid ſit? ejus exempla, continet 4. virtutes* 123.

Superstitionis *pœna* 619
Surdi & muti *sunt trium generum, an possint uti cœna* 338.
Sibyllini *libri suspecti sunt* 69.
*συντήρησις vox græca, quid? quomodo differat à conscientia.* 7. *quare sæpius pro conscientia ponatur* 8.

## T.

TÆdium vitæ *sanctis etiam interdum obrepit* 519. *quomodo iis consulendum, qui ex tædio vitæ manus sibi inferre cogitant* 522.
Themata natalitia 582. 585. 590.
Temperantia *à nobis non improbatur.* 650.
Tempestatum *autor Deus* 559. *an etiam sagæ & magi tempestates ciere possint: ib.*
Testimonium conscientiæ *est omnium certissimum* 9.
Testes *vide* judex.
Timor Dei *quid? quinque causæ impulsivæ* 123. *timor Dei ob pœnas* 126 *alius servilis alius filialis ibid. piorum timor filialis est, & cum bona conscientia stare potest* 25.
Tradere Satanæ *quid.* 468.
Transformatio *hominum in bestias an sit magicæ artis.* 523. *quomodo fiat.* 555. *de Nebucadnezaris μεταμορφώσει* 557.
Trinitas 78.
Triplex applicatio conscientiæ *ad aliquod opus* 8.
Tristitia *cur fugienda* 490. *quomodo temperãda.* 690. *quomodo pellenda orta ex persecutionibus & exilio p.* 495. *ex dilatione auxilii divini* 497 *ex nulla spe liberationis apparente* 499. *ex malis cogitationibus de peccatis* 507. *ex perpetrato peccato aut sæpius repetito.* 509. *vide* dolor. *quid faciendum, si tristitia ita occupasset animum, ut non tantum mori desiremus, sed & ad inferendas manus à proprio corde instigemur* 519
Turcæ *quomodo jurent.* 245.
Tyrannidis *pœna* 214.

## V.

VEctigalia *& tributa* 884. *vide* magistratus.
*De vocula VEL observatio* 214.
Venatio *an jure competat magistratui* 886. *cautiones observandæ* 887. *pœnæ transgressorum ibid. fuit olim communis* 886.
Verba, *vide* vocabula. Verbum Dei *quodnam.* 48. *vide* Scriptura. *verba quæ minister loquitur sunt verba ipsius DEI,* 828. *triplici verbo Deus suã erga nos dilectionem declaravit* 525. *verbi divini auditus apud hæreticos* 161. *corruptũ glossis humanis non est verbũ DEI* ib. *auditus necessarius* 268. *salutaris* 271. *vide* conciones *efficacia verbi non pendet à vita docentis* 272. *judiciũ de verbo doctoris quomodo instituendum* 273 *quid faciendum, si quis habeat desiderium audiendi, ipsum verbũ autem habere non possit.* 279. *auditus externus non est absolutè necessariũ & per-*

*& perfectũ medium fidei impetrandæ 281. adminicula fidei in prohibitione lectionis scripturæ* ibid. *an quis auditorum deserto suo ordinario pastore alibi locorum animæ suæ curã quærere possit.* 283. *quid subditis doctoribus suis orbatis faciendũ.* 286.

Veritas 953. *quatuor legitima media veritatem inquirendi* ib.

Vestium *primarius finis* 649. *an quis vestitu Iesuitico aut Turcico, ut latere possit, inter eos versari liceat.* 74 636. *mutatio vestitus an sit licita.* 635. 637. *usus vestium quadruplex* p. 635. *an in comœdiis vestium mutatio concedenda.* 637. *vide comœdia. luxus vestium* 647. 647. *quantum sit peccatum. ib.*

Victoria *nobilissima seipsum vincere* 958.

Vindictæ cupiditas *unde oriatur.* 681. *quomodo ipsi resistendum?* ib. *vide* ira 786.

Vinum in cœna, *vide* panis, abstemii.

Vir *an sine consensu uxoris possit vovere.* 210.

Virgines *ob pudicitiam facta αὐτόχειρες an laudandæ.* 529.

Virtus Dei *in Scripturis tripliciter usurpatur* 94.

Vita hominis *similis ludo tesserarum* 751. *an quis bona conscientia vitam exponere possit, ut servet vitam amici, vide* mori pro amico. *tribus in casibus licitum est pro alio vitam effundere* 941.

Vita æterna *& justitia nostra in quibus consistat.* 62.

Unio personalis *vide* Christus.

Ungere *faciem pulchritudinis causa an liceat.* 642.

Vocabula ἄγραφα *Philosophica antequam ad mysteria applicentur, purganda prius ab imperfectione.* 83. *vocabula valent usu sicut nummi* p. 139. *verba an curare possint morbos* 542.

Vocatio ministri verbi, *vide* ministri ecclesiæ, *an non vocatus docere possit in defectu aliorum.* 753. *inter barbaros & ministerio omnimodè destitutos.* 755. *vocatio legitima duplex* 756. *certitudo ejusdem* ib. *electio & vocatio competit toti ecclesiæ non solis episcopis* 756. *an sit legitima, quæ fit à patrono Pontificio, Lutherano.* 758. *vel si unus tantum patronorum litigantium consentiat.* p. 759. *an sorte electio fieri debeat.* 760 *inter plures vocationes simul oblatas, quæ eligenda.* 761. *an signũ forte à Deo petendum.* ib. *an in vocatione diaconi votum habeat illius ecclesiæ pastor.* 762. *an vocando conditio ducendi viduam relictam proponenda.* 763. *an pastor resignato ministerio ad munus scholasticum se conferre possit.* 764. *an mulier ministerio fungi & Sacramenta administrare.* 765. *an Lutherus hoc affirmarit.* 766. *an Magistratus ministros pro lubitu removere possit. ibid.*

Voluntas *sæpè habetur pro facto.* 571.

Voluptates *trium generum* 684. *illicitæ quadruplices ibid. quomodo iis resistendum.* ibid. *vide* commessatio, ebrietas, libido.

Vota *quid sint? quomodo differant à promissione? an sint actꝰ rationis an* volun-

*voluntatis.* 204. *tria sunt in voto* 205. *solennizatio* ibid. *divisio Pontif.* ibid. *tria genera* 205. 208. *votum perpetuum Christianorum* 205 *an licitum sit quid vovere Deo.* 206 *vota afferunt præstandi necessitatẽ sed non coactionem* 207. *an sanctis vota sint facienda.* 208. *quanã personæ ad vota admittendæ aut non.* 210. 211. *de votis peregrinationum ad loca sanctorum ibid. de materia voti, quæ res vovendæ aut non.* 212. 213. *de voto Iephte ib. ejus tempore in Vet. Testam. non fuit usitatum votum perpetuæ virginitatis* 214. *de voto quoad certum genus peccati evitandum* 217. *an res indifferentes possint esse materia voti* 218. *de voto circa contrahendum matrimonium cum certa aliqua persona, aut de abstinendo in perpetuum à conjugio* 218. 220. *omne votum finem bonum habere debet* 219. *potest aliquis voto se obstringere ad contrahendũ matrimonium etiam extra periculum prædominantis libidinis ibid. an aliqua bona vovere liceat, quæ magis bonum impediunt.* 221. *an vota ex metu & perturbatione facta sint valida.* 222. *an vota simulata & ficta.* 224. *an vota cum conditione facta.* 224. *an aliena voti persolutio.* p. 225. *votum personæ est non rei* ibid. *sunt triplicia* ibid. *an sint facienda meriti aut perfectionis gratia.* 226. *tria vota monastica* 227. *à Iesuitis aucta & correcta* ibid. *an obligent.* ibid. 229. *retractatio votorum* 233. *an recte faciant, qui relicto cucullo monasticen deserant.* 235. *an parentes liberorum vota possint reddere irrita.* ib. *an Pontifex Romanus potestatem habeat dispensandi in votis* 237. *commutatio in voto quando fieri possit.* 239.

Usuræ *an sint licita.* 698. *distinctio inter usuram propriè sic dictam & pensionem annuam* 698. *quinque concurrunt ad usuram propriè sic dictam ibid.*

Utile *aliud est* ἀληθῶς *tale, aliud* φαινομένως 181.

Vulgares locutiones *carent* ἀκριβεία 139.

Vulnerare *an sit licitum ad mortem usq; eum, qui honorem alicujus violat?* 666.

---

Z.

Zelus 526.

F I N I S.

IMPRIMEBATUR FRANCOFURTI
ad Mœnum

Typis Wolfgangi Hoffmanni.

M. DC. LIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6 – 4

Digitized by Google

Digitized by Google